№ 569

819.1
Edd

EDDA

SAEMUNDAR HINS FRÓDA.



SUMTIBUS
LEGATI MAGNÆANI ET LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ.

EDDA SÆMUNDAR HINS FRÓDA.

EDDA

RHYTHMICA SEU ANTIQVIOR

VULGO SÆMUNDINA DICTA.

PARS III.

CONTINENS CARMINA *VÖLUSPÁ, HÁVAMÁL* & *RÍGSMÁL.*

EX CODICE BIBLIOTHECAE REGIAE HAFNIENSIS PERGAMENO, NECNON DIVERSIS LEGATI ARNAE-MAGNAEANI ET ALIORUM MEMBRANEIS CHARTACEISQVE MELIORIS NOTAE MANUSCRIPTIS.

CUM INTERPRETATIONE LATINA, LECTIONIBUS VARIIS, NOTIS, GLOSSARIO VOCUM p. p.

ACCEDIT LOCUPLETISSIMUM PRISCORUM BOREALIUM THEOSOPHICÆ MYTHOLOGIÆ *LEXICON* ADDITO DENIQVE EORUNDEM GENTILI *CALENDARIO,* JAM PRIMUM INDAGATO AC EXPOSITO.

Landsbókasafn

HAVNIAE,

SUMTIBUS LEGATI ARNÆMAGNÆANI ET LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ.

TYPIS *JANI HOSTRUP SCHULTZ,*

AULÆ & UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

1828.

POESEOS VETUSTISSIMAE SCANDINAVORUM

TRIFOLIUM

CONTINENS CARMINA

VÖLUSPÁ, HÁVAMÁL ET *RÍGSMÁL*

ILLORUM ORIGINES, COSMOGONIAM ET THEOSOPHIAM OPTIME ILLUSTRANTIA,

E CODICE BIBLIOTHECAE REGIAE HAFNIENSIS PERGAMENO, NEC NON DIVERSIS LEGATI ARNAE-MAGNAEANI ET ALIORUM MEMBRANACEIS CHARTACEISQVE MELIORIS NOTAE MANUSCRIPTIS.

CUM INTERPRETATIONE LATINA, LECTIONIBUS VARIIS, NOTIS, GLOSSARIO VOCUM p. p.

ACCEDIT LOCUPLETISSIMUM PRISCORUM BOREALIUM THEOSOPHICÆ MYTHOLOGIÆ *LEXICON* ADDITO DENIQVE EORUNDEM GENTILI *CALENDARIO*, JAM PRIMUM INDAGATO AC EXPOSITO.

HAVNIAE,

SUMTIBUS LEGATI ARNÆMAGNÆANI ET LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ.

TYPIS *JANI HOSTRUP SCHULTZ*,

AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

1828.

LECTORI!

Iam tandem a prelo dimittitur tertium et ultimum Eddæ poeticæ volumen, cui ita præfabimur, ut ea, qvæ in hocce volumine satis amplo contineantur, et causas cur exspectatione serius in lucem emissa fuerint, breviter exponamus.

Primo hic exhibetur vetustissimæ paganorum borealium poëseos trifolium, constans carminibus *Völuspâ*, *Hávamál* et *Rígsmál*, qvorum illa Eddæ poeticæ propria et sunt et habentur; tertium vero Rígsmál, Eddæ juniori sive prosaicæ vulgo adscriptum, ob rationes infra afferendas cæteris carminibus addendum esse statuimus.

Qvodvis horum poematum hic instruitur introductione speciali, qva textus præsentis translationis et reliqvi apparatus historia, fundamenta ac rationes sufficienter explanantur. Cum vero plagulæ hocce trifolium continentes ante annos aliqvot typis mandatæ fuerint, e re nostra esse duximus, pauculas de istis carminibus observationes hic adjicere.

Præter fundamentalem Valiani Vaticinii textum, e codice Regis Daniæ descriptum, addi curavimus ejusdem carminis recensionem, si ordinem stropharum respexeris, longe

aliam, ex codice legati Arnæmagnæani membraneo (in Qvarto Nº 544) desumtam. Hanc singulari prooemio, variis lectionibus et pluribus notis translator adauxit, monstrans præterea et Regii nostri codicis et Holmiensis (vel Raskianæ editionis) divergentiam, tam ab illa qvam inter se invicem memorabilem, qva triplex et diversus qvidem stropharum ordo constituitur. Hæcce diversitas exinde præcipue orta esse videtur, qvod oda laudata ex orali diversorum hominum traditione vel recitatione calamo fuerit excepta, qvæ qvidem observatio novum addit vetustati hujus carminis adstruendæ argumentum. Præter translationes dicti carminis, in introductione memoratas, qvartam porro Anglicam viro doctissimo Sharon Turner, de Anglosaxonum historia optime merito, deberi reperimus.

Collectio variorum antiqvorum poematum, vulgo Hávamál inscripta, est unica hujus voluminis pars, qvæ qvoad apographi confectionem, variantium lectionum annotationem et latinam translationem, a nostris prædecessoribus ita fuit præparata, ut fere immutata prelo subjici posset. Aliæ insuper observationes a translatoribus fuerant inceptæ, sed 40 tantum numero; reliqvæ igitur una cum ipsa poëmatis introductione editori debentur.

Poematio Rigiano adjici curavimus tam speciale denominationum ejus allegoricarum onomasticon, qvam schema

genealogicum origines scandinavicas in illo relatas breviter exponens. Notitiis litterariis de hocce poematio addendum est: latinam carminis versionem, a Siöborgio v. cl. confectam, insertam reperiri libro, cui titulus est: *Illustrations of northern antiqvities. Edinburgh* 1814 in 4.*)

In elaborando indice vocum, qvæ in istis vetustissimæ Scandinavorum lingvæ reliqviis occurrunt, sed non in glossariis præcedentium tomorum vel explanatæ, vel satis illustratæ fuerunt, autor eandem secutus est methodum, qvam in præfatione tomi secundi p. xxxii indicavimus.

Promisimus in prooemio secundi voluminis integrum Lexicon veteris Eddæ mythologicum, literarum progressibus, qvi recentissimis annis facti sunt, conveniens huic tomo subjungendum. Hocce opus in se susceperat unus e nostris, Finnus Magnusen, qvi jam hujus Eddæ partem secundam ediderat, et editionem duorum carminum nuper commemoratorum solus concinnaverat. Huic nempe rex noster augustissimus, FRIDERICUS SEXTUS, omnium scientiarum et patriæ præsertim litteraturæ munificentissimus promotor,

---

*) Observationem huic versioni additam, qvæ, ni fallimur, doctissimo Roberto Jamieson debetur, hic exscribere juvat: *The simplicity in the design and the plain and unambitious manner, in which the story is told, constitute the principal excellency of the piece, which is certainly, so far as it goes, one of the most curious and interesting "manners-painting strains" that have been preserved, not even excepting the Odyssey of Homer.*

publicum stipendium numerando otium ea lege fecerat, ut hisce litteris se totum daret.

Ille autem primo præsentis editionis volumine in hunc scopum perlecto textus interpretationem, in eo contentam, multis locis sibi minime satisfacere reperit. Hinc igitur novam totius Eddæ antiqvioris translationem danicam moliri coepit, qvam deinde commentario perpetuo instructam et in qvatuor tomos divisam annis 1821-1823 Havniæ edidit. Deinde vero totam mythorum eddicorum rationem studiosius investigans integrum edidit eddicæ cosmologiæ et theosophiæ systema, addita comparatione cum asiaticis, præsertim indo-persicis, græcis aliorumqve populorum traditionibus, qvi liber, danico idiomate compositus, in qvatuor tomis prodiit annis 1824-1826. Hisce demum laboribus absolutis autor se gentilis veterum septentrionalium theologiæ et cosmologiæ fundamenta et veram indolem ita perspexisse existimavit, ut fidem nostram, ante plures annos reipublicæ literariæ datam, liberare auderet.

Dum editio lexici mythologici ita protrahebatur, crevit interea apparatus, ipsum qvoqve autoris institutum novis incrementis fuit adauctum. Ab initio lexicon Eddæ tantummodo antiqviori fuit destinatum; at procedente opere, ac litera *A* ad finem perducta, intellexit autor lectoribus longe melius consultum iri, si scopus ita immutaretur, ut lexicon

integram nostratium mythologiam theosophicam uno volumine amplecteretur. Hinc factum, ut autor in hocce volumine conficiendo non modo mythorum in Edda poetica occurrentium rationem reddere conatus sit, sed qvoqve cæteros mythos, qvorum in Edda antiqviore non diserta fit mentio, suis locis illustraverit. Ut vero lectores, qvæ de singulis mythis per plures forte operis articulos sparsa essent, tanto facilius reperirent, indicem addidit omnia nomina mythica ordine alphabetico comprehendentem. Neqve satis habuit autor in genuinam indolem mythorum borealium inqvisivisse, sed ad origines eorum asiaticas plerumqve respexit, varia græco-romana paralella indagare studuit, aliorum qvoqve populorum antiqvitates et traditiones eodem consilio perlustrare conatus est. Multa porro collegit, qvæ recentiores Islandorum, Scandinavorum, Germanorum, Britannorum, Gallorum, Slavorum, Finnorum &c. superstitiones, ritus et opiniones spectant, qvatenus scilicet hæc omnia pro reliqviis gentilismi haberi possent.

His omnibus specimen accessit calendarii gentilis, novum qvidem auctarium, sed cum consilio totius operis arcte nexum. Dum scilicet lexicon conscribebatur, astronomiæ et astrologiæ arctissimus cum mythologia atavorum nostrorum gentilium religiosa nexus magis magisqve auctori illucescere perrexit. Ut ipse prius septem hebdomadis

dies deos planetares arguere, et duodecim signa Zodiaci tot numinum arces et domicilia coelestia indicasse monstraverat, ita nunc se detexisse opinatur, qvod 52 præcipua Odini nomina tot denotent dies hebdomadales Odini nomine insignitas, sive omnes unius anni septimanas; qvod præterea Dvergi aut Alfi 73 principales totidem denotent annui spatii pentades, vel divisiones minores, qvas tam Islandorum qvam Danorum, Norvegorum & Svecorum leges, medio ævo et posterius qvidem editæ, magis minusve distincte memorent. His omnibus autor eo adductus est, ut præmissa introductione integrum calendarium gentile haud sine labore satis improbo conficere tentaret. Dolet autem hoc calendarium propter nimiam temporis angustiam, monente scilicet librario nundinas Lipsienses iterum instare, et svadentibus collegis, ut finis diuturnis lucubrationibus tandem imponeretur, non satis completum evasisse. Nihilo tamen secius sperat ex hacce sua disqvisitione non solum septentrionalium sed qvoqve cognatarum gentium antiqvitatibus aliqvid lucis esse affulsurum.

Havniæ, Idibus Martii MDCCCXXVIII.

Monrad. Schlegel. Thorlacius. Werlauff. P. E. Müller. Finn Magnusen.

Legati Arnæ-Magnæani Ephori et Curatores.

G. J. Thorkelin.

VÖLO-SPÁ.

VATICINIUM VALÆ

SIVE

CARMEN SIBYLLAE ARCTOAE.

INTRODUCTIO.

Vaticinium Valæ (Sibyllæ sive prophetissæ) ab *Herdero, Graetero, Grundtvigio, Afzelio* et pluribus doctis atque aeris ingenii viris summis laudibus elevatum, inter vetustissima borealium carmina censeri debere, minime dubito; continet autem præcipua antiqvissimæ Gothorum scandicorum religionis fundamenta, ut ê conspectu mox seqventi et ipso poëmate satis elucebit. Inscriptio ipsius indicat auctorem fuisse *Valam* qvandam, non proprio nomine sic dictam, sed qvasi fæmininam vatem; est nobis igitur hic de ejus generis prophetissis apud gentiles nostros atavos, breviter disqvirendum. De nominis verisimilibus etymis in lexico mythologico agemus; hic de re ipsa. *Valæ (Vaulur* vel *Völur, Völvur* in nom. sing. *Vala, Valva)* & *Nornir (Norn)*, ə: Moeræ vel parcæ (subordinatæ) vocatæ olim fuerunt mulieres vaticinia edentes et magiam exercentes, qvibus aliqvid divini inesse putarunt veteres Scandi, uti Tacitus nobis idem de Germanis retulit. Vaticinabantur præcipue de fatis infantum recens natorum, qvæ interdum etiam statuere putabantur, et simul, ex aliqvâ parte, obstetriciam artem (cui magia sæpe adplicata) exercuisse videntur. Divinabant prætorea de terræ vel regionis, populi vel reipublicæ fatis, et arcessitæ igitur sunt a principibus vel præfectis, ut eorum actiones secundum illarum oracula secure institui possent. Hoc modo eventus periculum a principe aversum, sed vati nunqvam divinationis merces defuit; ut taceam cætera commoda, qvæ ambobus e tali plebis delusione accidere solebant. Sapientes hæ mulieres, baculo magico vel sceptro dæmonibus et

naturæ imperanti semper præditæ, interdum electæ sunt ad graves lites et judiciales causas componendas vel decernendas. Legatur ex. gr. *Vatnsdœlasaga* (Ed. Havn. pag. 186–90) collata cum *Saga Thorvaldar Vídförla* in append. *Hungurvakæ* pag. 256 sq. (unde sagæ talis ethica doctrina et puerorum moralis educatio magnam laudem merere videntur). De publicis earum vaticiniis, ê prætoris petito, solemni convivio tali occasione agitato, sibyllæ officiali vestitu, cantu magicis ejus ritibus adhibito, modo vaticinia edendi et pl. scqventem accuratam et memorabilem descriptionem, ex Islando-Norvegica in veteri Groenlandia coloniâ petitam, nobis dedit *Saga Eiríks rauda* vel *Þáttr Þorfinns Karlsefnis* (adhuc inedita). Secuti sumus e maxima parte versionem Bartholini vel potius Arnæ Magnæi (in illius Antiqvitt. Danicis) pluribus tamen gravioribus mendis emendatis secundum fida originalis libri exemplaria:

"Mulier qvædam, nomine *Thorbiarga* (ɔ: vi voeis Thoris Divi adjumentum) "in eodem territorio degebat; hæc fatidica fuit dictaqve parva Vala. Novem "sorores habuerat, sed illa sola jam superfuit. Thorbiarga per hyemes convivia "freqventare solebat, ab iis, qvi de fatis suis rebusqve futuris sollicíti erant, in- "vitata. Cumqve Thorkillus inter primates haberetur, et cura incumbere videre- "tur inqvirendi, qvando instans annonæ caritas cessatura esset — fatidicam iste "ad se invitavit, lauto præhabito apparatu, uti mos erat talem hospitem excipere. "Sedes fatidicæ in loco excelso posita erat, substrato pulvinare plumis gallinarum "refercto; illa vero viro, in occursum ei misso, comitata, vespere advcniens tali "modo instructa fuit. Tunicam cæruleam, lapillis a summo ad imum ornatam, "induta erat, sphærulas vitreas collo gestabat, capitis gestamen e pelle agnina "nigra erat, subducta interius alba pelle felina. Baculo nitebatur globulum in "summo habente; baculus orichalco ornatus erat, globulusqve lapidibus circun- "datus. Zona Hunlandica (Hunnica seu etiam Slavo-vandalica) se cinxerat, ex "qva crumenam magnam suspenderat, in qva magica sua instrumenta servabat. "Gestabat caleeos ê pelle vitulina hirsuta factos, addita fuerunt ligamenta longa "et crassa globulis æneis alligata. Manus instruxerat chirothecis nigris e pelle "felina, albas interius et hirsutas. Intrantem omnes, uti debitum credebatur, "reverenter salutarunt, ea vero, prout salutantes ei placebant, salutationes exce-

"pit. Thorkillus, dextram fatidicæ amplexus, eam ad paratam sibi sedem duxit, "rogans ut habitacula et homines oculis lustrarct. Illa verborum de omnibus iis "parca erat. Mensa tandem instructa fatidicæ dapes seqventes appositæ sunt: "Pulmentum e lacte caprino, ferculumqve ê cordibus variorum animalium, qvo- "rum copia crat, confectum. Cochleari ex orichalco utebatur, cultrumqve, cujus "manubrium e dente balenæ elaboratum erat, duobusqve annulis æneis ornatum, "cuspide mutilum usurpabat. Mensis remotis Thorkillus Thorbiargam accessit, "interrogans qvid ei videretur de habitaculo et hominibus ibi congregatis, et "qvam cito ipsi cognoscendi copia esset, qvæ interrogavisset, et qvæ ceteris volupe "esset scire. Illa negat se prius hæc dicturam qvam crastina die, ubi noctem illic "peregisset. Crastina die mane (secundum alios codices: seqvente die vespe- "ram versus vergente) apparatus ille, qvo ad magiam suam perficiendam opus "habuit, instruebatur. Tunc rogavit, ut fæminæ qvædam sibi acqvirerentur qvæ "carmen huic magiæ destinatum, *Vardlokur* dictum callerent, nulla autem inve- "niri potuit. Cumqve per vicum qværeretur aliqva hoc carmen callens, *Gud-* "*rida* respondit: non saga sum nec fatidica, attamen nutrix mea *Halldisa* in Is- "landia carmen me docuit qvod *Vardlokur* vocavit. Thorkillus dixit: ergo "plura, qvam credidimus, calles. Gudrida ait: hoc carmen et hi ritus talia sunt, "ut promovere abhorream qvoniam christiana sum. Thorbiarga inqvit: attamen "in hoc nobis succurrere potes sine religionis tuæ detrimento. Thorkillus autem "omnia ad hanc ceremoniam necessaria subministrare tenetur. Thorkillus Gudri- "dam enixe rogavit ut petita faceret, illa vero dixit se voluntati ejus satisfacturam. "Tum fæminæ Thorbiargam, in editiori tabulato magico sedentem, circumcin- "xerunt; Gudrida vero carmen tam alta et canora voce cecinit, ut præsentes se "svaviorem cantum nunqvam audivisse fatcrentur. Fatidica cantu delectata ei "gratias retulit, dixitqve: multa de morbis et annona percepi; nunc enim mihi "multæ res apertæ sunt, qvæ me et alios antea latuere. Famem hanc non diu du- "raturam esse scio, sed ineunte vere annonæ ubertatem redituram; morbos etiam, "qvi aliqvamdiu hunc tractum afflixerunt, brevi fugituros. Tibi vero Gudrida! "operam qvam nobis præstitisti remunerabor, nam fata tua, mihi probe nota, ma- "jora sunt, qvam qvis credidisset. Viro hic in Groenlandia magni nominis nu-

"bes, qvamvis hoc conjugio non diu fruaris, nam fata tua te in Islandiam redu-
"cent, ubi mater eris stirpis numerosæ et honestæ, super qvam tuam progeniem
"radius lucidus lucebit. Jam te mea Filia! salvere et valere jubeo. — Deinde om-
"nes, unus post alterum, fatidicam accesserunt, rogantes, qvæ scire avebant,
"qvæ omnia manifeste prædixit. Paulo post ad aliud habitaculum invitata abiit.
"Deinde Thorbiörnus vocatus rediit, nam domi manere noluit, dum tanta super-
"stitio perageretur. Aëris constitutio, appropinqvante vere, ad meliorem statum
"rediit, uti Thorbiarga prædixerat."

Sic sæpe amplis muneribus et divino fere honore publice cumulatæ, *Valæ* illæ inter maxime momenti personas apud gentiles Islandiæ et Groenlandiæ (seando-gothicos) incolas habebantur. Iis verisimiliter annumeratæ sunt flaminiæ vel sacerdotulæ Islandicæ, dictæ *hof-gydiur* (templi divæ sive fœminini antistites) seculari simul magistratus officio interdum (ut videtur) functæ. *Valis* vel Nornis similem honorem in Dania et in Belgio vel inferiore Germania adhibitum esse, legimus in vetustis narrationibus de *Asbiörno Prúdi* et *Norna-Gesto*, magnæ Olai Trygvini historiæ affixis. Ex eorundem numero fuerunt forte tres illæ Pareæ, super selecta sedilia in deorum templo sedentes et tres illas magnas cælestes repræsentantes, qvarum oracula circa infantis pueruli fata Danicus rex petiit e relatione Saxonis in Hist. Dan. Lib. 6to. Similis superstitio invaluit olim apud Celtas circa eorum Druidissas et Gallicenas, atqve, ut supra monui, apud Germanos ipsos; inter præcipuas horum Valas sive Sibyllas Velledæ nomen, in Taciti scriptis sæpius occurrens, celeberrimum evasit. Edidit illa oracula sua, divino fere honore affecta et pretiosis donis remunerata, ex edita turre, uti nostræ traditiones sæpissime loqvuntur de tali turri sive tabulato elevato, a seandicis Valis vel sagis usitato. Scandorum Nornæ et Valæ non raro nominantur *Meyar* vel *mær* (lege *mair*) et putabantur sine dubio divina cælestium Nornarum mente inspiratæ vel præditæ esse; hinc præcipue illustrari videntur plurimæ Romanorum Inscriptiones in Britannia, Gallia et Germania repertæ, qvæ *Diis Mairabus* dicatæ sunt. Agunt aliæ de *Diis Matribus*, Indis eodem nomine ipsis hic vocibus *(Divi Matri)* notis, et tum bene observandum qvod obstetrices, Valarum classi interdum adscriptæ, a veteribus Seandis (uti adhuc ab Islandis) dictæ fuerint.

liós-mœdur o: lucis sive lucinæ matres, cum foetus vel infantes in diei vel mundi lucem protraherent.

Tali muliebris generis vati præsens carmen adscribitur, et forte etiam revera suam debet originem. Miramur sane sibyllæ verba in poëmatis initio, cum ipsa se dicat mundi primordia recordari, ab antiqvissimis Titanibus edoctam et hunc saltem ejus sermonem ineptiis laborare censemus. — Intelligendæ forte sunt tales dictiones salis grano adhibito, sed literatim etiam capi qveunt cum observemus veterum borealium (Druidis, Getis, Scythis, Indis et Græcis Pythagoreis ac pl. communem) doctrinam de metempsyschosi ac dæmonum et divinorum spirituum emanatione et incarnatione. Hæc eadem est qvam proavi nostram, post religionem christianam receptam, vocarunt *Kerlínga-villa* (anilem errorem sive hæresin) qvâ appellatione ipsius propagatio *Valis* illis gentilibus præcipue attribui videtur. Innuit autem memoratis verbis sacra vates, qvod Nornarum sive Parcarum principalium divina mens, per multas generationes, a mundi initio, ipsius parentibus et postremo ei ipsi, coelitus communicata fuerit, sine lethæo oblivionis affectu. Sic se prædicat simul scire antiqvissima et novissima numinum et mundi fata, non tamen omnino sine Odini vel Jovis borealis adjumento, cum ipse per sibyllinæ sagacitatis medium omnia præscire studeret. Monendum autem est qvod Odinus et Zeus, ac cæteri borealium et Grajorum Dii, summo necessitatis et Nornarum vel Moerarum imperio inevitabiliter subjecti fuerint; — sic ille ipse Parcarum, per ejus sacerdotulam, edenda oracula petere cogitur, nisi *Vala* nostra semper in hoc carmine loqvatur coelestis Nornæ, tanqvam materni numinis, sed nunqvam proprio, nomine — secundum illud Ovidii:

Est Deus in nobis, agitante calescimus ipso.

Cum de scopo et contentis hujus carminis breviter agendum sit, nostram de iis sententiam minime retiecre licet. Vidimus supra qvod populi principes vel præfecti *Valas* ad solemnia convivia invitare solerent, ut sua ibi ederent vaticinia de reipublicæ futuro statu, salute publica ac anni et annonæ volutatione p. p. Ethnicismo florente certum igitur dueo, qvod ex eodem more sibyllæ illæ freqventaverint comitia et universalia sacrificia, in festis publicis celebrata. Eminuit sane inter hæc principale illud qvod *Midsumarsblót* appellabatur; incidit

autem media vel adulta æstate in ipsam solstitialem noctem, pulcherrimo et jucundissimo anni tempore. Tum gentiles convenere ad sacrificia et religiosa symposia peragenda, accendebant pyras ingentes in editioribus locis, frcqventabant lavacra in aqvis sub dio sitis, bibebant e fontibus sacris et salubribus (uti *Baldersbrönd* ɔ: Balderi fonte et *Tisvælde* ɔ: Tiris Dei scaturigine, sic adhuc in Sælandia Daniæ appellatis) ac communia qværebant gaudia, qvæ tamen videntur ceremoniali luctu mixta fuisse ob lucidissimi et beatissimi anni temporis exitum, cum solaris lux jam evanesceret et dies breviores redderentur. Balderum, deorum et Odini i. e. Cæli vel Jovis filiorum optimum, æstivæ luci et beatitudine in genere, sed Geminorum Zodiacali signo, vel rectius mensi isti, qvo sol ad id permeandum utitur, præfuisse puto. Divisere enim boreales, orientalium more, eclipticam in duodecim portiones, qvas illi *Deorum arces* vel *habitacula*, hi autem, vel sic, vel etiam *solares domos* aut mansiones appellavere. Balderi habitaculum nominatur *Breidablik* (longe et late splendens vel ampla coeli serenitas) et jucundissimum ac beatissimum inter ea prædicatur. Solis cursu per id finito ipsius declinatio et lucis coelestis diminutio describitur, in mythis Eddicis, ut *Balderi mors* aut descensus ad Helam (Proserpinam vel orcum). Cum eodem temporis momento incipit, secundum Calendarium Indicum, *Nox deorum* ɔ: anni obscurius semestre, aliter *Visnuvi* dei *sopor* appellatum. Annui hi eventus majorum ejusdem generis naturæ revolutionum apud illos prototypi habentur, mundani nempe interitus, sive *magni deorum crepusculi et noctis* in veterum Scandorum modum accurate expressæ. Balderi crematio in funebri rogo nil aliud est qvam æstus solis vel aëris in Julio ac Augusto mensibus, præsertim autem dierum canicularium spatio; — tum certe Balderus pro totius æstatis luce ponitur, sed crematio prædicta, mensis ei sacrati exitu, incendiis illis symbolice significari solebat. Ritus iste, gentilismi superstitione fere penitus eradicata peragitur adhuc in Sveeia, Norvegia et Dania ac qvidem in aliqvot locis Germaniæ, magnæ Britanniæ, Russiæ et pl. Solstitii æstivi ethnicum festum (jam ab Hibernis et Scotis montanis celebratum sub nomine *Baltein, Bealtein* ɔ: Baalis sive Beli, solaris Dei incendium, die 21 Junii) Christianismi in aretois nostris regionibus prædicatores transtulerunt in vigiliam Johannis Baptistæ et tunc, in divi martyris honorem

conversis permiserunt popularia illâ gaudia, qvæ olim divi Balderi memoriæ sacrata fuerunt. [1]) Fontes olim ethnicis numinibus dicati jam autem sanctis ecclesiæ, pari modo frcqvcntabantur ut antea; mutato nomine eadem fabula narrabatur, vel potius agebatur. Si *cruentus Divus* (ut *Vala* Balderum vocat) olim celebrarcretur, simili modo sanctum Johannem, a tyranno dccollatum, Christianis salutare licuit. Notari igitur meret hæc borealis vulgi adhuc prævalens superstitio, qvamvis catholici festum decollationis Johannis Baptistæ indixerint in diem autumnalem (circa 22 mensis Augusti) qvod nempe superstitiosi homines putent hujus martyris sangvinem apparere, æstivo tantum ejus festo, in radice herbæ ei sacratæ qvæ Danice vulgo dicitur *Sanct Hans Urt, Blodblomster* (flos sangvincus) Norv. *Mandeblod* (sangvis humanus) [2]) latine autem *Hypericon qvadrangulare vel perforatum.* Notum est qvod plures herbæ a vetcribus Scandis signatæ fuerint nominibus ethnicorum numinum, uti præsertim discimus ê talibus adhuc Islandicæ lingvæ peculiaribus, sed qvod appellationes illæ, post Christianismum receptum, e magna parte mutatæ sint, et sanctis qvidem ecclesiæ adscriptæ: sic herbæ olim *Frigæ* vel *Freyæ* dicatæ tunc offerebantur Mariæ, Christi matri, jam vulgo appellatæ *Frue* (domina) *Vor Frue* &c. Eodem modo opinor illam herbam olim sacratam fuisse Baldero, cruento huic Deo, propter glandulas rubras, sangvinis guttis similes, qvæ in ejus radice circa tempus solstitii æstivi apparere solent; — clerici recentibus Christianis talem superstitionem prohibere cogebantur, sed facile iis persvadere potuerunt, qvod cruor ille non esset Balderi, sed sacrosancti martyris Johannis, cujus cruenta mors ab iis in isto tempore memorari

1) Agunt de hac materia diversæ, jam autem perraræ dissertationes, nempe: *Kirchweyh, Fassnacht, Johannisfeuer, Sonnenwende, Lichtmessekerzen* p. p. Straszburg 1605. 4. *Reiskius Untersuchung des heidnischen Nodfyrs oder Nothfeuers*, imgleichen des Oster- und Johannisfeuors, Leipzig 1696. 4. *Zeume de igne Johannæo.* Jenæ 1699. 4.

2) Multa cæterum superstitiosa nomina huic plantæ antiqvitus attributa sunt; e. gr. in Germania *Johanniskraut, Teufelsflieh, Jage-Teufel, unsers Herr Gotts Wanderkraut.* Dicit plebs Germanica diabolum olim ejus folia acu perforasse, uti mythus noster Balderum, e Lokii consilio, simili mortis genere periisse docet. Ista Hyperici species Norvegis dicitur *prikket Mandeblod* (sangvis hominis perforatus, Botanicis autem Hypericon perforatum). Vulgus Germanicum et Scandicum tales plantas, Johannis Baptistæ festiva nocte, colligere solet, cum eas contra infestos spiritus et fascinationes omnifarias maxime valere putet. Revera inter præstantissimas officinales herbas Hypericon numerari meret.

solebat. - Dubio cæterum caret qvod herba, adhuc in Islandia dicta *Baldursbrá* in insulis Færöensibus, Jutia et *Scania Baldersbraa* i. e. Balderi supercilia (Dan. *Kamel-Blomster* Lat. *Anthemis*) Edda etiam juniore docente, a Divo illo nomen traxerit, certe ob formam floris, qvæ solem radiantem repræsentare videtur. Sic qvoqve Celtæ Beleno suo, solis similiter deo, herbam sacravere, *Belinunciam* ideirco appellatam.

Revertamur ad æstivum illud et solstitiale Borealium festum. Non solummodo dicatum fuisse videtur Baldero, mundum tum deserenti, sed etiam *Heimdallo*, summo alteri zodiaci solari Deo, dirigenti coelestem arcem *Himinbiörg* i. e. coeli montem sive fastigium, nobis signum cancri sive mensem isti correspondentem. Videatur commentarius noster in carmen *Grimnismál*[3]) et Lexicon mythologicum voce *Heimdallr*.

Hac hypothesi probata, multa nobis, alias præobscura, in vetusto illo carmine satis illuceseunt. Aspiciamus ipsius initium:

Silentium rogo -
Entia cuncta (vel: entia cuncta sacra)
Majores et minores
Posteros (cognatos) *Heimdalli*;
Velim sphærici patris
Facinora enarrare,
Antiqvos hominum sermones
Qvos primos recordor (vel: didici).

Vates noster hic manifeste amplam alloqvitur congregationem. *Sacra entia* vocari potuerunt boni dæmones et populi principes vel præfecti, simul Deorum sacerdotes. *Heimdalli genus* et dii et homines, secundum observationem nostram ad hunc locum; in specie autem notare potuit stirpes Gothorum amplissimæ gentis principales, qvas Diis editas veteres prædiearunt. Nationis ipsius nomen *(God-þiód, God-jód)* numini eam sacratam esse indicavit. *Heimdallus* alias in eddicis carminibus non admodum freqventer occurrit; hic tamen statim in primor-

---

3) In Eddæ antiqvioris translatione Danica Tom. I. pag. 142 et sq.

dio celebratur; e mea sententia propter zodiacalis hujus Dei principiatum cælestem, jamjam ordientem. Puto in cæterum præsentis odæ præcipuum objectum esse et *anni magni mundani* (Chaldæis, Stoicis philosophis et Indis, in specie Bodæ orientalibus cultoribus præcipue noti) ac simul *anni solaris* (illius forte prototypi) *revolutiones.* Sic nostra Sibylla inprimis canit temporis primordium et determinationes secundum *solis, stellarum et lunæ* regulares cursus, *mundanæ arboris* (Ygdrasilli) *culmen* (cælum astrale) et *Urdæ* vel *Uraniæ fontem* (æthera) ac *tres summas Nornas* (præteriti, præsentis et futuri temporis Deas) inde exeuntes; auream mundi ætatem aufugisse perhibet, propter diram terrestris auri cupidinem inter homines exortam, hac enim cogente Deorum privilegia lædebant, et sibi ipsis innumeras calamitates procurabant. Numina summi ætheris irata, Vanos sive aëreos Deos (ventos et tempestates nempe) terram debellare faciunt. Postea dii ipsi pacem olim cum Titanibus initam rumpunt, cum *Thor* fulminator eorum cohortem (tenebrarum, glacialis ningoris et frigidarum procellarum procreatricem) in verni temporis primordiis ferit et profugat. Mox vates memorat *Heimdalli tubam,* sub cælesti arbore reconditam; observare hic liceat morem veterum: tali cornu, lituo vel tubâ populum ad publica comitia, sub forensi et sacra arbore (illam forte repræsentante) solemniter convocandi. — Reliqvias antiqvissimi ejus moris (adhuc inter Indiæ qvasdam gentes servati) spectamus in aliqvot Daniæ pagis, cum colonorum plebejorum tribunus *Oldermand* sive *senior* dictus, ipsos lituo vel cornu convocet ad talem sub certa arbore conventum, vulgo appellatum *Gadestævne* (vicana comitia). Medio festi sive ipso solstitiali momento, *Heimdalli tuba* Deos coelestes convocare putabatur ad universalia comitia in solito loco, iis simul indicans *tenebrarum et obscurorum dæmonum, erga Deos hostilium, periculosam appropinqvationem* et beatissimæ æstatis inde ortum exitium. Is proprius mythi sensus. Imitabantur autem homines, in terra, Deorum, ut sibi eas finxerunt, solemnes actiones. Sic nobis verisimile evadit, qvod tuba ista, qvâ conclamari solitum ad solstitii æstivi festum, vel potius ea, cujus sonitus ejus præcipuum momentum (solis introitum in Heimdalli domicilium sive cancri signum) populo annuntiavit — *Heimdalli tuba* vel *cornu* appellata fuerit. Talem sonitum prophetissa decantat uti graviter appropinqvantem — ei scilicet qvo-

dam modo similem qvi in extremis mundi, elementalia numina ad ultimum in præsenti orbe conflictum convocabit. Mox se, vel coelestem suam aviam, principalem parcam *Urdam*, fingit cum *Odino* seu *Jove* colloqventem, de cjus oculo (sole nempe) *Mimero* (vel Oceano) oppignorato; necesse enim est ut hæc transactio efficeretur eo ipso solstitii æstivi momento, cum solis cursus iterum delabi sive oceanum versus divergere cæpit. Pergit Vala visiones, qvas olim habuerat de eventibus mox futuris, sollicite describere. Valkyriarum sive bellicarum coeli nympharum (originitus meteororum splendidorum) expeditio in terras, cædes et exitium præmonstrat. — *Balderus* sive *æstivum cæli lumen* lethali jam vulnere afficitur a cæco illo *Hoedero*, tenebrarum nocturnarum genio. Hic iterum occiditur a *Valio*, Balderi fratre, diei nempe luce cum veris primordiis reversura. *Hoederi* funebris rogus, ab illo accensus, significat pyras illas, qvæ olim in Scandinavia sed in Islandia ad recentissima usqve tempora, in festo Jolensi (jam in Christi nativitatis memoriam celebrato) sub dio accendi solebant — et forte etiam vel simul qvoqve in lampadum festo, ethnicis certe noto, qvod posterius nactum est nomen a gentilium tali more deductum, nempe *Kyndilmessa (Kyndelmisse)* candelarum vel facularum festum, originitus ob lucis diurnæ vel solaris reditum solemne. Tunc Valius dominari cæpit in coelesti suo domicilio *Vala-ſkialf*, vel signo aqvarii. Mensis ei correspondens nostris atavis audiit *Liósberi* sive *Lucifer, lucem reddens.* Cæterum nostræ hypothesi (de carminis hujus annua recitatione in æstivi solstitii festo) optime convenit antiqva Gallorum vel Francorum superstitio, a Durando et Beletho, scriptoribus medii ævi (circa annos 1182 et 1280) relata, qvod nempe alati dracones aut angves (dæmoniacæ certe naturæ) æstivo calore increscente, terras pervolare ac aëra et fontes, in hominum et animalium perniciem, venenis implere solerent, qvam ob causam, e medicorum consilio, pyræ ingentes, soltitiali vel Johannæa nocte, incendi coeperint ad fontes, cum dracones illi tali flammâ fugari posse putarentur. Ejusdem superstitionis per borcam nostrum extensionem investigans, reperi apud plures indigenas auctores relationes maxime notabiles de vulgi Danici et Svecici (sec. 17 et 18 post Chr. n.) simili opinione et traditione, de dracone vel serpente, nocte solstitiali vel mediâ æstatis aëra pervolante, herbas veneno afficiente et morbis gravissimis humanum

genus afficiente p. p. — uti pluribus demonstrare conatus sum in præfatione ad Eddæ nostræ danicam translationem. Omni igitur dubio carere videtur, qvod mythicus draco, in Vaticinio Valæ celebratus, idem sit cum eo, qvem septentrionale vulgus, ad recentissima usqve tempora, cum obscuriore anni semestri qvotannis reverti putavit. Cæterum ubicumqve crassa superstitio increvit circa sacri illius ignis salubres effectus, cum homines eum supersilirent, infantes trans eum portarentur, torres ejus et cineres conservarentur in futurum usum p. p. Reticeamus hic reliqvum poëmatis contextum, qvi ex ipso textu et contentorum mox seqvente conspectu satis elucescet, — optantes solummodo, ut attenti lectores recordentur illam nostram observationem, qvod sacra vates, præsentis mundanæ æræ exitum et futuræ principium decantans, certe aliqvem habuerit respectum ad annuum temporis cursum et ejus ordinarias revolutiones ac varias periodos. Sic qvoqve verisimile evadet, qvod *ater ille vel obscurus draco*, sursus de tenebrarum montibus aut cavernis evolans, qvem ultima nostri stropha adventem describit, sub infernalis Pythonis (Nidhoggi nempe) nomine, hic nil aliud significet qvam tenebrarum dæmonem, jam ab anno et mundo victoriam reportare incipientem. In eundem modum sacri veterum Persarum poëtæ de *Ahhrimane*, qvasi ipsas tenebras repræsentante, manifeste loqvuntur. Qvod lemures in alis suis portare dicatur, in spectrorum tenebroso, vel obscuriore anni tempore, frequentem grassationem, bene qvadrare videtur.

Jam hujus carminis editiones et translationes, nobis notas, breviter recensere studebimus, et qvidem:

A. EDITIONES.

1) prodiit *Havniæ* 1665. 4. seqvens Resenii Eddam (prosaicam) additâ pulchrâ et vere poëticâ (qvamvis non semper satis fidâ) in latinam lingvam translatione, auctore celebri inter Islandos vate, *Stephano Olavio*, cum ejus observationibus sane ex aliqva parte ingeniosis. Seqvuntur porro *Gudmundi Andreæ* notæ in primum poëmatis trientem.
2) ibidem Ao. 1673 iterum a Resenio edita, novâ Gudmundi Andreæ in idem idioma translatione et perpetuis notis instructa, opus laudati auctoris

posthumum. Ipse textus multo pravior est qvam prioris et primariæ editionis.

3) prodiit Holmiæ in Svecia 1750. 4. edita a Gocransonio cum singulari ac valde perversa in Svecicam lingvam traductione et notis nihilo præstantioribus.

4 et 5) ibidem editæ sunt in scripti periodici, qvod *Idunna* nominatur, fasciculo tertio; posterior editio recusa est anno 1816. Doctus auctor, Regiæ curiæ sacerdos, Mag. A. A. *Afzelius* præmisit textui, priorum editionum certe (si ordinem stropharum excipias) correctiori, ingeniosam præfationem, qvâ poëmatis cum aliis veterum extra septentrionem gentium, et imprimis Indorum, convenientia, rite observatur; addidit præterea translationem svecicam 4) et notas criticas ac reales.

6) similiter prodiit Holmiæ, inter alia Sæmundinæ Eddæ carmina 1818. 8. omnibus præcedentibus in singulis verbis emendatior, sed tamen, propter alicujus Svecici codicis vitium, qvoad stropharum ordinem pluribus locis depravata — dolendo certe casu, cum editores, doctissimus noster Raskius, Professor, et laudatus libri editor Mag. *Afzelius*, opus illud alias accurate et dextre curavcrint. Plura huc pertinentia in hujus voluminis præfatione, â clarissimis ejus editoribus, annotata sunt.

7) prodiit Lipsiæ, illustrissimo Graetero curante, sub hocce titulo "*Völospá*, "hoc est Volæ seu Sibyllæ arctoæ Vaticinium. Codicis Vidaliniani qvo rite "tandem possit dijudicari, num a Vidalino sit diversus, necne — specimen in- "tegrum, sua ipsius manu accurate descriptum edidit Fr. D. Graeter. Lipsiæ "1818" — præmissa est epistola dedicatoria ad præsentis translationis auctorem, continens diligentes et ingeniosas editoris observationes circa prædicti codicis variantes lectiones.

B. ALIAE TRANSLATIONES MANUSCRIPTAE.

In ampla legati Arnæ-Magnæani manuscriptorum collectione servantur varia duo textus exscripta cum tot diversis in latinam lingvam translationibus, et

4) Hæc translatio tertia vice impressa est inter cæteras Eddæ nostræ odarum, eidem viro debitas. Holmiæ 1818.

annexis traductorum observationibus. Ambæ seculo XVIII^mo originem debent — vetustior nempe viro olim non incelebri *Johanni Olavio Grunnavicensi* (non *Hypnonesio*) stipendario legati prædicti; junior autem docto jurisconsulto *Magno Ketillio*, Toparchæ Dalensi in Islandia, anno 1803 defuncto. Hic saltem aliqvot selectæ voces rectius, qvam in Resenianis translationibus, redditæ sunt, sed ambo hi, qvamvis multo recentiores, commentatores mythica poëmatis ê magna parte jejunius tractârunt, et præcipue qvidem hoc de novissimi traductoris illustrativis notis dici potest. Juvat tamen e prolixa *Ketillii* præfatione adferre ejus sententiam de stropha carminis penultima, qvam plures critici rejiciunt, eo imprimis et gravi qvidem argumento fulti, qvod ista non inveniatur in unico Eddæ nostræ codice membranaceo, qvi adhuc nobis incolumis servatur. Sed audiamus *Ketillium:* "Hanc stropham" (*þá kemr hinn ríki* &c. nostram 58) "qvæ membra-"nis deest, chartæ addunt qvam et suspectam, ob argumentum præcipue viri doc-"tissimi habent, nimirum qvia de extremo judicio agere videtur, atqve ideo a "Christiana religione imbuto additum putant. Sed si hæc stropha, ob argumenti "cum revelata religione similitudinem pro spuria habenda, vereor ne pari jure "seqvens seu ultima stropha, licet optimarum membranarum auctoritate munita, "rejici possit. Si enim ultima stropha ad antiqvum illum serpentem seu Diabolum "spectat, magis qvam penultima suspecta esse potest; difficilius enim Diaboli exi-"stentia, ejusqve carnificina, qvam Dei existentia vitaqve proborum hominum "beata, facto solenni judicio, ex naturæ lumine innotescunt. Has ob rationes "qvidam putant Odas *Eddæ* mythologicas viri cujusdam pseudochristiani fætum "esse qvia nempe hæ odæ qvædam dogmata, cum revelata religione aliqvatenus "conformia, continent, putant eadem dogmata revelationi originem suam debere, "atqve hinc de ætate talium dogmatum conclusionem faciunt, qvasi serioribus se-"culis primum inventa, et canones, qvibus hæc dogmata continentur, post intro-"ductam religionem Christianam facti sint. Sed hæc argumenta nimiumqvid pro-"bare videntur: etenim sic omnis fere ethnicorum mythologia pro spuria et a "christiano qvodam efficta haberi posset. Ex. gr. Herodotus Libr. 4. dicit Za-"molxin docuisse Thraces, qvod post mortem in loca beata essent ituri, et Getæ

"crediderunt se post mortem apud Zamolxin [vel Gebeleizin] (eorum invincibilem "Fortitudinem) beatissime victuros; ut taceam interitum mundi per ignem et qvæ- "dam alia dogmata, qvæ non nisi ex revelatione seiri possunt. Huic qvidem con- "troversiæ me non immiseeo, sicut enim summi viri de libris sibyllinis diu eontcn- "derunt, ita et de hac re multa in utramqve partem disputari possunt. Id tantum "dicere licet ex similitudine religionis ethnicæ cum religione revelata conseqven- "tiam non multum valere; nam salva veritate concedi, imo statui potest, non "tantum ritus sed et dogmata in religione ethniea originem ex religione revelata "ducere, et tamen hæe dogmata simul cum religione ethniea exstitisse, et per tra- "ditionem a Noachidis ad posteros propagata, fabulis ac absurditatibus aucta et "involuta ad nos pervenisse. Nihil enim in antiqva et ethnica nostra theologia, "qvod in specie de Christo aut de salute per illum parta agit, observari potuit, nisi "qvis illuc baptismum ethnicorum referre velit, et tamen notum est baptismum "ante Christum natum apud Judæos in usu fuisse. Sed licet ritus et dogmata eth- "niea tantæ sint antiqvitatis, non tamen eanones, qvi hæc dogmata continent, ejus- "dem antiqvitatis æstimationem merentur. Eqvidem apud multas gentes dogmata "religiosa ligata oratione eontinebantur; hoc Cæsar de Gallis, Tacitus de Germa- "nis testantur, et hoe idem apud Septentrionales obtinuisse nullus dubito, et cum "vix probari possit Septentrionales lingva aut moribus minus qvam Germanos "eultos ac politos fuisse, nulla prostat ratio qvod illi his negligentiores aut segnio- "res in canonibus religiosis, ope poëseos, eonservandis et memoriæ mandandis "fuerint. Eddæ Sæmundinæ odæ sua habent criteria, qvod ex omnibus, qvæ "nunc ab antiqvitate supersunt, earminibus, eæ sint antiqvissimæ, qvare et magna "eautela in illis dijudieandis opus est." Multo pluribus et gravioribus argumentis nisus fuisset laudatus *Ketillius*, si ei noscere contigisset religiosos vel symbolieos veteris orientis populorum libros, uti Indorum *Vedas* et antiqvissimas leges, Persarum *Zendavestam*, *Bundehesch* et plures, qvi eum sacræ noctræ scriptu- ræ veteri testamento stupendam similitudinem præ se ferunt. Sed linqvere cogimus hæc jam sane trita, sed nihilo minus non adhuc satis disqvisita ob- jecta.

C. CAETERAE TRANSLATIONES IMPRESSAE.

1) *Danica* Sandvigii, inter alia Eddæ Sæmundinæ mythica carmina (*Forsög til en Oversættelse af Sæmunds Edda* 1ste *Hefte* Kbhvn. 1783. 8.)

Germanicæ hæ (2-5):

2) *Jacobi Schimmelmanni* (omnium pravissima, ad modum Göransonii, revelatæ nostræ religioni tamen adcommodata) post ipsius Eddæ Resenianæ translationem Stettini 1777. 4.

3) *Herderi*, pulchra et ingeniosa, sed non omnino completa, inter ejus *Volkslieder* 2 Th. 1779. 8. (sæpius recusa).

4) *Denisii* (inverso nomine *Sined* signati) inter ejusdem *Ossians und Sineds Lieder* 4 *Band Wien* 1784. 4.

5) *Friderici Mayer* inter ipsius *Mythologische Dichtungen und Lieder der Skandinavier*. Leipzig 1818. 8. Hic translator carminis primarium metrum et etiam alliterationem retinere conatus est.

6) *Anglica*, qvoad titulum, prodiit Londini 1816. 4. inscripta: *the Voluspa* &c. et etiam: *the Voluspa or speech of the propheteſs, with other poëms by the Revd. J. Prowett*, Pagg. III. — revera autem continet volumen hocce 9. tantummodo paginas, qvibus qvasdam Valæ dictiones, e fragmentis longe lateqve in *O. Wormii, Bartholini* et plurium scriptis dispersis, imitatus est auctor.

7) *Alia Anglica*, anno præcedente 1815. Londini edita, ad calcem carminis lyrico-epici *Helga* dicti — auctore poëta nobili et ingenioso Wilhelmo Herbert.

8) *Tertia Anglica*, non omnino completa, sed præ cæteris observatione digna, prodiit, unacum textus propriis verbis, in reverendi doctissimiqve viri *Ebenezeri Henderson*, Philosophiæ doctoris, tractatu de poësi Islandica, ad calcem ipsius itinerarii Islandici (Iceland &c. Edinburgh 1818. Vol. 2. 8.)

9) Danica nostra prodiit inter alia hujus Eddæ carmina (T. I.) 1821.

Caremus sane veterum testimoniis, qvibus probari possit, qvod Carmen hocce (et alia Eddica) ethnicismo durante, literis mandatum fuerit, — scimus

tamen qvod alia poëmata tunc temporis lignis inciderentur (e. gr. *Eigla* referente Ed. Havn. pag. 605 eollata eum Eddico nostro opere Tom. II. p. 950) et ipsa carminis verba (str. 18) priscum eundem ejus publicationis modum innuere vidcantur, hæ nempe:

Inciderunt in tabula lignea
Skuldam tertiam (Nornam fuisse).

Nihilominus manifestum evadet qvod *Vaticinium Valæ*, uti nos id possidemus, pluribus fragmentis, sed forte tamen ejusdem poëmatis, compositum sit, et qvod igitur plures primariæ carminis periodi, strophæ vel dietiones nobis desint. Possibile præterea est qvod aliqva, post Christianismum in septentrionem introductum, perperam addita sint, qvæ tamen perpauca eenseo, eum satis nobis illuceseat, qvod chartæ qvædam, qvas possidemus, alia secutæ sint membranacea et pervetusta exemplaria, qvam illud solum qvod jam in bibliotheca Regia Havniensi servatur. Si id etiam nobis defuisset, Critiei hujus ævi, nimis severi, nostri carminis authentiam et vetustatem omnino denegare minime hæsitarent. Ut cohærentia carminis, et simul singularum dictionum authentia et vetustas, facilius dijudicari qveat, ipsi poëmati præmittimus conspectum contentorum mox seqventem, qvô simul præcipuorum mythorum veram sententiam vel respectum obiter indigitare studuimus.

CONTENTA CARMINIS.

I. I–II. Incipit Sibylla borealis suas de mundi primordiis et fatis enarrationes; rogat silentium cuncta entia, Heimdalli posteros (cognatos vel subditos) dum Odini antiqvissima gesta (aut etiam: priscos hominum sermones ipsi) enarraret. Recordatur Titanes omnium veterrimos, novem orbes, novem coela, et centralem mundi arborem, nondum super terram excretam. Cæterum ab ea decantantur:

II. III–VIII. Chaos et Titan primarius, *Ymer*, istud repræsentans vel habitans. Mundi creatio a (tribus) Bori filiis peracta. Solis, stellarum et lunæ cursus determinati, atqve simul diei et anni tempora. Asæ fulgentium vel pretiosorum metallorum (o: cælestium luminum) divites. Mundana structura et ejus nitida ornamenta ab ipsis perficiuntur. Ludunt postea in alea, aureis orbiculis (astrorum) utentes, donec adveniunt tres giganteæ mulieres e Titanum regionibus.

III. IX–XIV. Dvergorum sive dæmonum minoris notæ, terrestrium vel elementalium geniorum creatio, ex aqva et terrâ vel lapidibus. Eorum præcipua nomina.

IV. XV–XVI. Hominum primorum (maris et fæminæ) creatio ê duabus arboribus, in maris orâ sitis, per *Odinum*, *Hœnerem* et *Lodurum* (caeli deum, aëra vel animam mundi, lucem et ignem).

V. XVII–XVIII. Arbor mundana, *Yggdrasill* dicta. *Urdæ* sive fati aut Uraniæ æthereus fons vel mare. Tres inde procedentes principales *Nornæ (Moeræ vel Parcæ)* atque earum functiones.

VI. XIX–XXII. Mythus de perfossione, crematione et regeneratione *Gullveigæ* (auri) vel *Heidæ* (pecuniæ) ejusqve blandis vaticiniis et fascinatoriis artibus in malorum hominum oblectamentum. Dii ob illa delicta hominibus irascuntur. Bella prima et calamitates inde oriuntur.

VII. XXIII–XXIV. Infausta pacta, ab Asis cum Titanibus inita, rumpuntur ab irato (fulminatore) *Thore.*

VIII. XXV–XXVII. Innuit Vala (aut sui ipsius, aut etiam Nornæ alicujus cælestis nomine loqvens) se cognoscere Heimdallinæ tubæ sub mundanâ arbore absconditum (in orbis exitio erupturum) sonum. — Scit similiter cui Odini (Cæli) oculus (sol) pignori datus sit, *Mimero* nempe, Occani domino. — Odinus fatidicæ sapientiam percipiens, ejus oraculum consultat, et ipsi multifaria dona, mercedis loco, impertitur. Novæ vatis visiones in seqventibus describuntur.

IX. XXVIII–XXXI. Valkyriarum excursus mala imminentia coelo et terræ portendunt. *Hoederus* (noctis vel tenebrarum genius) *Balderum* (æstivæ lucis Divum) jaculando interficit, sed paulo post ipse ab infante (*Valio*, lumine nempe, post brumale solstitium regenerato) occiditur. — *Friggæ* (frugiferæ terræ) vehemens luctus ob dilectissimi filii cædem.

X. XXXII–XXXV. *Lokii* (noxii ignis) captivitas et *Sigynæ* uxoris ei assidentis moeror. Fragmenta cosmographiæ vel geographiæ mythicæ. Amnis infernalis *Slidur* dictus. Montes *Nidafiöll* sive tenebrosi. Duo Titanum palatia. *Nastrond* sive *funerum ora*, Borealium infernus. Poenæ sceleratorum ibi efficiendæ. Draco tartareus, *Nidhoggus* appellatus.

XI. XXXVI–XLI. Oreas vetusta in *sylva ferrea* orientem versus sita, parit multa gigantea monstra, lupina formâ prædita. Maximum eorum lunam devorabit, vitas hominum deglutiet et coelum ipsum (per solis eclipsin) cruore rubefaciet. Posthac omnes tempestates evadent formidolosæ. Aqvila ventis imperans (ad arcticum polum residens) pulsat æolium suum barbiton. *Gallus* pur-

pureus, vicinum aëra habitans (aurora borealis nempe) ei (noto fragore) aecinit. Gallus Valhallæ (coelestis flamma) et alter subterraneus Helæ (abyssi ignis) cantando annuntiant ultimum Deorum et Titanum bellum. *Fenrer* lupus solvitur ê vinculis. Mundi ultima et pessima tempora.

XII. XLII–XLVI. Exitium mundi appropinqvat. Arbor *Yggdrafill* accenditur et pavet. Tuba *Heimdalli* clangit. *Odinus* (Coelus) *Mimeris* (Oceani) oraculum consultat. Adventus *Hrymi* Titanis, *Lokii* (noxii ignis) et *Muspelli* filiorum (geniorum coeli empyræi) et pl. in navigio *Naglfar* appellato. Omnia entia consternuntur et conturbantur. Dvergi ipsi sive montani dæmones deserunt saxea sua antra.

XIII. XLVII–LI. Omnipotens Universi Deus, dictus *Surtur* (obscurus o: incomprehensibilis) advenit ex austro vel superne, ad perficiendam mundi abolitionem, vel potius renovationem. Interitus hominum. Deorum elementalium cum multifariis hostibus conflictus. Coelum dirumpitur sed *Odin*, ejus numen, devoratur a *Fenrere* lupo i. e. abyssi flammis vel tenebris. *Freyr* (solis Deus) vincitur â *Surti* empyræis flammis. *Vidar* (sive *Typhon*, meteoron) occidit *Fenrerum* (cum flamma ê profundis exsiliens aerëa cataractâ suffocaretur). Inde *mundanus serpens* sive *Oceanus terram cingens* novas vires haurit et cum *Thore* dimicare coepit. Interficitur saltem ab eo — sed fervidum cum angve certamen fulminatorem ita defatigaverat, ut summo langvore correptus novem tantummodo passus postea gradi qveat. Magna mundi moles corruit. Arboris *Yggdrasilli* stirps flammis (empyræis) tota circumdatur (sed qvamvis foliis et ramis spoliata non peribit, sed iterum efflorescet).

XIV. LII–LVIII. Mundi regeneratio sive renovatio. Terra altera vice ex oceano emerget (marino gramine) viridis. (Pelagi) torrentes decidunt ê montibus, aqvilâ piscatoria circumvolante. Asæ renati convcniunt iterum in coelestis Idæ campo et novi mundi structuram exornabunt, secundum priscas Deorum principis ideas, qvas igitur recordantur. Aurei (sphæricæ) aleæ orbes (stellæ nempe) ab iis reperientur. Agri insativum frumentum ferent et omnia mala cessabunt. [Non modo omnes concordes Dii, sed etiam] *Baldur* et *Hoedur*

amico cohabitabunt in Odini beatis sedibus. Probi homines in Elysio *Gimle* æternam et beatissimam vitam degent. Summum numen adveniet (superne), regnum universale fundabit et sacras leges (vel sempiternam pacem) constituet.

XV. LX. *Nidhoggus*, orci vetustus draco, advolat ex imis, alis funera portans, et mundi imperium adpetens. — Cfr. nostram introductionem et observationem finalem ad carmen ipsum.

VÖLO-SPÁ.

I.

Hlióds bid ec
Allar kindir [a])
Meiri oc minni
Mavgo Heimdallar. [b]) [1])
[c]) Vildo it ec Valfavdvr [2])
[d]) Vél fyr telia
Fornspiöll fira
Þau er fremst um man. [*])

II.

Ec man iotna
Ár [e]) vm borna

VATICINIUM VALAE
SIVE
CARMEN SIBYLLINUM.

I.

Silentium rogo
Entia cuncta.
Majores et minores
Posteros (cognatos) Heimdalli. [1])
Velim sphærici (coelestis) patris [2])
Facinora enarrare,
Antiqvos hominum sermones,
Qvos primos recordor.

II.

Memini Titanes
In principio editos

a) St et pl. *allar-helgar kindir* (omnia sacra entia).
b) M. *Heimdalar* St. *Heimþallar* O. *Mögvr Heimdallar.*
c) St. *vildo at* R. v. *vildat* O. *vildac.*
d) St. *vél framteliak.*
**)* St. O. *þau ec fremst of nam* (qvos primos didici).
e) St. *of-borna.*

1) Heimdallus fuit cæli supremum numen (post Odinum ipsum); ejus posteri, liberi vel subditi omnes reliqvi nostri orbis dii et homines etiam ipsi. Vid Lex. mythol.

2) Secundum alios *cæsorum patris.* Intelligatur Odinus, coeli creati summus Deus. Vid. Lex. Myth. v. *Valfadir, Valhöll.* Si legamus *vel* non *vél* possumus ita vertere: "Velim "sphærico patri accurate enarrare antiqvos &c."

Þá er fordom mic
f) Födda hofdo.
Nío man ec heima
Nío ívidi*g*) 3)
Miötvid möran 4)
Fyri mold nedan.

Qvi me olim
Educarunt (genuerunt).
Novem menini orbes
Novem firmamenta. 3)
Præclaram centralem arborem 4)
Intra pulverem terrestrem.

III.

Ár var allda
h) Þar er Ymir 5) bygdi
Vara sandr né sær
Né svalar vnnir.
Jörd fannz æva
Né vpphimin
Gap var ginnúnga 6)
Enn gras *i*) hvergi.

III.

Initium fuit seculorum
Qvum YMER 5) *habitavit;*
Non erat arena, nec mare,
Nec frigidæ undæ;
Terra nuspiam est reperta
Neqve supernum coelum,
Erat inane chasma 6)
Sed nullibi gramen (herba),

IV.

Ádur *k*) Bvrs synir 7)
l) Biódom um ypþo

IV.

Anteqvam Bori filii 7)
Orbes (cœlestes) extulerunt

f) St. R. v. O. v. *frœdda* (edocuerunt). *g*) R. v. *ívi*þ*iur*. O. v. *ividiur*.
h) O. þ*áer*. St. þ*á*. O. v. þ*áer ecki var* Cod. Worm. et pl. (Cum nihil fuit).
i) M. v. R. v. *ecki* (non vel nullum). *k*) St. O. *Börs*. M. v. R. v. *Bors*.
l) St. *bjö*þ*um* I. O. *bygdum* (habitationes). *Bavdmvm, bödmvm* Cod. ant. (Gudm. Andr.) o: arbores, ligna (Ygdrasilli stirpes vel stamina).

---

3) Vid. Lex. Mythol. v. *Heimr, Himin, et Ividr.*

4) Loqvitur vates nostra de media stirpe tripartitæ mundi columnæ *Yggdrasill* (q. v.) nondum super terræ superficiem excretâ. Agit igitur de primordiis orbis nostri.

5) Titan primarius, Chaos ipsum repræsentans, et Daemogorgoni parum absimilis Vid.. Lex. mythol.

6) Vid. Lex. myth. sub v. *Ginnúnga-gap* et Gl. voc. s. v. *Gap*.

7) Tres nempe *Odin, Vile* et *Ve*, mundi nostri creatores Vid. L. M.

Þeir er Midgard[8])
Möran scópo.
Sól scein svnnan
9) Á salar steina
Þá var grund gróin
Grönom lauki.

Ii qvi medium mundum[8])
Illustrem crearunt.
Sol collustrabat ê meridie
9) *Palatii lapides (muros)*
Tunc terra pullulavit
Viridibus herbis.

V.

Sól varp svnnan
Sinni mána
Hendi inni högri
m) Vm himin-iódyr.[10])
Sól þat né vissi
Hvar hon sali atti.
Stiörnor þat né visso
Hvar þær stadi átto
Máni þat né vissi
n) Hvat han megins átti.[11])

V.

Sol ê meridie,
Socius lunæ,
Dextra manu cœlestia
Jumenta circumplectebatur.[10])
Sol neqve scivit
Ubi palatia haberet,
Stellæ nec sciverunt
Ubi loca haberent,
Luna nec scivit
Qvam mansionem haberet.[11])

VI.

Þá *o*) gengo[12]) regin öll
Á raukstóla[13])

VI.

Tum omnes Dii[12]) *occuparunt*
Elatas sellas,[13])

m) St. *á.* *n*) O. *hvar.* *o*) St. *gengengo* (vitiose).

8) I. e. terram cum sua atmosphæra. Vid. Lex. Myth. s. v. *Midgardr.*

9) Mundanæ structuræ nempe; ejus lapides *rupes*, muri *montes*. Cfr. Obs. ad str. 19.

10) Cum nempe lectionem *Iódýr* in casu dubio præferas. Si legas *Iódyr*, sensus verbi penitus mutabitur, tunc enim sermo foret de coeli portis à Sole apprehensis, alias autem de eqvis solarem currum trahentibus. Boreales alias videntur *cœli* vel *solis portas* posuisse in hujus domicilio *Gladsheim*, vel signo Zodiaci qvod *arietem* appellamus.

11) Vel etiam: qvid virium haberet. Vid. Gl. s. v. *Megin.* "Solis, lunæ et astrorum cursus "initio erant vagi et indeterminati" *Ol. Grvic.*

12) Vi vocis verisimiliter: potestates, principes. Vid. Gl. v. *Regin.*

13) Vid. Gl. v. *Rauk-stólar.* Alludit forte vates ad sellas illas petræas, sæpissime satis elatas, qvæ hodiedum conspiciuntur in foris et fanis

Ginheilög god
Oc vm þat gættuz.
Nótt oc nidiom[p])
Navfn um gáfo
Morgin héto
Oc midian dag
Vndorn[14]) oc aptan
[q])Árom at telia.

Sanctissima numina —
Et de his deliberabant.
Nocti et interluniis
Nomina dederunt:
Mane vocarunt
Et meridiem;
Pomeridianum tempus[14]) *et vesperam*
Pro numerandis annis.

VII.

Hittoz Æsir
Á Idavelli[15])
Þeir er havrg oc hof
Hátimbroþo.
Aſla lavgdo
Aud smídodo
[Aſls kostodo
Allz freistodo]
Tángir scópo
Oc tól gördo.[16])

Conveniebant Asæ
In Idæ campo[15])
Qvi delubra et fana
Alte exstruxerunt.
Fornaces posuerunt,
Pretiosa fabricarunt,
[Viribus adnitebantur,
Omnia tentavere]
Forcipes formarunt
Et instrumenta fabrilia fecerunt.[16])

VII.

p) O. M. v. R. v. *niþom.*

q) St. *ár-óf.*

---

proavorum nostrorum, ingentibus rupibus ab iis circundatis. Cfr. Gl. v. *Hörgr.*

14) Vid. Gl. v. *Undorn.* "Consilio adhibito Dii "tempora constituebant et distingvebant, et id "qvidem juxta partes diei, lunationes et an- "nos." *J. Ol.*

15) Conferri meretur Homeri Πεδιον Ιδηιον (Idæus campus) apud Phryges et Græcos. Habent etiam Indi suam Idam, Deorum sedem. Est autem *Ida* mythica originitus idem qvod Olympus i. e. coelum ipsum. *Delubra* et *fana* (circularia et arcuata) ad coeli vel aëris similem structuram alludere videntur.

16) Agitur hic sine dubio de formatione stellarum è candentibus globis, cæli empyræi (*Muspelli*) qvondam particulis, per Bori filios effectâ et in Edda prosaicâ descripta. Solis lunæ et stellarum varius splendor metallis terrestribus nomina dedit, et non qvidem immerito. Sic *sol* assimilatur auro, *luna* argento, *Mars* ferro &c.

VIII.

Teſldo í túni[17])
Teitir voro
Var þeim vettegis[r])
Vant or gvlli[18])
Vnz þriár qvomo
Þursa meyiar
Ámáttkar mioc
Or Iotonheimom.*)

VIII.

Aleâ ludebant in area,[17])
Hilares fuere,
Erat illis nullius
Ex auro (facti) defectus,[18])
Donec venerunt tres
Giganteæ virgines (mulieres)
Præpotentes ê
*Titanum regionibus.**)

IX.

Þá gengo regin öll
Á raukstola
Ginheílög god
Oc vm þat gættoz
Hverr scyldi dverga
[s])Drottin skepia
Or brímis[t]) blódi[19])
Oc or blám leggiom.

IX.

Tum omnes Dii occuparunt
Elatas sellas
Sanctissima numina
Et de his deliberabant:
Qvis Deus nanorum (dæmonum)
Catervas crearet
Ex æstuantis (Oceani)[19]) *sangvine*
Et lividis ossibus.

r) Mbr. prave *vettergis* St. G. (recte) *vettvgis* it. Th. v. R. v. M. v.
s) St. O. *Drótt vm-skepja.* M. R. T. (var) al. *Dróttir (skepia).*
t) St. *holdi* M. R. al. *holdi* (carne) O. "Cod. Reg. (Eddæ prosaicæ) et Resen. *brimi blódgo* (æstu maris sangvinolento) it: Reg. add. *oc or blám sleggiom* et lividis tudibus (lapidibus)."

17) Stellarum regulares cursus cum aleæ ludo, a coelestibus Diis exercito, comparantur. Aurei vel deaurati sæpe fuerunt veterum lusorii latrunculi vel orbiculi. Hinc cantilenarum Danicarum phrasis *at lege med Guldtavl.*

18) Lucida vel fulgentia meteora præterea ad coelestem Deorum apparatum á veteribus referebantur.

*) Loqvitur forte de tribus potentissimis inter Titanes vel gigantes mulieribus: *Nótt* (nocte) *Angurbodi* (moerorem annúntiante, abyssi et tenebrarum domina) et *Hela* (mortis Dea). Alludere videtur poëta ad Dvergorum (atrorum terræ dæmonum) creationem ex illarum consilio factam et defectum auri inter Asas inde ortum (cum Dvergi ejus præcipuam copiam nacti sint). "Cuncta erant initio bona, læta "et abundantia, donec malum muudum intra- "ret, qvod omnia maximis qvibusqve vitiis "corrupit, fædavit atqve perturbavit." *J. Ol.*

19) *Ymeris* nempe, qvi Deorum pater vocari po-

X.

Þar [var] Mótsognir*)
Möztr vm ordin
Dverga allra
En Dvrin annar.
Þeir manlícon
Mörg um giordo
u) Dverga**) or iordo
Sem Dvrin sagdi.[20])

X.

Ibi (tunc) Módsogner *est*
Præstantissimus factus
Dæmonum omnium
Sed Durinus *alter;*
Isti humanas formas
Multas concinnarunt
Dæmones ê terra
Sicut Durinus *ordinavit (enarravit).*[20])

XI.

Nýi oc Nidi
Nordri oc Sudri
Austri oc Vestri
Álþiófr, Dvalin,[21])
[Nár oc Náin
Nipíngr, Dáin]
Bivavrr, Bavavrr
Bavmburr, Nori

XI.

Sunt Nýi *(Novilunaris) et* Nidi *(Inter lunaris)*
Nordri *(Boreas) et* Sudri *(Auster)*
Austri *(Eurus) et* Vestri *(Zephyrus)*
Althiofus *(omnia furans)*[21]) Dvalin *(sopiens)*
*[*Nár *(larva) et* Náin *(propinqvus)*
Nipingus *(contrahens)* Dain *(soporifer]*
Bivor *(Qvatiens vel Tremens)* Bavor
Bambor, Nori

*) Ol. K. al. *Módsognir.*
**) *á* in, super G.

u) M. R. T. *Dvergar* (al. *Dverga*).

test apud nos, uti Oceanus â Græcis. Ejus *sangvis* mare et reliqvæ terrestres aqvæ, *caro* terra et *ossa* lapides. Confer tamen Lex. mythol. V. *Brimir.*

20) *Módsogner* vi vocis est *vigorem sugens* sive *succum attrahens:* opinor hic sermonem esse de vi terræ minerali vel vegetabili. Est igitur hic dæmon *subterraneorum* princeps. *Durin* sonat latine Somnifer, et notat, ut puto, tenebrarum sive nocturni temporis primarium dæmonem. Hi ambo omnes Dvergos, terræ et tenebrarum filios procreant. Dvergi Alforum genus sunt et iis commixti in seqventi catalogo enumerantur.

21) Caligo sive tenebræ, qvæ ê conspectu hominum omnia surripere videntur.

v)An oc Anarr
Ái, Miödvitnir,
x)Veigr oc Gandálfr,
Vindálfr, Þráin
Þeccr oc Þorin,
Þrór, Vitr oc Litr
y)Nár oc Nyrádr
Nú hefi ec dverga.
Regin oc z) Rádsvid
Rétt vm talda.

An *et* Anar (Onar)
Ái, Miödvitner
Veigur *(Vigor) et* Gandalfus *(lupinus dæmon)*
Vindálfus *(ventosus dæmon)* Thrain *(pertinax)*
Theccur *(gratus) et* Thorin *(audax)*
Thror *(Validus)* Vitur *(sapiens) et* Litur *(color)*
Nyr *(novus) et* Nyradur *(nova svadens)*
Nunc ego dæmones —
Reginum *(qvoqve et) et* Radsvidum *(consilio prudentem)*
Recte recensui.

xii.

Fili, Kili,
Fvndin, Nali, *)
Hepti, Vili,
Hanarr, þ) Svíorr,
[Billíngr, Brvni,
Billdr, Bvri]
Frár, œ) Hornbori,
**)Frægr oc Lóni
Avrvángr, ö) Iari,
Eikinscialdi.

xii.

Fili, Kili,
Fundin, Nali,
Hepti, Vili
Hanar, Svior
[Billingur, Bruni
Bildur, Buri]
Frar, Hornbori,
Frægur *et* Loni
Aurvangur, iari
Eikinskialdi.

v) St. *Anar, Onar* O. al. *Ori, Onar.*
y) St. *Nyr* R. M. T. v. v. al. *Nyr* al *Nor.*
*) Ol. *Vali.*
œ) St. R (al.) *Fornbogi* G. K. al. *Hornbogi.*
**) Gudm. And. *Flögvr* (volitans leviter).
x) St. *Veggr* M. R. T. *Veggr* chartis.
z) St. R. M. T. *Rádsviþr.*
þ) St. M. R. T. al. *Sviþorr.*
ö) St. *Vari.*

XIII.

Mál er dverga
Í Dvalins lidi
Iðóna kindom
Til Lofars telia.
Þeir er sótto
Frá salar stæini*) [22])
Aurvánga siavt
Til **) Iorovalla. [23])

XIV.

Þar var Draupnir
Oc Dólgþrasir
Hár, Haugspori,
Hlævángr, Glói,
Scirvir, Virvir,
Scafidr, Ái,
Alfr oc Yngvi
a)Eikinscialdi,
Fialarr oc Frosti
Finnr oc Ginnarr
b)[Heri, Högstari,

XIII.

Tempus est dæmones
E Dvalini *coetu*
Virorum gnatis
Ad Lofarem *usqve enumerare;*
Eos qvi tendebant
De palatii petrâ (muro vel fundamento) [22])
Per terrestres regiones
Ad Jorvallenses *campos.* [23])

XIV.

Ibi erat Draupner *(stillans)*
Et Dolgthraser *(pertinax pugnator)*
Hár *(altus)* Haugspori *(tumulos calcans)*
Hlævángr *(genas tepefaciens)* Glói *(splendidus)*
Scirvir *(serenans)* Virver *(turbo)*
Scafidur *(ningorem volutans)* Ái,
Alfur *et* Yngvi,
Eitir *et* Oin,
Fialar *et* Frosti *(gelu producens)*
Finnur *et* Ginnar
[Heri, Högstari,

*) *Svarinshaugi* Resen.
a) St. *Eitr (Eitir)* oc *Oinn.*

**) O. Res. pr. *Iórvalla.*
b) St. *Héri.*

22) Palatium, ut antea monui, est structura mundana; ejus petra aut ipsius saxeum fundamentum aut summus mons (Caucasus) in qvo Asgardia terrestris sita, aut etiam montanus ille circulus qvo orbem nostrum circundari veteres credidere. Vid. Lex. M. v. *Útgardar.*

23) Vid. Lex. M. v. *Jórovellir.*

Hliódólfr, Móinn]	Hliodolfur (*soni genius*) Moin]
Þat mvn vppi	*Hæc celebris,*
Medan avld lifir	*Qvamdiu homines vivunt,*
Lángnidia tal	*Genealogia*
Lofars hafat.*) 24)	Lofaris *habebitur.* 24)

XV.

Unz c) þrír qvomo	*Donec (tandem) tres venerunt*
Or því lidi**)	*Ex eo congressu***)
Avflgir oc ástgir	*Potentes et amabiles*
Æsir at d) húsi. ***)	*Asœ ad domum;****)
Fvndo á landi	*Invenerunt in terrâ*
Lítt megandi	*Parum potentes*
Asc oc Emblo	Ascum *et* Emblam
Orlöglausa. 25)	*Sine fatis.* 25)

XVI.

Avnd þau né átto	*Animam non possidebant,*
Ód þau né havfdo	*Rationem non habuerunt,*
Lá né læti 26)	*Nec sangvinem, nec gestus* 26)
Né lito góda.	*Nec colores decentes;*
Avnd gaf Ódinn	*Animam dedit* Odinus
e) Ód gaf Hönir	*Rationem dedit* Hænir

*) Resen. *hafit.* c) Mbr. (prave) þriár.
d) St. G. *súsi* (æstum, forte marinum i. e. mare.) e) R. al. G. *aud* (divitias).

24) De Dvergis hisce (vel dæmonibus aut geniis) præsertim iis, qvorum nomina hic non explicata sunt, vide Lex. myth. Noïant omnes, sine dubio, ut Gudmundus Andreæ et Joh. Olavius Grunnavicensis observarunt, *virtutes cosmicas* vel *physicas* aut *elementares genios.* Vid. *Dvergr, Alfr.*

**) Deorum creantium.

***) Mundanam ædem.

25) Creati sunt primi homines *Ascus* et *Embla* ex arboribus sive lignis, in maris ora sitis. Vid. Edd. pros. et Lex. mythol.

26) i. e. mobilitatem, movendi vim. *Ol.* vertit *affectus,* Ketilli *vocem.*

Lá gaf Lódvrr
Oc lito góda. 27)

Sangvinem dedit Lodur
Et colores 27) *venustos.*

XVII.

Asc veit ec standa
Heitir Yggdrasill
f) Hár badmr ausinn
Hvíta auri 28)
Þadan 29) coma davggvar
Þærs í dalą falla
Stendr *ff*) æ yfir grönn
Urdar brvnni. 30)

XVII.

Scio fraxinum stare,
Yggdrasill *nominatur*
Alta (frondosa) arbor, perfusa
Albo luto (lympha pura) 28)
Inde 29) *veniunt imbres (rores)*
Qvæ in valles decidunt;
Stat semper virens super
Urdæ *fonte.* 30)

XVIII.

Þadan coma meyiar
Margs vitandi
Þriár or þeim *g*) sæ
Er vnd þolli stendr.
Urd héto eina
Adra Verdandi
Scáro á *) scídi

XVIII.

Inde veniunt virgines
Multisciæ
Trex ex isto lacu (mari)
Sub arbore sito.
Urdam *nominarunt unam*
Aliam Verdandi
Sculpserunt in tabulâ (vel scuto)

f) Mbr. una voce *hárbadmr* crinita vel crinibus aut capitis (Ymeris) composita s. decorata arbor.
g) St. M. R. T. (al.) *sal* (atrio)
ff) St, R. T. (al) *ey.*
*) O. *skilldi* (scuto)

27) Ut alio loco demonstravi, hæc tria numina correspondent mundi ipsius creatoribus sive creanti trinitati; sic *Odinus* eodem nomine in utroqve mytho gaudet et est qvidem *coeli* vel *aetheris ac aëris* Deus.
Hœnir idem est qvam *Vili* (lux) et
Lódur — — — *Ve* (ignis).

28) Vid. Gl. voce *Aur.*

29) Ex Yggdrasilli ramis sive superiore parte, coelo nempe.

30) Urdæ fons est *œther* (Uraniæ fons), uti alibi probavi. *Terram* in meridie *semper virentem*, coelum autem perpetuo *cœruleum* vel serenum, veteres sibi repræsentabant.

Scvld ena þridio.[31])
Þær lavg lavgdo
Þær líf kvro
Allda börnom
Orlavg[h]) segia.

Sculdam (*earum*) *tertiam.*[31])
Hæ leges posuere
Hæ vitam elegere (*determinarunt*)
Hominum gnatis
Fata constituunt (*prædicunt*).

XIX.

[i])Þat man hon fólkvíg
Fyrst í heimi
Er[k]) Gvllveig
Geirom stvddo
Oc í havll Hárs*)
Hana brendo.
Þrysvar brendo
Þrysvar borna
Opt ósialdan
Þó hon en lifir.[32])

XIX.

Primam, inter populos, cædem
In mundo ipso recordatur
Eam, cum Gullveigam (*auri materiam*)
Cuspidibus perfoderunt (*bipennibus fulserunt*)
*Et in Alti aula**)
Eam cremavere;
Ter cremavere
Ter prognatam
Sæpe, et non raro,
Tamen adhuc vivit.[32])

h) St. addit *at.*

i) Séqvitur in St. periodus *Ein sat hon úti* (à nostra str. 26 usqve ad 28) — tunc primum incipit alia *Heidi* &c. et mox: þ*at man* &c. (perverso, sine dubio, ordine). De reliqva harum editionum, qvoad ordinem strophaium, discrepantia videatur voluminis præfatio.

k) St.; R. M. T. *Gvllveigo.*

31) Tres istæ magnæ mundi matres sive temporum et fatorum Deæ notæ sunt Græcis, Romanis, Iudis et pl. Vid. Lex. Myth. v. *Nornir.* — Veteres boreales ligneis tabulis pro chartis usi sunt, uti multa exempla docent. — Hic sermo est de antiqvo dogmate, isto modo posteris tradito. Thorgerda virgo patris sui Egilli funerale carmen (in filii dilectissimi obitum) sic posteris conservavit, herois illius biographia testante.

*) *Alti (Dei)* aula est mundi vastum ædificium, cujus tectum coelum est, muri montes &c. Sic recte Olavius: "Aula vero *Havi* id est *Ex-*"*celsi* totum universum denotat, qvæ qvasi "domus sit omnipotentis Dei." Vid. Lex. M. v. *Hávaköll.*

32) Loqvitur vates allegorice, sed satis perspicue, de auri, ferris effecta, evulsione, perforatione et iterata crematione (vel defæcatione aut purificatione, vi ignis adhibitâ).

XX.

Heidi hana héto
Hvars til húsa com
l) Völo velspá
Vítti hon ganda.[33])
*) Seid hon kvnni
Seid hon leikin [var][34])
Æ var hon ángan
Illrar *m*) þiódar.[35])

XX.

Heidam (*pecuniam, serenam*) *eam vocabant*
Ubi in domicilia venit
Fatidicam bona nuntiantem (blandientem)
Qvæ lupos (ipsos) domavit.[33])
Pyrotechniam callebat
In pyrotechniâ versata [erat][34])
Fuit semper malæ gentis
Oblectamentum (deliciæ).[35])

XXI.

þá *n*) gengo regin öll
A raukstola
Ginheilög god
Oc vm þat gættuz
Hvart scyldo Æsir
Afrád giallda[36])

XXI.

Tunc omnes Dii occuparunt
Elatas sedes,
Sanctissima numina
De iis deliberabant,
Utrum Æsæ
Delictum (cædem) vindicarent[36])

l) St. add. *oc.*

m) St. M. R. T. *brúdar* (sponsæ, mulieris) Mbr. { *bru* / *þiódar* (verisimiliter propter recentiorem mutationem).

n) St. *gengéngo.* Mbr. *þá g. r. a.* (abbreviate).

*) Res. *seidi kná hún.*

---

33) Divitiæ ubicunqve honorantur et omnibus gratæ prospera futura possessori vaticinantur. Feros homines (lupis assimilatos) domare qveunt, nam mores eorum sæpissime emolliunt.

34) Hic iterum alluditur ad auri et argenti freqventes liqvationes, ignis vi effectas.

35) . . . "Qvid non potuit svadere malorum
"Auri sacra fames!"

36) Collata str. 7-8. (supra) metalla pretiosa Diis originitus peculiaria fuisse videntur, sed ipsis postea partim a Dvergis et Gigantibus (montanis) i. e. terrestribus dæmonibus minoris et majoris notæ, surrepta esse. Non igitur mirum qvod Dii ob hominum temeritatem, cum ipsi metallurgiam, in proprium simul exitium exercere coeperint, gravi ira commoverentur.

Edr scyldo godin öll
Gildi eiga.37)

Aut Dii omnes
*Convivium (sacrificiale) acciperent.*37)

XXII.

o)Fleygdi Ódinn
Oc í fólc vm scaut
Þat var enn fólcvíg
Fyrst í heimi.
Brotinn var p) bordvegr
Borgar Ása
Knátto Vanir vígspá
Völlo sporna.38)

XXII.

Projecit Odinus *(tela)*
Et in turbam (populos) jaculatus est
Hæc erat iterum bellica cædes.
In mundo prima.
Fractum est extimum latus
Urbis (munimenti) Asarum
Vani *(aërei Dii) bella præsagientes*
*Campos calcavere.*38)

XXIII.

Þá gengo regin öll
Á raukstóla
Ginheilög god
Oc vm þat gættvz
q)Hverir hefdi lopt allt
Lævi blandit
Edr ætt iotvns
r)Ód mey géfna.39)

XXIII.

Tum omnes Dii occuparunt
Elatas sellas,
Sanctissima numina,
Et de eo consultabant:
Qvi universum aërem
Fraudibus (noxâ, sangvine) miscuissent
Aut proli giganteæ
Odi *virginem (mulierem) dedissent.*39)

o) St. (perverse) *Brotinn . . . sporna; fleygþi — heimi.*
p) St. *borgveggr* (urbis murus) O. *bordveggr*, R. al. *(bord)veggr* (extimus sive terminalis paries aut murus).
q) St.; R, M. T. al. *hverr* (qvis).
r) T. óþ.

37) Aut etiam: resarcitionem (cædis vel damni illati) acciperent. Vid. Gl. v. *Gildi.*

38) Videtur Sibylla nostra aureæ mundi ætatis finem ponere in auri ipsius introductione, et mortem ac aliam humani generis ærumnam, divinæ vindictæ seqvelas censere, cum et æthrea et aërea numina tum primum hominibus et terræ bella intulisse referat.

39) *Odi* mulier vel uxor est *Freya.* Eam, cum sole et luna, Dii è Lokii consilio, imprudenter promiserant giganti sub certa conditione, qvâ fere præstita summum periculum Diis et

XXIV.

Þórr einn þar var
Þrúnginn módi
Hann sialdan sitr
Er han slíct vm fregn.
Á gengvz eidar
Ord oc særi
Mál avll meginlig*)
Er á medal fóro.

XXIV.

THOR *unus ibi erat*
Tumidus præ ira,
Ille raro qviescit.
Cum talia inaudit.
Rupta sunt juramenta,
Verba (promissa) et sacramenta,
Pacta solemnia cuncta
Qvæ (antea) intervenerant.

XXV.

Veit hon u) HEIMDALLAR
**)Hliód vm fólgit 40)
Vndir heidvönom
Helgom badmi.
Á 41) ser hon ausaz
Aurgom fossi

XXV.

Scit ipsa HEIMDALLI
Sonum (tubæ) absconditum 40)
Sub ætheri (serenitati) adsveta
Sancta arbore. —
Amnem 41) *vidit ea hauriri (fluctuare)*
Spumante cataracta,

*) R. al. *minnilig* (memorabilia).
u) St. *Heimþallar* M. T.; R. (al.) *Heimdalar.*
**) St.; K. (al.) *horn* (cornu, buccinam).

---

mundo imminens, auctoris Lokii fraudibus solummodo removeri potuit. Tunc Thor Titanem, præmii loco, morte affecit, non sine perfidiâ. Vid. Edd. pros. Ed. St. pag. 45 sq. "In consilio suo qvæstionem habebant Dii "qvinam esset auctor defectuum solis, seu te- "nebrarum, eclipsium et deliqviorum solis" Ol. Adde etiam: "et lunæ" F. M. Alias *Thorrs* bellum contra Titanes vel gigantes susceptum, notat ipsius vim fulminatricem, vernali tempore resumtam ac hyemalium dæmonum caedem efficientem. Brevi tantummodo gaudio victores lucis dii fruuntur, qvum istorum vires et potentia, æstivo solstitio (vel Balderi interitu) peracto, iterum evanescere coeperint. Eandem scenam in mundani qvam in solaris anni cursu veteres repræsentari putabant.

40) Divi hujus tuba Deos, Titanes et Dæmones ad ultimum certamen, in mundi (vel anni) interitu, provocabit. Videtur vates nostra serie effatorum suorum innuere: qvod Deorum erga Titanes fraudulentia vel perfidia, ê fati vel universalis numinis decreto, illorum ruinâ punienda foret.

41) Oceani. Vid. stropham et observationem mox seqventem.

Af vedi valfavdvrs.
Vitod[v]) er enn eda hvat?

E pignore sphœrici patris.
Intelligitis jam nec ne?

XXVI.

Ein*) sat hon úti
Þá er inn aldni com
Yggiongr Ása
Oc í augo leit.
Hvers fregnit mic?
Hví freistit mín?
Allt veit ec Ódinn!
Hvar þú auga falt[x]) þitt
Í enom mæra
Mimis brvnni.[42])
Dreckr miöd Mímir
Morgin hverian
Af vedi Valfavdvrs.[43])
Vitod er enn edvr hvat?

XXVI.

Sola) sedit foris (sub dio)*
Cum senex ille venerit
Meditabundus (metuendus) Asarum (princeps)
Et inspexit ejus oculos:
Qvid me interrogatis?
Qvid me tentatis?
Satis novi Odine!
Ubi oculum abscondisti
In puro illo
Mimeris *fonte;*[42])
Bibit mulsum Mimer
Mane qvolibet
E pignore sphœrici patris.[43])
Intelligitis jam nec ne?

v) St. omitt. *er.*

x) M. R. T. K. omitt. *þitt* (tuum).

*) Vala nostra hic forte loqvitur de Norna aliqvâ summi ordinis (tunc verisimiliter Urda) coelesti nempe. Vide introductionem nostram de Nornarum vel fatidicarum terrestrium arcta cum illis conjunctione.

42) Oceani fonte in plaga mundi boreali. Ejus dominus vel possessor *Mimer* gigantibus annumeratur, uti plures illius maris dæmones vel mythici principes. Oculus Odini (coeli) in icto fonte absconditus est, certe *sol* vel *luna*. Eadem phraseologia utuntur poëtæ vel philosophi Græci, AEgyptii, Indi, Persæ et pl. cum solem appellent *Jovis*, *Osiridis*, *Visnui* vel *Oromazdis* oculum &c. Cfr. obs. mox seqventem.

43) Qvovis matutino tempore, anteqvam sól ex oceano emergat, aurora fulvo mulso non absimilis in horizonte apparet. Hanc poëta Mimerem avide haurire fingit.

XXVII.

Valdi henni 44) Herfavdvr 45)
Hringa oc men
y) Féspiöll spaclig 46)
Oc spá-ganda. 47)
Sá hon vítt oc vm vítt
Of verölld hverja.

XXVII.

Elegit (dedit) 44) *illi agminum (cœlestium) pater* 45)
Annulos et torqves (monilia)
Sermones sapientes ditantesqve 46)
Et vaticinantes genios. 47)
Vidit illa longe et late
Per mundum qvemqve (singulos mundos).

XXVIII.

Sá hon Valkyrior
Vítt of komnar
Gavrvar at ríða
Til 48) GODÞIÓDAR.
SCVLD hélt scildi
Enn SCAVGVL avnnor
GVNNR, HILDR, GAVNDVL,
Oc GEIR-SKAVGOL.
Nú ero taldar
z) Navnnor Herians

XXVIII.

Vidit illa Valkyrias
E remotis advenisse
Paratas ut ad gentem
Deorum (Gothorum) 48) *eqvitarent.*
SCULD *portabat scutum*
Et SCÖGUL *altera*
GUNNUR, HILDUR. GÖNDUL
Et GEIR-SCÖGUL.
Jam sunt recensitæ
Nymphæ HERIANIS (ODINI)

y) St. innuit lacunam duarum linearum vel versuum, nostris codicibus penitus ignotam
z) *Nönnor* St.

---

44) Jam fatidica iterum aut de coelesti Norna aut de se ipsa loqvitur.

45) *Odinus* nempe; sic orientales populi summum Deum appellant *agminum sive exercituum (cœlestium) patrem.*

46) Vel: *præcepta ditescendi sapientia,* (Steph. Ol.) Ketillius vertit: *hostias præsagas* J. Olavius: *prudentia et sapientia præfamina.* Vid. Gl. v. *Féspiöll.*

47) Vid. Gl. voce *Spágandr.*

48) Prior versio hic verisimilior. Vocarunt alii Gothi semet *Godþiód* aut *Godjód* o: divinam vel Deorum gentem, vel Deorum liberos, qvasi â Diis ortam. Judæos, Alanos et pl. idem fecisse, notissimum est.

Görvar at rída
†) Grvnd Valkyrior.*)

XXIX.

Ec sá Baldri
Blódgom tívor 49)
Odins barni
Orlög fólgin.
Stód vm vaxin
þ) Vollo hærri
Miór oc mioc fagr
Mistilteinn. 50)

XXX.

Vard af þeim meidi
Er œ) mér syndiz
ö) Harmflavg hættlig
Havdr nam skióta. 51)

Paratæ ad eqvitandum
*Per terram Valkyriæ.***)

XXIX.

Vidi Baldero
Cruore perfuso Deo 49)
Odini *filio*
Fata reposita.
Stetit excrescens
Altior campo (supra campum excretus)
Tener et adeo speciosus
Visci surculus (Mistelteinus) 50)

XXX.

Factum est ex ista spina (ligno)
Ut mihi visum est
Deplorandum missile (ictus) et periculosum
(*Qvod*) Hödur *jaculatus est.* 51)

†) K. (al.) *til Godþiódar.*
œ) O. *mönnum.*
þ) S. *völlom.*
ö) St. *Harmslavg* O. *Harmflog.*

---

*) Valkyriæ originitus significasse videntur meteora splendida vel ignita, qvæ ab Odino, coeli et exercituum Deo emissa et bella futura indicare credebantur. Eadem opinio adhuc in Islandia inter vulgus non est omnino extincta, uti etiam borealis aurora, rubeis flammis micans, in terris meridionalibus apparens, plebejis, publicam cladem inde auspicantibus, terrorem incutere solet.

49) Veterum Slavorum Deus *Bel* aut *Biel-Bog* (album sive lucidum numen) ab iis (uti fertur) repræsentabatur qvasi cruentam et sauciatam faciem gestans. Plures rationes svadent ambo hæc numina communem originem habuisse. Idem dicendum puto de Syrorum et Græcorum mythicis fabulis circa cruentam mortem Adonidis, uti etiam Ægyptiaci Osiridis, Indici Krischna &c. Vid. Lex. Myth. v. *Baldvr.*

50) De hac mythica spina vide L. M. sub voce *Mistilteinn.*

51) Hic certe sermo est de summa et gratissima æstatis luce *(Baldero)* à cæco tenebrarum vel noctis Deo, occiso. Vid. Lex. myth. v. *Hödvr.*

XXXI.

BALDVRS bródir var
Of borinn snemma
Sá nam ÓDINS sonr*)
Einnættr vega.
Þó**) hann æva hendr
Né havfvt kémbdi
Ádvr á bál vm þar
BALDVRS andscota. 52)
En FRIGG vm grét
I FENSAVLOM
a) Vá VALHALLAR 53)
Vitod er en edr hvat?

XXXI.

BALDERI *frater*
Mane (mox postea) natus est,
Is ODINI *filius*
Unam noctem natus dimicavit (cædem commisit).
Nunqvam manus lavit
Nec caput comsit,
Priusqvam in pyram portavit
BALDERI *adversarium.* 52)
Sed FRIGGA *planxit*
In FENSALIS *(profundis cameris)*
Damnum VALHALLÆ *(sphæricæ aulæ).* 53)
Intelligitisne adhuc vel qvid?

XXXII.

Hapt sá hon liggia
b) Vndir c) hvera 54) lvndi

XXXII.

Vinctum vidit illa jacere
Sub thermarum 54) *luco*

*) K. *son* (filium). **) O. *hún.*

a) Sic jam mbr.; qvam tamen aliqvis emendare tentans, mutavit vocem *vavrdr.* in illam *vá.* St. O. R. M. T. K. (al.) *vörþr.* G. *vaurdur* (ɔ: *custos* vel *domina*).

b) St. *vnd.*

c) O. Res. *Húnalvndi.* (Hunnorum vel ursorum luco) R. M. T. al. *hrævarlvndi* (funesto luco).

---

52) Hic sermo est de *Balderi* ultore, *Valio*, i. e. luce redeunte post solstitium hibernum, tenebrarum victore. Cfr, *Vegtamsqvida* str. 15. 16. *Hyndloliód* str. 27. et Edd. pros. Ed. St. p. 65. 105. Apollo Græcorum ætate triduanus, Pythium draconem (tenebras etiam verisimiliter denotantem) prostravisse fertur.

53) *Frigga* certe terra *frugi*-fera (*Phrygia* Dea); *Valhalla* cœlum creatum, vel rectius ætheris ejus summa aula, Diis majorum gentium communis. Deflet Balderi mortem in similem modum qvam Isis Osiridis, Cybele Atthinis, Venus Adonidis p. p. Cfr. Lex. myth. v. *Baldvr, Frigg, Valhöll.*

54) Intellige thermas terrestres vel fontes fervidos — iguis subterranei viciniæ certa indicia.

Lægiarn líki
Loka[d]) áþeckian.
Þar sitr Sigyn
Þeygi vm sínom
Ver[e]) vel glyiod
Vitod er enn edr hvat?[f])

Perfidam formam (corpus)
Lokio *similem.*
Ibi sedit Sigyna
Verum non de suo
Marito multum lœta;
Intelligitis adhuc, nec ne?

XXXIII.

Á fellr austan
Vm eitr-dala
Saurom oc sverdom[55])
*) Sliþr heítir sú.
Stód fyr nordan
Á Nida[g]) fiöllum
Salr or gvlli
Sindra ættar
En annar stód

XXXIII.

Amnis fluit ex oriente,
Per venenosas valles,
Sordes et gladios volutans[55])
Slidur *ea vocatur.*
Stetit (trans amnem) ad septentrionem
In Nidinis *(tenebrarum) montibus*
Ædes ex auro
Petrææ prosapiæ;
Verum alia stetit

d) O. R. T. K. *óþeckian.* R. (add.) al. *óþeckan* (ingratum, foedum).
e) O. *vell-jód.*
f) Addit St. et R. in margine ("addunt chartæ")

Þá knâ Vala	Tunc potest (callet) *Vala*
Haptbönd snúa [R. M. T. al. *Vigbönd snúin*] (cædis lora flectere).	Torqvere vinculorum funes;
Heldr vm hardgiör	Nimis dura sane
Höpt or þörmom.	Vincula ex intestinis.

*) K. (al.) *Slid.*
g) Habuit mbr. (forte lapsu calami, posterius emendato) *völlom* (campis).

Persæ jamjam fingunt *Ahrimanem* (eorum Lokium vel Satanam) vinctum jacere sub thermis vel fontibus ferventis naphtæ, in Atropatene veterum, non procul a Caucaso proprie sic dicto; — aut in hoc monte, aut in Indico illo, veteres mythi finxere Prometheum, ignis inventorem, duris vinculis et crudeli cruciatu affectum jacuisse. Vid. Lex. myth. v. *Loki.*

55) Steph. Olavius retinuit scriptionem *sverdum* sed legit *svördum*, cum hunc versum ita vertat, "*ac secum rapit limum et cespites vivos.*" Vid. Gl. v. *Sverd.*

Á Ókólni
Biórsalr iotvns
En sá Brímir heitir.*)

In Ocolne (*loco frigorum experte*);
Triclinium Titanis
Brimer *vocatum.**)

XXXIV.

Sal sá hon standa
Sólo fiarri
h) Nástrondo á 56)
Nordr horfa dyr.
i) Féllo eitrdropar †)
Inn vm lióra
Sá er vndinn salr
Orma hriggiom.**)

XXXIV.

Ædem vidit illa stare
A sole remotam
In Nastronda (*funerum oris*) 56)
Boream versus spectant fores.
Impluunt veneni guttæ,
Per fenestras (pinnaculi)
Est ædes ea contexta
*Contortis serpentum dorsis***) (*serpentinis spinis*).

XXXV.

Sá hon þar vada
††) Þúnga strauma
k) Menn mordvarga
Oc meinsvara
Oc *l*) þann annars glepr

XXV.

Vidit ibi vadare
Rapidos amnes
Homines perjuros
Ac sicarios
Et eum qvi alienæ uxoris

h) St O. *Náströndom* (Nastrondis).
†) K. al. *ár* (amnes, torrentes).
k) St. O. R. M. T. K. *Menn meinsvara Ok mordvarga*
l) St. þá *annars glepia* (eos qvi . . . infatuant).
i) St.; M. R. T. Ö. (al.) *falla*.
††) Þraunga (angustos) G.

---

*) Vid. Lex. mythol. vv. *Slidur, Nidafiöll, Okólnir, Brimir.*

56) Veterum borealium Tartaro. *Helæ* regnum cum Orco vel Erebo Græcorum idem esse videtur. Cfr. Lex. M. v. *Hel, Hvergelmer, Náströnd* et lect. var. nostram ad seqventem stropham.

**) "Subintelligendum est, capita serpentum introrsum vergere ibidem, venena simul spirantia et morsu damnatos lacerantia." *J. Ol.*

Eyra †) rúno. *)
Þar *m*) svg NÍDHÖGGR 57)
Nái framgengna
Sleit vargr 58) vera.
Vitod er enn edr hvat?

Iufatuat aurem. *)
Illic sugit NIDHÖGGUS 57)
Cadavera emortua,
Dilauiavit fera (lupus) 58) viros.
Intelligitisne adhuc vel qvid tum?

XXXVI.

Austr *n*) sat hin aldna
I IÁRNVIÐI 59)
Oc *o*) föddi þar
FENRIS kindir.
Verdr af þeim avllom
Einna noccorr
Túngls tiúgari
I trölls hami. 60)

XXXVI.

Versus orienteu sedit prisca illa
In JARNVIDO (*ferrea sylva*) 59)
Ibiqve peperit (parit, pascit)
FENRERI (*abyssi*) *genera.*
Ex iis ounibus fit
Unus qvidam (maximus)
Lunæ devorator (liguritor, arrosor, detractor)
In mali dæmouis forma (exuviis). 60)

†) Inserit hic Edda prosaica: *er verst at vera* (sed in Hvergelmere pessima est mansio).
G. *En í Hvergelmi veit hon vest vera.*

m) St.; M. R. T. (al.) *saug* (sugebat).
n) M. R. T. (al.) *býr* (habitat).
o) M. R. T. (al.) *födir* (parit vel educat).

---

*) "I. e. Qvi alterius uxoris auri lasciva et a pu-"dicitia abducentia verba insusurrat. Norman-"ni severi adulteriorum censores fuerunt." *Steph. Olavius.*

57) *Nidhöggr* (in tenebris mordens vel dilanians o: intimarum tenebrarum serpentinus princeps) convenit ad ungvem veterum Persarum *Ahrimani*, Indorum serpenti maximo infernali &c.

58) Forte maximus in mythicis relationibus lupus, *Fenrir* vel *Fenris-úlfr*, huc post mundi exitium in perpetuum exilium ejectus.

59) Ferrea hæc sylva ponenda est in *Utgardis*, circulo montano oceanum et terrarum orbem cingente, secundum Borealium et Orientalium populorum mythos. Mongoli et pl. eum vocant *ferreum montem* sed Indi loqvuntur de *ferrea sylva* ad fluvios infernales sita. Vid. Lex. M. v. *Járnvidr*, *Járnvidia*.

60) Superstitio de lupis, draconibus vel monstris, solem et lunam eclipseos tempore devorantibus, per totum mundum, et veterem et recentem, ab antiqvissimis temporibus divulgata est. Horum mater, qvam *Vala* nostra canit, fuit sine dubio *Nox* vel *tenebrarum domina*, alias a Græcis et pl. *mundi mater* vocata. Vid. Lex. myth. v. *Fenrir*, *Hati*, *Skoll* et Cfr. stropham mox seqventem.

XXXVII.

Fylliz fiörvi
Feigra manna
Rýdr ragna siót
Raudom dreira.[61])
p) Svört verda sólscin
q) Of svmor eptir
Vedr öll válynd
Vitod er enn edr hvat?

XXXVII.

Impletur (saturatur) vitâ (viribus)
Moribundorum hominum
Rubefacit (adspergit) Deorum sedes
Rutilo cruore.[61])
Nigrescet solis lumen
Æstatibus seqventibus;
Tempestates omnes versatiles (noxiæ, formidolosæ) [erunt].
Intelligitisne jam, vel qvid tum?

XXXVIII.

Sat þar á haugi
Oc sló hörpo
Gýgiar hirdir
Gladr EGDIR.[62])
Gól *r*) vm honom
Í gaglvidi[63])
Fagr-raudr hani
Sá er FIALARR heitir.[64])

XXXVIII.

Sedit ibi in tumulo
Et lusit citharâ
Oreadis custos
Lætus EGDER *(aqvila mas).*[62])
Supra illum cantabat
In volucrium sylva[63])
Nitide rutilus gallus
Qvi FIALAR *appellatur.*[64])

p) Mbr. (ut videtur) perperam *svart var* þa Obscurus erat (solis splendor).
p) O. *of sumari* M. R. T. (al.) *sumar* (æstate) *r*) M. R. T. al. *und* (sub).

61) Uti interdum in solis vel lunæ eclipsi cernere possumus. Talia phoenomena veteribus, uti hodie Sinensibus, Indis et pl. portenta maxime formidolosa habebantnr.

62) Intellige mythicum gigantem, *Hræsvelgum*, aqvilæ formâ indutum, et arctico polo insidentem. Jam pro gaudio æolium suum barbiton pulsat.

63) Aëre nempe, qvi sæpe sylvæ à veteribus Scandorum poëtis assimilatur.

64) Antiqvi nostri vates *flammam* qvamcumqve cum *gallo* (igneo colore sæpe, rubra cristâ semper ornato) comparabant. Hinc proverbium inter Danos jamjam de incendio usitatum: *den röde Hane galer over Taget* o: Gallus rufus cantat super tecto. Hunc arctici poli mythicum gallum, nitide rutilantem, *borealis auroræ* talem *flammam* explicandum censeo. Nomen *Fialar* (multiformis) ipsius naturæ arcte convenit. Vid. Lex. myth. v. *Fialar*.

XXXIX.

Gól vm Ásom
GVLLINCAMBI
Sá vekr havlda[s]) at hiarar
At heriafavdvrs[65])
Enn annarr gélr
Fyr iörd nedan
Sótraudr hani
At savlom HELIAR.[66])

XXXIX.

Cantabat super (inter) Asas
GULLINCAMBI (*auream cristam gestans*)
Hic excitat viros
Apud exercituum patrem,[65])
Sed alter canit
Infra terram
Fuligineus gallus
In atriis HELÆ.[66])

XL.

Geyr GARMR[67]) mioc
Fyr GNÍPA helli
Festr mvn slitna
Enn freki renna[68])
Fiöld veit[t]) hon fröda
Fram sé ec lengra
Vm ragna ravk
[u]) Ravm sigtíva.

XL.

Latrat GARMUR[67]) (*Cerberus*) *multum*
Ante GNIPÆ (*cuneati cacuminis*) *antrum*
Catena rumpetur
Sed lupus (*solutus*) *ruet;*[68])
Permultas novit illa scientias,
Prævideo sane longius
Acerbam (*prævalidam*) *dissolutionem* (*vel: crepusculum*)
Potestatum et beatorum numinum.

s) Hæc om. St. et pl. ch.
t) St. (longe alio loco); R. M. T. (al.) *hin fröda* (sapiens illa).
u) St. *ok raun* (tentamen, calamitatem).

65) Aureus hic et coelestis Gallus aut est *aurora* ipsa aut etiam vespertinus rutilansqve coeli splendor, nisi fulmen (tonitru) vel ignea alia aëris meteora intelligere velis. Sculptores Græci gallum interdum Solem emblematice significare fecerunt. Multa fabulabantur veterrimi Persæ de *gallis cæli* lucidis vel *flammeis* — ut cætera taceam. Annoto solummodo qvod *gallus* diei et solis ortum cantando prænuntiet.

66) Hic sine dubio subterranea flamma subintelligi debet.

67) Vid. Lex. M. v. *Garmr.* Tempestas maxima, vel forte terræ motus, ejus latratu indicatur.

68) *Fenrer* nempe, abyssi flammeum et tenebrosum monstrum.

XLI.

Brödvr mvno beriaz
Oc at bavnom verda
Mvno systrúngar
Sifiom spilla.
Hart er í heimi
Hórdómr micill.
Scéggavld, scálmavld
Scildir ro klofnir,
Vindavld, Vargavld
Ádr veröld steipiz
v) Mvn engi madr
Ödrom þyrma.[69])

XLI.

Fratres invicem pugnabunt
Unusqve alterum occidet,
Consobrini (ipsi)
Affinitates violabunt.
Durum erit seculum,
Adulteria freqventia,
Barbata (vel: securium) ætas, ensium ætas,
Scuta (tunc) diffindentur,
Ventosa ætas, ferina ætas
Anteqvam mundus corruat,
Nec ullus homo
Alteri parcet.[69])

LXII.

Leika *x*) Mímis synir
Enn *y*) miötudr[70]) kyndiz
At eno *yy*) gialla
Giallar horni.
Hátt blæs Heimdallr
Horn er á lopti
Mælir Ódinn
Vid Mímis havfvt[71])

XLII.

Ludunt Mimeris *filii*
Dum centralis arbor[70]) *accenditur,*
Ad sonoram
Giallæ *tubam;*
Altum intonat Heimdallus,
Cornu elevatur;
Alloqvitur Odinus
Mimeri *caput.*[71])

v) St.; R. M. T. (al.) *man.*
x) St. R. O. *Mimis.*
y) St. O. (recte) G. K. al. *miötvidr.*
yy) Mbr. R. (lapsu calami) *galla* S. M. *eno gamla* T. *en gamla.*

69) Sic ultima mundi tempora describuntur non solummodo a Christianis scriptoribus et Græcis ac Romanis poëtis, sed etiam ab omnium fere populorum sacris vatibus, traditionibus vel libris.

70) Vid. s. str. 2. Obs. 4.

71) *Mimer* hic verisimiliter idem est qvam ille qvi in 1mo strophæ hujus versu nominatur. Est, ut supra monui, oceani fontis dominus. Ejus filii igitur aut fluctus maris vehementes vel

XLIII.

z) Ymr id aldna tré
En 72) iotvn losnar
Scelfr YGGDRASILS
Ascr standandi.
[Hrædaz allir
Á helvegom
Ádr zz) SVRTAR þann
þ) Sevi of gleypir.]

XLIV.

HRYMR 73) ecr austan
æ) Hefiz lind fyri
Snýz IORMVNGANDR
I iotvnmódi.
Ormr knýr ö) vnnir
Enn 74) ari hlaccar
Slítr nái nef-favlr
a) NAGLFAR losnar.

LXIII.

Ingemiscit (resonat) vetusta illa arbor,
Titan 72) autem solvitur,
Tremit YGGDRASILLI
Fraxinus erecta (tamen stans).
[Pavent omnes
In Helæ viis (regionibus)
Anteqvam illam SURTI
Ignis devoret (absorbeat)].

XLIV.

HRYMUS 73) *ex oriente advehitur,*
Elevatur (intumescit) coram eo scaturigo (maris)
JORMUNGANDUS (*mundanus serpens*) *volutatur*
In cyclopæo furore;
Angvis urget oceanum,
Aqvila 74) vero clangit,
Pallido rostro cadavera dilacerat
NAGLFAR (*navigium*) *solvitur (defertur in altum).*

z) *St. Scelfr . . . standandi; ymr . . . losnar.* zz) St. K. (et pl.) *Surta.*
þ) St. *sefi.* K. *sæve.* æ) O. *Hefr.* K. al. *hefr lid.* ö) O. *unn.*
a) O.; R. M. T. K. (al.) *Naglfari.*

---

alia ejus phaenomena. *Mimeris caput* similiter puto signare oceani superficiem, â tempestate commotam et qvodam modo in altum, capitis instar, elevatam. Cum isto undarum gravi sono murmurante, *Odinus*, aëris et coeli numen, colloqvi poëtice dicitur. Vid. Lex. myth. v. *Mimir.*

72) *Lokius* nempe. Cfr. str. 32. 45.

73) Hic *Hrymr* vel *Hrimr* memoratur in Edd. prosaica fab. 48. Est ea teste gubernator pernicipsi navigii qvod *Naglfar* dicitur. Vid. Lex. Mythol. et infra str. 45.

74) Vid. s. str. 38.

XLV.

Kiöll fer austan
Koma mvno MVSPELLZ
Vm lavg lýdir 75)
Enn LOKI styrir.
Fara[b]) fifls megir
Med*) freka allir
Þeim er bródir
[c])BYLEIPS 76) í för.

XLV.

Carina fertur ex oriente
(Advenient MUSPELLI
Gentes per mare) 75)
LOKIUS *eam gubernat.*
Monstri cognati (furibundi) omnes
*Lupum**) *comitantur,*
Isti turbæ conjunctus.
BYLEIPI 76) *frater procedit.*

XLVI.

Hvat er med Ásom
Hvat er med Álfom 77)
Gnýr allr Iotvnheimr
Æsir ro á Þíngi.
Stynia Dvergar
[d])Fyr steindvrom
[e])Veggbergs vísir 78)
Vitod er enn edr hvat.

XLVI.

Qvid rei apud Asas?
Qvid rei apud Alfos? 77)
Strepit totus giganteus mundus,
Asæ comitia celebrant.
Ingemiscunt nani (terrestres dæmones)
Ante (cavarnm) rupium fores
Saxeorum munimentorum gnari. 78)
Intelligitisne adhuc vel qvid tum?

b) St. O.; R. M. T. (al.) *fiflmegir.*
c) St. *Bileists.* O. Res. pl. *Byleifs* R. M. T. (al.) *Bylæistz* Res. pl. in. var. *Byleiks.*
d) St. *Fyrir steins-durum.* *e*) St. O. *vegbergs.* K. *vebergs.*

---

75) Hic ut puto aër vel æther poëtice *mare* appellatur. Sic nos de *fluxu aëris* loqvimur. Vox antiqva *bif* et mare et aëra notat.

*) Vid Lex Mythol. v. *Fenris úlfr.*

76) *Lokius* est *Byleipi* aut *Byleisti* ut et *Helblindi* frater. Ultimus eorum, *Mortis* vel oceani *dæmon* nempe, hic verisimiliter indicatur.

77) I. e. apud Deos cælestes et gehios elementares.

78) Dæmones montani vel subterranei timent et præsagiunt suorum domiciliorum approperantem ruinam. Si legamus *vebergs*, Steph. Olavius accurate vertit: "asyli saxei non "ignari."

XLVII.

SVRTR 79) fer svnnan
Med sviga læfi
Scín af sverdi
Sól valtífa.
Griótbiörg gnata
Enn gífor rata
Troda halir helveg
Enn himin clofnar.

XLVII.

SURTUR 79) *e meridie procedit*
Advehens flagrantem flammam,
Sol resplendet e gladio
Cœlestis Dei.
Ingentia saxa colliduntur,
Oreades præcipites ruunt;
Calcant homines lethi viam
Cœlum vero diffindetur.

XLVIII.

Þá cömr HLINAR 80)
Harmr annarr fram
Er ÓDINN ferr
Vid Úlf vega
En bani BELIA
Biartr*f*) at SVRTI 81)
Þá mvn FRIGGIAR 82)
Falla ángantýr.*)

XLVIII.

Tunc prodibit
Alter dolor HLINÆ 80)
Qvando ODINUS *inibit*
Cum lupo certamen.
Sed lucidus BELII
Occisor cum SURTO, 81)
Tunc cadet Divus
FRIGGÆ *carissimus.* 82)

XLIX.

Þá cömr inn micli
Mavgr sigfavdor

XLIX.

Tunc veniet ille magnus
Victoriarum patris filius

f) M. T. (prave) *af.*

*) K. al. *ángan* (oblectamentum).

79) Summi coeli empyræi supremus Deus, terram destructurus vel potius renovaturus. Vid. Lex. Myth.

80) *Hlina* proprie una est inferiorum Asyniarum sive Dearum, Vid. Edd. pros. l. c. p. 38. Hic pro ipsa *Frigga*, ejus domina, poni videtur. Primus ejus *dolor* verisimiliter fuit *Balderi mors*, alter, hic decantatus, *Odini exitium.*

81) Belii (gigantis o: hyemis aut hyemalis tempestatis) occisor fuit *Freyr*, solis numen. Vid. Ed. pros, Fab. 30. et Lex. myth. v. *Beli* et *Freyr.*

82) Odinus nempe, á Lupo *Fenrere* ut ferunt, devoratus. (Vel *Coelum* a tenebris abyssi obrutum aut á subterraneis flammis exustum).

VIDARR vega
At valdýri.[83])
Lætr[g]) hann megi hvedrúngs
Mvnd vm standa
Hiör til hiarta
Þá er hefnt favdor.

VIDAR *ad dimicandum*
Cum funesta ferâ.[83])
Facit ille gigantis gnato
Manu strictum pertingere
Gladium ad cor usqve;
Sic necem ulciscetur patris.

L.

Þá cömr inn möri
Mavgr HLÓDYNIAR
Gengr ÓDINS[h]) sonr
Vid[i]) Úlf[84]) vega.
Drepr hann af módi
MIDGARDS[k]) veor[85])
Mvno halir allir
[l]) Heimstöd rydia.
Gengr fet nío

L.

Tum veniet clarus ille
LODYNÆ (*terræ*) *gnatus*
Procedet ODINI *filius*
Cum monstro[84]) *dimicatum.*
Feriet (*occidet*) *istum* (*ille*) *iratus*
MIDGARDI (*terrestris orbis*) *sanctus* (*-um*) *Deus* (*-um*,[85])
Homines cuncti
Mundanas mansiones deserent.
Gradietur passus novem

g) St. (et chartæ sec. M. R. T. v.) om. *hann.* *h*) St. M. T. *son.*
i) Hic Olavius: "legendum (vel intelligendum) procul dubio *orm* sc. *jörmun-gand.*" Sic etiam censeo. F. M.
k) St. K. M. T. *vœor.* *l*) O. *heims-stód*; sic etiam M. K. T. in marg.

---

83) *Vidar* isto mea sententiâ proprie est phoenomenon physicum, qvod a veteribus Græcis et Romanis *Typhon* vocabatur. Talis meteori vi, flammivomi monstri rictus vehementer dirumpi, proavi nostri finxere secundum Edd. pros. Fab. 48. (Ed. St. p. 73). Hic Typhonis pes vel mucro gladio assimilatur. — Odinus fuit pater *Vidaris*, qvi alias inter septentrionalis Zodiaci numina receptus est. Vid. Lex. myth. v. *Vidar.*

84) Textus *Úlfr* ponitur pro *gandr* et lupum vel serpentem denotat; angvis Midgardicus in specie dicitur *Jormungandr* ɔ: terrestris vel mundanus draco aut lupus ɔ: devorator, hostis.

85) *Veorr* forte idem qvi *Verr* protector; (hic igitur tutelaris Deus). Vid. Gl.

Fiörgyniar bvrr
Neppr frá nadri
Níds óqvídnom.[86])

Fiorgynæ (*Telluris*) *soboles*
Nutans ab angve
Contumelias non metuente.[86])

LI.

Sól tecr sortna
Sígr fold í mar,
Hverfa af himni
Heidar stiörnor.
Geisar[m]) eimr
Vid[o]) aldvrnára
Leicr hár hiti[87])
Vid himin siálfan.
"Geyr &c."

LI.

Sol nigrescere incipiet,
In mare terra desidet,
Disparebunt e coelo
Serenæ stellæ;
Sæviet ignis halitus
Circa seculi nutritorem[87])
Alta flamma alludet
Ipsï coelo.

LII.

[p]) Sér hon vppkoma
Avdro sinni
Jord or ægi[88])
[q]) Idja gröna.[89])

LII.

Vidit illa emergere
Altera vice
Tellurem ex oceano[88])
Pulchre virentem;[89])

m) St. R. M. T. O. *eimi.* Res. pr. var. *elldr.*
o) St. R. M. T. *aldvrnara.*
p) O. *Upp sér hún koma í* &c.
q) O. *Idja.*

86) Sic oceani elevatus æstus suffocatur a fulminis electrica vi, qvæ tamen ipsa tanto instrictu graviter defatigatur et paulo post omnino evanescit.

87) Nempe stirpem, arborem vel columnam mundanam *Yggdrasill* dictam, qvæ seculum totum vel omnia in mundo viventia nutrit. Vid. Lex. Myth. v. *Alldvrnári.*

88) En veterum cognitionem de terra, in creatione ex aqvis emersa!

89) Vid. Gl. v. *Idia-grænn*; puto enim vocem significare virentem eum colorem, qvo plantæ marinæ et aqvaticæ fundum ubicunqve induunt.

Falla forsar 90)
Flýgr avrn yfir
Sá er á fialli
Fisca veidir.

Defluent cataractæ 90)
Aqvila supervolabit
Qvi in monte (tesqvis)
Pisces captabit.

LIII.

r) Finnaz Æsir
Á Idavelli 91)
Oc vm moldþinvr
s) Máttkan döma.
t) [Oc minnaz þar
Á megindóma]
Oc [á] fimbvltýs 92)
Fornar rúnar.

LIII.

Convenient Asæ
In Idæ *campo* 91)
Et de (angve) terram cingente
Valido colloqventur (judicabunt)
[Et ibi reminiscentur
De magnis rebus (gestis, fatis)]
Et de celsissimi Dei 92)
Antiqvis mysteriis (Runis, sermonibus, literis)

r) St.; M. R. T. (al.) *hittaz.*
s) St.; M. R. T. (al.) *máttkar.*
t) Hæc O. Inter præcedentem versum et hunc legitur in C. N. seqvens:

Oc minnast á fornu
Mál oc dœmi
Et reminiscentur priscorum
Sermonum et exemplorum.

In membrana certe hic aliqvid deest, cum vōcula *á* nulli verbo correspondeat, qvod saltem necesse erit.

---

90) Oceani torrentium e montibus, olim submersis, jam recedentium.
91) Vid. s. str. 7. Obs. 15.
92) Verisimiliter Odini, Runarum vel literarum primi inventoris — nisi sermo sit de Surto, vero universi et fatorum numine.

LIV.

u) Þar mvno eptir
Undrsamligar
Gvllnar tavflor
I grasi v) finnaz 93)
Þærs í árdaga
Áttar höfdo
[Fólcvaldr goda
Oc FIÖLNIS 94) kind.]

LIV.

Ibi postea (iterum)
Mirabiles
Aureæ tabulæ (calculi, orbes aleatorii)
In gramine reperientur 93)
Qvas in principio temporum
Possederant
[Divini coetus dux
Et FIOLNERI 94) *progenies.]*

LV.

Mvno ósánir
Acrar vaxa
Bavls mvn allz batna
BALDVR mvn coma.
Búa þeir HAVDR x) oc BALDVR 95)
Hropts sigtoptir 96)

LV.

Ferent insativum
Agri frumentum,
Mala omnia cessabunt,
BALDERUS *redibit,*
Incolent illi HÖDUR *et* BALDUR 95)
ODINI *beatas ædes* 96)

u) St.; R. M. T. (al.) þá *mvno Æsir* o: Tunc Asæ.
v) St.; R. M. T. (al.) *finna* invenient.
x) St. et chartæ sec. R. M. T. in marg. om. *oc Baldvr* (K. prave: "ch. add. *ok Baldr.*)

---

93) Vid. s. str. 7. 8. Obs. 16-18. Virentia veteres sibi finxeruntDeorum cælestia habitacula, qvamvis cærulea mortalibus apparuerint; sic montes, sylvæ et littora, qvamvis reverâ virides, eminus glauci nobis videntur.

94) *Fiölner* multiformis, multa producens &c. o: *Odinus,* Deorum et hominum pater. Vid. Lex. Myth.

95) Vid. s. str. 29-31. Obs. 49-51.

96) Hæc verba Odini ipsius (et omnium simul elementalium numinum) regenerationem innuere videntur.

y) Vel valtívar	*Bene sphœrici (coelestes) Dii.*
Vitod er enn edr hvat.	*Intelligitis ne jam vel qvid tum?*

LVI.

Þá kná Hönir	*Tum* Hænerus *sacrificialem*
z) Hlaut vid kiósa 97)	*Sangvinem accipiet* 97)
Oc burir byggia	*Et posteri fratrum*
Brödra 98) tveggia	*Duorum* 98) *habitabunt*
Vindheim vídan	*Ventorum (aëris) vastam regionem.*
Vitod er enn edr hvat.	*Scitis vos ultra vel aliud?*

LVII.

Sal sér hon standa.	*Ædem videt illa stare*
Sólo fegra	*Sole clariorem*
Gvlli þacdan	*Auroqve tectam*
Á Gimle. þ)	*In (excelso)* Gimle.
Þar scolo dyggvar	*Ibi probi (fidi, pii)*
Dróttir byggia	*Homines habitabunt*
Oc vm aldrdaga	*Et per secula (cuncta)*
Yndis nióta. 99)	*Gaudio fruentur.* 99)

y) St. *ve valtiva* (sacra vel habitacula sphæricorum Deorum).
z) St.; R. M. T. (al.) *hlvt* sortem.
þ) St. inserit *(hám)* alto, excelso.

---

97) Vid. lect. var. Z. et supra str. 16. Obs. 27.
98) Qvi fratres duo hic intelligantur, me sane latet. An *Hœner* (lux) et *Lódur* (ignis innocuus) ut filii vel successores cosmogonicorum vel creantium Deorum *Vile* et *Ve?*
99) Vid. Edd. pros. fab. 3. 17. Ed. st. et Lex. myth. v. *Gimli.*

LVIII.

[Þá cömr inn ríki
100) At regindómi
Avflvgr ofan
Sá er öllo rædr;
Semr hann dóma
Oc sacar leggr
æ) Vescavp setr
Þau er a) vera sculo.]

LVIII.

100) *[Tum veniet potens ille*
Ad magnum (divinum) judicium
Validus ê superis
Qvi omnia regit;
Fert hic sententias
Et causas dirimit (contentiones supprimit)
Sacra fata (vel sanctæ pacis leges) statuit)
Qvæ (semper) durabunt.]

LIX.

b) Þar cömr inn dimmi
Dreki fliúgandi
Nadr c) fránn nedan*)
d) Nida fiollom. 101)
Berr sér í fiodrom
Flygr vavll yfir

LIX.

Illic venit (veniet) ater ille
Draco advolans
Angvis nitens sursum
E montibus Nidensibus *(tenebrosis.* 101)
Fert pennis (alis) suis, —
Pervolans campum —

æ) St. *verkaup* (an *verdkaup*, præmia, mercedem?)
a) R. M. T. (al.) *vara* (vel *vera*) *mvno.* b) St. omitt. *þar.* c) O. *frá.*
*) Hic vocula qvædam, quæ jam legi nequit, textui olim inserta esse videtur.
d) St. ins. *frá* Res. pr. *nadfrán.*

---

100) Hanc stropham plures critici condemnant, ut deficientem in codice Havniensi membranaceo et christiana dogmata nimis redolentem. Eam ego omnino rejicere minime audeo. Exarator dicti codicis, eadem illa falsa ratione adductus, ipsam forte omisit, cum alii prisci librarii, qvorum scripta jam dudum perdita sunt, eam retinuerint. Idem manifeste casus est circa plura hujus carminis loca e. gr. str. 53. v. 5. 6. Cfr. Introductionem nostram, it. obs. 69. et *Hyndloliód* str. 39. 40.

101) Cfr. str. 33. Obs. 55.

NÍDHAVGGR [102]) náí
Nú mon *e*) hon [103]) seycqvaz.

NIDHÖGGUS [102]) *funera (cadavera)*
Nunc ea [103]) *submergetur.*

e) Res. pr. *hann.* Membrana, qvæ vocem abbreviatam reddit, sane in ea satis ambigua videtur, an nempe *han* vel *hon* legenda sit.

---

102) Vid. str. 35. Obs. 57.

103) Textus *hon* (ea, illa) forte legendum (uti in Resenii priore editione legimus *han — is, ille* nempe *Nidhöggus* (infernalis) serpens — nisi fatidica eum se, jamjam advolantem, et propinqvum mundi (aut anni) interitum annuntiantem, cernere perhibeat. Puto atro illo tenebrarum dracone originitus significari ipsas tenebras, post solstitiale æstatis momentum mundi iterum imperium nactas, — de qvâ hypothesi et superstitione vulgari circa solstitiales dracones — nostra introductio consulatur. Ejusdem originis sine dubio fuere serpens Pythius ab Apolline cæsus, Hydra Lernæa cum venenoso cancro ab Hercule victa, ut et draco *Calinagha* à *Krischna* Indorum debellatus p. p. Similis naturæ sunt aliæ bestiæ, solem et lunam perseqventes, in Indorum, Scandorum et plurium populorum mythis. Verbis "nunc "ea submergetur vel forte: descendet" si ita legenda sunt, Sibylla borealis verisimiliter loqvitur de suo ipsius de cathedra oratoria sive edito tabulato aut sedili, descensu, carminis nempe recitatione finita. Si præferas lectionem *han (hann)*, sententia vatis hæc erat: jam iste (draco) succidet v: se demittet ab alto. Confer tandem carmen *Vegtamsqvida* str. 9-19. — ubi Odinus emortuæ *Valæ* (vel sibyllæ) spectrum de mundi futuris fatis interrogat, in modum similem ut hic antea str. 26. relatum est.

HÁVA-MÁL.

INTRODUCTIO.

Nomen *Hávamál* a rhapsodis veterum borealium hic vidimus attributum variis cantilenis, vel gnomicis poëtarum sententiis, in unum compositis. De generalis illius nominis significatione hic primum agendum.

Hávi hic pro nomine proprio habetur, sed est qvidem eadem vox cum adjectivo *hávi (inn, hinn hávi)* i. e. celsus, altus, coeli excelsi numen, Odinus nempe, cujus inspirationi vel edoctioni prisci homines poësin, scientias et literas in genere, et hoc poëma in specie, lubenter addixere. *Mál* nota est vocula, *sermonem, orationem* vel *carmen* p. p. indicans. *Hávamâl* igitur: *Celsi (Dei) sermones* vel etiam simpliciter: *sublime carmen* (canticum canticorum) in plurali: *hávo mál*, ni resisterent verba ultimæ strophæ: *nú er o hávamál qvedin* &c. Postremis ethnicismi et præcipue primis Christianismi temporibus, ideæ veterum Septentrionalium circa patrum naturalia vel elementalia numina, magnopere mutatæ fuere, partim propter pravum intellectum prisci et hodierni orientis gentilium doctrinæ de numinum *emanatione, inspiratione* vel *incarnatione*, cujus ope Asiatici illi Gothorum hierarchæ, has terras ingressi et subjugantes, Deorum nomina (uti olim Græcorum ac jam etiam Indorum principes) et divinam qvandam auctoritatem sibi adscripsere — et partim ac præcipue qvidem propter assiduas Christianorum insinuationes, qvod Dii illi, qvos ethnici Scandi adoravere, nil aliud fuerint qvam mortales homines, qvi, aut in vivis, aut etiam post mortem, divinum honorem a seductis eorum subditis vel sectatoribus nacti sint. — Hinc plurimorum recentiorum opiniones, qvod gentiles hocce carmen ab ipso Deo

vel divo heroe Odino oraliter prolatum crediderint. Sic Resenius (vel Gudmundus Andreæ) "Isto autem nomine *(Hávi)* se et suos collaterales Odinus appellasse "legitur, cum a Gilvo Sveeorum Rege hospitarctur, et tunc etiam hæc metrificata "moralia et res gestas Odini, tanqvam pro festivo delectamento, nec non doctri-"nali solenni in convivio recitata fuisse Edda commemorat, ut appareat *As* fuisse "ejus authorem et editorem, ipsum scilicet Odinum." — Hæc relatio exiguis sane argumentis nititur, sed verisimiliter iis tantum: qvod Edda junior in initio sectionis *Gilfa-ginning* referat Gilvium (minime autem Odinum) Valhallam ingressum primam stropham carminis nostri (*Gáttir allar* &c.) elocutum fuisse et denuo, qvod in ultima stropha legantur: "Nunc *Celsi* (Odini) sermones decantati sunt, in "Celsi aula" &c. — Tota Eddæ prosaicæ relatio de Gilvio Valhallam visitante, nil certe aliud est qvam allegorica relatio de vate ipso, Coeli vel coelestium numinum hospite, sphæricam eorum aulam et ipsorum essentias contemplante, ac theologiam et naturalem philosophiam, inde qvæsitam, poëticis figuris et emblematibus involvente, uti nos in prolixo opere de Mythologia borealium jamjam probavimus. Sic etiam Celsus hic coeli et aëris Deum, *mundanam* Indorum et Stoicorum *animam*, Odinum nempe, indubitate denotat; ejus *aula* autem coelestem vel aëriam cameram, [1]) aut magis stricte, intectum Deorum delubrum sub Dio situm. [2]) Ethnicus poëta igitur suum carmen adscripsit Divinæ inspirationi (uti nos sacerdotum et theologorum nostrorum sermonem Dei verbum adpellamus) et id in numinis ipsius aula â se prolatum gloriatur, ut eo magis auscultatorum et discipulorum fidem ac reverentiam adqvirere posset. — Reticendum tamen non est

---

1) Hæc mundi denominatio (uti plurima veterum borealium dogmata) ad ungvem convenit illi Stoicorum opinioni, qvam vetus aliqvis Ciceronis scholiastes ita nobis servavit: "Est placitum stoicorum mundum esse *civitatem Deorum* et hominum cui præsit *summus Deus* creator. (Vid. Cicero de natura Deorum Ed. Creutz. Lips. 1818 p. 766.)" *Asgardr* ad verbum denotat *Deorum civitatem*. Noster *Hávi* respondet illi summo Deo qvi Græcis alias ὕψιστος (θεος). Philosophia stoica ex oriente orta eâdem certe, cum eddica, origine gaudet. Sic igitur Johannes Olavius Grunnavicensis, sine ullo respectu ad scholiastem illum, ita commentatus est in vocem *Hávahöll*; "Aula *Havi* id est *Excelsi* totum universum denotat, qvæ qvasi domus sit "omnipotentis Dei." Vid. s. *Völospá* str. XIX.

2) Talia etiam fuere veterrima Italorum *templa*; Templum enim originitus (Festo testante) significavit locum, qvi ab omne parte aspici, vel ex qvo omnis pars (coeli præsertim) videri potest. Ejusdem nationis fuit nostratium *hörgr* (ab *hár* altus, elevatus).

qvod qvædam loea, nempe str. XIII–XV. p. p. — sub Odini ipsius nomine edicta videantur; sic etiam prophetæ Hebræorum Dei ipsius verba in prima persona eloeuti sunt. Verisimillimum præterea est, qvod rhapsodica hæc variarum cantilenarum collectio recitata sit ab ethnicis mystis vel publicis oratoribus, aut vel partim in solemni eonventu, qvæ ad Deorum delubrum freqventari solebat, aut etiam (ut præsertim de sectione IV. et V. censendum est) in arctiore et magis secreto discipulorum cyclo, ut Brachmani, Magi, Druidæ et plures saeri populorum doctores ac hierarchæ, soliti sunt carmina theosophica et ethica electis juvenibus tradere.

Certum alias est qvod poëma hocce, jam *Hávamál* generali appellatione vocatum, pluribus cantilenis, sententiis vel earminum fragmentis, rhapsodiee eonsutum sit, et per oralem traditionem, ê gentilismi tempore, ad Christianum veterum odarum collectorem vel scriptorem pervenerit. Uti id jam possidemus, in V. sectiones dividendum censeo, has nempe certissime:

I. (Str. I–XXXV. incl.) continet regulas et sententias morales, observandas ab hospitibus advenis, viatoribus et peregrinatoribus. Str. I. eommendat advenæ necessariam prudentiam et cautelam, anteqvam is ignotam domum ingrediatur. II–IV. continent ejus salutationem ac enumerationem commodorum, qvæ advenæ necessaria et grata, sed â liberali hero illi rite solvenda. Str. V–X. prædicant ingenii, sapientiæ et prudentiæ necessitatem, viatoribus in specie, ut etiam cunctis hominibus in genere. Str. XI–XIV. ebrietatis et vinolentiæ noxias seqvelas decantant; duæ posteriores Odino ipsi loqventi primo aspectu adseribendæ videntur, sed hâce forte poëta de se ipso allegorice dicta voluit. Str. XV–XVIII. sapientiam et peritiam laudibus extollunt, sed ignavorum perversos mores apte describunt. Str. XIX–XXII. commendant temperantiam in potu, cibo et risu vel laseiva aliorum derisione. XXIII–VII. varia insipientium vitia arguunt. XXVIII–XXXII. continent varias regulas et sententias eirea colloqvia et eonversationes hospitum. XXXIII–V. viatoribus consulunt mature jentari, non infidos sed benignos amicos visitare, at non nimis diu in eodem loco hospitari. Sic clauditur (ut mihi videtur) prima poëmatis sectio.

II. Præcipue agere videtur de hominibus domi vitam agentibus, sive domesticæ rei rite alligatis. Str. XXXVI–VII. propriæ occonomiæ præstantiam celebrant. XXXVIII. Primæ sectioni magis apte annectcretur, ncc autem præeedentibus nec seqventibus, prohibet enim viro arma sua in campo vel via unqvam deserere. XXXIX. Ejusdcm farinæ videtur essc, et eompensationem hospitalis beneficii non dissvaderc. XL–XLVI. Svadent pecuniæ liberalcm usum; amicitiæ veræ vel fietæ ac conversationis, eujuscunqve gencris, similem compcnsationem. XLVII–VIII. Socialis, lætæ et vegetæ vitæ laudes canunt. XLIX. Continet paroemiam proverbii nobis noti: vestes virum creant. L–LII. Describitur amoris vel amicitiæ absoluta neeessitudo sed variabilis qvorundam amieitia, qvamvis amici aut sodales interdum parvo pretio adqvirantur. LIII. Parva ingenia exiguæ virtutis sunt sed (LIV–VI) nihilo minus nimia sapientia possessoris lætitiæ et beatitudini nocet. LVII. Socialis conversationis laudes iterantur. LVIII–LX. Vigilantiæ et oeeonomicæ providentiæ utilitas. LXI. Mundities et saturatio corporis splendido vestitu et ingressu præstantior. LXII–III. Percontatio et novarum rerum enarratio homini cum aliis conversanti nccessariæ. LXIV–V. Varia moralia consilia. LXVI–VII. Plurimis locis advena non excipitur admodum hospitaliter, sed tamcn apud singulares suos amieos. LXVIII. Ignis, solis, sanitatis et virtutis bencficia juncta reliqvis omnibus præstant. LXIX–LXXI. Nemo (vel pauens) ab omni parte infelix; vita semper morte melior. LXXII. Filius patrem juvat, etsi eo mortuo natus sit. LXXIII. Stropha (ut videtur dimidia) præobseura et huc vix pertinens. LXXIV. Postremum verisimiliter simul de hac stropha dicendum (cfr. infra str. CXVIII qvæ huie probabiliter rite foret præponenda); commendat in cæterum viatoribus et nautis utilem providentiam, qvoad victum et itinerис longinqvi et difficilis possibilitatem. LXXV. Divitiæ sæpe homines infatuant, paupertas nemini vitio vertenda. LXXVI–VII. Opes et vita pereunt, fama tamen immortalis est. LXXVIII. Ingentium divitiarum hæredes sæpe ad misserrimam pauperiem rediguntur. LXXIX–LXXX. Homini stulto vel ignoranti fortuna addit fastum, sed non ingenium aut eruditionem. LXXXI–III. Varia eonsilia (ethiea, physica et oeeonomiea) brevissime expressa. LXXXIV–XC. Inconstantia et infidelitas mulierum ac variarum aliarum personarum et rerum. XCI. Vi-

rilis fallacia erga fœminas. XCII. Procationis certissima methodus. XCIII–V. Amoris summa potestas et efficacia. XCVI–CII. Episode, continens narrationem de frustraneo (et immorali qvidem) ambitu Odini (ut videtur) circa mulierem qvandam nobilem (Rindam forsitan; ê Saxonis Grammatici relatione). CIII. Heri domesticus habitus et conversatio. CIV. Homo nimis taciturnus vulgo pro fatuo et inscito habetur. Hæc stropha sane manca est ut dimidia parte carens; — hujus loco rhapsodi (ut videtur) assuere seqventem nostri poëmatis sectionem.

III. Episode mythica, Odini nomine composita, de medo Suttungi (vel potu inebriante cujusvis generis) ê subterraneis Titanum vel Gigantum domiciliis acqvisito. Refertur eadem fabula ab auctore Eddæ prosaicæ (Ed. Holm. pag. 83–87; Transl. Nyrupii Dan. pag. 107–112). Contuli eam cum præsenti cantilena et ambas exponere conatus sum (1815) in prælectionibus meis, Eddica carmina et mythologiam borealem illustrantibus, qvam disqvisitionem typis etiam mandavi. Demonstravi illo loco qvod Asæ mythici proprie fuerint coeli, aëris, solis, lucis et benefici caloris elementaria numina; Jotni autem (sive Titanes et Gigantes) abyssi, innavigabilis Oceani, frigoris, tenebrarum et subterranei ignis dæmones. Odinus in specie coelo et aëri præfuit. Is in abyssum et ima terræ profunda descendit, ut Tellurem fruetificet ad procreandas herbas et fructus, qvæ potus promunt inebriantes vel spirituales, qvorum ope vates ad sublimem poësin validissime inspirantur. Alias Odinum voeant antiqvissimi nostri poëtæ Telluris maritum et hane (alias mythicis nominibus Friggam, Hertham &c. nuncupatam) illius uxorem, eum eorum conjugio omnes (elementares) Dei et reliqva creati Mundi entia progeniti sint. Eadem apud Græcos, Indos et plures antiqvitatis gentes prævaluit sententia. Reliqvas huc pertinentes observationes proposui in notis selectis ad ipsa carminis loca, et in lexico nostro mythologico ad hujus voluminis calcem. Ut conspectum singularum stropharum continuem, hic contenta hujus sectionis breviter recenseantur. Str. CV. Dicit Odinus se visitasse *Suttungum* (vi vocis *atrum* sive etiam *bibacem*) antiqvum illum (abyssi) Titanem, et multis verbis locutum esse (ad plaeandam vel alliciendam succulentam ejus filiam, *Gunladam* nempe, nympham imæ terræ occultis et semina foventibus virtutibus præsidentem). CVI. Hæc nympha, aureo solio insidens, Odino dedit potionem (portionem)

eximii sui medi, eo tamen bona malis compensante, cum is, post illicitos amplexus, amasiam deserens clanculum aufugerit, ad superas suas regiones. CVII. Agit de terebrâ Odini miraculosa, *Rati* dicta, radio nempe solari, terram perfodiente, et periculis, qvæ Deus in sua ad inferos descensione subierit. CVIII. Memorat asperi laboris praemium; *vas* nempe *sapientiæ*, *poëseos* vel inspirationis, (*Ódreyrir*) mortalibus ab ipso numine communicatum. CIX. Laudatur Gunladæ (Telluris) perutile donum et auxilium. CX. Describitur *frigoris dæmonum* ascensus ad superos, vel *Celsi* (coeli) aulam, ut percontarentur de ipsius Dei fato, an nempe Suttungi (abyssi) vi vel artibus succubuerit, aut etiam ad coelestem suam arcem reverti ei contigerit. CXI. Concluditur episode, ode vel fragmentum gelidorum Titanum moestâ lamentatione, ob juramenta ab Odino fracta, Gunladæ conturbationem, et medi subterranei ereptionem. Non est adeo improbabile, qvod hæc cantilena olim inter festiva nostratium convivia, cum cereales et melliti liqvores mentem ad gaudia et inspiratam poesin excitarent, publice decantata fuisset, ad divinam illorum originem, et numinum in iis præstantissimum donum, humano generi præstitum, ritc celebrandam.

IV. Seqvitur carmen, olim indubie singulare et selectum, vulgo dictum *Lodfafnirsmál*, sive sermones *Lodfabneri* (Juveni pubescenti) recitati, — varia consilia (ethica, physica et superstitiosa, sive gentilem mysticismum redolentia) continens. Str. CXII. recitator in oratoria sella ad Urdæ (Uraniæ vel fati) fontem o: aëra vel æthera, sub dio nempe, refert se silentem et meditantem auscultasse virorum sermonibus (CXIII) de Runis, disciplinis vel mysteriis, aut etiam simpliciter literis, et earum incisione vel scriptione, ut etiam de variis (utilibus) consiliis, cum ad Celsi aulam (coelestem arcem) et in eadem (sub Dio nempe) audierit seqventia dicta (qvæ forsan, qvasi is juvenis ea didicerit, jam senex alios docere voluit). Incipiunt illa consilia. CXIV. Nocturnam surrectionem vel exitum dissvadet. CXV–VI. Abhortatur concubitum cum sagâ (callida muliere) ne illius artibus juvenis nimis fascinaretur. CXVII. Prohibet arcana colloqvia cum alicna uxore. CXVIII. Svadet viatori aut nautæ largum victum sibi prospicere (cfr. supra str. LXXIV. qvæ huc revera pertinere videtur, sed rhapsodorum culpâ loco incongruo intrusa esse). CXIX. Improbo homini infortunia propria revelare dis-

svadet, et (CXX) malam fæminam docet simili modo vitandam esse. CXXI–XXIII. Fidi ac boni amici adqvisitionem et dignam tractationem magnopere commendant. CXXIV–VII. Dissvadent conversationem et amicitiam cum scurris vel insipienti homuncione, sed: CXXVIII. opificia in aliorum usum, CXXIX. commendat compassionem cum miseris (amicis), sed improbat hostium asperam persecutionem (conferri tamen merent lect. var. ad hunc locum). CXXX. Vetat malis alienis gaudere, sed jubet bona officia aliis præstare (vel benignum erga eos animum fovere). CXXXI. Cavet ne qvis inter pugnandum rursus prospiciat, nec ab inimicis fascinetur. CXXXII. Docet qvomodo bona fæmina rite ambeunda sit. CXXXIII. Monet sibi moderanter cavere, inprimis autem circa potum inebriantem, alterius uxorem et callidos fures. CXXXIV. Vetat hospites advenas vel (inopes) viatores irrisioni vel contumeliæ habere, nam (CXXXV) vitia et virtutes in cujusvis mortalis pectore mixta cohabitant, nemo autem bonus sine nævo, et nemo malus sine ulla utili qvalitate; (CXXXVI) senes tamen oratores minime deridendi qvamvis indecoram gestent formam et inter viles versentur. CXXXVII–VIII. Advenæ nunqvam verbis lædendi vel domo expellendi, egeni autem bene sunt tractandi; qvamvis domus tua omnibus patere neqveat, mendicum tamen obolo lætificare juvabit. CXXXIX. Fausta vota pro attento, probo et prudenti auscultatore vel discipulo. CXL. Mystica carminis conclusio, de qva textus ipse et adnexæ nostræ notæ consulendæ.

Vta et ultima sectio inscribitur *Rúnatalsþáttr Ódins* (Segmentum, Odini Runicas sive magicas artes enumerans) vulgo *Rúna-Kapituli*. Carmen hocce Odino deo (ut observatione 90, 99 et 104. monuimus) minime adscribendum, sed alicui ejus mystæ sive sacrificulo, poëseos et runicarum literarum gnaro. Str. CXLI–II. vatis conceptionem et partum mystice describunt, sed CXLIII–IV. ejus literariam ac physicam educationem et profectus. CXLV–VI. Memorant Runicas literas vel hieroglypha, a Diis et eorum rhetoribus vel sacerdotibus formatas inter (CXLVI) Deos, genios, dæmones, cyclopes et homines. CXLVII–VIII. Agunt de Runis et sacrificiis, ut in notis exponere conati sumus. CXLIX. Incipit recensus carminum magicorum, et auxiliari qvidem eorum genere. Str. CL. Manca

videtur, sed de medicorum incantamentis (vel scientiis) egisse. CLI. de magica arte arma hebetandi (CLII) vincula corporis solvendi (CLIII) tela hostilia cohibendi; (CLIV) de magia nociva circa crudas arborum radices; (CLV) de flammis incendii extingvendis (CLVI) de odiis et dissidiis ad melius redigendis. CLVII. De tempestate et maris æstu sopiendis et dirigendis. CLVIII. De conturbatione magorum et sagarum, per aëra grassantium. CLIX. De miraculosa militum servatione CLX. De necromantia, præsertim de suspensi cadaveris vivificatione vel suscitatione. CLXI. De efficacia baptismi gentilis. CLXII. De theologia ethnica. CLXIII. De Dvergi vel Dæmonis (aut genii) *Thiodreyreris* mystica et salutari cantione. CLXIV-V. De magia erotica a viris exercenda. CLXVI. Similis, ut videtur, argumenti, in foeminarum usum. CLXVII. Conclusio (de qva finales nostræ observationes consulendæ).

Qvod veteres talia carmina Odino, qvasi primo auctori, adscripserint, non per se mirum, cum per ipsum intellexerint *animam mundi*, non modo coelum creatum, atque æthera et aëra, orbem terrarum circundantes dirigentem, sed etiam *animas hominum* huc emittentem ac sæpe etiam recipientem; — illud numen, Vala váti testante, dedit homini animam; *animus meditans* (*Hugin*) et *memor* (*Munin*) ejus aves (vel angeli) vocabantur; ei nos præterea debemus sacram vel poëticam inspirationem et scientias ac literas in genere. Sic voluere veteres. Labente ævo, Dei sacerdotes se prædicabant ab eo in mysticis ac magicis artibus, qvibus miracula effici possent, rite edoctos esse, ut iterum tales alios docuerint. Hoc satis clare elucebit ê duabus postremis nostri poëmatis sectionibus.

Sic poëma, vulgo sub nomine *Hávamál* notum, est rhapsodica qvædam collectio plurium gentilis antiqvitatis carminum et gnomicarum sententiarum. Qveis cæterum seculis (diversis verisimiliter) originem hæc debeant, discernere neqveo. Editiones illius, typis vulgatæ, duæ tantummodo mihi cognitæ sunt, nempe

1) Reseniana, Havniæ 1665, 4 cum latina translatione (mendis certe scaturiens) et
2) Holmiensis (1818) illâ multo præstantior, ab Afzelio e Raskii nostri recensione promulgata in laudata Eddæ antiqvioris editione, qvæ tamen, Svecos codices secuta, hic etiam â nostris discrepare probatur.

Præter eruditissimi *Gudmundi Magnæi* vel *Johannis Johnsonii* (aut amborum etiam) doctam et ingeniosam translationem, qvæ ê maxima parte immutata (sed tamen adaucta vel magis completa) lectori hic exhibetur, ad manus etiam habui Joh. Olavii Grunnavicensis priorem versionem, ab illis, in eorum laudato opere, diligenter revisam et castigatam. De cætero nostro circa hoc poëma, qvoad notas et variantes lectiones labore, illustrissimis editoribus dijudicandum linqvimus.

Alias hujus poëmatis completas versiones ignoro, præter Danicam *Sandvigii* in ejus Eddá Sæmundina; et nostram qvoqve, eidem idiomati redditam, qvæ simili modo prælo mox subjicietur. Fragmenta qvædam translata sunt a *Malleto* Gallice, *Graetero* Germanice et pl.

HÁVA - MÁL.[1]

I.

Gáttir allar
Àþr gángi fram
Vm skodaz skyli
Vm skygnaz skyli.
Þviat óvíst er at vita
Hvar óvinir sitia
A ſleti fvr.

II.

[2]) Géfendvr heilir
Géstr er inn kominn.
Hvar skal sitia siá.

ODINI SENTENTIAE.[1])

I.

Ostia tota
Antequam penetrentur (procedat advena)
Circumspiciendum est,
[Et] accurate perlustrandum;
Nam scitu incertum est,
Ubinam inimici sedeant
In ædibus præsentes.

II.

[2]) *Datores salvete!*
Hospes intro venit,
Ubi sedendum est ei?

1) En gömlo, *priscae l. antiquiores*, addit R. sive Editio *Resenii*. Ipse autem hic Editor in parva sua Introductione videtur sentire, Poëma hoc, tanquam pro festivo delectamento, ab Odino, cum apud Gylvium hospitaretur, recitatum fuisse; quod quo fundamento nitatur, ignoramus, etsi ille ad Eddam provocet. *Snorrius* refert in Edda sua Fab. II. *Gylvium*, in aulam *Celsi*, sive Odini, ingressum, primum hujus Carminis versum pronuntiasse, cum multa incredibilia ibi videre sibi videretur. J.

2) Sub advenæ persona præcepta dat alteri cuique advenæ, quomodo hospitem accipientem adloqui debeat, et mire atque callide a *Datoribus* incipit, rem incertam, nempe hospitalitatis præbitionem, quasi certam ponens, ad majorem benevolentiam sibi eliciendam. J.

Miök er brádr[3])
Sá er[a]) á brautom skal
Síns[b]) vm freista frama.

Valde [in desiderio] præceps est[3])
Cui per itinera necesse est
Suum profectum (commodum) experiri.

III.

Eldz er[c]) þavrf
Þeims inn er kominn
Ok á kné kalinn.
Matar ok váda
Er manni þavrf
Þeim er hefir[d]) vm fiall fariþ.

III.

Ignis est opus
Ei, qui introgressus est,
Et cui genua frigore adusta sunt;
Cibi et vestium
Opus est homini,
Qui per tesca transiit.

IV.

Vatz er þavrf[4])
Þeim er til verþar kömr

IV.

Aqua opus est[4])
Ei, qui coenatum venit,

a) Á bravtom, L. ex. var. quod adoptavimus ut unice rectum, nostro qvidem animo. Sed *á bravndom*, Membr. O. S. *At bravndom, ad bröndum*, R. *in prælimi-nari*, ex Ejus versione; *ad postes* potuerat dicere, pressius ad verba et significantius. Alterum illud *á bravndom*, fatemur nos nondum intelligere, vel etiamsi *Brandar* pro postibus capiantur. Fuit tamen, qui *Brandar* per *focum* interpretatus sit, et ultimam lineam dederit per *refocillari;* quæ versio an nostro sermoni congrua sit, Ejus manes viderint.

b) Of, L. ex. var. indifferenter.

c) Vant, R. *indiget igne.* Initio autem lineæ Eldi, *Alimento*, R. si lectio quidem sana esset, quod ambigimus.

d) Fiöll of farit, L. pro var. lepide satis. *Fiöll* quoque legit O. in plur. quod nostra versio exprimit.

---

3) Nota paroemia Nostratium est: *Bráð eru brautingia erindi*, o: *Præcipitia*, vel *moram respuentia, sunt viatorum negotia;* quæ huc apte convenit. J. Nota proavorum nostrorum hospitalitas simillima fuit priscæ Germanicæ, qvæ accurate describitur à Tacito de Morib. Germ. Cap. 21 et Cæsare de Bel. Gal. Cap. 23. "advenas sanctos habent; iis omnibus domus "patent, victusqve communicatur." F. M.

4) Hoc spectat manuum lotionem ex prisco more, antequam pransum iretur, quod negotium proprie cluebat: *At taka handlavgar;* conf. ut alios taceamus, *Njalsagam* Cap. CXVII. pag. Text. 176. J.

Þerro ok þiódlaþar.
Góþs[e]) vm æþis[5])
E[f]) sér géta mætti
[g]) Orþz ok endr-þavgo.

Manutergio (tersu) et liberali invitatione,
Benigno animo,[5])
Si sibi conciliare posset
Famam [secundam] et compensationem.

v.

[6]) Vitz er þavrf
Þeim er víþa ratar.
Dælt er heima hvat.
At avgabragþi verþr
Sá er ecki kann
Ok meþ snotrom sitr.

v.

[6]) *Ingenio opus est*
Ei, qui passim peragrat,
Liberum domi est quodcunque;
Ostentui (spectaculo) fit
Qui nihil scit
Atque inter cordatos (elegantes) considet.

e) *Ok æþis*, O. quod fere eodem redit. *Umrædis*, R. quod non exposuit ipse, neque recte, ut opinamur, Ejus versionis corrector, *J. Olavius Grunnavicensis.* Vox autem sonat *sermonem de* aliquo, s. *famam*, quod neque absurdum.

f) *Geta næde*, tantum, R. alterum est venustius.

g) Ord edur endurþágu, R. in Accusandi casu; altera dictio in Gignendi casu est inter rarissimas; eam tamen reprobare non ausi sumus, analogiâ ducti, quemadmodum Verbum *At fá*, synonymum Verbi *At geta*, tam cum Genitivo quam cum Accusativo construitur. *Eþr*, pro *ok*, etiam præfert L. ex var.

---

5) Nempe heri ac familiæ, de quo et qua sequentia adeo sunt accipienda. Scite etiam in ultimis non minus herili bono, quam suo consulit advena. J.

6) Huc usque præcepta advenæ data, ad hospitalem benevolentiam sibi comparandam, quæ ex ejus ipsius persona prolata sunt. Sequitur præceptum magis generale ex persona aliena. J.

VI.

At[h]) hyggiandi sinni
[i])Skylit maþr hræsinn vera
Heldr gætinn at gedi.
Þá er horskr ok þavgvll
Kömr heimis-garda til
Sialdan verþr víti vörom.
Þvíat óbrigþra vin
Fær maþr aldregi
Enn mannvit mikit.

VI.

Super ingenio suo
Nemo sit gloriosus,
Sed potius animô circumspectus;
Ubi prudens ac taciturnus
Venit ad hospita domicilia,
Raro culpa accidit cauto;
Nam firmiorem amicum
Nemo unquam nanciscitur
Quam magnam mentis solertiam.

VII.

[k])Enn vari géstr
Er til verþar kömr

VII.

Cautus advena,
Qui ad coenam accedit,

h) Hyggianda, R. S. quod est Participium præsens Verbi *At hyggia*, constructum cum Nomine *Sinni*, Resenio vertente: *Circumspectam mentem*; Olavio autem: *Cogitabundum ingenium.* Lectio quomodocunque procedit, sed nostra sapit antiquius, secundum quam *Hyggiandi* est nom. Subst. faem. alias in priscis monumentis obvium. *Hyggindi*, O. vix recte.

i) *Skillde einge hæsen vera*, R. quod ille exponit: *Subsannet nemo;* Olavius autem: *Cavillis exponat nemo.* In dubio vertitur, an vox *Hæsinn* in nostro sermone unquam exstiterit; et si vel maxime exstiterit, an eum sensum admittere possit. Illud *Skillde* per *i* in priore, pro *y*, et per *e* in fine, quemadmodum et in voce *einge*, partim peccat in sermonem s. ejus orthographiam, partim putidam quorundam recentiorum adfectationem olet; quod et qualia nobis semel monuisse visum est.

k) Vogestur, R. eo vertente, *fortuitus hospes*, quod nolumus improbare, si lectio sana esset. *Olavius* reddit, *formidolosus hospes*, cum quo facere videtur *Grettis-saga* his verbis: þeim-þótti *vogestr mikill kominn i hygdina* þar *er Grettir var.* Hæc acceptio vocis *Vogestr* blandiri posset, si hic esset sermo de advena infesto, cujus rei nullum cernimus vestigium.

Þvnno 7) hlióþi þegir.
Eyrom hlýdir
En avgom skodar.
Sva nýsiz m) fróþra hverr fvr.

Subtili 7) silentio tacet,
Auribus auscultat,
Oculis vero spectat (observat);
Ita speculatur prudentum quisque.

VIII.

Hinn er sæll
Er sér n) vm gétr
Lof o) ok líkn-stafi.
Ódælla er p) vid þat
Er maþr eiga skal
Annars q) brióstom 8) í.

VIII.

Ille felix est,
Qui sibi conciliat
Laudem et propitios sermones.
Minus tuta res est de eo,
Quod habere necesse est
In alterius pectore. 8)

IX.

Sá er sæll
Er siálfr vm á

IX.

Ille felix est,
Qui ipse possidet

m) *Nýsaz*, O. in plur. figurate satis, neque id sine exemplo. Mox *Hver fróþr for, Id. Fróþr hverr fyrir*, L. ex var., ambo quidem recte, atqui nostra lectio est exquisitior.

n) *Of gelr*, L. ex var. *canit*, vel etiam simpliciter, loquitur; quemadmodum *At sýngia*, pro *lesa l. tala*, olim usurpatum fuisse, bene observavit, ut multa alia, *J. Olavius Hypnonesius.*

o) *Edur*, aut, R. Alterum plus involit.

p) Um þad, R. *circa id*, tenui discrimine. Þat, tantum, O. i. e. *difficilius, minus tutum est, quod* &c.

q) *Brióste*, R. in num. sing. simplicius.

7) Nempe ad familiæ sermones attente sublegendos. *Exilis voce silet*, exponit *Resenius*, quod nos, ut in re ambigua, neque omnino improbamus; nimirum cautus hospes, quo facilius venetur verba domesticorum, clara et plena voce non loquitur, ne id suam adtentionem turbet, atque adeo est quasi sileat. J.

8) Cum auctor unam personam præmiserit in *annars*, huic tamen tribuit *pectora* in num. plur. quam figuram apud Graecos poëtas etiam videas, verbi causa *Theognidem* in *Gnomis*, vers. 507. καὶ νόον ἐν ϕήϑεσσι, *et mentem in pectoribus* habeat, vinum sc., de sua solius persona, et vers. 895. ἀυτὸς ἐνὶ ϕήϑεσσι, etiam de unico. J.

Lof ok vit meþan lifir.
9) Þvíat ill rád
Hefir maþr opt[r]) þegit
Annars[s]) brióstom or.

Laudem, et sapientiam, quamdiu vivit;
9) *Nam mala consilia*
Sæpe accepta sunt
Ex alieno pectore.

X.

Byrþi betri
Berrat maþr bravto at
Enn sé manvit mikit.
Avþi betra þickir
Þat í ókvnnom stad
Slíkt er válaþs vera.[10])

X.

Sarcinam meliorem
Nemo portat in (per) viam,
Quam magnam ingenii vim;
Divitiis præstare censetur id
In ignoto loco;
Ea est egeni sustentatio.[10])

XI.

[u]) Vegnest verra
Vegra han velli at

XI.

Pejus viaticum
Non vehit quisquam in (per) solum,

r) *Um* þegit, L. et var. et forte rectius ad metrum.
s) *Brióste*, in sing. ut modo ante, R.
t) Af, pro At, R. et L. ex var. i. e. *ex via.* Difficile dictu est, utra lectio sit rectior. *Brautum* modo ante, in num. plur. O.
u) *Byr*þi *b. b.* compendiose hic præmittit Membr. et L. repetit priorem partem vers. præced.; in margine tamen observat, eam in Chartis omitti. *Vegneſs*, O. *vegniz*, S. monstrosa vocabula. Deinde *Vera*, omnes Chh. per dialectum Toparchiæ Skaptafellensis. Sed R. hæc ita sistit vers. 12: *En vegnest hid verra vegur han velli ad*, þad *er ofdryckia auls*, atque sic interpretatur: *Nempe alias male cedit, et humi sternit hospitem, nempe nimia potatio inter pocula.* Si hæc interpretatio fida et recta est, omnes fidæ et rectæ erunt. Hoc tamen non adeo miramur in *Resenio*, homine minus gnaro lingvæ nostræ, ut in populari nostro et magno Antiquario, *J. Olavio*, (Grunnavicensi) cujus versio talis est: *Si vero res mala, quæ*

9) Cautela, nequis nimium aliorum consiliis nitatur in laude et scientia sibi quærenda. J.
10) Potest etiam dari significantius per *essentia* o: *vita*. *Veria*, pro *Vera*, conjecerat *J. Olavius*, o: *tutamen, res quæ tutatur*, haud inepte, licet cæterum minus sonet. J.

Enn sé ofdryckia avls.
Era sva gott
Sem gott qveþa
x) Avl alda sonom.

Quam nimiam temulentiam;
Non adeo expedit,
Ut expedire ajunt,
Potus inebrians mortalium filiis.

XII.

y) [Vegnest verra
Berat maþr borþi frá
Enn sé ofdrykkia avls].
Því at færra veit
Er fleira dreckr
Síns til géds gvmi.[11])

XII.

[Pejus viaticum
Non portat quisquam a mensa,
Quam nimiam ebrietatem];
Nam eo minus est,
Quo plus potat,
Mentis suæ conscius[11]) *homo.*

XIII.

Óminnis hegri[12]) heitir
Sá er yfir avldrom þrvmir.

XIII.

Oblivionis ardea[12]) *nuncupatur,*
Quæ potulentis adsidue incubat,

est nimia temulentia, prævaluerit, humi jacebit prostratus. De cetero *Res.* lectio, *En vegnest* &c. *þad er ofdr.* per se consistere posset, et satis simplex est ad intelligendum, hoc modo: *At viaticum pejus vehit quis in campum, id est nimia temulentia.* Denique *Sie*, pro *þad er*, C. N. apud *Resen. neque id male.*

x) At, O. absurde. Deinde *Sonom*, O. R. S. quod adoptavimus; sed *Sona*, Membr. et L. in contextu, in Gignendi casu, at idem liber *Synir*, in marg. Nominativo plurali, quod ad Verbum *qveda* relatum consistere potest; ipse tamen ibidem conjicit *Sonom.*

y) Has 3 lineas in Chh. inseri, observat L. in marg. quæ ab nostris Codd. exulant, quas tamen dignas judicavimus, qvæ in contextum cancellatæ inferrentur, nam continent in re ipsa nonnihil diversum a prioribus vers. præced.

11) Vel, si mavis, *rationis suæ compos*, ex *Olavii* liberiori versione. J.

12) Cum plures sint mali effectus temulentiæ, hunc solum, oblivionem sc. præ ceteris nominat, tanquam freqventiorem atqve certiorem. Similitudo talium effectuum, ab ardea sumta, inde forsan petita sit, quod ardea lacuum oris insidere fertur (ad pisciculos captandos). Forte etiam adlusio hic facta sit ad avem hanc, propter vapores potionum fortium in cerebrum adscendentes aut qvasi evolantes. Et mire *Flödrom* deinde allegorice ponit de istis operationibus. *Egerhardus Olavius*, Islandiæ Poëtarum recentiorum princeps, in

Han stelr gédi gvma.
Þefs fvgls fiavdrom
Ek fiötraþr vark
I gardi GVNNLAÞAR.[13])

Ea suffuratur mentem hominum:
Ejus avis pennis
Ego impeditus eram
In domo GUNNLADÆ.[13])

XIV.

Avlr ek vard
Varþ ofr-ölvi
At ins fróda FIALARS.[14])
Því er[z]) avldr baztr
At aptr vf heimtir
Hverr sitt géd gvmi.[15])

XIV.

Ebrius factus sum,
Et quidem immodice ebrius,
Apud callidum illum FIALAREM.[14])
Ea tantum lege foecunda potio optima est,
Quod (si) recuperat
Suam rationem homo quisque.[15])

XV.

Þagalt ok hvgalt
Skyli þiódans barn
Ok víg-diarft vera.
þ) Glaþr ok reifr

XV.

Taciturna et cordata
Sit principis (civis) soboles
Atque ad bellandum audax;
Hilaris et alacer

z) Ölur, Id. e. *ebrius*; male cum seqventi ab *Resenio* expositum per: *Inter pocula optimum est, quod sobrius denuo datur esse.* Quidni *sobrio l. sobrium?* quæ magis latina arbitramur.

þ) *Giafall og rýfur* (corrige *rífr*) R. *rýkur* (corr. *ríkr*) C. N. *liberalis et largus, potens.*

---

tegrum Carmen quantivis pretii de ista *Oblivionis ardea* concinnavit ad detestationem ebrietatis excitandam. J. (Cfr. porro Lex. mythol. ad calcem hujus voluminis v. *Ominnis hegri*).

13) Qvæ a patre *Suttungo* gigante constituta erat custos. *medi Suttungici*, sive divini illius medi, unde ortam esse poësin antiquitas fabulata est; consule *Edd. Snorr.* Fab. LX et LI. J.

14) Forte *Suttungus* hic intelligatur, per quandam epexegesin præcedentis; certe *Fialar* est gigantis nomen Eddicum, alias nani (vel dæmonis terrestris) qui primus una cum fratre possessor erat medi supra dicti. J.

15) Consule adnotationem (T. I. p. 49) ad hæc verba in *Grimnis-málom: Ovme ec of Hvginn at han aptr né komit* &c. J.

Skyli gvmna hverr
Unnz sinn bíþr bana.

Sit hominum quisque
Usquedum mortem suam patitur (oppetit).

XVI.

[a])Ósniallr maþr
Hyggz mvno ey lifa
Ef han viþ víg varaz.
En elli géfr
Honom engi friþ
Þótt honom geirar gefi.

XVI.

Ignavus homo
Putat semper victurum se,
Si prælia declinat;
Atqui senectus indulget
Ei pacem nullam,
Etsi ei spicula indulgeant.

XVII.

[b])Kopir afglapi
Er til kynnis kömr
[c])Þylsk han vm eþa þrvmir.
Alt eŕ senn
Ef han sýlg vm gétr
Uppi er þá géþ gvma.[16])

XVII.

Homo fatuus torpet,
Quando ad hospitium (convivium) venit,
Mussitat sibi, aut tacitus permanet (hæret);
Verum simul atque
Haustum ille accipit,
Exserit se ingenium hominis.[16])

XVIII.

Sá einn veit
Er vída ratar

XVIII.

Is solus novit,
Qui late commeat

a) Ósvinnur, R. et Osviþr, L. ex var. *insipiens l. insulsus*, non enim *ignavus*, ut dat *Resen.*
b) *Kópir* per *o* virgatum, *Köpir* St. L. S.
c) Þ*ylst*, R. vulgatius.

16) Vel forte magis stricte, *Revelantur animi ejus secreta.* J.

Ok hefir fiöld vm fariþ.
Hverio gédi
Styrir gvmna hverr
Sá er vitandi er vitz.

Et multum rerum perlustravit (expertus est),
Quô ingeniô (geniô)
Præditus sit hominum quisque,
Qui sensu communi gaudet.

XIX.

Haldi maþr á kéri
Drecki þó at hófi miavd
Mæli þarft eþr þegi.
Ókynnis þefs
[d]) Vár þik engi maþr
At þú gángir snemma at sofa.

XIX.

Tractetur, licet, poculum,
Bibatur tamen temperate,
Opportune loquendum est aut omnino silendum:
Tanquam vitium
Nemo hominum tibi objicit,
Quod mature dormitum eas.

XX.

Gráþvgr halr
Nema [e]) géds viti
Etr sér[f]) aldr-trega.
Opt fær hlægis
Er meþ horskom kömr
Manni heimskom magi.

XX.

Homo helluo,
Nisi rationem observat,
Comedit sibi gravem valetudinem.
Sæpe irrisionem conciliat,
Inter cordatos constituto,
Homini vecordi venter.

XXI.

Hiardir þat vito
Nær þær heim skolo

XXI.

Greges norunt,
Quando se domum ire oportet,

d) *Ver* Sth. *Var*, omnes nostri Codd. per *a* tenue, præter L. quem secuti sumus, virgulam literæ *a* super imponendo. Est tamen, ut *Var* videri possit truncatum ex *Varar* s. *Varir*, hoc sensu: *Nemo te dehortatur ab eo morum vitio (ea inconcinnitate) quod* &c. Denique Vyte (corr. *viti*) R. o: *vituperet l. incuset te ob id crimen, quod* &c. satis liquide et commode.

e) Sier (ser) R. solus inserit, *nisi ingenium suum (naturam suam) noscat.*

f) *Aldurtila*, (excidium, mortem) R.

Ok gánga þá af grasi.
En ósviþr maþr
Kann[g]) evagi
Síns vm mál maga.

Et tunc abscedunt a gramine,
Sed insulsus homo
Nunquam novit
Modum (mensuram) sui ventris.

XXII.

[h]) Vesall maþr
Ok illa skapi
Hlær at hvívetna.
Hitki han veit
Er han vita þyrfti
At han[i]) er vamma vanr.

XXII.

Misellus homo
Et improbo ingenio præditus,
Ridet ad quamcunque rem;
Istud [vero] ignorat,
Quod eum nosse oporteret,
Vitiorum se [non] expertem esse.

XXIII.

Ósviþr maþr
Vakir vm allar nætvr
Ok hyggr at hvívetna.
Þá er móþr
Er at morni kömr
[k]) Alt er víl sem var.

XXIII.

Insipiens homo
Pervigilat noctes omnes
Et animo versat omnia;
Tunc [vero] defessus est,
Cum ad diluculum venitur,
Idem prorsus desiderium (cura) ejus est, ut fuerat.

g) K. evagi, sic Membr. L. et S. sed K. ævagi, O. Sier alldrei veit um máls maga, R. eodem sensu, sed vitiose illud *Máls* in Genitivo, et præterea carmen in mensura laborat unius syllabæ defectu.

h) Vesall, S. væsall, Membr. et L. vesæll, O. et. R.

i) *Er at* St. *Er-vanr*, omnes reliqvi Codd. non *Era* s. *Erat*, negative, quod intellectu facilius videri possit.

k) Allt er þá víl sem var, L. ex var. i. e. *Querimonia (miseratio sui ipsius) tunc prorsus eadem est, ac fuerat. Vit*, pro *Vil*, vel *víl*, O. *solertia (scientia) planè eadem est* &c. Unde in re parum discedit R. exhibens: *Og er þá vís sem hann var, (atque tunc perinde sapit, ut antea).*

XXIV.

l) Ósnotr maþr
Hyggr sér alla vera
Vid-hlæiendr vini.
Hitki han fiþr
Þótt þeir vm hann fár lesi
Ef han meþ snotrom sitr.

XXIV.

Insipiens homo
Opinatur omnes adridentes
Sibi amicos esse;
Istud [autem] non sentit,
Etsi de se (sibi) pestifera convicia loquantur,
Si inter lepidos adsidet.

XXV.

m) Ósnotr maþr
Hyggr sér alla vera
n) Vil-mælendr vini.
Þá þat finnr
Er at þíngi kömr
At han á formælendr fá.

XXV.

Insipiens homo
Autumat omnes sibi esse
Amicos, qui sermone adsentantur;
Tunc [vero] id reperit,
Ubi in jus venit,
Quod paucos habet causæ patronos.

XXVI.

Ósnotr maþr
Þickiz alt vita
Ef han á sér í o) vá vero.
Hitki han veit
Hvat han skal vid qveþa
Ef hans freista fírar.17)

XXVI.

Insipiens homo
Videtur sibi omnia scire,
Si in casu subitaneo refugium sibi habet;
Istud [autem] ignorat,
Quid debeat respondere,
*Si ipsum tentent viri.*17)

l) *Osviþr*, L. ex var.
m) Hic Versus deest in R. Deinde Alla vega, pro *alla vera*, legit O. o: *usquequaque.*
n) Vil mælendr, L. ex var. quod admisimus propter sequens *Formælendr.* Sed *Vid-hlæiendr*, Membr. ac ceteri, ut modo.
o) *Vo*, R. id.

17) Qvid ingeniô et eloquentiâ valeat. J.

XXVII.

p) Ósnotr maþr q)
Er med r) aldir kömr
Þat er bazt at han þegi.[18])
Engi þat veit
At han ecki kann
Nema han mæli til mart.
s) Veita maþr hinn
Er vetki veit
Þótt han mæli til mart.[19])

XXVII.

Illepidus, qui
Hominum coetui intervenit,
Optimum est, ut taceat:[18])
Nemo scit,
Quod ille nihil sciat,
Nisi loquatur plus nimiô;
Ignorat homo ille,
Qui nihil noscit,
Etiamsi ipse loquatur plus nimiô.[19])

XXVIII.

Fródr sá t) þickiz
Er fregna kann
Ok segia it sama.

XXVIII.

Ille doctum se putat
Qui novit percontari
Et narrare itidem;

p) Sequentes 4 versus non comparent in R. neque apud *Olavium* eorum fit mentio.

q) *Maþr*, hic necessario intulimus in gratiam metri, et illud h. l. ingratum *Er med* ad lin. seqv. retulimus, invitis L. et S.

r) *Aldir*, omnes Codd. non *Avldom*, quod unice rectum videretur in Auferendi casu; non tamen obstinate negamus, antiptosin hic esse posse.

s) Hæ tres lineæ desiderantur in Chh. observante L. in margine. Vito mann Er. &c. O. *agnoscunt (alii) hominem qui nihil noscit, etsi abunde loquatur; i. e.* norunt tamen ejus stultitiam, non obstante facundiæ specie.

t) Ita Membr. in textū, suprascripta sigla, quas *er* l. *ir* denotat, altero tamen intacto. Þyckir, L. in textu, item S. prior tamen in marg. adnotavit *Þyckiz* ex Mbr., quod etiam visitur in O. *Þyckir* sonat: *Censetur (doctus)*, et difficile est discernere, utra lectio sit rectior.

---

18) Huc pertinet, vel hinc arcessita est, Paroemia nostratium: *Þögn er heimskum bezt* ɔ: *Silentium stolidis est optimum.* J.

19) Aliis verbis: *Ipse fatuus*; de quo antecedentia hujus versus agunt, *non sentit, quid peccet garrulitate nimia.* J.

u) Ey-vito leyna
Megot ýta x) seynir 20)
Því ery) gengz ym gvma.

Ignorantiam dissimulare (reticere)
Nequeunt mortalium filii, 20)
Quoniam [ea] grassatur inter homines.

XXIX.

z) Ærna mælir
Sá er æva þegir
æ) Stadlavso stafi.
Hradmælt túngo
Nema haldendr eigi
Opt sér ógott vm þ) gélr.

XXIX.

Nimium loquitur,
Qui nunquam tacet,
Futilium verborum;
Lingva volubilis (præceps),
Nisi cohibitores teneant,
Sæpe sibi importunum garrit.

XXX.

At avga-bragdi
Skala maþr annan hafa
Þótt til kynnis komi.
Margr þá fróþr þickiz

XXX.

Spectaculo (ostentui)
Nemo alterum habeat,
Etsi [ignotus] ad hospitium veniat;
Multi sibi tunc eruditi videntur,

u) *Ey-vito*, membr. junctim, et per *y* in prima; sed L. et S. divisim. *Ey-vito* St. *Ei vito*, O. divisim et per *i* in prima. *Ei vetto*, L. ex var.; forte pro *Eigi l. echi vætta, nihil rerum*, quod melius in sermone processisset. *Ey viti* St. in var. Deinde in seqv. lin. *mego*, omnes Libri, adfirmative, quod nos in re valde ambigua mutare conati sumus in negativum.

x) Ita Membr. et L. sed *Synir*, O. S. usualiter.

y) *Gengz*, Membr. sola. *Gengr*, L. S. simplicius; *Genkr*, O. corrupte per *k* in medio.

z) *Ærna*, S. at *örna*, *orna*, Mbr. L. O. *St.* haud imitandum.

æ) *Stadlavso*, omnes; non *Stadleyso*, quod magis notum; nec *Stadlavsa*, in Adjectivo, quod expressimus. Tamen *Lavsa*, pro *Leysa*, scriptum invenitur apud priscos, in vocibus *Loklavsa, nugæ*, et *Vatzlavsa, Aquæ defectus*, nom. propr. loci.

þ) Getr, *adquirit*, O. conf. supra vers. VIII. sub var. *m*.

---

20) Atque ideo sc. propter ignorantiæ pudorem, a quæstionibus abstinere, non debent. J. Vide cæterum Gl. voce *Ey-vita*, obscurissimâ certe cum nusquam alias nobis occurrerit, quam in hoc Poëmate, cfr. notam 55. infr. J. F. M.

Ef han freginn[a]) er-at
Ok nái han[b]) þvrr-fiallr[21]) þrvma.

Si interrogati non fuerint
Et liceat sibi in sicco amictu[21]) *sedere.*

XXXI.

[c])Fródr þickiz sá
Er flótta[d]) tekr[22])
Géstr at gést[e]) hædinn.
Veita görla

Scius videtur sibi,
Qui fugam capessit,[22])
Advena, advenam irridere promtus,
Parum perspicit,

XXXI.

a) *Er at*, divisim, omnes Codd. et adfirmative; sed nobis satius visum est has voculas conjungere in negandi sensu.

b) þ*urfialls*, O. nom. Subst. gen. casus, eodem sensu. Mox þ*ryma*, L. ex var. *Sitia*, Id. ex altera var. glossa nostram versionem Verbi þ*ruma* confirmans, sed metro tamen repugnans.

c) Frægur, R. *celebris, nobilis;* non *felix*, ut apud *Resen.*

d) *Flótt*, S. quod eodem abire potest. Mox *Tekr*, Membr. L. S.; sed *Rekr*, St. O. R. *(fugientem l. fugientes) pellit;* o: qui suis cavillationibus compellit hospitem l. hospites ad fugam capiendam.

e) *Hœsinn*, R. o: ex nostra explicatione: *usque ad ravim (hospiti) inclamans;* sed ex *Resenii: Hospes hospiti imponit;* unde liquet, Eum nullam notionem tenuisse nominis *Hæsinn*, quod et oppido insolens est, si quidem unquam in mundo fuerit, præterquam ex corruptela. *Olavio* exponitur *insultans;* debuerat addere, *cum clamore ad ravim usque. Hrœsinn*, hic ultimus etiam adfert, nescimus unde petitum, idque etiam dat per *insultans*, inepte sane; supra de *ostentatore s. jactabundo* commode adhibetur Vers. VI. 2.

---

21) Posterior pars versus priori in sensu connectenda videtur, etsi ea connexio in ultima linea laborat, propter subobscuram vocem þ*vrr-fiallr*, cujus proprietatem nos in versione sequuti sumus; ut sensus lineæ sit: *Et (si) liceat sibi, beneficio ignis aut vestium siccarum ab hospite (hero) præbitarum, otioso sedere*, quasi advena id sibi ducat æstimio. Est tamen, ut subesse possit sensus metaphoricus, id est: *Si liceat sibi a verbis aculeatis intacto permanere;* verbo tenus, *sicca cute s. sicco corpore esse.* Sane verbum *ausa*, quod *liquoribus* est proprium, ad *verborum contumelias* adplicatur in *Loka-senna;* verba adferamus: *Hrópi ok rógi Ef þú eyfs á holl regin, á þer munu þau þ e r r a þat.* Quæ acceptio vocabuli þ*vrr-fiallr* melius in rem præsentem qvadrare videtur, quam prior. J.

22) I. e. cui fugam capessendi facultas est; vel *Qui alios fugientes opprimere potest,* quando *Flótti* personaliter acceptum *fugientem* significaret. *Flótti* sane in Compos. invenitur tali sensu, ut *Farflótti*, apud Auctores nostrates. J.

Sá[f]) er vm verdi glissir
Þótt han meþ[g]) gravmom glami.

Qui inter coenam renidet (cachinnat)
Etsi indignabundis (severis) obstrepat.

XXXII.

Gvmnar margir
[h]) Erosc gagn-hollir
Enn at[i]) virþi rekaz.
Aldar róg þat
Mvn æ vera
[k]) Orir géstr viþ gést.

XXXII.

Multi homines
Sunt inter se admodum benevoli,
Sed tamen mutuo se [vel] in convivio exagitant;
Ea inter homines contentio
Erit perpetua,
Ut advena advenæ infestus sit.

XXXIII.

[l]) Árliga verþar
Skyli maþr opt fá
Nema til kynnis komi.

XXXIII.

Mature jentandum
Sæpe est homini,
Nisi ad ædes hospitas venerit:

f) *Vid verde gistir*, R. *pro pretio hospitatur, s. conducto hospitio utitur. Conviva*, simpliciter Resenio; *qui coenam capit*, Olavio.

g) *Graunom*, O. *labiis*, haud absurde. *Glömmum glammi*, R. *turbulentis obstr.*

h) *Lietust (Létuz)*, R. *simulabaut.*

i) *Virþi* fecimus ex ambigua scriptione Membr. quæ virgulam perpendicularem superposuit literæ *v.*, et tamen plenum exhibet *viþi*, adeo ut legendum esset *viriþi*, quod nihil sonat; istam autem virgulam L. in contextu sub figura *i* minusculæ exhibet, et fidus ille Librarius in marg. observavit, Membranam ita habere, quod impudens mendacium est, si quidem nostram hanc ad manum habuerit; penitus enim is excludit *viþi*. At *viþi* sincere adstruunt O. et L. in marg. ex Chh. Sensus erit: *Se in sylvam (loca deserta, exilium) mutuo pellunt;* lectio haud improbanda, sed alteram tamen prætulimus ob sequentia hujus versus. *Viþi, in mare*, S. St. ɔ: *peregre navigare cogunt, extorres agunt.*

k) *Örir*, O. St. mendose; *Öriz* propius fuisset, ɔ: *in furorem agitur.*

l) Hic versus deest in R.

m) Sitr ok snópir [23])
Lætr sem sólginn se
Ok kann fregna at fá.

Desidet et (cibum) inhiat, [23])
Ostendit se famelicum esse,
Et pauca sciscitari novit.

XXXIV.

n) Afhvarf mikit
o) Er til íllz vinar
Þótt p) á bravto búi.
En til góds vinar
q) Liggia gagn-vegir
Þótt han se r) firr farinn.

XXXIV.

Magnum itineris diverticulum
Est ad infidum amicum,
Quanquam ad viam ipsam habitet;
Sed ad amicum benignum
Viæ directæ pertinent,
Licet is ad conventum sit remotior.

XXXV.

Gánga s) skal
Skala géstr vera

XXXV.

Discedere oportet,
Neque hospitari

m) *Snitr*, O. forte pro Snytir, *nares emungit*, aut *mucum adtrahendo sonitum edit.*
n) *Afhuörf mikil*, in plur. R. reddens per *viam inviam*; vide fidem et scientiam Hominis in lingva.
o) *Eru mer til*, R. *mihi sunt.*
p) Þvert ins. R. *stricte ad ipsam viam*, Resenio *ipsum bivium.*
q) *Eru mer gángveger* (*gagnveger* C. N.) *aller*, R. *mihi orbita quæque patet*, vertente Editore; *omnes tramites expediti*, Olavio.
r) Fyr, *ante*, S. absurde. *Fyrer um farenn*, R. *licet is procul* (rectius *ante*) *præterierit*, e Resenii versione; verum hic sermo non est de viatore amico, sed de tali hospite vel hero.
s) *Skala Gestr vera Ey* &c. Membr. L. S. ut adeo *Skal* exciderit, quod restituimus primæ lineæ. Alterius sensus foret: *Circulandum non est* (sc. mendicorum more), (*sed*) *utendum semper eodem hospitio*, quod repugnat sequentibus. *Skala skal gestr vera Ecki i* &c. R. Istud gánga skala, quod *Resenius* et *Olavius* infideliter prætermiserunt in versione sua, nos modo, ut pote erat, exposuimus; cætera nobiscum sentiunt.

23) I. e. qui a regula hic præscripta decedit. J. De jentaculo apud orientales populos usitato vide Rosenmulleri librum: *Altes und neues Morgenland* P. III. (1818) P. 59 sq. Adfertur ibi.

Ey í einom stad. *Perpetuo eodem in loco;*
Liúfr verþr leiþr *Carus evadit exosus,*
Ef lengi sitr *Si diu persidet*
Annars [t]) fletiom á. *In alterius domiciliis.*

XXXVI. XXXVI.

Bú er betra *Oeconomia [domus] propria,*
Þótt lítit se *Etsi tenuis sit, [nulli] præstat,*
[u])Halr er heima hverr. *Herus est domi suæ quisque;*
[x])Þótt tvær geitvr eigi *Etsi duas [modo] capellas possideat*
Ok tavg-reptan sal *Ac tectum vimine contextum,*
Þat er þó betra enn bæn.[24]) *Id tamen petito*[24]) *melius est.*

XXXVII. XXXVII.

Bú er betra *Oeconomia propria,*
Þótt lítit se *Etsi tenuis sit, [nulli] præstat,*
[y])Halr er heima hverr. *Herus est domi suæ quisque;*
Blódvgt[z]) er hiarta *Sangvinolentum est cor*
Þeim er bidia skal *Ei, cui petere necessum est*
Ser í mál hvert matar. *Sibi cibum quavis prandii hora.*

t) *Fletum* C. N. vulg.

u) *Hollr*, hic et infra, O. *amans quisque est domus suæ*, si modo lectio sana est, quod penitus negare non audemus; quid enim revera sonat vulgata lectio, *Halr er heima hverr?* id enim pro certo decernere nequimus e notione vocis *Halr* usitata. *Dælt er heima hvorr* (corr. *hvert*), R. hic et infra; i. e. *liberum domi est quodcunque.*

x) Hæ 3 lineæ locum variant cum 3 ultimis lineis seqv. vers. in R.

y) *Kvikt er heima hvar*, L. ex. var. i. e. *vividum est domi ubique*, pro *amoenum, jucundum.*

z) Um hiarta, O. R., *circum cor.*

---

dem Persarum celeberrimi poëtæ *Zadigii* hæcce gnome: "Homo sapiens dixit filio suo: "Mane non exeas è domo tua, sine jentaculo, "qvó animus fortior redditur, sed fames cerebrum exsiccat et debilitat" F. M.

24) Ab aliis, scilicet, et *petitum* hic positum est pro *mendicatione.* J.

XXXVIII.

þ) Vapnom sínom
Skala maþr velli á
Feti gánga framarr.
Þvíat óvist er at vita
Nær verþr á vegom úti
Geirs vm þaurf gvma.

XXXVIII.

Armis suis
Nemo in solo [collocatis]
Pede procedat ulterius;
Nam scitu incertum,
Quando in itineribus
Hasta opus sit homini.

XXXIX.

Fanca ek mildan mann
Eþa sva matar gódan
At *a*) ei veri þiggia þegit
Eþa síns fiár
b) Svagi [örvan]
At leiþ se lavn ef þægi.

XXXIX.

Non reperi adeo munificum hominem
Aut cibi largum,
Quin illi, accipere qvid, acceptum esset;
Nec suæ pecuniæ
Adeo liberalem,
Ut odiosa sit retributio, si obtineri possit.

þ) Hic versus excidit ab O. et R. neque hic suo loco illatus videtur; forte sit transsumtus e *Capite Runico.*

a) Ey, per *y*, S. *semper*, de advena interdum ingrato. Cæteri *Ei*, per *i*, incertum, an negative, an adverbialiter, ut modo *Ey*, accipiendum. Rarus usus Veterum obstat priori, sed circumstantiæ in posteriori versus parte pro eo stant. Sin illud *Ei* notare deberet *semper*, necessario *Verit*, pro *Veri*, legendum foret, *ut non semper illi gratum esset aliquid ab aliis accipere*, sive per convivia, sive alias gratificationes. *þiggia være ei þeiged*, R. eodem sensu cum nostro *ei* negative accepto. *Resenii* tamen versio aliter habet, hoc versiculo comprehensa: *Quin cum dispendio quid profudisse pigeret;* unde illud *pigeret* exsculpserit, miramur. *Olavii* versio est ambigua: *Quin accepta gratis data non essent.* Ea ambiguitas cubat in duplici negatione, et in positu verborum.

b) *Svagi*, tantum, Mbr. L. O. S. *Svagi at*, posset quidem succedere una sibi linea, nisi insolens esset, lineas claudere talibus particulis. Intulimus ergo *Örvan* ex R. vocula *at* lineam seqventem ordiente. *Svo*, pro *Svagi*, R. quod in sensu conjunctum cum ejusdem, *Fann eg eigi*, eodem abit. *Vagi*, L. ex var. monstrum sine sensu.

XL.

Fiár síns
Er fengit hefir
Skylit maþr þavrf þola.
Opt sparir leidom
Þaz hefir liúfom hvgat
Mart gengr verr enn varir.

XL.

Pecuniæ, quam sibi
Quis peperit,
Indigentiam pati nefas est;
Sæpe in usum invisi parcitur,
Quod caro destinatum erat.
Multa opinione pejus eveniunt.

XLI.

Vapnom ok vádom
Skvlo vinir glediaz
Þat er á siálfom[c]) synst.
Vidr-géfendr ok endr-géfendr
Erost lengst vinir
[d])Ef þat bíþr at verþa vel.

XLI.

Armis ac vestibus
Amici mutuo se delectent,
Qveis in ipso (datore) forent conspicua;
Pretium renumerantes et remunerantes
Inter se diutissime sunt amici,
Si negotium feliciter se dat (evenit).

LXII.

Vin sínom skal
Maþr vinr vera
[e])Ok gialda giöf vid giöf.

XLII.

Amico oportet
Amicum esse,
Ac donum pro dono rependere;

c) Sæmist, R. *quod in ipsis* (amicis) *decorum est.* At *sæmst* videtur esse melior lectio, *maxime decorum est;* quod et alibi legisse nos opinamur. *Sæmist* tamen accipere licet pro vulgato Sæmir sér, Sómir sér, *decet, convenit, congruum sibi est.*

d) *Og þad býdur ad verde vel*, R. eo ipso interprete, *Et qui convivia mutuo colunt;* in qua versione vix unum vestigium textus comparet. Ceterum suspectam, si non penitus corruptam, *Olavius* bene exposuit, quantum potest, hoc modo: *Resque ipsa postulat, ut talia dona bonæ fiant frugis.* *Býþr*, etiam præfert S. sine dubio corruptum ex nostro *Bíþr*, per *i*. Deinde vero *Virþa vel*, St. L. ex var. hoc sensu: *Si obtineatur, ut tales donationes reciprocæ æqui bonique consulantur.*

e) Sequentibus 4. lineis omissis R. 4. ultimas sequentis versus huc adfert.

Hlátr viþ hlátri
Skyli havldar taka
En lavsúng viþ lygi.

Risum pro risu
Homines recipiant,
Sed animi levitatem pro mendacio.

XLIII.

Vin sínom skal
Maþr vinr vera
Þeim ok þefs vin.
En óvinar síns
Skyli engi maþr
Vinar vinr vera.

XLIII.

Amico suo
Homo esto amicus
Ipsi et ejus amico;
Sed amico inimici sui
Nolit ullus homo
Amicus esse.

XLIV.

Veitztv ef þú vin átt
f)Þann er þú vel trúir
Ok vill þú af honom gott géta.
Gépi skaltv vid*g*) þann blanda[25])
Ok giöfom skipta
Fara at finna opt.[26])

XLIV.

Scin' tu, amicumne habeas,
Cui multum fidis,
Et à quo commodum obtinere cupis?
Adfectum tuum cum ejus adfectu contempera,[25])
Et munera (cum eo) permuta,
Sæpe (illum) visere ito.[26])

XLV.

Ef þú átt annan
Þánz þú ílla trúir

XLV.

Si tu alterum habes,
Cui parum fidis,

f) Þannz þú, S. satis exquisite. Þann þer villdur sie, R. *qui tibi cordi sit*, vel *qui tibi sit benevolens;* satis eleganter.
g) *Hann*, O. R. S. et mox *Blenda*, O. idem.

25) Haud omnino absimiliter habet *Spec. Reg. At blanda gédi* þeirra *systra*, o: *inter se conciliare adfectus* earum sororum, de *Justitia, misericordia* &c. J.

26) Conventus sanè firmat amicitia. Paroemia Nostratium vera est: Sva firnaz ástir sem fundir, *Ita obsolescunt amores, uti conventus*, verbô tenus. J.

Vildu af honom þó gott géta.
Fagvrt skaltv vid þann mæla
En flátt hyggia
Ok gialda lavsúng vid lygi.

(Ac) tamen ab eo bonum adipisci optas;
Speciose illi loquaris,
Sed vafre cogites,
Et vanum pro mendacio reddes.

XLVI.

XLVI.

h) Þat er enn of þann
Er þú ílla trúir
Ok þér er grvnr at hans gédi.
Hlæia skaltv vid þeim
Ok vm hvg mæla
Glík skvlo giöld giöfom.

Porro de isto (tenendum)
Cui parum fidis,
Et cujus adfectus tibi suspectus est;
Ei coram ride,
Et præter animi sensum loquere,
Similia sint rependia muneribus.

XLVII.

XLVII.

Úngr var ek fordom
Fór ek einn saman
Þá vard ek villr vega.
Avdigr þóttvmz
Er ek annan fann
Maþr er mannz gaman.

Adolescens fui olim,
Solus mecum ibam,
Tunc viis aberravi;
Opulentus (autem) mihi videbar,
Ubi altum hominem offendi,
Homo homini est delectamentum.

XLVIII.

XLVIII.

Mildir fræknir
Menn bazt lifa[27])
Sialdan sút ala.
En ósniallr maþr

Munifici (et) fortes
Homines optime vivunt,[27])
Raro sollicitudinem fovent;
Sed ignavus homo

h) Þá, L. in textu, sed þat, pro variet. Prius non improbandum, si pro *porro* accipiatur.

27) Animus, sc. et bona conscientiâ freti, ob beneficia in alios collata, resp. lin. seqv. J.

Vggir hótvetna
i)Sýtir æ glæyggr vid giöfom[28]).

Metuit (suspicatur) quodcunque,
Sollicitus est, homo restrictus, usque circa munera.[28])

XLIX.

Vádir mínar
Gaf ek velli at
k)Tveim tré-mönnom.
Reckar þat þóttvz
Er þeir rift höfdo
l)Neifs er[*m*]) neycqvidr halr.[*n*])

XLIX.

Vestes meas
Donavi in campo
Duobus hominibus ligneis;
Viri fortes sibi videbantur,
Ubi velamento [corporis] potiti erant,
Contumeliæ obnoxius est homo nudus.

L.

o)Hravrnar þavll[29])
Sú er stendr þorpi[30]) á

L.

Langvescit arbor,[29])
Quæ in vico[30]) *stat,*

i) *Sitr æ*, S. *Hæret perpetuo munera exspectans. Og situr glöpgur* (l. *glópgur*) &c. R. eodem fere sensu. *Glöpgur* tamen videretur sonare *culposum* l. *scelestum. Sito æ*, O. depravate illud *Sito*, et in sermone, et in adplicatione ad contextum.

k) Tveimur, R. plenius ad metrum.

l) *Nistr er*, R. ɔ: *constrictus est* (algo sc.); *valde contusus*, Olavio, non adeo stricte et proprie ad vocem. *Resenius* satis perfunctorie dat: *minister namque nudus alget.*

m) Neykviþr, O. necqviþr, S. et L. in cont. Neiqviþr, L. ex var. Nöckvidur, R. omnia per variabiles dialectos possunt consistere. *n*) O. add. *verdr.* prave.

o) Hrörnar i þorpi höll ef ey stendur Og ey hlyr ad henne veggur nie vider, R. i. e. vertente Editore: *Labat aula, quæ est insula, pariete et fulcro privata*, satis

28) *Sytir-vid giöfom*, oppositio ad initium versus. Vox *Glœyggr* quod adtinet, evolvatur Gloss. Tom. I. hujus Operis, sub *Glöggr. Vid giöfum*, ambiguum est, utrum referendum sit ad munera *danda*, an *accipienda*; posterius magis accedit ad verba ipsa, neque abludit ab ingenio triparcorum, quibus interdum ægrè fit animo, si donis acceptis se obligatos fore cogitant ad reddendam talionem. J.

29) Elegans similitudo inter hominem amicis cassum et arborem solitariam ac sterilem. J.

30) Þorp hic late extendi videtur, præter usum hodiernum, ad quemlibet *locum propatulum*, quod quam recte fiat, ratio vertitur in etymologia. J.

Hlýrat henni bavrkr né barr.
Sva er maþr sá
Er manngi ann
Hvat skal han lengi lifa.

Non fovet eam cortex, neque germen (frondes);
Similiter se habet homo ille,
Cui hominum nemo favet,
Quid ei diu vivendum est?

LI.

Eldi heitari
Brennr med íllom vinom
31) Friþr fimm daga.
En þá sloknar
Er inn sétti kömr
Ok versnar p) allr vinskapr.

LI.

Igne ferventior
Ardet inter infidos amicos
31) *Caritas quinque dies;*
Tum vero exstingvitur,
Cum sextus (dies) venit,
Omnisque amicitia in deterius abit.

LII.

Mikit eitt
Skala manni géfa
Opt kavpir sér í litlo lof. 32)
Med q) hálfom hleif
Ok med havllo kéri
Feck ek mér félaga.

LII.

Magnum solummodo
Alteri donandum non est,
Parvo sæpe laus emitur sibi; 32)
Dimidio libo
Et inclinato poculo
Sodalem mihi comparavi.

ab textu discedens; ut splendori sermonis latini magis consuleret, ut opinamur. Certe *Vidir* nimis arcte ad *fulcrum* restringit, *contabulationem* cæteram negligens. Observat tamen in hoc ipso versu, quod þoll (non þöll) *arbor*, aliis legatur, item *Börkur nie bar;* cur ergo, siquid in his rebus sapuit, eam lectionem non adoptavit?

p) *Vinskapur allur*, O. R. satis lepide in metro.
q) Hálfu braude, R. Deinde *Leif*, O.

31) *Friþr* quod adtinet, consulo vers. xc. 1. et *J. Olavium* Hypn. in Glossario suæ Diatribes de Cogn. spir. J.

32) Hinc paroemium recentioribus Danis usitatum: *Man fanger ofte Lov for lidet* (laus sæpe parvo adqviritur sibi). F. M.

LIII.

r)Lítilla sanda
Lítilla[s]) sæva
Lítil ero géd gvma.
Því allir menn
Vrdot jafn-spakir
Hálb er avld hvar.[33])

LIII.

Minutarum arenarum instar,
Minutis cum ingeniis,
Minuti sunt animi marium (virorum).
Nam omnes homines
Non extiterunt æque cordati,
Mortales in duas classes dividuntur ubique.[33])

LIV.

Meþal-snotr skyli
Manna hverr
Æva til snotr se.
Þeim er fyrda
Fegvrst at lifa
Er vel mart vito.[34])

LIV.

Mediocriter sapiens
Sit hominum quisque,
Neque nimium sapiens;
Eorum hominum
Vita est pulcherrima,
Qui multa pulchre sciunt.[34])

LV.

Medal-snotr skyli
Manna hverr
t)Æva til snotr se.
u)Þviat[x]) snotvrs manz hiarta

LV.

Mediocriter sapiens
Sit homo quisque,
Neque nimium sapiens;
Nam cor hominis sapientis

r) Hanc lineam omitt. R. neque est adeo liquida.
s) *Sefa*, R.
t) Hæc linea desideratur in Membr. sed servatur in L. et S. Cæterum hic et sequens versus, præter 3 ult. lin. desunt in O.
u) Hæ 3 lineæ locum mutant cum tribus ultimis vers. seqv. in R.
x) *Svins*, R. id.

---

33) *Sapientes* nimirum et *insipientes*, ex Auctoris sententia J.

34) In genere quidem pro suo merito laudat sapientiam ac doctrinam; verum tamen cavere videtur, ne illa, quantavis sit, intemperanter ac temerarie adplicetur. J.

y) Verþr sialdan glatt[35])
Ef sá er[z]) alsnotr er á.

Raro lætatur,[35])
Si persapiens est, qui [id] possidet.

LVI.

Medal-snotr skyli
Manna hverr
Æva til snotr se.
Örlavg sín viti
Engi fyrir
Þeim er sorgalavsastr[þ]) sævi.

LVI.

Mediocriter sapiens
Sit hominum quisque
Neque supra modum sapiens;
Fata sua
Prævideat nemo
Ei animus est a curis maxime vacuus.

LVII.

Brandr af brandi brenn
Vnnz brvnninn er.
[a])Fvni qveykiz af fvna.
Maþr af manni
Verþr at máli kvdr
En til dælskr af dvl.

LVII.

Titio titionis beneficio (tactu) ardet,
Usque dum exustus est,
Ignis accenditur igne:
Homo ex homine
Per sermonem notus fit,
Sed impudens ex silentio (superbia, ignorantia).

LVIII.

[b])Ár skal rísa
Sá er annars vill
Fé eþa fiör hafa.*)

LVIII.

Matutinus surgat, oportet,
Qui alteri cupit
Opes aut vitam adimere;)

y) Mun, Id. *lætabitur.*
z) *Alsvinnur*, R. id.
þ) *Sævi* (*sæfi*) Mmbr. L. S.
a) Hæc linea non adparet in R.
b) Hic et sequens versus locum inter se variant in R, sed prior totus abest in O. *Arla*, hic et infra R. recentius.

35) Nimirum propter curas et sollicitudines, quæ sapientibus magis accidere solent quam insipientibus. J.

*) Bellatorio quidem more, atque injusto. pro suo instituto, loquitur Auctor, sed ea regula facile extendi potest ad *maturam observationem quorumvis operum utilium*, J.

Sialdan liggiandi úlfr
c) Lær[36]) vm getr
Né sofandi maþr sigr.

Raro cubans lupus
Esca[36]) *potitur,*
Neque dormiens homo victoria.

LIX.

[37]) Ár skal rísa
Sá er d) á yrkendr fá
Ok gánga síns e) verka á vit.
Mart vm dvelr þann
Er vm morgin sefr[38])
Hálfr er avdr vnd hvavtom.

LIX.

[37]) *Matutinus surgat, oportet,*
Qui paucos habet operarios,
Et eat opus suum visere;
Multa morantur eum,
Qui matutinus dormit,[38])
Dimidia pars opum celeritate nititur.

LX.

Þvrra skída
Ok þakinna[39]) næfra

LX.

Aridorum lignorum
Et librorum tegendis[39]) *ædibus uti-*
utilium,

c) *Lær*, St. et omnes nostri Codd. sed *Læ* alibi videre meminimus, quod *prædam* l. *cadaver* nobis notaret.

d) Yrkiendur á at sá (skal sá) R. O. *qui operarii parandi sunt*, corrupte, quod non intelligerent fá, pro *fáa*.

e) *Verka*, liquide Membr. haud protrita vox eo sensu; sed *Verks*, cæteri omnes.

---

36) Quod *Læ*, in varietate adlatum, adtinet, nunc observamus, eam lectionem adoptatam esse *J. Olavio* Hypn. in Gloss. diatribes suæ, sub voce *Lá*, atque illic per *Sangvinem* expositam esse, id quod sane congruit in sangvinolentum et vorax luporum ingenium. Nostra interpretatio aliquanto liberior est, ut rem magis exprimat quam vocem, nam *Lær* proprie *Femur* significare notum est. J.

37) Sequentes 2. versus utiliter commendant industriam in re oeconomica. J.

38) Has lineas, quod adtinet, jure confertur celebris nostra paroemia: *Morgunstund ber gull i Mund* unde Danorum: *Morgenstund giver (har) Guld i Mund*, *hora matutina aurum dat in manum* (non enim *in os*, quod quibusdam imperitis placuisse novimus). J.

39) Þakinn, Particip. pass. *tectus*, hic figurate adhibetur pro Particip. activo *tegens l. ad tegendum aptus*, *tectorius*, *tectilis* (sit venia verbo). Scitissimum tamen dictu fuisset *þaknæfra*, hoc eodem sensu. Cæterum verbulo monet, ut quisqve bonus oeconomus sibi prospiciat de justa quantitate talium vitæ necessitatum, et mire meminit earum, quæ minorem locum obtinent, nempe ab iis concludi vult ad eas, quæ majoris sunt dignitatis, ut victus, potus, vestes &c. Pro voce *Miotudc*

Þeſs kann maþr miötvdc
Þeſs vidar
Er vinnaz megi
Mál ok missere.

Eorum modum norunt (noscant) mortales,
Lignariæ copiæ,
Quæ sufficere possit
Statis horis quotidie per [integra duo] semestria.

LXI.

Þveginn ok mettr
Rídi maþr þíngi at
Þótt han *f*) sæd vædr til vel. 40)
Skúa ok bróka
Skammiz engi maþr
g) Nè hestz in heldr
Þótt han hafit gódan.

LXI.

Lotus et pransus
Equitet quisque ad conventum,
Etsi non adeo bene vestitus sit; 40)
Calceorum et braccarum
Pudeat neminem,
Neque magis equi,
Licet non utatur bono.

LXII.

Fregna ok segia
Skal fródra hverr
Sá er vill heitinn horskr.

LXII.

Percontari et enarrare
Debet doctorum (prudentium) quisque,
Qui censeri vult solers.

f) *Sæd*, Membr. L. et S. pro *séat*, *seït*, l. *sét*. Talis scriptionis exempla in aliis vocibus aliquoties observavimus in Tom. II. hujus Operis. Mox *Veþr*, pro *Væþr*, S. At, *Se þueþur*, O. *etsi nimium bene lotus sit*, nugatorie, propter *Seþ veþur* non intellectum, quod idem plane cum nostro, *sæd vædr*, sonat.

g) *Edur hests þó hafe ei gódann*, R. *aut equi, licet* &c. partim glossa. Mox Hest in in Accusandi casu. S. O. Deinde *en*, pro *in*, L. ex var. recte. *Til*, pro *in*, O. *nimium* (pro usitato *helldr til*).

---

nobis in manu erat, resecta cauda sua, aliam *Miöt* substituere, sensu, quem Versio præfert. *Höfudlavsn Egils* consuli potest in hoc: Kann ek mála *miöt*, o: *novi* mensuram l. modum *verborum (l. carminum)*. J.

40) Hoc accedit ad verba Servatoris apud divum Mattheum Cap. VI. 25: *Ne sitis solliciti de vestro corpore, quo pacto vestiri possitis, — nonne corpus pluris est quam vestitus?* J.

Einn vita
Ne annarr skal.[41])
Þióþ veit ef[h]) þrír ro.

Unus sciat, licet,
Non item alter,[41])
[Totus] populus novit, si tres sunt [conscii].

LXIII.

Snapir ok[i]) gnapir
Er til sævar kömr
[k])Örn á aldinn mar.
Sva er maþr
Er meþ mörgom kömr
Ok á formælendr fá.

LXIII.

Hiat et inhiat
Ubi in litus venit,
Aquila, (prominens) super annosum (undosum) mare.
Ita se habet homo,
Qui inter multos advenit
Ac defensores habet paucos.

LXIV.

[l])Ríki sitt skyli
Rád-snotra hverr
I hófi hafa.
Þá han þat finnr
Er meþ frænom kömr
At engi er einna hvataztr.

LXIV.

Potestate sua debet
Consultorum quisque
Moderate uti.
Id tum ille repérit,
Cum inter fortes advenit,
Quod nemo est [animis et manu] unice promtissimus.

h) *Þrír ro*, divisim, S. *þríro*, junctim, Membr. et L. altero *r* extruso. *Þrír*, tantum, O. haud illepida Ellipsi. *Þrír vita*, (*tres sciunt*), R. simplicius cæteris.
i) *Gapir*, *hiat*, R. planius altero.
k) Ern, O. *inusitatum*, etsi *Ernir* in plurali dicantur.
l) Tres sequentes versus hic prætermissi in R. tandem sistuntur post versum nostræ Editionis LXXVIII.

41) Hæc versio priori strophæ parti contradicere videtur. Mallem sic vertere: Memorabiles novitates non sunt referendæ uni vel duobus, sed tribus auscultatoribus, sic enim toti populo innotescent. F. M.

LXV.

m)[Gætinn ok geyminn
Skyli gvmna hverr
Ok varr at vintravsti].
Orda þeirra
Er maþr avdrom segir
Opt n) han giöld vm gétr.

LXV.

Circumspectus et secreti servans
Sit hominum quicunque
Et cautus circa confidentiam in amicis;
Eorum verborum,
Quæ quis alteri eloquitur,
Pœnas sæpe aufert.

LXVI.

o) Mikils-ti snemma
Kom ek i marga stadi
En til síd i svma.
Avl var dryckit
Svmt var ólaga,
Sialdan hittir leidr i[42]) lid.

LXVI.

Nimium qvam mature
In multa loca veni,
Sed nimium sero in alia;
Merum erat epotum,
Partim non temperatum,
Raro odiosus ad symposium[42]) *tempestive adest.*

LXVII.

Hér ok hvar mvndi
Mér heim vf bodit
Ef þyrftac at málúngi mat.

LXVII.

Huc illuc
Invitatus forem,
Si prandio indigerem;

m) Has 3 lineas exclud. Membr. O. S. et L. in contextu, sed eas in margine ex Chh. adfert, et genuine quidem, ut opinamur, ad cohærentiam cum sequentibus hujus versus. Pro his autem 3 lineis substituit vel repetit R. anteeedens *Riki sitt* &c. legens hic et súperius *Rádsnotur*, non *Rádsnotra*, in Nom. sing.

n) Sér giöld, L. in marg. *sibi poenas obtinet.*

o) Sic Membr. L. S. sed *Mikilste*, O. quod eodem fere recidit, quatenus novaturientes nostri amant *e* pro *i* tenui substituere. Mikilstil, R. recte et usitate præ altero.

42) *Lid heitir öl*, inquit Edda Snorr. i. e. *Lid* dicitur *cerevisia*, *s. quælibet gravis potio*; hic vero vox metonymice extenditur ad ipsum *convivium*, quemadmodum adhucdum Nostrates dicere adsolent *Kaup-öl* et *Festar-öl*, *convivium sponsalitium* et *nuptiale*. Edw. Lyeus Anglus in Lexico suo anglo-saxonico adfert vocabulum *Liþ*; et vertit per *poculum*. J.

Eda tvav lær[43]) hengi
At ins tryggva vinar
Þars ek hafda eitt etiþ.

Aut [si] duo femora[43]) *penderent*
Apud fidum illum amicum,
Ubi unum comederam.

LXVIII.

Eldr er beztr
Meþ ýta sonom
Ok[p]) sólar sýn.[44])
Heilyndi sitt
Ef maþr hafa náir
Án vid lavst at lifa.

LXVIII.

Ignis optimus est
Apud hominum filios
Atque solis adspectus,[44])
Si sanitatem
Homini obtinere contingit,
Cum vita vitio carente.

LXIX.

Erat maþr allz vesall
Þótt han se ílla heill.
Svmr er af sonom sæll
Svmr af frændom.
[q]) Svmr af fé ærno
Svmr af vérkom vel.

LXIX.

Nemo est omnium rerum inops,
Etsi male sanus sit;
Quidam a filiis beatus est,
Quidam a cognatis,
Quidam ab opibus copiosis,
Quidam ab operibus satis.

p) *Sunnu*, et *Suþu*, L. ex var. id. *Sólar* (*sunnu*) *skin.* Id. indidem, et O. solis fulgor. *Sólar svefn*, iterum L. ex var. *solis somnus*, de *nocte*, quam *Virgilius* adpellat *donó Diuum gratissimam.*

q) Hæc linea abest in O. Ille cupidus non erat pecuniæ. *AErno* etiam desideratur in Chh. observante L. in marg. de abundantia pecuniæ haud sollicitus. *AErna* exhibet S. *abundanter*, si recta est lectio.

---

43) *Pernæ*, vertit *Olavius*, haud absurde, et fortasse latinius nostro. J.

44) Vel, siquis mavelit, *lumen solare*, quod nisi esset, dies foret nulla, et omnia tenebris involuta essent. Versus hic in sua simplicitate est inter pulcherrimos hujus Poëmatis. (J. vel G. M. Hic desinunt Johnsonii vel Gudmundi Magnæi, aut amborum laudatorum virorum, observationes F. M.) *Ignis* hic laudata præstantia a veterrima ipsius adoratione originem traxisse videtur. Cfr. infra str. 140. De *sole* (qui verisimiliter ejusdem indolis esse putabatur) idem statuendum. Sic sacer ignis apud Persas et pl. Solis (et simul summi coeli empyræi numinis) symbolum vel simulacrum habebatur.

LXX.

Betra er lifdom
Ok[r]) ve-lifdom.
[s]) Æy gétr qvikr[t]) kú.45)
Eld sá ek vppbrenna
Avdgom manni*) fvr46)
En úti var[u]) davþr fvr dvrom.

LXX.

Melius est vivum esse
Et quidem in miseria vivum,
*Buculam saltem nancisci potest vivens:*45)
Ignem vidi comburere
*Opulenti hominis facultates,*46)
Mors autem foris ante ostium adstabat.

r) *Og vellifdum*, Id. bene viventem. *Sæl-lifdom* laute viventem, Membr. et cæteri, a quibus necessario recessimus, et *Ve-lifdom* ex *Vellifdum* fecimus. *En sialf-daudom*, L. ex var. *Quam morte naturali defunctum.. En se becc-dauþom. En beck-dauþom*, quam in sedili (domi) mortuum, L. ex altera var. utrobique inepte.

s) Sic Membr. et L. *Æi*, S. *Ei*, O. (*En ve-lifdum* o: qvam non vivum, foret rectissima lectio F. M.) *Ei getur kvikur kveikt Elld þann er uppbrenna Audgum munc fyre úti var* &c. R. *Semper, vivens, accendere potest ignem, qui exurere queat divitis facultates* &c. Hæc ineptæ hujus lectionis recta versio est.

t) *Ko*, L. ex var. et S. intra cancellos, idque sine virgula super *o;* unde nobis suspicio incidit, in eorum matrice fuisse *Ko*, cum virgula horizontali super vocali, quod e priscis compendii regulis sonaret *Kono*, mulierem l. uxorem. Et fortasse hæc lectio, quomodocunque accipiatur, palmam prætulerit alteri.

*) *Mvni* (opes) O.

u) *Daudi*, O. St. *Daudinn*, L. ex. var. usualiter. Mox *Dorom*, pro *Dvrom*, L. in Contextu, improbe. [Verti etiam potest: mortuus (ille) ante fores jacebat. F. M.]

---

45) Nempe ad vitam parce sustentandam. — Observatu digna est vetus Danorum paroemia, huic conveniens (a *Petro Syv* nobis tradita): *Qveger Mand faar vel Ko, men död faar aldrig Liv* o: vivus homo buculam sane obtinebit, non autem mortuus vitam. Veteres boreales, uti Indi hodierni, vaccas magni pretii duxere, et eas interdum divino fere honore adsectabantur. F. M.

46) Hæc forte Olavii a nobis adnotata lectio *mvni* (opes, facultates) pro superfluo illo *manni* optima habenda, uti etiam in versione expressa legitur. Possibile alioquin est, qvod posterior Strophæ pars ad exeqvialem opulenti rogum respiciat.

LXXI.

x) Haltr rídr hrossi.
Hiörd rekry) handar-vanr.
Davfr vegr ok dvgir.
Blindr er betri
Enn brendr sé.47)
Nýtr mangi náfs.

LXXI.

Claudus equo vehitur,
Gregem agit mancus,
Surdus dimicat et utilem præstat operam,
Cæcus melior est
*Quam crematus,*47)
Nemo fructum capit ex mortuo.

LXXII.

Sonr er betri
Þótt se síþ of alinn
Eptir genginn gvma.
Sialdanz) bavtar-steinar
Standa bravto nær
Nema reisi niþr at nid.

LXXII.

Filius est melior,
Quanquam sero natus sit,
[Imo] post defanctum patrem;
Raro cippi (sculpti)
Propter viam stant,
Nisi erigat cognatus cognato.

LXXIII.

þ) Tveir ro eins heriar

LXXIII.

[Vel] duo inter se sunt adversarii,

x) *Betur — vellifdum*, hic et sequ. versu repetit R.

y) *Hundar-vanr*, Membr. O. *cane destitutus*, satis jejune h. l. neque aptum ad cæteras circumstantias. *Handar-vanr (vani)* L. et. S. uterque recte. Sed R. hæc ita exhibet: *Hiörd rekur hundur, Vanur vegur, Daufur duger* o: *Gregem agit canis, (corpore) defectus pugnat, surdus operam præstat;* absurde quod *ad canem* adtinet, quemadmodum paullo ante, atque etiam deterius.

z) *Bavtar-steinar*, Libri omnes, præter R. qui *Bautasteinar* exhibet, atque ita scribitur ea complexa vox in *Egils-saga* Membr.

þ) *Tveir eru einheriar*, R. eodem sensu.

47) Secundum vetustissimos exeqviarum ritus. De funerum apud antiqvas gentes usitata crematione — vide observationes nostras in hujus operis T. II pag. 929-34. Cfr. infra notam 51.

Túnga er *a*) havfvþs *b*) bani
Er mér i hedin hvern
Handar væni. 48)

Lingva est capitis pernicies,
Mihi in quamcunque tunicam
Manus exspectatio est. 48)

LXXIV.

c) Nótt verþr feginn
Sá er nesti trúir.
Skammar ro skips rár.
d) Hverb er havst-gríma.
e) Fiöld vm *f*) vidrir
A fimm davgom
En meira á mánadi.

LXXIV.

Noctis adventu lætatur
Qui de viatico securus est,
Brevis durationis (extensionis) sunt antennæ;
Variabilis est nox autumnalis.
Multum variat tempestas
Per quinque dies,
Magis vero per mensem [integrum].

LXXV.

g) Veita hinn
Er vætki veit

LXXV.

Ignorat (solus) ille
Qui omnia nescit

a) Lectio Membranæ hic non satis liquida est propter scripturæ incertum compendium, item S. videtur tamen legendum *Haufvþs*, et *Höfuds* præferunt O. R.

b) *Bane er nær i bedenn, hveim handarvane*, R. i. e. ex Ejus versione: *Mors fere imminet, cui manus est mutilata.* Ex ultimis videre est, quantillum iste homo in Sermone nostro calluerit.

c) *Nótt — rár* desunt in R.

d) *Hverb*, Membr. et L. *Hverf*, R. et S. prius e dialecto nostratium Thingeyensium.

e) Hic novum versum incipit S. sed O. has tres lineas jungit priori; posteriori autem jungi non possunt propter rei diversitatem.

f) Of vidrar (pro *um vidrir*) C. N. in R. et recte, sed Ef vidrar, ipse R. *si variat* &c. *Vidrar*, etiam O. vulgate.

g) Hic versus deest in R.

48) Abruptam hanc et præobscuram sententiam, poëmati nostro, metro ejus invito, perperam intrusam esse opinor; idem forte de seqventi stropha dicendum.

Margr verþr[h]) af avdrom api.	*Quod multi ex aliis infatuentur.*
Maþr er avdigr	*Opulentus est quis,*
Annarr ó-avdigr	*Alter [vero] inops,*
Skylit þann[i]) vítca vár.	*Hunc nemo vitii coarguat.*

LXXVI. LXXVI.

Deyr fé	*Moriuntur pecora (opes),*
Deyia frændr	*Moriuntur cognati,*
Deyr siálfr it sama.	*Moritur ipse itidem;*
[k])En orz-tírr	*Verum fama*
Deyr aldregi	*Nunquam moritur*
Hveim er sér gódan gétr.	*Ei, qui bonam sibi comparat.*

LXXVII. LXXVII.

Deyr fé	*Intereunt pecora (opes),*
Deyía frændr	*Intereunt cognati,*
Deyr siálfr it sama.	*Interit ipse itidem;*
[l])Ek veit einn	*Unum [autem] novi,*
At aldri déyr	*Quod nunquam interit,*
Dómr vm davþan hvern.*)	*Judicium de mortuo quocunque.**)

h) *Aflavdrom*, Membr. manifesto errore. Verum fortasse hic legendum fuerit: *Af audnom*, ex opulentia; quemadmodum in Carmine *Sólarliód*: *Margann hefir avþr apat;* Et hoc ulterius adstrui poterit a proxime sequentibus de divitibus ac pauperibus.

i) *Vitca*, *vitka*, Libri omnes, forte rectius *vitca* s. *vitka*, *i* virgato. Mox *Var*, omnes, præter L. quem sequuti sumus; et sane alterum inter maxime ambigua fuerit.

k) Hinc saltum faciunt O. et R. usque ad lineam quartam sequ. versus.

l) *En eitt veit eg þad alldrei deyr þad er dómur um d. h.* R. Atqui unum &c. id est judicium &c.

*) Bodæ vel Buddhæ asiatici cultores utuntur similibus sententiis nempe: "humana vita in"stabilis est et divitiæ pereunt, sed vivit post "funera virtus." *F. Carey* in *W. Ward View of the history, literature and religion of the Hindoos* Vol. II. (Serampore 1815. 4.) pag. 408-9.

LXXVIII.

Fvllar[m]) grindir sá ek
Fvr Fitiúngs 49) sonom
Nú bera þeir vánar-völ.
Sva er avþr
Sem avga-bragd
Han er valtastr vina.

LXXVIII.

Oppletas vidi portas (promtuaria)
Opimii 49) *filiis,*
Nunc illi gestant egestatis (mendicationis) baculum,
Tales sunt divitiæ
Quale transiens momentum temporis,
Illæ sunt amicorum maxime labiles.

LXXIX.

Ósnotr maþr
Ef eignaz gétr
Fé eþa flióds mvnod.
Metnadr honom þróaz
E mannvit aldregi
Fram gengr han driúgt i dvl.

LXXIX.

Insipienti homini
Si adipisci contingit
Pecunias aut mulieris amores;
Fastus ei gliscit,
Sed solertia nunquam,
Multum is in arrogantia proficit.

LXXX.

[n])Þat er þá reynt
Er þú at rúnom spyrr
Enom regin-kvnnom
Þeim er gördo ginregin

LXXX.

Tunc id compertum est,
Cum quæris de literis
Illis theologicis (principalibus),
Quas concinnarunt amplissima numina

m) *Grindur*, O. et R. utrumque recte.

n) *Hann þá reynir*, C. N. in R. ille id comperit. *Þá reynir*, *Er ad rúnum kemur*, ipse R. tu (id) comperis, ubi ventum est ad literas illas &c. secunda persona pro qualibet posita. *Kemr* etiam L. ex var. impersonaliter.

49) *Fitiúngr* non hic proprium nomen sed viri pingvis vel obesi (ac ergo opulenti) appellatio, congrua recentiori Danicæ *Fetting*, apud laudatum *Syvium* occurrenti. Cfr. Gl.

Ok fádi fimbvl-þvlr 50)
Þá hefir han bezt ef han þegir.

Et pinxit (polivit) summus orator, 50)
Quod res ejus optime habet se, si ipse taceat.

LXXXI.

At qveldi skal dag leyfa
Kono er brend ér 51)
Mæki er reyndr er
Mey er gefin er
Is er yfir-kömr
Avl er drvckit er.

LXXXI.

Vesperi [demum] dies laudanda est,
Uxor, postquam cremata 51) est,
Gladius, postquam probatus est,
Virgo, postquam nupta est,
Glacies, postquam transitum est,
Potio, postquam epota est.

LXXXII.

I vindi skal vid havggva
Vedri á sió róa
Myrkri vid man spialla.
Mörg ero dags avgo.
*) A skip skal skridar orka
En á skiöld til hlífar
Mæki havggs
En mey til kossa.

LXXXII.

Vento flante materies cædenda est,
Aura adspirante in pelagus exeundum,
In tenebris cum puella fabulandum,
Multi sunt oculi diei (diurni)
Navi ad cursum est utendum,
At clypeo ad protectionem,
Gladio ad ictum,
Virgine autem ad basia.

LXXXIII.

Vid eld skal avl drecka
En á ísi skrída
Magran mar kavpa

LXXXIII.

Ad ignem potandum est,
In glacie plantis pedum prolabendum,
Equum emendum (est) macilentum,

*) *Á skipi skal skreiþar orka* St. R. o: Navigio pisces sunt adqvirendi.

50) Vel sacerdos. Vide Glossarium.

51) Nos sane dixerimus: *sepulta.* Vide supra Obs. 47. Primo strophæ versui convenit proverbium Danicum: *Smukke Dage skal man love om Aftenen* o: pulchri dies (primum) vespere laudandi sunt.

En mæki savrgan [52])
Heima hest feita
En hvnd á búi.

Gladium autem sordidum, [52])
Equum domi suæ saginandum (est),
Sed canem in domo aliena.

LXXXIV.

Meyiar ordom
Skyli manngi trúa
Né því er qvedr kona.
Þvíat á hverfanda hvéli [53])
Vóro þeim hiörto skavpvd
Brigd i brióst vm lagit.

LXXXIV.

Verbis virginis
Fidat hominum nemo,
Neque ei, quod loquitur nupta mulier;
Nam in versatili rota [53])
Corda iis fuerunt condita
[Et] varietas pectori indita.

LXXXV.

Brestanda boga
Brennanda loga
Gínanda úlfi
Galandi kráko
Rýtanda svíni
Rótlavsom vidi
Vaxanda vagi
Vellanda katli. *)

LXXXV.

Crepitanti arcui,
Flagranti flammæ,
Hianti lupo,
Garrienti cornici,
Grunnienti sui,
Arbori radicibus defectæ,
Intumescenti pelago,
Bullienti cacabo,

o) In margine heic addit Idem: *Heidrikum himni* (*Og*) *Hlœiandi herra* (quidni *Drottni?* nam alterum h. l. novitate sapit) qvæ 5 et 6 lineam versus sequentis constituunt apud R. ubi sic metrice vertuntur: *Nec blando domino, nec coelo crede sereno,* ordine inverso, sed per se tamen eleganter.

52) Cum levissimo pretio venales habentur. Eqvus postea a novo possessore saginandus, gladius autem poliendus.

53) Figura, ut videtur, á figuli rotâ deducta. Confer mythum Grajorum de Prometheo hominem ex argilla fabricante. Refert vita Thormodi Kolbrunæ poëtæ, qvi sec. XImo vixit, (majori Olai Sancti historiæ inserta) eum, certa occasione, hanc strophan recordatum fuisse.

[LXXXVI.]

Fliúganda fleini
Fallandi báru
Isi ein-nættom
Ormi *p*) hríng-lægnom
Brúdar bed-málom
Eþa brotno sverþi
Biarnar leiki
Eda barni *q*) konúngs.

[LXXXVI.]

Volanti telo,
Cadenti fluctui,
Glaciei una nocte coalitæ,
Serpenti in orbem contorto,
Fœminæ lectualibus sermonibus,
Aut rupto gladio,
Ursi ludo,
Aut puero regio,

[LXXXVII.]

Siúkom kálfi
Siálfráda þræli
Vavlo vil-mæli
Val ný-feldom.*)

[LXXXVII.]

Aegroto vitulo,
Servo sponte agenti,
Sagæ blandiloquio,
Stragi recens dejectæ,

[LXXXVIII.]

Akri ár-sánom
Trúi engi maþr,
Ne til snemma syni.
Veþr rædr akri
En vit syni
Hætt er þeirra hvart.

[LXXXVIII.]

Agro mature consito,
Nemo hominum fidat,
Neque nimis mature filio;
(Penes tempestatem est ager,
At penes rationem filius,
Utraque harum anceps est).

LXXXIX.

Bródvr-bana sínom
Þótt á bravto mæti

LXXXIX.

Percussori fratris sui,
Etsi in via publica occurrat,

p) Hrínglögnom, L. ex var. Hrínglögdum, R. Hringlægdom, S. ultimum suspectum est, cætera utcunque procedunt.

q) Höfdingia, *viri principis filio.* R.

*) Addit St. *heidrikom himni, hlœandi herra, hunda gellti oc harmi skiœkiu.* Omnia perse satis suspecta, et hic etiam spuriam originem prodere videntur.

Húsi hálf-brvnno
Hesti al-skiótom.
Þá er jór ónýtr
Ef einn fótr brotnar.
r) Verþit maþr sva tryggr
At þesso trúi avllo.

Domui semi-ustæ,
Equo perquam veloci,
(Tunc inutilis est equus,
Si unum crus frangitur)
Nemo sit adeo confidens,
Ut his fidat omnibus.

XC.

Sva er friþr qvenna
þeirra er flátt hyggia
Sem aki jó ó-bryddom
A ísi hálom
Teitom tve-vetrom
s) Ok sé tamr illa.
Eþr i byr óþom
t) Beiti stiórn-lavso.
u) Eþa skyli halltr henda
Hrein í x) þá-fialli. 54)

XC.

Talis est amor fœminarum,
Quæ mentem subdolam gerunt,
Tanquam aurigetur equo, calceis hamatis non instructo,
Per glaciem lubricam,
Lasciviente bimulo
Atque male mansveto;
Aut [quis vehatur] vento vesaniente,
Navi gubernaculo cassa,
Aut si claudo prehendenda sit,
Machlis (rangifer) in monte, cum regelat. 54)

r) Pro his duabus lineis repetitur in R. antecedens: *Hætt er þetta huert.*

s) *Ok tömdum illa*, O. *male domito.* Se tamdr illa, R. eodem sensu. *Tamiþr*, pro *tamr*, opinamur nos alibi legisse, quod antiquius idem sonat ac *tamdr*, *taminn.*

t) *Beiti stiórn l. skipi*, O. *navim gub. cassam quis dirigat; Beiti*, per ignorantiam, pro Verbo accipiens, et mensuræ metricæ minus consulens. *Beitir skipi*, R. *navim quis dirigat, impellat; Stiórnlausu*, ex var. ibid. non citato codice.

u) Hæ duæ lineæ desiderantur in R. citatur tamen ibi ex Cod. N. *Eda skulu halltir henda Hreindýr i fialli* o: *aut si claudi debeant prehendere machlim in monte;* aliquanto langvidius altero.

x) Há-fialli, sunt alii qui habeant, *alto monte;* sed *fialli* tantum, O. ad metrum recte, sed minus significanter ad sensum.

54) Norvegicam vel Svecicam, non autem Islandicam carminis originem hæc verba prodere videntur (uti etiam str. LX et plures). In Islandia rangiferi omnino ignoti fuere usqve ad dimidium sec. XVIII, cum Regis jussu è Lapponia in insulam illam primum transportati sunt

XCI.

y) Bert ek nú mæli
Þvíat ek bædi veit
Brigdr er karla hugr konom.
Þá vér fegvrst z) mælom
Er ver flást hyggiom
Þat tælir horska hvgi.

XCI.

Aperte nunc loquor,
Nam utrumque [sexum] novi,
Mutabilis est masculorum animus fœminis;
Tunc nos splendidissime loquimur,
Cum vaferrime cogitamus,
Id in fraudem inducit [vel] prudentes animos.

XCII.

Fagvrt skal mæla
Okþ) fé bióþa
Sá er vill flióds ást fá.
Líki leyfa
Ens liósa mans.
Sá fær er fríar.

XCII.

Blande loqvatur
Et pecuniam offerat,
Qui amorem fœminæ obtinere optat;
Formam laudet
Lucidæ puellæ;
Is potitur, qui amat (ambit).

XCIII.

Ástar firna
Skyli engi maþr
Annan aldregi.
Opt fá á horskan
Er á heimskan né fá
Lost-fagrir litir.

XCIII.

Amorem miretur
Nemo hominum
In altero unquam;
Sæpe capiunt sapientem,
Qui insipientem non capiunt,
Venusti vultus.

y) Hic versus exulat ab R.

z) *Mælom*, O. et S. sed *Melom*, Membr. et L. antiqua scribendi ratione.

þ) Fryit (lege *Fridt*) bona, R. quidni *pulchra?* vel *pulchre polliceatur;* lectio haud adspernanda.

XCIV.

[a])Eyvitar firna
Er maþr annan skal
Þeſs er vm margan gengr gvma.55)
[b])Heimska or horskom
Görir havlda sono
Sá inn mátki mvnr.

XCIV.

Insipientiam miretur
Nemo in altero
*Qvæ multis virorum accidit;*55)
Stolidos ex ingeniosis
Reddit hominum filios
Potens illa libido.

XCV.

Hvgr einn þat veit
Er býr hiarta nær
Einn er han sér vm[c]) seva.
Avng er sótt verri
Hveim snotrom manni
Enn sér avngo at vna.

XCV.

Animus solus id scit,
Qui prope cor habitat
[Et] sibi solus est, adfectum quod adtinet,
Quod nullus morbus est pejor
Cuivis ingenuo homini,
Quam sorti suæ nullatenus adquiescere.

a) *Eyvitar*, per y in prima, Membr. L. et O. *sed Eivitar*, per *i* in eadem, S. *Ei vitar* St. *Einitar*, L. ex var.; si *Eynytiar* posuisset, lectio forte præstaret cæteris, sane quam obscuris, ac sonaret, *Ignaviam, nequitiam. Ei vitu fyrnast einn madur annan skal þeſs um* &c. R. ita vertens: *Nemo ab altero deficiat ob id quod pluribus est commune.* Istud *Ei vitu* nihil tale sonat in nostro sermone, et hinc prorsus alienum est.

b) Heimska úr horskann, Membr. O. S. et L. in contextu, at hic ultimus in marg. *Horskom*, quod necessario recipiendum; cæterorum error prorsus mirabilis est. *Heimska ok horska*, L. ex altera var. *stultos ac sapientes*: posterioris exempla rariora sunt, verum tamen ea res vertitur in fæminarum bono et prudenti ingenio. *Af heimskum horska giörir — munnur* R. quæ inepta lectio sic vertitur Resenio: *A stultis ingeniosos discernit os illud oris efficacissimum;* utcunque sit de cæteris, illud *discernit* pro *giörir* hinc plane alienum est.

c) Sæſa, sæva, S. O.

---

55) Transtulit Johnsonius vocem *Eyvitar* per "insipientiam;" cætera egomet addidi. Vide Gl. et notam 20 supra.

XCVI.

56) Þat ek þá reynda
Er ek i reyri sat
Ok vættak míns mvnar.
Hold ok hiarta
Vár mér en horska[d]) mær.
Þeygi ek hana at heldr hefik.

XCVI.

56) *Id ego tum expertus sum,*
Cum in arundine sedebam
Et meam exspectabam voluptatem;
Caro et cor
Erat mihi lepida illa virgo,
Nihilo tamen magis eam obtineo.

XCVII.

57) Billíngs mey ek fann
Bediom á
Sól-hvíta sofa.
Jarls yndi þótti
Mér ecki vera
Nema vid þat lík at lifa.

XCVII.

57) Billingi *(ambitam) puellam inveni*
In cubili,
Solis instar candidam, dormientem;
Principis delicium
Mihi nullum videbatur esse,
Nisi cum ea facie vivere.

XCVIII.

[e]) Avk nær apni
Skaltv[f]) Oþinn koma
Ef þú vilt þér mæla[g]) man.
[h]) Alt ero óskavp

XCVIII.

Atque prope vesperam
Venias, Odine! *[introeas tu]*
Si vis tibi exorare puellam;
Nefas sane est,

d) *Mær*, O. S. vulgate, sed *mörr (mör)* Membr. et L. minus ad genium recentioris seculi.

e) *Allnær*, sub ipsam vesperam, R. et O. ex var. *Á ve* St. O. In domicilium (meum).

f) *Innkoma*, (introibis) R. (Odini nomine omisso).

g) *Meyan*, L. ex var. inepte ad sermonem et poësin. *Mey* etiam primitus fuit in Membr. at postea, punctis supra et infra adpositis, explosum est, non tamen inductum.

h) Ill, *malum infortunium*, R.

56) Incipit hic episode, Odino ipsi loqventi, ut videtur, a poëta attributa, de frustraneo ejus ambitu circa puellam qvandam regiam vel nobilem, Rindam eam forte, Ruthenicam principem, qvæ è Saxonis relatione (Hist. Dan. lib. III.) Othinum procantem sæpius repulsavit. Vid. Lex. Myth. v. *Rindvr.*

57) *Billings* forte idem qvam *bidlings*. Vid. Gl.

Nema einir viti
Slíkan lavst saman.

Nisi soli [duo] sciant
Talem culpam inter se.

XCIX.

Aptr ek[i]) hvarf
Ok vnna þóttomz
Vísom vilia[k]) frá.
Hitt ek hvgda
At ek hafa mynda
Géd hennar alt ok gamann.

XCIX.

Revertebar
(Atque amare mihi videbar)
Ab certa voluntate [voluptate].
Id autem cogitabam,
Me adepturum esse
Genium ejus totum ac delicium.

C.

Sva kom ek næzt
At in nýta var
Víg-drótt avll vm vakin
Med[l]) brennandom liósom
Ok bornom viþi
Sva var mer vil-stigr of vitaþr.

C.

Ita redibam proxima vice,
Ut strenuum illud
Præsidium omne vigilaret,
Cum ardentibus luminibus
Et gestata tæda,
Sic mihi via voluptatis erat præparata [prohibita].

CI.

Ok nær morni
Er ek var enn vm kominn
Þá var sal-drótt vm sofin
Grey eitt ek þá fann

CI.

Ac prope diluculum
Cum ego iterum venirem,
Tunc familia [omnis] consopita erat;
Caniculam unam ego tum inveni

i) Rann, *retro cucurri*, R. et apte satis.
k) *Fyri*, pro *frá*, L. ex var. i. e. *propter certum* (puellæ) *amoris adfectum*; lectio haud adspernanda.
l) Brennondom, S. Berõndom, *gestatis*, vel pressius, *portatilibus*, R.

m)Ennar gódo kono
Byndit bediom á.58)

Præclaræ illius fæminiæ
*Ligatam ad lectum.*58)

CII.

Mavrg er gód mær
Ef görva kannar
Hvg-brigd vid hali.
Þá ek þat reynda
Er iþ rád-spaka
Teygda ek a n) flærdir fliód.
Háþúngar hverrar
Leitaþi mér it horska man
Ok hafda ek þefs yetki yífs.59)

CII.

Multæ præstantes virgines,
Si rite cognoscas (inquiras),
Animo variæ sunt erga viros:
Tunc id expertus sum,
Ubi illam consilio sagacem
Ad fraudes adliciebam fæminam;
Contumeliam quamlibet
Adferre mihi studuit elegans illa puella,
*Neque ego quidquam ejus mulieris obtinui.*59)

CIII.

Heima glaþr gvmi
Ok viþ o) gésti reifr
Sviþr skal vm sik vera
Minnigr ok málvgr
Ef han vill marg-fródr vera
Opt skal góds géta.

CIII.

Hilaris domi sit herus
Atque erga hospites alacer,
Scitus quoque suis in moribus,
Memor ac multiloquus,
Si cupit multiscius esse,
Boni crebro facienda est mentio.

m) *Hins göfga mans*, R. generosæ istius puellæ.
n) Flærþ*ar*, S. etiam recte et antique.
o) Geste rýfur (corr. *rífr*) R. *erga hosp. largus*, quæ lectio in adliterationem metricam peccat.

58) Saxo Grammaticus l. c. refert Rindam, ê jussu seducti patris (qvem cæterum non nominat) toro injectam, vinctam fuisse, cum Odinus, sub fæminina specie latens, libidinem cum illa, et invita qvidem, exercuerit. (Ed. Stephan. p. 45).

59) Sic revera Rinda illa, Saxone (p. 44. l. c) teste, Odinum sæpius tractaverat. Carminibus qvibusdam mythicis, jam dudum deperditis, fabulæ illæ verisimiliter originem suam debent.

CIV.

Fimbvl-fambi heitir
Sá er fátt kann segia.
Þat er ósnotyrs[p]) aþal.

CIV.

Fimbul-fambe (fatuus) vocatur,
Qui pauca novit narrare,
Ea est [hominis] inscíti proprietas.

CV.

60) Enn aldna jötvn ek sótta
Nú em ek aptr vm kominn.
Fátt gat ek þegiandi þar
9) Mavrgom orþom[61])
Mælta ek i minn frama
I SUTTÚNGS sölom.

CV.

60) *Annosum illum cyclopem visi,*
Nunc inde sum redux,
Parum ibi tacendo nactus sum;
Multa verba[61])
Loqvutus sum in meum emolumentum
In ædibus SUTTUNGI.

CVI.

GVNNLAVD męr vm gaf
Gvllnom stóli[62]) á
Dryck ins dýra miaþar.

CVI.

GUNNLADA *mihi præbuit*
In aurata sella[62]) *[sedens v. sedenti]*
Potionem eximii illius medi;

p) *Odal*, R. *Aþall*, L. ex var. insolenter in gen. masc. *Oþall*, S. itidem, prave. In hoc Codice hæ 3 lineæ unum sibi versum sigillatim constituunt, quemadmodum et in R.

q) *Mörom*, splendida, O. in contextu, sed alterum in marg.

---

60) Incipit jam altera episode, forte ex alio poëmate desumta, et præcedentibus nostri carminis strophis à collectore qvodam vel rhapsodo annexa; — agit autem de descensu Odini, cœli et aëris Dei, ad inferas vel subterraneas Titanum mansiones, ut inde hominibus adqvireret *fruges*, è semine profunde recondito procrescentes, et præstantissimos eorum *liqvores* (vinum, medum, cerevisiam) unde mortalibus corporis et animi vires, ac inter has, poëticæ inspirationis donum, affluere possent. Vide Tractatiunculam nostram: *Digterdrikken, en oldnordisk Mythe* &c. insertam scripto periodico *Athene* Vol. VI. pag 242 sq. (pro mense Martio 1816). Cfr. porro Lex. mythol. v. *Bavlverkr, Hávi, Gunnlöd, Suttúngr, Hrimþvrsar, Rati.*

61) Nota veterum AEgyptiorum, Indorum, Græcorum et pl. mysticas opiniones de creante et efficace Dei *verbo* (λόγῳ).

62) Aurea Gunnladæ sella sive thronus alludere videtur ad auri ingentem copiam in Telluris gremio reconditam.

Ill iþgiöld[63]) lét ek
Hana eptir hafa
Síns ins heila hvgar
Síns ins svara sæva.

Mala præmia[63]) feci
Ut ea referret
Integri sui animi,
Vehementis sui amoris.

CVII.

Rata[64]) mvnn létomk
Rúms vm fá
Ok vm griót[r]) gnaga.
Yfir ok vndir
Stódomk jötna vegir[65])
Sva hætta ek havfdi til.

CVII.

Penetrantis[64]) rostrum feci,
Ut spatium obtineret,
Et saxa perroderet;
Supra et infra
Me stabant viæ cyclopum,[65])
Ita caput meum periculo objeci.

CVIII.

Vel keyptz litar[66])
Hefi ek vel notiþ.

CVIII.

Feliciter susceptæ (mutatæ)[66]) formæ
Bonum fructum nactus sum,

r) *Gnata*, O. Quod verbum quidem occurrit in Völuspá vers. 47 lin. 5. et vertitur per *allidi*, sed is sensus huc minus qvadrare videtur. Conferri interim possunt Gr. κνάω, κνέω, *scindo*, *rado*, *sculpo*, et κνήθω, *frico*, nec non κνίζω, id.

63) Per injustam illam recompensationem intellige Odini (coeli vel solis generantis) subitaneum discessum â Tellure, jamjam foecundatâ, et attractionem seminalium ac spiritualium liqvorum éx intimis ejus intestinis, invito qvidem nymphæ patre vel tutore, Suttungo, Titane, atro abyssi principe, qvi sibi ipsi, non Diis vel hominibus, illos conservari jusserat.

64) *Rati* (penetrans vel viam callens aut inveniens) vocabatur Odini terebra, qvâ jam usus est ad terram penetrandam vel perfodiendam, ut, serpentis adscititia forma instructus, in subterraneas gigantum habitationes irrepere posset. Est certe nihil aliud qvam *solaris radius*, qvo coeli numen utitur ad tellurem penetrandam, ut aërius calor et luminea vis ipsam fæcundet ad seminum acceptionem et fructificationem.

65) Saxeæ moles et subterraneæ cavernæ. Observa cæterum multarum Antiqvitatis gentium timorem et luctum circa solis abitionem vel absentiam, hiberno tempore durante, et pericula ea, qvæ tunc subire putabatur, in aspero cum tenebrarum et frigoris dæmonibus certamine. Conf. e. gr. doctissimi Creuzeri Symbolica T. II. p. 86; et veteres relationes de atavorum nostrorum ingenti gaudio ob solis reversum post solstitium hiemale, maximi eorum festi indicium et principalem causam. *Caput suum* Odinus hic forte vocat *solem*, inferos visitantem; alii nostratium et pl. mythi eum appellant illius (*Coeli, Odini, Osiridis, Jovis, Oromazdis, Visnui* &c.) oculum.

66) Vel etiam adqvisitæ formæ (aut pulchritudinis) Gunnladæ nempe.

Fáſs er fróþom vant.
Þvíat ódrerir[67])
Er nú vpp kominn
ſ)Á alda ves jarþar.

Parum perito (docto) defit;
Nam Ingenii excitator[67])
Nunc sursum venit
In terras mortalibus habitabiles.

CIX.

Iſi er mér á
At ek vera enn kominn
Jötna gördom or.
Ef ek GVNNLADAR né nytak
Ennar gódo kono
Þeirrar er lavgdomk arm yfir.[68])

CIX.

Dubium mihi est,
An adhuc redux essem
Cyclopum e domiciliis,
Nisi GUNNLADA *mihi prodesset*
Bona illa mulier,
Quæ brachium mihi super imponebat.[68])

CX.

Ens hindra dags
Gengo hrím-þvrsar[69])
HÁVA[70]) ráþs at fregna
HÁVA havllo i.
At Bavlverki þeir spvrdo

CX.

Postero die
Veniebant Geloni (frigoris dæmones)[69])
De CELSI[70]) *conditione scitatum*
In CELSI *aula;*
De Malorum-artifice percontabantur,

ſ) Á, nescit R. sed deinde habet Vers, pro Ves, et illa *Allda vers jardar*, explicat per *Carmen seculi* (pravissime).

67) Nempe *Odrærir* (Vid. Lex. Mythol.) vas grande, nectar poëtarum o: liqvores spirituales vel inebriantes promens, positum pro tali potu ipso.

68) Tellus a Coelo vel coelesti aëre foecundata, ipsius numen vel Geniun servat a Titanum vel subterraneorum dæmonum violenta persecutione, aut eum in suo gremio occulendo, aut etiam jucundo suo amplexu fovendo et roborando. Prior casus è seqventibus probabilior apparet.

69) Vi vocis gelidi, pruinosi (sive frigidi aut frigorifici) Titanes, (coelestium numinum conjurati hostes) extrema terrarum, abyssum et subterraneas cavernas inhabitantes.

70) *Celsi* i. e. Odini, Coeli sive Jovis. Ejus aula, coeli arcuatum atrium, alias nostratibus *Valhöll* (sphærica aula) &c.

Ef han veri med bavndom[71]) kominn
Eþr hefdi honom SVTTUNGR of sóit.

Num ille apud divos complices (consentes)[71]) *adesset,*
An vero illum SUTTUNGUS *e medio sustulisset?*

CXI.

Bavg-eiþ[72]) ÓDINN
Hygg ek at vnnit hafi.
Hvat skal hans trygdom trúa.
SVTTUNG svikinn
Han lét svmbli frá[73])
Ok grætta GVNNLAVDO.

CXI.

[72]) *Annulare juramentum* ODINUM
Opinor præstitisse,
Quid ejus promissis credendum est?
SUTTUNGUM *per fraudem*
Medo spoliatum dedit[73])
Et contristatam GUNNLADAM.

[CAPITULUM].

CXII.

[74]) Mál er at þylia
[75]) Þvlar-stóli at
Urdar-brvnni[76]) at

[CAPITULUM].

CXII.

[74]) *Tempus nunc est sermocinari*
In sella[75]) *oratoris*
Apud fontem Urdæ[76])

t) Hic per literam capitalem incipit Membr. sine ulla alia distinctione vel inscriptione, sed nullum distinctionis vestigium est in cæteris libris. St. et aliqvot nostræ chartæ inscribunt Sectionem hanc: *Lodfafnirsmál.*

71) *Bönd* (Vincula s: naturæ, universi, fatalis catenæ) vocabantur Dii ab antiqvis Scandinavis, uti Etrusci et Latini suos habuere Deos *complices* et *consentes.*

72) Gentiles nostri proavi præstitere juramenta ad sacrum qvendam annulum, in templo servatum, ac interdnm, qvasi armillam, a sacerdote gestatum. Fuit forte coeli rotundi, ac igitur ejus summorum numinum, vel etiam æternitatis symbolum. Cfr. T. II. pag. 395. 894. (v. *Ullr*) et Gl. v. *Baugeidr.*

73) Eripit Odinus (Zeus) Suttungo (subterraneo Titani) medum i. e. herbas, id et reliqvos spirituales liqvores promentes. Hæc stropha alias continet cyclopum luctum ob Odini iis ingratam rapinam et nimis felicem fugam.

74) Incipit jam a Oda, a prioribus certe originitus diversa, vulgo nota sub titulo *Lodfafnirsmál*, carmen Lodfafneri recitatum.

75) *Þvlr* orator, recitator. Vide Gl. sub hac voce; cfr. *Fimbul-Þvlr* ibidem.

76) *Urdæ*, Uraniæ sive Necessitatis vel Fati aut etiam creationis vel existentiæ *fons* ætherem vel aërem certe denotavit. *Ad Urdæ fontem* igitur aliis verbis exprimi potest: *sub Dio.* Cfr. obs. mox seqventem.

*) Sá ek ok þagþak
Sá ek ok hvgdak
Hlýdda ek a manna mál.

Adspiciebam et silebam,
Adspiciebam et meditabar,
Auscultabam sermonibus hominum.

CXIII.

Of rúnar heyrda ek döma u)
[Né of risting þavgdo]
Ne vm rádom þavgdo
HÁVA havllo at
HÁVA havllo i 77)
Heyrda ek segia sva. 78)

CXIII.

Super disciplinis (mysteriis) verba fieri audiebam
[Neque de incisione literarum tacuerunt]
Neque consilia silentio suppresserunt
Ad CELSI *aulam,*
In CELSI *aula* 77)
Ita sermonem fieri audivi: 78)

CXIV.

Rádomk þér x) LODDFAFNIR 79)
At þú rád nemir.
Nióta mvndo ef þú nemr.

CXIV.

Consilium do tibi, LODDFAFNER *(hæres)* 79)
Ut consilia accipias.
Fructum capies, si admittis,

*) *Sat* (sedebam) St.; M. in var.

u) *Ok regindóma*, et res divinas, theologicas, Chh. in marg. L. addunt. Deinde ex Chh. ibidem citatis in textum nostrum intulimus sequentem lineam. St. ejus loco habet: *meþ dagræþom*, seqventis autem *né um níþom þavgþo* (perperam è nostra opinione).

x) *Loddfafnir*, Membr. et L. *Loddfabnir*, S. *Lodfafner*, R. *Lodfofnir*, O. sed deinde semel *Lodfafnir*.

77) *Ad Celsi aulam* i. e. ad celsi Dei et aliorum numinum coeleste palatium i. e. sub isto; — *in Celsi aula* i. e. in (vel sub) ipsa coeli aëria camera (sub Dio) vel etiam: in Dei aprico vel intecto delubro (qvorum multa hodiedum in Dania nostra existunt). Cfr. Introductionem carminis, obs. proxime præcedentem et Lex. myth. v. *Háva-höll.*

78) Sine dubio â sacerdotibus sive doctis veterum nobilium pædagogis, qvi verisimiliter, Druidarum more, juvenes edocuere arcanas suas scientias in locis secretis, lucis et delubris sub dio sitis.

79) Ego nomen *Lodfafnir* interpretor: juvenis barbæ virilis primitias jamjam producens. Vid. Lex. myth.

Þer mvno gód ef þú gétr.
Nótt þú rísat*)
Nema á niósn sér
Eþa þú leitir þér innan útstadar.

Salutaria tibi erunt, si ea percipis:
Nocte ne cubili exsurgas,
Nisi in exploratione sies,
Aut quæras tibi foris locum (alvi levandi).

CXV.

Rádomk þér LODDFAFNIR
At þú rád nemir.
Nióta mvndo ef þú nemr.
Fiölkvnnigri kono
Skalattv i fadmi sofa
y) Sva at hon lyki þik lidom.

CXV.

Consulo tibi, LODDFAFNER!
Ut consilia percipias,
Proderit tibi, si discis:
Veneficæ (callidæ) mulieri
In sinu dormire noli,
Ita ut ea te artubus claudat (circumcludat).

CXVI.

Hon sva görir
At þú gáir eigi
Þings né þiódans máls.
Mat þú villat
Né*z*) manzkis gaman
Ferr þú sorga-fvllr at sofa.

CXVI.

Id ea efficit,
Uti tu ne cures
Conventum [publicum] neque principis sermonem,
Cibum ut ne velis
Neque cujusquam hominis (ullius puellæ) jocos,
Tu [autem] curarum plenus dormitum eas.

*) *Né sit* (ne sedeas) St.

y) Svat hún þik lióþom lyki, L. ex var., *ut ea te incantamentis circumdet.* Suo hun lyke þig ecke lydum, R. *ne ea te* &c. *Lydum* tamen, per y, mendosum est, ut et explicatio Editoris hæc: *Ne potionibus inescatus sias.*

z) Mannkis, L. ex. var. posteriore parte vocis inflexa, non item priore. Mannkyns, *humanæ gentis (lusus)*, O. quod glossam olet. *Mans* quoque in Reseniana lectione restitui posse opinamur, ut *mans gaman* sonaret *lusum venereum.*

CXVII.

Rádomk þér LODDFAFNIR
At þú rád nemir.
Nióta mvndo ef þú nemr.
Annars kono
Teygdo þér aldregi
Eyra rúno at.

CXVII.

Svadeo tibi, LODDFAFNER!
Ut consilia admittas,
Conducent tibi, si admittis.
Alterius [viri] uxoris aurem
Adlicias nunquam
Ad arcanas confabulationes.

CXVIII.

Rádomk þér LODDFAFNIR
En þú rád nemir.
Nióta mvndo ef þú nemr.
Á fialli eþr firdi
Ef þik þ) fara tídir
Fástv at[a]) virdi vel.

CXVIII.

Consilium impertio tibi, LODDFAFNER!
Tu vero id amplectare,
Juvabit te, si amplectaris:
Per montana aut freta
Si tibi ire lubido est,
Largum tibi victum prospice.

CXIX.

Rádomk þér LODDFAFNIR &c.
Illan mann
Láttv aldregi
Óhavpp at þér vita.
Þvíat af illom manne
Fær þú aldregi
Giöld ens góda hvgar.

CXIX.

Consilium do tibi, LODDFAFNER! &c.
Improbo homini
Nunquam reveles
Infortunia tua;
Nam ab homine nequam
Nunquam obtinebis
Benevolentiæ (sinceri animi) præmia.

CXX.

Ofarla bíta
Ek sá einom hal

CXX.

Asperam noxam adferre
Vidi uni homini (viro)

þ) *Fara lýder, te deprehendant, consequantur, homines,* S. *Finne lýdur, offendant homines,* R.

a) *Verþi,* O. R. et L. ex var. idem, simplicius.

Ord illrar kono.
Fláráþ túnga
Varþ honom at fiörlagi
Ok þeygi vm sanna savk.

Verba malæ mulieris;
Fraudulenta lingva
Exstitit illi perniciosa,
Nec tamen ob verum crimen.

CXXI.

Rádomk þér LODDFAFNIR &c.
Veitztv ef þú vin átt
Þannz þú vel trúir
Farþv at finna opt.
Þviat hrísi [b]) vegs
Ok hávo grasi
Vegr [c]) er vætki [d]) treyþr.

CXXI.

Svadeo tibi, LODDFAFNER! &c.
Scin, si tu amicum habes,
Cui probe fidis,
Crebro [eum] visere ito;
Nam virgulto obducitur
Et alta herba
Via, quam nullum animans calcat.

CXXII.

Rádomk þér LODDFAFNIR
En þú rád nemir
Nióta mvndo ef þú nemr.
Gódan mann teygdo
þér at gaman-rúnom
Ok nem líknar-galdr meþan þú lifir.

CXXII.

Consilium facio tibi, LODDFAFNER!
Tu vero id accipias,
Proderit tibi, si accipis:
Bonum hominem adlice
Tibi ad jucundos sermones,
Et addisce carmina salutaria (medica), quoad vivis.

CXXIII.

Rádomk þér LODDFAFNIR &c.
Vin þínom
Ver þú aldregi

CXXIII.

Svadeo tibi, LODDFAFNER! &c.
Erga amicum tuum
Nunquam sies

b) *Vegs*, Membr. L. S.; sed *vex*, O. R. usitatius.
c) Ef, *si* O. et L. in contextu.
d) *Treyþr*, Membr. L. S. inserto *y*, cujus ratio est litera *o*, præteritum et modum infinitum ingrediens.

Fyrri at flávm slitom,
Sorg etr hiarta
Ef þú segia ne náir
Einhveriom allan hvg.

Prior ad fallacem [amicitiæ] ruptionem;
Cura depascitur cor,
Nisi tibi liceat aperire
Alicui totam mentem (tuam).

CXXIV.

[e])Rádomk þér LODDFAFNIR
En þú rád nemir
Nióta mvndo ef þú nemr.
Orþom skipta
Þú skalt aldregi
Viþ[f]) ósvinna apa.

CXXIV.

Consilium promo tibi, LODDFAFNER!
Tu autem id percipias,
Conducet tibi, si percipis;
Verba commutes
Tu nunquam
Cum insulsis scurris.

CXXV.

Þvíat af illom manne
Mvndo aldregi
Góþs lavn vm géta.
En gódr máþr
Mvn þik görva mega
Líkn-fastan at lofi.

CXXV.

Nam ab improbo homine
Tu nunquam referes
Benignitatis præmia;
Probus autem homo
Te reddere poterit
Stabilem in favore (vulgi) sua commendatione.

CXXVI.

Sifiom er þá blandat
Hverr er segia ræþr
Einom allan hvg.
Alt er betra

CXXVI.

Grati adfectus inter se miscentur,
Ubi quis aperit
Alteri omnia animi sensa.
Quidvis potius est,

e) Hi duo versus hoc loco desiderantur in R. sed postea in varietate partim adferuntur.
f) *Osvinnan*, L. in textu, singulariter.

Enn sé brigdom at vera.
Era sá vinr avdrom
Erg) vilt eitt segir.

Quam fallaci esse,
Alteri amicus non est,
Qui [ei] grata tantummodo loquitur.

CXXVII.

Rádomk þér Loddfafnir
En þú rád nemir
Nióta mvndo ef þú nemr.
Þrimr ordom senna
Skalattv þér viþ verra mann.
Opt inn betri bilar
Þá er inn verri vegr.

CXXVII.

Consilium do tibi, Loddfafner!
Tu autem id addiscas,
Juvabit te, si discis:
Tribus verbis altercari
Noli cum homine te pejore;
Sæpe deficit melior,
Ubi pejor pugnat.

CXXVIII.

h) Rádomk þer Loddfafnir &c.
Skó-smiþr þúi) verir
Né skepti-smiþr
Nema þú siálfom þér sér.
Scór er skapaþr illa

CXXVIII.

Consulo tibi, Loddfafner! &c.
Calcei opifex ne sis
Neque manubrii,
Nisi tibimet sies;
[Si] calceus male formatus est,

g) *Vilt*, Membr. L. S. *Villt allt*, O. (grata omnia) pro *vildt*, neutr. τοῦ *villdr*; sed alterum videtur esse immediate a *vil*, *voluntas*.

h) Sequentem versum hic inferunt, R. et St. qui alias exstat in *Sigrdrífo-málom* paullo ante finem (T. 2. pag. 205): *Allt er vant ad þú vid þeiger, Þá ertu bleyde vm borenn edur ad Sonnu* (corr. *sönnu*) *sagdur: Annars dags láttu hans ord umfaren, og stödva svo lydum lyge;* R. i. e. *Periculosum (tamen) prorsus est — percurre (repete) ejus verba*, ex nostra versione, nam Resenii, *occurre*, nullo pacto procedit; possit et sensus esse: *prætermissa facias, in totum negligas, atque ita* (per silentium et contemtum) *sistas hominum mendacia;* et ultimum forsan optimum sit, et vero Philosopho dignum. Nota est Paroemia nostratium: *Svo skal forsmá leidan, at svara honum avngo* o: ita contemnendus est homo odiosus, ut nihil ei respondeatur.

i) *Ecki vert*, R. quod in versione nostra expressum, cæteri libri negationem *(né)* antiquo more subaudiunt. *Verir-a* St. (recte, ut videtur).

Eþa[k]) skapt sé rángt
Þá er þér bavls bedit.

Aut [si] manubrium sit distortum,
Tunc tibi mala imprecantur.

CXXIX.

Rádomk þér LODDFAFNIR
En þú rád nemir
Nióta mvndo ef þú nemr.
Hvars þú bavl kant
[l]) Qveþv þer bavlvi at
Ok[m]) géfat þínom fiandom friþ.

CXXIX.

Consilium facio tibi, LODDFAFNER;
Tu vero id accipias,
Fructum capies, si accipis:
Ubicunque molestiam noveris,
Eam cense molestiam tuimet [esse],
Atqui ne concedas tuis adversariis pacem.

CXXX.

Rádomk þér LODDFAFNIR
En þú rád nemir
Nióta mvndo ef þú nemr.
Illo feginn
Ver þú aldregi
En lát*) þer at gódo gétit.

CXXX.

Consilium impertio tibi, LODDFAFNER!
Tu autem id percipias,
Conducet tibi, si percipis:
Ex malo voluptatem
Nunquam capias,
Sed cures, ut bonum tibi complaceat.

k) *Skapt er rángt telgt*, R. ɔ: hasta fatue dolata, ex Ejus versione, "manubr. l. hastile" perverse dolatum, ex nostra. *Skepti*, pro *Skapt*, L. ex var. id.

l) *Qveþv þat*, St. L. in textu, *eam agnoscas pro molestia. Qveþaþ bölvi at*, O. *ne cense molestiam esse;* vel, *ne molestiam incantamento augeas*, paullo plausibilius altero. *Qveþa þat b. at*, S. sensu fere eodem cum ultimo. Ipsius Membranæ lectio est dubia, propter illi non insolens scribendi compendium in secunda voce, quod tamen e priscis regulis magis accedit ad *þér* quam *þat*, et clariorem facit sensum. Denique, *Giördu þier bölve ad*, R. *eam tibi molestiæ habe*, lectio, ut videtur, cæteris præstantior, saltem distinctior, si quidem de misericordia Odini (aut quicunque ille fuerit, qui hæc præcepta dederit adolescenti) in universum constaret.

m) *Gief þ. fiendum fr.* R. *pacemque indulge hostibus tuis.* Quæ si ex Odini persona dicta sint, mire ab eo commendaretur placabilitas erga inimicos.

*) *Þín*, St. R. L. (var) ɔ: de te propitiam fieri mentionem.

CXXXI.

n) Rádomk þér LODDFAFNIR &c.
Upp líta skalattv
I orrosto.
Gialti**) glíkir
Verþa gvmna synir.80)
o) Síþr þitt vm heilli halir.81)

CXXXI.

Consilium promo tibi, LODDFAFNER! &c.
Ne sursum adspicias
Inter pugnandum;
(Tunc) porco similes
*Evadunt hominum gnari,*80)
*Eo minus res tuas fascinabunt viri.*81)

CXXXII.

Rádomk þer LODDFAFNIR &c.
p) Ef þú vilt þér góda kono
q) Qveþia at gaman-rúnom
Ok fá favgnvþ r) af.
Favgro s) skaldv heita

CXXXII.

Svadeo tibi, LODDFAFNER! &c.
Si vis tibi bonam fœminam
Compellare ad jucunda colloquia,
Et gaudium ex ea capere;
Pulchrum spondeas

n) Hunc versum ignorat R.
**) *Gialli* (scoriæ ferri) St.
o) *Síþan,* S. et L. in contextu, *deinde, postea.* Membranæ scriptio est anceps, quemadmodum paullo superius sub var. y. sed compendium fideliter imitatus est L. in marg. *Síþir* St. *Síþer,* O. quod in eo valere solet *Síþr,* e sua scribendi hæresi.
p) *Villtu þier g. k. geta Gamanrúnum ad,* R. *conciliare. Ad,* pro vocula instrumenti cepit Resen. quod vix procedere opinamur.
q) Geta, O. sicut R. modo.
r) *At,* S. ejusd. sensus, haud spernenda varietas.
s) Skaldu, Membr. L. cæteri Skaltu, skallt þú, usitate. Mox Lofa, pro Heita, R.

---

80) Cum qvis terrore panico perculsus e prælio fugeret, eum proverbialiter veteres dixere in porcum, vérrem vel aprum mutatum evasisse. Qvidam simpliciores proverbium ad literas interpretati sunt, de talis mutationis possibilitate securi. Vid. e. gr. *Vatnsdœla* (Havniæ 1812. 4.) pag. 107. et editoris, doctissimi nostri *Werlaufii*, annexam annotationem. Cfr. Gl. v. *Gialti.*

81) Non diffiteor hunc versum obscuritate qvadam laborare. Mallem legere: *sidr þik vm heilli halir* (eo minus te fascinabunt — noxiis forte oculis vel adspectu — alii viri o: militantes hostes).

Ok [t]) láta fast vera.
Leiþiz [u]) mangi gott ef gétr.

Et [id] firmum esse facias,
Tædium virgo non contrahit, si bonum nanciscitur.

CXXXIII.

Rádomk þér LODDFAFNIR &c.
Varan bid ek þik vera
Ok eigi of-varan.
Ver þú viþ avl varastr
Ok viþ annars kono.
Ok viþ þat iþ þridia
At þiófar né leiki.

CXXXIII.

Svadeo tibi, LODDFAFNER! &c.
Cautum jubeo te esse,
At non nimis cautum;
Circa pocula cautissimus sis
Et circa alterius uxorem,
Atque circa illud tertium,
Ne fures [te] ludificent.

CXXXIV.

Rádomk þér LODDFAFNIR &c.
At hádi né hlátri
Hafdv aldregi
Gést ne gánganda.
Opt vito ógörla
Þeir er sitia inni fvr
Hvers þeir ro kyns er koma.

CXXXIV.

Consulo tibi, LODDFAFNER! &c.
Neque contumeliæ neque irrisioni
Habeas unquam
Hospitem mendicumve (vel viatorem);
Sæpe parum perspiciunt,
Qui intus præsident in ædibus,
Quale [hominum] genus sint advenæ.

CXXXV.

[x])[Lesti ok kosti
Bera [y]) lióþa synir

CXXXV.

Vitia et virtutes
Gerunt mortalium filii

[t]) *Fast láta vera*, Id. satis commode ad metrum.

[u]) *Manngi* St. *Margr*, O. R. et L. ex. var. *ducuntur (adliciuntur) multi, si bonum nanciscuntur.*

[x]) Hæ 3 lineæ illatæ sunt e Chh. in marg. L. haud inutili consilio, opinamur, nam videntur per se, et ad contextum, genuinæ.

[y]) *Liópans börn*, (hominis progenies), L. ex altera var. *Liópan* quidem parum notum est, sed ab analogia τοῦ *þiópan* tamen sustentatur.

Blandna brióstom í].
Erat maþr sva góþr
At galli né fylgi
Ne sva íllr at einvge dvge.

Mixta in pectoribus:
Nemo adeo bonus est,
Quin [ei] nævus hæreat,
Neque adeo nequam, ut in nulla re sit frugi.

CXXXVI.

Rádomk þer LODDFAENIR &c.
At három þvl
Hlæ þú aldregi.
Opt er gott þat er gamlir qveþa.
Opt or[z]) skavrpom belg
Skiliń ord koma
þeim er hángir med ham
Ok þ) skollir med skrám
Ok[a]) vafir med vilmögom.

CXXXVI.

Consilium do tibi, LODDFAFNER! &c.
Canum oratorem
Deride nunquam,
Bonum sæpe est quod senes loquuntur;
Sæpe ex aspero folle
Scita verba proveniunt,
Eo, qui corpore pendulus est
Et eminulas gerit cicatrices
Atque vacillans oberrat inter viles homunciones.

CXXXVII.

Rádomk þer LODDFAFNIR
En þú rád nemir.

CXXXVII.

Consilium facio tibi, LODDFAFNER,
Tu vero consilium admittas,

z) *Skavrpom*, Membr. L. et. O. *Skorpnum*, manu recentiori ignota in summa pag. Membr., magis ex usu. *Skaurom*, S. forte a *Skárr*, incisus, sulcatus, etsi hoc per se insolens sit. Denique *Skolpnum*, sordido, *illuvioso*, R.; sed Resen. metrice hæc dedit: *Sæpe etiam est olitor valde opportuna loqvutus*, libere satis, et ex aliquo, ut credimus, priscorum poëtarum.

þ) *Skroller*, R. modernius ad usum, sensu simili. *Olavio* id valet *strepere;* forte habuit respectum ad Dan. *Skrald*, crepitus magnus et confusus. Resenius pro horum interpretatione alio relegat lectorem, nempe ad Specimen Runicum, nescimus quod.

a) *Váfir*, L. *Vafrar med vilmegum*, R. *minutis gradibus errat* &c.

Nióta mvndo ef þú nemr.
Gést þú ne geyia
Né á[b]) grínd hrækir.
[c])Gét þú valoþom vel.
[d])[Þeir mvno líkn þér lesa].

Expediet tibi, si admittis:
Hospitem ne adlatres,
Neque porta extrudas,
(Sed) egenis largiter præbeas,
Ii prosperitatem tibi precabuntur.

CXXXVIII.

Ramt er þat tré
Er ríþa skal
Avllom at vpploki.
Bavg þu géf
[e])Eþa þat bidia mvn þér
[f])Læs hvers á lido.[82])

CXXXVIII.

Firma est illa vectis,
Quæ in sublime tolli debet
Ad aperiendum omnibus:
Annulum (obolum) dona,
Alias id (hominum genus) exorabit tibi
Malum quodcunque in artus.[82])

CXXXIX.

Rádomk þer Loddfafnir
En þú rád nemir

CXXXIX.

Consilia offero tibi, Loddfafner!
Tu vero consilia discas,

b) *Grund hrekir*, O. *in campum ejicias*, planius cæteris. *Hrækir* (l. *hrökir*) in eisdem potest ex hoc *Hrekir* variatum esse, ab adfectatione æ (et ö) pro *e* substituendi, quæ interdum accidit libris optimis. *Krökir*, l. *krækir*, L. in contextu, *de foro clathrata unco suspendas*, qui forte olim fuerit hominum improborum lusus erga hospités miseros.

c) *Giör*, R. et L. pro var. *bene facias.*

d) Hoc L. ex Chh. in margine adfert, neque id importune.

e) *Og mun þad bidia þier*, St. R. lepidius ad metrum, quam in cæteris, *Atque id* &c. despice ad var. o. prox.

f) *Lofs hvers hiá lýdum*, St. R. et O. in marg., unde tamen *hvers* excidit; i. e. *omnifariam laudem apud homines.* Cæteri omnes legunt *Læs-á lido.*

82) Sensus strophæ est: "Eum herum oportet valde opulentum esse, cujus fores cuivis hospiti vel mendico patere qveunt. — Tu tamen, qvamvis tantis divitiis non sis præditus, des egeno mendico obolum *(baug)*, ne id hominum genus tibi maledicat et te ubicunqve diffamet."

g) Nióta mvndo ef þú nemr.	*Proderunt tibi, si discis,*
[Þér skvlo nýt ef nemr,	*Commoda fore promitto, si discis,*
Góþ ef þú gétr.	*Bona, si obtines,*
Þörf sem þú þiggr.	*Utilia, prout accipis,*
Holl ef þú hefir vel].	*Salutaria, si bene uteris:*

CXL.

CXL.

Hvars þú avl dreckr	*Ubicunque tu poculis indulges,*
Kiós þú þér jardar-megin[83])	*Elige tibi telluris vim,*[83])
Þvíat jörd tekr vid avldri	*Nam tellus excipit potum validum,*
En eldr vid sóttom[84])	*Ignis autem morbos,*[84])
Eik viþ *h*) afbindi[85])	*Quercus tenasmum,*[85])
i) Ax vid fiölkyngi	*Spica veneficium,*
k) Havll vid hyrógi	*Aula (domus) famulitii dissidia*

g) Hanc lineam transiliunt Chh. in marg. L. sed perseverant cætera quatuor sequentibus lineis cancellatis, in quibus duæ res adparent, 1) amoris adfectus præceptoris erga discipulum, et 2) copia priscorum in eadem re multimodis exprimenda; cujus dotis insignia exempla, præter cæteros, exhibet *Laxdœla magna.*

h) *Afbindi*, S. *Afbende*, St. R. usitate. *Abbindi*, Membr. L. *Abindi* (an *ábindi*) O.

i) *Ags*, St. O. minus usitate, etsi originationi non prorsus repugnanter, si Lat. *Augeo* respiciatur. *Öx*, R. quod in plurali rectum.

k) *Hel*, R. et L. ex var. quod Resen. vertit: *Letum recipit fulmina*, primo obscure in sensu ad rem ipsam, ac deinde miramur, unde Ei *fulmina* ista pro *Hyrogi* subdita sint.

---

83) I. e. invoca amplam Tellûrem, ut sua vi tuas vires roboret. Ejus numen alias a Germanis et Scandinavis colebatur sub nominibus *Hertha, (Erde, Jörd) Frigga, Sif (Siva)* p. p. Observatione præterea dignum est, qvod terra omnes herbas, qvæ inebriantem potum promunt, ipsa progeneret, et liqvorem illum, post hausta ab homine vina, iterum variis modis recipiat.

84) Ignis numen ab antiqvissimis temporibus inter plurimas gentes divino cultu honoratum fuit; sic etiam apud Scandinavos (Vid. Lex. mythol. v. *Logi, Ve, Þór*). Discimus hic, qvod morbos pellere crederetur è vulgi opinione. — Notum alias est, qvod *cauteria* et talia ignita medicamina iis, (uti adhuc Finnis Norvagicis et Indis ac pluribus Orientis populis) freqventer in usu fuerint. Plurima pharmaca prætcrea ignis auxilio præparantur. Cfr. etr. 68.

85) Qvercus et ejus fructus (præcipue celeberrimum viscum) magni olim æstimabantur, ut sacras et medicas virtutes, è vulgi opinione, possidentes.

Heiptom skal[l]) mána qveþia[86])
[m])Beiti viþ bit-sóttom[87])
En viþ bavlvi[n]) rúnar[88])
Fold skal viþ flódi taka.[89])

Iras atroces luna invocata,[86])
Animal (vel instrumentum) mordax
morbos e morsu ortos,[87])
Sed mala (malas imprecationes) cha-
racteres (sermones) magici;[88])
Tellus fluidum excipiat, oportet.[89])

[o])CAPITULUM

RÚNATALS-ÞÁTTR OÞINS.[90])

CXLI.

[91])Veit ek at ek héck
Vindga meidi á

CAPITULUM

S. SEGMENTUM, RUNICAS ARTES ODINI ENUMERANS.[90])

CXLI.

[91])*Scio me pependisse*
In arbore aëria

l) Mána, L. Mana, O. R. Man, S. *puella.*

m) Beit, R. ex Ejusdem versione in hanc lineam: *Repugnantia morbos epidemicos,* adversus Sermonem, et magis e suo sensu quam nostro.

n) *Rúner*, R. magis moderne, lineam vertens: *Runæ diras dolent*; hæc intelligat qui intelligere poterit!

o) Membrana hic nullam distinctionem facit, præterquam per literam capitalem, quemadmodum ante Consilia præceptoris in præcedentibus. S. etiam nude hic ponit *Cap.* in margine, et sic Textum sine ulla distinctione continuat. *Runa Capitule,*

86) Verbo tenus: "In iris atrocibus Luna est invocanda." *Freja* amoris et noctis Dea, lunæ certe præfuit, non igitur mirum si ejus numen iras placare potuerit.

87) Ni fallor, eadem opinio hodiedum apud vulgum nostratem valet.

88) Forte etiam maxime simpliciter: sermones vel confabulationes (amicæ) luctum excipiunt i. e. dolores jucundis colloqviis (vel conversatione) levantur aut removentur.

89) Respice versum primum hujus strophæ.

90) Carmen hocce minime Odino ipsi attribuendum, sed alicui ejus sacerdoti, qvi propriam suam mentem ut illius numinis, sive *mundanæ animæ*, portiunculam consideravit.

91) Describit forte vates (sacerdos) in hac stropha suam conceptionem et mansionem in matris utero, mystice satis. Arbor *aëria* idem est ac aëre circumdata, in aëre habitans vel fluctuans; est autem (nisi Ygdrasillum præferre malis) nil aliud, qvam ipsius poëtæ *mater*, nam homines, (mas et femina) ex *arboribus*

Nætvr allar nío.	*Integras novem noctes,*
p) Geiri vndaþr	*Telo vulneratum*
Ok gefinn Ódni	*Et addictum* Odino,
Sialfr siálfom mér.	*Memet mihi ipsi,*
A þeim meiþi	*De illa [quidem] arbore,*
Er mangi veit	*Quam nemo novit*
Hvers han af rótom renn.	*Cujus (qveis) radicibus ista exoriatur.*

CXLII. CXLII.

Vid hleifi mik *q*) seldo	*Nec libo me bearunt*

inscribit R. *Rúna-þáttr Odins*, L. ex. Chh. et denique *Rúnatals-þáttr Odins*, St. O. ab novo incipiens, quod, ut verum Titulum ultimæ partis hujus Poëmatis, adoptavimus; ultimus ejusdem partis versus satis superque monstrat, quod etiam hic *Rúnatals-þattr* ad poëma *Hávamál* pertineat, neque ab eo sit Carmen diversum. *þáttr*, ut notum est ex Historiis, est Segmentum, a cætera narratione digrediens, sed tamen quomodocunque ad rem pertinens.

p) *Geire (geyr) vandadur*, R. et *Gudmundus Andreæ* in Notis in Caput Runicum. *Vandadur* per *ornatam* exponit Resen. neque est ut aliter potuerit; *G. Andr.* videtur valere *affabris*. Utcunque de istis sit, lectio parum sani in se habet, atque idem videmus *J. Olavium* sentire, etiamsi *Resenium* in cæteris sequi adsoleat.

q) *Seldo*, omnes Codd. præter C. N. in R. qui *Hielldu (héldo)* exhibet, o: *sustentarunt*, interprete *G. Andr.* nam *Resenius* utrumque sicco pede præteriit. Utraque lectio satis plausibilis est.

---

primum creati sunt, et harum igitur omnibus appellationibus designari qveunt. *Novem* ejus *noctes* sunt vel periodi lunares i. e. *novem menses*, qveis foetum mulier gremio fovet. *Telum* poëtæ nil aliud qvam Græcorum *phallus* (nostratium *falr*) qvem *Skálda* ipsa *telum* appellat (Ed. Holm. pag. 223). Foetus addicitur *Odino*, cum vitam vel animam ab ipso nanciscatur (ex effato Valæ: *animam dedit Odinus*); ab isto Deo emanant qvotidie aves illæ mythicæ *Hugin* (animus, mens, cogitatio) et *Munin* (memoria, recordatio), et sæpe ad eum revertuntur. — Cum hominis *anima* sic numinis particula sit, ille, cum gignitur, Odino et simul sibi ipsi dari vel sacrari dicitur. Circa ultimos tres versus cfr. carmen *Fiölsvinnsmál* 21. T. I. p. 271. Nihilominus lubens concedo, qvod noster poëta ad ipsius Odini mythicam historiam aliqvem habuerit respectum, et tum illam cum Indorum de *Budda* vel *Boda* Deo fabulis non inepte comparare possumus. Ambo Dii incarnati fuere et in juventute multas ærumnas passi, sed tamen, cito adulti, omnibus Deorum et Gigantum mysteriis initiati feruntur p. p.

Né viþ[r]) hornigi 92)
[s])Nýstà ek niþr 93)
Nam ek[t]) vpp rúnar 94)
Æpandi nam
[u])Fell ek aptr þaþan. 95)

Neque cornu potorio, 92)
Speculabar deorsum, 93)
Sustuli sermones 94)
Ejulans [eos] didici,
[Denique] rursus inde delapsus sum. 95)

CXLIII.

96)Fimbvl-liód nío
Nam ek af enom[x]) frægia syni
[y])Bavlþorns Bestlo favdvr, 97)

CXLIII.

96) *Famigerata (Præstantissima) novem carmina*
Didici ex celebri illo filio
Bölthorni, Bestlæ *patris* 97)

r) *Horninge*, R. *Hornúngi*, etiam alias vidimus, sed opinamur tamen utrumque depravatum esse, propter inscientiam Lingvæ nostræ veteris.

s) Sic Membr. L. R. per *y*, item S. Nýstac, junctum; sed *Nista*, per *i*, St. et e nostris O. solus. Scriptio hujus vocis in origine vertitur, sed ad priorem per *y* nos magis declinamus. Deinde *Nidre*, *niþi*, *niþir*, L. ex varietatibus, i. e. *subtus*, *per novilunium* aut *cognatos*, ad verbum; ultimum nihil sonat h. l.

t) Uprúnar, una voce, O. S. pro posterioris libri improbo more, particulam nomini præcedentem eidem adglutinandi. Alias *Uprúnar* l. *Upprunar* quomodocunque notare possent *Coelestes disciplinas*.

u) Fell, O. sed Föll, Membr. L. R. et S. in marg. Fæll, S. in contextu, et L. in marg. quod nostræ lectioni congruit. Cæterorum *Föll* pro Verbo eodem recidere potuerit, pro antiqua scribendi ratione.

x) *Fróþa*, *multiscio*, *perito*, O.

y) *Bavlþorns*, nobis edere visum est ex auctoritate *Snorrii* in Edda sua Fab. VI. unde quidam nostrorum parum abeunt, legentes *Bavlþórs*, sc. Membr. L. et S. *Bavlþorni*, St. O. et L. ex una var. *Bolþorne*, R. sed *Bölþóri*, L. ex altera var., filio tribuentes, quod patri debuerant, adversus modo citatum Auctorem classicum. Deinde *Beslu*, R. S. quam etiam varietatem videre est apud *J. Olavium* in collatione Eddæ Snorrianæ. *Beislo*, L. ex var. *Bersto*, O. quibus omnibus gravitatem *Snorrii* nostri opponimus.

92) Foetus in matris utero nec libo (pane), nec cratere (potu) nutritur.

93) In terram nempe, ipso partu durante.

94) Hic forte rectius. inarticulatos sonos (qvales infans edere solet).

95) ɔ: Cecidi sive deveni deorsum in tellurem (partu nempe consummato).

96) Hic loqvitur poëta de literaria sua educatione et profectu.

97) Hæc *Bestla* vel *Belsta*, Edda juniore docente

Ok ek dryck of gat
Ens dyra miadar
Avsinn z) Ódreri. 98)

Prœterea potum nactus sum
Divini illius medi
Haustum ex Odrere. 98)

CXLIV.

Þá nam ek þ) frævaz
Ok fróþr vera
Ok vaxa ok vel hafaz.
Ord mér af ordi
Orz leitadi.
Verk mér af verki
Verks leitaþi.

CXLIV.

Tunc efflorescere coepi
Et multiscius esse
Crescereque ac nitere (me bene habere);
Verbum mihi ex verbo
Verbum adquisivit,
Factum mihi ex facto
Factum adquisivit.

CXLV.

Rúnar mvnt þú finna
Ok rádna stafi 99)
Miök stóra stafi
Miök stinna stafi.
Er fáþi Fimbvl-þvlr

CXLV.

Characteres (sermones) invenies
Et explicatas literas, 99)
Prægrandes literas,
Prævalidas literas,
Quas pinxit (polivit) famosus rhetor,

z) Oþræri, St. *Odræri*, R. Alii *Od-reyri*, Ó-*dreyri*.
þ) Hæc lectio simplicissima videtur, quam et adstruit O. quadamtenus, etsi per duo *s* Verbum terminet. *Frövaz*, Membr. L. S. *Frevast*, R.

---

fuit *Boris* vel *Buri* conjux, sed Odini mater. *Bölthor* igitur sive *Bölthorn* erat hujus Dei avus. Omnes hæ mythicæ personæ nil aliud sunt qvam entia cosmogonica, variis fabularum poëticis figuris involuta, sed nobis cæterum nimis ignota. *Bolthornis* natus vel prognatus, hic laudatus, verisimiliter ipse Odinus erit.

98) Poësin nempe, aut poëticam ipspirationem vel artem. Cfr. supra Obs. 67.

99) Qvas Vates, ut ipse refert, ab Odino, poëseos et literarum principali auctore, edoctus fuerat, vel forte etiam jam in possessione habebat. Cfr. obs. nostras T. II. pag. 925. seqv.

Ok gördo[a]) ginn-regin
Ok reist hroptr[b]) ravgna.

Et formarunt amplæ potestates, (numina)
Sculpsitque præco deorum (principum);

CXLVI.

[c]) Oþinn med ásom
En fvr álfom[d]) Dáinn.
[e]) Dvalinn ok dvergom fvr.
[f]) Ásvidr jötnom fvr.[100])
Ek reist siálfr svmar.[101])

CXLVI.

Odinus *inter Asas (cælestes Deos)*
Sed apud semones (genios) Daïnus,
Dvalinus *quoque apud nanos, (dæmones terrestres)*
Asvidus *apud gigantes,*[100])
Ego ipse quasdam incidi.[101])

CXLVII.

[102]) Veiztv hve rista skal.
Veiztv hve ráþa skal.

CXLVII.

[102]) *Nosti, quomodo (scindendum) incidendum sit?*
Nosti, quomodo interpretandum?

a) *Ginn-regin*, per duo *n* in prima, Membr. L. O. sed *Gin-regir*, R. S.
b) *Ragna*, O. haud improbandum.
c) Hic versus desideratur in O..
d) *Dvalin*, R. et L. ex. var.
e) Dáinn, L. ex var. sed Dáen, R.
f) *Ásvidr*, omnes nostri Libri, sed Alsvidr, (St.) *Omniscius*, alias vidisse opinamur. Deinde *Jötunn*, pro *Jötnom*, a primo fuit in Membr. sed post mutatum est manu eadem.

---

100) Hic verisimiliter agitur de characteribus vel figuris, qvas ipsa natura formavit in coelo (inter Asas) in aëre, arboribus, aqvis &c. (apud Alfos vel genios) in saxis et lapidibus (apud Dvergos) vel in terræ imis cavernis aut extremo septentrionis frigore (apud Titanes vel gigantes). Cfr. loca mox citata.

101) Hic auctor loqvitur de se ipso, ut diverso ab Odino, in primo strophæ versu nuncupato.

102) Incertum sane mihi est, qvo primi dimidiæ præsentis strophæ versus tendant — num nempe agant de magicis characteribus, ligno vel lapide incisis, an etiam de ramulis illis vel tenis, qveis veteres Germani et verisimiliter etiam Scandinavi, ad sortilegia vel divinationes usi sunt (teste Tacito in Germania cap. 10.) ad modum Scytharum, Alanorum, Persarum, Medorum et pl. — uti demonstrare conatus sum in particulari disqvisitione. Hoc casu accepto, ita stropham interpretari velim:

Nosti qvomodo scindendi (sacri ramuli o: *blót-spænir*)?

Veiztv hve fá skal.
Veiztv hve freista skal.
103) Veiztv hve bidia skal.
Veiztv hve blóta skal.
Veiztv hve senda skal.
Veiztv hve sóa skal.

Nosti, quomodo adquirendum (pingendum)?
Nosti, quomodo tentandum?
103) *Nosti, quomodo petendum?*
Nosti, quomodo sacrificandum?
Nosti, quomodo mittendum?
Nosti, quomodo consumendum?

CXLVIII.

Betra er *g*) óbeþit
Enn se *h*) of-blótiþ 104)
i) Æy sér til gildis giöf.

CXLVIII.

Satius est, nihil orari,
Quam nimium immolari, 104)
Semper respicit donum talionem;

g) Ofbeþit, L. in contextu, ubi *Of* negativum esse potest, ut in noto illo *Of-lióst*, pro *Olióst*, in Skalda nostra.

h) *Obflotit*, L. ex var. ubi *f* intrusum videtur aliâ manu, saltem alio atramento, adeo ut primum fuerit *Óblótit*, cujus sensus foret qualiscunque: *Nihil immolari*; quasi *preces*, sine *sacrificiis s. oblatione ad Deos, nihil valeant.*

i) Hanc lineam demum ponunt Clh. in marg. L. post *Sóit.* Hic vero addunt: *Betra er ófegit, Enn sé offreistit*, ɔ: satius est nihil acceptum, quam nimium (nihil) tentatum, lectione et sensu ancipiti.

Nosti qvomodo interpretandi (sortilegio rite instituto)
— — pingendi (signandi cfr. Gl. v. *fá*) vel etiam:
qvomodo adqvirendi (vel cum qvibus ceremoniis, in sylva, fruticeto vel horto)
Nosti qvomodo tentandi vel examinandi (an, vel qvæ numinis oracula contineant).

103) Altera strophæ pars de *precibus* et *sacrificio* agit; ultimi versus ita nempe explicandi:
Nosti qvomodo mittendæ dapes (ex animalibus sacrificatis, ad Divos vel eorum sacerdotes); vide Gl. v. *senda.*
Nosti qvomodo consumendæ sacrificii reliqviæ ɔ: a viris secularis ordinis, sive laicis, qvi carnes non rite sacratas, instituto in templo convivio, junctim comedebant.

104) Vide lectionem variantem sub Litr. h. qvæ mihi rectior apparet, cum sensus foret:
Satius (Commodius) est nihil orare
Qvam nihil immolari;
qvæ certe sententia gentili sacrificulo dignissima. Hæc versio simul tertio strophæ versui optime convenit.

Betra er[k]) ósennt
Enn sé[l]) of-sóit.[105])
[m]) Sva ÞVNDR[106]) vm reist
Fvr þióþa ravk
Þar han vpp vm reis
Er han aptr of kom.[107])

Satius est nihil mitti,
Quam nimium profundi (consumere).[105])
Ita THUNDUS[106]) *incidit (lege scripta jussit)*
Ante populorum primordia,
Ibi ille surrexit,
Quo rursum venit.[107])

CXLIX.

Lióþ ek þav kann
Er kannat þiódans[108]) kona
Ok mannzkis mavgr.
Hiálp heitir eitt
En þat þér hiálpa mvn,

CXLIX.

Carmina illa calleo,
Quæ nescit civis[108]) *uxor*
Et nullius mortalis filius:
Auxilium vocatur primum,
Id autem tibi auxiliabitur

k) *Oheimt, (nihil adquisitum)*, Editor ipse has duas lineas verterat, *Satius est non mittere, quam revocare missum opus sit.* Unde apertum est, Eum *Ósennt* alicubi habuisse, cum librum suum ederet; posteriora vero in versione Ejus prorsum a vero aberrant.

l) *Afsóed*, R. *demtum, ademtum*, jejune.

m) His 4 lineis versum continuant Omnes.

---

105) I. e. Commodius est Diis nihil mittere (dare vel sacrificare) qvam qvod nimiam sacrificii partem ipse oblator consumat.

106) Odinus nempe, vide Lex. mythol.

107) Qvatuor ultimi versus teguntur spississimis mysticismi ethnici tenebris, qvas vix illustrare possumus. Tentavi aliqvando postremas lineas ita explicare: Tradidere veteres, (teste Snorronis *Ynglinga Saga* Cap. 10.) qvod Odinus, Sveciæ vel etiam totius Boreæ summus princeps et pontifex, se Deum incarnatum prædicans, post sponitaneam mortem, flammis ex proprio jussu consumtus fuisset, qvoad corpus nempe, non autem qvoad divinæ animæ vitam; sic is, corporis fæcibus igne depuratis, surrexit, per funebris rogi fumum, ad coelestia Deorum habitacula, et inde is (è nostri, ut puto, vatis sententiâ), placidus descendit ad suorum cultorum sacrificia, in sacra arâ, flammis et fumo obvoluta. Sententiâ dictorum igitur hæc erit: *é flammis surrexit Odinus, ad eas iterum reveniet.*

108) Forte etiam principis, nobilis viri; tales fæminæ, sine dubio, olim optime edoctæ fuerunt.

Vid savkom ok[n]) sorgom
Ok[o]) sútom görvöllom.

Adversus controversias et ægritudines
Et curas universas.

CL.

Þat kann ek[p]) annat
Er þvrfo yta synir
Þeir er vilia[q]) læknar liva. [109])

CL.

Illud scio secundum,
Quod opus habent hominum gnati,
Qvi medici vivere volunt. [109])

CLI.

Þat kann ek þridia
Ef mér verþr þavrf mikil
Haptz viþ mína heipt-mavgo.
Eggiar ek deyfi

CLI.

Id calleo tertium,
Si mihi magnopere opus siet
Vinculo (retinaculo) adversus infensos
mihi homines:
Acies [telorum] hebeto

n) *Sóttum*, o: dolores (animi) R.
o) *Sóttum*, ut modo ante, L. ex var.
p) Non plenis verbis, sed per numeros Romanos hunc et sequentes scientiæ Odinicæ articulos exprimit Membr. et sæpe R. sed in gratiam Exterorum, et nequa poësi fieret injuria, nobis visum est plenis literis eos numeros edere.
q) *Leikner*, O. ad verbum, *experti*, indefinite nimium.

---

109) Tres ultimi strophæ versus manifeste desunt. Videtur alias Snorro Sturlæus in sua Ynglingorum historia Cap. 6 et 7, hoc carmine usus fuisse, et id qvidem ipse sic interpretatus esse, ut Odinus, ibi ipse loqvens, proprias enumeraret magicas artes — qvas Snorro, è suo in illa historiâ conscribenda more, omnes attribuit *Odino*, non coelesti illi numini, qvod cætera Eddæ antiqvioris carmina manifeste decantant — sed heroi, regi et summo sui populi sacerdoti, eodem nomine gaudenti et Gothis Svecicis, ex Asia emigratis, imperanti, cui Snorro omnia Odini Dei gesta, veterum mythicis poëmatibus celebrata, adplicare et adscribere conatur. Observatione igitur digna sunt hæc laudati auctoris verba (l. c. cap. 6.) "Qvæ Odinus loqvebatur omnia, metro erant "composita, prout ea cantantur, qvæ jam "*carmina* (poësin) vocamus. Ipse, ut et eum "comitantes Templorum Præsides vocantur "*carminum artifices*: illis enim, in terris bo"realibus, suam ea ars debet originem." Et porro (cap. 7) qvæ cantilenas nostræ similes, vel etiam eam ipsam, respiciunt: "Omnes has "artes Odinus tradidit aliis, ope Runarum, "carminumqve qvæ *Galdrar* (incantationes) "vocantur; qvocirca vocati sunt Asæ *galdra*"*smidir* (incantamentorum artifices)" &c. Confer cæterum introductionem nostram.

Minna andskota
Bítaþ þeim vapn ne[r]) velir.[110])

Meis adversariis,
Nec valent illis arma, neque clavæ (machinæ).[110])

CLII.

Þat kann ek et fiórda
Ef mér fyrdar bera
Bavnd at bóg-limom.
Sva ek gél
At ek gánga má.
Sprettr mér af fótom fiötvrr
En af havndom hapt.[111])

CLII.

Id nosco quartum,
Si mihi homines adplicant
Vincula ad armos:
Ita ego canto,
Ut ambulare queam,
Dissilit mihi e pedibus compes,
Et e manibus manica.[111])

CLIII.

Þat kann ek it fimta
Ef ek sé af fári skotinn
Flein í fólki vada.
Flýgra han sva stint
At ek stavdvigak
Ef ek hann siónom[s]) of sék.[112])

CLIII.

Id novi quintum,
Si video missum infesto animo
Telum per aciem vadere:
Id non adeo valide volat,
Quin egomet cohibeam,
Si modo id oculis adspiciam.[112])

r) *Veler*, Membr. et L. plenis literis; sed *Vélar* (vielar) O. S. R. usisate.
s) *Sék*, tantum, O. *Sé*, S. recte uterque, sed nostra lectio merito suo prævalet.

110) Uti primæ magicæ cantilenæ vel artis (str. 139) et secundæ, ut videtur, (str 140) contenta Snorronis relationibus (l. c. cap. 4 et 6) qvoad realia, convenium — sic etiam hæc stropha ipsius verbis (c. 6) "potuit id arte "efficere, ut in prœliis hostes ejus redderentur "cœci aut surdi *aut timore capti gladiisqve "eorum virgarum instar hebetes.*"

111) Huc forte pertinent verba Snorronis l. c. "Faciem formamqve pro lubitu mutare potuit" (cfr. initium cap. 7.) Hinc necessario seqvebatur, qvod nullis catenis retineri posset.

112) "Versanti (Odino) inter arma *facies* erat adeo "torva, ut inimicis terrorem injiceret" et porro: "Ejus milites nec igne nec ferro lædi po- "tuerunt." Confer prœterea relationes Saxonis Grammatici (in Hist. Dan. de Visunno, Lib. 6) "hic omnem telorum aciem ad hebe- "tudinis habitum *solo conspectu* redigere so- "lebat.". Similia de aliis alibi enarrat.

CLIV.

Þat kann ek et sétta
Ef mik særir þegn
Á rótom[t]) rás vidar[113])
Ok þann hal
Er[u]) mik heipta qveþr
Þann eta mein heldr enn mik.

CLIV.

Id calleo sextum,
Si quis me vulnerat
Radicibus crudi ligni,[113])
Atque eum hominem,
Qui me ad iras provocat,
Eum pestes devorant, potius quam me.

CLV.

Þas kann ek it siavnda
Ef ek sé hávan loga
Sal vm sefs-mavgom.
Brennrat sva breitt
At ek honom biargigak.
Þann kann ek galdr at gala.[114])

CLV.

Id novi septimum,
Si video celsam flagrare
Domum circa contubernales;
Adeo effuse non ardet,
Quin eam servem;
Id carmen canere scio.[114])

CLVI.

Þat kann ek iþ átta
Er avllom er
Nytsamlict at nema.
Hvars hatr vex

CLVI.

Id scio octavum,
Quod omnibus est
Utile perceptu;
Ubicunque odium gliscit

t) *Rásvidar*, junctim, O. R. aliquanto obscurius nostro, et *Resenius* tamen has duas lineas ita exponere ausus est: *Si me sauciet vir incantationibus.*

u) *Mer*, O. *mihi l. in me iras aliorum.*

---

113) De *radicis arboreæ* magica vi et nocenti qvidem, crassam superstitionem fovit borealis antiqvitas; Videatur ex. gr. *Grettis Saga* Cap. 85. Indi veteres habuerunt similes opiniones.

114) Snorro (l. c. cap. 7.) "Id etiam efficere potuit, solis ejus verbis, ut ignis exstingverebatur."

Med hildíngs sonom
Þat má ek bæta brátt.[115])

Inter heroum filios,
Id mihi cito ad melius redigere licet.[115])

CLVII.

Þat kann ek iþ nívnda
Ef mik[x]) navþr vm stendr
At biarga fari míno[y]) á floti
Vind ek[z]) kyrri
Vági á
Ok svefik allan sæ.[116])

CLVII.

Id calleo nonum,
Si me necessitas occupat,
Navem meam in fluido conservare;
Ventum ego tranquillum reddo
In aquis,
Et sopio mare totum.[116])

CLVIII.

Þat kann ek iþ tívnda
Ef ek séþ) tún-ríþor
Leika lopti á.
Ek sva vinnk

CLVIII.

Id novi decimum,
Si adspicio sublimes equites
Ludere per aëtem,
Sic ego operor,

x) *Navþ*, in gen. fæm. St. O. usitatius. *Nauder* vm stendur, R. Primum est pluralis, qui hic nequaquam cum Verbo singulari construi potest.
y) Af, *e*, R. Hæc autem linea incaute omissa est in L. observante librario in margine.
z) *Styre*, C. R. apud R. *rego*, haud adspernanda lectio.
þ) *Túnriþar*, L. ex var. in Nominandi casu. *Túnriódur*, O. suspecte.

115) Confer hæc laudati auctoris verba: (c. 6.) "Tanta erat (Odini) pulchritudo, eaqve formæ elegantia, inter amicos sedentis, ut omnium hilaresceret animus," et porro: "His "alia accessit causa, ea nempe oris facundia, "ea vocis atqve sermonis svavitas, ut, qvæ loqvebatur, audientibus sola viderentur vera."

116) L. c. Cap. 7. "Id etiam efficere potuit solis "suis verbis ut .... mare tranqvillum redderetur, ventusqve mutaretur, prout ei erat "volupe." Princeps juvenis *Konur* sive *Rigur* secundum carmen *Rigsmál* similia magica carmina, sive artificia, edoctus fuit, homini nempe (miraculose) auxiliari, (vid. s. str. 149) aciem hebetandi (str. 151. 153) incendii flammas sistendi (str. 155) maris æstum sopiendi (str. 157) p. p. — iras et curas removendi (str. 156.) Sic *Rigus* iste *Rigi* senioris discipulus fuisse fingitur, uti *Lodfafner* hic vatis nostri et easdem artes vel incantationes didicisse.

At[a]) þeir villir fara
Sinna[b]) heim-hama
Sinna heim-hvga.[117])

Ut illi aberrent
A propriis suis corporibus [et]
A domesticis desideriis.[117])

CLIX.

Þat kann ek iþ[c]) ellifta
Ef ek skal til orrosto
Leiþa láng-vini.
Vndir randir ek gél
En þeir med ríki fara
Heilir hildar til
Heilir hildi frá
Koma þeir heilir hvaþan.[118])

CLIX.

Id nosco undecimum,
Si debeo ad pugnam
Deducere veteres amicos.
Clypeis succino,
Ii cum potentia eunt
Salvi ad pugnam,
Salvi ex pugna,
Salvi undique commeant.[118])

CLX.

Þat kann ek iþ tólfta
Ef ek sé á tré vppi
Vafa virgil-ná.
Sva ek rist
Ok í rúnom fák

CLX.

Id scio duodecimum,
Si video in arbore supra
Vibrari (oscillare) laqueo obstrictum cadaver,
Sic ego incido
Et per literas depingo,

a) *þeir villir*, in gen. masc. omnes Codd. etsi præcessit *Riþor* fœminina terminatione, nempe cum re constructio fit, non cum verbo, uti interdum alias.
b) *Heim koma*, et in seqv. heim hvga, omnes Codd. divisim, præter O. quem seqvuti sumus necessario fere.
c) *Ellefta*, O. R. vulgate.

117) Hic sermo est de lamiis vel spectris. Huc igitur pertinent Snorronis relationes l. c. de Odini dominio in manes, lemures et spectra. Vid. cæt. Lex. myth. v. *Túnrida*.

118) Confer traditiones historiographi sæpius citati cap. 4. 6. 7. de auxilio et conservatione, qvas Odini milites isti variis modis debuere.

At sá gengr gvmi
Ok mælir viþ mik.[119])

Ut homo ille incedat
Et loquatur mecum.[119])

CLXI.

Þat kann ek iþ þrettánda
Ef ek skal þegn úngan
Verpa vatni á.
Mvn at han falla
Þótt han i fólk komi.
Hnígra sá halr fvr hiörom.[120])

CLXI.

Id novi decimum tertium,
Si mihi homo puer
Aqua est adspergendus;
Ille non dejicietur,
Etsi in aciem veniat,
Non cadet homo ille ab ensibus.[120])

CLXII.

Þat kann ek iþ fiórtánda
Ef ek skal fyrda liþi
Telia tíva fvr.
Ása ok álfa

CLXII.

Id calleo decimum quartum,
Si mihi in hominum concilio
Recensendi sunt Dii sigillatim;
Asarum (deorum) et semonum (geniorum)

---

119) L. c. cap. 7. "Nonnunqvam mortuos e sepulchris excivit aut sub patibulis consedit; qva ex re manium dominus vel suspensorum dominus est vocatus."

120) Notum est qvod *baptismus infantum* apud multas ethnicas gentes, et in specie Scandinavos ac Germanos in usu fuerit. Sacrum hoc lavacrum nostratibus vocabatur *Laug*, uti etiam adhuc apud Lappones *Laugo*. Conscripsit doctiss. *Otto Sperlingius* librum integrum *de baptismo gentilium;* (Joh. Olavii Hypnonesiensis Syntagma de Christianorum Borealium medii ævi tantummodo agit). Conferri meretur cum hac nostri stropha, locus Snorronis Cap. 4. "Erat id Odino moris suos "in prælia aut ad alia negotia mittendi, ut "manibus capiti eorum impositis, iis dederit "*bianak.*" Obscuram et alias, ut puto, nobis inauditam vocem sic interpretati sunt editores. "Fausta qvævis iis ominaretur" Nolo qvidem reticere, qvod *benedictio* adhucdum Caledonibus celticis (vel gaelicis) sonet *Beannuchd, Beannachadh* — sed observari tamen meret qvod *Binak* (nostro *Bianak* magis simile) veteribus Persis et Medis notaverit *vitæ et sanitatis mysticam aqvam*, (Vid. Zendavestam ed. Kleukeri 8. T. II. pag. 113). Dubio cæterum caret, qvod Persæ Zoroastrici et Indi etiam baptismi ritum abhuc observent; de *aqva sacra* vel *lustrali* variorum populorum hic tractare nimis foret prolixum. *Lama* summus vel pontifex maximus Bodaistarum Thibetanorum, et plurium orientalium sectarum sacerdotes, benedictione simul pronuntiata, suorum cultorum capiti manus imponere solent, cui hi eandem attribuunt efficaciam qvam Odiniani illi, secundum Snorronis relationes.

Ek kann allra skil.
Fár kann ósnotr sva.

Omnium novi distinctionem,
Pauci insciti ita norunt.

CLXIII.

Þat kann ek iþ fimtánda
Er gól Þiódreyrir
Dvergr fvr Dellíngs dvrom
Afl gól han ásom
En álfom frama
Hyggio Hropta-ty.[121])

CLXIII.

Id nosco decimum quintum,
Quod cecinit Thjodreyrer
Nanus pro Dellingi *ostio;*
Potentiam cecinit ille Divis,
Semonibus (geniis) autem profectum (præstantiam)
Sapientiam [que] præconum (sacerdotum) antistiti.[121])

CLXIV.

Þat kann ek iþ sextánda
Ef ek vil ins svinna mans
Hafa géd alt ok gaman.
Hvgi ek hverfi
Hvít-armri kono
Ok sný ek hennar avllom[d]) sefa.[122])

CLXIV.

Id novi decimum sextum,
Si velim lepidæ puellæ
Toto adfectu et voluptate potiri,
Animum muto
Fœminæ brachia candidæ,
Atque ejus voluntatem penitus inverto.[122])

CLXV.

Þat kann ek iþ seytiánda
At mik mvn seint firraz

CLXV.

Id scio decimum septimum,
Ut me sero vitet

d) *Sœfa*, L. ex var. in ipso autem hujus contextu, ut et in Membr. scriptura non est prorsus sincera.

121) Iste *Thiodreyrer* (gentes aut populum vinciens sive ligans) fuit Dvergus i. e. dæmon sive genius, ergo aliqva naturæ vis vel eam dirigere putatus. Nomen certe *tempus* vel *somnum nocturnum* indicare videtur, præsertim cum observemus, qvod "carmina sua cecinerit pro (vel ante) *Dellingi* (Diei patris) "ostio." Nox et somnus totam naturam recreant et refrigerant, sed sapientiam per qvietam meditationem et simul, è veterum opinione, per divina somnia, mortalibus largiebantur.

122) Cfr. supra observat. 115.

e) Eþ man-únga man.
Lióþa f) þessa
Mvn þú g) Loddfafnir [123])
Lengi vanr vera.
Þó sé þér gód ef þú gétr
Nýt ef þú nemr
Þavrf ef þú þiggr. h)

Puella illa adolescentula.
Horum carminum
Tu, Loddfafner! [123])
Diu expers eris,
Attamen proderunt tibi, si percipis,
Commoda, si discis,
Utilia, si accipis.

CLXVI.

Þat kann ek iþ átiánda
Er ek æva i) kennig
Mey né mannz kono.
Alt er betra
Er einn vm kann.
Þat fylgir lióda lokom.
Nema þeirri einni
Er mik armi verr
Eþa mín systir sé.

CLXVI.

Id calleo decimum octavum,
Quod egomet nunquam doceo
Virginem, neque mulierem viro nuptam;
(Omne id præstat
Quod quis solus novit;
Hoc clausulam carminum constituat).
Nisi eam solam,
Quæ me brachio amplectitur,
Vel mea soror est.

CLXVII.

Nú ero Háva-Mál qvedin
Háva havllo í k) [124])

CLXVII.

Nunc Celsi *Sermones decantati sunt*
In Celsi *aula,* [124])

e) Iþ, O. S. *mannúnga* St. R.
f) Þeirra, *illorum*, O. R. simplicius, at minus definite. g) Lodfafner, O. R.
h) Holl ef þú heldr vel, *salubria, si rite servas*, addunt Chh. in marg. L.
i) *Kénni*, S. simplicius.
k) At, S. in textu, sed *i* in marg. Mox addit R. Háva höllu at, *apud Celsi aulam.*

123) Confer ea, qvæ supra de hujus nominis etymo adtulimus in observ. 79.

124) Vid. supra str. 110. Obs. 70; str. 113. Obs. 77.

All-þavrf[l]) ýta 'sonom
Óþavrf[m]) jötna sonom.
Heill sá er qvaþ.
Heill sá er kann.
Nióti sá er nam.
Heilir þeirs hlýddo.[125])

Admodum utiles mortalium filiis,
Inutiles [vero] gigantum filiis:
Salvus [sit] qui cecinit!
Salvus, qui callet!
Fruatur, qui didicit!
Valeant, qui auscultarunt![125])

l) *Ita*, per *i*, O. R.

m) *Ita sonum*, repetunt O. R. et L. ex var. Quasi dicat consilia hæc esse utilia vel inutilia, prout homines iis utantur.

---

125) Piis votis, his non absimilibus, pro recitatore, discentibus et auscultantibus concludun- tur varia Indorum ac plurium (orientalium et occidentalium) populorum carmina.

RÍGS-MÁL EDR RÍGS-ÞVLA.

INTRODUCTIO.

Poëmatis titulus videtur alludere ad nomen proprium Divi sive herois de qvo illud præcipue agit. Fuit revera, si brevi recitatoris, scriptoris sive librarii præfationi fides adhibenda, Deus Asicus, (vel si mavis, heros Asiaticus) Heimdallus nomine, alias custos Deorum et Iridis ac simul totius mundi, interdum qvoqve illorum legatus, et, ê mea sententia, præses cancri, zodiacalis signi aut arcis divinæ vel mansionis solaris, qvam atavi nostri vocavere *Himinbiörg* sive coelestem montem (culmen coeli aut solaris viæ). Is ê fictione poëtæ, veterrimam traditionem secuti, orbem terrarum, vel potius, septentrionales hasce regiones pervadit, ut diversis hominum politicis Ordinibus aliqvid divinæ vel coelestis originis addat, eo qvidem modo, qvi ipsis auctoris verbis satis perspicue innuitur. Notandum tamen, qvod carmen ipsum, vel potius hocce ejus fragmentum (multa enim deesse, nobis nimis certum evasit) nunqvam divum Heimdallum memoret, sed continuo de Rigo qvodam loqvatur, qvod nomen Asa ille in hac sua expeditione mutuasse fertur. Ejus significatio carminis vel relationis partim mythicam, partim historicam originem redolere videtur, qvapropter plura de ipsius etymologia disserere necessarium duximus.

Nomen *Rígr (Rígur* et si mavis, cum litera *u* et *o* sæpe a veteribus permutentur, *Rígor)* vocem latinam *Rigor*, in Islandico et veterum borealium sermone, et sono et sententia optime exprimit. Vocabulum illud nobis sæpe (uti etiam *rigor* latinis) durities, fortitudo, firmitas, unde voces: *Rig* rigiditas, *riga* rigescere, *rig-fastr* admodum firmus vel solidus, *rig-halda* obstinate vel firmiter tenere p. p.

Cognata sunt verba *reigia, reigiaz* pandiculari, membra extendere vel *e-rigere* Danice *recke* vel *ræcke (sig)* Germ. *recken* Bcl. *rekken* Angl. *retch* Gr. ὀρεγεῖν &c. Hinc minime hæsito concludere, qvod fabula illa mythica de *Rigo* sive *Rigore,* generis humani parente, originitus physicam qvandam allegoriam contineat, qvam tamen ulterius explicare omnino superfluum foret. Satisfaciet hæc carminis ter vel amplius repetita stropha:

Rigor potuit illis
Consilia dare . . .
Projecit se porro
In medio lecto
Sed ad utrumqve latus
Conjuges domicilii.
Ibi cunctatus est
Tres noctes continuas.
Procedebant inde
Menses novem . . .
Infantem peperit *Mater* &c.

Cum omnes naturæ cosmicæ et physicæ virtutes ad divinam vel dæmoniacam, spiritualem sive metaphysicam originem, a veteribus poëtis vel theosophis semper reductæ fuerint, necesse evasit, ut in eorum operibus illæ apparerent uti personæ poëticæ vel dramaticæ, qvarum vera significatio, tempore labente, pravam â plurimis interpretationem nacta est, cum omnes fere exegetæ *historicas personas* ê mythicis vel poëticis fabricari vellent. Sic divinus ille spiritus, qvi *rigore excitato* humani generis procreationem efficere olim creditus est, mutabatur in Deum incarnatum, vel heroa orbem borealem pervadentem aut subjugantem, qvi nomen *Rigr* (Rigor, Rigus) sibi indidisse, et se humano modo ubicunqve gessisse fertur. Hinc vulgata ea opinio et traditio, qvod *Rigus* ille primus fuerit septentrionis, vel etiam totius mundi Rex. Hujus vocis etymon (uti illius *rigor*) Latinæ ac Scandicæ et pluribus Asiæ ac Europæ lingvis commune certe fuit. Observare primum debemus, qvod antiqvissimum Scandinavorum Alphabethum, Runicum nempe, Literas g. c. et k. uno et eodem charactere ex-

primat, unde facile percipitur, qvod voces *rígr* et *ríkr* simili modo ab iis scribi, forte etiam interdum eloqvi, soluerint. Vidimus supra qvod vox substantiva *Rígr* antiqvis sonuerit *rigor, fortitudo (potentia)*; sic etiam adjectivum *ríkr (rígr)* fortis, potens, seriore ævo opulentus, dives, Dan. *rig* AS. *ric* Al. *ric, rich* Finn. *ricas* qvibus certe cognata Pers. *riker* major (i. e. amplior, potentior). [1])

Hinc vox alia notissima *ríki* primum potentia, vehementia, deinde autem imperium, *regnum*, ditio (Dan. *Rige*, AS. *Rice*, Al. *Riche*, Germ. *Reich*, MG. *Reiki*, Finn. *Ryki*, Hebr. *Rek* &c.) ut et verbum *ríkia* lat. *regere, regnare*, AS. *recan, ricsian*, MG. *reikinon* &c. Hinc similiter vox antiqvissima nostratium *Regin* (plur. *rögn*) numen, dominus, rex, AS. *Regin, Regn*, eadem cum Lat. *Rex* (*regis*; regina) vel Celt. *Rix* (o: *Rigs* vel *Riks*, casu genitivi nostri *rẽ Rigr, Rikr*) Germ. *Reich, Rich, Ric* Mgoth. *Reiks* (*Riks*) vel Boruss. et Lithuanis *Reikis, Ricke* C. Brit. et Armor. *Rhi*, Gall. *Roy*, Ind. *Raja, Raya, Ragia*, cfr. Arab. *Raiis, Reis* princeps, Hebr. *Rak* p. p.

Sic nobis verisimile apparet qvod *Rígr, Ríkr* (genit. *Rigs, Riks, Rix*) veterrimis Scandorum (celticorum forte) principibus olim fuerit dignitatis regiæ nomen vel titulus, unde illa Snorronis Sturlæi relatio, in veterum traditionibus vel carminibus fundata, Ynglinga S. Cap. 20. "*Rigus* (*Rígr* genit. *Rígs*) Danica "lingva primus *Konúngr* (Rex) vocatus est. *Dyggvi* (Sveciæ princeps, illius pro-

---

1) Anglosaxones suos magnates vocavere *Rice*, Franci *Riches*, Gothi Hispanici *Ricos*. Sic de his Gloss. man. ad scriptores medii et infimi ævi latinitatis, Halæ 1778. Tom. I. pag. 730. "*Rici* "homines, id est *divites*, ita dicti præcipuæ nobilitatis Proceres apud Aragonenses, qvos alii "vulgo Barones vocant, de qvibus pluribus egit Cangius ad Joinvillam pag. 51. ubi docuit, "eadem ferme nomenclatura Gallos donasse Barones ipsos, qvos *Riches hommes* vulgo vocabant. "Constat porro vocem *Rico* apud Hispanos, ut *Rick* apud Germanos et *Riche* apud Gallos, "*ortam a septentrionalibus populis*, qvibus familiares fuisse ostendunt plane virorum apud illos "illustrium nomina, qvæ in *ric* desinunt, ut *Theodo-ric, Ala-ric* &c. de cujus tamen vi non "una est sententia. Videtur enim *fortem* [et recte qvidem è scandici sermonis indole] inter- "pretari Fortunatus lib. 8. poëm. I.

"*Chilperice* potens! si interpres barbarus adsit
"*Adjutor fortis* hoc qvoqve nomen habes.

"Alii *divitem* ut Philippus Eystetensis in Vita S. Wilibaldi Cap. II. *O beate Richarde* qvi *val-* "*de dives* Latina lingva interpretaris. Conradus Uspergensis Anno 1252. de Friderico I. im- "peratore: Cum ex nominis sui interpretatione *Pacis dives* vocitaretur." Vide Schilteri Gloss. Teut voce *Ric* et Wachteri Gloss. Germ. v. *Reich*.

"nepos) suæ prosapiæ (Ynglingicæ nempe) primus *Konúngr* (Rex) est salutatus. "Cum antea *Drottnar* (domini) vocabantur, conjuges vero illorum *Drottníngar* (reginæ)." Latebit neminem, veteris nostræ lingvæ gnarum qvod *Konr*, *Konúngr*, *Kóngr* princeps, rex) cædem voces sint cum Dan. *Konge*, *Konning* (rex) Germ. *König*, Belg. *Conink*, Angl. *King*; AS. *Cyning*, *Cyng*, Finn. *Cuningas*, Lapp. *Gonagas*. Alias illud nostrum *Konr*, *Conr*, simul correspondet AS. *Cyn* princeps, dominus, C. Brit. *Cun*, Tart. COss. et Chuns. *Chan*, *Kan* (voci jam per totum orientem cognitæ) et pl. Snorronis *Rigus* certe idem cum illo nostri poëtæ natu minimo, qvi hic (str. 43, 44) *Konr ungr* (princeps juvenis) dicitur, uti nos infra amplius demonstrabimus. Qvoad vocem *Drottinn*, *Drotti* (dominus) qvæ veterrimis Sveciæ (Asicis vel Gothicis) principibus supra attribuitur, moneremus, qvod similes in germanicis veterum dialectis occurrant, nempe *Druht*, *Drihten*, *Dryhten* qvas qvidam conjecere easdem esse cum Celtarum *Druidh*, *Druid* &c. Veterrimæ illius vocis reliqviæ adhuc supersunt in Islandico illo et Svecico *Drotning* (regina) Dan. *Dronning*.

Naturæ alioquin congruum est qvod primus traditionis Rex *Rígr* vel *Ríkr* i. e. fortis, potens, appellatus fuerit. Si præmittamus voculam *Ey*, *Ei* semper, sensus talis vocis vel nominis *Eyríkr*, *Eiríkr*, erit *semper* aut *valde fortis* vel *potens*. Hinc illud celebre proprium nomen: Eric, Ericus). Sic *Rígr*, *Ríkr* et *Ei-Ríkr* verisimiliter (uti Lagerbring, Suhm, et Sjöborg conjecere) ita confusi sunt, ut e veterrimæ traditionis primo Rege *Rig*, *Rik* evaserit recentiorum Sveciæ fabularum *E-Rik* (Ericus) primus rex ejusdem regni. De eo refert vetus rhytmicum chronicon a Messenio et Hadorphio editum, qvod primus Gothiæ Rex fuerit, cum nemo (prior) inhabitaverit *Scaniam* vel *Vitalahed*, aliis *Vithaslet* (insulas Danicas). Demonstrarunt multi doctissimi viri, qvod Gothi Scandinavici primum orti sint a Getis vel Gothis, Thraciæ et mæoticarum regionum incolis (illuc, ex mea sententia, ê caucasiis montibus emigrantibus) qvi per Sarmatiam europæam (Russiam hodiernam) pervenerint ad oras orientales et meridionales balthici maris, ubi Pytheæ, Ptolemæo et pluribus innotuere sub variis cognatis nominibus (Gutæ, Gythones, Gothones, Gothini et pl.), et deinde occupaverint insulam *Gotland*, posterius autem *Ostro-Gothiam* et *Visi-Gothiam* Sveciæ (*Eystra* oc *Vestra Gaut-*

land) ut et alias ejus regni provincias; obtinebant similiter paullatim Norvegiæ et Daniæ regna, unde satis clarum evadit, cur veterrimo tempore omnes Scandinavi *Gautar* (Gothi) appellati sint, e testimonio antiqvissimorum boreæ poëtarum. Inter Danos ipsos hæc opinio, medio ævo currente, non aboluerat. Sic e. gr. Chronicon Regum Daniæ (Petri Olai dictum apud Langebeck T. I. pag. 70): "Dani sunt Gothi; Gothi Daniqve vocati." Et Erici Regis (ibid. p. 149): "Dani, "ut testantur veteres historiographi, in regnum, qvod nunc Dania dicitur, vene-"runt de Gothia." Ubi ista Gothia sit qværenda, e prædictis elucebit; nomen vetus Jutiæ *Jotland* nil aliud puto esse qvam *Gotland* (dialectico discrimine); uti ejus incolæ Gothi, *Jotæ*, *Jutæ*, *Vitæ* a Britannicis scriptoribus vocati sunt; sic etiam, iisdem fere temporibus, reliqviæ Gothorum in Livonia, Borussia et adjacentibus regionibus *Vitæ*, (Viduarii &c.) dicebantur — unde nomen Daniæ vetus *Vita-slet*, (planities Vitarum) et multa similia illustrari videntur.[2]) Plura huc pertinentia infra adferemus; — hic autem observamus, qvod ille Chronicorum Sveciæ primus Rex *Ericus* (is forte, qvi Ansgarii tempore in Deorum coetum ab iis est receptus) verisimiliter idem sit, qvam Snorronis et nostri carminis primus (boreæ) Rex *Rigus* vel *Ricus*, vel etiam qvam ille *Be-Rigus* vel *Be-Ricus* qvem Jornandes inter primos Gothorum Reges memorat. Auctor hujus poëmatis dicit Rigum suum fuisse Asam, aut nempe Deum, aut etiam principem ex Asica (Gothorum) gente; *As* enim vel *Ass* et notat Deum vel numen, et heroa Aso-Gothicum, cum *Æsir* (ab *Ass* Deus) idem sonet qvam Gothi (*God-þiód*, *God-jód*) id est: Deorum gens vel proles; — sic veteres Scandi vocarunt principes suos omnibus fere Deorum nominibus (uti *Regin*, *Tîvar* &c.) Gothi autem extra Scandiam suos heroas *Anses* i. e. Deos vel, ut Jornandes præfert, *semi-deos*. Vide Gloss. T. II. pag. 567. 867.

A veterrimo illo Sveciæ gentis (secundum mythicas traditiones) conditore Erico, probabiliter deduci debet celeberrima *Eriksgata* sive *via Ericiana*, nempe *regia* illa, qvam novi reges per singulas Sveciæ provincias obire debent. De

2) Confer porro de his (præter Suhmii et Schoeningii notissima opera) Raskii nostri scripta: *Ottars og Ulfstens Reisebemærkninger med Oversættelse og Anmærkninger* (Havn. 1816) p. 123 et sq. *Undersögelse om det gamle nordiske Sprogs Oprindelse* (1818) p. 145.

ea Loccenius in Antiqq. Sveo-Gothicis Lib. II. Cap. I. p. 45. "Vetus hujus regni "consvetudo erat ut rex inauguratus circuiret regnum qvod *Eriksgata sina rida* "dicebant ... Alii regem nomine Ericum hunc morem primum introduxisse di- "cunt, alii Ingonem, sed de his nihil in legibus aut annalibus nostris." Observavit Ericum hunc eundem cum Rigo nostro probabiliter esse vir doctissimus Jacobus Grimm, qvi multa simul de talibus viis et earum mythica origine ingeniose tractavit.3) Ista conjectura confirmari certe videtur, cum respiciamus hæc poëmatis sæpe iterata dicta:

Str. I. Dixerunt olim ambulasse
Per *virentes vias* ....
Rigum progredientem.

II. Processit porro deinceps
Per *mediam viam.*

XIV–XXIII. ... per *rectas vias.*

qvæ omnia certe veterem illam traditionem de Rege Sveo-Gothico regnum universum publica viâ circumeunte, ac subditos visitante, redolere videntur. Si barbarum sane *primæ noctis jus* apud atavos nostros receptum fuisset, eo clarius fabula hæcce dilucidari posset, sed de eo veterrimis temporibus apud nostrates nihil mihi notum, qvamvis dominis id tunc in mancipia et libertos (uti hic relatum videtur) exercuisse licitum sane opiner. In cæterum præcipue duco observatu dignum, qvod divinus vel regius ille Rigus neminem propriorum filiorum suum esse declaraverit, vel proprio nomine ornaverit, præter illum (nobilem juvenem)

3) Vide ipsius *Irmenstrasse und Irmensaule: eine mythologische Abhandlung von Jacob Grimm* Wien 1815. p. 49. sq. Cum qva tamen conferenda cl. von der Hagen "*Irmin seine Strasse, seine Saule und sein Wagen.*" Breslau 1817. p. 35. sq. Hic similiter plura collegit de veteri Germanorum Deo *Eric* vel *Erich* dicto, cui qvidam Diem Martis consecrarunt, uti Scandinavi eundem suo *Tir* vel *Tyr*, Romani autem *Marti*. Posteriore seculo idem dies à Germanis vocabatur *Dingstag*, *Dinstag* i. e. dies comitiarum aut judicii (vel forensis). Cum borealium Rigus a qvibusdam diceretur primus Rex fuisse, ei etiam *forenses dies* et *comitialem aut regiam viam* illos consecrasse, minime erit improbabile. Cum, post Christianismum introductum, veterum *Dii* mutarentur in diabolos vel malos dæmonas, ille priscorum divus Rigus vel Ericus facile permutari potuit in famosissimum nomen *gammel Erik* (Ericus vetustus), unum ex Satanæ titulis apud Danicam hodierni ævi plebem.

qvi Iarli nomen ac dignitatem adeptus est, et cujus filius, Rigus similiter appellatus, primus regium nomen (*Konr*) adqvisivisse videtur.

Necesse erit, ut hic statim lectori sistamus brevem conspectum carminis Rigiani, quo de variis humani generis ordinibus in prisco septentrione, veteri poëta duce, disserere qveamus.

Præmittitur prosaica illa introductio asserens, qvod in perantiqvis narrationibus traditum sit Asarum (Deorum) qvendam iter suum ad oram maris (Balthici ut puto) perrexisse et ad prædium 4) qvoddam (sub humani herois forma) devenisse, ubi Rigum se nominaverit. Seqvitur poëma. Rigus Asa iit per virides (i. e. recentes, adhuc non calcatas) vias (qvas ipse forsan paravit 5) str. I. Procedit deinde per mediam viam et adit domum, ubi is offendit conjuges *Ai* (Átavum) et *Eddam* (proaviam) laboribus vel migratione duratos et vili (rusticorum) conditione functos (II–IV.) Coenatur ibi (V.) et in medio lectu, inter conjuges ipsos, qviete fruitur (VI.) per tres qvidem continuas noctes. Post novem menses absolutos (VII.) *Edda* filium parit, cui, lustrali aqva consperso, nomen imponitur *Thrœll* (Dan. *Trœl* &c.) i. e. Servus; deformis ejus status, vultus et nigrum capillitium describuntur (VIII). Is servilibus laboribus adsvescit (IX), donec ad eandem villam mulier devenit pedambula, cicatricibus, nimio solis æstu et adunco naso deformata, et adpellata *Thyr* (ancilla vel serva) (X). Is et ea considunt, amice confabulantur et communem sibi lectum parant (XI). Eorum filii et vilissimi ipsorum labores enumerantur (XII), filiæ etiam simili modo. Hinc servorum prosapiæ ortæ (XIII). Posthoc *Rigus* per rectas vias procedens venit ad aliam domum et offendit ibi conjuges, domum possidentes et opus manibus versantes (XIV). Maritus, *Afi* (*Avus*) jugum liciatorium fabricabatur, sed uxor

4) In textu *bæ (húsa-bæ)* unde antiqvissimus ille Rigus (modo veterum, qvi talibus heroibus cognomina imponere soliti sumt) appellari potuit *Bæ-Rigr*, cum ad plura prædia devenerit; hinc forte Gothorum meridionalium *Be-Rig* (vetustior) apud Jornandem.

5) Inde certe dici potuit mythica illa via *Rigs-gata (Riks-gata)* o: via (herois) fortis sive potentis et etiam (cum de Deo sermo sit) *Ei-riks gata* (via semper potentis) unde tunc nomen prædictum regii circuitus inter Svecos *Eriksgata*, uti supra monuimus. Rigus ille primo Gothici sui regni circuitu constituit vel fundavit cunctos ejus ordines; tale primi et divini Regis exemplum posteri nuper inaugurati seqvi debebant, cum omnium ordinum statuta et privilegia ab iis confirmanda forent.

ejus *Amma* (Avia) colo nebat, fila in pannum præparans. Eorum habitus et conditio describuntur (XV. XVI.) [Hic verisimiliter deest stropha, coenationem hospitalem referens]. *Rigus* hic in eundem modum ut antea, per trinoctium moratur; post novem menses præterlapsos *Amma* parit puerum, vocatum *Karl* (vir, colonus), crines rufum sed genas rubicundum (XVII. XVIII). Is adolescens discit boves domare, aratrum fabricari et agere, ædes ac horrea struere et plaustra (vel cymbas) componere (XIX). Curru illi advehitur fœmina, gestans pendulas claves et tunicam e caprinis pilis contextam vel caprinis pellibus (exterius aut inferius) obducta qvæ vocabatur *Snör* (*agilis*, sive etiam *nurus*). Conjuges cohabitantes rem instruxere domesticam (XX) et liberos utriusqve generis procreabant; inde ortæ sunt *colonorum* (sive *liberorum rusticorum*) familiæ vel prosapiæ. (XXI–II.)

Rigus inde procedens devenit ad ædem ampliorem, cujus ostium austrum spectabat, janua autem annulo ansata vel ornata, et pavimentum interius stratum; hic conjuges *Fadir* (pater) et *Módir* (Mater) sedebant, se invicem aspectantes et digitis ludentes (XXIII–IV). Arcum tamen et sagittas herus tractavit, hera autem lintea lautiora lævigabat (XXV); hujus vestitus et candida pulchritudo describuntur (XXVI) ut et hospitalis coena, decora et læta (XXVII–IX). Rigus ibi per tres integras noctes cunctatur, sed non, ut in præcedentibus relatum est, communi cum conjugibus lecto uti dicitur. Novem mensibus absolutis *Mater* parit puerum qvi *Iarl* (Comes) vocatur, flavum (vel albescentem) gestans capillum, lucidas genas et acres oculos (XXX–I). *Iarlus* increscens discit exercitia militaria, venatoria et natatoria (XXXII) ut et Runas (mysteria, scientias oratorias vel literarias) â Rigo, vero patre, qvi ê saltu egressus advena ipsi suum nomen imponit, proprium simul filium declarans, avitos (vel nobiles) fundos et antiqvas habitationes eum qvoqve obtinere jubens (XXXIII). Inde postea *Rigus* junior tendit per obscuram viam et uliginosos montes ad aulam qvandam, et belligerans terras sibi subjicit (XXXIV). Postea solus octodecim prædia possedit et largus (suis clientibus) cimelia præbuit (XXXV). Is cum illustribus aliis viris curru vehebatur ad aulam *Herseris* (liberi baronis), ubi candidam et egregiam virginem, *Ernam* nomine, procatu ambit, ipsa autem, *Jarlo* rite nuptum data, sub bysso nuptiali incessit. Cohabitantes postea longævi prosapias adauxerunt

(XXXVI-VII). Filii eorum ingenua vel nobilia nomina gestantes aleæ, natatui et militaribus exercitiis adsveti, enumerantur [sed filiæ, versimiliter propter recitatorum oblivionem, omittuntur] (XXXVIII-IX). *Konus* (Princeps, Rex) eorum natu minimus, Runas et occultas vel miraculosas scientias præterea ediscit, vires et alacritatem amplissimam adeptus (XL-XLI). Is cum Rigo Jarlo (patre suo nempe) Runis et variis technis concertavit ac (in tali examine) peritior evasit; tunc ei contigit *Rigum*, paterno nomine, vocari et scientias ritc callere (XLII). Postea Konus juvenis venatu oblectatur (XLIII), ob qvam vivendi rationem cornix, ramo insidens, eum redarguit, dicens qvod ei satius esset eqvis vectum exercitum prosternere (XLIV) — illi porro referens qvod *Dan* et *Danpus* possiderent egregias arces et avitos fundos, ejus (possessionibus) præstantiores, qvi etiam bene noverint rem navalem et vere militarem (XLV).

Hic desinit — avulso certe folio uno vel pluribus ex unico istud continente membranaceo codice — præstantissimum illud carminis fragmentum.

Suspicamur sane, qvod poëma hocce, in integra sua forma, ad manus fuerit Arngrimo Jonæ (Vidalino) cum in Islandiá, Anno 1597, iste exararet suum *Supplementum Historiæ Norvegicæ*, qvod (typis nondum mandatum) habetur in collectione Manuscriptorum Bartholiniana, inter libros Universitatis Havniensis. Usus est doctissimus ille vir, ad opus prædictum componendum XXVI. membranaceis codicibus, qvorum nullus jam forsitan existit, sed nullibi tamen in illo suo scripto nuncupavit speciatim veteres ejus et genuinos fontes. Seqventia, qvæ de *Rigo* et *Dano* refert (cum alibi ista a veteribus relata omnino ignoremus) putamus sane ê conclusione carminis *Rígsmál*, qvæ nobis jam deest, ab Auctore hausta fuisse, qvapropter his ejus relationibus locum hic concedere minime hæsitavimus.

"*Rerum Danicarum fragmenta ex veterum Norvegorum commentariis historicis.*"

Cap. VI.

"*Dan primus Rex in Jutia Danorum, cujus filius Dan II. Regem "Sælandiæ debellavit.*"

"*Rigus* nomen fuit viro cuidam inter magnates sui temporis non infimo. "Is *Danpri* cujusdam, Domini in *Danpsted*, filiam duxit uxorem, cui *Dana*

"nomen erat, qvi deinde Regis titulo in sua illa provincia acqvisito, filium ex "uxore *Dana*, *Dan* sive *Danum*, hæredem reliqvit, cujus Dani, paternam ditio- "nem jam adepti, subditi omnes Dani dicebantur. In *Dania* igitur situm oportet "*Danpsted*, et ut ex historiarum circumstantiis colligere recte mihi videor in "*Jutia, som de Norske kalde Reid gotaland.*"

Cap. VII.

"*Dan II. Rex Scælandiæ XVI. totius Daniæ primus.*"

"Inter *Danum* I. et II. qvi in Jutiæ regno intercesserint, aut qvot qvive "etiam interim in Sælandia regnarint, sciri neqvit. Dan II. *Frodonis* Regis ne p- "tim *Olafam* in matrimonium accepit; *Aleifum* regem Sælandiæ magna cum "laude devicit, atqve eousqve crevit, ut universo regno ab ipsius nomine no- "tato appellatione Daniæ potiretur. Hic Danus II. cognomen adeptus est *hinn* "*Mikillati*, qvod si durius interpretere, *superbum* denotat: sin mollius *magni-* "*ficum.* Bellator fuit eximius, et rem magnifice gerens, pedisseqvum habuit "Regis titulum gerentem; Barones etiam duos individuos sibi comites, qvi iter "facturo, eqvum sternerent, et stapedem ascendentis et descendentis tenerent. "Primum seculum ad Dani II. tempora veteres nuncuparunt *Brennu-aulld* vel "*Bruna-aulld*, coqve ex citatis Regis funera cremata sunt, illud seculum *Haug-* "*aulld* cum funera jam inhumari cæperunt, et busta fieri, in demortui monu- "mentum et memoriam. Ejus seculi princeps *Dan* II. Rex Daniæ, qvi se jussit "exanimem annis [armis] omnibus investitum, cum eqvo et omni apparatu belli- "co, busto includi, et viventis instar in solio collocari."

Apparet ex Arngrimi scripto talis primorum Daniæ Regum Genealogia:

Danp

Dominus oppidi *Danpsted* (*Danpstadir*)

Rigus — ⏑ — Dana

Dan I.

Dan II.

magnificus; Primus totius Daniæ Rex.

Sic carminis *Danpus* monstratur fuisse socer Rigi tertii — sed de Dano illius nulla in hoc Arngrimi libro mentio fieri videtur. Puto Gothum fuisse et vix in ipsa Dania vixisse, non autem in hoc regno, sed in Gothia Sarmatica (Borussia vel Livonia aut vicinis terris) qværendum erit oppidum *Danpstadir*. Occurrit istud in alio Eddæ nostræ carmine (diversi certe auctoris) dicto *Atlaqvida* str. v. (T. II. p. 368. 868. 947) ubi Atlius (vel Attila) Hunnorum Rex, per nuntium delegatum, offert affini suo *Gunnari* Burgundorum (gothici populi) principi tesqva auro abundantia, *Gnitaheidi* dicta, in Germania sita; sylvam celebrem *Myrkvidr* aut Germanice *Schwarzwald* appellatam, aut Hunno-Gothicam illius nominis, in historia Hervoriana tractatam et oppidum Danpi *(Danpar-stadi* vel *Danpstadi)*. Hoc ipsum oppidum vocatur in Hervararsaga (Ed. Havn. pag. 182) Reid-Gothiæ metropolis (in tractu *Arheimar* vel *Einarherat* dicto), ubi Angantyr Gothorum Rex convivium exeqviale paravit in defuncti patris Hederici memoriam. Ex hujus hæreditate postulavit filius *Hloedus* a fratre Angantyre sylvam prædictam *Myrkvid* (Hunniam et Gothiam discriminantem l. c. p. 198) et candentem illum lapidem qvi *Danpstadis* servabatur, unacum dimidiâ totius Gothiæ parte (l. c. p. 194). Recte, sine dubio (ut alibi monui) Schoeningius (in mappâ Europam ad mentem et nomina veterum Borealium repræsentante collocavit oppidum illud ad Duinam fluvium, in Gothia Sarmatica, nobis *Reid-gotaland* dicta. Veterum nostrorum scriptorum sententiâ, omnes regiones a Gothis occupatæ antiqvissimis temporibus junctim nominatæ sunt *Gotland*, *Gotaland*, *God-þiód*, insulæ autem per se *Ey-gotaland* (insularium Gothorum regiones) sed mediterraneæ sive continentis partes *Reid-gotaland* (i. e. eqvestrium Gothorum terra). Hinc priores Gothorum sedes in Borussia et Livonia (ab oriente et meridie maris Balthici) interdum a serioris ævi auctoribus confusæ sunt cum Jutia, qvæ certe aliqvam partem magni Gothorum borealium imperii effecit; hinc error Arngrimi et Torfæi, qvorum primus oppidum *Danpsted (Danpstad, Danpstadir)* perperam in Dania qvæsivit, sed posterior Hervarar-sagæ *Reidgotaland* Jutiam significare voluit. Hoc ipsæ nuper memoratæ historiæ auctor (qvi eam ex antiqvissimis Gothorum carminibus conscripsit) nunqvam cogitavit, cum lectores ita edocere conetur (pag. 220): "Relatum est *Reid-gothiam* et *Hunniam* esse, qvod

"hodie *þyzkaland* (Teutonia) appellatur. Teutonia (Germania) ex duodecim "regnis constare dicitur." Verisimile est, qvod auctoris tempore Borussia et Livonia a Teutonibus eqvitibus subjugata fuerit, qvapropter istc illas terras Teutonicæ annumerarct. Nullus prætcrea dubito, cum doctissimo Schoeningio, hisce clarissimi Suhmii verbis penitus assentiri — (Hist. Dan. Tom VI. p. 426. 436.) "Ex argumentis omnibus, in Historia Hervoriana, *Reid-gotia* in Borussia et Li- "vonia, et præcise juxta flumen Duinam, erit qværenda." Multa alia egomet collcgi in hujus sententiæ confirmationem, sed tali disqvisitioni hic minime locus est. Sufficit nobis hic breviter monstravisse, qvod *Danpstadi* veterum in Gothia Sarmatica ponendi sint. Hinc prima Scandinavorum hodiernorum origo; hinc deduxere Sveci primum eorum Regem *Rigum*, *Ricum* sive *Ericum;* hinc etiam Dani celebrem nostri nominis et reipublicæ fundatorem Danum, et illustrem proaviam Danam (qvæ igitur recentissimi temporis poëtis primam suam existentiam minime debet). Qvod hæ traditiones originitus sint mythicæ, non autem, stricto sensu, historicæ, minime denegabo, sed nihilo minus eas veteris historiæ investigatoribus pretiosissimas duco, cum atavorum nostrorum gentilium antiqvissimas opiniones, *de borealium gentium e meridionalibus Asis vel Gothis origine*, nobis indubitatc servavcrint. Idem dc reliqvis præsentis carminis contentis dicendum, cum manifeste versari videantur circa tres diversas gentes (vel, si malis, hominum ordines) variis ævis in nostrum septentrionem immigrantes. Hæc amplius illustrare conabor.

A. Str. I–XIII. Status et conditio prima (boreæ) incolarum describitur uti vilissimorum rusticorum. Mas vocatur *Ái* (atavus), sed femina *Edda* (atavia) ad designandam illius ævi a nostro remotissimam antiqvitatem. Liberi erant (ut homines vere barbari) sed procreabant tamen *servorum prosapias* i. e. asperrimo ac pauperrimo vivendi modo assvetos et postea, ab advenis terrarum occupatoribus, ad servilem conditionem redactas. Vix dubitandum censeo, qvod primi balthicarum et scandicarum regionum incolæ vel Finno-Laponicæ vel etiam celticæ originis fuerint, postea ab Aso-Gothis, c meridie et oriente immigrantibus, subjugati, et victorum mancipia facti, in eum qvidem modum ut narrat Tacitus de Germanis (Cap. 25). "Suum qvisqve (servus) sedem, suos penates regit.

"Frumenti modum dominus, aut pecoris aut vestis, ut colono injungit et servus "hactenus paret." Tota fere mundi historia similia nos edocet exempla, qvod nempe indigenæ, armorum vi vel metu oppressi, novorum dominorum servile jugum subierint. Hoc de Indicis et Ægyptiis Æthiopibus (vel nigris indigenis) verisimillimum, certum autem de multis recentioribus populis e. gr. Livonibus, Esthis et Venedis a Teutonibus devictis, Peruanis et pluribus Americæ incolis ab Hispanis &c. Sic post occupatam a Saxonibus Angliam, superstites Britones qvi Bedæ (H.E.I. 15) "nonnulli de miserandis reliqviis" audiunt "possessiones "et libertatem, imo qvidem propriam lingvam, perdidere." Per divinæ talionis jus Saxonibus posterius similis a Gallo-Normannis sors obtrudebatur. Ita de his refert Mathæus Parisiensis ad Annum 1071. "Wilhelmus (Conqvestor) commi- "litonibus suis Normannis, qvi bello Hastingensi regionem secum subjugaverant, "terras Anglorum et possessiones contulit, illudqve parum qvod remanserat sub "*jugo posuit perpetuæ servitutis.*" Francos, sub Carolo Magno, Saxones in Germania ipsa remanentes simili modo tractasse, dubio non caret, et qvod Gothi ac cognati populi, qvi in magna mundi conturbatione, medio ævo durante, victores evaserunt easdem adoptaverint regulas, necessario statuendum opinor.

Notabiles certe sunt carminis nostri traditiones de servili illo hominum genere uti *septentrionis antiqvissimo*, de *nigro* eorum *capillitio* (uti Finnis multis et Celtis Britannicis omnibus fere communi) ac peculiari corporis formatione. Sic poëtæ narratio ad ungvem convenit optimorum nostri ævi historicorum et ethnographorum investigationi et conclusionibus. Hactenus de primis Boreæ incolis, Finno-Celtis nempe, et infimo in republica hominum ordine, *servis* et (qvodam modo) *manumissis* ac *libertis* (unde recentiorum temporum *Livegne* et *Vornede*) ut ex eodem genere ê maxima parte oriundis, si nimirum excipias exteros homines bello captos, et sic ad servilem conditionem redactos; hi tamen e diversis erant nationibus, Celticis præcipue et Slavonicis.

B. (Str. XIV–XXII). Agit poëta de *colonis liberis*, proprii fundi possessoribus, a servis, libertis et conductoribus diversis. Herus nomine *Afi* (Avus) et uxor ejus *Amma* (avia) domum ipsi possedebant. Hinc elucet, id hominum genus ex auctoris sententia, seriore ætate qvam illud servile, in borea nostro ha-

bitacula fixisse. Conjuges ambo opera domestica manibus versabant [cum servilia pleraqve, antea str. IX. XII. descripta, extra domum peragerentur]. Ut primi nostrarum regionum incolæ *nigre criniti* et *foedo* (*pallido*) *vultu apparentes* antea descripti sunt, jam ê contrario hujus familiæ proles pingitur *rufa cribus* (ut Tacitus et plures de veteribus Germanis referunt) et *vultu rubicunda:* Talis capillitii color adhuc Asis (Ossetis) Caucasiis cum colonis plurimis qvarundam Russiæ Europcæ provinciarum communis esse dicitur. Agriculturæ mares cæterum adsvescebant, feminæ autem textoriis opificiis.

Verisimile mihi apparet, qvod primi nostrarum terrarum coloni, agriculturam exercentes, ê maxima parte, illis Finno-Celtis seriores, boream invaserint partim e Gothia Sarmatica, partim ê Germania, qvamvis minime denegem, qvod plures Finni vel Celtæ, hic remanentes, eundem vivendi modum adoptarint, et proprios fundos tenuerint. Gothos tamen summo rerum imperio potitos esse, nullo dubio carebit. Milites inferiores ex eorum genere, villas singulas, cum possessionis jure, nacti sunt, et hinc igitur plurimæ (e traditionis nostræ tenore) colonorum scandicorum prosapiæ.

C. Str. XXIV–XLV. Describuntur *nobilium* forma, conditio, educatio et exercitia. Herus vocatur *Fadir* (Pater) hera autem *Modir* (Mater) — ut *nobilium ordo* inter nostrates reliqvis recentior esse monstretur. Amplior fuit eorum ædes (*salr*, cum servilis et rustica *hús* tantum appellentur) et magis adornata. Viro nullus labor præter propriorum armorum curam; mulier tantummodo lina lautiora leviter tractat et decorat. Alias iis lætum otium concessum. Feminæ candidissima forma mensæ decori et coenæ dulci abundantiæ convenit. Infans iis gnatus, serico involutus, *albescens* vel *flavum* capillitium (non autem *nigrum* vel *rufum* ut prædicti illi) lucidum vultum et acerrimos oculos gestasse dicitur. Is, *Jarl* vel *Comes* vocatur â divino vel regio patre, *Rigo* nempe, avitos fundos et antiqvas (colonorum vel conductorum) habitationes dono obtinet. Is igitur primus, ut videtur, alieni fundi dominus, hæreditario (in posterorum commodum) jure præditus. Iste cæterum, paterno domicilio relicto ad magis borealcs, ut videtur, regiones tendit, bella ibi excitat, terras ac prædia armis subjugat. Hinc probatur auctoris opinio, principum nostrorum parentes peregrinos et ê meridie huc

ingressos, illo modo has terras occupasse et reliqvorum ordinum dominos evasisse. Jam *Jarlus* (comes) *Herseris* (liberi baronis) filiam, *Ernam* nominatam, uxorem ducit, qvi numerosam et nobilem prosapiam procreant. Horum filius natu minimus *Konus*, Rigi nomen hæreditarium simul gestans, primus sui generis Rex evasisse videtur et *Danum*, primum Daniæ monarcham (e veterum traditione) generasse ... sed carminis pretiosissimi et antiqvissimi amplior continuatio et summa conclusio, nobis, ut antea monuimus, omnino deest, magno qvidem rei literariæ damno.

Patet ê prædietis, poëtam nostrum statuisse *tres diversas gentes* et simul hominum ordines, nempe:

I. *Nigris crinibus*, simili ac foedo vultu et deformi statura apparentes — homines qvidem septentrionis antiqvissimos,[6]) sed a recentioribus advenis ad *servilem statum* redactos.[7]) Hi revera veteribus Scandis þrælar (servi), e qvorum genere etiam multi *Leysingiar* (liberti) uno verbo interdum þý (mancipium, unde Danorum *Tyende* Sveco-Scan. *Thöinge*).

II. *Rufos crines* et rubicundum vultum gestantes — *rusticos* nempe *liberos*, et e magna parte propria habitacula possidentes; hi priscorum borealium *Búendur*, *Bœndur* (coloni, cives) et *Havldar* vel *Höldar* (vi vocis: tenentes i. e. possessionem vel dominium propriæ villæ vel fundi). Carmen eddicum *Hyndluliód* (T. I. str. 10. 15.) sic de eo et mox seqventi genere:

. . . . *höld-borit*
. . . . *hers-borit*
Mest mannaval
Und Midgardi.

Qvæ sic verterat interpres:

Nobilibus privatis ortum,
Baronibus (vel Satrapis) ortum

6) Qvales hodierni Lappones, Samojedi, Groenlandi et plures ejusdem originis populi.
7) Idem verisimiliter dicendum de Gothis et pluribus gentibus Russiam hodiernam olim subjugantibus; in priscis hujus imperii chronicis et hic jam interdum, plebeji serviles vocantur *homines nigri*.

Hominum genus lectissimum
Sub medioxumo aggere (vel vallo intermedio).[8])

Edda prosaica loqvitur ita de hoc reipublicæ ordine (Ed. Holm. p. 171. sq.) "Illis (nobilibus et baronibus) proximi sunt viri qvi *havlþar (höldar)* vocantur i. e. "*búendur* (coloni, cives) generibus et plenis privilegiis ampli." Miratur frustra interpres illius carminis, et similiter alter vir ingenio et doctrina clarissimus, *Tycho Rothe* qvod *Hoeldi* hic *Herseribus* præponantur; causam perspicue cernimus in nostro poëmate, eam nimirum, qvod illi his antiqviores crediti fuerint. *Hoeldi* alias recentioribus sæpissime dicuntur *Odalsmenn* (viri allodiales).[9]) *Odal* et *Adal* (Dan. Germ. *Adel*) eadem fere vox, ut in Glossario nostro, et alibi, satis demonstratur. Tali jure prædiți coloni veterrimi septentrionis nobiles inferioris generis i. e. liberi ac vere hæreditarii propriæ villæ possessores. Ejus reliqviæ conservantur adhuc in Anglia, regni qvidem constitutione et legibus, eum filius nobilis viri ortu maximus talem patris dignitatem, et primarias possessiones jure hæreditario obtineat.

III. *Albescente* vel *flavo capillitii colore*, cute candidissima et acerrimis oculis insignes, cujus stirpis viri militiæ totos se dedere, boream versus (ut videtur) verisimiliter in montanas Sveciæ (et dein Norvegiæ) regiones, bellicas expeditiones ducebant, et terras ac prædia armis sibi subjecere. Hinc non tantum *patricii* (nam prosapiæ progenerator *pater* vocatur) sive homines *proprie* (vel majori gradu) *nobiles*, sed etiam (posteriores qvidem) *Jarli* (comites), qvi *Herserum* (baronum) filiabus matrimonio jungebantur, et tandem *Reges* ipsi; — omnes vere *potentes* vel *divites (ríkr, ríkr)* uti *Rigi* primi ingenui posteri, ipsius et *corporalem* et *spiritualem* fortitudinem hæreditate adqvirentes; qvapropter etiam,

---

8) Rectius sub medio tractu sive firmamento o: aëre i. e. in hac terra.

9) Olim fuere præstantissima eorum classis: ita Lex Gulensis Magni Reg. Ed. Thorkelini p. 458. *Enn sá er höldr er hann hefir Ódal (ódöl) at erfdum tekit, bœdi eptir födur oc módur, þau er hans foreldrar hafa átt ádr fyri þeim oc eigi annara manna odal í at telia, þau er medr kaupi ero at komin eda úterfdom.* I. e. Is vero Hoeldus est, qvi eos fundos avitos hæreditatis jure accepit, post patrem et matrem (defunctos), qvos ejus (o: patris jam dicti) parentes ante eos possederant, et qvibus nullæ aliorum possessiones, emtione vel remotioris hæreditatis jure adqvisitæ, adnumerari possint.

e divini illius atavi mandato, terras ab aliis cognatis, sed inferiorum ordinum hominibus inhabitatas, vel saltem summum talium fundorum dominium, rite obtinebant. [10])

Hocce *nobile* septentrionis genus ab *Hyndla* in carmine eddico nuper laudato adpellatur *Hers-borit* i. e. *dominis* vel *ducibus* ortum. Vox enim *Hers, Hersir*, sine dubio, populi vel exercitus princeps, ab *Herr* populus, exercitus — et ejusdem significationis qvam recentiorum nostratium *Herra* (Dan. *Herre*, Germ. *Herr* &c.) [11]) Dominus; sic in specie vocantur in Germania et Dania, liberi possessores villarum nobilium, qvalis illis dicitur *Herrschaft*, hic *Herregaard*; — qvidam illorum amplioribus privilegiis præditi jam appellantur *Friherrer*, *Freyherren* o: liberi domini vel barones. Plura Eddæ nostræ carmina, ex iis, qvæ poëtis Sarmato- vel Germano-Gothicis primum deberi opinor, Herserum mentionem faciunt; sic in *Gudrúnarqvida* I. str. 8-9. (T. II. pag. 274) ubi Herborga, Hunnorum Regina, lamentans refert se bello captam in Herseris egregii domu mancipium evasisse, ubi qvidem cogerêtur ejus conjugem qvodam mane diligenter exornare et corrigias (calceorum) ipsi ligare — unde satis apparet talium vetustatis nobilium feminarum lautitia et desidiosa mollities. Alio loco (AM. str. 97. T. II. p. 481) *Gudruna* ipsa jactat se cum *Sigurdo* suo militantem terras orientales (balthicas forte) armis subjugasse, regem qvidem primum occidisse, qvo facto Herseres, præfecti vel barones ejusdem regni, terrore perculsi, illis sese obseqviose dederint. In *Hervararsaga* l. c. p. 126 scripto e meâ ut *Suhmii* et pl. sententia (contra qvorundam recentissimi temporis scriptorum opinionem) maxime notabili, dicitur *Gestus coecus* fuisse, in Reid-Gothia (extra Scandinaviam) *Herser* potens (vel dives) qvi tributa Regi Hederico solvenda retinuerat, et eapropter ad summum regis judicium vocatus fuit. Hic minime sermo de bellico duce, sed manifeste de opimo vasallo vel ampli terrestris fundi possessore aut domino. Certissimum præterea est, qvod et in Norvegia et in Sve-

10) Notabile jam est qvod color cutis candidus vel albus aut albidus in tota Asia amplæ dignitatis vel nobilitatis indicium habeatur. Vid. e. gr. Pottinger *Reise durch Beludschistan und Sind.* Weimar 1817. p. 214. Hic forte memorari deberet Vestrogothorum Sveciæ, præ aliis, insignis corporis forma, lucidus cutis et albidus capillitii color.

11) Verisimiliter ejusdem originis cum Latinis *heres*, *herus*, Latino-græco *heros* &c.

cia longe ante Haraldi pulchricomi tempora Herseres eodem modo floruerint. E nostro poëmate discimus, qvod nobiles majoris ordinis *Herseres* (deinde in Norvegia *Lendir menn* [12]) et ultimo Barones dicti) *Jarli* (posterius *Greifar* Dan. et Svec. *Grever*, Germ. *Grafen* &c.) et Reges ex uno et eodem genere prognati fuerint, et non qvidem mire, cum veterrimis temporibus (regnis sæpe exiguæ extensionis et potentiæ existentibus) parvum revera inter eos titulos (præsertim in Norvegia) discrimen haberetur. Notandum tamen, qvod *Jarli* alias primis temporibus probabiliter haberentur Regum ministri vel auliei aut satrapæ (uti in Eddico carmine *Gudrunarhvöt* str. XIX. XX. *Gudrunarqv.* III. str. II. et pluribus locis), unde posterius poëtice sic dicti viri nobiles sed medii ævi temporibus (sicut jamdum in Anglia) Comites tantum. *Herseris* nomen, e contrario, Domino sui territorii libero ab antiqvissimis temporibus gestare licuit. Auctor poëmatis respexisse videtur ad liberæ vel nobilis familiæ continuo crescentes possessiones et potestatem. Sic primus gentis fundator, *liber ampli prædii possessor*, genuit filium, qvi, militari disciplinæ assvetus et deditus, alienos fundos armis sibi acqvisivit et *comitis* (Jarli) sive *principis potentiam et latifundia* nactus, opulentiam talem matrimonio cum *Herseris (liberi baronis)* filiâ inito, ulterius amplificavit. Hinc *nobilium Ordo*, et *Regum* simul *familiæ*, cum unus dicti Principis filiorum primus *Regis titulum et ditiones*, paternis ampliores, ac regnum qvidem ab his diversum, adeptus fuisse videatur.

Hinc et e pluribus vetustatis monimentis patet patriciam sive nobilem hominum classem, ab antiqvissimis temporibus in nostro septentrione floruisse, qvod etiam jamdudum probavit historicus noster Dr. *G. L. Baden* peculiari dissertatione sic inscripta: *Arveadel saa gammel i Norden som ordnet Stat.* [13]) Hic et alibi multis ex antiqvissimis boreæ carminibus et Islandorum historiis desumtis argumentis est usus, qvamvis omnia fere ea, in scriptis pluribus nuper editis, nutricularum nugis et inutilibus ac noxiis fabulis adnumerare non vereatur!

---

12) Inde vox longe recentior *Lensmand*, cfr. Germ. Dan. *Lehn*, *Lehnmann*, *Lehnsmand* &c.

13) Confer ingeniosam cl. Svecorum *Gejeri* disqvisitionem in scripto periodico *Svea* (T. I. II. Upsalæ 1818) inscriptam: *Feodalism och Republicanism, ett Bidrag til samhällsförfatningens Historia.*

Sic plures in borea nostro hominum ordines, inter se diversos, ethnicæ religionis temporibus extitisse discimus, nempe:

1. Familiam regiam (comitum, liberorum baronum et nobilium stirpi cognatam).[14] Ejus generis homines priscis Scandinavis sonuerunt *Tignar-menn*, *Týgin-bornir* o: illustres, principales natu. Huc referendi reges et vetustissimi ævi reguli, ut et Jarli recentiorum, (tunc forte etiam Herseres).

2. Nobiles, qvi iterum a) patricii sive Nobiles superioris classis i. e. primorum Monarcharum tempore *Herseres* sive liberi barones,[15] qvi posterius *lendir menn* (nobis *Lehnsmænd*) satrapæ regii sive Vasalli, feudatarii. b) Nobiles inferioris Ordinis dicti *Höldar*, *Hauldar* (viri tenentes o: ditiones, amplos fundos). Tales viri dicebantur veteribus *Hers-bornir*, *Höld-bornir* (Herseribus vel Hoeldis prognati).[16] Vetustissimis temporibus huc etiam certe relati sunt c) coloni, allodiali jure fundos possidentes, dicti *Odalsmenn*, qvi recentioribus præcipue in Germania, Dania et Svecia *Adelsmænd*, nam vox *Odal* (allodium) cognata est vel eadem fere cum alia notissima *Adal*, *Adall (Adel)*.[17]

3. Homines (præter nobiles) vere liberi. Horum præstantissimi recentiori ævo ducti sunt coloni allodiales (*Ódalsmenn*, unde *Ódalbornir*) jam in Norvagia et Islandia *Odelsmænd*. His adnumerabantur alii liberi coloni vel cives *bændr*, *búendur*, ut et milites regii et aulici inferiores. Hinc orti *fridlsbornir* (liberi natu) dicebantur. Gliscente tempore Hoeldi norvagici Odalicis colonis plerumqve adnumerati sunt; vid. c. gr. Recentiores Gulensium Leges Edit. celeb.

---

14) Inde notissima Taciti, German. Cap. 7. *Reges ex nobilitate sumunt;* cfr. ejusd. Cap. 13. de principis dignatione etiam adolescentulis hæreditario jure adsignata.

15) Revera Herseres fuerunt principes ante monarchici imperii in Norvegia fundationem. Jarlorum dignitas, qvamvis posterius insignior habita, Regibus debebatur, et ab iis dependebat. Sic facile illucescit causa freqventis Herserum circa Jarlorum splendidiorem titulum renunciationis.

16) Pro veterrimarum Norvegiæ legum Hoeldis Lex Islandica Regis Magni (sec. XIII.) ponit eqvites sive nobiles viros (*Kaupab.* Cap. 24. Cfr. *GulaÞingslög Hákonar Adalsteinsfóstra* Qvennagipt. Cap. 6.)

17) Vide Gloss. Edd. antiqv. T. II. pag. 743. voce *Odal* sq. E qvorundam sententia vox *Hidalgo*, qvæ nobilem Hispanum inferioris generis denotat, orta est à gothico *Odal*, *Adal*, *Edli* vel similibus. *Odal* per metathesin Germanis *Alod*, *Allod* unde illud Barbaro-latinum *Allodium*. Vox *Vasallus*, *Vazallus* &c. cognata scandinavico *Veizla*, *Vœizla* feudum (datum sive oblatum).

nostri Thorkelini (Havn. 1807.) et qvoad postrema tempora, singulum illud inde revera desumtum privilegium in Lege Norvagica Christiani 5. Lib. 5. Cap. 12. Art. I. ubi vox *Hvalder* pluribus tam ignota evasit, ut ab alia longissime diversa *Hvalr* (cete) eam deducere vellent!

4. Serviles et â servis orti homines. Horum infimi ipsi servi vel mancipia (*þrælar, man, mansmenn, ambáttir*). Iis prognati qvamvis posterius libertatem nacti et sic liberti (*leysingiar, friálsgiafar*) [18]) appellati sunt *Þýbornir* (mancipiis nati) [19]) uti etiam illud Taciti (l. c. Cap. 25) "liberti non multum supra "servos" justo jure de nostro septentrione dici potest.

Horum ordinum primi duo uni revera annumerari qveunt, *nobilium hominum* nempe, ad qvem similiter *sacerdotes* pertinebant. [20]) Secundum formabant homines *ingenui* vel *liberi* et tertium *serviles*, vel servi et liberti.

Similia apud Germanos vetustiores instituta extitisse monstrant Taciti scripta, cum pluribus recentioris ævi auctoribus collata. Eginhardus (vel Meginhardus) sic loqvitur de Saxonibus (apud Adamum Bremensem, hist. eccl. I. 5.) "Generis qvoqve et nobilitatis suæ providissimam curam habent, nec facile ullis "aliarum gentium vel sibi inferiorum connubiis infecti, propriam et sinceram, "tantumqve sibi similem gentem facere conati sunt. . . . . Qvatuor inde differen-"tiis gens illa consistit, *nobilium* scilicet et *liberorum*, *libertorum* atqve *servo-*"*rum*. [21]) Et id legibus firmatum ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ

---

18) Inter hos jus Norvegiæ canonicum eam facit distinctionem, ut *Leysingi* notare videatur hominem liberto generatum, sed *friálsgiafi* libertum ipsum, (qui antea servile jugum traxerat).

19) Vid. Gloss. Edd. ant T. II. voce *Þý* (p. 861.) *Þræ*, *Þrælt* (859.) *Man* (720). *Ambátt* (661.)

20) Qvadrat in boreales principes (uti Gejerus observavit) Servii de priscis Græcis et Romanis dictum (ad AEneid. III). "Majorum erat hæc consvetudo ut rex etiam esset sacerdos vel pontifex." Idem dicendum de principibus minoris notæ, reipublicæ antistitibus (e. gr. in Islandia gentili) et originitus verisimiliter de qvovis patre familias, tanqvam propriæ domus hero vel domino. Vide observationes nostras ad stropham carminis 40 de Runis sive mysteriis divinis aut religiosis, cum principibus communicatis.

21) Hi (ut supra monstravi) Servi indigenæ apud nostrates, unacum libertis ab iis ortis, communi nomine *Þýbornir* appellabantur, et sic eidem hominum in republica ordini adscripti fuerunt. Libertorum talium guati posterius (præsertim post Christianismum introductum) partim liberis colonis annumerari coeperunt, qvamvis alii in servili fere conditione manerent, unde rustici glebæ adscripti (Danis *Livegne*, *Stavnsbundne*, *Vornede*). Wittechindi testimonium cum

"sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem et liber liberam, "libertus conjungatur libertæ et servus ancillæ. Si vero qvispiam horum sibi non "congruentem et genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno com-"ponat." Alias Saxones uti Anglo-Saxones et Francos invenimus divisos in Nobiles (Principes et Patricios), Ingenuos et Libertos ac Serviles,[22]) qvod item de omnibus reliqvis Germanicis et Gothicis populis statuendum opinamur. Pari, ut antea relatum, modo Leges Longobardorum, Burgundionum, Francorum, Ripuariorum et pl. prohibuere matrimonia inter liberos et servos et eadem fere Saxo Grammaticus (H. D. Lib. 5.) de Frothonis Regis Danici prisca legislatura refert.

Si ad reliqvos vetustatis populos respiciamus, divisio populi in diversos hæreditarios ordines (stirpes vel gentes) ubicunqve nobis occurrit. Ut Romanos et Græcos taceam, clarissima illius rei vestigia invenimus apud Albanos et Iberos, Caucasios, Persas, Indos, Ægyptios et pl. — de qvibus hic amplius non erit discurrendum. Hic tantummodo notare sufficiet, qvod vir lingvæ Sanscriticæ peritissimus, *Franciscus Bopp*,[23]) comparationem aliqvam jam dudum instituerit inter qvatuor Indorum et Germanorum reipublicæ Ordines (der *Lehr-Wehr-Nähr und Dienst-Stand*) et qvod similes, qvam hæc borealis, fabulæ de istorum origine referantur. Sic Nycrupius noster observavit poëma indicum agens de heroë qvodam, dicto *Sandragupeti*, qvi qvatuor humani generis stirpium, cum qvatuor mulieribus cohabitans, propater evasit.[24])

De scopo poëmatis, (in priscis alias majorum traditionibus fundati) ita non inepte tractavit Johannes Olavius Grunnavicensis in suis ad illud annotationibus: "Scopus et intentio totius huius carminis videtur esse monere non tantum, qvod omne genus humanum a Deo sit initialiter creatum; sed in primis qvod omnes Ordines et status numini divino suam debeant originem; et eo ipso simul, qvo-

illo consentit, his verbis nempe: "Saxonica gens, usqve hodie, triformi genere ac lege præter "conditionem servilem dividitur."

22) Nempe *Edelingis*, *Adelingis* (Isl. *Ödlingr*, Dan. *Ædling*) *Frilingis* et Lassis, Lazis (Isl. *Leysingi*).

23) In libro: *Ueber das Conjugationssystem der Sanscrit-Sprache nebst Episoden* &c. *Frfurt. am M.* 1816. Introd. p. XI.

24) *Indledning til Forelæsninger over den indiske Literatur. Kbhvn.* 1820.

modo e parvis inclinaminibus prineipiorum res maximæ derivari possint vel a tenuibus ad summa assurgere. Sie homines tam nobiles qvam ignobiles, liberi et servi, domini ae subditi, divites et potentes, qvam pauperes et imbelles, excelsi ae humiles, ortum suum, omnes ad unum, Deo debent, per ereationem [25]) et natura pares sunt. Monstratur porro diversa indoles hominum et propensio animi, qvam natura a teneris implantavit et qvæ se statim in adolescentia exserit. Iterum adhuc observandum est plerosqve scriptores historiæ imperii alicuius, dum primas origines referre conantur, in fabulas desinere, atqve in his originem suam a numine qvodam vel homine Semideo deducere conari. Tanta enim est superbia mortalium, ut in relatione sua ad essentias immortales aliqvid sibi gloriæ aceedere arbitrentur. [26]). Non tamen Noster in his eatenus omnino vanus est, qvod Originem Rigi ab Heimdallo, potius qvam alio qvodam Divo deducat. Singularem ejusdem sanctitatem et perfectionem alibi prædieavi. Nomine ipso *Heimdallus* pulchritudo vel potius forte virtuositas elementaris macrocosmi (sive natura universi vegetativa, fructifera vel plastica) indigitari videtur. Non abludit multum ratio cur Terra uxor Odini dieatur. Igitur Heimdallus (id est natura communis elementorum) qvasi creator protoplastorum hic nobis proponitur, per catastasin qvandam. Hæc alii, si velint, penitius rimentur."

Antiqvitas Carminis Rigiani sine ulle dubio ad gentilem Seandinaviæ periodum reeedit; id religio et lingva simul doeent. Cui autem æræ christianæ seculo attribuendum sit, nos minime deeernere audemus. Illustrissimus noster Sulmius varias circa hoc momentum opiniones fovit, qvum id retulerit aut ad seculum 8 vel 9, aut etiam ad 6 vel 7. [27])

25) Mythus ab hoc diversus de creatione primornm hominum (Asci et Emblæ) narratur in Voluspa et Edda prosaica — hic autem de qvodam humani generis renovatione aut restauratione vel variorum ejus ordinum divina institutione, septentrionis incolis forsitan peculiari, agere videtur. F. M.

26) Reges et principes septentrionis se ab Odino ortos (uti Græci a Jove, simili ratione adducti) præcipue perhibuerunt. F. M.

27) Historie af Danmark T. I. p. 81. *"Upaatvivleligen er dette Poëma skrevet i den hedenske "Tid og rimelig til en vis Konr der stammede fra Dan Mikillati. Men da her tillægges "vore Forfædre temmelig Pragt, saa er det vel ikke skrevet förend i 8 eller 9 Seculo."* Item Crit. Hist. af Danm. T. 7. p. 474. *"Rigsmaal er skrevet længe efter Rigs Tid — uden Tvivl "fra den hedenske Tid, og maaskee fra 6 eller 7 Seculo."*

Ut antea monuimus carmen *Rígsmál* nobis conservatum est in folio ultimo Codicis pergameni Wormiani (seculo 14 vel 15. exarati), qvi alias Eddam Snorronianam sive juniorem aut prosaicam continet. Inde seqventia textus dicta accurate descripsimus. Cum iis etiam contulimus 1) exscriptum Johannis Olavii Grunnavicensis, qvod, cum ejus latina versione, typis nunqvam mandatum, inter chartas Arnæ-Magnæani legati servatur. 2) Sandvigii exemplar impressum (et Danice versum) in ejus: *Forsög til en Oversættelse af Sæmunds Edda* 2. Hefte Kbhavn. 1785. pag. 128 sq. 3) Cl. Siöborgii editionem, qvæ Lundæ prodiit 1801. 4. sub titulo *Rígsmál, carmen Gothicum antiqvissimam Scaniæ historiam illustrans* &c. 4) Editionem Holmiensem Eddæ rhytmicæ sive antiqvioris 1818, secutam apographum vetus (ut fertur) prædicti Wormiani codicis, qvamvis ab eo aliqvantum differre probetur.

Præter duas illas latinas (cui tertia Gunnaris Pauli, qvam etiam ad manus habuimus, annumeranda) et unam danicam translationem, notare porro debemus liberam eam in hodiernum Daniæ idioma, auctore beato *W. F. Abrahamson*, poëtâ et antiqvario ingeniosissimo, qvæ impressa invenitur in opere doctissimi nostri Nyerupii, inscripto: *Historisk-statistisk Skildring af Tilstanden i Danmark og Norge* &c. T. I. Havn. 1805. Translatio germanica, hujus odæ invenitur in opere clarissimi Graeteri: *Lyrische Gedichte nest einigen vermischten. Heidelberg* 1809. 8., sic inscripta: *Das Lied von Erich dem Wandrer oder die Erzeugung der drey Stände; dem Herrn Prof. Sjöborg in Lund und den Manen Sandwigs geweyht.*

RÍGS-MÁL EDR RÍGS-ÞVLA.

Sva segia menn í fornvm sögum at einhver af ASUM sá er HEIMDALLR hét. fór ferdar sinnar oc fram med siáfarströndv nockurri. [a])kom at einvm húsabæ oc nefndiz RÍGR. Eptir þeirri sögv er qvædi þetta:

I.

[b])At[1]) qvádv gánga
Grænar brautir
Ósigan oc alsæmin[c])

MELOS SIVE CARMEN RIGIANUM.

In perantiqvis traditum est narrationibus, Asarum qvendam, nomine HEIMDALLUM, *iter suum ad oram qvandam maritimam perrexisse, et ad prædium qvoddam, pluribus instructum ædibus devenisse, ubi semet* RIGUM *nominavit — juxta cujus traditionis tenorem seqvens carmen compositum est:*

I.

Dixerunt olim[1]) ambulasse
Per virentes vias (tramites)
Fortem et decorum

a) *Kom . . . húsabœ* incl. omitt. Sv. Sb.

b) *Ár* Sv. Sb. Verisimiliter rectius, et in nostra translatione expressum; vocula *at* hic omnino superflua foret. Cfr. obs. I.

c) *Aldinn* (vetustus vel etiam, vi vocis, maturus, frugifer) St. O.

1) Lego *ár* non *at*; Vid. Lect. var. b.

As kvnnigan [2])
Raman oc röskvan
Ríg stíganda.

Asam (Deum) multiscium [2])
Robustum et alacrem
RIGUM *progredientem.*

II.

Géck hann meir at þat
[d]) Midiar brautar
Kom hann at húsi
Hvrd var á gætti [3])
Inn nam at gánga
Elldr var á gólfi. [4])

II.

Processit porro deinceps
Per mediam viam.
Adiit domum
Subpatente ianua. [3])
Is ingrediebatur,
Ignis erat in pavimento. [4])

III.

Hión sátv þar
[e]) Hár af[f]) árni [5])
Ái oc EDDA [g])
Alldin-fallda. [6])

III.

Sedebant ibi conjuges
Cani (longinqva) ambulatione [5])
AI *(atavus) et* EDDA *(proavia)*
Vetulari utens apice. [6])

IV.

RÍGR kunni þeim
Rád at segia
Meirr settiz hann

IV.

His potuit RIGUS
Consilia dicere,
Is porro insedit

d) *Midrar* (in sing.) Sv. Sb. St.
e) *Havrd* (duri, durati) Sv. Sb.
f) Árni (*iárni* o: ferro) Sv. Sb. vertunt tamen: *Arbeid*; laboribus.
g) Worm. *Ellda*, lapsu calami tantum; cfr. str. 5.

---

2) Vel etiam notum, celebrem.
3) Ianua erat semiaperta.
4) "Focus enim in medio pavimenti erat, et fu-"mus per foramen, qvod in culmine tecti fuit, "transiit." *Sjöborg.* Eo modo constructæ sunt ædes Norvegorum rusticorum qvas *Rög-stuer* vocant.
5) Ut textum verbotenus seqvamur. *Hörd af arni* legisse videntur Sandvigius et Sjöborg, vertentes: *durati laboribus* (ab *ar* labor) non qvidem improbabiliter. Rectissime forte legendum: *hár at arni* "cani ad focum" (conjuges sedebant).
6) *Falldr* calyptra sive peplum muliebre.

Midra ſletia
Enn á hlid hvára
Hión ſalkynna.

In medio ſcamno (conclavi)
Sed ad utrumqve latus
Conjuges domeſtici.

V.

7) Þá tók EDDA
k) 8) Ökvin leif
Þúngan ok þyckan
Þrúngin ſádvm.
Bar hon meirr at þat
Midra ſkvtla.
Sod var í bolla
Setti á bióð;
Var kálfr ſodinn
Krása beztr.

V.

7) *Tum ſumſit* EDDA
8) *Glebosam (grumosam) placentam (panis)*
Ponderosam et crassam
Furfuribus turgidam.
Protulit illa porro
Per medias menſas
Iusculum in catillo
Imposuit patinæ;
Erat vitulus elixatus
Ferculorum optimus.

VI.

Reís hann vpp þadan
Rédz at ſofna
RIGR kvnni þeim
Rád at ſegia.
Meirr lagdiz hann
Midrar reckiv
Enn á hlid hvára
Hión ſalkynna.

VI.

Surrexit is inde
Compoſuit ſe ad dormiendum;
RIGUS *potuit illis*
Conſilia dicere,
Proſtravit ſe porro
In medio lecto
Sed ad utrumqve latus
Conjuges domeſtici.

k) Sic Worm. manifeste; legerunt alii aliter. O. R. *Ökvm* Sv. Sb. *Okvnn.* Vid. Obs. 8.

7) Describuntur in hac ſtropha (et ſeqventibus) conditio et oeconomia hominum infimi ordinis.

8) Vel etiam in cinere et pruinis coctum. Vid. Gloss. voce *Ökvinn.*

VII.

Þar var hann at þat
Þriár nætvr saman.
Géck hann meirr at þat
Midrar brautar.
Lidv meirr at þat
Mánudir nío.

VII.

Ibi deinceps moratus est
Tres noctes continuas.
Abiit porro deinde
Per mediam semitam.
Procedebant inde
Menses novem.

VIII.

Jód ól EDDA
Jóso vatni 9)
10) Hörfi svártan
Hétv ÞRÆL.
Hann nam at vaxa
Oc vel dafna.
Var þar á höndvm
i) Hrockit skinn.
Kropnir knúar
— — — — — 11)
Fíngvr digrir
Fúlligt andlit
Lotr hryggr
Lángir hælar.

VIII.

Infantem peperit EDDA
Qvem aqva (lustrali) consperserunt 9)
10) *Cute nigricantem*
Vocaruntqve THRÆL *(Servum).*
Is increvit
Et vires collegit.
Erat ei manuum
Cutis rugosa
Condyli nodosi (incurvati, contorti)
— — — — — 11)
Digiti crassi,
Facies foeda,
Dorsum incurvum,
Calces prominentes.

IX.

Nam hann meirr at þat
Magns vm kosta

IX.

Didicit ille porro
Vires intendere,

i) Sv. Sb. *hrockinskinni.*

9) Gentili nempe more. Vid. Observationem nostram 120 ad Carmen *Hávamál* (str. 161. supra), ut et hujus operis T. II. pag. 32. 59.

10) Vel potius capillo et crinibus corporis aut dermatis in genere. Notari hic merent Lapponum et Celtarum (qvi verisimiliter primi fuerunt septentrionis incolæ) nigri crines. Cfr. introd. supra et str. 18. 31. infra.

11) Hic manifeste deest integer versiculus.

Bast at binda
Byrdar giörva.
Bar hann heim at þat
Hrís giörstan dag.

Philyras nectere,
Onera parare.
Deinde virgas (cremia) domum
Tulit qvotidie (v. toto die).

X.

Þar kom at gardi
Gengilbeina
Ör var á ilivm
Armr sólbrvnninn
Nidrbiúgt var nef,
Nefndiz Þýr.[k])

X.

Venit ibi ad villam
Ambulatrix fœmina (pedambula).
Habuit cicatrices in volis (pedum)
Brachium sole adustum,
Nasum procurvum
(Ac) vocabatur Thyr *(Ancilla).*

XI.

Midra fletia
Meirr settiz hon
Sat hiá henni
Sónr húss.[l])
Rædde oc ryndv
Reckiv giördv
Þræll oc Þýr
Þrúngin dægvr.

XI.

Mediis in sedilibus
Consedit porro illa,
Assedit ei
Filius domus (familiæ);
Loqvebantur et susurrabant (invicem)
Lectum (sibi) parabant
Servus *et* Ancilla
Per turgida nycthemera.

XII.

Börn ólv þau
Bioggv oc vndv
Hygg ec at héti

XII.

Liberos procrearunt
[Co-]habitabant contenti,
Credo illos vocatos

k) Þír Worm. contra nostrum scribendi usum.
l) *háus* Worm. perperam.

12) Hreimr oc Fiösnir
Klúr oc Kleggi[m])
Kefsir, Fúlnir
Drvmbr, Digralldi
Dröttr oc Hösvir[n])
Lútr oc Leggialldi;
Lögdv garda
Akra töddv
Unnv at svínvin
Geita gættv
Grófv torf.

12) Hreimr (*fuliginosus*) *et* Fiösnir (*bubulcus*)
Klúr (*impolitus*) *et* Kleggi (*crassus*)
Kefsir (*contentiosus*) Fúlnir (*foetidus, malevolus*)
Drvmbr (*truncus*) Digralldi (*obesus*)
Dröttr (*incessu tardus*) *et* Hösver
Lútr (*cernuus*) *et* Leggialldi;
Aggeres (*sepes*) *construxerunt,*
Agros oblimarunt,
Circa sues occupabantur,
Capras custoviderunt
(*Et*) *cespites effodiebant.*

XIII.

Dætvr vorv þær
o)Drvmba oc Kvmba
Öckvinkálfa
Oc Arin-nefia
Ysia oc Ambátt
Eikin-tiasna
Tötrvg-hypia
Oc[p]) Trönvbeina
Þadan erv komnar
Þræla ættir.

XIII.

Filiæ erant hæ:
Drumba (*segnis*) *et* Kumba
Öckvinkalfa (*scirrho-sura*)
Et Arin-nefia (*aduncum nasum habens*)
Ysia (*præceps*) *et* Ambátt (*serva*)
Eikin-tiasna (*ilicea pertica*)
Tötrug-hypia (*Laceri-panna*)
Et Tröno-beina (*grui-pes*).
Inde ortæ sunt
Servorum prosapiæ.

m) *Klöggr* Sv. Sb.
o) *Dumba* Sv. Sb.
n) *Hösnir* Sv. Sb. St.
p) *Trönvbenia* Sv. Sb. St.

12) De his et reliqvis poëtæ nostri nominibus propriis, vel rectius allegoricis, consulatur Glossarium suis locis. Notare tantummodo hic juvat, nomen *Kefsir* vel *Kepsir* servis masculis communem evasisse appellationem in legibus Vestrogothorum Sveciæ (*Gipt. B.* 2. Fl. 5. §.)

XIV.

13) Géck Rígr at þat
q) Rettar brautar
Kom hann at r) [húsi]
Hvrd var á s) skídi.
Inn nam at gánga
Elldr var á gólfi 14)
Hión sátv þar
Hélldv á sýslv.

XIV.

13) *Processit post hoc* Rigus
Per rectas vias
Venit ad [domum]
Erat janua semireducta.
Is ingrediebatur
Ignis erat in pavimento 14)
Conjuges ibi sedebant
Opus manibus versantes.

XV.

Madr tegldi þar
Meid til rifiar 15)
Var skégg skapat 16)
Skör var fyrir enni
Skyrtv þröngva
t) Skockr 17) var á u) gólfi.

XV.

Asciabat ibi vir
Materiam jugi textorii 15)
Erat barba (decenter) formata 16)
Et (itidem) a fronte capilli
Indusium erat adstrictum —
Arca 17) *stetit in pavimento.*

XVI.

Sat þar kona
Sveigdi rock
Breiddi fadm
Bió til vádar.
Sveigr var á höfdi

XVI.

Sedit ibi mulier
Colum flectebat,
Extendit brachia
Fila in pannum præparavit.
Peplum flexile erat in capite

q) *midrar* Sv. Sb.
s) *Gætti* Sv. Sb.
r) *Húsi* om. Worm. (prave, sine dubio).
t) *Smockr* Sb.
u) Hálsi Sb. Sv.

13) In hac et seqvéntibus strophis describuntur conditio et oeconomia colonorum vel rusticorum melioris notæ.
14) Vide supra str. 2. Obs. 4.
15) I. e. dedolavit lignum, ut inde fieret jugum sive licium textorium.
16) Vel etiam: apte adcommodata, seu scite detonsa atqve formata.
17) De insolita hac voce consulatur Glossarium nostrum; — Idem circa plures mox seqventes monendum.

Smockr var á bríngv
Dúkr var á hálsi
Dvergar á öxlum.
AFI oc AMMA
Áttv hús.

Amictorium in pectus demissum,
Focale circa collum,
Globuli in humeris —
AFI (*Avus*) *et* AMMA (*Avia*)
Possidebant domum.

XVII.

RÍGR kvnni þeim
Rád at segia
Reis frá bordi
Réd at sofna.
Meirr lagdiz hann
Midrar reckiv
Enn á hlid hvára
Ilión salkynna.

XVII.

RIGUS *potuit iis*
Consilia dicere,
Surrexit â mensa
Se ad somnum comparavit.
Projecit se porro
In medio lecto
Sed ad utrumqve latus
Conjuges domicilii.

XVIII.

Þar var han at þat
Þriár nætvr saman.
Lidv meirr at þat
Mánvdir nío.
Jod ól AMMA
Jósv vatni
Köllvdu KARL
Kona sveip ripti
Raudan oc riódan [18])
Ridvdv augv. [19])

XVIII.

Ibi cunctatus est
Tres noctes continuas.
Procedebant inde
Menses novem.
Infantem peperit AMMA
Qvem aqva (lūstrali) consperserunt
Vocabant (enim) KARL *(virum, colonum)*
Mater (eum) linteo involvit
Rufum et rubicundum [18])
Oculi (ei) titubabant. [19])

18) I. e. capillum gestans rufum aut rubescentem sed genas rubicundas. Cfr. str. 8. 31.

19) Aliis verbis: natabant; tremuli motitabantur. Cfr. infra str. 31.

XIX.

Hann nam at vaxa
Oc vel dafna.
Öxn nam at temia
Ardr at giörfa
Hús at timbra
Oc hlödvr smída
x) Kata [20]) at giörfa
Oc keyra plóg.

XIX.

Is increvit
Optimeque viguit;
Didicit boves domare
Aratrum fabricari,
Domos ædificare
Et horrea struere,
Plaustra [20]) *facere*
Et aratrum agere.

XX.

Heim ókv þá
Hánginlukly [21])
Geitakyrtly [22])

XX.

Tunc domum (curru) convexerunt
(Fœminam) [21]) *pendulos claves gestantem*
Tunicamqve ê pellibus (aut pilis) caprinis. [22])

x) *Káta* vel forte *Karta* Worm. *Karta* Sv. Sb.

20) Si nempe legimus *kata*, vertendum erit: cymbas sive naviculas, aut etiam vascula.

21) De antiqvo isto more jam ubicunqve fere obsoleto, ita Joh. Olavius Grunnavicensis: "Id "adhuc moris est in Islandia, ut promæ condæ "claves gestent e baltheo suo dependentes, cui "subnectuntur per lamellam cupream, tenuem "ac perforatam, qvæ vulgo *Sylgia* vocatur, "forte *umbella* latine vel *umbella clavicularis*, qvia de illa dependere solent claves, "qvas promæ condæ gestare solent." Vide delineationem mulieris rusticæ circa medium seculi 18. ad Olafsens og Povelsens Reise gjennem Island T. I. Tab. IV. ubi claves de annulo, baltheo affixo, sed cultelli et forficulæ de umbella illa pendentes repræsentantur. Vocabulum *Sylgia* Norvagis rusticis adhuc *Sylje*, *Sylju*, Svecis *Sölja*, fibula major. Morem similem in Dania olim viguisse monstrat proverbium hocce: *Alle Nögler hænge ikke ved en Kones Laar.* Notum alias est *jus clavium* olim legitimæ uxori præ concubinis aut famulis muliebris sexus concessum fuisse. Hinc vetus formula legum Svecicarum: "*Jag gifter "thig mina Dotter til heders och husfru och "til halfva säng, til låås och nykla*;" Loccenio sic vertente: Ego despondeo tibi filiam meam in honorem et uxorem et dimidium lectum, in seras et claves &c. Vid. *Schildener* l. c. p. 238.

22) Vel vestem talibus exterius aut interius pellitam. Sec. 8. sic S. Bonifacius, in Germania degens amico scripsit: "Transmitto vobis ca"sulam, non holosericam sed caprina lanu"gine mixtam et villosam — Lectisternia ca"prina et hic vocant — corporale unum et "villosum unum &c." Rustici vel pastores Græciæ antiqvæ præsertim in Attica et aliis

Giptv KARLI
SNÖR heitir sú
Settiz vndir ripti.[23])
Bivggv hión
Bauga deildv[24])
Breiddv blæivr[25])
Oc bú giördv
Börn ólv þau
Bioggv oc vndv.

Nuptumqve dederunt KARLO,
SNÖR *(agilis) ea appellatur*
Consedit sub lino.[23])
[Co] habitarunt conjuges
Annulos commutabant,[24])
Lodices instraverunt[25])
Et rem domesticam instituerunt,
Susceperunt liberos
Habitarunt et acqvieverunt.

XXI.

Hét HALR oc DRENGR
HÖLLDR, ÞEGN, SMIDR,
BREIDR, BÓNDI
BVNDIN-SKEGGI
Búi oc BODDI
BRATTSKEGGR oc SEGGR.

XXI.

Vocabantur (filii) HALR *et* DRENGR
HÖLLDR *(liber colonus)* ÞEGN *(subditus) et* SMIDR *(faber)*
BREIDR *(amplus)* BÓNDI *(rusticus, maritus)*
BUNDIN-SKEGGI *(ligatam barbam gestans)*
Búi *et* BODDI
BRATTSKEGGR *et* SEGGR.

XXII.

En hétv sva
Ödrum nöfnvm
SNÓT, BRÚDUR, SVANNI
SVARRI, SPRACKI
FLIÓD, SPRVND oc VÍF

XXII.

Porro appellabantur (filiæ)
Aliis nominibus:
SNÓT, BRÚDUR, SVANNI,
SVARRI, SPRACKI
FLIÓD, SPRUND *et* VÍF

montanis regionibus pellibus caprinis pro vestimentis usi sunt.

23) Vel nuptiali, vel etiam linteo texendo aut suendo. Cfr. infra str. 37. Obs. 42.

24) Aut etiam: annulos vel nummos aliis distribuere, vel in negotiis permutabant. Cfr. i. str. 35. Obs. 40.

25) Sc. alter alteri in lecto conjugali.

FEIMA, RISTILL
Þadan ery komnar
Karla ættir.

XXIII.

26) Géck RÍGR Þadan
Réttar brautir
Kom hann at sal
Sudr horfdv dyr 27)
Var hvrd hnígin
Hríngr var í gætti. 28)

XXIV.

Géck hann inn at Þat
Gólf var stráad 29)
Sátv hión
Sáz í augv

FEIMA, RISTILL.
Indæ ortæ sunt
Prosapiæ colonorum (rusticorum).

XXIII.

26) *Ivit* RIGUS *inde*
Per rectas vias
Venit ad ædem ampliorem
Austrum spectabat ostium 27)
Ianua ad fores inclinavit
Annulo ansata. 28)

XXIV.

Is mox intravit
Erat pavimentum stratum 29)
Sedebant conjuges
Se invicem aspectantes

---

26) Seqventes strophæ depingunt nobilium hominum lautiorem conditionem et vivendi modum,

27) "Et domicilia majorum et sepulchra imo templa, "ostia habuerunt vel orientem spectantia, vel "saltem solem versus, dum cursum flectit ad "meridiem." *Sjöborg.* "Forte omen felicitatis "cum infaustum esset si septentrionem versus "spectasset" (ut mythi de Nastrondensi sive infernali æde referunt). "Non igitur observa"tu indignum est qvod ædificia antiqvorum "soli obversa fuerint (uti jam in Islandia) qvem "admodum et sepulchra, qvod a religioso er"ga solem cultu provenisse videtur." *Olavius.*

28) Adhuc in Islandia, uti etiam interdum in Dania, januæ templorum et plurium insignioris notæ ædificiorum, annulo grandi metallari (cornicis sive ansæ loco) instructæ aut ornatæ sunt. Qvidam tales et in Islandia et in Dania è sepulchralibus gentilium tumulis eruti feruntur; Vid. e. gr. *Thiele Danske Folkesagn* I. 112. 195. II. 23. 36. 152.

29) "Pavimenta stramentis insternere consvetudo "fuit antiqva, signum forte ornatus et mundi"tiei . . . qvæ nondum inter Norvegos" [nec etiam Svecos] "exspiravit qvatenus ornatus cau"sa pavimenta, ut et semitas ad templum du"centes, flosculis frondium, in festis majori"bus et solennitatibus nuptialibus, conspergere "sunt soliti, ubi novis conjugibus sit proce"dendum. Tales autem frondes *Bar* vocant." [Vid. Gl. T. II. pag. 578. ubi antiqvissima hæc vox Persis, Scandis et pl. communis esse monstratur]. "Similiter in Scania idem moris est "tempore festi natalitiorum domini, ut scili"cet pavimenta stramine [vel frondibus] con"spergantur, atqve eidem insideant." *Olavius.*

FADIR OC MÓDIR
Fingrvm at leika. 30)

XXV.

Sat húsgvmi
Oc sneri streng,
Álm of bendi
Örvar sképti.
Enn húskona
Hvgdi at örmvm,
Strauk of ripti
γ) Sterkti ermar.

XXVI.

Keisti falld
Kínga 31) var á bríngv
Sídar slædvr
Serk bláfáan.
Brún biartari
Briost liósara
Hals hvítari
Hreinni miöllv.

FADIR (*Pater*) *et* MÓDIR (*Pater*)
Digitis ludentes. 30)

XXV.

Sedit herus
Et contorqvebat nervum,
Arcum intendit
Et manubria telis parabat;
Hera autem
Brachia (sua interdum) inspiciebat,
Linteum lævigabat
Et manicas firmiores reddidit.

XXVI.

Instauravit apicem capitis (calanticam)
Gestans lunulam 31) *in pectore (ante pectus)*
Demissum syrma,
Indusium cæruleum;
Supercilium albius,
Pectus lucidius,
Collum candidius
Purissima nive.

γ) *Sti* Worm. qvod legi potest *sterti*, *sterkti* vel *stirkti*, omnia ejusdem sensus. Vide Glossarium.

30) "Exstat adhuc phrasis Islandica: at *leika vid "fingur sér* o: digitis sibi ludere — cum qvis "præ gaudio et hilaritate diversos edit motus "membrorum exsultantium." *Olavius.*

31) Vel grandem fibulam, Vid. Gloss. *Sjöborg* habet *Ringa*, lectionem pravissimam seqvens, sed rem tamen ipsam acu tetigisse videtur, hacce nempe observatione: "Hoc loco ornamen "tum qvoddam lunatum indicatur, simile for- "san fibulis pectoralibus puellarum nostrarum "Scanensium."

XVII.

Rígr kvnni þeim
Rád at segia
Meirr settiz hann
Midra ſletia
Enn á hlid hvára
Hión ſalkynna.

XXVII.

Rigus *potuit iis*
Consilia dicere,
Porro se locavit
In mediis ſcamnis
Sed ad utrumqve latus
Conjuges domicilii.

XXVIII.

Þá tók Módir
Merktan dúk
Hvítan af hörſi
Oc hvldi biód.
Hon tók at þat
Hleifa þvnna [32])
Hvíta af hveiti
Oc hvldi dúk.

XXVIII.

Tum sumsit Mater
Mappam variegatam
Ex albo lino
Et inſtravit mensam.
Sumsit postea
Tenues panes (placentas) [32])
Tritico albicantes
Qvibus mappam operuit.

XXIX.

Fram setti hon skutla
Fvlla, ſilfri varda
A biód fán fleski
Oc fvgla steikta. [z])
Vín var í könnv
Vardir kálkar

XXIX.

Proposuit abacos,
Plenos, argento ornatos,
In patinam carnes ferinas, lardum
Et assatas aves;
In cantharo erat vinum,
Obducti (metallis) calices

z) Præcedentes qvatuor versus aliter et diversis modis disponunt reliqvi nostri codices et editiones.

---

32) Ejus generis panes qvi, adhuc a Norvegis usitati, iis jam sonant *Fladbröd*, Islandis *Kaka*, Anglis *Kecks*. Coctionis modus orientalium populorum vulgatissimo convenire videtur. Cfr. supra str. 5. Vox *hleifr*, *leifr* alias eadem est cum Latinorum *libum*, rem eandem denotante. Vid. Gloss.

Druckv oc dæmdv
Dagr var á sinnvm.
RÍGR kvnni þeim
Rád at segia.

Potabant et fabulabantur
Dies ad vesperam inclinabat,
RIGUS *novit illis*
Consilia dicere.

XXX.

Reis RÍGR at þat
Reckiv giördi.
Þar var hann at þat
Þriár nætvr saman.
Géck hann meirr at þat
Midrar brautor
Lidv meirr at þat
Manvdir nío.

XXX.

Tum RIGUS *surrexit*
Lectum parabat.
Ibi ille cunctatus est
Tres noctes continuas.
Deinde abiit
Per mediam viam.
Posthac procedebant
Menses novem.

XXXI.

Svein ól MÓDIR
Silki vafdi 33)
Jósv. vatni
JARL létv heita.
Bleikt var hár
Biartir vángar
Ötvl vorv augv
Semþ) yrmlíngi. 34)

XXXI.

Puerum peperit MÓDIR (*Mater*)
Qvem serico involvit 33)
Qvemqve aqva (*lustrali*) *consperserunt*
Et nomen IARL *indiderunt.*
Albidus (*flavus*) *erat capillus,*
Lucidæ genæ,
Oculi acres (*acuti, vegeti*)
Tanqvam (*in*) *angviculo.* 34)

þ) *Í* add. Sv. Sb. St. (eodem sensu).

33) "Fasciis scilicet sericis, ubi notanda est magnifica lautitia hujus puerperæ, præ reliqvis duabus antea str. 8. et 18. memoratis qvæ haud ambiguum signum fuit futuræ prærogativæ." *Ol.*

34) "Hoc mobile et vegetum acumen oculorum in fantis procul dubio a poëta adfertur pro signo alacritatis et vivacis animi, qvod jam statim in infante se exserebat, sed animus generosus cum adulta ætate documenta viva et vera esset daturus. Oculi enim plerumqve indices sunt insitæ ac connatæ indolis." *Olavius.* Cfr. str. 18. Obs. 19.

XXXII.

Vpp óx þar
æ) JARL á flêtivm.
Lind[35]) nam at skélfa
Leggia strengi
ö) Álm[36]) at beygia
Örvar sképta,
Flein at fleyia
Frökkvr dyia
Hestvm rída
Hvndvm verpa
Sverdvm bregda
Svnd at fremia.

XXXII.

Increvit illic
IARLUS (*Comes*) *domi*;
Didicit tiliam[35]) *qvatere,*
Nervos contorqvere,
Arcum[36]) *flectere,*
Sagittis manubria addere,
Spicula jacere,
Lanceas motitare,
Eqvis insidere,
Canes (*venaticos*) *emittere,*
Gladios distringere,
Natationem exercere.

XXXIII.

Kom þar[a]) or rvnni
RÍCR gángandi
RÍGR gángandi
Rúnar[37]) kéndi
Sitt gaf heiti[38])
Son qvedz ega
Þann bad hann eignaz

XXXIII.

Venit illuc e saltu (*luco*)
RIGUS *incedens,*
RIGUS *incedens*
Runas[37]) (*illum*) *docuit,*
Nomen suum indidit[38])
Filium proprium profitens,
Qvem obtinere jussit

æ) *Iarls* Worm. (perperam).
ö) Qvatuor seqventes versus prave disponit St.
a) Sic Worm. *at Ranni* Ol. (ad domum) reliqvi.

35) Hastam nempe tiliaceam.
36) Proprie ulmum. Vid. Gloss. et cfr. notam proxime præcedentem.
37) Uti latini ponunt *literas* pro scientiis et artibus. Vid Gloss. v. *Rún*, *Rúnir* et str. 40.
38) Atavi nostri (Lapponum et pl. more) nomina propria interdum mutarunt. Hujus rei lucidum exemplum adfert *Eyrbyggia* de celeberrimo Thornesensium prætore vel pontifice, qvi primum (per baptismum gentilium) vocatus est *Thorgrimus* (uti Thoro Deo sacratus) sed deinde Snorro (a cognomine *Snerrir*). Putarunt alias (uti etiam Lappones) duo nomina uni viro imposita, vitam longævam ipsi conciliatura, teste veteri narratione mscr. de *Thorsteine Albido* (*Þátr af Þorsteini hvíta*).

Ódalvöllv,
b) Adalvöllv
Alldnar bygdir.

Hæreditarios campos (fundos)
Hæreditarios (nobiles) campos
Et antiqvas habitationes.

XXXIV.

Reid hann meirr þadan
Myrkvan veg
c) Hélvg fiöll
Vnz at höllv kom. 39)
Skapt nam at dýa
Skélfdi lind
Hesti hleypti
Oc hiörfi brá.
Víg nam at vekia
Völl nam at rióda-
Val nam at fella
Vá til landa.

XXXIV.

Eqvitavit inde (JARLUS) *postea*
Per obscuram viam
(Et) montes uliginosos
Donec ad aulam pervenit. 39)
Didicit (fecit) hastam qvatere,
Tiliam tremefecit,
Eqvum concitavit
Et ensem vibravit.
Didicit cædes commovere
Campum (sangvine) rubefacere
Strages prosternere
Terras armis expugnare.

XXXV.

Réd hann einn at þat
Átian búvm
Aud nam skipta
Öllvm veita.
Meidmar oc mösma
Mara svángrifia
Hríngvm hreytti
Hió svndr baug. 40)

XXXV.

Deinde solus gubernavit (possedit)
Octodecim prædia,
Divisit divitias
Omnibus largiendo
Cimelia et præstantes res,
Eqvos costas tenues.
Annulos dispersit
Torqvem dissecuit. 40)

b) Lectio dubia in Cod. Worm. Olavius legit *Adalvöllu* alii *Ódalvöllu*, ut supra.
c) Sv. Sb. *heilug* (prave).

39) Hic indicari videtur migratio proavorum, è terris magis meridionalibus, in boreales hasce regiones, armis ab adrenis occupatas.

40) Hæc ad hunc locum adfert doctissimus *Sjöborg*: "*Berchs Tal om Sv. Myntets ålder* "*p.* 9. *Man vil icke just upväcka et nyt tvif*

XXXVI.

d) Óku mærir
Úrgar brautir
Komv at höllv
Þar er hersir bió.
Mætti hann
Miófingerdi e)
Hvítri oc horskri
Héto ERNA.

XXXVI.

Curru illustres (viri) vehebantur
Per humidas vias,
Venerunt ad aulam
Ubi HERSER *(liber baro) habitabat,*
Ei (JARLO) *obviam ivit*
Teneram zonam gestans (virgo)
Candida et egregia
(Qvam) vocabant ERNAM *(vegetam).*

XXXVII.

Bádv hennar
Oc heim ókv 41)
Giptv IARLI
Géck hon vnd líni. 42)

XXXVII.

Ambiebant ipsam
Et domum curru vehebant 41)
JARLOQVE *nuptum dederunt*
Incessit ea sub lino. 42)

d) Worm. *Ókvm ærir* o: Alacres s. juvenes currum egimus (perperam, ut videtur).

e) Sic Worm. — ê Raskii nostri recta conjecturâ. Sv. Sb. St. et pl. prave *Miófingardi.*

"*velsmål om de store och därvid hångande "smärre guldringar i Ant. Archivo, såsom "hade de kunnat vara at resa på marknad "med* (ad munera etiam aptissima fuerunt hæc "annulorum frusta) *och efter nödtörften af- "hugga större eller mindre stycken; men så "kan man doch i dem. Archivo upvisa 12 "små stycken af gulltenar, upfundne 1705 i "Westmanland, hvilka näppeligen kunna "hafva varit brukade på annat sätt* &c. cfr. "*Nordisk Hielta-Prydnad af Björner* p. 42. "Fig. 1. p. 44. Fig. 2. p. 46. Fig. 2. p. 47. 70. "*Indledning til Kännedom af Fäderneslan- "dets Antiqviteter* — Auctore Præside p. 197. "198. 212." Videas porro hujus operis T. II. pag. 9. et observationes nostras ibid. pag 965. 972.

41) Talis veterum Scandinavorum nuptialis ritus vocatur in *Lege Gothlandica* Cap. 24 (27) *Wagnicla ferþir*; vide de eo, etiam ab incolis Saxoniæ inferioris, a Borussis gentilibus et Frisis orientalibus recepto, Schildeneri doctas ad illam legem annotationes, n. 241. (Edit. Grypswald. 4. 1818. pag. 224.) Confer *Büsching wöchentliche Nachrichten* &c. I. (1816) pag. 295.

42) Nuptiali nempe qvod alias *brúdarlín* (it. *lina*): Vid. *Hamars-heimt* str. 12. 15. 17. 19. 27. (T. I p. 187. sq.). "Dicitur fuisse mappa "prælonga a capitis vertice dependens, ex- "tremitatem utramqve (in nuptiali processione) "tenente matronâ honestâ, qvæ inde dictæ "*lín-konur.*" *G. Pauli* Ad hæc etiam doctiss. *Sjöborg:* "Umbraculis linteis vel sericis *Pell* "dictis, nostro qvoqve tempore, dum perage- "retur consecratio nuptialis, usi sunt anti- "qvum obtinentes rustici." Mos ille sane orientalem originem sapit. *Pell* alias vox est vetus Scandinavica, byssum sæpissime significans.

Saman bioggv þau
Oc sér vndv
Ættir iókv
Oc alldvrs nytu.

XXXVIII.

Bvrr var hinn ellztí
Enn Barn annat
Jód oc Adal
Arfi, Mögr
Nidr oc Nidiúngr
Námv leika
Sonr oc Sveinn
Svnd oc tafl
Kvndr hét einn
Konr var hinn yngsti.

XXXIX.

Vpp óxv þar
Iarli bornir
Hesta tömdv
Hlífar bendv.
Skeyti skófv
Skélfdv aska. 43)

Ii cohabitarunt,
Suis rebus acqvieverunt
Prosapias adauxerunt
Et vita (longæva) fruebantur.

XXXVIII.

Bur *(natus) erat (liberorum) natu maxumus,*
Barn *(infans) autem alter,*
Jód *(proles) et* Adal *(proprius, nobilis)*
Arfi *(hæres) et* Mögur *(gnatus, cognatus)*
Nidr *(descendens) et* Nidjungr *(nepos)*
Ludos addiscebant
Sonr *(natus) et* Sveinn *(puer)*
Natatum et aleam;
Kundur *(consangvineus) vocabatur unus*
Konr *(vir) erat natu minimus.*

XXXIX.

Adoleverant ibidem (domi)
Jarlo *prognati;*
Eqvos domarunt,
Arma flexerunt,
Tela poliverunt,
Hastas 43) *concusserunt.*

43) Vi vocis fraxinos; cfr. supra Obs. 35. 36. et Gl. T. II. voce *Askr.*

XL.

Enn Konr úngr,
Kvnni rúnar
Æfin-rúnar
Oc alldr-rúnar.44)
Meirr kvnni hann
Mönnvm biarga
Eggiar deyfa
f) Ægi at lægia.

XL.

Sed Konur (*vir, princeps*) *juvenis*
Calluit Runas (*artes absconditas*)
Runas per ævum
*Et ætatem duraturas;*44)
Is qvoqve calluit
Homines servare
Acies hebetare
Mare (*æstuosum*) *sedare.*

XLI.

Klök nam fvgla45)
Kyrra ellda
Sæva oc svefia
Sorgir lægia
Afl*g*) oc elivn
Átta manna.46)

XLI.

*Didicit avium clangorem intelligere*45)
Incendia restingvere
Moderare ac sopire
(*Atqve*) *deprimere curas;*
(*Obtinuit*) *robur et alacritatem*
*Octo virorum.*46)

XLII.

Hann vid Ríg Iarl
Rúnar deildi

XLII.

Is cum Rigo Jarlo (*comite*)
Runis concertavit

f) *elldi* Sv. Sb. (sine sensu).

g) Sv. Sb. add. *hafdi.*

---

44) Vel etiam: Runas aut scientias qvæ longævitatem conciliare creditæ sunt. Runæ proprie: *arcani sermones*, dein *doctrina mystica*, mysteria religiosa et scientias plebejis occultas complectens. Huc sine dubio relatæ sunt preces et observationes, ad divinum cultum pertinentes, principali et simul sacerdotali ordini tantum notæ; istæ imprecationes multifaria commoda, in stropha 40 et 41. infra partim enumerata, efficere putabantur. *Æfinrúnar* porro notare potest mysticam doctrinam de vita hacce seculari sed *Aldurrúnar* de ævo futuro sive æternitate.

45) "Non de auspicialibus solum, sed de nuntiis "etiam et præmonentibus avibus loqvitur." *Sjöborg.*

46) De occultis hisce scientiis vel artibus consulatur porro *Hávamál* str. 149. sq. cum observatione nostra 116. Cfr. supra obs. 40.

Brögdvm beitti
Oc betvr kvnni
Þá ödladiz
Oc þá ega gat
RÍGR at heita[47])
Rúnar[h]) kvnna.

(*Tum*) *variis technis usus*
Peritior evasit.
Tunc obtinuit
Et tunc ei contigit
RIGUS (*dives, potens*) *vocari*[47])
Scientias (*rite*) *callere.*

XLIII.

Reid KONR úngr
Kiörr oc skóga
Kólfi fleygdi
Kyrrdi fvgla.[48])

XLIII.

Eqvitavit KONUR (*princeps*) *juvenis*
Per virgulta (*paludes*) *et sylvas*
Spiculum projecit
Avesqve domitabat (*sistebat*).[48])

XLIV.

[i])Þá qvad þat kráka
Sat [á] kvisti ein[49])
Hvat skalltv Konr úngr
Kyrra fvgla.
Helldr mætti þér
Hestvm rída
— — — — —
Oc her fella.

XLIV.

Tunc (*hæc*) *effata est cornix*
Qvæ sola in ramo sedebat:[49])
Qvid tibi vis princeps juvenis!
Aves qvietas reddere.
Satius tibi esset
Eqvis vehi
— — — — —
Et exercitum prosternere.

h) Chartæ qvædam *kvnni.*
i) Sv. Sb. þá *qvad þat kráka ein sat qvisti á.* St. omitt. *ein;* Worm. om. *á.*

47) Confer supra str. 33 Obs. 38.
48) Vel jaculis deprimendo vel visco sive glutine aviario, aut etiam laqveis vel retibus, — nisi sermo sit de domitura falconum vel accipitrum, ut venatui adsvescerent in hominum usum.
49) De superstitione veterum circa avium sermocinationem consule T. II. pag. 907. 910-923. De cornicis sapientiâ, e priscorum hominum opinione, narratio observatu digna occurrit in Snorronis Sturlæi hist. Olai Tranqvilli Cap. 9.

XLV.

k) Á DANR OC DANPR 50)
Dýrar hallir
l) Ædra ódal
En þér hafit.
Þeir kvnno vel
Kiöl at rída
Egg at kénna
Vndir riúfa.

LXV.

Possident DAN *et* DANPUS 50)
Egregias aulas (arces)
Avitos fundos
Vestris præstantiores;
Ii bene norunt
Carinâ (navigio) vehi
Acies dignoscere
Vulnera infligere.

[Cætera desunt.]

k) *Á-a* (forte pro *ega*) St.
l) *ædri ódul* Sv. Sb.

50) Vide de iis introductionem nostram et Indicem nominum propriorum.

ADDITAMENTUM

CONTINENS

APOGRAPHUM CARMINIS VÖLUSPÁ

HACTENUS INEDITUM, SED A RELIQVIS ORDINE DIFFERENS.

E Codice membranaceo Legati Arnæ-Magnæani, in Qvarto No. 544.
Cum annotationibus, qvæ præcipuas a Codice Regio et editione Holmiensi variantes lectiones exhibent et illustrant.

Notabile hocce Carminis *Völuspá* exemplar invenitur in prædicto legati Arnæ-Magnæani bibliothecæ codice pergameno, qvi seculo XIV. exaratus esse videtur, et alia ab hoc maxime diversa scripta continet e. gr. historiam Troianorum *(Troiomannasaga)*, aliam Britonum regum et heroum *(Bretasögur)*, et multa varia (res geographicas, physicas vel religiosas spectantia). Carmini, duobus ultimis foliis contento, nullus titulus est præfixus. Exemplar hocce, qvoad stropharum ordinem, a Codice Havniensi regio et etiam ab editione Holmiensi magnopere discedit. Desunt in eo codicis Regii (vel potius ejus typis jam mandati apographi) strophæ XXVI-XXXI. ut in observatione ad hunc locum monebimus; similiter deest pars str. Regii XLI.; XLIX. autem et L. (ae verisimiliter plures, vel etiam aliæ, ei ignotæ) in nostro olim extitisse videntur, sed jam ad deleta vel non legibilia pertinere. Multas a Membrana Regia differentes lectiones, qvæ adhuc ê variis chartaceis codicibus tantummodo notæ sunt, et eapropter a multis contemtæ — nobis hocce satis vetustum exemplar exhibet, et duas præterea lineas vel versiculos, omnibus reliqvis penitus ignotas. Istud apographum matrici, a Regii codicis et etiam ab Holmiensium diversæ, suam originem debuisse, omni dubio caret; talis inter eos diversitas præcipue orta videtur propter carminis hujus scriptionem, olim tribus diversis librariis, ex orali trium variorum hominum traditione vel recitatione, debitam — qvæ circumstantia poëmatis ultimam vetustatem, ethnico certe ævo adscribendam, sufficienter demonstrat.

Codicis supra dicti ultima, originitus vacua pagina antiqvis qvibusdam inscriptionibus signata fuit, qvarum hæcce tantum jam legibilis: *Ave Maria gracia plena dnus* .... Arnæ Magnæi (ut videtur) multo recentiore manu hæc de

libri justo possessore leguntur: *þessa bók á Teitr Pálsson ef han skal minntr (menntr* vel *meintr) vera.*

In tabula lignea, ad ligaturam voluminis pertinente, incusus est character insignis, e Runis variis compositus, et priscum aliqvem libri possessorem indigitans.

Mirum certe duco, qvod nec *Joh. Olavius (Grunnavicensis)* nec *Magnus Ketillius,* vel alii hujus poëmatis translatores aut editores, hujus pervetusti exemplaris ullam notitiam habuisse videantur. Id sane ad novissima usqve tempora, nulli usui adhibitum latuit, donec vir eruditus *Johannes Schevingius,* Philosophiæ Doctor, et scholæ Bessastadensis in Islandia Adjunctus istud detexit et suas de eo opiniones protulit in critica de carmine *Völuspá* disqvisitione, inserta *scriptis societatis literar. scandinavicæ* pro Anno 1810. Monitus tamen a clarissimo nostro *Werlauffio,* historiæ ac antiqvitatum patriæ Profcssore et legati Arnæ-Magnæani ephororum uno, exemplar illud, qvod ipsi ad manum fuerat, uberius tractare et describere minime hæsitavi. Perlegi prætcrea plura in Magnæana collectione conservata Valiani carminis papyracea antigrapha et ex iis paucas a prædictis variantes lectiones, hac occasione data, reliqvis adjeci. Sunt autem codices illi his numeris signati: in Qvarto No. 164, 281 et 764.

E CODICE ARNAE-MAGNAEANO 4to No. 544.

Num. Apographi Cod. Reg. et Holm.	Num. præsumtus hujus Codicis.	
1. 1.	1.	Hlióds bid ec allar Helgar kindir[1]) Meiri ok minni Mögu *Heimdallar* Vilka at[2]) ek vafödurs[3]) Vel fram telia Fornspiöll fira Þau er ek fremst um nam.*)
2. 2.	2.	Ek man iötna Ár um borna Þá er fordum mik Fædda höfdu. Níu man ek heima Níu ívidiur[4])
3. 3.	3.	Ár var allda Þar er *Ymir* bygdi Vara sandr né siár Né svalar vnnir. Iörd fannz æfa Né vpphimin, Gap var ginúnga[5]) Enn gras***) ekki.
4. 4.	4.	Vnz *Bors*[6]) synir †) Biödum of yptu Þeir er††) mæran Midgard skópu.

Reg. et Holm. AM.

**) Mötvid mæran
Fyri molld nedan.

1) Membr. *ec allar kindir.* (Var. *a*).
2) *Vildo it* (Var. *c*).
3) *Valfödvr* Mbr. Reg. et cæteri omnes.
*) *man* Reg (Var. *).
4) *ividi* Reg. (var. *g*)
**) Reg. (rectius) *miötvid.*
5) *Ginnúnga* R. Noster interdum postea *Ginnúnga* (signo duplicationis expresso).
***) *hvergi* Id. St. (Var. *i*).
6) *Burs* Reg. (Var. *k*).
†) Id. *biódom* (Var. *l*).
††) Reg. *Midgard mæran.*

Reg. et Holm.	AM.	
		Sól skein svnnan
		Á salar*) steina
		Þá var grvnd gróin
		Grænum lauki.
5.	5.	5. Sól varp svnnan
		Sinni**) mána
		Hendi hinni
		Hægri of iódvr 7)
		Sól þat né vissi
		Hvar hon sali átti
		Stiörnur þat né vissu
		Hvar þær stadi áttu
		Máni þat né vissi
		Hvat han megins átti.
6.	6.	6. Þá gengu regin öll
		Á rökstóla 8)
		Ginheilög god
		Ok vm þat giettuz
		Nótt ok nidium***)
		Nöfn um gáfu
		Morgin hétu
		Ok midian dag

Reg. et Holm.	AM.	
		Vndvrn 9) ok aptan
		Árum at telia.
7.	7.	7. Hittuz Æsir
		Á Ida velli 10)
		11) Afls kostudu
		Alls freistudu
		Afla lögdu,
		Aud smídudu
		Tángir skópo
		Ok tól giördu.
8.	8.	8. Teſldv í túni
		Teítir vóro
		Var þeim vettugis 12)
		Vant or gvlli.
		Vnz þriár komo
		Þvssa meyiar
		Ámáttkar miök
		Or iötvnheimum.
9.	9.	9. Þá gengu regin öll
		Á rökstóla
		Ginheilög god

*) *svala* (frigidos — lapides vel petras) 164.
**) *sinnin* (adfectionata) 164.
7) *Hendi hinni högri vm himin iódur* (v. *dyr*). Reg. cæt. (recte, ut videtur).
8) Reg. *Raukstóla* (sic in seqventibus).
***) *nidum* 164.
9) Reg. *Undorn.*
10) Hic Reg et St. inserunt: *þeir er havrg oc hof Hátimbroþo.*
11) Hanc et seqventem lineam Reg. omittit.
12) Reg. *vettergis*, prave (Var. *r*).

Reg. et Holm.	AM.		Reg. et Holm.	AM.
		Ok vm þat giættuz		16) *Veggr Ganddlfr*
		Hverir skylldu dvergar		*Vindálfr* Þorinn
		Dróttir skepia		
		Or brimi blódgo	12.	*Bifvrr Bafvrr*
		Ok or bláins leggium. 13)		*Bomburr* 17) *Nori*
				Án ok *Ónarr*
10.	10.	10. Þár var 14) *Módsognir*		*Ái Miödvitnir*
		Mæztr of ordinn		*Þrár* 18) ok *Þráinn*
		Dverga allra		*Þrór Litr* ok *Vitr*
		Enn *Durinn* annarr		*Nýr* ok *Nýrádr*
		Þeir mannlíkan		Nú hefi ek rekka***)
		Mörg of giördo		*Regin* ok *Rádsvidr*
		Dverga í*) iördu		Rétt vm talda.
		Sem *Durinn* sagdi.		
			12. 13.	12. *Fili Kili*
11.	11.	11. *Nýi Nidi*		*Fvndinn Nali*
		Nordri, Svdri		*Hefti [Fili]* 19)
		Austri Vestri		*Hanarr, Svidr* 20)
		Alþiófr, Dvalinn.		*[Nár* ok *Nainn*
		15) *Naar* ok *Náinn*		*Nípingr, Dáinn]* 21)
		**) *Nípingr Dáinn*		*Billingr, Brvni*

13) Reg. *Hverr scylldi dverga*
Drottinn skepia
Or brimis blódi
Oc or blám leggiom. (Var. *s. t*).

14) *Var* Omitt. Reg. prave. Id. et St. *Mótsognir* (Var. *). *) Reg. et St. *or* alii *d.*

15) Reg. hæc qvatuor nomina excludit qvum noster ea bis adferat. Diversa cæterum in ambobus, qvoad ordinem, horum dvergorum sive geniorum dispositio.

**) St. *Nippingr.*

16) *Veigr* Reg. (Var. *x*).

17) *Bavmburr* Reg. St.

18) Þecer Reg.

***) *Dverga* Reg.

19) *Vili* Reg. St. (recte). *Hyli* 281.

20) *Sviorr* iidem.

21) Perperam repetita. Vid. s. 15.

Reg. et Holm. AM.

22) *Biltor* ok *Bvri*
23) *Frór Fornbogi* 24)
Fregr ok *Lóni*
Aurvángr Iari
Eikinskialldi.

13. 14. 13. Mál er dverga
I Dvalins lidi
Li...*) kindum
Til *Lofars* telia
Þeim er sóttu
Frá salar steiní
**) Örvánga siöt
Til Iöruvalla. 25)

14. 15. 14. Þar var *Draufnir* 26)
Ok *Dólgþrasir*
Hár Haugspori
27) *Hlévargr Glóinn.*

Reg. et Holm. AM.

Skirfir Virvir
Skafidr Ái
Álfr ok *Yngvi*
Eikinskialldi. 28)

16. Þat man æ vppi
Medan ölld lifir
Lángnidia tal
Lofars hafat.

15. 17. 15. Vnz 29) þrír komo
— — — —
***) Ástgir ok öflgir
Æsir at húsi
Fvndo á landi
Lítt megandi
Ask ok *Emblo*
Örlöglausa.

---

22) *Billdr* Reg. St. 23) *Frár* iid. 24) *Hornbori.* (Var. *æ*).
*) 281. *Lióma* (splendoris, lucis o: filiis vel hominibus; lectio maxime notabilis cfr. s. str. 1). **) *Aurvánga* Reg. (recte). 25) *Iorovalla.* id.
26) *Draupnir* id. cet. (recte). 27) *Hlævángr* Reg.
28) Addit Regius (et St. 16)
Fialar oc Frosti
Finnr oc Ginnarr
Illo autem omittente Holmienses et plures chartacei:
Heri Högstari
Hliódólfr Móinn. Cfr. Var. *a.*
29) Mbr. Reg. prave *þriár*; an noster revera habeat *þriár* vel *þrír*, ambiguum duco. Seqvens linea â librario deleta esse videtur, qvum ipse audierit vel legerit: *þriár ... þvssa brúdir*, sed lectionis istius pravitatem agnoverit.
***) *Avflgir oc ástgir* Reg. St.

Reg. et Holm.	AM.	
16. 18.	16.	Önd þau né átto Ód þau né höfdo Lá né læti Né lito góda. Önd gaf *Ódinn* Ód gaf *Hænir*[30] Lá gaf *Lódvrr* Ok lito góda.
17. 19.	17.	Ask veit ek standa Heitir *Yggdrasill* *)Hár badmr ausinn Hvíta auri. Þadan koma döggvar Þærs í dali falla Stendr æ yfir grænn *Urdar* brunni.
18. 20.	18.	Þadan koma meyiar Margs vitandi Þriár or þeim[31] sal Er á[32] þolli stendr *Urd* héto eina Adra *Verdandi* Skáro á skídi *Skvlld* ina þridio.
21.		Þær lög lögdu Þær líf kvru Allda börnum Örlög[33] at segia.[34]
23. 29.	19.	Þá gengo regin öll Á rökstóla Ginheilög God Ok um þat giættuz Hverir hefdi loft allt Lævi blandit Edr ætt iötvns *Ód*s mey géfna
24. 30.	20.	Þórr einn þar var Þrúnginn módi Hann sialldan sitr Er hann slíkt**) of fregn. Á gengvz eidar Ord ok særi Mál öll meginlig Er á medal[35] voru.
25. 31.	21.	Veit hon *Heimdallar* Hliód vm fólgit Vndir heidvönum

30) Hæc vox revera jam vix est legibilis.
*) Reg. et St. una voce *hárbadmr*.
31) *Sæ* Reg. (Var. *g*). 281.
32) *Und* Reg. et cæt. 281. sed videtur hic emendata fuisse.
33) Reg. om. *at* (Var *h*).
34) Jam in Regio (et 281) sequuntur *þat man hon folkvig* &c. . . . *sporna*. Str. 19-22 nostri; 24-28. infra.
**) *Vm* Reg.
35) Reg. *fórn*.

Reg. et Holm. AM.

Helgvm badmi
Á sér hon ausaz
36) Örgum forsi
Af vedi valfödurs
37) Vitu þér enn e. hvat.38)

36. 32. 22. Austr*) byr hin alldna
Í iárnvidi
Ok 39) fedir þar
Fenris kindir.
Verdr af þeim öllum
Einna nokkur
Túngls tiúgari
Í trölls hami.

37. 33. 23. Fylliz fiörfi
Feigra manna
40) Rydz ragna siöt
Raudom dræira.
Svört verda sólskín
**) Vm sumvr eptir
Vedur öll vályndd
Vitu þér enn eda hvat?

Reg. et Holm. AM.

19. 26. 24. Þat man hon fólkvig
Fyrst í heimi
Er *Gvllveig*
Geirum studdu
Ok í höll *Hárs*
Hana brendu.
Þrisvar brendu***)
Þrisvar borna
Opt ósialdan
Þó hon enn lifir.

20. 25. 25. *Heidi* hana héto
Hvars til húsa kom
41) Ok völu velspá
Vítti hon ganda.
Seid hon 42) hvars kynni
Seid hon 43) hvgleikin
Æ var hon ángan
Illrar brúdar. 44)

21. 27. 26. Þá gengu regin öll
Á rökstóla
Ginheilög god

---

36) Idem rectius *Aurgom* (i. e. *úrgom*).
37) Id. hic et alibi *Vitod er* (Var. *v*).
38) Seqvuntur in Regio str. 26-31. *Ein sat hon úti. — vá Valhallar . . . hvat?*
*) *sat* Reg. St. (Var. *n*).
39) *föddi* Reg. St. (eodem sensu, temp. imperf.)
40) *Rydr* Reg. St.
**) *of svmor* Reg. *svmar* St.
***) Hæ duæ voces hic repetuntur. Superfluæ manu recentiore et nigriore atramento deletæ sunt.
41) Reg. om. *ok* (Var. *l*).
42) Reg. om. *hvars*.
43) Id. St. *leikin*.
44) *þiódar* Reg. (Vid. Var. *m*).

Reg. et Holm. AM.

Ok vm þat gettuz
Hvart skylldo Æsir
Afrád giallda
Edr skylldv[45]) gudin öll
Gilldi eiga.

22. 28. 27. †)Fleygdi *Ódinn*
Ok í fólk vm skaut
Þat var enn fólkvíg
Fyrr ††) í heimi.
Brotinn var[46]) bordveggr
Borgar Ása
Knáttu Vanir vígspá
Völlo sporna.

32. (Chh.) 28. [47])Þá kná Vala
(St. 40) Vígbönd snúa
Helldr vm hardgiör
Höft or þörmvm *).
(St. 39.) Þar sitr Sigyn
Þeygi vm sínom

Reg. et Holm. AM.

Ver vel**) glyut
Vitu þér enn eda hvat?

40. (St. 41.) 29. Geyr garmr miók
fyri[48]) *Gnúpa helli*
Festr man slitna
Enn freki renna.
(40.) [49]) Fram sé ek lengra
Fiöld kann ek segia
Vm ragna rök
Röm sigtíva.

38. 34. 30. Sat þar á haugi
Ok sló hörpo
Gygiar hirdir
Gladr egdir.
Gól[50]) yfir
Í gálgvidi ***)
Fagrraudr hani
Enn sá *Fialar* heitír.

---

45) *Godin* Reg. †) Vid. var. (ad Reg) o. ††) Reg. & St. fyrst.

46) *Bordvegr* id.

47) Qvatuor primæ lineæ Chartis tantum alias notæ sunt. Verba Cod. Reg. *Hapt . . . óþeckian* noster penitus omittit. *) Vid. var. (ad Reg.) f.

**) *glyiod* Reg. 48) Reg. & alii minus recte ut videtur *Gnípahelli*

49) Reg. *Fiöld veit hon fröda*
Fram sé ec lengra (Var. t.)
Fiöld sé ec fyrna &c. 754.

50) Reg. St. *um honum* (Var. r.) ***) Gaglvidi Reg.

Reg. et Holm.	AM.	
39.	35.	31. Gól [51]) yfir Ásum
		Gvllinkambi
		Sá vekr höllda [52])
		At heria födvrs.
		Enn annar gélr
		Fyri iörd nedan
		Sótraudr hani
		At sölom *Heliar.*
34.	44.	32. Sal [53]) sér hon standa
		Sólo fiarri
		Náströndo á
		Nordr horfa dyrr.
		Falla eitrdropar *)
		Inn vm lióra
		Sá er vndinn salr
		Orma hryggiom.
35.	45.	33. **) Sér hon þar vada
		***) Þúnga strauma
		Menn [54]) meinsvara
		Ok mordvarga.
		Ok þann annars glepr

Reg. et Holm.	AM.	
		[55]) Eyrnaruna
		þar saug nídhöggr
		Näi framgengna
		Sleit vargr vera
		Vitu þér enn eda hvat?
	34.	Geyr nú garmr miök
		Fyr gn. h.
		F. man sl.
		Enn f. r.
41.	46.	35. Brædr mvno beriaz
		Ok at bönum verda
		Muno systrúngar
		Sifiom spilla [56]).
		Skéggöll (d) skálmölld
		Skyldir [57]) klofnir
		Vindölld, Vargölld
		Ádr verölld steypiz.
		[58]) Grvndir gialla
		Gífr fliúgandi
		Man eingi madr
		Ödrum þyrma.

51) *vm* Reg. St. 52) Add. Reg. perperam ut videtur: *at hiarar* (Var. 5.)
53) *sá* Reg. St. *) *Eitvr-ár.* 281. 754.
) *Sá* iidem. *) *þraunga* St. (Var. ††)
54) *mordvarga ok meinsvara* Reg. prave, uti antea conjeci et in translatione emendavi. (Var. k.)
55) Reg. rectius *eyra rúno.* St. *eyra-rúno* (perperam, ut mihi videtur.)
56) Add. Reg. & St. *Hart er í heimi, hórdómr mikill.* 57) Add. iid. *ro.*
58) *Grvndir-fliúgandi.* Has duas lineas ignorant Cod. Reg. & cæteri omnes mihi noti.

Reg. et Holm.	AM.	
42.	47.	36. Leika míms synir
		Enn *) niötvdr kyndiz
		At eno 59) gamla
		Giallar horni.
		Hátt blæs *Heimdallr*
		Horn er á lopti
		Mælir *Ódinn*
		Vid Mímis höfut.
43.	48.	37. 60) Skélfr Yggdrasils
		Askr standandi
		Ymr hid alldna tré
		Enn iötvn losnar.
		61) Hrædaz allir
		Á helvegvm
		Ádr *Surtar* þann
		Sevi of gleypi.
46.	53.	38. Hvat er med Ásum
		Hvat er med Álfum,
		Gnýr allr Iötvnheimr
		Æsir erv á þíngi.
		Stynia dvergar
		Fyri steindyrom

Reg. et Holm.	AM.	
		62) Vegbergs vísir
		Vitu þér enn eda hvat?
49.		39. Geyr nú gármr miök
		Fyri Gnúpahelli
		F. m. - - - - -
44.	50.	*Hrymr* ekr austan
		Hefiz lind fyri
		Snyz Iörmvngandr
		Í iotvnmódi.
		Ormr knýr vnnir
		Enn ari hlakkar
		Slitr nái . . . ölr
		Naglfar losnar.
45.	51.	40. Kiöll fer austan
		Koma muno *Muspells*
		Vm lög lýdir
		Enn *Loki* stýrir.
		Fara 63) fíflmegir
		Med freka allir
		Þeim er bródir
		64) *Býleists* - - -

*) Reg. *miötudr* (Var. y.)

59) *Gialla* Reg. (var. yy.)

60) *Skélfr losnar.* Ordinem nostrum & St. Cod. regii hic præstantiorem opinor.

61) Has qvatuor lineas alias in chartis tantum habuimus.

62) *Veggbergs* Reg. (Var. e.)

63) *fífls megir* Reg. (Var. b.)

64) Reg. *Býleips* (Var. c.)

Reg. et Holm.	AM.	
47. 52.	41.	65) – – – fer svnnan
		Med sviga lævi
		Skín af sverdi.
		Sól 66) vátífa.
		Griótbiörg gnata
		Énn gífr rata
		Troda halir helveg
		Enn himin klofnar.
48. 54.	42.	Þá kémr Hlinar
		Harmr annar fram
		Er *Ódinn* ferr
		Vid úlf vega.
		Enn bani *Belia*
		Biartr at *Svrti*
		67) Þar man Friggiar
		Falla 68) ángan.
		(Hic aliqvot stropharum spatium, literis deletis, jam prorsus illegibile habetur.)
51. 58.		– – – sortn
		Sígr folld í mar
		Hverfa af himni
		Heidar stiörnur.
		– – – sar eimi 69)
		70) Ok alldrnari
		Leikr hár hiti
		Vid himin siálfan.
		Geyr garmr miök
		Fyri Gnúpahelli
		Festr man slitna
		En freki renna.
52. 59.		– – – hon vppkoma
		Ödro sinni
		Iörd or ægi
		Idiagræna.
		Falla forsar
		Flygr örn yfir
		Sá er á fialli
		Fiska veidir.
53. 60.		71) Hittaz Æsir
		Á Idavelli
		Ok vm molldþinvr
		72) Máttkan dæma.
		73) Ok minnaz þar

65) Nomen *Svrtr*, uti per se obscurum, hic scripturæ vetustate deletum.
66) Vel *valtífa*.
67) þá Reg.
68) Idem, St. *Ángantyr* (Var. *)
69) *Eimr* Reg. (Var. m.)
70) *Vid aldvrnara* St. Reg. (Var. o.)
71) *Finnaz* Reg. (Var. r)
72) *Máttkar* St. (Var. s.)
73) Has duas lineas excludit Reg.

Reg. et Holm. AM.	
	Á Megindóma
	Ok 74) á Fimbultys
	Fornar rúnar.
54. 61.	75) Þá mvno 76) Æsir
	Vndrsamligar
	Gvllnar töflor
	Í grasi †) finna.
	Þærs i árdaga
	Áttar höfdo 77)
55. 62.	Muno osánir
	Akrar vaxa
	Böls man alls batna
	78) Man *Balldr* koma.
	Búa þeir *Hödr* ok *Balldr*
	Hropts sigtóftir
	Vel valtífar
	Vitv þér en edr hvat.

Reg. et Holm. AM.	
56. 63.	Þá kná *Hœnir*
	79) Hlvt vid kiósa
	Er bvrir byggia
	Brædra tveggia
	Vindheim vídan
	Vitu þér enn edr hvat.
57. 64.	Sal sér hon standa
	Sólo fegra
	Gulli þaktan
	Á Gimli þar.
	Skolo dyggvar
	Dróttir byggia
	Ok vm alldrdaga
	Yndis nióta.
57. 65.	80) Þá kemr hinn ríki
	At regindómi

74) *á* om. Reg.
75) þ*ar* Reg.
76) *eptir* Id.
*) Finnaz Id.
77) Inserunt Chartæ & St.
Fólkvalldr goda
Ok Fiölnis kind.
78) *Balldr man* Reg. St.
79) *Hlaut.* Reg. (Var. z.)
80) Has qvatuor lineas excludit Reg. — et has etiam qvæ in St. et plerisque chartaceis codicibus, una cum illis, ita leguntur:
Semr hann dóma
Oc sakar leggr
Vescavp setr
þau er vera skulo.

Reg. et Holm. AM.		Reg. et Holm. AM.
	Öflvgr ofan	82) Frá Nida 83) - - -
	Sá er öllo rædr.	Ber sér í fiödrom
59. 66.	Kemr hinn dimmi	Flygr völl yfir
	Dreki fliúgandi	Nídhöggr nái
	Nadr frán nedan	Nu man 84) han sökkvaz.

81) Reg. addit þar (var. b.) 82) Id. omitt. *frá*.

83) Reg. cæt. addunt (recte) *fiöllom*.

84) *hon* Reg. et plurimi cæteri. (Var. e.) *hann* autem 164.

OBSERVATIONES CIRCA PRÆCIPUAS HUJUS MEMBRANACEI CODICIS LECTIONES VARIANTES.

Apographum Reg.	Cod.	Variantes.
1.		1. Pro ut sæpisſime in seqventibus, ita etiam in initio, chartaceis se conformem perhibet, his nempe verbis: Silentium rogo omnia *sacra* entia.
		3. *Váfödur* (damni vel noxæ patris) pro cæterorum *Valfödur* lapsui calami (qvi nostro non inſreqvens) verisimiliter est adscribendum.
2.		4. *Ividiur* Dryades sive arbores præcipuæ.
5.		5. *Himin* coeli sive cœlestes (ſores vel iumenta) hic verisimiliter ſortuito omisſum.
6.		8. Noster semper habet *rökstola* (qvod proxime vertendum tribunalia sive sellæ judiciales) pro Reg. *raukstola*.
7.		10. Hic addunt Reg. St. & pl. duas integras lineas. (*Qvi delubra et ſana alte exstruxerunt*).
		11. Omittit contra ille has nostri, chartaceis communes: *Viribus adnitebantur, omnia tentavere*.
8.		12. Corrigitur prava regii lectio *vettergis*.
9.		13. Hic noster sic digreditur a cæteris: *Qvi nani (dæmones) populos (catervas) crearent ex æstu maris sangvinolento et Blaini (Lividi* ɔ: *[aqvarum] dæmonis) tibiis (osſibus)* ɔ: *lapidibus, petris*).
10.		14. Noster recte addit *var* (ſuit) — et etiam (*Modsógnir* pro *Mótsognir* habet, unde prior noster de hac lectione conjectura valide confirmatur.
11.	15	seq. Qvatuor (& pl.) Dvergorum nomina, bis scripta, monsirant exscriptum hocce (posterius non a librario emendatum) orali traditioni suam originem debuisſe. Cſr. Var. 28.
15.		29. Vide nostram ad eandem observationem.
18.	31.	32. Noster legit (notabili quidem differentiâ) "Inde veniunt tres multisciæ virgines ex isto *atrio* (aulâ, æde) qvod arbori (illi) *super instructum* est" — pro Reg. & pl. *lacu - - - sub* arbore sito.
23.		33. De codicum differentia inter se, qvoad stropharum ordinem, videatur observatio nostra ad hanc variantem et plures seqventes, ut etiam numeri, ipsis exscripti strophis præfixi.
25.		38. In nostro exscripto strophæ Regii 26 ad 31 inclusive omnino desiderari videntur. Agunt autem præcipue de visionibus Valæ circa Balduri mortem et ejus cædis ultionem (qvamvis str. 55. eos eventus spectans hic posterius exhibeatur).
20.	42.	43. Nostri duæ lineæ: *Seid hon hvars kvnni* *Seid hon hvgleikin* ita rectisſime vertendæ: Fascinabatur (proprie: pyrotechniam exercuit) ubicunqve ea potuit; fascinabatur intento animo.
32.		47. De quatuor chartaceorum lineis hic receptis sed aliis â regio omisſis — videatur nostra ad hunc locum annotatio.

Apographum Cod. Reg.		Variantes.
38.		*) Pro Regii *gaglvidi* (volucrum sylva) noster habet (fórte calami lapsu) *gálgvidi* ɔ: perniciosa.
39.	52.	Regii *at hiarar*, qvæ metro adversari et justi sensus expertes videntur, a nostro rite sunt omisſæ.
35.	54.	Ordo vocum hic (e priori mea conjectura) optime emendatur. Vide annotationem huc pertinentem.
	55.	*eyrnaruna* prave. Vid. Obs. ibidem.
41.	56.	Omittuntur Reg. St. & pl. *Durum erit seculum, adulteria freqventia.*
	58.	Addit noster hæcce, qvæ reliqvi ignorant; *Grvndir gialla* *Gífvr fliúgandi* i. e. Campi resonant, Monstra (oreades) [eos vel terras] pervolant. Cfr. stropham ultimam, etplures veteris septentrionis mythorum de talibus volantibus monstris vel bestiis relationes.
43.	61.	Addit iterum noster quatuor (a nobis antea textui insertas) chartaceorum lineas.
22.	††)	Pro Regii &c *fyrst* (primum) habet *fyrr* (antea, olim.)
48.	68.	*Ángan* pro *Ángantyr* (eodem fere sensu.)
51.	70.	*Ok alldrnari* (et vetusta flamma) pro Regii *vid aldurnára* (circa seculi nutritorem ɔ: Ygdrasillum, arborem mundi fulcrum,)
53.	73.	Addit noster has duas chartaceorum lineas (a nobis antea textui insertas): Et ibi reminiscentur De magnis rebus (sermonibus);
	74.	seqventia, unica vocula (*á*) ita corrigens: Et de celsisſimi Dei Antiqvis mysteriis. Cætera textus versio, cum annotatione collata, lectori exhibet.
54.	75. 76.	Noster: *Þá mvno Æsir . . . finna* ɔ: Tunc Asæ invenient (aureos calculos &c.)
56.	79.	*Hlvt* sortem, portionem pro *Hlaut*, sangvinem sacrificialem.
58.	80.	Hic noster, plurimis chartaceis consonus, has maxime disputatas lineas addit (*Þá-rœdr.*) Tvm veniet potens ille Ad magnum (divinum) judicium Validus ê superis, Qvi omnia regit. Omisſis strophæ cæteris, qvod tamen metri naturæ repugnare videtur. Vide observ. nostram ad carmen ipsum 100. cum introductione collatam.
59.	81.	Omittit Regii *Þar* (ibi, illic.)
	82.	Addit recte voculam frá (e, de.)
	83.	Mendo scribæ vox *fiöllom* hic certe est prætermisſa.
	84.	*Han* (*Hann*) is, ille pro Regii *hon* illa. Vid. obs. nostram 103 & simul ultimam.

SPECIMEN GLOSSARII

SIVE

INDEX VOCUM,

TERMINATIONUM RARIORUM ET PHRASIUM

IN

PARTEM TERTIAM EDDAE SAEMUNDINAE.

Præter subsidia, Glosfario Tomi secundi adhibita, hisce porro usus sum, qvæ non antea ad manus habui: *Koug Eriks Sjællandske Lov med Anmærkninger* &c. *af Kolderup-Rosenvinge.* Kiöbenhavn 1821. 4. — *Hallagers norske Ordsamling.* Kiöbenhavn 1802 — cum pluribus minoribus dialecti norvegicæ Glosfariis. — *Joh. Ihre Glosfarium Svio-Gothicum.* Upsaliæ 1769. Fol. T. I-II. — *Dr. John Jamiesons etymological Dictionary of the scottish langvage* &c. *abridged from the Qvarto-edition.* Edinburgh 1818. 8. — et præterea, ad eandem & veterem Angliæ dialectum, seqventes antiqvorum poëmatum collectiones: a) *Walter Scott Minstrelsy of the Scottish border.* Vol. I-III. Ed. 5. Edinburgh 1812. b) *Popular Ballads and Songs* &c. *by Robert Jamieson* Vol. I-II. Edinburgh 1806. c) *Reliqves of ancient english Poëtry.* Vol. I-III. London 1765, — *A new and copious English and Gaëlic Vocabulary, by P. Macfarlane.* Edinburgh 1815. 8. — *Tripartitum seu de Analogia lingvarum libellus.* T. I-II. Fol. oblong. Viennæ 1820-21. — *C. G. v. Arndt über den Ursprung und die verschiedenartige Verwandtschaft der europäischen Sprachen.* Frankfurt am Mayn 1818. 8.

ODAE IPSAE CITANTUR ABBREVIATE HUNC IN MODUM:

V. *Völospá* o: Vaticinium Valæ sive carmen Sibyllæ arctoæ.

H. *Hávámál*, melos altum aut canticum Excelsi vel sententiæ Odinianæ.

R. *Rígsmál edr Rígsþula*, melos sive carmen Rigianum.

Numeri arabes, abbreviatam Odæ inscriptionem, seqventes, illius stropham significant.

Var. varietatem lectionis.

Obs. Observationem sive notam.

* Vocem in Glossario T. I occurrentem.

** —— —— —— T. I & II.

† —— —— —— T. III.

A.

*Adal (*Aþal)* n. proprietas, indoles H. 104; inde † *Edli*, * *Eþli* recentioribus usitatum. Cfr. cet * *Ódal* vocem cognatam vel originitus eandem*) — ut et:

Adalvellir m. hæreditarii campi vel nobiles (ɔ: Nobilium, Patriciorum) fundi R. 33. Vide *Adal* et † *Vavllr.*

Afbindi n. tenasmus; obstructio ventris H. 140. Derivatur probabiliter a vocibus ** *Af* & † *Binda;* cfr. Dan. *Bindelse, Bindsel* ejusdem notionis.

Afglapi m. homo fatuus H. 17. Vide ***Af* et * *Glepia.*

Afhvarf n. itineris diverticulum H. 34. Vid. ** *Af* & † *Hverfa* discedere cet.

Afl, Abl m. fornax, ustrina V. 7. Norveg. vulg. *Alv.* Cfr. Lapp. *Alve,* omnia officinæ ferrariæ instrumenta.

* *Afráð* delictum vel cædes V. 21. Dicunt Islandi adhuc *ráda af dögum,* vita privare; necem alicujus procurare. Vid. ***Af* et *Ráda.*

Ags arista (H. 140. var.) vid. † *Ax.* Adde Svec. *Ax,* MG. *Ahs (Ax)* AS. *Æchir,* Alem. *Æhir,* Finn. *Ocka.*

(at) *Aka* vid. (ec) * *Ek* † *Aka.*

Akr (Akur) m. ager V. 55. H. 88. Dan. *Ager,* Norv. *Aaker,* Svec. *Åker,* Germ. *Acker,* Alem. *Akar, Achra,* Angl. *Aker,* AS. *Æcer,* MG. *Akrs,* Lapp. *Aker,* C Brit. *Atcor,* Armor. *Acre,* Gr. αγρος, cet. Cfr. Pers. *Akar* campus (et circa etymon P. *Ag* planta).

Aldinnfalda f. utens vetulari s. vetusta calyptra R. 3. Ab † *Aldinn* & *Faldr, Falldr* apex, calyptra; vid. ** *Faldinn***).

Aldvrdagar secula (cuncta) ad verbum: ævi dies vel tempora V. 57. Ab † *Aldr* & ** *Dagr.*

Aldvrnári seculi vel viventium entium nu-

*) Cfr. porro Pers. *Adal* pulcher, justus, honestus, æqvus & Isl. Dan. Germ. *Adall, Adel* nobilitas; *ædel, edel* nobilis, honestus &c.

**) Sic de hisce *Joh. Ol. Grunnavic:* "*Falldr* calyptra, peplum e lino albo convoluto factum, atqve in conum exsurgens, fœminis islandicis usitatissimum. Gallice *Faille;* Belgice *Fallie.* — Congruunt in forma, qvæ Cleffelius in libro suo de Antiqvitatibus Germanicis (p. 347) habet, nimirum qvod forma calyptrarum pyramidalis fuerit" &c. Dicitur alias islandice *Skaut,* Norvegis hodiedum *Skout.* Tales calyptræ adhuc in usu sunt inter fœminas rusticas Neustriæ vel Normanniæ Gallorum.

tritor V. 51 (de *Ygdrasillo* sive columna mundana). Ab †*Aldr* & *Næra* nutrire *) (uti voces aliæ *Fólk-nárúngr*, *Eld-nárúngr* et plures; sic etiam *sár* a *særa* & pl.). Vox eadem occurrit inter nomina ignis in Edda prosaica MS., unde alii concludunt flammam ipsâ hic significari; cfr. pag. 204. ad Var. 70.

Aldvr-rúnar †Runæ (artes cet), per ætatem duraturæ vel etiam longævitatem procurantes &c. R. 40. Vid. Obs. 44. Ab †*Aldr* & †*Rúnar*. Cfr. *Æfinrúnar* & *Rúnar* i.

Aldur-tregi m. gravis valetudo (ad verbum: ætatis moeror s. impedimentum) H. 20. Vide †*Aldr* & †*Tregi*.

Alldin &c. vid. *Ald*.

Allþarfr adj. admodum utilis. H. 167. A Particula †*All* & adj. *þarfr* utilis. Cfr. †*þavrf* **þarfar*.

Alskiótr perqvam velox H. 89. A particula ***Al* & †*Skiótr*.

Al-snotr persapiens s. omnifaria scientiâ imbutus H. 55. Vid. ***Al* & †*Snotr*.

Alsæminn decorus, lautus (ad verbum forte: perqvam honestus) R. 1. A Particula ***Al* & obsoleto *sæminn* pro †*sæmr* decens, honestus.

Andlit n. facies R. (A particula †*And* & †*Líta* videre.) Vet. Dan. *Andlœtæ*. Germ. *Antlitz*. Cfr. AS. *Vlite* forma. Cæt. vid. ***Litr*.

* *Ángan* n. oblectamentum, deliciæ V. 20. ut etiam 48. (e lectione Membr. A. M. p. 204.) Cfr. *Ángi* svavis odor, (unde Norv. occid. *Aange*) **), *Ánga* fragrare cet. Vid. **Áng*, *Ángantýr* & *Ángan* s.

Ángantýr gratus s. dilectus Deus V. 48. Vid. *Ángan* & †*Týr* (Deus).

Ann vide *Unna*.

** *Api* homo insipiens, fatuus, scurra H. 75. 124. ***) (jam proprie simia. Svec. *Apa*, Belg *Aap*, Alem. *Ape*, CBrit. *Æp*, Gaël. *Apa*). Cfr. **Apa*, **Apaz*.

Ardr m. aratrum, arater (v. c.) R. 19. Norv. *Ard*, Svec. *Ardher*, *Årder*, *Arder*, CBrit. *Aradr*, Gr. ἄροτρον, Finn. *Aura*, Sl. *Oralo*. (Recentioribus lucrum). A Verbo *Eria (arda)* arare sub †*Ár* annona ****). Cfr. celeb. *Thorkelini* indicem vocum ad leges Gulenses. vv. *Ardr*, *Ardar-leiga*, *Ardar-máli*. Cfr. *Plógr* i. & *Glofs. Landn*.

Ari m. aqvila V. 44. Vide †*Avrn (Örn, Ern)* **Arnar* **Arabúfa*. (Adde Scot. *Earn*, *Ern*. Slav. *Orel*, *Orlja*).

---

*) Dan. *nære*, Germ *nähren*, Germ, inf. *nüren*; Hesych. Gr. ναρεῖν.

**) Cognatæ hisce certe sunt Norv. orient. *Aange*, *Ange* vapor, Svec. *Ång*, *Ånga* — qvod præterea spiritum tenuem significat. Idcirco Ihreus *Ånga* deducit a Gr. ἄω spiro, perinde ac Ulphilanum *Ahma* & Gr. ἄνεμος. Cfr. *Ángantýrr*, de Odino, auræ & animæ datore dictum. —

***) Cfr. Birman. *Apé* homines inferno condemnati.

****) Adde Lett. *art*, *areti*, *arti* (arare), Ruſs. *orat*, As. *erian*, Scot. *ar*, *are*, *ere*, Alem. *erren*, *eren*.

† *Árliga* mature H. 33. i. q. † *Árla* q. v.

Árn n. ambulatio vel etiam labores *) R. 3. (Obs. 5.) Vid. ** *Árna* ire cet. Cfr. porro Isl. & Svec. *andra* ire, Lat. *andruare*, Ital. *andare*, Ind. *anduora (Tripart)*.

Ársádr mature consitus H. 68. Ab ** *Ár* & *Sá* serere; vide † *Sœri*.

Ascr vid. ** *Askr* & Lex. Mythol.

Ástgr amabilis s. amore præditus V. 15. V. ** *Ást* (MG. *Ansts*, AS. *Oest* gratia, favor).

Audigr opulentus H. 47. 70. AS. *eadeg*, Alem. *otager*, *otage*. MG. *audags*, *audahafts*. Vide ** *Audr*.

Augabragd A) Ostentus (spectaculum) H. 5. 30; B) momentum temporis H. 78 **). Ab † *Auga* & † *Bragd*.

* *Avldr* m convivium H. 13. Potio H. 14. Potus validus 140.

Aung — nulla H. 95. vid. * *Aungr* pro ** *Engi*.

Avr vid. *Ör*.

** *Aurr*, *Aur*, * *Úr* lutum, vel potius lympha, udor; V. 17. Cfr. * *Aurgr* ** *Úrgr*.

* *Aurgr* spumans s. lutulentus V. 25. Vide *Aur*. Cfr. ** *Úrgr*.

Aurvángr m. terrestris regio s. campus V. 15. Vid. ** *Aur* & * *Vángr* (Dan. *Vang*. &c.)

Ausaz hauriri V. 25. & *Ausinn* perfusus V. 17. — Vid. * *Eyfs*.

Aþal vid. *Adal*.

Áþeckr vid. *Óþekr*.

Æfin-rúnar Runæ per ævum duraturæ (cet.) R. 40. Obl. 44. Ab * *Ævi*, *Æfi* (Norv. *Æve*) & † *Rúnar*. Cfr. *Aldurrúnar* s.

Ærna Nimium (vel nimius) H. 29. *Ærno* H. 69. Vid. † *Ærinn*, † *Ærnar*.

** *Æva* nuspiam V. 3. (Moesogothis *Aiv* sonavit unqvam, *ni aiv* autem nunqvam).

Æy, † *Æ* vid. *Ey*.

* *Æþi (Ædi)* n. animus — hic pro acceptione sive tractatione benevolâ — H. 5.

B.

Baugeidr, *Baug-eiþr* annulare juramentum (ɔ: jusjurandum ad annulum sacrum) H. 111. Vide ** *Baugr* (annulus) & ** *Eidr* (jusjurandum). Cfr. hujus operis T. II. pag. 595, 894. ut et Lexicon Island. s. h. v.

** *Baugr* annulus, nummulus, obolus H. 138. Adde vet. Celt. *Boja*, Alam. *Boug*, Scot. *Baugie*, Ital. *Bagua* & pl.

Bavnd (Bönd) Dii (complices vel consentes) H. 110. Obs. 71. Vid. * *Banda*, * *Hapt*, * *Havpt* (it. * *Band*, qvoad primariam notionem).

Bavnom (Bönum) vid. † *Bani* (percusſor).

*) Isl. *Arn* opus, negotium; cfr. Alam. *Arn* meſis.

**) Alioqvin Islandice *Augablik*, *Augnablik*, Dan. *Öjeblik*, Svec. *Ögonblick*, Germ. *Augenblick*. Vid. † *Blikia*, *Blika*.

Bavrkr vid. † *Berki.*

Bautar-steinar cippi (sculpti) H. 72. (aliàs *Bauta-steinar*). A verbo *Bauta* propellere, transfigere, percuti *). Verti forsitan debet: Lapides (memoriales) cæsorum (heroum) **). Cfr. † *Beita.* Vid. † *Steinn.*

Bazt pro *Best* optime H. 27. 48. Vid. ** *Baztr.*

Bed-mál lectuales sermones H. 36. Vid. ** *Bedr* & † *Mál.*

Beiti (navigio) H. 90. vid. † *Beit.*

Beiti n. mordax aliqvid (animal vel instrumentum). H. M. 40. Obs. 187. A verbo ** *Bita.*

(at) *Benda* flectere R. 39. Vide aliud † *Benda* (in notâ).

† *Beriaz* invicem pugnare V. 41.

(at) * *Bila* deficere, cedere H. 127.

Billíngs H. 97. forte idem qvod *Bidllngs* cum foret gen. sing. â m. *bidlingr* procatio (alias tamen ignoto), cum *bidlíngs mey* verti deberet: virgo proco (vel procis) expetita. Vid. † *Bidill.*

† *Biódr* orbis V. 4. patina R. 5. 29. mensa R. 28. Cfr. Lexicon Islandicum Haldorsonii.

Biórsalr triclinium V. 34. AS. *Beor-sel.* Vid. ** *Biór* & ** *Salr.*

Bitsótt morbus ê morsu ortus H. 140. A *Bit* morsus Dan. *Bid*, Cerm. *Biſs*, Angl. *Bite* &c. (cfr. ** *Bita*) — et † *Sótt* morbus.

Bláfáinn cæruleus, cæruleo colore ornatus R. 26. Vid. † *Blár* ***) & * *Fáinn* † *Fagr* (in notâ).

Blódgr (AS. *Blodg*) vid. † *Blódvgr.*

† *Bóglimir* armi H. 152. (jam de hominibus inusitatum). Adde Norveg. *Bok.*

Bolli m. catillus, vasculum R. s. Dan. Norv. & Svec. *Bolle* AS. *Bolla*, Angl. *Boul*, *Bowl*, Scot. *Boll.* Cfr. Thorkelinum ad Leges Gulenses l. c.

† *Bord* n. mensa H. 12.

Bordvegr m. extimum latus vel *bordveggr* m. urbis extimus murus V. 22. A † *Bord* ****) Svec. *Bord*, Belg. *Boord*, Gall. *Bord*, Ital. *Bordo* &c. & ** *Vegr* (vel *Veggr* paries, murus).

† *Borg* f. urbs, munimentum V. 22. Holl. *Burg*, Ital. *Borgo.* Observatu porro dignum est qvod Persæ rurales, Moriero te-

---

*) Hinc *sverd-bautinn* (*herr*) gladio cæsus (exercitus) *Hkr. Saga Hákonar Goda* Cap. 5. (e poëmate Glumi Geiri filii sec. 10. florentis).

**) Tales lapides jam etiam eodem nomine gaudent *(Steine der Erschlagenen)* apud populos Caucasios præsertim Inguschos, qvi etiam juxta illos preces effundere solent; *Engelhardt und Parrot Reise in die Krym und den Caucasus* (1815) I, 229. Cfr. tamen veter. AEgypt. Βοῦτοι sepulchra (Copt. *Beut*) Hesychio teste — et Pers. *Buth* idolum.

***) Adde Svec. *blå*, AS. *bleo*, Alem. *plauu*, Belg. *blauw*, Gall. *bleu*, Hisp. *bloo*, Slav. *plavu*, *plavo*, Lapp. *blaves*, Pol. *plawy.*

****) Cfr. porro Glosf. Diatribes voce *Bard.*

ste, rudera veterum castellorum vel palatiorum *Borg* hodiedum appellent.

Brandar nom. pl. a † *Brandr* m. H. 2. Var. a. per *postes* a Resenio translatum. *Brandr* torris, titio H. 57.

Brendr crematus; dicitur de hominibus mortuis H. 71. 81. (Scot. *bront* &c.) Vid. † *Brenna (brendr)*.

Breitt pro *Breidt* effuse, late. H. 155. Dan. *bredt*, Germ. *breit*, Angl. *broad* &c. Vid. † *Breidr* * *Breiþr*.

Brestandi vid. ** *Bresta*.

Brigd (Brygd) f. Varietas, mutatio, inconstantia H. 84. Norveg. *Brigda*. cfr. *Brigda* mutare & *Brigdr* i. A verbo ** *Bregda*.

Brigdr adj. mutabilis, fallax H. 91. 126. Vid. *Brigd*.

** *Brióst* in plur. (inusitate) pectora H. 8. 9. Cfr. Obs. 8.

† *Brímír* n. æstuans (Oceanus). V. 9. Obs. 19. Vid. ** *Brim* & Lex. Myth.

Bringa f. pectus. R. 16. Dan. Norv. *Bringe*. Cet. vid. † *Brist* in nota.

Bródurbani fratris (alieni) percusfor H. 89. Vid. † *Bródir* & † *Bani* (percusfor).

Brók f. in plur. *Brækur* (gen. *Bróka*) Braccæ (v. c.) olim Gallis, Germanis, Britannis, Sarmatis; Getis & veteribus Persis communes. Svec. Norv. *Brok* Hibern. *Brovges, Broages*, Scot. *Breek, Breik*; CBrit. *Brycan, Breg*, Gael. *Briges*. Esthn. *Progi, Prokit*; Lith. *Brukkes*. H. 61. Vid. * *Brækvr*. Adde Dan. *Brog*, Gr. βρακος, βρακα velum s. tegmen pudendorum; Hesychio βρακια integumentum pedum.

* *Brunnr* m. fons V. 17. Adde Dan. *Brönd*, Svec. *Brunn, Brund*, Germ. *Brunn, Born*, Ebr. *Bor*, Phoen. *Born*, Syr. *Boro*, Arab. *Bir*, Tart. *Brunna*, Turc. *Bunar*. (*Tripart.*)

† *Bú* prædium, villa R. 35. H. 83. Oeconomia H. 36. 37. (Alias veteribus pecus, boves; adde hoc sensu Norveg. *Bu, Bue*).

C vid. K.

D.

(at) *Dafna (ek dafna, dafnada, dafnadr)* crescere, corpus vel incrementum sumere — (dicitur præsertim de infantibus) R. 8. 19 Norv. *dörna*. Circa etymon incertum cfr. AS. *dafian* permittere, *gedafian* decere, *daferlic* utilis, *þafa*, fautor, adjutor. Cfr. porro MG. *daddian* Svec. *daeggia (dia)* Dan. *die*, Pol. *die*, lactare infantem it. Angl. *Dug* mamma.

Dauþr, Daudur s. inusitate pro † *Daudi**) mors H. 70. ut volunt interpretes. Cfr. Obs. 46 & Var. u.

*) Adde recent. Isl. poët. *Deyd, Deid*, mors — Scot. *Deid* (a *dey* isl. † *Deya* mori).

Digr adj. crasſus R. 8. Norveg. & Svec. *Diger*, Germ. *dick*, Angl. *big*, *thick*, cfr. Isl. *þyckr* densus, spisſus, crasſus; unde Dan. *tyk* id. Svec. *tiock*, Germ. & Belg. *dick*, Alem. *dicho*, *thiho*, AS. *thicce*, Angl. *thick*, Armor. *teo*, *tew*.

† *Dómr* judicium H. 77. Adde vet. Germ. *Duoma*, Scot. *Dome*, Ruſs. *Duma*.

** *Dreiri*, ** *Dreyri* cruor V. 37. Cfr. † *Dreyrgr*.

* *Dreki* m. Draco (v. c.) V. 59. Adde Svec. *Drake*, Germ. *Drache*, Belg. *Draak*, CBrit. *Draig*, Bohem. *Drak*, Lapp. *Draka*, Ruſs. *Drakone*, Angl. Gall. & Hispan. *Dragon* *).

Dúkr m. a) focale R. 16. b) mappa (triclinaria) R. 28. Dan. *Dug*, Svec. *Duk*, Germ. *Tuch*.

** *Dvl*, *(Dul)* superbia, ignorantia, stultitia H. 57. Cfr. porro AS. *Dol* error et præterea hæcce AS. *dole*, *dull*, fatuus, Angl. *duli*, C Brit. *dool*, Scot. *doule*, Norv. *döle*, *töll*, *tyl*, Germ. *dull (toll)* MG. *dwals*, *dwala*, Lat. obsol. *dalivus*. Cfr. porro Svec. *stolle*, Lat. *stultus*. Vid. † *Dælskr*.

Dvergar (n. sing. verisimiliter *Dvergr*) globuli (in axillis, ad vestitum muliebrem pertinentes) ê conjectura interpr. Hæc Joh. Olavius Grunnavicensis de ista voce; "Videtur fuisſe pupa qvædam linea vel pannea, ornamenti causa axillis imposita." Sic autem Gunnarus Pauli (vertens: sustentacula o: interioris vestis): "Confer Eddam de nanis qvatuor cæliferis. In ædificiis est *Dvergr* (pl. *Dvergar*) brevis columna in superiore parte. Qvod hic *Dvergar* id [jam] alias vulgo: *Hlyrar á koti edr upphlut*. Prædicti nani superiora sustinent, hi inferiora." Cfr. ** *Dvergr*, *Durgr* & Lex. Myth.

(at) * *Dýia*, *Dýa* (ek *dý* vel *dúi*, *dúda*) motitare, qvatere R. 32. 34.

† *Dyggr* adj. fidelis, probus, pius V. 57. Cfr. *Gloſs. Syntagm.*

Dælskr adj. impudens, stultus, morosus. H. 57. Ab adj. *dæll* liber, urgens, immoriger. Cfr. CBrit *Del* morosus & *Dvl* s.

(at) ** *Dœma (döma)* — fabulari, colloqvi R. 29. Cfr. *Dómr* s.

E.

Eer vid. † *Aka*.

Egdir vid. Lex. Myth.

** *Eidr* m. (in pl. *eidar*) juramentum, jusjurandum V. 24. Adde Alem. *Eid*, *Eith*. Pers. *Ahd*.

*) Naves Scandinavorum bellicæ olim (uti Sinensium & pl. hodie) — in angvis vel draconis speciem formatæ fuerunt & ob istam causam maximæ illarum talem denominationem obtinuere. Eo sensu vox *Dreki* invenitur in carmine seculi 9, auctore Egillo Skallagrimi, *Höfutlausn* sive *capitis redemtio* dicto. — Vox hæcce suum etymon agnoscit in vetustisſimo nostratium verbo ** *Dreg*, *Draga*, unde etiam alia *Dreggr* de qva Gloſſ. Synt.

Ein-nættr adj. unam noctem natus V. 31. Ab † *Einn* & † *Nótt*.

Einsheriar (vel *Einheriar)* adversarii, bellatores H. 73. Vid. * *Einheri*, * *Einheria*, * *Einheriar* & infra in Lex. myth.

** *Einugi* pro *einu egi* o: in nulla re HM. 135. Ab † *Einn* & † *Egi*, *eigi*.

Eimr, *Eymr* (*Eimi)* m. halitus ignis, fumi species, vapor calidus V. 51. Dan. *Em*, Norv. *Eim*. Svec. *Em*, *Im*, Scot. *Oam*. Cfr. *Eimyria* cineres igniti, Dan. *Emmer*, Angl. *Embers*.

Eitrdropi veneni gutta V. 34. Dan. *Edderdraabe*. Vid. ** *Eitr*, (Svec. *Etter*) & ** *Dropi* (Svec. *Droppe*).

** *Eliun* (*Elian)* Alacritas R. 41. (Hinc ant. *eliunlaus* torpidus, iners).

Endr-gefendur remunerantes H. 41. Vid. ** *Endr* & ** *Gefa*.

Endr-þaga f. compensatio (accepta) H. 4. Ab ** *Endr* & ** *þiggia*.

Ermi (pl. *Ermar*) f. manica. Dan. *Ærme*, *Erme*, Germ. *Ærmel*, *Ermel*, — ab ** *Armr* brachium, (cui addas Slav. *Ramo*; circa originem cfr. Lat. *ramus*, *armus*).

Erosc, *Erost* obsolete pro *ero* sunt. H. 32. 41. Vid. *Er*.

* *Evagi* (* *Ævagi)* pro *Æfi egi* idem qvam † *Eva*, * *Æva* o: *Æfi ej* nunqvam H. 21.

† *Ey* (semper) pro † *Æ*. H. 16. 35.

Eyvita f. ignorantia H. 28. Interpr. (ab *ey*, † *ej* non & *vita* scire) — puto tamen hic intelligi eas novitates, qvæ omnibus patent i. e. famâ antea divulgatæ sunt (in iis locis qvos advena proxime reliqverat) ab *ey* semper & *vita*. *Eyvit* (vel *Eyvita*) occurrit iterum H. 94. Interpreti *Insipientia* (uti recentiorum *óvit*), ab etymis supra allatis. Hic forte verti deberet: *inauditum aliqvid* (prodigium) ab *Ey*, *Ei* non &c.

F.

Fá pro *Fáa*. H. 33. Vid. † *Fárr*.

(at) *Fá* &c. — unde phrasis: *fá à* capere, afficere H. 93. *Fást vel at virdi* largum victum (viaticum) sibi prospicere H. 118. Adde Vet. Dan. *fa*.

Fagr-raudr nitide rutilus V. 38. A ** *fagr* & † *Raudr*.

Fák pro *Fága ek* vel *Fái ek* pingo, depingo H. 160. Vid. * *Fáinn* & observ. nostram ad T. II. pag. 616.

Fán vox alias ignota pro magis trito *Fáng* captura, præda it. bona adqvisita o: carnes ferinæ R. 29. Convenit vet. Dan. *Fang* recentiori *Fangst*, AS., Scot. & Germ. *Fang*, Svec. *Fång*. Sic Islandis hodiedum *Sió-Fáng*, pisculenta, alimenta marina. A verbo ** *Fá* (capere, adqvirere) s. Cfr. * *Fán* & Ind. Leg. Gul. l. c.

Fanca pro *fann ek ej* non inveni H. 39. Vid. † *Finna*.

* *Fár* n. pestifera convicia H. 24. *Affári* infesto animo (vel impetu periculoso) H. 153.

(at) *Feita* (*ek Feiti*, *feitta*, *feittr*) saginare

H. 83. Dan. *fede*, Angl. *fatten*. Ab adj. *Feitr* pingvis, de qvo & cognatis videatur observatio nostra ad T. II. pag. 618.

Fáfs, gen. τοῦ *Fátt* (pauci) H. 108. Vid. * *Fárr*.

Félagi m. socius, sodalis H. 52. Dan. *Fælle* (cfr. *Fællig* sodalitium cet. olim *Fælagh*, *Fælugh*) Svec. *Felage*. Scot. *Felawe*, Angl. *Fellow*. A ** *Fé* & † *Lag* qvod iterum a v. † *Leggia*.

Féspiöll ditantes sermones V. 27. [A ** *Fé* & * *Spiall*; Angl. *Spell*, jam tantummodo de schedula vel tabella, magicis characteribus signata, usitatum — sed olim, sine dubio, de sermonibus ejus generis, ab AS. *Spel* unde etiam Angl. *Gospel* s: *Godes spel* (Dei vel divinus sermo) Evangelium. — Cum e mea sententia de anni cursu & cælestium orbium volutatione in carmine illo præcipue agatur, regulas calendarias, (dactylismum sive fastos) hic intelligendas opinor. (Cfr. *Spàgandar* i.)

Festr, *Festvr* f. catena V. 40 pro magis usitato *Fest*, † *Festi* (vet. Dan. *Fæste*). Cfr. ** *Festar*.

Fifl (*Fibl*) n. monstrum, dæmon infestus V. 47. (vulgo homo fatuus vel demens unde Dan. Norv. *Fioll*, *Fiolle*). Circa etymon cfr. verbum *fipla* contrectare, (motu vago & tremitante); cognata sunt Dan. *fippe*, *fipse*.

Fimbul-fambi m. fatuus (è versione interpr.) H. 104. * *Fimbul* jam est vox ignotæ significationis; Joh. Olavius Grunnavicensis voluit eam ab altera *fiöl* (multum) formatam esse; sed ista sententia mihi non arridet, qvamvis vocabulum illud eandem certe notionem aut etiam aliqvid *magni* vel *ingentis*, sæpissime poscere videtur. Suspicor tamen nostrum * *Fimbul* eandem vocem esse cum AS. *Fymble* fabula, mythus ethnicus, vel etiam scientia aut sermocinatio qvævis; Posterior vocabuli pars *Fambi* scribenda erit *Fámbi* (*Fánbi*) a *fár* ** *fárr* paucus; cfr. Angl. *famble*, Dan. *famle*, lingva hæsitare et Isl. *Fáni*, *Fábiáni* fatuus, vecors — Dan. *Fiante*, *Fiamsk*, Norv. *Faaming*, *Fiamsen*, *Fomme*, Svec. *Fåne*, Angl. bor. *Fonne*. *Fimbul-fambi* sic igitur proprie vertendum: (homo) mythos (sermones) paucos callens &c.

Fimbul-liód famigerata vel præstantissima carmina (Interpr.) H. 143. Vertere jam malim: mythica carmina (ἱερους λογους). Vide *Fimbul-fambi*.

Fimbul-tyr celsissimus Deus V. 53. Potius forte vertendum: mythis celebratus Deus vel D. scientiarum auctor. Vid. *Fimbulfambi*.

Fimbul-Þvlr summus orator vel sacerdos H. 80, famosus rhetor. H. 145. forte rectius: fabularum recitator (ad verbum μυθολογος). Vide *Fimbulfambi* & *Þulr* i.

Finnaz conveniunt vel convenient V. 53. Vide † *Finna* * *Finnomk*.

Fira hominum, viventium. Vid. † *Fir* et * *Firar*.

Firna (*ek firna* vel *firni*) obsol. mirari H. 93. 94. Vid. † *Fïrnar* & * *Fyrin*.

Fitiúngr m. homo pingvis vel obesus (forte pro nomine allegorico divitis viri positum) H. 78. Dan. *Fedting*, *Fetting*. A *Fita* pingvedo, Dan. *Fit*, *Fidt*; Germ. *Fett*, Angl. *Fat*, Zend. *Petwo*. Cfr. COſs. *Fid* (caro) et *Feita* s.

Fiörlag vitæ dispendium H. 120. A ** *Fiör* (vet. Dan. *Fiör*), & † *Leggia*. Cfr. † *Fiörbrot*, † *Fiörlot*.

Fiötradr impeditus part. paſs. v. *fiötra* (ek *fiötra*, *fiötrada*) vinculis constringo Germ. *feſſeln*, Angl. *fetter*, Scot. *fewter*. Vid. ** *Fiötvrr*.

Fiþr (pro *finnr*). Vid. † *Finna*.

Flárádr adj. fraudulentus (forte v. c.) H. 120. Ab adj. † *Flárr* & † *Rád*. Cfr. † *Flárædi*.

* *Fleinn* spiculum R. 32. cet. Adde Dan. *Fleen*, *Flœn*.

Fleski, * *Flesk* n. Lardum R. 29. Dan. & Svec. *Flesk*; certe eadem vox cum Germ. *Fleiſch*, AS. *Flœsc*, Angl. *Flesh*, (caro). De origine vocis consule *Ihres Gloſſ. Sviogoth.*

** *Flet* n. in pl. domicilium H. 35. *Á ſletium* domi R. 32. Adde vet. Dan. *Flæt*, Scot. *Flet* id.

Flot n. elevatio vel supernatatio navis in aqvis — *Á floti* in (super) fluido H. 157. Dan. Germ. Angl. *flot*, Gall. *a flot*. A † *Flóa*, † *Flióta*; cfr. † *Floti*, ** *Flód*.

Flœrdir fraudes H. 102. Vid. ** *Flærd*, *Flærþ*. Adde vetus Dan. *Flærd*, Svec. *Flaerd*. Cfr. AS. *Fleard*.

Fólc, ** *Fólk* n. acies, cohors militum H. 153. Cfr. Baschkir, & Kasak. *Pulk*. Adde ingeniosam Ihrei conjecturam de vocis nostræ arcta cognatione cum Græcis ὅλχος, βολχος, πολχος (ὄχλος).

Fólkvaldr dux populi vel coetus, militiæ V. 54. Vid. ** *Fólk* & † *Valda*.

Fólkvig cædes inter populos V. 19. bellica cædes V. 22. Vid. ** *Fólk* & ** *Vig*.

Formælandi (in pl.) patronus causæ, defensor (alterius) H. 25. 63. A † *For* et ** *Mœla*. (Dan. *Talsmand*, *Forsvarer*, Germ. *Vorſprecher*, Angl. *Spokesman* &c.)

Fornſpiöll antiqvi (prisci) sermones V. 1. Vid. ** *Forn* et † *Spiall*. Cfr. † *fornfrædi*

† *Fors*, *Foſs*, n. cataracta V. 52. Adde Norv. *Foſſe*, Svec. & Scot. *Fors*, *Forss*. (*Fors* n. furor, animi æstus & præcipitantia. Cfr. Gall. & Angl. *Force* vis, violentia, Ital. *Forza*. Ab adj. Isl. & Norv. *forr* ferox, ferus v. c.) Cfr. *Gl. Landn.*

Framarr, *Framar* ulterius H. 38. Vid. ** *Fram*, *Framm*. Cfr. † *Fremvr*.

Framgenginn emortuus V. 35. recentioribus *framlidinn*; vid. † *Lidinn*, ** *Lida*. A *Fram* & ** *Gánga*. Cfr. *Genginn* i.

* *Frami* m. profectus, commodum H. 2. emolumentum H. 105 profectus vel præstantia 163. Vid. ** *Fram* (unde etiam *fremia* (*framda*, *framinn*) promovere. (Dan. *fremme*, AS. *fremian*; cfr. Angl. & Scot. *frame*) &c. Dan. *Fremme* cfr. Angl. *Frame*.

(al) † *Fregna*, ** *Frega* (*Freginn*) percontari, interrogare H. 28. 62. Adde Norv. *Fræga*, *Fraaga*, Svec. *Fråga*.

Freki lupus V. 40. Vid. Lex. mythol.

(at) ** *Fría* (ek *fría*, *frída* vel *fríada*) amare vel ambire H. 92. Adde Svec. *fria*, Ind. *pryad.* Cfr.

* *Fridr* m. amor vel amicitia, caritas H. 51. amor H. 90.

(at) *Frævaz* (ek *fræviz*, *frævadiz*) efflorescere, (it. imprægnari) H. 144. A *Fræ* semen Dan. *Frö*. Cfr. Lex. myth. v. *Freyr*, *Freya*.

Frödi vid. † *Frœdi*.

Fröckur pl. f. in nom. sing. *Fracka* lancea, hasta R. 32.

Fúlligr adj. foedus R. 8. Vid. † *Fúll*. Adde Svec. *Ful*, deformis, teter.

Fyrdar, *Firdar* m. pl. viri, homines H. 162. Cfr. † *Fir* * *Firar* * *Fýrar* ** *Ferd*.

Færri vid. *Fárr*.

Föddr vid. * *Fœddr* † *Fœda*.

G.

Gaglvidr m. volucrum sylva V. 38. Vid. † *Gagl* & ** *Vidr*.

Gagnhollr adj. admodum fidus s. benevolus H. 32. A. ** *Gagn* (commodum) & ** *Hollr*. (propitius) cet.

Gagnvegr m. directa (s. commoda) via H. 34. Dan. *Gjenvej*, Svec. *Ginväg*. Aut a ** *Gagn* commodum vel *Gégn*, *Gégnt* contra, vicisfim (vid. † *Gégna*) & ** *Vegr*. via.

* *Galli* m. nævus, vitium H. 135. Cfr. Gr. Κηλις macula, nævus (forte deducendum a *Gall* fel, bilis; Dan. *Galde*, Germ. *Gall*, *Galle*, Angl. *Gall*, cfr. *Colere*. &c. Gr. Χολη.)

* *Gandr* lupus (ut videtur) vel etiam serpens. V. 20. Alias vehiculum magicum, qvo magi per aëra pervolare jactabant. *Gandr* forte contractum est â *Gannðr* proruens, a verbo *Gana* proruere (unde subst. *Gavnor*, *Gönur* devia n. pl.) Vid. *Gloſs. Landn.* Cfr. *Spá-gandr* i. & Lex. myth. V. *Jörmun-gandr*.

(at) ** *Gánga* ire &c. *Á genguz eidar* rupta sunt juramenta V. 24.

Gap vid. Lex. myth. sub v. *Ginnúngagap*.

** *Gardr*, *Garþr*, m. agger, sepes R. 12. Cæteris adde Slav. *Grada* area; *Grad*, urbs & in compositis hortus &c. *)

* *Garmr* canis, fera cfr. Lex. myth.

** *Gátt* ostium, fores, apertura (præsertim inter postem & januam). Cfr. *Gætti* i.

Gavrvar, *Görvar* vid. ** *Görr*, *Gerr* † *Gavrva*.

Géfendr datores (dantes) H. 2. Vid. ** *Géfa*.

(at) *Geisa*, *geysa*, (ek *geysa*, *geysada*)

*) Sic Isl. *Urtagardr* hortus convenit Dan. *Urtegaard*, AS. *Yrtgeard*, *Ortgeard*, MG. *Aurtigards*, Slavon. *Vertograd*.

sævire, grasfari, impetu ferri V. 51 *); A verbo *Giósa (ek Gýs, gaus, gosinn)* eructare, in auras efflare; olim Germ. *guschen, gischen*, Pers. *ischyſiden* & pl. (ab Othmaro Frank collata). Cfr. Angl. *yest*, it. Germ. *giesſen* & pl.

Geitakyrtla fœmina, tunicam ê pellibus aut pilis caprinis gestans R. 20. A ** *Geit* capra **) & *Kyrtill, Kirtill* m. tunica Dan. & Svec. *Kiortel, Kittel*, Germ. *Kittel, Küttel*, AS. *Cyrtel*, Angl. *Kirtle*. Cfr. Scoto-Gael. *Kilt****) Gr. Χιτὼν.

Gengilbeina pedambula (ambulatrix fœmina) R. 10. A verbo ** *Gánga* & * *Bein* pes (Dan. *Been* &c.)

Genginn defunctus H. 72. Proprie: profectus a ** *Gánga* ire. Cfr. *Framgenginn* s.

** *Gengz* vid. ** *Gánga*.

** *Géstr, Giestr* hospes H. 2. sq. Adde Slav. *Gost*, Pol. *Gósc*, Bohem. *Host*, Armor. *Hostes*, Gall. *Hóte*, Ital. *Oste, Ospite*, Kalmuch. *Gietschi*.

(at) † *Geyia (ek geya, gó)* latrare, V. 40 & sq. adlatrare (de homine dictum) H. 137. Dan. *giöe*, Svec. *göa*, Angl. *bay*, Scot. *yaff, yamf*, cfr. Angl. *yawl*, Slav. *gaju* crocito, Lapp. *gayam* resono, Hesych. γεγωὼς clamans. Vid. * *Gé*.

Geyminn secreti servans, sollicitus H. 65. A verbo *Geyma* servare, custodire; Dan. *gjemme*, AS. *geman, gyman*, Scot. *yeme, yheme, yym*; cfr. *gaumr* attentio, cura &c.

(at) † *Gialla* clangere, sonare; *Grundir gialla* campi resonant V. 41 (pag. 202, 208). Dan. *gjalde, gjelde*, Germ. *gellen*, AS. *gellan*, Angl. *yell*. Cfr. † *Gélla*.

Gialti (pro magis usitato *Géllti, Gélti*) a ** *Gavltr, Gölltr* verres aper (Dan. *Galt*) H. 131. cfr. obs. 80.

† *Giavf, Giöf* donum H. Adde Svec. *Gåf, Gif, Gift, Gofwa* (Isl. *Gáfa*) & pl. AS. *Gyfe*, Alem. Belg. *Gift* & pl.

** *Gígur, Gygur* oreas V. 38. *Gygur* alias crater montis ignivomi — qvi forte hic etiam intelligendus. Qvum de cithara sermo sit, conjici potest, qvod *Gígiar* hic sumendum fuerit pro genit. sing. τοῦ *Gigia* (forte simul *Gígur*) fidicula, pandura, barbiton Dan. *Gige*, Svec, *Giga*, Germ. *Geige*, Gall. *Gigue*, Angl. *Gig, Jig* (cfr. Lapp. *gaigam, gajam* resono).

---

*) Hinc nomen celeberrimi Islandorum fontis, fervidi et sponte salientis, *Geysir*.

**) Adde Belg. *Gheete, Gheyte*, Gr. B. αἴθ. Cfr. Ms. *Gaitei* hoedus (v. c.) C. Br. *Gitten, Ihre*. Ad alteram capræ denominationem in vetere borealium sermone, *Hadna* nempe, referendum opinor Svec. *Hena*, capella qvæ semel peperit. Vide Gl. T. II. pag. 638.

***) o: Subligar, ad virilem habitum pertinens. Occurrit tamen vox hæcce *Kyllt, Kylt, Kilt* in Niala nostra Cap. 33 de subligare mulieris Islandicæ seculi 10mi. Qvidam originem hujus vocabuli referunt ad nostrum *Kielta, Kiólta, Kiltingr* MS. *Kilth, Kilthé* &c. sinus, gremium Hinc Svec. *Kilt, Kilting*. Cfr. Svec. *Kiltra*, Angl. *Kelter* &c.

* *Gildi* n. convivium (sacrificiale*) aut etiam: resarcitio (cædis vel damni illati) V. 21. talio H. 148. Circa etymon vid. ** *Giald*, ** *Gialda* (vet. Dan. *gialdœ*).

Ginandi hians a verbo (*ek*) *gin* (*gein*) q. v. cfr. Isl. & AS. *Gin* hiatus, chasma Scot. *Gyn*, Gr. χανος.

Gin-heilagr sacro-sanctus V. 6. sq. it. p. 196. Apud AS. *Gin* in compositione sensum auget, ex. gr. *gin-fæst* valde firmus; *Gin-rice* amplisfimum regnum & pl. Cfr. *Ginandi* s. & Lex. m. v. *Ginúnga-gap* & *Ginregin*.

Ginnúnga, *Ginúnga* vid. Lex. myth. voce *Ginnúnga-gap*.

Gin-regin vid. Lex. myth.

Giörstr vid. † *Görr* (*Giörr*).

Glama (*ek glama*, *glamada* vel *glamda*) obsol. strepere, obstrepere H. 31. Dan. *glamme*, Svec. *glamma*, (recentioribus Islandis *glamra*). Ab Isl. *Glam*, *Glamm*, *Glamr*, Dan. & AS. *Glam*, Scot. *Glamer* sonitus, strepitus. Cfr. † *Glaumr*.

(at) *Gledia* (*ek gled*, *gladda*, *gladdr*) exhilarare H. 41. Vid. *Glada*. Adde Svec. *Glåda*.

(at) * *Gleypa* (ek) *gleypi*, *gleypta*, *gleyptr* devorare, absorbere V. 43. Adde Dan. *glube* (unde *glubsk* vorax &c.) Cfr. Scot. *Glupe* chasma ingens; Angl. *Glutton*, Gall. *Glouton* helluo & pl.

† *Glíkr* (**Glícr*) pro † *Líkr* (similis) H. 46. Cfr. † *Glíkligt*.

(at) *Glisfa* (ek) *glisfa*, *glisfada* renidere, **) (Dan. *glise*, *glindse*, Germ. *glinzen*, *gleisfen*, Angl. *glister*, *glitter* &c.) forte etiam cachinnare (a † *Gly* gaudium, risus) Norv. *glise*. H. 31. obsol. Cfr. recent. Isl. *Flisfa* cachinnare &c.

Glyíod læta V. 32. Vid. † *Gly* † *Glya*. cfr. *Glisfa* s. & ** *Gladr* (lætus, idem revera cum nostro *Glyadr*).

Glœyggr † *Gleyggr* * *Glöggr* parcus, restrictus (homo) H. 48. Alias acutus &c. Adde Scot. *Gleg* id. Hinc etiam Dan. *glúgagtig* perspicax, attentus.

(at) * *Gnaga*, *Naga* (ek *gnaga*, *gnagada*) — rodere, perrodere H. 107. Adde Germ. *nagen*, Angl. *gnaw*, Scot. *gnap*.

---

*) *Grammius* ita recte de hac voce (in notis ad Meursii Hist. Dan. p. 258). "Vocabulum *Gildi*, convivium denotat, ab antiqvisfimis usqve seculis in Septentrione, usqve in hunc diem, usitatum; in Britanniam, per Jutos et Anglos nostros, qvinto seculo, eadem vox cum re ipsa allata, in Germaniam & Italiam cum Gothis transiit. Postqvam vero in prisco idolorum cultu & conventibus, sacrorum causa habitis, semper ejusmodi Gildæ seu convivia partem religionis constituerunt, abrogata idololatria convivandi mos tamen retinebatur, ita vero, ut emendatus aliqvantum, alias et castiores leges acciperet. Hinc *Gilda* tum convivium, tum sodalitium seu fraternitatem notat" &c. Hinc igitur veterum Danorum, Germanorum, Britannorum & pl. *Gilda*, *Gilde*.

**) Ab Isl. & Norv. *Glis* splendor Scot. *Gleis* &c.

(at) *Gnapa*, (ek *gnapi*, *gnapta*) obsol. inhiare H. 63. Alias * *Gapa* (Dan. *gabe*, Germ. *gaffen* &c.) *)

(at) *Gnata* (ek *gnata*, *gnatada*) collidere, stridere obsol. H. 47. *Gnat* collisio, occurrit in Egla. Hinc recentiorum *gnötra*, Dan. *gnaddre* & pl. Cfr. Scot. *gnat*.

Gnípa vid. Lex. Myth. sub v. *Gnípahellir*.

(at) *Gnýa* (*ek gnýa*, *gnýda*) strepere V. 46. Av. ** *Gnýrr* (Dan. *Gny*, Angl. *Noise* — a genit. *gnys*).

**Grind* porta, promtuarium (aut etiam ovile & pl. similia) H. 88. Adde Norv. *Grind*, *Grinde*, AS. *Grindle*. Francis, in lege Salica (ex observatione doctissimi Ihre) *Grind* significavit *claustrum pellucidum* (uti eddicum illud *Val-grind*, de qvo in Lex. myth.) — sed Gothis apud Cassiodorum *janua fenestrata*.

Gríót-biarg n. saxum ingens, mons saxis aut lapidibus consistens V. 47. Vid. ** *Gríót* & ** *Biarg*.

Gróinn floridus, floribus vel herbis repletus; a verbo *gróa* virescere, florescere. Vid. * *Gróandi*, † *Grænn* &c.

* *Grvnd* f. terra V. 28. Adde Dan. Svec. & Germ. *Grund* MG. *Grundus*.

Grvnr m. suspicio. H. 46. Svec. *Grun*. Circa etymum cfr. AS. *Grunian* ruminari. Vid. † *Gruna* *(mik) *Grunar*.

Gætinn attentus, circumspectus H. 6. Vid. † *Gæta*.

Gætti n. cardo januæ; *Hurd á gætti* janua subpatens R. 2. sq. Vid. ** *Gátt*.

Gættuz vid. † *Gæta*.

H.

Hád (*Háþ*) n. contumelia H. 134. Cum þ. & n. olim sæpe sonum commutaverint, vox hæcce verisimiliter eadem est cum Dan. *Haan*, (pro obsol. *Had*, *Haad*) Svec. *Hån* (pro obsol. *Had*) Germ. *Hohn*, Vet. Gall. *Hony*, *Honi* (recent. *Honte*), Bohem. *Hana*. Gr. ὄνειδος. Cfr. *Hádúng*, *Hædinn* it, *Gloss. Synt.*

Hádúng (*Háþúng*) f. contumelia, derisio H. 102. Vetus Dan. *Haading*, *Hading*, Scot. *Heydin*, *Heything*, *Heithing*, *Hething*, Bohem. *Hanenj*. Vid. *Hád* s. *Hædinn* i.

Hafat pro *haft* habitum V. 14. Vid. ** *Hafa*.

Hafaz (*vel*) bene se habere (Dan. *have godt* &c.) H. 144. Cfr. Scot. *have*, Angl. *behave* & pl. Vid. ** *Hafa*.

Hádi, *Hávi* vid. Lex. Myth.

Hálbr pro † *Hálfr* dimidius, divisus q. v. H. 53.

Haldendr (*Halldendvr*) cohibitores (cohibentes) H. 29. Vid. ** *Halda* (adde Scot. *hald*).

*) Hinc maris poëticæ appellationes apud veteres: *Gnap* (idem fere qvam *Gap*) *Gnap-salr*, *Gnapheimr* &c.

Hálfbrunninn semi-ustus H. 89. Dan. *Halvbrændt* &c. Vid. † *Hálfr* & ** *Brenna*.

Halir homines V. 50. Nisi vertendum sit: Helæ socii aut cognati, mali dæmones; qvum verbum *rydia* vulgatam suam significationem (evacuare, vastare) retinere deberet. Vid. ** *Halr*, † *Hala*.

Háll adj. lubricus H. 90. Norv. *haal*, Svec. *hal*, vet. Germ. *häl*, *heel*. Verisimiliter ab † *Hallr* declivis q. v.

† *Hallr* inclinatus (de cratere vel poculo dictum) H. 52. Adde Norv. *hadde*, *haadde*, *halda*.

Haltr, *Halltr* adj. claudus H. 71. 90. Dan., Svec. & Angl. *halt*, Alem. *halzer*, *haltzer*, AS. *healt*; MG. *halts*, Gr. χωλος, κυλλος.

** *Halr* m. vir; — herus, dominus H. 36. 37.

** *Hamr* corpus, forma H. 36. Adde Svec. *Ham*. *Hamn*. Cfr. Finn. *Hame* tunica Esthn. *Hame* indusium, AS. *Ham* id. & Chin. *Him* umbra corporis alicuius. Cfr. *Heimhamr*.

Handarvanr mancus. † *Havnd* & ** *Vanr* (expers).

(at) *Hánga* (*ek hángi*, *héck*, *hánginn*) pendere, pendulum esse H. 136i Dan. *hænge*, Germ. *hängen*, AS. *hangan*, Angl. *hang*.

Hánginlukla f. fæmina pendulos claves gestans R. 20. Vid. *Hánga* & † *Lykill*, *Lukill* (Norv. *Lykkel*, Svec. *Nyckel*, *Lykel*, vet. Dan. *Lykel*, *Lyklæ* recent. *Nögle*).

* *Hani* m. gallus*) V. 38 sq. Dan. & Alem. *Hane*, Germ. *Hahn*, olim *Hane*, *Hano*, *Chana* (Lex. Sal.) Holl. *Haan*, Belg. *Henne*, *Honn*, Alem. *Hen*, *Hün*, AS. & MG. *Hana*, Esthn. *Kanna*, C. Tschetsch *Nani* **). Cfr. Finn. *Hanhi* anser.

Hapt pro *Haptan* vinctum, vel etiam simpliciter *Hapt* numen, genium V. 32. Vid. † *Hapta*, † *Haptr*, * *Hapt*, * *Havpt*.

Haptband n. vinculi funis V. 32. Vid. * *Hapt*, *Haft* vet. Dan. *Haft* & † *Band*.

Hardgiörr durus, dure vel firmiter nexus (de fune) V. 32. var. Vid. ** *Hardr* & ** *Géra*.

Harmflavg f. deplorandum s. calamitosum missile V. 30. Ab ** *Harmr* & *Flavg*, *Flog*, * *Flvga* volatile, missile a verbo † *Flúga*.

† *Harpa* chelys, cithara V. 38. Adde Lat. Barb. *Harpa*, Alem. *Harpha*, Hisp. *Harpa*, Ital. *Arpa*.

Hátimbra alte exstruere V. 7. Ab ** *Hárr* & * *Timbra* intra (*ek timbra*, *timbrada*) struere, ædificare (Dan. *tömre*, Germ. *zimmern*, Angl. *timber*, AS. *timbran*, MG. *timrian*).

---

*) Hinc fæmin. *Hæna* gallina Dan. *Höne*, Germ. *Hün*, *Hühn*, AS. *Han*, Angl. *Hen*, CAnz. *Anako*, Finn. *Cana*. *Hænsn* Dan. & Svec. *Höns*, nomen est genericum, utriqve sexui collective competens.

**) Scandinavis, extra Islandiam, *Hane* sumitur pro masculo diversarum volucrum, uti *Birk-hane*, *Ur-hane* & pl.

Haustgríma f. nox autumnalis H. 74. Ab *Haust, Haurst* n. autumnus, Dan. *Höst*, Germ. *Herbst*, AS. *Hærfæst*, Angl. *Harvest* — qvæ diversa videntur esse â CBrit. *Awst* (autumnus it. Augustus mensis) Armor. *Eawst*, Cornw. *East*, Belg. *Oogst*. Cfr. Gall. *Aoust, Aout*. *Gríma* nox; vid. † *Gríma* velamentum &c. Cfr. Lex. myth. v. *Grímarr-Grímr* & pl.

Háþ &c. vid. *Hád*.

Hédinn m. tunica H. 73. Forte ab antiqvo *hýda* tegere (AS. *hyde*, Angl. *hide*) qvod iterum ab *húd* pellis (Dan. & Svec. *Hud*, Germ. *Haut*, Al. *Hut*, Belg. *Huid*, AS. *Hyd*, Angl. *Hide*, Lap. *Hud*, *Hudes*, Lat. *Cutis*, Gr. κοτος, κυτος, In Cauc. *Chut-sa*. (Cfr. plura in *Tripartito*). Vid. Gl. N. Voce *Geit-Hédin*. Cfr. Gr. χιτὼν.

Hefiz pro *hefz*. V. 47. Vid. ** *Hefia*.

Hegri m. ardea H. 13. Dan. *Heire*, Svec. *Häger*, Germ. *Reiger*, AS. *Hragra*, Angl. *Heron*, *Hern*, Gall. *Hairon*, Ital. *Aerone*, *Aghirone*, Hispan. *Agrone*, Gr. ἐρωδιὸς. Cæt. vid. Lex. myth. V. *Óminnis-Hegri*.

† *Heid* f. (in genit. sing.) æther, sive † *heidr* serenus (in fœm. nom. pl.) V. 51.

Heidvanr adj. ætheri vel serenitati adsvetus V. 25. Ab *Heid* & † *Vanr* adsvetus.

(at) *Heilla* (*ek heilla*, *heillada*) fascinare H. 131. Idem forte cum recentiore *hylla* fascinare, vi magica aliqvem allicere (de malis vel subterraneis dæmonibus dictum). Ab * *Heill* omen, auspicium, amuletum, res fascinata.

Heilyndi n. sanitas H. 68. Alias *Heilsa*, *Heilbrigdi*, Dan. *Hilsen*, *Helbred*, Angl. *Health* &c. Vid. ** *Heill* (salus) & ** *Heill* (salvus).

Heimhamr m. proprium corpus H. 158. Vid. ** *Heim* (domum), ** *Heimr* (domicilium) *) & ** *Hamr* s. Cfr. *Glofs. Landn.* v. *Hamramr* & *Hamför* (transformatio; migratio in corpus alienum seu sub aliena specie).

Heimhvgr m. domesticum desiderium sive proprius animus H. 158. Vid. ** *Heim* cet. & ** *Hvgr*.

Heimis-gardar hospita domicilia H. 6. Ab ** *Heimir* & ** *Gardr*. Cfr. tamen * *Heimir* (cui forte porro addendum Pers. *Hemru*, *Hemrah* cet.).

Heimstöd f. mundana mansio V. 50. ab ** *Heimr* & *Stöd* * *Staviþ* statio (v. c.); cfr. † *Stadr*.

Heiptmavgr m. infensus homo H. 151 ab *Heipt* & ** *Mavgr*.

** *Helgr* vide ** *Heilagr*.

Hélugr adj. uliginosus (pruinosus, roscidus) R. 34 a *Héla*, *Hiela* uligo, vapor tenuis, pruina; AS. *Heolca*, it. * *Hel* s. Cfr. Lat. *Gelu*. Norv. *Hele*, Finn. *Halla*.

*) Adde Scot. *Haime*, *Ham*, *Hem* domus, domicilium, unde etiam multa alia Islandicis convenientia & fere consona.

(at) *Henda* (*ek hendi, hendta*) prehendere (v. c.) manu capere H. 90. Vid. † *Hendvz;* adde Svec. *hända*, Dan. *hente*, Angl. *hend.*

Heriafadir } vid. Lex. mythol.
Herian }

Hiarar; — *at hiarar* V. 39. non in versione expressum, cum omnino superfluum videretur et metro non adæqvatum; — sensus vocularum hic erit: *ad cardinem*, a *hiörr, hiör*, Svec. *Hurr-hake*, AS. *Heor, Heorra, Horr*, Belg. *Harre, Herre*, Scot. *Hirst* m. cardo; magis usitatum *hiara* (pl. *hiarir*) f. Hinc etiam *hiari* m. axis mundi, polus terræ (qvi forte hic revera intelligi deberet) *). Derivatur a *hiara, hara*, hærere (Germ. *harren*).

** *Hildur* f. pugna H. 159. Cfr. Lex. myth.

** *Himin, Hifin* m. coelum V. 47. 51. Adde Chin. *Hiven.*

Hindri adj. posterus. *Hindra dags* postridie; *Hindra dag* in Legibus Svec. Vestgoth. idem notat. H. 110. Vid. ** *Hinnztr* (postremus). Adde Scot. *hinder* (postremus, unde *Hinder-end, Hinder-nicht* &c.)

Hiti ignis V. 51. (recentioribus tantummodo calor). Vid. † *Heitr.* Adde Tart. & Sibir. *Ut, Ot*, Turc. *Od*, Samojed. *Itn, Yt, Yd*, Ind. *Eth* & pl.

Hitki contracte pro *Hitt ecki* (id non) H. 22. Vid. † *Hinn* & † *Ecki* (non).

Hittaz vid. ** *Hitta* (vet. Dan. *hittæ*). Cfr. *Finnaz.*

(at) *Hlacca, Hlacka* (*ek hlacka, hlackada*) clangere (de aqvilâ) V. 44. Alias etiam exultare. Vid. * *Hlavcc.*

Hlada f. (pl. *Hlödnr*) horreum R. 19. Dan. *Lade*, Svec. *Lada*, in boreali Anglia *Lathe, Lade.* cfr. Germ. *Lade, Laden* & pl. A verbo † *Hlada.* cfr. † *Hleþom.*

Hlátr m. risus H. 134. Dan. *Latter*, Norv. *Laat*, Germ. *Ge-lächter*, Angl. *Laugh, Langhing.* Vid. † *Hlægia.*

* *Hlaut, Lant, Leyt* f. sangvis sacrificialis vel sortilegus V. 56. Lappon. *Liet* **) cfr. Siam. *Luit* sangvis.

Hlægi n. irrisio, risus Dan. *Löjer*, Norv. *Lægje*, Svec. *Löje*.. H. 20. Vid. *Hlátr*, (Svec. *Latr*), † *Hlægia.*

Hleifr, Leifr m. libum (v. c.) H. 52. 152. placenta (panis) R. 5. 38. Dan. *Lev*, Norv. *Leiv*, Svec. *Lef*, Alem. *Leib*, Fris. *Læf*, Germ. *Laib*, Angl. *Loaf*, Scot. *Laif, Laef*, AS. *Hlaf, Hlaef, Láf.* MG. *Hlaifs, Hlaibs*, Lapp. *Leabe, Laibbe, Laibeb*, Esthn. *Leiba*, Finn. *Leipa*, Slavon. *Hljeb, Ljeb, Hleibe*, Lat. *Libnm*, L. B. *Leibo*, Boh. *Chleba* (placenta adorea). Cfr. CBrit. *hlewa* edere ***).

*) Hinc etiam *Hlara-stiarna* stella polaris.

**) Hinc Lappon. *Liet-muorak*, bacilli, qvos sangvine animalis sacrificati oblitos Lappones adversus locum sacrificii erigebant. Cfr. atavorum nostrorum *Laut-teinar;* — Vide Hkr. T. I. pag. 139 et *Eyrbyggiasaga* ed. *Thorkelini* pag. 87. Adde Gr. λοβρον sangvis.

***) Tali libo, panis loco, vulgus Islandiæ, Norvegiæ, Sveciæ & Scotiæ hodiedum fruitur; vocatur autem ab Islandis *Kaka*, Norvegis *Kake*, Anglis & Scotis Gothicis *Cake* (unde Scotia qvibusdam

(at) *Hleypa* (*ek hleypi, hleypta*) concitare (eqvum, ad cursum) R. 34. A verbo †*Hlaupa* (currere).

†*Hliód* n. sonus; V. 25. vox non interpellata it. auscultatio. Hinc *bidia hlióds* silentium rogare V. 1. Adde Norv. *Ljo.*

†*Hlutr, Lvtr* sors, portio V. 56. var. Adde Svec. *Lott*, Belg. & Gall. *Lot*, Armor. *Lawt, Lant, Laot*, Ital. & Lapp. *Lotto*, Polon. *Loſs* &c., Pers. *Lews*, Chin. *Lu.* (cfr. *Tripart.*)

(at) *Hlýa, hlúa* (*ek hlúi, hlúda*) fovere H. 50. a **Hlý, Hlé, Hlie*, umbra, calor, locus â vento securus. Dan. *Ly, Læ*, Angl. in compos. *Lee.*

(at) ** *Hlýda* &c. auscultare V. 1. Adde vetus Angl. *lythe, lithe* id.

Hlödur vid. *Hlada.*

** *Hof* n. fanum, aula, ædes V. 7. Adde Scot. *Hove, Hoif, Houffe, Hufe* aula, atrium it. locus sepulchralis (uti Germ. *Kirch-Hof*).

Hórdómr m. adulterium V. 41. Dan. *Hordom*, Angl. *Whoredom* Cæt. vid. **Hórr* †*Hornúngr.*

Horfa, **Horva* (*ek Horfi, Horfda*) spectare V. 34. Norv. *horve.*

Hornigi, pro *Horni egi* H. 142. Vid. ** *Horn* & † *Egi.*

Hradmœltr adj. volubilis, præceps (lingva) H. 29. (*Hradmœltr madr* lingva volubili præditus). Vid. ** *Hradr* & ** *Mœla.*

(at) *Hravrna, Hrörna* (*ek hrörna, hrörnada, hrörnadr*) langvescere, labescere, ruere, AS. *hræran.* Cfr. †*Hræ, Hrœrr, Hrer.*

Hreinn, Reinn m. machlis, rheno, rangifer H. 90. Norv. *Rein.* Vid. **Hrein-gálku* *); adde Sanscr. *Harina* cervus. Cfr. porro *Rá*, caprea, Dan. *Raa*, Svec. *Rå*, Germ. *Reh*, Belg. *Reh, Rhe, Reyn, Reynger*, AS. *Ra, Rah, Ran*, Angl. *Roe*, Scot. *Ray*, Arab. *Röha* (*Tripart.*)

Hriggr, Hryggr dorsum, spina V. 34. R. 8. Dan. *Ryg*, Svec. *Rygg, Rigg*, Germ. *Kücken*, Alem. *Rucci, Hrucki*, Belg. *Rugge*, AS. *Hricg, Rig*, Scot. *Rig*, Hinc etiam Angl. *Ridge.* Cfr. Gr. ῥαχις spina dorsi.

Hríng-lagin (in dat. *hríngl*æ*gnom*) in orbem contortus H. 86. Vid. ** *Hríngr* & † *Leggia.*

Hrockinn rugosus R. 8. Dan. *rynket*, Germ. *runzelicht*, Angl. *wrinkled;* a *Hrucka* ruga (v. c.) Dan. *Rynke*, Germ. *Runzel*, Angl. *Wrinkle* &c. — qvod iterum a Verbo *Hröckva, Hravckva* (*ek hröck*) cedere, contorqveri; qvod tamen diversum ab

---

audit *Country of cakes* — liborum teria). Placentæ alioqvin Danis *Kage*, Germanis *Kuchen*, Al. *Cuch*, Belg. *Koek* &c. Adde Pers. *Kak* libum, Syr. *Kaka* (unde vetustas vocabuli satis illucescit). Cfr. supra pag. 182. Obs. 32.

*) Islandis hodie *Hreindyr*, Dan. *Rensdyr*, Germ. *Rennthier*, Angl. *Reindeer, Raindeer.* Nominantur hæc animalia, qvasi in Islandia sec. 12mo. existentia, in jure ecclesiastico *Thorlaco-Ketilliano*, Cap. 31, sed alioqvin nullibi.

alio *Hröckva* (*ek hröckvi*) agere, torquere; hinc verisimiliter Dan. *rokke*, Angl. *rock* & pl. Cfr. † *Reka* &c.

Hroptatýr, * *Hroptr*, *Hroptr* vid. Lex. myth.

Hryggr vid. *Hriggr*.

(at) *Hrækia*, *Hrökia* (forte idem qvam recent. *Hrekia*) extrudere H. 137. (vet. Dan. *wræke*) A verbo † *Reka* q. v. Cfr. Glos. Synt. voce *Hrâki*.

Hræsinn adj. gloriosus H. 6. Vid. ** *Hrósa*. Adde vet. Angl. *Rooses*, *Ruses* laudes, gloriatio.

Hrörna vid. *Hravrna*.

Hugbrigdr adj. animo varius s. mutabilis, inconstans H. 102. Vid. ** *Hugr* & *Brigdr*.

Hvgall adj. cordatus, (hodie *hugull* officiosus, benevolus) Norv. *Hugelæg*; hinc Svec. *Hyggelig* H. 15. Ab ** *Hvgr*, * *Hvga*. Cfr. † *Hvgat*.

† *Hús* n. familia R. 11. Proprie domus, domicilium. Adde Chin. *Hu*.

Húsabær m. prædium R. Introd. (p. 170.) Vid. † *Hús* & † *Bær*.

Húskona f. hera R. 25. Vid. † *Hús* & ** *Kona*. Cfr. † *Húsfreya*.

† *Hvat* qvodcunqve H. 5. — qvapropter H. 50.

† *Hvavt*, *Hvöt* (in pl. *Hvatir*) celeritas (vel potius incitamenta) H. 59. Cum * *Hvatr* celer, convenit porro Svec. *Hwater*, *Hwat* idem.

† *Hvaþan* (* *Hvadan*) undiqve H. 159.

Hvedrúngr m. gigas (*Skaldá* teste, qvæ tamen ipsi Odino agnomen hocce alio loco attribuit) V. 49. Deducendum est a ** *Vedr* tempestas, qvæ partim & præsertim ab Odino (qvi alias † *Vidrir*, *Viþrir*) sed interdum etiam (in malam partem) a Jotnis sive gigantibus dirigebatur, ê sententiâ veterum borealium. Cfr. *Hvida* cita commotio aëris; fervida actio, *Hvidra* cito commoveri, *Hvedna* oreadis giganteæ nomen & pl.

Hveiti n. triticum R. 28. Dan. *Hvede*, Germ. *Weizen*, *Weitzen*, Alem. *Hueïtz*, Belg. *Weyt*, AS. *Hvæt*, Angl. *Wheat*. MG. *Hwaitei*. Forte â voce † *Hvítr*.

Hverbr pro † *Hverfr* variabilis H. 74. Adde MG. *hverfs*.

Hverfandi versatilis H. 84. Vid. † *Hverfa*.

** *Hverr*, *Hver* vid. Lex. myth. v. *Hveralvndr*.

Hvítarmr adj. brachia candidus H. 164. obsol. Dan. *hvidarmet*. Vid. † *Hvítr* & ** *Armr*.

† *Hyggiandi* f. ingenium, sapientia H. 6. Adde vetus german. *Hügend*. Ab † *Hyggia* ** *Hvgr*.

† *Hypia* vid. Lex. myth. sub v. *Tötrighypia*.

Hyrógr m. famulitii disfidia H. 140. Ab *Hý* pro † *Hiú* (Alem. in compos. *Hy*, *Hí*) & *Rógr* i.

Hœdinn adj. irrisor, H. 31. Ab *Hád* s.

Hættligr adj. periculosus V. 30. AS. *hetlic*; (hodie *hættulegr*). Vid. † *Hætta* † *Hœttr*.

Högri, *Hægri* dextra V. 5. Vid. † *Hægr*, ** *Hagr* (Norv. *Hag*).

Hörfi pro recent. *Hörundi* o: cuti, cuticulâ, dermate vel etiam pro *Hâri* capillitio.

R. 8. cfr. *Hörfi* lino R. 8. Cfr. *Hörr, Hör.* Vid. **Havrvnd*, vet. Svec. *Horund, Harund, Horn,* Alaman. & Longobard. *Haran*, Hispan. *Carona* cutis lat. *corium.*

I.

**Jafnspakr* adj. æqve cordatus vel sapiens H. 53. Vid. † *Jafn* & † *Spakr.*

Jardar-megin telluris vis H. 140. Vid. ***Jörþ*, *Jörd* & † *Megin.*

Jarl princeps, Comes H. 97. Adde vetus Angl. *Yerl, Yerle.* Cfr. Pers. *Iall* heros, athleta. Vide porro Indicem n. pr. Carminis Rigiani.

Idgiöld n. pl. præmia, remuneratio H. 106. Ab obsoleto *Id*, *Iþ* pro ***Endvr* rursus AS. *Ed* & † *Giald* (pl. * *Giöld*).

Idiagrönn pulchre virens V. 52. Ab *Idiar, Ifiar* viror prati & *Grönn*, † *Græn* q. v.

Ifi pro *Efi* (dubium) H. 109. Vid. † *If*** *Ef.*

Il vid. † *Il.*

** *Innan* intus, foras H. 114. Dan. *inden fra*, Germ. *von innen*, Angl. *from whitin* &c.

Jódýr vel *Jódyr*, * *Jódyrr*, V. 5. Obs. 10. Vid. * *Jór, Jórr* eqvus & † *Dýr* (*Dir*) vel † *Dyr.*

Jotun vid. *Jötun.*

Jóso vid. *Ausa.*

It particula expletiva V. 1.

* *Ívidia* (pl. *ívidiur*) V. 2. Var. p. 195. pro: *Ívidr* V 2. Rite legendum puto *Ývidr* ab *Úr, Ýr* pluvia, udor (Norv. *Yr*) unde *Ýra* pluere (Norv. *Yre*) & pl. ac ** *Vidr* arbor, sylva. Pluvialis autem arbor vel sylva poëtice dicitur mythica illa *Yggdrasill*, coelum ipsum vel aëra metaphorice significans. Vid. * *Ýdalir, Yggdrasill,* † *Úrgr* & Lex. mythol. Verterunt etiam alii *coela, firmamenta*, eadem certe significatione — sed aliis rationibus adductis *).

Iþgiöld vid. *Idgiöld.*

** *Jötun, Jotun* vid. Lex. myth.

Jötunmódr cyclopeus vel giganteus furor. V. 44. *Ásmódr* in Skalda sive Edda juniore divinum fervorem, vehementiam sive majestatem denotat. Vid. *Jötun* & ** *Módr, Móþr* m, * *Móþvgr.*

K.

Kalinn frigore adustus H. 3. Part. pass. verbi (at) *Kala* (*ek kél, kól*) algere, frigore rigere vel aduri. Vid. † *Kaldr,* † *Kuldi.*

*) Joh. Olavius Grunnavicensis in commentario suo legit *Eividr* o: arbor æterna vel perpetua (qvum *i* & *ei* in veterrimis nostris manuscriptis idem valeant). Cfr. observationem nostram ad Danicam Eddæ hujus versionem I, 68. 259.

* *Kalkr, Kálkr* m. (it. *Kalk* n.) calix (v. c.) scyphus, poculum R. 29. Recentioribus Islandis *Kaleikr* *), Dan. *Kalk*, Germ. *Kelch*, Angl. *Chalice*, Bohem. *Kalich*, Pol. *Kielich*, Ung. *Kehely*, Lapp. *Kalk*, Gr. Κυλιξ cfr. *καλχιον*, vas æneum. Sunt inter exteros, qvi vocem *Kalkr* in lingvam islandicam a christianis translatam esse putant **), qvod penitus denegare audeo, sed de recentiore illa *Kaleikur* lubenter tamen concedo. — Occurrit præterea in carmine *Atla-Qvida* str. 35. (T. II. pag. 399.) & Hkr. T. I. pag. 50 (*Yngl. S.* c. 41) Cfr. *Kanna* i.

Kanna cantharus (v. c.) R. 29. Dan. *Kande*, Germ. *Kanne*, Angl. *Cann*, Gall. *Cannette*, Ruſs. & Ungar. *Kanna*, Pol. *Konew*, Lapp. *Kadno*, G. *χοννος*, *κανθαρος*, Sanscr. *Kindi*, *Kandha*, Pers. *Kondy*. Cfr. *Kalkr* s.

Kartr m. plaustrum R. 19. var. cognatum *τῶ Kérra* carrus, *carra*, *carrum*, *carruca*, Dan. & Al. *Karre*, Germ. *Karren*, *Karn*, *Karch*, Angl. *Cart*, *Car*, CBrit. & Armor. *Carr*, *Karr*, Ital. & Hisp. *Carro*, Gall. *Char*, (*Charette* &c.), Bohem. *Kora*, Finn. *Kärry*, Lapp. *Keres*, *Gœres*, Wallach. *Kera*, Alban. *Kierre*, Chald. *Karon*, Arab. *Karron*, Gr. Καρρον.

Kati m. cymba, navicula, vasculum R. 19. Obs. 20. Lat. *Catta*, *Acatius*, Gr. *ακατος* navigiorum species. Cfr. porro Lat. *catinus*.

(at) † *Kaupa* &c. emere (it. mercari) adqvirere H. 83. Adde Svec. *köpa*, Slav. *kupuju* unde *Kupez* mercator & pl.

(at) *Keisa* (*ek keisi*, *keista*) instaurare, erigere, amplificare R. 26. Cfr. *Keis* res convexa ac prominula (translate stomachus exuberans) — it. *Kavs*, *Kös* congeries, congestum qvid.

† *Keyra* &c. (impellere eqvos). *Keyra plóg*, aratrum agere R. 19. Dan. *kiöre Ploven* &c. Hinc Angl. *carry* vehere, portare. Cfr. *Kartr* s.

Kínga f. lunula, fibula R. 26. obsol. Occurrit in lege Haconis Haconidis Islandica (vulgo *Járnsida* dicta, sed nondum impressâ) de hæreditatis divisione: *Rós scal dóttir hafa eda kíngo, hvart sem hún vill, eda brióstbúnad hinn bazta, ef ei er or gvlli gör, oc nisti öll* &c. o: "Filia accipiat, pro lubitu (utrum velit), aut "rosam [auream vel argenteam] aut fibu"lam; aut etiam ornatum pectoris præ"stantisſimum, nisi sit ex auro factus, et "omnes lunulas" [vel pectoralia minora, ex torqve aureo vel argenteo pendentia]. Qvod tamen in ethnicismo vox *Kínga* ornamentum aliqvod muliebre denotavisſet, vidimus ſê *Laxdœlasaga*, qvæ talem rem in sepulchro Valæ cujusdam sive gen-

---

*) Sed tantummodo de sacro calice.

**) Qvamvis certe ingens borealium vocum copia ab antiqvisſimo tempore sono & significantia latinis et græcis ad ungvem conveniat e. gr. *Sól* sol, *Mús* mus, *Salt* sal, salum, *Avxl* (*Axlir*) axilla, *Nasir* nasus, *Bóla* bulla, *eta* (*æde*) edere et permulta alia. Cfr. *Taſla* i.

tilis sagæ unacum baculo grandi magico inventam perhibet. Cfr. *Vala* i. Vox illa sine dubio deducenda est a *Keingr* (*Kingr*) *Kengr* m. curvatura, uncus semicircularis & prominulus; — *Kingia* adhuc in Islandia usitatur de fibulis clitellarum.

Kiörr, *Kiör* m. vel n. virgulta vel paludes R. 43. Dan. *Kiær*, Svec. *Kiärr*, Scot. *Kair*. *Kiör*, *Kiörr* proprie saltus vel locus depressus, virgultis vel salicetis consitus, præsertim circa parvas lacunas, aqva sæpe repletas. Cfr. *Gl. Landn.*

(at) *Klofna* (*ek klofna*, *klofnada*) diffindi V. 49. Vid † *Kliúfa*, * *Klyfia*.

Klök n. pl. voces vel clangor avium R. 41. Dan. *Kluk*, *Klukken* &c. Vid. ** *Klaka*.

Knáttо vid. * *Knega*.

Knúi, *Hnúi* condylus digiti R. 8. Dan. *Knо*, it. *Knoggel*, *Knokkel*, Germ. *Knocke*, *Knöchel*, Angl. *Knuckle*, *Knot* &c.

Knyr vid. ** *Knía*.

Kólfr m. spiculum R. 43: "scapus vel rhopalon; olim species jaculi grandioris, alias *backa-kólfr*, rhopalon ex uno latere instar cultri crassiusculum, uti et in altera extremitate longitudinis suæ." Sic Joh. Ol. Grunnav. qvi in seqventibus, qvæ idcirco omittuntur, hoc teli genus cum altero, qvod *Fleinn* olim sonuit, confundere videtur. *Kólfr* & *Kylfa* (clava) mihi cognata apparent — & sic in exteris lingvis: Dan. *Kolv*, *Kolbe*, *Kövle*, Svec. *Kolf*, *Klubba*, Germ. *Kolbe*, *Keule*, Belg. *Kolf*, *Kolve*, Angl. *Club*, Russ. *Kol*, *Kolb*, Pol. *Kolba*, Lith. *Kuolos*, Pers. *Kailus*, *Kele*, Gr. Κῆλον· Cfr. Scot. *Golf* (Belg. *Kolf*) sphæromachiæ genus, de clavis hamatis, qvi pilas emittunt *) ita dictum. Adde Lat. *clavus* & forte etiam *colus* (cum vetustissima ipsius forma respiciatur).

(at) *Kopa* vel *Kópa* torpere H. 17. Obsol. Norveg. *Kope*. Cfr. *Kópa* f. defectus virium; *Keypar* vagitus puerorum it. *Gapa* hiare &c.

**Kráka* f. H. 85. R. 44 cornix, gracula (v. c.) Dan. *Krage*, Norv. *Kraake*, Svec. *Kråka*, Germ. *Krähe*, Belg. *Krag*, *Kray*, Alam. *Cracce*, AS. *Hroc*, Angl. *Crow*, *Rook*, Turc. *Carga*, Pers. *Kiraga*, Zend. *Kargues*. (Cfr. *Tripart.*)

Kropinn in pl. *kropnir* a verbo *Kropna*, *Kroppna* contorqvi, incurvari, rigescere R. 8. Vid. † *Kravpp*.

Kú acc. sing. v. * *Kyr* vel *Kú* vacca. H. 70 Adde Russ. *Kua*, Lat. celticum vel asiaticum *Ceua*, genus vaccæ humilioris (apud Columellam VI. 23.)

Kvdr vid. † *Kvnnr*.

† *Kvnnigr* adj. callidus, multiscius; vel notus, celebris. Adde Dan. *kyndig*, Germ. *kundig*, Angl. *cunning*, it. (altero sensu) Norveg. *kunnig*, Germ. *kundig*, Angl. *known* cet. Cfr. † *Kunnr*, * *Kyndvgr*.

Kvro V. 18. Vid. † *Kvrom*, † *Kérinn*.

** *Kynni* domus, hospitium H. 17. 30. 33.

(at) * *Kyrra* (*ek kyrri*, *kyrrda*) cicurare

*) Nostrum *Kólfr* Haldorsonio audit sagitta ex balista emittenda.

(v.c.) domitare vel sistere R. 43. *Kyrra vind* Tranqvillum reddere ventum H. 157. *Kyrra ellda* restingvere ignes R. 41. Vet. germ. *Kirren.* A **Kyrr*, *Kirr* qvietus unde etiam Norvg. *Kyrr**) (Svec. *Qvärr*, *Qvar*) *Kyrrd*, *Kird*, qvies. Arab. *Kirar.* Cfr. Scot. *Kir* lætus.

Könno, vid. *Kanna.*

L.

Lá f. sangvis V. 16. Cfr. *Járn-Lá* iricolor libella stagnantis aqvæ martialis, it. *Laut*, *Hlaut* s. Forte rectius humor, fluidum, qvod tamen eandem verbi notionem accipere posset. Johannes Olavius Grunnavicensis *Lá* nostri pro *cæsarie* sumsit, et non qvidem omnino absurde, qvamvis priores vocis significationes hic præferendæ sint. Vid. *Glofs. Diatr.*

Lángnidiar majores, atavi V. 14. Vid. † *Lángr* (longus, longinqvus) & † *Nidr* (cognatus).

Lángvinir veteres amici H. 159. Vid. † *Lángr* & † *Vinr.*

Lavg, *Lög* leges (v. c.) V. 18. in sing. *Lag* lex (obsol.) Svec *Lag*, *Lagh*, Dan. *Logh*, *Lov*, AS. *Lag*, Angl. *Law*, Gäel. *Lagh*, Gall. *Loi*, Ital. *Legge*, Lapp. *Laga*, *La*, Finn. *Lai*, Chin. *Lie.*

† *Laukr* m. qvævis herba viridis & succulenta V. 5. Alias proprie allium, cepe, porrus, (Norv. *Lauk*, Svec. *Lök*, Belg. *Look*) — hic synecdochice pro herbis omnibus positum **). De maxima allii inter veteres Scandos æstimatione vide Obs. nostram T. II. p. 59. Usitatum igitur fuit de potissima parte rei alicuius. Hæc porro adfert b. *Magnus Ketilli* in commentario ad hunc locum: "*Ættarlaukr* gentis vel generis præstantissimus. — — Hinc translate in qvotidiano sermone pingvedo illa tenerrima & gratissima, corio animalium proxima, qvâ caro obducitur. Cfr. Glofs. Orkn. S. voce *Laukr*" ut et doctissimi ac mihi amicissimi viri *Roberti Jamieson* observationem in libro: *Illustrations of northern Antiqvities Edinburgh* 1814. 4. pag. 330-31.

Laun n. pl. retributio, merces H. 59. Dan. *Lön*, Germ. *Lohn*, Alam. *Lon*, AS. *Lean.* MG. *Laun.* Cfr. *Lán* mutuum cet. a verbo ** *Lid.*

Lausúng f. animi levitas H. 42. vanum, vaniloqvium H. 45. AS. *Leasunge.* Vid. *Laufs* (AS. *Leas* falsus, fallax).

(at) † *Leggia* &c. — *Leggia sakar* dirimere causas, supprimere contentiones V. 58.

Leifr vid. *Hleifr.*

---

*) Hæc verisimiliter a verbo *Kúra* unde Svec. *Kura*, Angl. *Cowre* CBrit. *Cwrriau* & pl.

**) *Laukr* interdum a poëtis de malo navis classicæ usitatum invenitur, uti etiam *Lauka-gardr* a scriptoribus prosaicis de qvovis horto.

Leikinn versatus (ludendi peritus) V. 20. Vid. ** *Leika* it., *Leikr* ludus (adde Alaman. *Leige.*)

(at) *Lesa* (*ek les, las, lesinn*) loqvi, confabulari H. 24. precari, orare H. 137. Alias legere (utroqve sensu). Vide † *Vídles* (in nota). Adde Dan. *læse*, Svec. *läsa*, Germ. *lesen*, Gall. *lire* (*lis*), Gaël. *leugh*. Cfr. AS. *læsian* pascere, *lesan* colligere Svec. *läsa* (MG. *lisan*), Angl. *lease* & MG. *laisjan* docere.

(at) † *Leyfa* (*ek leyfi, leyfda*) laudare H. 81, 92. Recentioribus *Lofa*, Svec. *lofwa*, Germ. *loben*, AS. *lofian*, Scot. *love*. *loue, loive, luif, luff* *). Ab Isl. † *Lof* (laus) H. 52, Dan. *Lov*, Germ. *Lob*, Al. & MG. *Lob*, Svec. & Belg. *Lof*, Scot. *Lof*, *Loif*, *Loff*, Gall. *Loue*, Slav. *Slava*.

** *Lid* n. symposium, potus vel poculum H. 66. Adde Svec. & Alem. *Lid*. Hinc deducit doctiſſ. *Ihre* Svec. *Lidköp* (pignus emtionis solenni potu firmatum) Germ. *Litkop*, Dan. *Ligkiöb*, L. Barb. *mercipotus*.

* *Líki* forma, corpus V. 32. — ** *Lík* forma H. 92. facies H. 97. Adde Ruſs. *Lik* facies Illyr. *Lice*, Arab. & Pers. *Likâ* facies, forma, vultus.

Líknargaldr m. salutaris cantus (carmina) H. 122. Vid. ** *Líkn* & ** *Galdr*.

Líknfastr stabilis in favore (vulgi). H. 125. Vid. ** *Líkn* & ** *Fastr*.

† *Líknstafir* propitii sermones H. 8. Vid. ** *Líkn* & ** *Stafr*.

† *Lín* n. linum, linteum (v. c) Adde Slav. *Len*, Gall. *Lin* &c., Gaël. *Lion* Norveg. *Lin*. R. 37. Cfr. ** *Hörr*, *Hör*.

† *Lind* f. hasta R. 32.

Lióni vir. V. 13. Skalda testante sic præsertim appellantur viri, qvi homines reconciliandi causa intercedunt; — etymon mihi ignotum est, nisi qværendum sit in *Hlie*, *Lé* immunitas a vento vel hoste, unde *Vopnahlé* induciæ — vel etiam in *Liódr* populus (qvasi dixeris *Liódnar* viri populares). *Joh. Ol. Grunnav.* vocem hanc non absurde deducit a *Liód*, *Hliód* silentium (qvies).

Ljóri m. fenestra (pinnaculi) V. 34. Norveg. *Ljór*, *Ljur*, Svec. *Ljura*, Angl. *Loover*. Qvibusdam â *Liós* (lumen). Vid. *Gloſs. Landn.*

Litir nom. pl. † *Lito* acc. pl. a ** *Litr* color **) (Norv. *Lit*) forma H. 108. *Litir* colores V. 16. vultus H. 92. Adde Slav. *Litsche* facies, Zig. *Litschoz* MG. *Ludja*, *Vlit*. Plura scotica vide sub *Læti* i. *Litr* color (Norv. *Lit*) Svec. *Lit*, *Let*, Gaël. *Ligh* convenit, Arab. *Lit*. Cfr. *Andlit* s.

Liva pro † *Lifa* (vivere) H. 150.

Lof laus vid. *Leyfa* s.

---

*) De verbo *Leyfa* amare vid. Gl. T. II. Est autem Angl. *love* &c.; adde sanscr. *lobh-itum*. Cfr. † *Liúfr*, *Leifr* (carus) &c.

**) It. tinctura unde etiam Norv. *Lit*, Scot. & Angl. bor. *Litt* tinctura, (to) *Lit*, *Litt* tingere (isl. & Norv. *lita*) Svec. *letta* (olim *lista*, *litta* & pl)

Lopt, Loft, aër V. 23. Adde Svec. & Alem. *Luft*, Scot. *Lift*, *Lyft* *), Belg. *Locht, Lucht.*

Lostfagr adj. venustus H. 93. A *Losti* voluptas (de qvo sub † *Lostvgr*) & ** *Fagr.* Cfr. porro Glofs. Diatr. voce *Losti.*

Lotr adj. incurvus R. 8. Vid. * *Lútr*, † *Lúta.*

Lykia vid. † *Lúka.*

** *Læ* n. malum, pestis H. 138. Cognata sunt. AS. *Læva* proditor & pl. Cfr. *Lœvi*, *Lægiarn.*

Lœgiarn adj. perfidus, fraudulentus V. 32. Hic, per enallagen. pro *Lœgiarnt* (*líki*). A *Læ* s. & ** *Giarn.* Cfr. *Lœviss.*

Lœknar vid. † *Lœknir.*

* *Lær* n. femur, (ovis, suis, jumenti vel feræ) H. 58. femur, perna H. 67. Adde Dan. *Laar*, Svec. *Lår*, Germ. infer. *Lurre.*

† *Læti* pl. gestus V. 16. (cfr. Obs. 26). Adde Svec. *Lath; Later*, Scot. *Layte, Lait, Late, Lete* a) gestus, b) facies, vultus; cfr. *Litir* s.

Lœvi aut n. per se, aut etiam dat. τοῦ *Læ* malum, pestis (it. sangvis) s. V. 23. cfr. *Sviga-Lœvi* i. & *Læ* s.

Lög vid. *Lag.*

M.

Magi m. venter, H. 20. Dan. *Mave*, Norv. *Magje*, Svec. *Mage*, Germ. *Magen*, AS. *Maga, Mage*, Alem. *Mago*, Belg. *Maeg*, Angl. *Maw*, Scot. *Moggie*, Finn. *Maco, Maha.* Cfr. CBrit. *Magu* nutrire & Gr. σόμαχος, Lat. *sto-machus.*

Magr adj. macer (v. c.) macilentus H. 83. Dan. *mager, maver*, Svec. & Germ. *mager*, Alem. *magar*, Belg. *mager*, AS. *mœgre*, Angl. *meager*, Gall. *maigre*, Ital. & Hisp. *magro*, Ebr. *mak* (cfr. *Tripart.*)

Málvgr adj. multiloqvus H. 103. Vid. ** *Mál* (vox) & ** *Mæla* (loqvi).

Málúngr m. prandium H. 67. Vid. ** *Mál* (tempus cet.)

** *Máni* luna V. 5. Adde Svec. *Måne.* Cfr. *Túngl* i.

Manngi vid. † *Mangi.*

Mannlíkan n. humana forma V. 10. A ** *Madr (Mannr)* & *Líkan* forma simulachrum vid. *Líki* s. & † *Líkr* (similis).

Mánvdr m. mensis R. 7. sq. Vid. ** *Máni.*

Manúng adolescentula H. 165. Vid. ** *Man* (puella) & † *Úngr.*

Manzkis aut *mans enkis* (nullius puellæ) aut idem qvam * *Mannscis* (H. 149) (nullius hominis) H. 116.

Margfródr adj. multiscius H. 103. Vid. † *Margr* & ** *Fródr.*

Máttkr vid. ** *Mátkr*, — adde Scot. *mauchty, maughtig* (a *Maucht* isl. † *Máttr*,

*) Hinc etiam Angl. *Lofty* sublimis.

Makt, Slav. *Moguta*, *Mostsch*) Slav. *Mogutnyi*.

Medalsnotr adj. mediocriter sapiens H. 54. a †*Medal* medium; mediocriter (in compositis) & †*Snotr*.

Megandi vid. †*Mega*.

†*Megin* n. vis vel mansio V. 5. (Obs. 11). Notanda porro versio *Joh. Ol. Grv.*: "Neqve luna, qvantum sibi virium esset, perspectum habuit". Cum *Megin* domicilium (raro in nostratium scriptis occurrente) cfr. Chin. *Mien*, domus.

Megindómar magna fata, gesta vel decreta. V. 53. Vid. †*Megin* & †*Dómr* (qvod etiam certas res interdum significat e. gr. *helgr dómr*, sacræ reliqviæ & pl.)

Meginligr adj. solemnis, magni momenti V. 24. Norv. *Mœjale*. Vid. †*Megin*.

Meinsvari perjurus V. 35. Vox hæcce occurrit (de genere giganteo) in carmine *Thorsdrapa*, ethnicismo indubie tribuendo. Vid. edit. *Sc. Thorlacii* p. 18. 64. Dan. *mensvoren*, AS. *mansvara*, Scot. *mènsworn*. Vid. ** *Mein* & †*Sveria* (Svec. *swärja*, Belg. *zweeren* *).

†*Meirr* porro R. 4. & sq.

**Merktr* variegatus R. 28. Vid. †*Merkia*, †*Marka* (adde Svec. *märkia*, Armor. *merca*).

Metnadr m. fastus H. 79. Vid. †*Meta* (Svec. *mäta* vet. Dan. *mætæ*) **Metinn*.

***Mey* virgo, fœmina V. 18. &c. Adde Alem. *Meid* (unde recent. Germ. *Maid* &c.) Normanno-Sax. *Mai*, Scot. & vet. Angl. *May*. Cfr. Lex. mythol. V. *Meyar*, *Mær*.

Midgardr vid. Lex. myth.

Mikilstí pro *tilmikit* nimium H. 66. Vid. †*Mikill* & ** *Tíl* (nimis).

Minnigr adj. (jam *minnugr*) memor. H. 103. Vid. ** *Minni*.

Miófingerdvr (virgo) teneram zonam gestans; intra zonam tenera R. 36. †*Miórr* (tener) & *Gérdar*, *Giörd* cingulum, zona. Vid. †*Girdir*.

Mistilteinn vid. Lex. myth.

Miöll f. nix (purissima) R. 26. Norv. *Mjeld*, *Mœlen-Snee*, forte cognatum voci *Miöl* far. Cfr. **Miallhvítr* (Svec. *mjällhvit*)

Miötvdc verisimiliter pro *Miötud* modum H. 60. A *Miöt* medium. Cfr. ** *Miötudr*, *Miötvidr*.

Miötvidr m. centralis arbor (o: *Yggdrasill* q. v.) V. 2. (Obs. 4.) **) V. 62. Var. (cfr. p. 195. 203). A *Miöt* medium & ** *Vidr*. Cfr. *Miötvdc* s.

Moldþinvr angvis terram cingens ***) V. 53. A ** *Mold* (pulvis, terra) & *þinvrr* idem

*) Cfr. Sorab. *swariu* exsecror, it. isl. *særa*, Svec. *swœria*, *beswöria*, Dan. *besvœrge*, Germ. *beschwören*, Alem. *pisuueran* &c.

**) Appellatur alioqvin **Adalþollr* arbor primaria vel præstantissima, *Aldrnári* seculi vel populorum nutritor pp.

***) Vulgo dictus *Midgardsormr* vel mundanus serpens. Edda prosaica eventa eadem ita refert: *Setiaz þá* (*Æsir*) *allir samt ok minnaz á rúnir sínar oc ræda um öll tídindi þau er höfdo verit, um Midgardzorm* &c. o: Tunc omnes Asæ considunt & mentionem facient runa-

qvam *þinvll* expanditor, extensus, a *þenia* pandere, tendere *) o: angvis, serpens. Hesych. τηνος (tinos), Hebr. *Thenen, Thanin.*

Mordvargr m. sicarius, homicida V. 35. (ad verbum: lupi instar avidus cædis). Vid. † *Mord* & ** *Vargr.*

** *Mvnr* m. voluptas (amica exoptata, carisſima) H. 96; alias mens, Svec. *Mon* &c.

(at) ** *Mæla (sér) man* exorare (promisſis adqvirere) puellam, H. 98.

Möran, Mörr cet. vidi † *Mœrr.*

Mösmar res præstantes R. 35. Forte a *Mötr,* † *Mœtr* præstans unde, etiam † *Mœti* (*Möti*) bona cimelia. *Mösr* fuit ligni pretiosisſima et exotica qvidem species apud veteres Scandinavos nota; qvalis autem fuerit, nobis jam non perspicuum **).

Möztr, Mœztr (præstantisſimus) Vid. † *Mœtr* (Norv. *Mœt*).

N.

(at) ** *Ná* obtinere cet. H. 30. 68. (Dan. *naae, opnaae* &c.)

* *Nanna* f. nympha, fœmina, puella (pl. *Nönnor, Navnnor*). Est forte derivandum a verbo * *Nenna* ***) V. 28. Vir qvidam, alioqvin doctus & ingeniosus, vocem hancce nuperrime legit *nunnor* n. sing. *Nunna* (nonna, virgo christianis sacra) qvæ ab illâ toto cælo differt ****). Cfr. Lex. myth.

---

rum (mysteriorum) suarum & colloqventur de eventis qvæ accesſerant, de angve mundano &c. In cantilena Ulfi Uggonidis de eodem mythico serpente, in skalda nobis conservata, Midgardicus serpens *Stird-þinvll* (rigidus expanditor vel stricte extensus) appellatur. Nihilominus alia hujus loci versio jam mihi in mentem venit, hæcce nempe: *þinurr* atavis nostris arbor poëtice audiit, *Mold* autem sæpe terra ipsa vel mundanus orbis. Sic *Mold*þ*inurr* forte vertendum: *terrestris* vel *mundana arbor* i. e. Ygdrasill & sensus periodi (*ok vm mold*þ*inur múttkan dœma*) huc immutabitur; Et (Dii) circa (apud) mundi prævalidam arborem colloqvium (sive judicium) exercebunt. Vide T. I. pag. 55 & Eddam prosaicam Ed. Holm. pag. 17 (de judicio Deorum qvotidiano apud Ygdrasillum arborem). Cfr. Versionem danicam Eddæ Sæmundinæ T. I. 177. 261. De voce *þinurr*, *þinr* arbor (qvæ Skaldæ forte fraxinus) vide Glosſarium *Nialæ.*

*) Germ. *dehnen*, AS. *þenian*, Pers. *teniden*, Gr. τεινω, τανυω, τανυμι, Lat. *tendere.*

**) Secundum aliqvos referendum ad Germ. *Maüszdorn* (ruscus) alios autem ad Svec. *Masur*, CBrit. *Másaru*, Germ. *Massholder* acer; cæt. vide *Ihre* v. *Masur.*

***) *Nenna* adgredi, adplicare animum ad aliqvid: Dan. *nenne*, Svec. *nænna.* 2) translate Svec. *nænna* audere Alam. *nennan, nendan* accedere; hinc nobis *nenninn* aggrediens, it. assiduus, studiosus p. p. *Gloſs. Synt.*

****) *Nonno* pro *Nunnu*, qvod interpretes T. I. se in carminis *Hrafnagalldr* apographo uno offendisſe putarunt, certe legi debuit *Nönnn*, (*Navnno*); sic veteres scribunt *Jotvn, Jötun,*

Navnnor vid. *Nanna.*

Naubr, Naudvr (alias ***Naud, Neyd*) necesſitas H. 157. Adde Alem. *Not*, Belg. *Noodt*, Pers. *Nidz.* Cſr. Lex. mythol.

† *Nedan* inferne V. 59. Adde AS. *neothan*, Alem. *nidan*, Gr. *νειοθην.*

Neiſs adj. contumeliæ obnoxius vel potius: pudibundus H. 49. Hinc Norv. *Nœise* opprobrari. Vid. † *Óneisinn, Óneiſs.*

Neppr adj. nutans, curvus, contortus V. 50. — alioqvin *Hneppr*, — a verbo *Hneppa* constringere; hinc *neppilega* ægre (Dan. *neppe*); — cognata sunt *Nappr, Knappr*, arctus, asper unde Dan. *knap* adj. & pl. Cfr. * *Hnípinn*, * *Hnipinn*, † *Hnipna.*

* *Nesti* n. viaticum H. 74. Norv. *Niste*, Svec. *Næst* verisimiliter AS. *Nest.* Proprie, ut puto, de pera cibariorum sive mantica dictum, a *nísta* figere vel *nista* annectere. Cfr. † *Vignest, Vegnest*, † *Veſnistíngr.*

Neycqvidr pro † *Neycbr, Naktr* recentioribus * *Nakinn* (in pl. *Naktir*) nudus H. 49. Adde Germ. *Nackt, Nacket, Nackigt*, Angl. *Naked* &c.

Nid, Ntd * *Nib* n. pl. interlunium V. 6. Cſr. † *Nídmyrkr* & *Nídhöggr* in Lex. myth.

† *Ntd* contumelia, convitium, violatio V. 50.

Nidurbiúgr procurvus, aduncus (de naso) R. 10 *). Vid. † *Nidr* (deorsum cet.) & † *Biúgr* **).

Noccor vid. † *Nockr.*

Javtun &c. Cæterum substantivum masculinum *Nunnr* potens, pollens, occurrit in ethnicorum poetarum carminibus — unde fæmin. *Nunna* formari potuit, qvamvis sane diversum tunc foret a voce peregrina *Nunna*, posteriore ævo de ascetis sive sacris virginibus Christianismi usitata. Cfr. Gl. N. voce *Nunnr* (qvod verisimiliter derivandum est a verbo *Nenna* ut *Runnr* à *Renna, Kunnr* à *Kenna)* &c.

*) Ad hunc vetustisſimi nostri poëmatis locum, de servilis turbæ originibus agentem, revera alludisſe videtur Stefnerus Thorvaldi, poëta islandicus sec. 10 & 11mi, in cantilenâ, qvam domini sui proditoris, Sigvaldi Comitis, conspectu irritatus, in proprium exitium pepegit:

Nidurbiúgt er nef
Á nidingi þeim
Er Svein Kóng
Sveik or landi
Ok Tryggva son
Á tálar drò. ɔ:
O! Aduncus est nasus
Foedifrago illi,
Qvi Svenonem regem
Pellexit e regno
Et Trygvi filium
Fallaciis irretivit.

Vid. *Kristnis.* & *Ol. Tr. S. S.* Ed. Scal.

**) Aliud isl. *Biúgr* m. curvamen &c. (vulgo * *Bugr*). Adde Alem. *Piuge* id. Germ. *Bug, Beugung*, Angl. *Bow, Bowing* &c.

Nordan; fyr nordan ad septentrionem; boream versus V. 33. Vid. † *Nordr.*

* *Ný* n. pl. novilunium V. 5. Adde Gr. νεω. Cfr. *Nýr.*

Nýfelldr (vir) recens dejectus H. 87. Vid. *Nýr* & ** *Fella.*

(at) *Nýsaz, Hnýsaz (ek nýsiz, nýstiz)* specular H. 7. A *Nýsa, Hnýsa* (activa formâ ek *nýsi, nýsta*) obsol. H. 103. Cfr. † *Niósn*, † *Niósna* (a *Nýr* novus, genit. *Nýs* & cet.) qvasi dixeris nova qværere vel explorare.

Nýtr adj. strenuus H. 100. cfr.

Nýtsamligr adj. utilis H. 156. Alias *Nytsamr*, * *Nýtr.* Dan. *nyttig*, Germ *nütz, nützlich.* Vid. * *Nyt, Nytiar* (Dan. *Nytte*, Germ. *Nutz, Nutzen* &c.) a † *Nióta* (frui).

Nœfr, Nœfvr n. liber (arborum) H. 60. Dan. *Nœver*, Svec. *Nœfver.* (*Næf* alias involucrum; forte a *Nær* prope, qvum liber stirpi cortice propior sit). Cfr. Gr. νεγω tego.

O.

Óaudigr inops H. 75. A particula privativa: *Ó, Ú* & *Audigr* s.

Óbedit non oratum H. 148. A part. priv. *Ó, Ú* & † *Bidia.*.

Óbrigdr fidus, firmus, constans H. 6. A. p. priv. *Ó, Ú* & *Brigdr* s.

Óbryddr adj. (eqvus) calceis hamatis non instructus H. 90. A part. priv. *Ó* & verbo *Brydda*, cuspides vel clavos formare aut infigere, qvod iterum a ** *Broddr* pl. *Broddar* solea eqvi ferrea (obsol.) unde aliud hodiedum usitatum *Mann-Broddar*, soleæ clavatæ hominum ambulantium per lubricam glaciem; clathri cuspidati.

† *Ódal* n. allodium (v. c.) hæreditaria possessio, fundi aviti, R. 45. Adde Scot. *Udal* unde *Udalman* (isl. norv. *Ódalsmadr*, *Odelsmand).* Cfr. vett. legum Dan. *Athel*, Svec. *Adhul, Adhal, Odhal, Odal* it. Slav. *Udjel* distributio (an proprie olim fundorum, armis acqvisitorum?) Pers. Indostan. *Udalut* nobilitas; legum indicarum *Adju*, posfesfiones, qvas vendere non licet (odalicis idcirco in septentrione similes). Cfr. *Adal* s. & † *Audr* (Svec. *Od, Öd*, AS. *Aith, AEt* possessio).

Ódalvellir hæreditarii campi vel fundi R. 33. Vide *Ódal* s. & † *Vavllr.*

Ódr m. ratio, ingenium V. 16. Joh. Olav. Hypnones. in Gl. Diatr. vocem hanc & pl.*) deducit a verbo *Uda, (unna)* indulgere,

*) Nempe *Audr* posfesfio, opes, *Adall, (Adal)* indoles, genus — qvæ omnia bona & dotes sunt, nobis a benigniore natura sive fortuna oblata.

concedere (qvasi fati, fortunæ vel numinis munus). Cfr. Lex. myth. voce *Ódinn.*

Ódœll adj. difficilis; — *ódœlla* minus tutum H. 8. Ab *Ó, Ú* p. priv. & † *Dœll* facilis.

Ofarla (pro recentiore *ofarlega*) verbotenus: superne, in supera (corporis) parte (ɔ; capite vel collo) — allegorice dicitur de capitis vel vitæ periculo vel capitali poena H. 120.

Ofblótit nimis immolatum H. 148. Vid. † *Of* (nimis) & ** *Blóta.*

Ofdryckia f. nimia temulentia H. 11. Vid. † *Of* (nimis) & ** *Dryckia.*

Ofrölvi immodice ebrius H. 14. (Cfr. *Ölvadr*, * *Avlr*, * *Avldr* ebrius — Norv. *Öllen*). Ab † *Of* (nimis) & *Öl* † *Avl.*

Ofsóit nimis profusum vel consumtum H. 148. Vid. † *Of* (nimis) & *Sóa* i.

Ofvarr adj. nimis cautus H. 133. Vid. † *Of* (nimis) & ** *Varr (Var).*

Ógott (m. * *Ógódr* f. *Ógód*) importunum, verbo tenus: non bonum. AS. *Ungod*, Angl. *ungood*, Germ. *ungut* &c. A p. priv. *Ó, Ú* & ** *Gódr.*

Ógörla imperfecte, parum H. 134. A part. priv. *Ó, Ú* & † *Görla.*

Óhapp (pl. *Óhavpp*) n. infortunium H. 119. Vid. ** *Heppinn* (Norv. *Heppen*). Adde Norv. Sunm. *Oheppe.*

Ókynni n. vitium, delictum H. 19. Verisimiliter ab *Ó, Ú* part. priv. & ** *Kvnna.*

Ólagat non temperatum, confectum H. 66. Dan. *Ulavet.* A p. priv. *Ó, Ú* & † *Laga.*

Óqvídinn non metuens V. 50. A p. priv. *Ó, Ú* & *Qvídinn* meticulosus, qvod iterum a † *Qvída.*

Óra vel *Öra* insultare, furere; infestare; infestum esse H. 32. Obsol. Cfr. Norv. *oras* altercari vet. Svec. *Oran* inimicitia, hostilitas. Vid. ** *Ör (Ær).*

Ord vid. *Orþ.*

(at) * *Orka (ek Örka, Orkada)* uti vel agere, efficere H. 82. Adde Dan. *orke, aarke*, cfr. Angl. *work.*

Orztirr fama H. 76. Vid. † *Ord* & † *Tir.*

* *Orþ*, † *Ord* n. proprie verbum &c. fama (secunda) vel potius: sermocinatio, facultas loqvendi H. 4.

Ósánir pl. (in sing. *Ósáinn*) non seminati (agri) ɔ: frumentum insativum ferentes V. 55. A p. priv. *Ó, Ú* & verbo *Sá* serere; vid. † *Særi.*

Ósennt pro *Ósendt* non misfum H. 147. Dan. *usendt* &c. A p. priv. *Ó, Ú* & † *Senda.*

Ósialdan non raro V. 19. Dan. *usielden.* A p. priv. *Ó, Ú*, & † *Sialdan.*

Õskævp pl. nefas, H. 98. A p. priv. *Ó, Ú* & † *Skavp, Sköp.*

Ósniallr, úsniallr adj. ignavus H. 16. 48. vet. Dan. *usnial*, recent. *usnild.* A part. priv. *Ó, Ú* & † *Sniallr.*

Ósnotr adj. insipiens H. 24. 25. AS. *unsnotr.* Ab *Ó, Ú* & † *Snotr.*

Ödlaz, Öþlaz, Avdlaz (*ek ödlaz, ödladiz*) obtinere, adqvirere R. 42. Vid. * *Öþli*, ** *Eþli*, *Edli*, *Andr.* Cfr. *Glosf. Synt.*

Öflgr vid. † *Avflgr.*

Ökvinn, Öckvinn globosus, grumosus vel etiam tumidus, coagmentatus (de pane aut libo) R. 5. Sic *Joh. Olav. Grunnav.* (legens *ökumleif*) de hac vocula; "*Ökkum*

hic est verbale *Ökkun* coagmentatio, a verbo (*at*) *acka* condensare & congerere . . hinc qvibusdam *ökkr* m. est *callus*, nisi per aphæresin idem ac *köckr*, gleba vel globulus. *Ökkun*, f. genitivum, dat. *ökkunar*, syllaba vero *ar* hic propter compositionem est ablata & n. mutatum in m. euphoniæ causa &c." Lego simpliciter *ökvin*, *ökkvinn*, vocem deducens à prædicta *ökkr* tumulus, callus, tumor it. verruca. "Panis vel placenta crassior aut vilior verrucis vel tumoribus plenus sæpe evadit," *G. Pauli* conjecit legendum esse *öskum* (qvasi *öskvinn*) o: panis in cinere vel prunis coctus.

Ör f. (pl. *Örvar*) sagitta R. 25. Vid. *Avr.*

Ör, *Avr* n. cicatrix R. 10. Dan. *Ar*, *Arr*, Svec. *Aerr*, Alem. *Arbe*, Angl. bor. *Ar*, Scot. *Arr*, Finn. & Esth. *AErpi*. *J. Olav. Hypnon.* in *Glosf. Synt.* derivandum conjicit ab *Ör*, *Avr* sagitta, ut Gr. βελος (isl. *Böl*, *Píla*, Dan. *Pil*, Germ. *Pfeil* &c.) telum et ictus teli.

Örlöglaus fatis destitutus V. 15. Vide † *Avrlög* *) & *Laufs.*

Örn (olim m.) aqvila H. 63. vid. * *Avrn.*

Örvan (largum) H. 39. Vid. † *Örr*, *Or* adj.

Ötvl, *Avtvl* vid. † *Atall.*

P.

Plógr m. aratrum R. 19. Dan. *Plov*, Norv. & Svec. *Plog*, Alam. *Pluog*, Germ. *Pflug*, Belg. *Ploeg*, Angl. *Plough*, *Plow*, Pol. *Plug*, Bohem. *Pluh*. Lat. barb. Longob. *Ploum*. Cfr. Glofs. *Orkn. S.* voce *Plógland*. it. *Ardr.*

Q.

Qveþv pro *Qved* þú (censeas) H. 129. Vid. † *Qveda.*

R.

Rádsnotr adj. consultus H. 64. Vid. † *Rád* & *Snotr.*

Rádspakr adj. consilio sagax H. 102. Vid. † *Rád* & † *Spakr.*

Rás pro *Hrás* (crudi) H. 154. Vid. ** *Hrárr.*

(at) ** *Rata* a) peragrare H. 5. 18. b) ruere V. 47.

Rati vid Lex. *Myth.*

*) Cfr. porro Norv. *Aarlaag* labor certo vel definito tempore expediendus it, Svec. *Örlig* prælium, bellum AS. *Orleg*, Alem. *Urliug*, Belg. *Orlog*. Qvod Nornæ sive Parcæ & Valkyriæ aut Bellonæ, illarum sorores, olim bella hominibus maxime fatalia dirigere crederentur, notissimum est.

Ravgna pro † *Ragna* H. 145.

Ravk, Röh n. pl. primordia, causæ originales H. 148. proprie explicationes, evolutiones, a verbo † *Rekia* cfr. ** *Ragnaravk* & AS. *Race, Racu* expositio, narratio.

Raukstólar elatæ sellæ (ê primaria nostra versione). R. 6. Deduxi vocem istam a *Raukr, Hraukr, Hrókr,* cumulus, strues, rogus (v. c.) Svec. *Roge, Roke, Rök,* AS. *Ricg, Hreak,* Angl. *Reek, Rik,* Finn. *Rauckio, Ruco* vet. Belg. *Rock,* & *Stóll* (sella). Alii aliter. Sic *Joh. Olav. Grunnav.* legens *Rökstólar* & recte igitur vertens: sellæ ratiocinativæ ɔ: judiciales; *Ketillius* similiter, reddens, *sapientia sedilia* ɔ: tribunalia. Biorno Haldorsonius ê contrario *Raukstólar* (a *Reika* ambulare, moveri vel *Reykr* fumus *), Norv. *Rauk Röik,* Svec. *Rök,* Belg. *Rook*) transferens: tribunalia mobilia vel fumantia i. e. nubes. Nubes reverâ hic intelligi videntur, nostra qvidem etymologia illæsâ.

Ravm vid. † *Ramr.*

Rédz vid. † *Rddaz.*

** *Regin* vid. Lex. myth.

Regindómr magnum vel divinum judicium V. 58. Vid. ** *Regin* & *Dómr.*

Reginkvnnr adj. theologicus vel principalis (ad verbum: diis vel principibus notus) H. 80. Vid. ** *Regin* & † *Kvnnr,* cfr. † *Reginkvngr.*

Reifr adj. alacer H. 15. forte idem qvod *rifr, ryfr* liberalis (Aleman. *ryve, ryfe*) vel *hreifr* hilaris H. 103.

Reist pro *risti* — vid. ** *Rista.*

(at) *Rekaz* se mutuo exagitare (de pluribus) H. 32. Vid. † *Reka.*

(at) ** *Renna* &c. exoriri H. 142. (al. currere &c.).

Reyr, Reyrr m. arundo H. 96. Dan. & Svec. *Rör,* Germ. *Rohr, Ried,* Alem. *Ror, Riet,* AS. *Reod, Hreod,* Angl. *Reed,* MG. *Raus,* Gall. *Roseau,* L. Barb. *Rausea.*

(at) *Rida* (*ek rida, ridada*) titubare, motitari R. 18. Cfr. † *Rida.*

Rifr m. jugum textorium vel liciatorium R. 15. vetus Svec. (ut videtur) *Ri, Rif.* Est forte deducendum a verbo perantiqvo † *Reifa* velare, involvere, qvum telâ circumvoluta tegatur. Cfr. Gr. ῥηπαι, ῥοπτρον, ῥιψ & pl. ut et † *Rif* s. ac. Gl. N.

*Rift, * Ript* f. stragulum, velamentum H. 49. AS. *Rift, Reft, Reaf* & pl. Svec. *Rif* **). Ob qvadratam formam convenisse puto vestimentis illis qvæ Celtis olim *Saga* audiere sed Scotis hodie *Plaid,* iis non absimilia qvæ â nobis *Shawls* appellantur & huc ex oriente adportantur in fœminarum usum, qvamvis revera pertinent ad virilem in Asia habitum. Cfr. * *Ript, Ripti* i. † *Reifa* s. & Gl. N.

---

*) *Rak* alioqvin humor; *Raki* mador vapor *Rekia* pluor &c. Hinc Scot. *Rak, Reuk* atmosphæra humida, *Roik* caligo & pl. Cfr. * *Reykr.* † *Riúka* it. Pers. *Rache* vapor Svec. *Rök,* (e celeb. *Ihrei* observatione).

**) Cfr. vet. Germ. *Raub,* Gall. *Robe.*

†*Riki* n. potentia H. 159. (cfr. supra pag. 149.) Adde vet. Dan. *rikær* potens.

Riódr adj. rubicundus (facie) R. 18. Vid. †*Raudr*. Adde Sanscr. *Rudhir*.

†*Ript, Ripti* n. linteum, velamen, stragulum. Cfr. Hisp. *Ropa* id. R. 18. Vid. *Rift* s.

Ristíng f. incisio H. 113. Cfr. Dan. *Rids, Ridsen*, Germ. *Riz, Rifs* &c, Vid. ** *Rista* & *W. C. Grimm über deutsche Runen* 1821 p. 73.

(at) *Ríþa*, †*Rída* &c. in sublime tolli H. 138. (Alias eqvitare &c.) Cfr. *Rida* (*Riþa*) s.

Rockr m. colus R. 16. Dan. *Rok*, Svec. *Rock*, Germ. *Rocken*, Angl. & Belg. *Rock*, Ital. *Rocca, Roccia*, Hisp. *Roca, Rueca*, Finn. *Rocki*, Hung. *Rokka*, Gr. B. ῥόκα. Circa etymon cfr. †*Rekia* (retexere, explicare, evolvere), unde *Rak* (*Rök*) *).

Rótlaufs adj. radicibus defectus H. 85. Vid. †*Rót* (Svec. *Rot*) & ** *Laufs* (Svec. *Los*).

Rún f. arcana confabulatio, mysterium H. 117 unde:

** *Rúnar* pl. mysteria (scientiæ, sermones vel literæ) V. 53. Literæ vel characteres (mystici) H. 80. magici aut religiosi sermones vel characteres H. 139. 145-47. 160. Artes absconditæ (mysteria) R. 40 (Obs. 44). Scientiæ R. 42. Adde Theotisc. vel Alaman. *Chi-runi* mysterium, Scot. *Roun, Roune* Literæ, characteres, sermo, narratio. Cfr. porro (cl. Müntero observante) Arab. *Runah, Runeh; Alruni* saga, venefica Vid. *Ryna* i. & *W. C. Grimm* l. c. pag. 67-75.

Rúna f. uxor (proprie collocutrix, fœmina arcanorum particeps ɔ: uxor vel sponsa) a m. *Rúni*, V. 35. Cfr. AS. *Runvita* arcanorum particeps. Vid. *Rúnar* s. *Ryna* i. &c.

Rvnnr m. saltus, lucus R. 93. A *Renna* (crescere cet.) s.

(at) *Rydia* (*ek ryd, rudda, ruddr*) deserere; linqvere V. 50. inusitate pro vulgato: sternere viam, patefacere, exonerare cet. Dan. *rydde;* cfr. Germ. *zer-rütten* & pl.

Rýdr vid. †*Rióda*.

Rýfr vid. *Reifr*.

(at) *Ryna* &c. (vid. †*Rynendr*) susurrare (invicem) R. 11. Adde porro notabilem significationem verbi alemannici *runen* vel *raunen*, a doctisſimo Graetero observatam, qvum a Christianis (uti olim verisimiliter a gentilibus) pro *orare*, divinum cultum exercere, usitatum fuerit **); item Scot. *roun, roune, rown* susurrare.

Rytandi grunniens, H. 85. â verbo *Ryta* (*ek ryti, rytta*) grunnire, grundire Dan. *grynte*, Germ. *grünzen*, Angl. *grunt, grunt-le*, Gr. γροζεῖν, γρυννίζειν.

Rök vid. *Ravk*.

---

*) Alii ab Angl. *rock* motitare, Dan. *rocke*, Gall. *roqver* — cfr. Isl. *hröcka* moveri.

**) *Idunna und Hermode* 1816. 4. pag. 108. *Altteutsches Evangelium: Runen den Priesterdienst verrichten: "Do gie er daz er runte u gie in das tempel unseres herren" .... "Uzzerhalbe des tempels die zit do man raunte".*

S.

Sád **Sáþ* n. pl. gleba, grumæ R. 4. Dan. *Saa*, *Saaer*, Angl. *Chaff*. Alioqvin semen Dan. *Sæd*, Svec. *Såd*, Alem. *Sat*, Germ. *Saat*, Belg. *Saet*, AS. *Sed*, Angl. *Seed*, Slav. *Schito* (*Sjito*), Gr. σιτος, cfr. COſs *Sadſar*, Pers. *Zadeh* satus &c. A verbo *sá*; vid. †*særi*, *seri*. Cfr. Lex. myth. v. *Sádr*.

Saldrótt f. familia, satellitium H. 101. Vid. ***Salr* & ***Drótt*. Cfr. †*Salþióð*.

Salkynni n. pl. domicilium, ædes habitatæ R. 4. Vid. ***Salr* *) & *Kynni* s.

Sandr m. arena V. 3. Dan. Svec. Germ. AS. & Angl. *Sand*, Lapp. *Saddo*, Gr. ψαμμος.

Saur, *Saurr* (hic inusitate *Saurar* in pl.) m. Sordes (v. c.) V. 33. Gr. σχωρ. Pers. *Sjirk*, *Sjerk*. Cfr. *Glosſ. Synt.*

Saurgr pro *saurigr*, *saurugr* sordidus (v. c.) H. 83. Vid. *Saur*.

Sc. vid. *Sk.*

Sefa vid. *Sœva*.

Sefi (H. 164) vid. *Sevi*.

Seidr (forte rectius *Seydr*) m. pyrotechnia, veneficium (per ignem) magia pyromantica. V. 20. Vid. †*Siǿda* in annotatione; cfr. **Seydi*.

(at) †*Senda* &c. mittere o: dapes, ex animalibus sacrificatis, ad Divos (idola) vel eorum sacerdotes — in sacrificiis. H. 147. De more principum, in conviviis, lautissimas dapes ad amicos vel nobiliores mittendi, vide observationem nostram ad Carmen *Atlaqvida* str. 36. — T. II. pag. 949.

(at) **Senna* (*ek senni*, *sennta*) altercari H. 127. Vid. ***Senna* (altercatio).

†*Serkr* m. indusium R. 26. Adde Svec. *Särk*, Lett. *Svarks*.

Seſsmavgr m. contubernalis, consesſor H. 155. Vid. ***Seſs* & ***Mavgr*.

Sevi, *Sefi*, *Sœvi* m. ignis vel etiam (*Sifi* **Sefi*) cognatus aut necesſarius Surti o: flamma (coeli empyræi) V. 43. Conjici etiam potest qvod *Sœvi*, *Sefi* hic denotet inundationem (flammeam) mundum devorantem, — & deduci ergo debeat â voce *Sœrr* (*Sævar*) mare, aqva &c. uti alia fere consona, *Sef* a) stagnum, palus b) juncus, scirpus. Cfr. AS. *Seave* succus, humor &

Sevi, ***Sefi* m. adſectus animi H. 95. 164. Cfr. Finn. *Siven*, *Sib* cor, it. vet. isl. *Safi* succus, Alem. *Saf*, Sax. *Sapp*, AS. *Sœpe*, Angl. *Sap*, Gall. *Seve* — unde Isl. Dan. & Svec. *Saft*, Germ. *Safft* &c. Cfr. Lat. *Sapa*, Gr. ὀπος.

Seyckvaz demergi V. 59. Vid. †*Seykstv*, †*Savcqva*.

†*Seynir* pro *Synir* (filii) H. 28. Vid. †*Sonr*.

Siá pro †*Sá* (iste) H. 2.

Siáfarströnd f. maris littus vel ora R. Introd.

Siálfráðr (vel inusitate *siálfráða* indecli-

*) Adde Leg. Longobard. & pl. *Sala* domus, conclave; Armor. *Sal* aula, villa nobilis, Alem. *Sal*, Gall. *Sale*, Polon. & Hisp. *Sala*.

nab.) sponte agens (verbo tenus: se ipsum dirigens) H. 87. Dan. *Selvraadig.* Vid. † *Sidlfr* & ** *Ráda.*

Siavt n. pl. sedes, habitacula V. 13. Vid. * *Seót*, † *Siót.*

† *Sifiar* pl. adfinitates, cognationis vincula V. 41. grati adfectus H. 126. *Sifiaslit* o: "adfinitatis læsio" occurrit in lege veterrimâ, qvæ jam habetur, Islandorum, & vox ipsa *sifiar*, priori sensu, in pluribus locis. Cfr. * *Sifr* ** *Sefi.*

Sigfadir vid. Lex. Myth.

Sigtívi (*Sigtívar*) vid. Lex. Myth.

Sigtoptir vid. Lex. Myth.

Silki n. sericum R. 31. a) Dan. *Silke*, AS. *Seolk*, Angl. *Silk*, Slav. *Schelk* (*Sjelk*), C. Chuns. *Tschila* CDig. *Zulak*, Curd. *Ssul.* Cfr. Arab. *Silk* filum. b) Vet. Dan. *Sadden*, Svec. *Siden*, Alam. *Side*, Germ. *Seide*, CBrit. *Sidan*, Gaël. *Sioda*, Hisp. *Seda*, Gall. *Soie*, Carn. *Shida*, Illyr. *Seta*, Hebr. *Sadin*, cfr. Chald. *Sadina* (Sindon) *Tripart.* c) CBrit. *Sirig*, Gr. σηρικον, σηρικα.

Sindri vid. Lex. Myth.

Sinni socius, comes V. 5. Vid. ** *Sinni* *).

Sinnum (*d sinnum*) festinanter abiens, brevi disparitûrus (de die) o: ad vesperam inclinans R. 29. A ** *Sinn* vel *Sinni iter*, itio cet. Cfr. *Sinni* s.

Skaldv pro *Skaltv* (*skalt* þú) H. 132. Vid. ek † *Skal.* Cfr. † *Skvld* † *Skylak* & pl.

Skálmavld ensium ætas (ævum bellicosum) V. 41. Vid. † *Skálm* **) & † *Avld, Öld.*

(ai) *Skammaz* (*sín*, &c. *ek skammaz — mín* &c.; *skammadiz*) pudefieri, erubescere H. 61. Dan. *skamme* (*mig*); Germ. *schämen* (*mich*), AS. *scamigan*, *scaminian*, MG. *scaman* (*mik*) hinc etiam Angl. *to be ashamed, to shame* & pl. Ab Isl. *Skavmm, Skömm* f. ignominia, detrimentum, contumelia (it. pudor) Dan. *Skam*, Germ. *Schaam*, *Schande*, Belg. *Schaemte*, Alem. *Scama*, AS. *Scama*, *Sceam*, Angl. *Shame* pudor, *Scome* contumelia &c. Circa etymon, cfr. isl. † *Skammr.*

Skapadr, Skapaþr formatus H. 128. *Skapat* (decenter) formatum (de barba tonsa vel comta) R. 15. Ab Isl. Norv. & Svec. ** *Skapa* vet. Dan. *skapæ* formare, fabricare, creare. Cfr. *Skepia* (Norv. *skepa, skjepa*) — omnia ab Isl. & Norv. † *Skap* (forma).

* *Skapt, Skaft* n. manubrium, H. 128. (Alioqvin hasta &c.) Adde Dan. *Skaft*, Svec. *Skapt*, Germ. *Schaft*, Angl. *Shaft* ***), Gr. κωπη, σκηπτρον, Dor. σκαπτον. Cfr. *Sképtismidr* † *Sképta.*

Skero vid. *Skéra.*

* *Skégg, Skiegg* n. barba R. 15. Adde Dan.

*) ** Cum *Sinni* mens, ingenium cfr. porro, Chin. *Sin* cor. Pers. *Zunn (Zinn)* opinio, Tamul. *Sindei* ingenium, animus.

**) Hoc ensium genus vetustæ nostræ fabulæ gigantibus vel cyclopibus, humano generi infestis, freqventer attribuunt. Adhuc Islandis in usu est (uti Magnus Ketilli observavit) instrumentum dictum *Hákalla-Skálm*, revera nil aliud qvam ensis latus seu culter magnus, utrinqve acûtus, manubrio oblongo instructus, qvo piscatores ad sqvalos interficiendos utuntur.

***) Cognata sunt AS. *Hæft*, Angl. *Haft* id; — cfr. AS. *hæftan* capere.

Skjæg, Svec. *Skægg*, Lapp. *Skaugia*, *Skautza*, CAbaſs. *Sheke*, CKabard. *Shake*, CTschetsch. *Dshake*, *Dshakke*, CTart. *Ssakal*, Lingv. pl. Finnicæ originis *Sachál* &c. Cfr. AS. *Skeacga* cæsaries, Angl. *Shag* it. *Shock* & pl. — it. † *Lángbardr*.

Skéggavld ætas barbata ɔ: aspera (a *Skégg* s.) vel æ: securium a *Skéggia* securis species — & † *Avld*, *Öld*.

(at) * *Skélfa* (*ek skélfi*, *skélfda*, *skélfdr*) tremeſacere R. 34. Vid. † *Skiálfa*.

(at) *Sképia* (*ek skép*, *skapta*) creare, formare V. 9. Vid. *Skapa* s.

Sképtismidr manubrii opifex H. 128. Vid. *Skapt* s. & † *Smidr*, (Svec. *Smed*, AS. *Smid*, Alem. & Belg. *Smid*) † *Smida* (Svec. *Smida*. Alem. *Smidan*.) Cfr. † *Sképta* vet. Dan. *skiœftœ*, (Svec. *skäpta*, Germ. *schäften*).

(at) † *Skéra* &c. sculpere V. 18. Dan. *skjære* &c.

† *Skíd* (*Scíd*) *Skídi* tabula, aſser V. 18. lignum, schidium, aſsula H. 60. *Hvrd á skídi* janua semireducta R. 14. Adde Svec. *Skid*, Norveg. *Skie*, Scot. *Schide*, *Schyde*.

* *Skil* n. pl. distinctio, rationes (alioqvin discrimen) H. 162. Adde Norv. & Svec. *Skil*, *Skjæl*, Dan. *Skiel* vet. Belg. *Scheele*. Cfr. *Skilinn*.

Skilinn scitus, distinctus, rationalis (de verbis) H. 136. Dan. *skjellig*, Angl. *skilled*, *skillful*. Vid. ** *Skilia* (Svec. *skilja*, Belg. *schillen*, *scheelen*, Hib. *skilligh*).

Skinn n. cutis (it. pellis) R. 8. Dan. *Skind*, AS. *Scin*, Angl. *Skin*, CBrit. *Cenn*, Arm. *Ken*, Gr. σκυτος. Hinc sine dubio Dan. *skinde*, Germ. *schinden*, Angl. *skin* excoriare &c.

Skockr m. vox obscura R. 15. Est è mea sententia arca, cista; notat recentioribus thecam, cavitatem, receptaculum e. gr. *penna-skockr* receptaculum calami; *nála-skokkr* aciarium, theca acuum. Vox alia *Stockr*, illi fere consona, hodiernis Islandis cistulam significat.

(at) † *Skolla* &c. hærere, pendulum eſse H. 136.

Skósmidr m. sutor H. 128. Vid. ** *Skórr* & *Smidr*.

Skrám pro *Skrámom*, a *Skráma* cicatrix, vulnus (vel forsitan ab obsol. *Skrá* *) a *Skera*, *Skora* secare) — Dan. *Skramme*, Svec. *Skråma*, Germ. & Belg. *Schramme*, Angl. *Scar*, *Scratch*. Cfr. *skræma* deformare, Dan. *skræmme* terrere, deterrere & pl

† *Skrid* f. (alioqvin n.) cursus H. 82. Cfr. Dan. *Skridt* paſsus, greſsus Germ. *Schritt*. Vid. *Skrída*.

* *Skvtvll* m. mensa **), scutula, scutella (vv. c.) R. 5. Abacus, vel forte rectius, scy-

*) *Skrá* ut puto proprie est incisura, incisio, & idcirco de talibus Runarum inscriptionibus in ligno vel lapidibus olim usitatum fuit — uti gliscente tempore de scriptis & constitutionibus.

**) Vi vocis pro (mensa) trusatili ɔ: lubitu apponenda et removenda a verbo † *skióta* (unde *skutul* spiculum, venabulum). Atavi nostri non semper usi sunt mensis longis & fixis ac immobilibus, ex opinione docti Orcadensium historiæ interpretis; contrarium satis probat phrasis freqventer occurrens: *Þá er bord voro upptekin* ɔ: mensis remotis aut ablatis.

phus, aut catinus aut patina R. 29. Est Svec. *Skutul, Skutel, Skotel.* — AS. *Scutel* catinus, Angl. *Scuttle,* Alam. *Sciizzel,* Germ. *Schüsfel,* Belg. *Schotel,* Ital. *Scodella,* Hisp. *Escudilla,* Gall. *Escuelle, Escoutillon.* Cfr. Lapp. *Skujttol* ora cuspidatim exstans, de mensa sive patina lignea; it. Gr. σκυφος scyphus, poculi genus cfr. Scot. *scutle* liqvida freqventer fundere.

(at) *Skygnaz* (*ek skygniz, skygndiz*) circumspicere H. 1. Cfr. *Skygni* prospectus, *Skygn* oculatus, perspicuus, pellucidus & pl. A verbo obsoleto *skiá* videre; vid. † *Skoda.*

Skylit pro *skyldi-at* vel *skal-at* H. 75.

* *Skyrta, Skirta* f. indusium, interula R. 15. Dan. *Skjorte,* Svec. *Skiorta,* Angl. *Shirt.* Cfr. porro Dan. *Skjört,* præcinctorium Svec. *Skörte,* Germ. *Schürze, Schörze,* Belg. *Schort* & pl. Cognatum est * *Skyrm* tegmen (Dan. *Skjerm,* Germ. *Schirm* &c.)

Skör vid. ** *Skavr.*

Slit n. pl. ruptio, scisfura H. 123. Dan. *Slid,* Germ. *Schliz,* AS. *Slite,* Svec. & Angl. *Slit.* Vid. ** *Slíta* (Svec. *slita,* Germ. inf. *slyten,* Belg. *slit.*)

(at) * *Slokna, Slockna* (*ek s. sloknada*) exstingvi H. 51. Dan. *slukkes,* Svec. *slockna;* uti Isl. *Slöckva* (*ek slöck, slöckta*) exstingvere est Dan. *slukke,* Svec. *slœcka,* Angl. *slock.* Cfr. *slakr* laxus, Germ. *schlaff,* AS. *slæc,* Angl. *slack* unde isl. *slakna* remittere, detumescere, AS. *slacian,* Angl. *slack;* Isl. † *slœkia* cogere, laxare Angl. *slacken* &c. Cfr. ** *Slœfr.*

Slœdur f. pl. syrma, vestis promisfa R. 26. Cfr. Dan. *Slöj* (pl. *Slöjer*) unde *Slöjkiole.* Vid. Gl. N. Cfr. † *Slód* (Scot. *Sloth, Slouth, Sleuth Sloith*).

(at) † *Smlda* struere, ædificare R. 19.

Smockr m. amictorium R. 16. A verbo *Smegia* insinuare, irrepere facere; qvod iterum ab alio † *Smiúga* (unde Dan. *Smug* occultatio cet.) — Sic de ista voce *Joh. Olav. Grunnavicensis*: "*Smockr* proprie est involucrum vel indusium qvoddam rotundum, qvod alicui membro facile immitti & detrahi potest ut e. gr. chirotecæ illæ dimidiæ [isl. *Smockar*] sunt, qvæ pollici per foramen immisfæ vaginis digitorum carent, sed metacarpum contegunt. Conferatur etiam nomen vermis aqvatici qvi *Smock-ormr* dictus, indusio suo se tuetur, . . . Ergo hic *Smockr* theca qvædam fuit mammis fœminæ huius instar cinguli vel involucri circumdata." *Gunnarus Pauli* vertit: "*apertura* in summo pectore"; in notâ tamen observans: "*Smockr* m. g. vestis rotunda ex verbo *eg Smeygi* insinuare, penetrare facio, qvod ex verbo *eg Smýg* (præterit. *smóg* & *smaug*) penetro". (Vide nostrum † *Smiúga* (Svec. *Smyga,* Germ. *Schmiegen,* Belg. *Smuigen* &c) Cfr. delineationes vestitus fœminarum islandicarum e: gr. in itinerario Egg. Olavii & B. Pauli Islandico Tabb. IV-VII. qvoad ornamentum sericum, formâ oblonga triangulari de collo in pectus extensum, e focali ipso formatum. Adde Svec. *Smog* circulus, unde *Hals-Smog, Hufwud-smog,* vestis qvæ collum ambit

(nostri † *Höfud-smátt*) it. AS. *Smoc* colobium.

(at) * *Snapa (ek snapi, snapta)* hiare (aut hiulco ore aliqvid captare vel petere) H. 63. Adde Dan. *snappe*, Angl. *snap*. Cfr. *Snópa*.

(at) *Snópa (ek snópi, snópta)* inhiare; tædiose se gestare H. 33. Norv. *Nopa*, vet. Svec. *Snopa*. Vid. *Snapa* s.

(at) *Sóa (ek sóa, sóada)* perdere, ê medio sustollere H. 110. — Consumere H. 147. Etymon mihi non perspectum; est forte qværendum in verbo *sá* serere, sternere, (terræ vel profundo mandare.)

† *Sod* jusculum R. 5. Adde Svec. *Sod*.

Sólbrunninn sole adustus R. 9. Dan. *solbrændt*. Vid. ** *Sól* & ** *Brenna*.

Sólginn famelicus, vorax H. 33. A verbo * *Svelgia* deglutire (adde Dan. *svælge*). Cfr. *Sylgr*.

Sólhvítr adj. solis instar candidus H. 97. Vid. ** *Sól* & † *Hvítr*. Cfr. ** *Sólbiartr*.

Sólskin n. solis lumen V. 37. Dan. *Solskin*, Germ. *Sonnenschein*, Angl. *Sunshine* &c. Vid. † *Sól* & * *Skin*, * *Skinn*. † *Skina*.

(at) *Sortna* (ek *s. sortnada*) nigrescere V. 50. Dan. *sortne*. Vid. ** *Svartr*.

Sótraudr fuligineus, V. 39. A *Sót* fuligo Dan. *Sod*, Angl. *Soot*, AS. *Sot*, Belg. *Soet*, Gall. *Suie*, Gaël. *Suidhe* (Alioqvin Belg. *Roet*, *Rood*, Germ. *Rufs*) & † *Raudr*.

Spágandr genius vaticinans V. 27. A ** *Spá* vaticinium, oraculi consultatio & * *Gandr*. Cum verbo *spá* &c. (Svec. *spå*, Scot. *spae*, *spay*; vaticinari, futura prævidere vel explorare) cfr. porro Dan. *speide* explorare, Norv. vulg. *speje*, Svec. *speja*, *spea*, Germ. *spähen*, Belg. *spien*, *spieden*, Angl. *spy*, CBrit. *yspio*, Armor. *spya*, Pol. *spiegowac*, Ital. *spiare*, Hisp. *espiar*, Gall. *epier (espier)* &c. Celeb. *Wachterus*, *Ihreus* & præsertim *Hallenbergius*, monstravere hæcce verba cognata esse pluribus lucis & visus denominationibus (et physice et translate) inter orientales & pl. populos — observantes vocem *Spu* olim Scythis, ex Herodoti testimonio (uti jam etiam Celtis armoricis & pl.) *oculum* significasse. *Gandr* veteribus et lupum et angvem vulgo indicavit; Gunnarus Pauli porro conjicit, qvod hoc loco de *baculis divinatoriis* vel *ramis sortilegis* sumendum sit; sic *Gandr* adhuc Islandis usitatum de grandiore baculo ad apparatum naviculæ pertinente *). Hoc sensu vocabulum *Spágandr* de baculis illis runicis, qvibus atavi nostri pro calendariis usi sunt, optime valere potuit, qvum anni cursus, tempestatis naturalis immutatio & cet., eorum ope præviderentur & præsagirentur. Hæc vulgus literarum omnino ignarus mirabilia

*) Sic vox *Gandreid* (vectura magica) non modo eqvitationem per terga serpentium vel luporum aut similium monstrorum, sed etiam simpliciter per baculos (ê superstitione hodiedum notissima) verbotenus significare posset.

vel magica duxit. Cfr. *Féspiöll* s. Huic forte cognata vox notisſima Islandica & Norvegica *Gan*, machinatio magica; genii vel dæmones qvos magi Finnici adhuc se per mundum emittere jactant (unde Finn. *Ganish* spectrum, dæmon). Cfr. Norv. *Gandre* faſcinare & pl.

Spakligr sapiens V. 27. Vid. † *Spakr*. (Svec. & vet. Dan. &c. *Spak*). Svec. *Spaklik*.

Stadlauso genit. sing. ut puto, a subst. *Stadlausa* (pro *Stadleysa*) f. vanitas (verbotenus res fundamento destituta) unde nostri *stadlauso stafir* futilia verba H. 29. Vid. † *Stadr* & ** *Lauſs*.

** *Stafir* verba H. 29. Literæ H. 145.

* *Stiarna* f. stella V. 5. Adde Dan. *Stierne*, Svec. *Stierna*, Germ. *Stern*, Angl. *Star* vet. Angl. *Sterne*, Scot. *Starn*, *Sterne*, Fris. *Stair*, AS. *Ster*, *Steorra*, Alam. *Sterre*, Belg. *Sterre*, *Sterne*. MG. *Stairno*, CBrit. *Sseren*, Cornval. *Ssterran*, Armor. *Steren*, *Stereden*, Vasc. *Sarra*, Vallach. *Stjä*, COſs. *Sstele*, *Sstala*, CAvar. & pl. *Za*, Pers. *Ster*, *Stareh*, *Sitareh*, *Stara*, Pelv. *Setaran*, Curd. *Ssetre*, *Ssal*, Zend. *Staron*, *Staranm*, Buchar & IBengal. *Stara*, IDecan. *Ssarre*, *Dscharra*, Sanscr. *Tara*, *Taranni*, *Starana*, Birman. *Tara*, Aſg. *Ssturi*. (Cfr. isl. *Stara* fixis oculis intueri) *).

Stein-dyr (cavarum) rupium fores. V. 46. Vid. † *Steinn* & *Dyr*, *Dyr*.

(at) *Steipa*, *Steypa* fundere, invertere, unde paſs. *Steypaz* corruere, V. 41. Vid. † *Steyptr*.

(at) *Sterkia* (*ek sterki*, *sterkta*, *sterktr*) firmare, firmiorem vel duriusculum explanando reddere (hic proprie de linteis dictum) R. 25. Svec. *stärka*, Angl. *starch*. (Cognatum τω *styrkia*, *stirkia* firmare, corroborare Dan. *styrke*, Germ. *stärcken*, Scot. *stark* &c. à subst. *styrkr* robor, vires, Dan. *Styrke*, Germ. *Stärcke* &c. — qvod iterum ab adj. *Sterkr* fortis, firmus (Dan. *stærk*, Germ. *starck*, AS. *sterc*, vet. Angl. *stark*, Scot. *sterk*). Forte a *stá* (stare). Cfr. † *Stórr*.

Stinnr adj. validus, fortis, rigidus, non facile flexilis H. 145. vet. Dan. Norv. *stind*, Svec. *stinn*, AS. *stiþ* (*stin*). (Convenit Dan. *stiv*, Germ. *steif*, AS. *stif*, Angl. *stiff*, Scot. *stive*, recent. isl. *stifr*) Cfr.

Stint, *Stinnt* valide, rigide H. 153. Vid. *Stinnr*.

Stiórnlausf adj. gubernaculo ,caſus H. 90. Vid. † *Stiórn* & ** *Lauſs*.

Stóll m. sella, solium (v. c. ?) H. 106. Dan. *Stol*, Germ. *Stuhl*, Alam. *Stual*, *Stuol*, Belg. *Stoel*, AS. *Stol*, Angl, *Stool*, MG. *Stols*, Slavon. *Stol*, *Stolec*, Ruſs. *Stul*, *Stole*, Pruſs. & Lith. *Solas*, Pol. *Stolek*, Boh. *Stolice*, Carn. & Lapp. *Stol*, CBrit. *Ystol* (*Tripart*). Cfr. ** *Stallr*.

*) AS. *staran*, Angl. *starc*, Al. *staren*, Germ. *starren*, Belg. *sterren*, Svec. *sterra*, *stirra*, *stirna*. Qvod veteres stellas coeli oculos appellaverint, hic certe respiciendum.

Stráadr adj. stratus (v. c.) R. 24 *). Vid. *Strá* &c. sub v. † *Stræti.*

(at) † *Striúka (ek strýk, strauk, strokinn)* proprie contrectare, palpare. *Húskona strauk of ripti* ɔ: hera linum lævigabat, complanavit vel distringebat R. 25; hinc phrasis Dan. *stryge Linned*, Germ. *streichen* &c.

Stvddo vid. † *Stydia.* Cfr. * *Stvddr.*

(at) *Stynia (ek styn, stvnda)* gemere, ingemiscere V. 46. Dan. *stönne*, Germ. *stöhnen*, Græce στενειν. Hinc isl. *Styn, Stun* &c. gemitus Dan. *Stönnen*, Germ. *Stöhnen*, Gr. στενος & pl. Cfr. nostrum *Stinnr* s.

Svagi pro *Sva eigi* H. 39.

Svángrifia costas tenuis R. 35. Vid. † *Svángr* (Norv. *Svang*) & † *Rif.*

Svefia pro ** *Svœfa* R. 41.

Svefik pro *svæfi ek* H. 157. Vid. ** *Svœfa* (Svec. *Söfwa*, AS. *Svefian, Svœfian*, Alem. *Suenen*, Lat. *sopire*, Sanscr. *Svop-tum*).

Sveigdi vid. † *Svegia.*

Sveigr m. **) peplum flexile; apex capitis leviter incurvus R. 16. (Conferatur *Laxdœla-Saga* de somnio Gudrunæ Osvifi filiæ, Cap. 29 vel 31, ubi vocabulum aliud, *Króks-falldr* nempe, sensui nostri convenit. Vid. supra ad vocem *Aldin-falda*) Etymon qværendum in verbo † *Svegia.* Cfr. Gl. N.

† *Sverd* n. gladius: V. 33. Vid. Lex. myth. v. *Stiþr.*

Svg pro *saug* vid. † *Siúga.*

Sviga-lævi flagrans flamma ɔ: ensis flammeus incurvus & vibrabilis V. 47. A *Svig* n. vel *Svigr* m. curvatura, flexio (unde *Svigi* vimen & pl.) a verbo † *Svegia* ***) & *Lævi, Leivi, Leyfi* (flamma) de qvo cl. Sculo Thorlacius in commentario ad carmen *Thorsdrapa* pag. 30 & 47. Cfr. Gl. N. it. *Svif* vibratio, curvatura & *Læ* s.

Sviþr vid. † *Svinnr.*

Svördr m. cespes V. 33. Var. Dan. *Svær* (in *Grön-svær* &c.), Norv. *Svor*, vet. Angl. *Svaird* (alias corium, cutis capillata vel villosa AS. *Sveard*). Originitus sine dubio notavit generaliter corticem qvendam, vel extimam cutem rei alicujus, hodiedum Germ. *Schwarte*, Angl. *Sward.* Est forte deducendum a verbo † *Veria* (ambire, circumdare) &c.

Sylg f. vel *Sylgr* m. potus, haustus H. 17. Sine dubio derivandum a verbo * *Svelgia* deglutire (Dan. *svælge*, Germ. *schwelgen*, AS. *svelgan*, Angl. *swill, swallow;* cfr. Scot. *sweel*).

Sýnst maxime conspicuum H. 41. Superl.

---

*) Cfr. Obs. 29. — ad similem morem apud Moeso-Gothos Ulphilas respexisse videtur, vertens Marc. 14, 15. (ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον) *kelik mikilata gastravith* ɔ: aulam ingentem stramine constratam. Cfr. *Ihre* l. c. voco *Julhalm* & *du Fresne* in *jonchare, junceus.*

**) Legunt alii *Smeigr* cingulum à *Smegia* insinuare. Vid. *Smockr* s.

***) Hinc, ut puto, Dan. *svinge* vibrare, Svec. *svinga*, Germ. *schwingen*, Belg. *swingen*, Angl. *swing.*

adj. *sýnn* conspicuus, evidens — vel etiam contracte pro *sýnist*, *sýniz* monstratur, spectatui exhibetur, speciose apparet. Vid. † *Sýna*, *Sýnt*.

Sýsla f. opus (alioqvin etiam cura, officium) R. 14. Adde Svec. *Sysſla*.

Systrúngr m. consobrinus V. 41. Vid. † *Systrúnga*.

(at) *Sýta* (*ek sýti*, *sýtta*) sollicitum esse, moerere, angi H. 48. Scot. *sit*, *sitt*. *Sýta vid giöſum* exprimitur scotice verbo tenus *sit an offer* (donum oblatum recusare). A τῳ ** *Sút* dolor, luctus; adde Scot. *Syte*.

Særi n. sacramentum, juramentum V. 24. Vox hæcce occurrit similiter in *Vegtamsqvida* str. 4. Sic de ista *Magnus Ketilli*: Mea mens est hæc; "*Eidr* notat *juramentum* per Deos dictum, *Særi* vero juramentum sev potius *exsecrationem*, *qva qvis se malis geniis devovet*, si promisſa violet". Huic opinioni vix asſentire audeo, cum vox *Eidsvari* (qvi juratus aliqvid promisit) inveniatur in carmine ethnico *Thorsdrapa* l. c. sect. 2. pag. 26. 95. Germ. *Schwur*. Vid. † *Sveria*. Cfr. *Meinsvari* s.

Sæva pro † *Sefa*, *Sefia* R. 41.

Sœva pro *Seva*, *Sefa* (ingeniorum) H. 53. *Sœvi* pro *Sevi*, *Sefi* (ingenium) H. 56. Vid. *Sevi* s.

T.

Taſl, *Tabl* n. alea, ludus aleæ vel latrunculorum R. 38. vet. Dan. *Tavl*, Svec. *Tafwel*, Angl. *Table*, AS. *Tœſl*, *Tœfel*, Al. *Tebl*, *Topel*, *Zabl*, Gall. *Table*, *Tablette*, CBrit. *Tawl*. Ab Isl. *Teſla*, *Tebla*, alea vel latrunculis ludere, AS. *tæſlan* (it. *tævſlian* volutare). Svec. *tæſla*. Cfr. CBrit. *taflu* jacere, mittere, ab aliis relatum ad Chald. Arab. *Taval* jactavit; vox nostra *Taſl*, *Tavl* convenit porro Arab. *Tavl* ludus tesseræ, Chin. *Teu* (forte a *Tu* tabula). Cfr.

Taſla, *Tabla* f. tabula, tabella (hic in specie, ut videtur, ad lusum aleæ pertinens) V. 54. Dan. *Tavle*, Svec. *Taſla*, Germ. *Tafel*, Angl. *Table*, AS. *Tœfel*, Al. *Tebl*, CBrit. & Armor. *Taul*, *Tafell*, Gall. *Table*, *Tablette*, Boh. *Tabula*, *Tabulka*, Pol. *Tablica*, Ung. *Tabla*, Finn. *Taulu*, Pers. *Tablehi*, Ebr. *Tebel*, *Teſil*, Syr. *Teſill*, Chin. *Tu*. Cfr. *Tripart*. Vid. *Taſl* s. *)

*) Sic minime probatum duco qvod Island. *Taſl*, *Taſla*, *Teſla* à Lat. *Tabula* derivari debeant, è sententia qvorundam, qvi idcirco hasce voces carminum edditorum novitatem prodere putant. Sic è contrario doctisſimus & ingeniosisſimus *Ihre*: "Cognatio nostræ vocis cum Lat. *Tabula* statim in oculos incurrit: utra vero lingva suam alteri debeat, in ambiguo est. Prodit qvidem varia etyma *Vosſius*, sed qvæ ipsimet parum satisfacere videntur. Mihi

Tal n. enumeratio. *Lángnidia tal* (vulgo *Ættar-tal*) genealogia V. 14. Dan. & Svec. *Tal.* Germ. *Zahl, Zahle,* AS. *Ge tale,* Angl. *Tale.* Vid. ** *Telia.* Cfr. † *Tala.*

Tángir vid. *Taung.*

Tavflor vid. *Tafla.*

Taugreptr contexto vimine tectus (de vili domicilio) H. 36. A *Taug,* † *Tág* vimen & *Repta, Refta* contignare, qvod iterum a † *Raptr, Raftr* tignum (Svec. *Raft,* Belg. *Rafter*) cet.

Taung f. (in n. pl. *Tángir* it. *Tengur*) forceps V. 7. Dan. *Tang,* Alem. *Zanga,* Germ. *Zange,* A. S. *Tang, Tong,* Angl. *Tongs,* Scot. & Belg. *Tangs, Taings,* Belg. *Tanghe.* Cfr. Lat. *Tenaculum,* Ital. *Tenaglia,* Gall. *Tenaille.*

(at) *Tefla, Tebla (ek tefli, teflda)* aleâ ludere V. 8. Vid. *Tafl, Tafla* s.

(at) *Tegla, Telgia (ek tegli, telgi; teglda, telgdr,* recent. *tálga, tálgada, tálgadr*) asciare, lævigare R. 15. Dan. Norv. *tælge, telle* (unde *Tellekniv, Tollekniv,* isl. *Tálgaknífr* culter fabrilis) med. ævi Lat. barb. *talare.* Hinc etiam legg. Longobard. *Theclatura, Talcatura* (incisio arborum ad fines constituendos). Cfr. isl. *Tálga* surculus, ramus, AS. *Telg, Telga,* Lat. *Talea,* Gr. θαλεα, θαλος, θαλλος. Cfr. *Tól, Þavll, Þollr.*

Teitr adj. hilaris V. 8. lasciviens H. 90. Vid. † *Teiti.*

(mik) Tídir * *Tíþir* libitum mihi est H. 118. Cfr. ** *Tídr.*

(at) * *Timbra (ek Timbra, timbrada, timbradr)* Svec. *timra,* Dan. *tömre,* Germ. *zimmern,* Al. *zimbran,* Belg. *timmeren,* AS. *timbran,* MG. *timrian,* struere, ædificare R. 19. Cfr. † *Timbr* (Belg. *Timmer* &c.) *Hátimbra* s.

Tívar (Divi) H. 162. Vid. Lex. myth. & † *Tívi,* * *Týrr* &c.

Tivorr, Tivor (Divus V. 29). Vid. *Tívar* & Lex. myth.

Tíúgari V. 36. Aut positum a) pro *Tyggiari* a verbo † *tyggva, tyggia* mandere manducare *) (i. e. devorare) aut b) pro † *Teygia* allicere, detrahere.

Tól n. pl. instrumenta (præsertim fabrilia) V. 7. Vid. ** *Tál.*

Torf n. vid. † *Torfa.*

Trémadr homo ligneus (statua hominis lignea) H. 49. Dan. *Træmand.* Vid. † *Tré* & ** *Madr.*

Treydr pro *Tredr* vid. † *Troda.*

† *Tryggr* adj. confidens HM. 89. Cfr. *Tryggiliga.*

---

origo Celtica cæteris præferenda videtur" &c. Hinc similiter *Skák-tafl* ludus scacchicus, qvem persicæ, vel etiam indicæ aut sinesicæ originis esse jam neminem latet. Cfr. porro isl. *Taflbord.* Svec, *Tafwelbord,* CBrit. *Tawlbwrdd* &c. alveus lusorius, tabula aleatoria. Cæterum vetustas hujus ludi apud Germanos satis cuiqve illucescet e Taciti Germania Cap. 24. qvi illos aleæ maxime deditos depingit.

*) Adde Svec. *Tugga,* vet. Angl. *Tugge.* Cfr. porro Gr. δακεῖν, δακνεῖν mordere.

Tröll, Travll — Vid. Lex. myth. Cfr. †*Tröllkona.*

Túngl n. V. 36. luna, et sic jam vulgariter. Alioqvin *sidus* (unde *himintúngl* sidera cœlestia). Convenit Svec. *Tungel*, Sanscr. *Tingel*, AS. *Tungl*, *Tungol*, *Tungel*, stella; *Tungla* sidera, astra vet. Angl. *Tongl* sidus, luna. Est forte vox ejusdem vel paris originis cum alia *Tíngl* lunula, orbis. Cfr. ** *Máni* & *Gl. Landn.* s. v. *Tingl.*

Túnriþa sublimis eqves H. 158. Obs. 117. Vid. Lex. myth.

Tvevetr adj. bimulus, biennis H. 90. Vid. †*Tveir* & *Vetr.*

Töddu vid. †*Tedia.*

Tötrvg-Hypia, vid. Ind. nom. allegor. in carmen *Rigsmdl.*

U. V.

Vá casus subitaneus (dolorosus sive periculosus) H. 26. Adde cæteris Scot. *Wa* dolor, Orcad. *Waah* res miraculosa; eventum stuporem provocans.

(at) *Vá (ek vái, vádda)* obsol. mirari, recuperare vel objicere H. 19. Vid. *Vá* s.

Vadar pl. (sing. *Vád, Vod* f.) pannus H. 16. vestes H. 3. 49. Vid. ** *Váþ, Voþ.* (Svec. *Wad, Wåd,* Alem. *Uuad, Uuat, Giuuat,* Germ. *Wand, Gewand,* Belg. *Waed.* Ihre.)

(at) *Vafa (ek vafa, vafada)* versari, (vacillare) oberrare H. 136. vibrari, oscillare H. 160. AS. *vafian,* Angl. & Scot. *wawer* vacillare, oberrare, versari. Cfr. ** *Vafrlogi,* * *Vavodr* &c.

* *Vala,* † *Vavlva* i. saga divinatrix, *Sibylla,* V. 32. Var. f. (it. p. 201). Saga, venefica, vetula H. 82. Cfr. introductionem nostram ad Vaticinium Valæ supra et aliam etiam in Eddæ antiqvioris versione Danica. Qvoad nominis etymon adde mentionem baculi magici, in sepulchro Valæ cujusdam inventi, qvam ad vocem *Kingia* fecimus *). Cfr. *Glosf. Synt.*

Válaþr (recent. *Voladr*) egenus H. 10. 137. A *Vol, Vil* miseria, egestas, qverela (AS. *Vædl, Vol,* Finn. *Walitus*) hinc isl. *vola, víla* indigere, qveri, lamentari, AS. *vædlian* indigere, mendicare Finn. *walitan* qveri. Cfr. porro Alem. & Germ. *wallen* peregrinari, iter facere AS. *veallian,* Finn. *waellan* (unde *Waellus* iter) — it. *Vanar-völr.*

*) *Vala astragalus, taxillus, vertebra* — os animalis nonnihil rotundum & volubile, qvo pueri aut mulieres in ludis conjecturalibus vel fatidicis utuntur — vocabulo illo, per synonymiam, ad Valam ethnicam sive vaticinantem Sybillam translato. Astragalus ille semper in mensam projicitur hâc formulâ adhibita *Segdu mér þat, Vala!* o: Dic mihi vertebra (fatidica)! &c.

Valdyr
Valfadir
Valtiſi } Vid. Lex. mythol.

Valtr, Valltr adj. labilis, vacillans, volubilis H. 78. A verbis †*Velta* (volvere, volvi) vel ab adj. obsol. *Valr* rotundus, teres, convexus. Hinc Norv. *Valtre* vacillare & pl.

Vándyndr adj. versatilis, formidolosus V. 37. Vid. ** *Vá* & * *Lyndi.*

Vánarvölr egestatis vel mendicationis baculus H. 78. Cfr. Dan. *Tiggerstav*, Germ. *Bettelstab*, Angl. *Beggars walkingstaff* &c. A † *Ván, Von* (Norv. *Von*) & ** *Staſr.*

Vár pro *Verr* pejus, (hic pro acerbe, aspere) H. 75. Vid. † *Verri.*

Vardr (alias etiam *varinn*) obductus, ornatus R. 29. Vid. † *Veria,* † *Variþ.*

Vargavld lupina ætas V. 41. Vid. ** *Vargr* & *Avld.*

(mik) *Varir* (*Vardi*) animus mihi præsagit H. 40. A verbo † *Vara* præmonere &c.

Vatz pro *Vatns* H. 4. Vid. † *Vatn.*

** *Ve* habitaculum; *allda ves* *) *iardar* populorum habitationis terræ o: mortalibus habitabiles H. 108. Cfr. porro Chin. *Vei* circulus, *Vo* domus; MG. *Veihs* vicus, oppidum, CBrit. *Gwic.*

Ved, Veþ n. pignus V. 25. Alioqvin oppignoratio Dan. *Ved, Veds, Vedden,* Svec. *Wæd, Wad,* Germ. *Wette,* AS. *Ved,* Scot. *Wed, Wedde, Wad,* Gr. Barb. βαδιον. Cfr. Lat. *vadium, vadiare* &c. Forte a *Ve* (res sacra inviolabilis) &c. Vide Gl. N.

** *Vedr, Veþvr* tempestas, constitutio aëris H. 88. Adde vet. Dan. *Wæther,* Svec. *Wäder,* Belg. *Weder, Weer,* Sclav. *Weiter,* Pol. *Wiatr,* Boh. *Witr.* Cfr. *Vidra,* † *Vidrir.*

Vegra pro *Vegr ei* (non vehit) H. 11. Vid. ** *Vega.*

Veggberg saxeum munimentum, verbotenus saxum murale; parietem formans V. 46. A *Veggr* paries (Dan. *Væg,* Svec. *Wägg,* AS. *Vag,* Scot. *Weg,* Belg. *Weeg,* MG. ut videtur *Vaddjus*) & ** *Berg.*

Vegnest n. viaticum H. 11. 12. (Alioqvin *Veganest*) AS. *Vegnest,* Alam. *Vveganest*; — a ** *Vegr* & *Nesti* s.

Vegs pro *Vex* (crescit) H. 121. Vid. † *Vaxa.*

Velifdr in miseria vivus; vix vitâ fruens H. 70. Vid. ** *Vá* & *Lifa.*

Velir H. 151. verisimiliter n. pl. sing. *Völr, Vavlr* m. baculus, clava (MG. *Valus*) — nisi legendum sit *Vélar* machinæ, fraudes. Cfr. ** *Vavlva,* ** *Vél.*

Velli vid. † *Vavllr.*

Velspárr bona nuntians vel præsagiens; vaticinando blandiens V. 20. A † *Vel* & *Spár, Spárr* providus, vaticinandi peritus; cfr. ** *Spá.*

Veor, Veorr, vid. Lex. myth.

*) *Alldave* populorum habitacula, terra ab hominibus inhabitata — opponi potest alteri veterum denominationi, nempe *Út-ve* extima sedes vel regio, alioqvin *Út-gardar,* gigantum habitacula in circulo montano, oceanum extrinsecus cingente.

Vera f. sustentatio vel etiam: esſentia, vita H. 10. Refugium, sive potius mansio, existentia H. 25. Hinc Dan. *Vœrelse*, Svec. *Wesende* mansio. Vid. ** *Vera*.

Verki m. pro magis usitato † *Verk* opus H. 59.

(at) *Versna* (ek *v. versnada*) deteriorari pejor evadere H. 51. Dan. *forværres* (olim *værres*) &c. Vid. † *Verri*.

Verölld, *Veravld* f. mundus V. 27. Dan. *Verden*, Svec. *Werld*, *Werold*, *Wereld*, *Weruld*, Germ. *Welt*, Angl. *World*, AS. *Vorold*, *Veorold*, *Veoruld*, Alem. *Unorolt*, *Unerolt*, Belg. *Wereld*, Lapp. *Verald*. Vid. ** *Vera* & † *Avld*.

Ves vid. *Ve*.

Vescavp n. pl. sacra fata, sanctæ pacis leges V. 58. Vid. ** *Ve* & † *Skavp*.

Vettegi V. 8. Vid. † *Vættvgi* † *Vœtki*.

Uf, *of*, *vm* particula expletiva H. 14 — & passim alibi.

Vidhlœandi adridens H. 24. Vid. ** *Vid* & † *Hlœgia*.

Vidr vid. *Viþr*.

(at) *Vidra* (*ek v. vidrada*) H. 74. dicitur de cœli & aëris qvacunqve constitutione e. gr. *nú vidrar vel* jam commoda tempestate fruimur &c. Vid. † *Viþrir*, ** *Vedr*. Adde AS. *Vidr*, *Vidra* tempestas.

Vidrgéfendvr pretium renumerantes H. 41. ** *Vid*, *vidr* & ** *Géfa*.

Vigbönd n. pl. cædis lora; funesti funes V. 33. var. & pag. 201. Dicitur de vinculis. Pugnantes olim funibus erant instructi ad vinciendos captivos, qvibus interdum nervi arcuum succesſerunt (e. gr. in carm. *Hamdismdl* str. 20. T. II. p. 506). Vid. ** *Vig* & † *Band*.

Vigdiarfr adj. audax ad bellandum H. 15. A ** *Vig* bellum, pugna, cædes &c. *) & *Diarfr* audax (Dan. *diœrv*, Germ. *derb* &c.)

Vigdróttr f. præsidium, cohors H. 100. Vid. *Vig* & ** *Dróttr*.

Vígspá f. præsagitio cædis, oraculum bella nuntians V. 22. Vid. ** *Vig* & ** *Spá*.

Villr adj. (recent. *villtr*) errabundus H. 47. 158. vet. Dan. *will*, *willer*. Vid. † *Villa*.

Vilmœlandi sermone adsentans H. 25. A * *Vil* & ** *Mœla*. Cfr. † *Vilmdl*.

Vilmögr, *Vilmavgr* vilis homuncio H. 136. Verbo tenus: miseriæ filius. A * *Vil* (ærumna) & ** *Mavgr*. Cfr. * *Vilmegir*, * *Vilmögvm*.

Vilstígr voluptatis via, gratus trames H. 100. A ** *Vil* (voluptas) & *Stígr* m. trames, semita, Dan. *Sti*, Germ. *Steig*, *Steg*. Vid. † *Stíga*.

Vilt n. (ab adj. *Vildr* f. *vild* bonus, gratus) Svec. *Wild* H. 126. Vid. ** *Vil*, † *Vilia* velle; adde Svec. *wilja*, Alam. *Uuillen*, Ruſs. *nola*, *uoleia*, Boh. *wule*, Pol. *wole*, Sclav. *voilia*, Gall. *vouloir* &c.

Vindavld f. ventosa ætas V. 41. Vid. ** *Vindr* & † *Avld*.

Vindgr ventosus, aërius, vento circumfla-

*) Adde Turc. Arab. *Vœgh* bellum, prælium, Arab. *wœgh* (Isl. *vega*) percuti, Pers. *Vik* victori Chin. *Vu* res militaris.

tus H. 141. Dan. & AS. *vindig*, Germ. *windig*, Angl. *windy* &c. Vid. ** *Vindr* it. *Vindheimr* in Lex. myth.

(at) *Vinnaz (ek vinnz, vinnst — vannz)* recentius: *vinnaz til* sufficere, H. 60. Vid. ** *Vinna* (Norv. & Svec. *Vinna*).

Vinskapr m. amicitia H. 51. Dan. *Venskab*. Vid. † *Vinr* & † *Skap*, ** *Skapa*.

Vintraust n. confidentia in amicis. H. 65. Vide † *Vinr* & † *Treysta*.

Virgilnár m. laqveo obstrictum cadaver H. 60. A *Virgill*, *Virgull* (*Vingull*) funis contortus; mobile qvid pendens — (incertæ originis); cfr. Dan. *Værk*, Germ. *Werg*, *Werrig*, *Werck* stupa.

Virþi pro *Verdi*, vid. † *Verdr* (victus, cibus, Svec. *Ward*).

(at) ** *Vita* &c. scire (originitus videre) — pasfim; — *Vitandi vitz* sensu communi gaudens H. 28. *At vita géds* rationem observare H. 19. Adde seqventia: a) videre; Zend. *Veodan*, Pehlv. *Vinan*, MG. *Vinan*, Ruſs. *Videt*. b) scire Zend. & Pehlv. *Vedan*, Ruſs. *Vedat*, Germ. inf. *weden*. *weten*, Belg. *weeten* *).

(at) *Vita (ek víti, vítta)* domare, cogere (proprie reprehendere, punire) **) V. 20. Svec. *wita*, AS *vitan*, Angl. & Scot. *wite*. Vid. *Vitka* † *Víti*.

Vitadr vel forte *Vttadr (vittr)* probibitus H. 100. E mea sententia derivandum a verbo *Vita* s.

Vitandi vid. *Vita*.

(at) *Vitca*, *Vítka (ek v. vítkada)* reprehendere, vitii coarguere H. 75. Vid. *Vita* s.

Vítt pro *Vídt* late; *vítt oc vm vítt* longe et late V. 27. Vid. † *Vida*.

** *Viþr*, *Vidr* m. lignaria copia H. 60. *Tœda* 100.

(at) ** *Una* &c. adqviescere, contentum esſe H. 95. Adde Svec. *Una*.

* *Undorn* tempus pomeridianum V. 6. jam in Island. penitus obsoleta, sed nihilominus in rurali sermone Danorum, Norvegorum & Svecorum conservata, & omnibus certe varians refectionis tempus indicat; Jutis scilicet *Undern*, *Ynden*, *Onni* prandium (circa horam 11 vel meridianam) Norvegis (præsertim in regione *Tellemarken*) *Undaalen*, *Ondaalen*, *Aandaal* ***) (literâ *r*, ut alioqvin sæpe, hic in *l* mutata) circa horam 3 pomeridianam

---

*) De lucis & visus philologica cognatione conferantur porro duo doctisſima opera nimirum cl. *Hallenbergii Disqvisitio de nominibus in lingva sviogothica lucis & visus, cultusqve solaris in eadem lingva vestigiis Partes II. Holmiæ* 1816. & (in specie de nostro *vita*) *Arndt über den Ursprung und verschiedenartige Verwandtschaft der europäischen Sprachen. Frankf. am Mayn* 1818 p. 286. sq.

**) Svec. *vita* — Joh. Olavius Hypnones. in Gl. Landn sub voce *Vit* & alibi supponit nostri *vitti* perfectum esſe verbi *vita* incantare, fascinare, (*ek viti, vitta*). Cfr. * *Vitkar* * *Vitvgr*.

***) Multo difficilius recognosci potest in vocula vulgi Norvegici *Dul* veterum *Dagverdarmál* (jentaculum) qvamvis revera eadem sint vocabula, alioqvin *Daagurmaal*, *Daur*, *Dur* & pl. Cfr. ** *Dagr* & *Verdr*, (*Urdr*),

— sed Svecis borealibus vel Norlandicis *Undurn* e contrario jentaculum, temporis antemeridiani mediâ hora sumtum. Simili modo vocis significatio variasse videtur apud varias gentes Gotho-germanicæ originis. AElfrici Glosarium Anglosaxonicum vocem *Undern-geveord* per *prandium* interpretatur. *Undarn, Undern* Anglosaxonum plures glosatores sumsere pro tempore matutino & præsertim hora diei tertia, sed nostra nona; alii voces o*fér Undarn* "*vespere*" latine reddunt. Vox Anglorum jam obsoleta *Under-mele* pomeridianum tempus denotavit. Moesogothis *Undaurni* tempus matutinum significasse videtur. Nostro vati et *corvicinii Odiniani* auctori (str. 20) *Undarn* e contrario tempus pomeridianum denotavisse opinor. Cfr. danicam nostram Eddæ Sæmundini versionem I, 56. & II, 226 *).

Undinn (Dan. & AS. *vunden*, Finn. *vyndo*) Vid. ** *Tinda.*

Undrsamligr mirabilis V. 54. Germ. *wundersam*, Angl. *wonderous* &c. Vid. *Undr*, † *Undromk.*

(at) † *Unna* (ek * *Aun*) &c. favere H. 50. Adde Svec. *Unna.*

Uppbrenna comburere H. 70. Dan. *opbrænde.* Vid. † *Upp* (in totum, penitus) & † *Brenna.*

Upplok n. reclusio H. 138. Dan. *Oplukken, Oplukkelse.* Vid. † *Upp* & † *Liúka.*

Urdot o: *Urdo at* o: (*urdu egi*) H. 53.

Utstadr m. obs. locus extraneus, (extra fores vel domum) H. 114. Vid. † *Ut* & † *Stadr.*

Tœdr, Tæddr adj. obs. vestitus H. 61. Vid. * *Tœþaz* (*Tædaz*) *Tadar* s.

Tœni n. expectatio H. 73. Svec. *Tân*, AS. *Tene*, Scot. *Wene.* Vid. † *Tœna* (Norv. *Tone* &c.) † *Tán.*

Tœttak pro *Tœnta ek* (expectavi) H. 96. Vid. † *Tœna.*

** *Vœtr, Vættr* ens, res, aliqvid. Adde Svec. *Wät, Wœtta, Wickt*, Alam. *Uuete, Uniht*, Slav. *Westsch.*

Völo vid. *Vala.*

Y.

(at) *Yfirkoma* transire H. 81. Vid. † *Yfir* & † *Koma*, † *Komaz.*

Yggiongr, Yggiúngr vid. Lex. myth.

(at) *Ymia (Emia)* vid. † *Ymdo.*

(at) * *Yppa (ek yppi, yppta, yþþa)* extollere. Adde Svec. *Yppa.* Cfr. † *Ypþit.*

Yrkendvr (nom. sing. *Yrkiandi*) operarii H. 59. A verbo *Yrkia* operari, Svec. *Yr-*

*) *Undarn* forte originitus sonuit *Öndurn (Öndurd)* hora prima (vel prius spatium) o: aut diei aut etiam pomeridiani temporis, et sic de alterutro vel ambobus revera dici potuit. Cfr. † *Öndurdr.*

ka, qvod iterum ab *Orka* valere, adqvirere (Svec. *Orka* &c.). Vid. † *Verk*, † *Hálfyrkiom*.

Yrmlingr m. vermiculus (v. c.) angviculus R. 31. Germ. *Würmlein*, Norv. *Örmle*. Vid. † *Ormr*.

Ytar, *Itar* homines H. 28. 68. poët. Proprie forte viri præstantes; cfr. † *Itr*, † *Itarligr*.

Þ.

Þ*acdr*, (*Þ*aki*Þ*r*, Þ*aktr*) tectus V. 57. Vid. † Þ*ak* (tectum) alioqvin Þ*ekia* f. Adde Svec. & Lapp. *Tak*, Scot. *Thak*, Belg. *Dak*, Hibern. *Teag*, Gaël. *Tugha*, Pol. *Dach*, Hisp. *Techo*, Gr. τεχος, τεγη (στεγη), Pers. *Tak* (*Tripart.*). Cfr. Þ*akinn*.

Þ*áfiall* n. ad verbum: mons regelans ɔ: glacie regelante obductus H. 90. Vid. * Þ*ána*, † Þ*idna* & † *Fiall*.

Þ*agalt* vid. Þ*avgvll*. Adde Norv. *Tagall*.

Þ*akinn* pro Þ*ekiandi* tegens — vel etiam ad tectum pertinens, tegendis ædibus utilis H. 60. Þ*akin nœfvr* in lege Magni Regis Gulensi simpliciter Þ*aknœfvr* liber tegendis domibus idoneus. Vid. Þ*acdr* s.

Þ*armr* vid. Þ*armar*. Adde vet. Angl. *Thairms*.

Þ*avgvll* adj. n. Þ*agalt* taciturnus H. 6. Vid. ** Þ*egia*, † Þ*avgn*.

Þ*avll*, Þ*öll* f. arbor H. 50. (Alioqvin fœmina; cfr. Gr. θαλλία, — θηλυ). Vid. Þ*ollr* & *Gl. N.*

Þ*eims* pro Þ*eim es* (cui) H. 3.

Þ*eirs* pro Þ*eir es* (qvi pl.) H. 167.

Þ*erra* f. tersus vel manutergium H. 4. Vid. ** Þ*erra*.

† Þ*iódan* m. princeps vir, nobilis, civis ingenuus H. 15. 116. 149. Vid. Þ*iód* populus; adde Scot. *Thede*.

Þ*iódlöd* f. liberalis (vi vocis: popularis) invitatio. A † Þ*iód* & * *Löþ*, *Löd*, (Gen. *Ladar*), Germ. *Ladung* &c. Cfr. Þ*iódgódr* & pl.

Þ*iófr* m. fur H. 133. Vid. † Þ*ý* (serva) ubi illius vocabuli radicem me invenisse putavi. Cfr. *Gl. N.*

Þ*ó* (recent. Þ*voda*) V. 31. Vid. † Þ*vo* (Svec. *Twå*).

* Þ*ollr* m. arbor. V. 18. Cfr. Norv. *Toll* *), Svec. *Tall* pinus it. Gr. θαλλος ramus virens cet. Vid. Þ*avll* s.

Þ*orp* n. vicus (hic forte locus propatulus: tumulus elevatus **) in medio vel vicinia vici) H. 50. Vet. Dan. *Thorp* ***), Svec. *Torp*, Germ. *Dorf*, Belg. & Angl. *Dorp*,

*) E. gr. in denominationibus diversarum abiei specierum *Myr-Toll*, *Gör-Toll* & pl.

**) Tum verisimiliter vocabulum hocce derivandum foret ab adj. Þ*vrr*, torridus, aridus — qvum tumuli & loca elevata ab aqvarum dominio maxime immunes evadant. Talem fundum novi vici veteres coloni freqventer elegerunt.

***) Hinc multæ denominationes vicorum danicorum, mutatæ in *strup*, *drup*, *trup* &c. Hinc etiam islaud. Þ*orpari* villanus, Svec. *Torpare*, Alem. *Dorphere* & pl.

Alem. *Dorp*, *Thorp*, AS. þ*orpe*, Finn. *Torppa*, Ruſs. *Derebne*. Cfr. *Gloſſ. Synt.*

(at) ** þ*rvma* — adsiduo incubare H. 13 sedere, in sedili torpere H. 30.

þ*rúnginn* tumidus V. 24. crasſus R. 5. þ*rúngin dægur* tempora curis ac sollicitudinibus turgida R. 11. Vid. † þ*rúngit*.

þ*rysvar*, þ*risvar* ter V. 19. Angl. *Thrice*, Gall. *trois fois*, vet. Dan. *Trösfer*. Cfr. * *Tysvar*. Vid. † þ*rir*.

þ*vlar-stóll* oratoris (oratoria) sella H. 112. Vid. þ*vlr* & *Stóll*.

þ*vlr* m. orator, recitator, H. 136. Vid. * þ*vla*, þ*ylia*.

þ*vunr* adj. tenuis R. 28. (v. c.) subtilis — þ*vnnt hlióð* subtile silentium H. 7. Dan. *tynd*, Svec. *tunn*, *thunn*, Germ. *dünn*, AS. þ*yn*, þ*ynne*, Alem. *thunn*, *dunn*, Belg. *dunn*, Angl. *thin*, CBrit. *tene*, *tenau*, Armor. *tanau*, Hibern. *tana*, Pers. *tend*, Slav. *tonko*, *tonkii*, Chin. *tuon*. Cfr. Gr. τυνος, τυννος.

þ*urrfiallr* adj. sicco amictu (vi vocis: sicca cute) præditus H. 31. Vid. † þ*vrr*, Svec. *tör*, Gaël. *tioram* & † *Fiall* (pellis, tegmen)

(at) * þ*ylia* (*ek* þ*yl*, þ*ulda*, þ*vlinn*) sermocinari, perorare, recitare H. 112. mussitare, qvemadmodum soliloqvi H. 17. AS. þ*ylian*. Vid. þ*ylsk*, þ*vlr*. Cfr. *Gl. N.* v. þ*uldi*.

þ*ylsk* pro þ*ylr* H. 17. Vid. þ*ylia*.

þ*ærs* pro þ*ær es* (qvas) V. 54.

INDEX ONOMASTICUS,

Nomina propria, allegoricæ originis, in Carmine Rigiano occurrentia, etymologice explicans.

Adal ɔ: ingenuus, nobilis — unus filiorum (nobilium) Jarli Str. 38. De voce ipsa vide Gloſs. s.

Aſi ɔ: Avus (y. c.) liberorum colonorum pater Str. 16. De voce ipsa vide Glossaria T. 1 & 2. Cfr.

Ái ɔ: proavus, servilis generis propagator Str. 3. Significatio vocis lucide apparet e verbis Skaldæ: *Fyrstr er Fadir, Aſi annar, þridi Ái* ɔ; primus est *pater, avus* alter, tertius *proavus*. Eundem (vel potius atavi) sensum involvere videtur versus qvidam memorialis, in eodem opere servatus, ita incipiens

Ái oc áttúngr
Aſi [sonr] Fadir &c.

Etymon vocis nobis adhuc latet. De nomine dæmonis elementalis *Ái* cfr. Lex. Mythol. Si hoc revera de vocula *Á* (amnis, fluvius) derivandum, vox illa similiter ad *fontem*, scilicet generis vel prosapiæ, respicere videtur.

Ambátt ɔ: serva, famula — filia *Thrælis* Str. 16. De voce ipsa vid. Gl. T. 1 & 2. Hæcce porro ê Commentario Joh. Olav. Grunnav. adferre licebit: Qvidam hanc vocem derivant â Gallica *Ambacta* ɔ: serva . . . . Melandro *Ambubaia* est *ancilla*. Soranus ita: *Ambactus* Ennio est servus conductitius, qvi qvotidie locat operas suas. Ab Ennio mutuo sumsit hoc vocabulum Cæsar (Lib VI. de bello Gallico C. 15): "Plurimos circa se Ambactos clientesqve habet."

Amma ɔ: avia, uxor *Avi* Str. 16. Vide Glosſ. T. 2 & 1. Cfr. porro Finn. *Aemme* uxor, vetula Lapp. *Æmed* materfamilias, hospita &c.

Arfi ɔ: hæres — unus filiorum Jarli Str. 28. Vide Gl. T. 1 & 2. Cfr. nomen proprium

Arv, Arve inter recentiores Danos usitatum.

Arin-nefia Thrælis filiarum una Str. 13. Nomen hocce aut vertendum *a)* aduncum vel aqvilæ instar curvum nasum habens, ab *Ari* aqvila & *Nef* nasus, — aut etiam (et forte rectius) *b)* nasum foco insinuans aut fuligine nasum aspersa, ab *Arin* focus &c. Fabula islandica medii ævi, de Vilhelmo Crumenâ, nomen illud mulieri cuidam giganteæ attribuit.

Barn o: infans, natus — unus filiorum Iarli Str. 38. De voce ipsa vide Gl. T. 1 & 2.

Boddi o: rusticus — unus filiorum Karli Str. 21. Vox illa verisimiliter ejusdem originis est ac *Bóndi* infra, — nisi idem sit ac *Bodi* o: (familiæ) imperans. Vid. Gl. T. 2.

Bóndi o: colonus, rusticus, paterfamilias ibid. Vox ipsa contracta est ex alia *bóandi* obsol. pro *búandi*, habitator, a verbo ***Búa* habitare, rei oeconomicæ operam dare &c. Cfr. *Bú* supra in Gl. T. 3 & 2. Hinc Dan. *Bonde* (rusticus) *Hus-bonde* (pater-familias) & pl. Cfr. *Boddi*, *Búi*.

Brattskeggr o: gestans barbam arduam vel arrectam, Ibidem. Vid. ***Brattr* & *Skégg*; Cfr. *Bundinskéggi* i.

Breidr o: amplus (hic forte: latifundia possidens) Ibid. De voce ipsa vide Glosf. T. 1 & 2.

Brúdur o: virgo, sponsa (interdum qvoqve nupta, uxor) una filiarum Karli Str. 22. Vid. Gl. T. 1 & 2.

Búi o: habitator, colonus, it. vicinus — unus filiorum Karli Str. 21. Vide Gl. T. 1. Cfr. *Bú* s. ***Búa* & pl. it. *Bóndi*, *Boddi* s.

Bundin-skeggi o: obligatam vel evinctam barbam habens Ibid. Addit G. Pauli: "vel ornatus causa, vel ne inter varia opera inqvinaretur. Qvidam etiam contra coeli injurias sacculo serico s. bombycino barbas inclusere." De etymis vide ***Binda* & *Skégg*. Cfr. *Brattskéggr* s.

Bvrr, Bur o: natus, filius Jarli natu maximus Str. 3. Vid. Gl. T. 1 & 2.

Danr, Dan & *Danpr* } Str. 45.

An heroum dictorum hæcce nomina allegoricæ originis sint, decernere neqveo. Vide cæterum de iis introductionem nostram carminis Rigiani.

Digraldi o: obesus, crasfus — unus filiorum Thrælis Str. 12. Ab adj. *Digr* ejusdem notionis. Vid. Glosf. T. 3. Cfr. Dan. *Tykkert*, *Tykvom* Germ. *Dickbauch*, *Dickwanst* Angl. *Big-belly* &c.

Drengr o: juvenis, vir, — unus filiorum Karli Str. 21. Vid Gl. T. 1 & 2. Cfr. prolixam hujus vocis expositionem in Skalda (Ed. Rask. pag. 195-96).

Drumba o: torpida, segnis — una filiarum Thrælis Str. 13. Vide:

Drumbr o: stipes, truncus; metaphorice ho-

mo rudis vel agrestis — unus filiorum Thræ-lis Str. 12.

Dröttr ɔ: incesſu tardus, se vix per terram trahens, piger pedisseqvus; Ibid. Uti aliud *Drâttr* (tractus, subst.) â ** *Draga* (trahere).

Dumba (muta, taciturna) var. pro *Drumba* q. v.

Edda ɔ: proavia, uxor Aii Str. 3. Sic Skalda de hac voce: *Módir heitir — oc Amma, þridia Edda* ɔ: *Mater* (ipsa) prima est, *avia* secunda, tertia *proavia*. Cfr. aliud eddicum *Eida* mater et hæc MG. *Aithei* mater, *Atta* pater & multa alia.

Eikintiasna qvasi dixeris Ilicipala, (ab *eikin* iliceus & *tiasna* palus exiguus sive stipes peracutus, in terram defixus) — una filiarum Thrælis Str. 13. — nisi †*Eikin* (petulans, infesta) & *Tiasna* f. (stipes) dirîmi deberent, qvum duo diversarum personarum nomina revera effecerint.

Erna ɔ: vegeta, alacris, industria; gnata Herseris vel liberi Baronis, Jarlo (sive Comiti) nupta Str. 36. Origo vocis qværenda est in adj. m. †*Ern* vegetus, alacris cet. cfr. Germ. *ernst* — & circa primum etymon adj. vetus Scand. *Ör* adolescens, celer, strenuus cet.

Fadir ɔ: pater, propagator patricii generis. Str. 24. De voce ipsa vide Gl. T. 2.

Feima ɔ: pudibunda, vel etiam simpliciter: fœmina, filia Karli Str. 22. Inter mulierum appellationes invenitur in Skalda, cum hac explicatione: *Feima er sú köllut er ófröm er, sva sem úngar meyar eda þær konor er ódiarfar ero* ɔ: *Feima* dicitur ea (fœmina) qvæ in conspectum aliorum concedere timet, sicut virgines juvenes vel mulieres verecundæ. Cum hac voce cfr. porro Lat. *foemina* AS. *vemman, viman, vuman* Angl. *Woman* Finn. *Waimo*.

Fiösnir ɔ: bubulcus, bovili gaudens, filius Thrælis Str. 12. Vox ipsa occurrit in Skalda inter denominationes homuncionum, et sine dubio derivanda erit ab isl. *Fiós* (Norv. *Fiös*) bovile, qvod forte iterum a *Fé* (*Fie*) pecus (uti Dan. *Fæhus*).

Fliód ɔ: mulier (in specie, ut puto, blanda vel blandiens) filia Karli. Str. 22 Skalda vocem de sponsis vel nuptis tantummodo valere perhibet. Vide Gl. 2 & 1.

Fúlnir ɔ: putidus, foetidus, filius Thrælis Str. 12. Ab adj. *Fúll* id. vid. Gl. T. 2.

Halr ɔ: vir (forte asſecla, pedisseqvus) filius Karli Str. 21. Joh. Ol. Grunnav. vocem deducit a voce satis nota *hali*, qvæ poëtis antiqvis interdum comitatum notat. Vide cæterum Glosſ. T. 1 & 2.

Havldr vid. *Hölldr.*

Heimdallr vid. Lex. myth.

Hreimr ɔ: aut *a)* fuligine vel pruina aspersus (vid. *Hrím* in Gl. T. 1 & 2) vel *b)* garrulus, dicax (â *Hreimr* strepitus, clamor).

Hölldr (** *Havlldr*, *Hauldr*) ɔ: tenens, posfidens (proprium nempe fundum aut villam) — filius Karli Str. 21, Vide s. introductionem nostram pag. 161-62, 165-66. Cfr. Gl. T. 1 & 2. Hinc porro, sine dubio, Angl. *Holder* (Gall. *qvi tient, tenancier*).

Hösvir var. *Hösnir* (mihi non satis perspicuæ originis) filius Thrælis Str. 12. Forte ab *Hás* raucus unde *Hæsi* (*Hösi*) raucedo; cfr. *Hæsinn* in Glosf. T. 3. Gunnarus Pauli sic in hanc vocem commentatur: "*Hösnir*, *Hæsnir* gallinarum custos. Sic *Hæsna-þórir* (pro *Hænsna*) in Schedis Arii. Avium custodia minus honesta e. gr. *Grettis-Saga* Cap. 16."

Hypia vid. *Tötrvg-Hypia.*

Jarl ɔ: vir strenuus aut nobilis (cet.) filius *Faderi* (Patris, Patricii) Str. 51, aut potius Rigi vel Heimdalli Str. 33. cognomen *Rígr* postea hæreditario qvodam jure accipiens Str. 33. De voce ista consule Introductionem nostram pag. 164. & Gl. T. I. II & III. Adde vet. Angl. *Yerl*, Comes.

Jód ɔ: infans, proles — filius Jarli Str. 38. Vid. Gl. T. II.

Karl ɔ: vir, colonus — filius Avi, numerosæ gentis propagator Str. 18. De voce ipsa vide Gl. T. I. & II. Exterorum *Karl* (Scando francicæ, ut videtur, originis) uti nomen viri proprium, maximam acqvisivit celebritatem, latine *Carolus* redditum (Gall. *Charles* &c.)

Kefsir, *Képsir* ɔ; filius Thrælis Str. 12. aut a) baculum gestans (â τῳ *Képpr* baculus Dan. *Kjæp* &c.) aut b) contentiosus (a *Képpa* contendere cet.) vel etiam c) simpliciter: servus (uti antea è legibus Svecicis Vestrogothiæ annotavi). In Skalda præterea inter servorum appellationes habetur. Adhuc in Islandia, ni fallor, de famulo obstinato sive oblocutore pertinace usitatur.

Kleggi vel (forte rectius) *Klöggr* ɔ: obesus, crasfus — filius Thrælis str. 12. — *Kleggi* Islandis alias meta vel strues, præsertim foeni condensati; masfa compacta alicujus rei. Cfr. Angl. *Clog.*

Klúr, *Klúrr* ɔ: rudis, impolitus — filius Thrælis Str. 12.

Klöggr vid. *Kleggi.*

Konr ɔ: cognatus, vir, princeps — filius Jarli vel Rigi junioris natu minimus et hocce ejus nomen consecutus Str. 38. 42. De voce ipsa consule Introductionem nostram pag. 150. ac Glofs. T. II. Adde cæteris a) Tamul. *Kon* filius Gr. γονος — b) CLesg. *Chun* vir, Calmuck. *Gun* — Ind. Taynay & pl. *Kon.* — c) Belg. *Koning*, *Koninck* rex, Americ. *Konge*, Chin. *King*,

Kiun (*Tripart.*) huc etiam referenda Lett. *Kunigs* sacerdos, *Kunigaikstis* princeps. Cfr. *Kyn* (genus) in Glosſ. T. II. cui etiam forte addenda Chinesica (vel Sinensia) hæcce: *Ken* radix, *Chi*, stirps ramus, *Kiven* familia, affines. De vocis *Konink* apud Germanos origine et summa antiqvitate videatur porro disſertatio celeb. Græteri in ejus *Odina und Teutona* T. I. 1812. pag. 151 & sq.

Kumba o: corpulenta, crasſa et curta (ancilla) — filia Thrælis Str. 13. Cfr. *Kubbr* trunculus, res crasſa et brevis; *Kumpr* filico, homo nauci & pl.

Kvndr o; filius (ingenuus); cognatus (Germ. *Kind* &c) — unus filiorum Jarli Str. 38. De voce ipsa vid. Glosſ. T. II.

Leggialldi o: filius Thrælis Str. 12. Sic de hoc nomine Gunnarus Pauli: "vel pedonem significat, a *Leggr* tibia, et ad corporis deformitatem refertur, vel opus spectat servile de qvo mox: *lögdu Garda.*" Posteriorem sententiam similiter fovit *Joh. Ol. Grunnavicensis.* Cfr. *Leggia*, *Leggr* in Gl. T. II.

Lútr o: cernuus — Ibidem. — Vid. Glosſ. Tomi I.

Módir o: Mater — uxor Faderi (Patris) — patricii generis auctrix Str. 24. Vid. Glosſ. T. I & II.

Mögr, *Mavgr* o: cognatus, gnatus; vir, puer; filius Jarli Str. 38. Vid. Glosſ. T. I & II.

Nidr o: prognatus; cognatus, proprie descendens — filius Jarli Str. 38. Vide Gl. T. II; etymon verisimiliter qværendum in præpositione *Nidr* (deorsum) ibid.

Nidiúngr, idem ac *Nidr* . . l. c. sed terminatione derivativa saltem additâ.

Rigr, nomen adscitium Heimdalli Dei, mundum peragrantis — postea filio ipsius declarato sive adoptato impositum, (Str. 1 & sq. 33.) et ab eo ipsius nato, *Kono* nempe, redditum (Str. 42). Vide introductionem nostram Pag. 147-153. 155. 158. In Skalda alias occurrit vocabulum, *Rygur* (nostri, ut videtur fæminini) uti mulieris ditisſimæ sive valde potentis denominatio.

Ristill o: virago, mulier animo et indole strenua — filia Karli str. 22. Sic Skalda de illa voce: *Ristill er köllut sú kona er skörúglynd er* o: Ristill vocátur fæmina qvæ animo excelso (gravi vel intrepido) gaudet. Etymon mihi non perspicuum, qvod tamen in verbo *rísa* surgere, exaltari &c. qværendum opinor.

Seggr ɔ: vir (loqvax sive pugnax) — filius Karli Str. 22. Vide Glosſ. T. I & II. Cfr. Skalda l. c. pag. 196.

Smidr ɔ: faber. Ibid. Vide Gl. T. II.

Snót ɔ: elegans, lepida — filia Karli Str. 22. Skalda: "*Snótir heita þær er ordnæfrar ero*" ɔ: *Snotæ* vocantur mulieres facundæ (expedite vel verbis impreſſivis loqventes). Ab adj. *Snotr* elegans, lepidus, sapiens; vid. Gl. T. II. Hinc forte Dan. *Snut.*

Snör ɔ: agilis, festina, properans — uxor Karli Str. 20. Alias *nurus.* Vid. Gl. T. II. v. *Snarr, Snör.*

Sonr ɔ: filius (Jarli) Str, 38. Vide Gl. T. II. Cfr. porro Slavon. *Sün* filius, Chin. *Su* it. Perm. *Son* homo; Mongol *Son* homines.

Spracki ɔ: virago — filia Karli Str. 22. Mea sententiâ deducendum ab adj. *sprækr* strenuus, agilis.

Sprund (ambiguæ originis) Ibid. Skalda mu-lierem faſtui et ornatui multum deditam hâc voce ſignificari docet. (*Sprund oc Svanni heita þær konor er miöc fara med dramb oc ſkart*). Cfr. Gl. T. I. Circa etymon conferri forte meretur verbum *Spræna* ſcaturire.

Svanni (forte cygni instar candida a *Svanr* olor; vid. Gl. T. I.) Ibid. — Explicationem Skaldæ attuli ad vocem *Sprund* s.

Svarri ɔ: virago imperiosa vel loqvax. Ibid. Hæcce Skalda (Cod. Worm.): *Svarri oc Svarkr* (*heita þær konor*) *er mikilldtar ero* (addit Cod. Reg.) *oc hávadamiklar* ɔ: *Svarri* & *Svarkr* appellantur mulieres faſtuoſæ et clamoſæ.

Sveiun ɔ: juvenis, puer — filius Jarli Str. 38. De voce ipſa vide Gl. T. II. Hinc etiam nomen proprium virile Islandicum, *Sveinn*, Dan. *Svend*, Svec. *Swen* &c.

Trönubeina ɔ: gruipes, filia Thrælis Str. 13. Vid. *Travnohvöt* & *Bein* in Gl. T. II.

Tötrug-Hypia ɔ: laceripanna. Ibid. (niſi hic duo nomina legi et intelligi debeant). Vid. *Tavttryg, Tötrig* pannoſa & *Hypia* vacerra cæt. in Gl. T. II. cui tamen addendum qvod *Hypia* in ſermone hodierno Islandorum lanificium ſive texturam rudem et amplam ſignificet.

Vif ɔ: mulier, filia Karli Str. 22. Skalda teſte de ſponſâ vel nuptâ tantummodo uſitari debet. Vide Gl. T. II. (ubi recent. Dan. *Viv* ingenua eſſe probatur).

Ysia ɔ: immodica, præceps, tumultuoſa — filia Thrælis Str. 13. A verbo *Ysia,* proruere, graſſari, cfr. *Ys* tumultus, ſtrepitus.

Þegn ɔ: civis, colonus, minister filius; Karli Str. 21. Skalda hanc denominationem civibus vel colonis (qvi ipſi *búendur* ſonant) attribuendam aſſerit. Vid. Gl. T. II. Adde AS. *Þegen* vet. Dan. *Thegen, Degn*; vet. Germ. *Degen*, Lat. Barb. *Thanus.*

Þræll o: servus, — servilis generis propagator Str. 3. Vid. Gloſs. T. II.

Þýr o; serva — uxor Thrælis Str. 10. Þýrr m. de servo ipso dicitur. Vide Gl. T. II. sub v. Þý, Þýia. Accedit sententiæ nostræ auctor *Tripartiti* (T. I. pag. 28.) his nempe verbis "*Dieb, Schalk*, fur, *knave, varlet, cattivo* initio nil mali indicabant, sed pueros, servos, simpliciter. Sensim ingruit servilis pravitatis notio, et deflectebantur nomina."

Öckvinkálfa o: scirrhosura, ab *Öckur* scirrhus, callus, tuber et *Kálfi* sura (Dan. Jut. *Kalv*, Angl. *Calf*). Cfr. *Ockvinn* in Gl. T. III.

SCHEMA GENEALOGICUM

EXPONENS

CARMINIS RIGIANI ORIGINE SCANDINAVICAS.

Allegoria poëtæ nostri, de antiqvisſima Scandinaviæ vel totius borcalis Gothiæ habitatione, per tres diversas gentes vel populos effecta, ad priscas mythologiæ de mundi ipsius origine fietiones certum respectum habuisſe videtur. In eosmogonia nostratium summum universi et præsertim eoeli empyræi numen, *Surtur* nempe, emittit calorem et simul vitalem auram, ad primam macrocosmi animationem efficiendam, qvamvis ipsa mundi ereatio per tres *Boris* filios, *Odinum, Vile* & *Ve,* revera postcrius perfieeretur. Sie in hoece poëmate Heimdallus deus, qvi mundi nostri summus eustos & inspector habetur, terram peragrans & a perpaucis cjus incolis (qvi forte ab Aseo et Embla proereati putabantur) hospitio receptus, ipsos sua præscntia beans, calorem istum et vitalem auram provocat, qvæ populorum borealium futuræ propagationi sufficeret, qvamvis generatio ipsa per tres humanos viros efficeretur. Antiqvisſimæ nationes, Gothiea non exeeptâ, principalia numina variis modis tria statuere (ut Scandi nostri *Odin, Vili, Ve; Hár, Jafnhár,* Þ*ridi* &e.); & similiter accepere tres propriæ gentis primos propagatores, ipsos tamen a Diis ortos; sic ex. gr. Græei *Dorum, Xuthum* & *Æolum* (ab Hellene, Jovis filio, generatos) Scythæ *Leipoxain, Arpoxain* & *Colaxain* (Jovis nepotes) (vel etiam *Agathyrsum, Gelonem* & *Scytham* (Herculis filios) Germani *Ingævonem, Hermionem* & *Istævonem* (*Tuistonis* nepotes) &c. In præsente poëmate tres auctores borealis populi (in tres stirpes vel gentes

divisi) manifeste apparent: *Ai, Afi* & *Fadir;* tres iis correspondent matres: *Edda, Amma* & *Módir* (cum tribus mundi nutricibus, Nornis vel Parcis, aut tribus maximi momenti Asyniis *Frigga*, *Freya* & *Sifa* non iniqve comparandæ). Sed qvemadmodum Odinus, Deorum propagator, 12 filios genuit vel 12 majoribus Diis, qvasi gnatis maxime dilectis, præest, sic etiam qvisqve trium boreæ gentium *) auctor 12 genuit gnatos.

Numerus duodenus, non secus qvam ternus, magni a veterrimis populis æstimatus fuit. Tantæ sanctitatis origo inter gentiles in astronomia & physica chronologia probabiliter qværenda est. Sol mundanus, a Græcis & aliis κατ'ἐξοχην Deus dictus, annuo spatio metitur Zodiacum, in duodecim partes, totidem signis redditas, divisum & in unoqvoqve signo mensem moratur. Signa hæcce *domicilia solis* vel *coelestia* vocabantur, et cuivis eorum numen aliqvod præesse ethnici credidere; Cuncta tamen, cum ipso universo, a summo Deo, (Coelo, Jove vel Sole) gubernari putabantur. Hinc, e mea sententia, plurimarum gentium 12 magna numina, vel Dii majorum gentium, coeleste concilium formantes & universum dirigentes. Terrestres populi & eorum principes (primum simul sacerdoles) coelestem principatum ac ejus formas propriis institutis imitari studebant. Gentes fere omnes, se a Diis ortas credentes, humanos suos propatres eorum numero adaptabant. Hac ratione adductus Diodorus (in libro 40 secundum excerpta Photii) opinabatur Mosen populum Hebræum in duodecim tribus divisisse, ut distributio hæcce corresponderet anni 12 mensibus, qvi iterum cum ipsa gente a Coelo vel summo ejus numine gubernantur. Qvamvis præclarus ille historicus ista asfertione erraverit, certum nihilominus est, qvod de posteriore tempore ipsa sacra biblia aliqvid illi haud absimile referant, nempe Reg. 1 C. 4 v. 7. "Erant

*) Dæmones mythologiæ borealis in tres classes vel gentes variis modi dividi possunt e. gr. 1) *Asæ* sive Dii majorum gentium (nobilium hominum atavi). 2) *Alfi* sive Genii (a ruricolis præcipue culti.) 3) *Jotni* o: Titanes vel gigantes, Diis invisi, (uti servi hominibus, qvamvis illis fuerint natu majores). Dii ipsi sive bona numina in tres præterea classes distingvi solebant, nempe. 1) *Asas.* 2) *Vanos* & 3) *Alfos* (lucidos sive meliores); — ita etiam Jotni: 1) *Jötnar.* 2) *Risar.* 3) *Þusfar* &c. — Secundum aliud veteris Borealium Mythologiæ Systema Forniotus genuit tres filios: 1) *Hler* (*ÆEgir*). 2) Logi. 3) *Kár*, qvorum qvisqve numerosæ posteritatis conditor evasit (ut in Finnia & Svecia, ita etiam in Norvegia & Dania).

Salomoni duodecim sitarchi super totum Israëlem, qvi sustentabant regem et familiam ejus; mensem qvotannis erat unius cuiusqve sustentare eam"; cfr. v. 27. "qvisqve mense suo". Arabes, non secus qvam Hebræi 12 totius gentis propatres vel conditores, ab Ismaele ortos, accipiunt. Apud omnes fere antiqvitatis populos (& in specie Gotho-Germanicos) 12 antistites, senatores vel patricios, sub communi qvodam præfecto, invenimus, uti infra in Lexico mythologico paucis monstrare conabimur. Hic proprie de populi atavis vel propatribus sermo est. Qvemadmodum Odinus, borealium summus Deus, omnium cæterorum pater, sed præsertim tamen 12 inter eos majoribus præesse putabatur — sic etiam, nostro poëta teste, qvævis trium illarum septentrionalis populi vel gentium unum per 12 filios agnoscit auctorem, divi mundani (Heimdalli) adjumento beatum.

Hæcce, de mythicæ Rigiani carminis genealogiæ origine vel prototypis allata, e schemate seqvente clarius illucescere speramus.

Genealogia allegorica
Populi Gotho - Scandici
in tres gentes divisi.

Heimdallus Deus
(filius *Odini*, teste Skalda, sed alioqvin Vanis adnumeratus).

Sub specie humana et nomine adscititio *Rîgr*, terram peragrans, tres seqventes familias sua præsentia honorat, et idcirco â vetere poëta auctor habetur variarum gentium vel ordinum, qvi (septentrionis) regiones postea inhabitarunt.

Gens prima.

Homines rudes ac viles, postea *servi* & *liberti* vel glebæ adscripti (cfr. supra Pag. 158, 161, 166) o: plebs pæne servorum loco habita (cfr. Cæsar de bello Gallico *Lib.* 6. cap. 13).

I. *Á i* (proavus) ⌣ *Edda* (proavia).

|

Þræll, Uxor *Þý r.*

Eorum filii (cfr. Pag. 175).

1) *Hreimr.*
2) *Fiösnir.*
3) *Klúr.*
4) *Kleggi.*
5) *Kéfsir.*
6) *Fúlnir.*
7) *Drumbr.*
8) *Digralldi.*
9) *Dröttr.*
10) *Hösvir.*
11) *Lútr.*
12) *Leggialldi.*

et filiæ:

1) *Drumba.*
2) *Kumba.*
3) *Öcqvinkálfa*
4) *Arin-nefia.*
5) *Ysia.*
6) *Ambátt.*
7) *Eikin-tiasna.*
8) *Tötrug-hypia.*
9) *Trönubeina....*

Gens secunda.

Coloni liberi & proprii fundi posſesſores.

(Vid. pag. 159, 161, 165-66).

II. *Afi* (Avus) ⌣ *Amma* (Avia).

|

Karl, uxor *Snör.*

Eorum filii:

1) *Halr.*
2) *Drengr.*
3) *Höldr.*
4) *Þegn.*
5) *Smidr.*
6) *Breidr.*
7) *Bóndi.*
8) *Bundin-skeggi.*
9) *Búi.*
10) *Boddi.*
11) *Brattskéggr.*
12) *Seggr.*

et filiæ:

1) *Snót.*
2) *Brúdur.*
3) *Svanni.*
4) *Svarri.*
5) *Spracki.*
6) *Flód.*
7) *Sprund.*
8) *Vlf.*
9) *Feima.*
10) *Ristill* . . . .

Gens tertia.

Patricii sive nobiles (vid. pag. 160, 162–64, 165)

III. *Fadir* (pater) ⌣ *Módir* (mater).

Jarl vel *Rígr.* (II^{dus}).

Uxor: *Erna.*

Eorum filii:

1) *Burr.*
2) *Barn*
3) *Jód.*
4) *Adal*
5) *Arfi.*
6) *Mögur.*
7) *Nidr.*
8) *Nidiúngr.*
9) *Sonr.*
10) *Sveinn.*
11) *Kvndr.*
12) *Konr*, alias *Rígr.* (III^{tius}).

(Filiarum cuncta nomina desunt).

LEXICON MYTHOLOGICUM

IN

VETUSTA SEPTENTRIONALIUM CARMINA QVAE IN EDDA SAEMUNDINA CONTINENTUR.

A.

Ái nomen duobus geniis ê Dvergorum sive Alforum familia tributum, his nempe:

1) ê clasſe Modsogneris VS. 11.

2) ê coetu Dvalini VS. 14.

Vox verisimiliter deducenda est ab *Á* amnis, flumen, et *dæmonem aqvatilem* idcirco indicare videtur; — est alias *Ái atavus, proavus*, de qvo carmen Rigianum & index nominum allegoricorum, ibi occurrentium, rite consulendum.

Aldafadir vide *Alldafaþir*.

Alfadir vid. *Alfödur*.

Álfar (in nom. sing. *Álfr*) alias interdum, nomine ample generico *Dvergar* (q. v.) dæmones vel genii, inter numina & homines in medio constituti, illorum nutu elementis vel rerum naturæ imperantes ac in iis dirigendis operantes, sed invisibiles qvidem plurimis mortalium *). Significant igitur, uti Gudmundus Andreæ & post eum Johannes Olavius Grunnavicensis & pl. jamdudum observarunt, *virtutes cosmicas* vel *physicas*, aut *elementales Genios*. Dividuntur vulgo in duo diversa genera, hæc nempe:

I. *Liós-álfar* genii lucis, qvi iterum in duas clasſes distingvendi, videlicet:

α) Ad Empyræum sive summum coelum referendi; — habitant proprie in sphæra altisſimâ, qvæ nostratibus *Liós-álfa-heimr* (lucis geniorum mundus) cujus metropolis *Gimli* vel *Gimlir* (q.v.). Eorum princeps ducendus est altisſimus *Surtur*, universi primus creator & præstantisſimum numen. De illis præcipue consulenda Edda junior sive Snorroniana. Hic Ganglero (sive Gylfio) de locis coelestibus interroganti, Har sive

*) Pulchram & adcuratam Alforum descriptionem, ex antiqvis traditionibus sumtam, invenies in veteri Scotorum cantilena *the young Tamlane*, cum celebri introductione illùstrisſimi *Walteri Scott*, in ipsius libro: *Minstrelsy of the scottish border* II. 197 sq. Dicuntur ibi dæmones illi (Scotis jam vulgo noti sub alio nomine, nempe *Fairies*) formas et corpora sæpe permutare, in terrâ, aqvis vel aëre habitare, mox solaribus radiis vel ventorum alis vehi, mox aqvarum fluxu volutari; jam in excelsis atriis se jactare, jam germine rosæ sive putamine nucis includi &c.

Odinus ita respondet: "Lucis genii "*(Liosálfar)* ab obscuris dæmonibus "*(Döckálfar)* aspectu multum sunt dis- "similes, sed multo rê ipsa (vel ex- "perientiâ) dissimiliores. Alfi qvippe lu- "cidi aspectu sole sunt clariores sed Alfi tenebricosi pice nigriores" ... & paulo infra: "In australi [ac simul supremo] "coeli cardine [sive fastigio] locus est "aulicus omnium splendidissimus et qvi- "dem sole clarior qvi *Gimli* nuncupa- "tur, qvi post interitum coeli et terræ "perstabit et a bonis ac justis hominibus "per omnia secula incoletur. Sic dici- "tur in carmine *Völuspá*. [Vide ipsius "str. LVII]. Rêgerit Gangler: Qvid au- "tem hunc conservat locum qvando in- "cendium Surticum coelum et terram "exurit? Har respondet: Traditum est "aliud coelum nostro esse elevatius, au- "strum versus, qvod *Andlángr* (emi- "nus spirans sive longa spiramina tra- "hens) appellatur, et denique tertium, "cæteris elevatius, nomine *Vidbláinn* "(ɔ: late cæruleus i. e. cæruleus & late "extensus) in qvo dictum locum [*Gimli*] "putamus situm esse, sed Alfos lucidos "solos ista loca jam inhabitare opi- "namur" *). Sic summum coelum (sive coelestis regio) in qvo *Gimli*, altissimi Dei metropolis sita, rite dicendum *Liósalfaheimur* & simul inter novem mundos primo numero ornandum. Cfr. *Gimli* & *Surtr* i. Summæ lucis sphæræ vicina erat et aliqvanto inferior altera flammea sive proprie empyrea, *Muspell* dicta, & â flammeis dæmonibus, sub Surti regimine, inhabitata. Hinc sumsere tres fratres creatores *(Odin, Vile* & *Ve)* Boris filii, scintillas & globulos ignitos, et formarunt ex iis astra & fulgura, qvæ nostrum mundum illuminant **). Astra hæcce exinde inhabitant & dirigunt:

β) Genii Lucis ad nostrum mundum, proprie sic dictum, pertinentes. Iis præcipue attribuitur in Eddæ nostræ antiqvioris carmine *Grîmnismál* (Str. 5)

---

*) *Snorra-Edda* ed. Rask. Holm. 1818 pag. 21: *Liósálfar eru úlikir þeim [Döckálfum] sýnum, en miklu úlikari reyndum. Ljósálfar eru fegri en sól sýnum, en Döckálfar eru svartari en bik .... Á sunnanverdum himinsenda* [al. *heimsenda*] *er sá salr er allra er fegurstr oc biartari en sólin er Gimli heitir: hann skal standa þá er bædi himin oc jörd hefir fariz, oc byggia þann stad gódir menn oc rettlátir of allar alldir. Sva segir í Völospá... Þá mælti Gángleri: Hvat gætir þess stadar þá er surtalogi brennir himin oc jörd? Hár segir: sva er sagt at annarr himin sé sudr oc upp frá þessum himni, oc heitir sá himin Andlángr, en hinn þridi himin sé en upp frá þeim oc heitir sá Vidbláinn oc á þeim himni hyggium vér þenna stad vera, en Liósálfar einir hyggium vér at nú byggvi þá stadi.*"

**) *Snorra-Edda* l. c. pag. 9: "*Þá tóku þeir siur oc gneista þá er lausir fóru oc kastat hafdi úr Muspellz heimi, oc settu á* [*midian Ginnúnga*] *himin bædi ofan oc nedan, til at lýsa himin oc jörd*" &c.

regio *Álfheimr* (Alforum habitaculum) Freyero infanti a Diis in principio dierum donata. *Freyr* proprie solis numen, qvovis anno in signo zodiacali, qvod nobis *capricornus* dicitur, natum vel renatum, anno ipso simul ê naturæ lege renascente. Atavi nostri zodiaci signa vocavere duodecim coeli habitacula, regiones, urbes vel arces; inter hasce regio *Álfheimr* astrali capricorno respondet, & Freyerus vel Helius lucis geniis, qvi nostro mundo proprii sunt, qvasi summus princeps, a mundi Diis præficitur. — Lucis & tenebrarum dæmones sunt inter se oppositi, & hinc non mirum qvod Sol vel *Freyr* Deus Alfis nigris vel Dvergis subterraneis maxime infestus sit. Videantur ex. gr. Corvicinii Odiniani str. 24-25 (T. I. pag. 230-32). Cfr. *Álf-ravdull* i. Omnia hæcce late exposita sunt in commentario nostro ad Eddæ hujus translationem danicam (*Den ældre Edda* &c. Khavn 1821-23) præsertim T. I. pag. 148, 196 sq. Cfr. p. 152. Ex hoc Liosalforum genere verisimiliter fuere ii *Diei filii* (*Dags synir*) qvos Sigurdrifa sive Brynhilda invocat B. I. 3. (vide T. I. pag. 193) & forte etiam ii Diei filii vel cognati (*Dag-megir*) qvi in carmine AM. 61. obiter memorantur.

II. *Döck-álfar* (obscuri dæmones) *Svartálfar* (nigri dæmones) vel *Myrkálfar* (tenebrarum vel tenebricosi dæmones) i. e. genii lucifugæ, tenebras & caliginem producentes, illis, uti antea relatum, penitus oppositi. Hi ex Eddæ Snorronianæ relatione pice nigriores sunt et in terra subtus habitant. Subterranea eorum regio vulgo appellatur *Svartálfaheimr*. Hi Alfi a solis luce fugari dicuntur *Hr. G.* 24-25 et ortu vel prima luce diei contristari *Hmd. M.* 1. (cfr. obss. nostras sub v. *Glystamr* T. 2. pag. 642 & *Græti* pag. 647). Alias sæpe Dvergi appellati sunt, qvos etiam solis vel diei luce in lapides transformari vulgaris opinio statuit. Ex eorum numero fuit *Alvis* ille qvi Ving-Thori filiam ambire ausus est. Vide *Alvismál* str. 2. 3. & 36. Cfr. nostram in hujus carminis versionem Danicam introductionem & observationes l. c. T. 2. pag. 7 & 36.

Genii illi lucifugæ hodie etiam existunt in opinione vulgi in omnibus Septentrionis terris, diversa tamen nomina sortiti; vid. *Döckálfar* i.

Uti antea monui, Alfi omnes terrestres Dvergi interdum appellantur; verisimiliter propter invisibilem eorum & atomis compositam vel simillimam naturam. Alfi interdum post Asas ipsos qvasi eorum socii vel ministri nominantur e. gr. *Hr. G.* str. I. (ubi etiam, præ cæteris *intellectu præditi* feruntur) *Sk. F.* 7. *Þrymsqv.* 6. 7. *Hávamál* 162. *AE. dr.* 30. Voces qvædam ex Alforum sermone enumerantur in carmine *Alvismál* str. 10. 12. 14. 16. 18. 20, 24. 28. 30. 32. Genios & nymphas, eroticæ naturæ, qvi in oda *Fiölsvinnsmál* str. 35 & 39 enumerantur, Alfis & Disis annumerandos censeo. Alforum Runæ (li-

teræ vel scientiæ) ac eorum primarius doctor memorantur in poëmatio *Havam.* str. 146. Nornæ (Parcæ vel Sybillæ) ex Alforum (bonorum) & Dvergorum genere prognatæ occurrunt S. II. β. str. 13. Nymphæ ex Alforum familia Disæ *(Dísir)* vulgo appellatæ fuerunt. Ambo genera divinum cultum apud veteres Septentrionales nanciscebantur, certis festis in honorem eorum constitutis & dedicatis. Geniorum festa vel sacrificia illis data audiere *Alfablót*, sed Nympharum *Dísablót.* Alfi & Disæ junctim dicebantur *Vættir* (entia ɔ: metaphysica) *Land-Vættir* (terræ vel ruris numina aut genii) &c. A recentioribus Islandis vocantur *Álfar*, *Álfa-fólk* (Alforum gens vel populus) *Huldufólk* (gens occulta) &c. Anglo-Saxones eos olim appellarunt *Ælf, Ælfen* eosqve (secundum Glosar. *Ælfrici* & pl.) dividebant in Oreades *(Bergelfenne, Muntœlfen)* Moides *(Feldœlfen, Landelfenne)* Dryades *(Vuduælfen)* Hamadryades *(Wyldeælfen)* Naiades *(Sæ-ælfen, Wæterelfe)* Castalides (ɔ: castellorum & vicorum genii) *Dunœlfen.* Dvergos Alforum qvandam speciem esse putarunt. Hi omnes dæmones veteribus Scandinavis sine dubio noti fuere. — Alfi adhuc vulgo rurali Daniæ audiunt *Ællefolk*, dæmones masculi per se *Ælve*, *Elle* nymphæ autem *Elliser* (c: *Ælvdiser).* Cfr. *Dvergar*, *Svartálfar* i; — Vocantur in Svecia *Ælf*, *Elf* (pl. *Elfwor)* in Germania *Alp*, *Olp*, *Elp*, *Elb* &c. (qvæ tamen nomina hic sæpissime incubis vel magicis dæmonibus attribui solent). Ruricolæ Svecici hodiedum Alfos distingvunt in *bonos* et *malos* (lucidos vel atros). Alfi boni in coelo vel aëre habitant, in campis choreas ducunt et arborum aut florum ramis vel foliis insident. Alfi mali, in speluncis subterraneis residentes, morbos & alias calamitates inter mortales efficere putantur*). Similes opiniones in insula Danica Bornholmia foventur. Sacrificiorum gentilium, entibus hisce olim præstitorum, reliqviæ in superstitione borealium non adhuc omnino abolitæ sunt — uti genii illi jamjam certis denominationibus fruuntur, qvæ aliqvam eorum inter ruricolas venerationem manifeste produnt e. gr. in Islandia: *Liúflingar* (ad modum Germanici *Lieblinge*) ɔ: svaves vel boni genii **); in Norvegia & Dania *gode Vætter* (entia bona) *gode Drenge* (boni pueri vel juvenes) in Germania *gute Kinder* (boni infantes) *Huldchen*, *Holderchen* (cfr. islandicum nomen) in Scotia litorali sive gothica: *good Neighbours* (boni vicini) *god fellows* (socii bonii) *seely people, seely wights,* (beatus populus; beata entia vel boni genii);

*) Videantur de Svecicis hisce superstitionibus *Linnæi Itinerarium Gothlandicum*, *Arndt Reise in Schweden*, *Afzelii & Geyeri Svenska Folkvisor* p. p.

**) Sic in Islandia gens hæcce justitiam & æqvitatem præ aliis virtutibus colere fertur. Vid. Finni Johannei Hist. eccl. Island. T. 2. pag. 369.

in Scotia montana sive celtica: *Daoine Shie* o: homines pacis sive pacifici; in insula Mona & Hibernia populus bonus &c.

Ex Alforum & Disarum genere deducendæ sunt multæ diversæ dæmonum species, qvæ in Scandinaviæ regnis, labente tempore, alia nomina nactæ sunt e. gr. *Havmand*, *Havfrue*, *Marmæle*, *Nökke*, *Strömkarl*, *Fosse-Grim* & pl. o: Tritones & Sirenes (vel maritimi dæmones aut nymphæ) *Djurre*, *Huldre*, *Skovfrue*, *Ellepige* (Dryades, Hamadryades & Oreades) *Dverge*, *Puker* *), *Ellefolk*, *Underjordiske*, *Vætter*, *Toftevætter* vel *Tomtegubber*, *Nisser* &c. o: dæmones, pumilionum staturam referentes, qvi aut in montibus, tumulis & speculis subterraneis aut etiam, uti Lares veterum, in hominum domiciliis vel in locis iis vicinis, habitacula sibi elegisse putantur. Cfr. porro Glosf. T. I. p. 412 & Ind. n. pr. T. II. in nomen *Álfr* pag. 863. *Döckálfar*, *Dísir*, *Dvergar*, *Vættir* i.

Álfheimr regio coelestis, ab Alfis lucigenis vel *lucis geniis* habitata, primis temporibus, a Diis qvi mundum crearunt *Freyero* infanti in dentitionis monumentum donata **). Nominatur similiter in Edda Snoronia — & indicat e nostra sententia capricorni zodiacale signum, vel coelestem domum, *Soli qvotannis renato* a Diis, mundi rectoribus, adsignatum. Hinc *lucis genii* egrediuntur & integrum deinde anni circulum peragrant. — Longisima & aterrima anni nox, qvæ Freyeri vel Solis nativitatem præcedere vel efficere putabatur, vocata fuit â veteribus Anglo-Saxonibus (et verisimiliter a scandicis eorum cognatis) *Moedrenecht* o: materna nox, qvum Solis vel solaris Anni mater haberetur. Hac nocte, vel etiam ea qvæ novum annum præcedit, Alfi in Islandia nova habitacula petere & intrare perhibentur. Similis superstitio de solstitiari hyemis nocte (hic dicta *lille Juleaften*) a vulgo vicinorum boreæ regnorum fovetur. Eodem die Romani celebrarunt *Natalitia invicti Solis* vel Mithræ persici, AEgyptii autem Osiridis vel Hori &c. Festum julium (*Iól* proprie dictum) ob Solis annuum ad terras reditum â populis septentionalibus agitatum fuit, et qvidem, Procopii tempore, per qvadraginta dies. Cfr. T. II. pag. 689. Hæc de Alfheimo coeli nostri, qvi tamen probe distingvendus 1) a summo altisimi numinis coelo, extra nostram sphæram sito qvi proprie *Liós-álfaheimr* dici potest, qvum habitetur a

*) *Púki* in Islandia, *Puke* in Svecia, Dvergorum sive similium dæmonum species. Hinc Anglorum *Puck*, genius in Shakespeari fabulis celebratus. Cfr. Angl. *Pug* puer insolens; infans blanditiis assvetus.

**) Secundum morem atavorum nostrorum, adhuc in Islandia & boreali Norvegia usitatum. Alioqvin cimelia mobilia plerumqve in tali casu infantibus dantur, uti olim etiam inter Græcos, docente Callimacho, in Hymno ad Dianam, ubi dona ea describuntur qvæ Divæ recens natæ Vulcanus obtulerat. Cfr. T. II. pag. 58-59.

lucis primitivæ geniis, qvi â mundanis diversi, uti supra, sub voce *Álfar*, monstrare conati sumus. 2) a regione subterranea vel polo boreali vicina illi penitus opposita, a Svartalfis sive tenebrarum geniis (gigantibus & Dvergis malis) habitata. Hæc etiam *Álfheimr* appellatur in carmine *Thorsdrapa*. Ex Alfheimia lucida & tenebricosa conflatæ sunt recentiorum septentrionis populorum fictiones de geniorum subterraneorum regionibus, qvæ Islandis audiunt *Álfheimar* o: Alforum mundus vel habitacula, Scotis autem *Elfland* (AS. *AElfland* Isl. *Álfland*, Alforum terra sive regio) & *Elrick* (AS. *AElfrice* Isl. *Álfríki*) Alforum regnum *). Cfr. Regem (dæmonum) pumilionum *Elberich* in antiqvis Germanorum poëmatibus. 3) ab Alfheimis, Norvegiæ veteris regione sive provincia, inter fluvios *Gothelv* & *Romelv* sitâ. An Volundus, Finnorum (ut fertur) princeps, in carmine de eo agente str. 10 & 12 Alforum mythicorum aut historicorum popularis & dux appelletur, mihi non liqvet. Cfr. *Álfravdull* i.

Álfr nomen genericum dæmonum, in nom. pl. *Alfar* q. v.

Álfr nomen proprium dæmonis, ex Alforum sive Dvergorum genere VS. 14.

Álfravdvll, (*Álfrödull*) solis vocabulum *Vafthr. M.* 47. *Sk. f.* Str. 4. *Hr. G.* 25. Sensu ambiguo exponendum, aut 1) Alforum rutilator sive rutilans jubar — qvum de Alfis lucidis sermo sit; vid. Gl. T. I. pag. 412. & T. II. (v. *Ravdvll*) p. 756 aut 2) Alforum destructor — si denominatio illa tenebrarum dæmonibus adtribuenda foret — â verbo *rydia*, vel alio *rióda*, *hrióda* vastare, destruere. Deus *Freyr* ut antea vidimus (sub voce *Álfar*) soli, Alfheimo & Alfis lucidis præfuit, sed obscurorum dæmonum persecutor ê contrario semper habitus est. Hinc inveteratæ opiniones de die & sole noctis præstigia & malos spiritus fugantibus, ob qvam causam veteres poëtæ & in specie Scoto-Gaëlici Solem *noctis hostem* & *tenebrarum victorem* appellavere. Cfr. *Freyr*, *Odinn*.

Alfödur, *Alfavdvrr*, *Allfödur*, (rectius, ê recentiorum usu *Alfadir*) o: Omnium sive universi pater, unum ex Odini nominibus, ei attributum ut mundi nostri visibilis & humani generis creatori sive Demiurgo, & Deorum elementalium procreatori **) *Gr. M.* 41. *Hr. G.* 1 (ubi is præ aliis pollere sive efficere dicitur) H. II. 35. Fuit præterea Deus hicce, ê gentilium opinione temporis & anni pater***), æqvinoctialis periodi primordia & vernæ lucis triumphum in arietis coelesti signo

*) Vid. illustriſs. *W. Scott Minstrelsy of the Scottish borders* l. c. II. 149 sq. & doctiſs. *Rob. Jamieson Popular Ballads and Songs (Edinburgh* 1806) II. 12. sq.

**) Edda Snorron. Ed. Rask. p. 11. (de Odino): Oc *fyrir þvi má hann heita Allfavdr at hann er faþir allra gvþanna oc manna oc allz þeſs er af havnum oc hans krapti var fvllgért* cfr. prologum Eddæ ibid. p. 3. & *Gylfaginning* p. 24.

***) Ibid. (*Gylfaginning* p. 3.) *Gángleri hóf sva mál sitt. Hverr er œztr eþa ellztr allra god*

feliciter dirigens. Poëta christianus seculi undecimi *Arnor Jarlaskald* (Islandus natu sed Roskildiæ Danorum defunctus) nomen illud Odino attribuere ausus fuit. Respondet adcurate græco Παντοπατὴρ Jovi ab Orpheo Thrace ob similes rationes olim adtributo. *Surtus* reverâ, uti primaria universi causa efficiens & ipsius Odini procreator, illud nomen optime meruisse videtur; suspicamur præterea, qvod de eo, in allegata Corvicinii stropha, sermo sit; — neminem tamen latere potest qvod Zeus Græcorum similem adpellationem, Urano vel Saturno rite propriam, pari modo injuste usurpaverit. Cfr. versionis nostræ Danicæ I, 76, 157, 272, it. 67, 69, 110-11. II. 230. Vid. Gl. T. II. p. 560 & *Ódinn* i.

Algrön, Algræn o: Omnivirens, undeqvaqve viridis, insula mythica, ubi Harbardus Gigas se per qvinqve perpetuas hyemes habitasse & bella gessisse refert *Harb. L.* 15. Puto Harbardum, hyemis giganteum dæmonem, hic intelligere terram, qvi Cædmoni, Anglosaxonico vati, *Algrene* similiter audit, eadem qvidem vocabuli significatione. Vide *Al* & *Grænn* in Gl. T. II.

Alldafaþir, Alda-fadir, Othini appellatio *Vafthr. M.* 4. 53. recte ibidem explicata: ævorum sive seculorum pater (uti summum solis & astralis coeli numen) — ab *Avld, Öld* ævum, seculum (in nom. pl. *Alldir, Aldir;* Gen. *Allda*). Cfr. Gl. T. I. (pag. 413) cujus auctor, contra ipsam poëmatis versionem, vocabulum illud vertit: *viventium pater,* qvod hic minus congruum: vid. *Aldir* ibid. pag. 412. & Gl. T. II. p. 560 ut et *Avld* cet. p. 571. Cfr. *Alfödur* s. *Allda-gautr, Ódinn* i.

Allda-gautr Othini nomen *Vegt. Qv.* 6. 18. Vi vocis temporum aut populorum custos vel observator (a *Gæta* observare, custodire). Cfr. Gl. T. I. p. 413. (cujus de vocis origine conjectura mihi minus arridet). it. *Alldafaþir* s.

Allvaldi, Alvaldi vi vocis: omnipotens, omnia regens; — nomen proprium gigantis, Thiasii patris. *Harb. L.* 18. Denominationem illam alludere puto ad mediæ sive durisimæ hyemis in terrestri natura absolutum imperium, & Alvaldum igitur ipsam allegorice denotare; cfr. *þiasi* i. Edda Snorroniana (l. c. pag. 83.) præfert scriptionem *Avlvalldi, Ölvall-*

---

da? Hár segir: sá heitir Allfavdr at voro mali, en í Ásgardi enum forna átti hann 12 nöfn. Eitt er Alfavdr &c. . . . *lifir hann of allar alldir oc stiórnar avllu riki sínu oc qvllum lvtum, stórum oc smáum* o: Ganglerus sic exorsus est: Qvinam omnium Deorum summus est vel natu maximus? Respondit Har: ille lingva nostra *Allfödur* (Pantopater) nuncupatur at in Asgardia vetere duodecim ei erant nomina. Unum (vel primum) fuit *Alfödur* &c." Hic Odinus, qvasi anni pater, primum ejus a solstitio hiberno mensem, reliqvorum propagatorem, adqvirit et dirigit. Vid. vers. Dan. l. c. I, 156-157. Cfr. *Ásmundr, Jálkr, Ódinn* i.

di *) tradens istum gigantem auri ditissum fuisse, sed morientem istud tribus filiis reliqvisse, qvorum nomina érant *þiasfi, Idi* & *Gángr.* In isto mytho hyemalis Titan fortasfis convenit Ymero, omnium gigantum propatri, ê cujus capite coelum formatum fuit; Hyems polaris vel durissima abundat *auro borealis auroræ* (tali splendore sæpisfime micante) id tribus filiis i. e. hibernis mensibus sive periodis distribuens; qvum autem aureum illud phoenomenon non raro insignem edat fragorem, gigantum sermocinatio appellatum fuit, qvæ autem denominatio, per metathesin poëticam, auro ipsi (cum boreali lumine comparato) posterius contigit. Cfr. *Gérdur, Gýmir, Ægir* i.

Alsvidr, Alsviþurr ɔ: omnia adurens **), eqvus solaris alter *Grm.* 37. *B.* I. 15 (cfr. *Hrg.* 4). Vide Gl. T. II. pag. 864; cfr. Eddam Snorronianam l. c. pag. 12, V. *spá* str. 5 & *Vafthr* M. 47. Nomen, qvoad significationem, penitus convenit græcis eqvorum solarium nominibus *αἰθων* & *φλεγων (Aethon* & *Phlegon).* Cfr. *Árvakr* i.

Alsvidr ɔ: omnia adurens sive flammis vastans — dicitur forte de Surto, mundi destructore (et simul renovatore) mundos, sphæras; sive coela in ultimo terræ exitio dejiciente, sed iterum tamen colligente vel attollente *Hr. G.* 4.

Alsvidr (gigantum præceptor) vid. *Ásvidr* 1.

Alsvidr (filius Heimeris) Vid. T. II. in Ind. nom. propr.

Alvís, ɔ: Pansophus, omniscius, — Dvergus qvidam subterraneus aut dæmon lucifuga, Ving-Thori filiam ambire ausus, sed ab eo posterius nocturno tempore examinando detentus, donec lux diurna illum oppresserit & simul occiderit. Vide Carmen *Alvismál* cum introductione & notis T. I. pag. 251. & sq. Cfr. vers. Dan. II. 1-36.

Alvitur ɔ: omniscia, Cognomen Hervoræ Valkyriæ (humani Regis filiæ) V. Qv. Vide T. II. p. 561. 864. 878.

Alþiófr ɔ: omnia furans; Dvergus aut Alfus qvidam vel elementalis dæmon VSp. 11. Allegorico hocce nomine indicatur (ut puto) caligo sive tenebræ, qvæ e conspectu hominum omnia surripere videntur. Vid. *Al* & *þiófr* in Gl. T. II.

Amma vid. Indicem n. propr. carminis Rigiani.

An vel *Án* Alfus sive Dvergus VS. 13 (forte cum Anaro confusus). Vocabulum *Án* alioqvin notat ærumnam, molestiam (Gl. T. I. pag. 415. T. II, p. 562) sed occurrit etiam ut nomen proprium viri, olim in Norvegia usitatum.

Anarr, Anar Alfus sive Dvergus VS. 13. (forte cum Onaro confusus). Derivandum

*) An a cerevisia, hiberno tempore freqventer in conviviis potata? — aut alioqvin de hordeo, (cerevisiam gignente) hiemali spatio in terræ & frigoris dæmonum custodia latente?

**) Vel etiam: omnia videns sive noscens, a *sviþur, svinnr* sapiens vel *vita* videre, scire. Vid. Gl. T. II. Cfr. Vers. Dan. I, 264.

videtur a verbo *Ana*, incuriose vel impetuose procedere.

Andhrimnir Deorum sive Einheriorum coqvus aut promus condus *Gr. M.* 18. Cfr. Edda Snorr. l. c. pag. 42. it. Eddæ nostræ Vers. Dan. I, 237. & sq. Vox illa derivari debet ab *Andi* spiritus, aura & *Hrim* vapor condensatus vel 1) in pruinam vel 2) in fuliginem. Qvum *Valhalla* (uti alibi monstravi) pro coeli camera, arce vel palatio sæpe habita fuerit, multi Borealium coeli vel aëris varia phoenomena ad illius ornatum sive oeconomiam pertinere putarunt; — sic suspicor poëtam aliqvem vel sacrificulum originitus finxisse: qvotidianum coeli (matutinum et vespertinum) ruborem revera flammas esse, qveis defuncti heroes uterentur ad alimenta coqvenda. Esca hæcce dæmonum aëriæ naturæ correspondere debuit, & omnia simul ad eam pertinentia vapore qvodam sive elementorum exhalationibus (qvæ olim nostratibus *Hrim*) consistere *). Lardum præ omnibus fere ferculis antiqvorum temporum hominibus placebat**) & sic etiam Scandinavis nostris. Venatui maxime dediti fuere & apros præ cæteris feris appetebant. Hinc fabula de heroum umbris, nocturno tempore apros perseqventibus, venatorum more — & hinc etiam mythus ille de coelesti apro vel verre, dicto *Særimnir*, qvi qvotidie cæsus Einheris sive heroibus, in coelum receptis, escam præbuerit dulcisfimam***) et elixatus qvidem

*) Cfr. Deorum grajorum & septentrionalium convivia in ædibus Oceani; — Causa primaria talium fabularum qværenda est in astrolatria antiqvisfima, qvum stellæ pro Diis vel heroibus haberentur; sed ipsæ tamen humore aut vapore nutriri putarentur. Hoc non solum Macrobium, sed plures etiam Græcæ vetustatis philosophos statuere vidimus. Ipse Cicero (de natura Deorum Lib. 2. Cap. 46) stellas dicit flammeas esse ac terræ & coeli exhalationibus nutriri.

**) Sic Galenus athletas lardum reliqvis cibis prætulisse refert, uti escam maxime nutritoriam & corporis vires corroborantem. Antiqvi Romani aprum vocabant *animal propter convivia natum;* divites integrum aprum sive verrem mensæ imponebant, qvasi *caput coenæ*. (Plin. VIII. 51). De lardi magna adhuc in septentrione apud vulgus æstimatione vid. Vers. Dan. I, 238. & ingeniosam rusticæ Sælandiæ plebis descriptionem, Jongio nostro auctore.

***) Ideas, his non minus crudes, de coelesti beatorum convivio fovere olim qvidam Hebræorum Rabbini, coenam primam in Messiæ regno describentes; — ejus primum ferculum erit sylvestrium ferarum maxima, *Behemoth* dicta, secundum autem *Leviathan*, immane oceani monstrum, sed tertium avis qvædam omnium grandisfima. Plebeji Christiani (et forte plures) bellaria coelestia finxere, gustui temporis correspondentia; videatur exempli gratia vetus vulgi germanici cantilena, *Lied vom Himmel* dicta, ubi hæc inter alia (mel, vinum, uvas &c.) occurrunt:

Fette Schwainla waen wer broeta
Jounge Hihnla waen wer soeta,

o: pingves tunc asfabimus porculos, pullastros autem coqvemus. Non secus psalmus islandicus, seculi 17mi, de coelestis vitæ abundantia:

in lebete *Eldhrimnir* (ɔ: igneis vaporibus consistente) â coqvo *Andhrimnir* (aura sive vento, terræ coeli & maris exhalationes colligente sive condensante). Hæc e mea sententia totius mythi significatio; cfr. Eddam Snorronianam l. c. pag. 42. De ipsius nominis etymologia cfr. porro Gl. T. II. p. 572 (voce *Avnd*) T. I. p. 585 & II. 676.

Andvari, Oini filius, Dverguş sive dæmon, interdum in cataracte qvodam habitans, lupi piscis forma suscepta, donec Lokius eum ccperit; — et coëgerit ad tradendam ingentem auri copiam, qvam in posſeſſione habuerat — inter has divitias fuit annulus celebris, ab Andvario nomen *(Andvara-nautr)* nactus, sed ei postremo â Lokio ademtus. Hic a justo posſeſſore graviter exsecratus, multis postea aliis in perniciem evasit, ac Volsungorum, Budlungorum & Giukungorum familias summis affecit calamitatibus. Vid. S. II. *α.* T. II. pag. 151-55, 519-20. Vocatur *Andþvari* in Eddæ junioris Codice Regio (l. c. pag. 136) & dicitur ibi in *Svartalfaheim* (obscurorum geniorum regione) habitavisſe. Andvarius verisimiliter ad dæmones elementales aqvarum vel aëris pertinuit; — nomen ipsum adhuc Islandis sonat: aura tenuis, sed adversa; ab hac diversa alia vocis significatio: vigilantia nempe vel sedulitas.

Ángantýr (Friggiar) ɔ: Deus Friggæ carisſimus sive gratisſimus VS. 48. Odini appellatio. Vid. Gl. T. III. sub voce *Ángan.* Verti etiam potest: Fragrantium Friggæ (frugiferæ sive floridæ terræ) odorum numen. Cfr. Gl. T. I. pag. 415-16.

Ángeyia, una novem Heimdalli matrum, qvæ ex giganteo genere oriundæ dicuntur *Hyndln L.* 34. Cfr. *Heimdallr* i. Scribi forte deberet *Ángeygia* i. e. pulchris oculis prædita sive aspectu jucunda, qvum denominatio hæcce ad Iridem aliqvem haberet respectum.

Ángurbodi, vel, ut qvidam volunt *Avgrbodi, Ögurbodi* ɔ: mâla, moerorem vel calamitates nuntians — mulier gigantea, qvæ Lokio cohabitans trium pesſimorum monstrorum mater evasit; duo eorum, (Hela & lupus Fenrir) memorantur *Hyndl. L.* 36. Angvis Midgardensis ibi desideratur. Vid. Edd. pros. l. c. pag. 32. Angurbodam illam eandem esſe puto cum vetusta illa oreade sive furia, cujus *V Spá* 36 mentionem facit, uti Fenreris & aliorum abysſi monstrorum matricis. Sedes ejus orientem versus, in *Jarnvido* (ferrea sylva) sive Utgardis aut circulo montano, oceanum & orbem terrarum cingente, ibidem statuitur. Sic verisimiliter sermo est de *nocte perpetua* sive *infernali,* Diis ac mundo infesta, diversa forte a coelesti

---

Klára vin, feiti, mergr med
Man Þar til rétta veitt

ɔ: Merum limpidum, pingvia medullaqve ibi in victum adferentur. Cfr. *Særimnir* i.

illa qvæ *terræ mater* interdum dicta est. Cfr. *Nótt* p. p.

Árvakr ɔ: matutinus, mane evigilans; eqvus solaris alter *Gr. M.* 37. B. I. 15. Ab *Ár* aurora, mane cet. (Vid. T. II. p. 864). Sic unus solarium eqvorum apud Græcos & Latinos Eos, Eous vel Πυρόεις dictus fuit. Cfr. *Alsvidr* s.

Ás, Áſs (Asa ɔ: Deus) vid. *Æsir* i.

Ása-bragr Asarum (subordinatorum) præstantisſimus *Sk. f.* 34. Sic verisimiliter hic vocatur Deus *Thor* qvi in Edda Snorroniana p. 25 primus inter eos dicitur esſe. Cfr. Vers. Dan. II. 203. it. Gl. T. I. p. 442. II. 591 (in voce *Bragr*).

Ása-salr ɔ: Asarum aula sive atrium — vocatur ædes Freyæ (alias *Seſsrúmnir* dicta) Þr. Qv. 13. Cfr. *Vingólf* i.

Ása-synir ɔ: Asarum filii *Gr. M.* 41. *Sk. F.* 17. *Alv. M.* 16 aut ipsi Asæ sive Dii minorum gentium, aut Einheri sive heroës in coelum recepti, vel etiam primis locis Alfi lucidi. Cfr. *Ásmegir, Álfheimar.*

Ása-Þór (Thor Asarum unus) *Harb. L.* 50. Cfr. Edd. Snorr. p. 25. Dicitur alioqvin *Auko-Þór, Öku-Þór* i. e. currum (fulminantem) agens. Vid. *Þórr, Þór* i.

Ásbrú (Asarum sive Deorum pons) alio nomine *Bifröst*, Iris nempe *Gr. M.* 29.

Ásgardr ɔ: Asarum urbs sive regio *Hym. Qv.* 6. Þr. *Qv.* 18. In plur. *Ásagardar* Þr. *Qv.* 5. 9. Describitur *Gr. M.* 4. uti regio elata vel sancta *(heidlægt* aut *heilagt land)* sive propria Asis & Alfis (lucidis) & aliena a Thrudheimo, Thori, fulminantis Dei aërio & inferiore regno. Seqventes Strophæ enumerant duodecim arces, regiones sive mansiones, qvarum plurimæ in Edda Snorroniana recensentur ac in coelis locantur — & sine dubio pro duodecim zodiaci signis vel solaribus domiciliis accipiendæ sunt. Statuere plures atavorum nostrorum Asgardiam simul vocari regionem terræ mediam, maxime elevatam, sitam in monte altisſimo (Caucaso nempe) ubi qvidam locavere Deorum sedem & coeli portas sive aditum; in vicinis locis primaria statuebant humani generis habitacula & suam veram patriam, unde borealium regnorum conditores, Deorum prognati & in terrestri imperio succesſores, hic novas sedes qvæsierint. Persas, Medos & Alanos similes opiniones de Caucaso *(al. Borz)* Deorum sede & hominum incunabulis olim ſovisſe, notisſimum est — & simul verisimile: qvod opinio ista originitus cohæserit cum religione Indorum, qvæ eandem de Indico Caucaso (monte *Meru* sive *Himalaja*) sententiam accepit. Hinc duplex veterum Scandinavorum Asgardia, nimirum 1) coelestis, in Edda antiqviore semper indicata & in juniore dicta Asgardia antiqva *(Ásgardr hinn forni)* ubi Odinus, mundi nostri creator & regnator, duodecim principalia nomina præ cæteris usurpasſe fertur, qvæ tamen duodecim anni mensibus conveniunt, uti ego probare tentavi in Eddæ nostræ vers. Dan. I, 156 & sq. Coelestis Asgardiæ metropolis sive principalis arx *Valhalla* fuit *Grm.* str. 8. cfr. Edda Snorron. pag. 41-44 &c.

2) Terrestris, in Caucaso & vicinis regionibus sita, de qvo consulenda Snorronis Sturlæi Heimskringla, Yngl. Sagæ Cap. 2*) (cum Cap. 5to collato). Qvum Troja, inter medii ævi Europæos, urbium antiqvitatis asiaticarum celeberrima fuerit, & boreales gentes suam a Trojanis sive Phrygibus (qui in Thraciam & regiones Tanai vicinas emigraverat) originem ducere amarent — auctor prologi & epilogi, qvæ Eddam juniorem comitantur, Asgardiam pro Troia perperam explicare non hæsitavit, mythologiam borealem simul â Trojæ, Phrygiæ & Thraciæ mythicâ historia deducens **). Videatur cæterum nostra terrestris Asgardiæ expositio in hujus Operis T. 2. pag. 865-66 ***).

Qvod autem veterrima Asgardia in coelis ponenda sit, in commentario nostro ad hujus Eddæ versionem Danicam passim monstravimus. Thesin ipsam ante nos plures docti viri probaverunt e. gr. celeberrimus *Graeterus* (In operis sui *nordische Blumen* Edit. I. 1789. pag. 323. & sq.) *Bastholmius* (in libro: *Historisk-philosophiske Undersögelser* &c. 1802. pag. 587 & sq.) & pl. Addo tamen seqventia è tali deductione beati Ketillii, typis nondum expressa: "Danos, Svecos & Norvagos Deos in cælis collocasse multa antiqvitatum exempla docent e. gr. *Yngl. S.* Cap. 10 ****). Idem de Deorum cælestibus habitaculis multa Eddæ loca comprobant, ut Fab. 14 (l. c. pag. 18.) qvæ po-

*) "*Fyrir austan Tanaqvisl í Asia var kallat Ásaland edr Ásaheimr; en höfutborgina, er í var landino, kölludu Þeir Ásgard* o: Ad orientem Tanai [sive regioni Tanaqvisl, inter Tanain & Vardanum sitæ] confinis regio fuit dicta *Ásaland* (Asarum terra) & *Ásaheimr* (Asarum sedes sive domicilia) caput autem (sive metropolin) regionis vocabant *Asgard*". Huic omnino consona relatio fabulæ mythicæ, sed a monachis forte corruptæ, (*Saga Olafs Tryggvasonar* Ed. Scalholt. Part. 2 Cap. 17 & recusa in appendice Eddæ Snorronianæ l. c. p. 354.) Nomen *Ásaheimr (Ásheimr)* ex observatione Grundtvigii in lingvam Danorum recentiorem recte vertitur *Ashjem;* — an autem voces istæ originitus aliqvid commune habuerint cum Persiæ vel persici regni asiatico nomine *Azjem*, unde *Azjemian* Persæ (fere consonum nostrorum monumentorum *Asiemen*, de Asgardiæ terrestris incolis dicto) alii dijudicent. Vid. *Hyde de religione veterum Persarum* Ed. 2. p. 425.

**) Accedit annotatio textui Eddæ junioris inserta (l. c. pag. 10) sed e Raskii observatione Codici Upsaliensi penitus ignota (qvum de Asgardia in medio mundo a Diis locata sermo sit): Þat kavllum vér Troia o: eam (urbem) Trojam vocamus.

***) Adde commentationes nostras Danica lingva compositas: *Udsigt over den kaukasiske Menneskestammes ældste Hjemsted og Udvandringer.* Kiöbenhavn 1818; *Bidrag til nordisk Archæologie*, Khavn 1820. Pag. 10-23, 189-203. Plura etiam attulimus in opere nondum impresso: *Edda-Læren og dens Oprindelse.* Conferatur porro doctum opus celeb. Ritteri: *Die Vorhalle Europäischer Völker-Geschichten, vor Herodotus, um den Kaukasus und an den Gestaden des Pontus.* Berlin 1820.

****) *Hkr.* T. I. pag. 14-15: "Odinus [Rex & summi Dei sacerdos] dixit se in Godheimum (Deorum mundum sive regionem) transiturum & illic laute amicos suos excepturum; credebant igi-

nit locum judicio Deorum consecratum in cœlo apud *Urdarbrunn*, & viam illuc *Bifrastam* sev Iridem. Confer Fab. 13 (pag. 13-14) sed præsertim fab. 15. (pag. 20. 21) qvæ palatia Deorum in coelo magnifica enumerat" *). Plura hujus asfertionis documenta adferemus in nostro borealis mythologiæ systemate. Cæt. vid. *Áss*, *Æsir*, *Hávahavll*, *Valhavll* & pl.

Askr, *Askur*, vir inter mortales primus, a tribus Boris filiis *(Odino, Hœnero* sive *Vilio*, & *Lodero* aut *Veo)* creatus *V. Spá.* 15-16. En Eddæ Snorronianæ de hominum creatione relationem (l. c. pag. 10). "Gangler interrogavit: Unde prodierunt homines qvi mundum incolunt? Har respondit: Cum filii Boris in maris littore ambularent, inveniebant duas arbores [sive ligna] & ex iis creabant homines. Eorum primus (Odinus) animam & vitam dedit; alius [Hœner sive Vili] rationem & motum; tertius vero [Ve sive Lódur] faciem, loqvelam, auditum & visum attribuit, qvibus peractis vestitum & nomina illis addiderunt. Nomen viri erat *Askur*, fœminæ vero *Embla*, unde genus humanum est propagatum, cui habitatio sub [vel in] Midgardo concesfa est". *Askr* alias *fraxinus*, de qva voce cæterum consulenda Glosfaria T. I & II. Oportet igitur virum primarium ex arbore ejus generis formatum fuisfe. Accedit fraxinus primaria sive universalis arbor, mundi symbolum, de qvo infra agemus (sub titulo *Yggdrasill*). Sic mundus minor (μικροκοσμος) cum majore (μακροκόσμος) a veterrimis nostris atavis comparatus fuit, & ambo qvidem sub fraxini specie repræsentati. Superstitiones antiqvæ inter Celtas & Gotho-Germanos, de hujus ligni præcipua sanctitate & salubritate, adhuc non sunt omnino abolitæ; sic vulgus Danicum & Norvegicum fraxineas arbores dividit in *mares* & *foeminas* & una cum Germanis præstantisfimas vulnera sanandi vires ipsi ligno attribuit **). Vir sive homo antiqvis

---

tur Sveci eum migrasfe in antiqvam Asgardiam, ibiqve in æternum victurum esfe . . . Post mortem Odinus impositus est rogo atqve pompa eximia crematus. Persvasum erat illis, qvo altius in aëra adscendebat fumus (pyræ), eo splendidiorem in coelis futuram ejus conditionem, cujus erat rogus, tantoque eum ditiorem fore, qvo plures cum eo cremarentur divitiæ". Illam translationem nos aliqvantulum emendasfe putamus, cum verba *i lopt upp* & *i himninum* in ea non sint rite expresfa.

*) Adde Lucretii de aliis vetustatis populis dicta:

In coelo Deum sedes & templa locarunt.

Id etiam de veteribus Gallis & Germanis constat; videatur e. gr. oratio Ansivariorum in Taciti Annal. XIII. 54. 56. An persicum *Asman* coelum (Zend. *Asmenem*) cum Asarum & Asgardiæ nomine aliqvid commune habeat, aliis investigandum relinqvo.

**) Vid. e. gr. *Bomare historiæ naturalis* vers. Dan. Tit. *Ask*, *Æske*; *Zinck allgem. Oeconom. Lexicon* 1, 672.

Anglo-Saxonibus sæpe sonuit *Æsc*, uti nobis ipsis *Askr*, unde concludere possumus: eundem inter illos de hominis creatione mythum olim traditum & acceptum fuisse. Hoc per se non mirum, qvum magna Anglo-Saxonum pars e borea nostro emigraverit & ipsi Germani similes opiniones de humani generis origine olim foverint *) — id autem magis est admirandum, qvod Græci veteres homines e fraxino creatos perhibuerint **). Observatione non minus est digna relatio Persarum veterrima de primorum hominum formatione ex arbore qvadam, qvæ vulgo dicitur *Ribas* vel *Reivas* sed alio nomine *Aschkun*, qvod nostro *Askur* (in Acc. Sing. *Askinn* olim forte *Askunn*, *Aschun*) convenire videtur. Si majores nostri e vetere Persia vel Media revera fuerint egressi, verisimile simul evadit eos sacram istam traditionem conservasse; qvum autem orientale illud arboris genus, *Aschkun* dictum, hic non invenerint, nomen ejus labente tempore fraxino impositum fuit, & fabula de hac arbore, nomine mutato, deinde relata. Cfr. *Líf*, *Lífþrasir* it. *Embla* i.

Áslíþar, *Áslidar* (in nom. sing. *Áslidi*) comites sive socii Asarum *Sk. F.* 34 ubi aut de Alfis lucidis vel melioris indolis, aut etiam de Einheris sive heroibus sermo est. Ab *Áss* Deus & *Lidi* socius, comes, auxiliator. Cfr. Gl. T. I. & *Ása-synir*, *Asmegir*.

Ásmegir (nom. sing. *Ásmavgr*, *Ásmögr*) cognati sive filii Asarum *Vegt. Qv.* 12. Hic aut ipsi Asæ aut Alfi, heroes vel boni homines intelligendi sunt. In carmine *Fiölsv. M.* 34 Alfi qvidam vel genii erotici nomine *Ásmegir* adornari videntur. Cfr. *Ásasynir*, *Áslíþar* s. & Gl. T. 1.

Ásmundr Heros qvidam sive Titan, apud qvem Odinus aliqvamdiu latuit sub nomine adscititio *Jálkr Gr. M.* 47. Nomen *Ásmundr* originitus verisimiliter notavit: divina dos, dei donum — qvamvis vocabulum consonum adhuc significet rudem ferri massam, nuper e fornace receptam. Hic forte *Ásmundur* corruptum est alia *Ásmundull*, *Ásmöndull* o: axis rotæ vel machinæ rotatilis, qvum denominatio ista alluderet ad axem rotæ cælestis, solis nempe, aut astralis machinæ conversionem in fine brumæ; — eo enim tempore Odinus (anni numen) vocabatur *Jálkr* (senex eviratus) uti monstrare conatus sum in vers. Eddæ ant. Dan. I. 157.

---

*) Sic tradidere Semnones se lucum qvendam vel sylvam religiose colere, qvum ipse populus inde ortus crederetur; Taciti German. Cap. 39. Primus Saxonum Dux *Aschanes*, *Askanes*, *Askanius* idem forte est cum Asko nostro, & simili modo in *sylva* Hercynia procreatus esse fertur. Vide *Grimm Deutsche Sagen* II 62. Sic etiam, Persarum reges Ascanides ab heroe fortissimo *Aschk* dicto se prognatos ferebant.

**) Cfr. Tit. *Embla*, *Emla* infra it. cl. Thorkelini observationes de mythis Græco-Romanis & pl. qvi homines, stirpium instar, è terrâ ortos statuerunt, in hujus operis T. I. pag. 29.

Ás, Áſs Deus &c. (Vid. Gloſ. T. II.) in plur. *AEsir*, hic ubicunqve Dii coelestes, ex Asgardia veteri (coelo nempe) orti vel ibi habitantes, (paſſim). Creant *(Bors filii)* coelum ac terram *VSpá* 4, 5 & ordinant tempora 6. Conveniunt in Idæ (coelesti) campo, propria delubra vel fana exstruentes et ornantes *VSpá* 7. Ludunt Asæ aureis (astralibus) orbiculis 8. Creant Dvergos, Alfos sive physicos genios aut dæmones 9-14 et homines ipsos 16. Eorum munimenta læduntur 22-23. Bellum eorum (cosmogonicum) cum Vanis (sive aëriis Diis) gestum, celebratur proprie in Edda juniore (l. c.) qvamvis ejus mentio fieri videatur *VSpá* 22. *Vafthr. M.* 39. Cfr. *Hkr. Yngl. S.* Cap. 4 & nostram hujus Eddæ Vers. Dan. I. 94, 114-15. Concilia vel comitia Asarum de cæde Gullveigæ puniendâ *Vsp.* 21; de subductione Freyæ & aëris corruptione 23; de malleo Thoris recuperando *Þr. Qv.* 14; de convivio (feudali sive tributario) ab AEgero, Oceani giganteo domino, expetito *Hym. Qv.* 1. sq., cfr. 39 & prologum *AEg. dr.* — Convivia Asarum *Hym. Qv.* 1; Asyniis sive Deabus itidem praesentibus (in palatio *Vingolf*) *Hr. G.* 17-23; (apud AEgerum) *AEgis. Dr.* Alfis similiter ibid. 30 & Einheris sive defunctis heroibus *Vafthr. M.* 41. Judicium Asarum qvotidianum ad fraxinum Ygdrasill (mundi columnam) *Gr. M.* 29 (cfr. Edd. Snorr. p. 17-18). Tristes eorum de Balderi somniis & fatis praesagitiones ac consilia *Hr. G.* 2. sq. *Vegt. Qv.* 1. sq. (cfr. Ed. Sn. p. 64 sq.). Divinationes Asarum *Hym. Qv.* 1. *Hr. G.* 2. Asæ Lokium excludunt ex eorum communione & ipsius scelera severe puniunt *AEg. Dr.* Asarum & Titanum cognatio & mutua hostilitas *Vafthr. M.* 28 sq. *) (cfr. Edd. Sn. p. 6. 7. 8.) *Sk. F.* 7. Asarum & Alforum (lucidorum sive bonorum) sodalitium vel conjunctio *VSp.* 46. *Gr. M.* 4. *Þr. Qv.* 6.

*) *Vafthr. M.* str. 31 posterior pars longe aliter, qvam in textu nostro, legitur in Eddæ Snorronianæ Codicibus Regio & Wormiano (vid. Ed. Rask. p. 6.) sic nempe (cum de Örgemlero sive Ymero Vafthrudner Gigas cum Odino Deo colloqvatur).

Cod. R. *Þar eru orar ættir*
Komnar allar saman
Þvi er Þat æ allt til atalt
Cod. W. *Þar orar ættir*
Komu allar saman
Þvi er Þat allt atalt
i. e. Ibi nostra genera (stemmata)
Cuncta conveniunt
Idcirco omnia (entia) sunt vehementia (s. mutuo infesta).

Hinc perpetua Asarum & Jotnorum, coeli & abyssi, lucis & tenebrarum, frigoris ac caloris, boni & mali disſidia. Hi versus, duobus vetustis Eddæ prosaicæ exemplaribus diversis verbis inserti, manifeste monstrant plures ante ea Eddæ poëticæ membranaceos codices exstitisſe a nostro qvidem differentes. En igitur lucidum ipsius authentiæ & antiqvitatis exemplum!

7. *Sk. F.* 7. 17. 18. *Æg. dr.* 30. *Hava M.* 162.-163. SII. β. 13. B. I. 18. Asarum filii vid. *Ásasynir*, *Ásmegir.* Asarum regnum sive regio (coelum) vid. *Ásgardr*, *Valhöll*, *Hávahöll* cet. Eorum pons Iris vid. *Bifröst*, via autem (ê nostra sententia) coeli via lactea; vid. *Bilröst.* Asarum eqvi (â fulgentibus astris sive meteoris originem forte ducentes) enumerantur *Gr. M.* 30 (cfr. 37). Asæ post Balderi mortem undecim fuisse dicuntur *Hyndl. L.* 27 *). Asæ ab hominibus invocantur B. I. 4. cfr. *Hyndlu L.* 2. 4. 46. *Hava M.* 147. 148 it. *AM.* 53. *OG.* 6. 8. Asæ conventum celebrant, magna mundi devastatione appropinqvante *VSpá* 46 (cfr. 39). Ultimus eorum cum Surto, Muspellianis, Gigantibus & Lokii familia conflictus *VSp.* 47-51. *Vafthr. M.* 17. 18. 50. 53 cfr. 44. 47. *Hyndl. L.* 38. 40. Regeneratio eorum cum mundo ipso, ac nova in Idæo campo comitia et deliberationes — *VSpá* 52. 56 cfr. 58; *Vafthr. M.* 44-45. 47. 50-51; cfr. Ed. Snorron. l. c. pag. 70-77. Vid. Glosf. T. I. & II. v. *Ás*, *Áss* **) & Ind. nom. pr. T. II. v. *Æsir* it. *Ásynior* i.

*) Plena serie duodecim igitur numerabantur. Vide supra pag. 269-270, ubi simul observavimus, qvod omnes fere antiqvitatis gentes 12 antistites, senatores vel patricios sub communi qvodam præfecto habuerint. De Hebræorum institutis ejus generis antea locuti sumus. Trojani & Phæaces 12 judicibus sive senatoribus paruere, Hetrusci autem 12 Lucumonibus. De Asarum (gothicæ) gentis constitutione, in asiaticis populi sedibus facta, sic loqvitur *Yngl. S.* Cap. 2. "In Asaheimo . . . & urbe Asgardia principatum gesfit Odinus" [vel regius illius Dei sacerdos] "locusqve erat amplus, sacrificiis dedicatus. Ibi id moris erat, ut duodecim esfent templorum summi antistites, illiqve simul & sacrificiorum arbitri & juris dicendi. *Diar* hi vocabantur sive *Drottnar*, qvos officiis colere atqve venerari totius erat populi". Ex ejusdem historiæ testimonio Cap. 6. ad asiaticam illam normam Sveciæ regimen postea adornatum fuit. Similia exempla recentior Sveciæ historia præbet. Historia S. *Sigfridi*, christianæ religionis in Svecia prædicatoris, qvi illuc ex Anglia anno 980 advenisse fertur, seqventia refert, aut de toto regno, aut etiam aliqva ejus provincia: "Erant *duodecim tribus* in hac terra, per qvarum *magnates* vel *nobiles* respublica sive leges antiqvæ tum regebantur . . . Electi qvippe sunt viri duodecim antiqviores et sapientiores ex his tribubus" &c. Snorro Sturlæus (Hkr. II. 137) ita similiter de Sveciæ monarchâ circa annum 1019: "Olaus Rex sibi adjunxerat, qvi semper in aula versabantur, XII. sapientissimos viros, qvi in causis judicandis lateri ejus adhærentes negotia difficiliora tractabant". Leges veteres Svecicæ multis modis judicum & tribunorum numerum duodenarium statuunt, qvod etiam de reliqvorum boreæ gentium legibus dicendum. Extra Scandinaviam reliqvi populi Gothicæ vel Germanicæ origines similem senatorum vel judicum ordinem adoptarunt. Sic Hedericus Rex, in Reidgothia (vel Gothia sarmatica) regnans, duodecim habuit senatores vel summos judices, Saxones 12 satrapas, Anglo-Saxones 12 senatores, *Edelingos* dictos, Franci 12 regni *pares* vel proceres &c. Similia instituta invenimus adhuc in Asia ipsa. Respublica *Acuschanorum*, in Caucasia regione sita, suos habet 12 senatores; Indorum qvivis pagus 12 tribunos p. p.

**) Addere hic liceat qvod *Os* in lingva Coptica dominum (Deum) significare feratur, uti etiam *Isha* in indica veteri. Dii apud Berosum *Isi* nominati sunt, & boni dii sive dæmones apud

Ásviþr, Ásvidur i. e. valde sapiens, qvibusdam *Alsvidr* o: omniscius, — Runarum apud gigantes auctor sive doctor *Háva M.* 146.

Asynior, Ásiniur (nom. sing. *Ásynia, Ásinia*) *) Deæ, Divæ, Asarum conjuges vel filiæ *Vafthr. M.* 4. adsunt illorum comitiis vel consultationibus *Vegt. Qv.* 1. cfr. *Hr. G.* 20-22 et conviviis *Þryms Qv.* 14. *Hr. G.* 20. sq. *Æg. Dr.* prol. & str. 11. cet. Invocantur ab hominibus *Hyndl. L.* 9. B. I. 4. *Oddr. G.* 8. Cfr. *Frigg, Freya* &c.

Atla una novem matrum Heimdalli *Hyndl. L.* 34. Circa etymon cfr. v. *Atall* in Gl. T. II. & ind. nom. pr. sub. tit. *Atli*, omnia forte ab *At* conflictus cet. (in Gl. T. I.)

Atriþr, Atridur (vel *Atridi*) Gr. M. 46. Vi vocis invasor; impetum faciens. Vid. Glosf. T. I. Deus *Freyr* appellatione *Atridi* gaudere videtur in fragmento carminis *Þorgríms-Þvla* Skaldæ inserto (Ed. Rask. pag. 180).

Atvarþr, Átvardur nomen genii incertæ naturæ (sed tamen, ut videtur, physico-eroticæ) *Fiölsv. Mál* 35 **). Si legendum *Atvarþr* notat "certaminis", si autem *Átvarþr* "cibi aut coenæ custodem".

Avdlingar vid. *Ödlingar.*

Aurboda (vi vocis forte idem ac *Úrboda* pluviam, nivem aut procellam nuntians, offerens sive dirigens) uxor Titanis Gymeri, mater Gerdæ *Hyndl. L.* 28. Vid. *Gérdr, Gýmir.* Cfr.

Aurbodá (vid. s.) sive *Örboda* o: Largitionem sive abundantiam nuntians aut offerens — una et ultima qvidem e nymphis eroticis, qvæ enumerantur in carmine *Fiölsv. M.* str. 39.

Aurgélmir vid. *Örgélmir.*

Aurgiafa vid. *Örgiafa.*

Aurvángr Dvergus sive Alfus qvidam *VSpá* 12. Vi vocis significat "terræ" vel "luti campum" aut etiam "luto genas aspersum". Videtur igitur nomen hocce indicare dæmonem in tali terra habitantem, campi aut agri fertilitatem dirigentem. Confer denominationem in *VSpá* 13 *Aurvánga siavt*, cujus singula verba in glosfario explicantur — qvum forte poëta hic, pro ipsis campis, eorum genios locales priori verbo posuerit, campos qvoqve horum habitacula appellans.

Austri Dvergus sive Alfus, orientalem mundi plagam custodiens, et unus e qvatuor illis qvi coelum sustentant ***), vel altisfimis montibus, qvi id efficerent, præesfe pu-

---

veteres Persas audiere *Ized.* Cfr. *Kanne System der indischen Mythen* (1813) pag. 228 & ejusd. *Allgem. Mythol.* p. 154 (ubi Indicum *Asfa* deum indicare conjicitur).

*) Cfr. Ind. *Ishani* domina, Dea a masc. *Isha.* Vid. Gl. T. I. V. *Ásymur.*

**) Atvardus hicce in uno tantummodo Eddæ nostræ codice nominatur & idcirco forte omnino erit rejiciendus. Cfr. Vers. Dan. IV. 219.

***) Sic de iis Edda Snorroniana: "Dii coelum supra terram collocarunt, cujus qvatuor extremitatibus (vel unicuiqve angulo) Dvergum supposuerunt, qvorum hæc sunt nomina: *Austri* (Orientalis) *Vestri* (Occidentalis) *Sudri* (Meridionalis) & *Nordri* (Borealis)". Cfr. Ed. Rask. p. 9.

tabantur. Cfr. nomina trium reliqvorum geniorum ejusdem naturæ & officii. — Etymon qvære in Glosſ. T. I. & II. voce *Austr.*

B.

Balldr, Baldur (forte rectisſime *Báldur* à *Bál* flamma, incendium; nisi derivandum sit ab orientali *Bal, Baal*, de qvo uberius infra). Hæc de ipso ex Edda Snorroniana adferre nobis liceat: "Secundus Odini filius nominatur *Baldur;* de eo bona (tantummodo) sunt referenda. Is optimus est et omnes eum collaudant. Hic adeo nitens & candens est aspectu, ut de eo lux (sive splendor) emicet; hinc est qvod herba qvædam exstet adeo alba, ut cum supercilio Balderi comparetur, utpote omnium herbarum candidisſima *). Hinc pulchritudinem ejus qvoad crines & formam notare poteris. Is est Asarum sapientisſimus, eloqventisſimus & clementisſimus. Singularis illa ei adhæret naturæ proprietas, qvod nullum ejus judicium (aut statutum, mandatum) inflecti (aut reclinari) posſit **). Habitat in coelo ubi *Breidablik* [i. e. lata lucis reflexio, fulgor sive resplendentia] appellatur, in qvo loco nihil impuri manere potest (vel ubi omni impuro mansio est prohibita) juxta hoc effatum [in carminis *Grimnismál* str. 12] *Breidablik heitir* &c. ***). Vocatur Balderus in Skalda (κατ' ἐξοχήν) Odini & Friggæ filius, maritus Nannæ, pater Forseti p. p.

In Indice mythologico ad Eddæ nostræ versionem Danicam (IV. 225. b) id mendum typographicum irrepsit *(Jorden* pro *Himlen)* qvod Dvergi illi *terram* (pro coelo) sustentare dicantur.

*) Sic adhuo in Islandia *Baldursbrá* (Balderi supercilium) vocatur flos qvidam campestris, solis radiantis imaginem referens, chamomillo non absimilis sed multo major & altior. Appellatur alioqvin a Botanicis Anthemis sive Cotula matricaria inodora. Retinet adhuc in diversis regnorum borealium provinciis varia nomina, qvæ ab illo *Baldursbrá* originem ducunt, sic e. gr. in Jutia *Baldersbraa*, in Scania *Balsebro*, in insulis Færoensibus *Baldursbraa* &c. Celtæ suo Belo sive Beleno &c. Solis Deo, herbam qvandam sacravere ex ejus nomine Belisam sive Belinunciam appellatam; vocabatur etiam apud Græcos Apollinaris, eâdem qvidem ratione adhibitâ. AEgyptios, Indos, & plures vetustatis populos Soli aut solaribus numinibus certos flores consecrasse, neminem latebit.

**) Si nempe legas: *hallaz*; si autem præferas aliam lectionem *halldaz*, vertendum erit: observari, retineri — cum sensus contrarius emergere videretur. Utrumqve nihilominus de Baldero allegorice dici potest. Is id anni tempus dirigit, qvum sol coelum continuo adscendat, usqve ad summum eclipticæ culmen; eapropter ejus statuta deflecti neqveunt. Ipse alioqvin, suo cursu absoluto, mori perhibetur, sed eo mortuo Sol excalsum sistit gresſum, inferiori iterum hemisphæræ appropinqvans, qvum Balderi statuta non amplius observantur.

***) A Balderi domicilio omnia *impura* sunt exclusa, cum aër ejus tempore sit purisſimus & serenisſimum coelum. Hinc etiam sordes & lutum terræ evanescunt, solo ubicunqve virente & florido, paludibus exsiccatis, viis & stratis arefactis &c.

Cur etiam Helæ socius & lacrymarum (sive flebilis) Deus appelletur, ê relatione Eddæ Snorronianæ optime elucescet. En ejus fabulæ expositionem: "Balderus, cognomine bonus, somniis immanibus de proprio exitio vexatus *), Asis ista revelavit. Hi igitur, concilio instituto, ibi conclusere: ut omnes res Baldero faverent, exorarentur. *Frigga* idcirco ab omnibus rebus, nimirum igne, aqva, terra, metallis, arboribus, animalibus, avibus, serpentibus, venenis ac morbis jurajuranda exegit ut Baldero parcerent. Qvæ cum ita peracta essent ac divulgata, oblectamentum fuit Balderi & aliorum Asarum, ut ipse in conventibus eorum publicis in pedes staret erectus; e reliqvis autem qvidam in eum tela mitterent, alii vero armis percutientibus impeterent & alii præterea lapidibus ferirent. Qvicqvid autem adhibitum fuit, nihil prorsus ei nocuit; his enim eventis magnum Baldero & sibi profectum evasisse Asæ putarunt. At cum hoc videret Lokius Laufeyæ filius, displicuit illi. Forma igitur muliebri assumta Friggam Fensalis degentem accedit; qvam ipsam fæminam advenam Frigga percontatur: qvid Asæ in conventibus suis publicis potissimum agerent? Respondet advena: Omnes Balderum telis impetunt, qvod tamen ei nihil nocet. Ad qvæ Frigga: non arma, nec ligna Baldero erunt nocumento; jurajuranda enim ab omnibus his sum adepta. Qværit porro fæmina eadem: an omnes tibi res jurationem præstiterunt ut Baldero parcant? Respondet Frigga: increscit a Valhalla orientem **) versus surculus arboreus, dictus *Mistilteinn*, qvi mihi perqvam ætate tener & adolescens videbatur, ut ab eo jusjurandum exigerem. His auditis fæmina illa adventitia discedit; Lokius autem Mistilteinum evulsit & conventum adiit. Hödus vero, utpote qvi cæcus erat, in exteriore parte coronæ virorum stetit, qvem alloqvens Lokius, cur non, inqvit, in Balderum telum aliqvod mittis? Qvia, respondet, non video ubi Balderus stet, et, quæ altera causa, nihil mihi est telorum. Imitare tamen aliorum exercitium, inqvit Lokius, et exhibe Baldero honorem; ego autem te, ubi stet, certum faciam; hanc vero virgam in eum jaculare. Accépit surculum *Hödus*, et qvo mitteretur, docente Lokio, in Balderum jaculabatur; sed per qvem sagitta illa transvolavit, ipse vero

*) Seqventia Saxo Grammaticus de suo Baldero narrat (Hist. Dan. Lib. III.). "Larvarum Nannæ speciem simulantium continua noctibus irritamenta perpessus, adeo in adversam corporis valetudinem incidit, ut ne pedibus qvidem incedere posset, qvamobrem biga rhedave emetiendorum itinerum consvetudinem habere cæpit. Tanta amoris vi suffusum pectus ad extremam pene tabem eum redegerat" et iterum alio loco: "Postera nocte ei Proserpina [Hela Eddica] per qvietem asiare aspecta postridie se ejus complexu usuram denunciat. Nec inane somnii præsagium fuit &c."

**) Sic Codex Regius; Wormianus & Upsaliensis e contrario: occidentem versus. Tenebræ coelum ex orientali plaga adscendunt, sed in occidente dilabescere sive eradicari videntur.

illico exanimis in terram corruit; qvo non infaustius & sceleratius factum inter Deos & homines perpetratum fuit. Mox qvum Balderus corruisset, vox et verba omnes Asas destituebant; obstupuerunt enim nec manibus suis erat vigor eum apprehendendi, sed unus ad alium saltem respexit; omnibus autem idem erat in eum animus, qvi tale perpetraverat nefandum opus. Locus autem iste adeo sacrum erat asylum, ut ulcisci homicidam non liceret ibidem*). Qvum autem tandem resipiscerent, ploratus primo erupit tantus ut unus alteri luctum suum enarrare neqviret; Odinus vero ipse tanto ægrius hoc damnum pertulit, qvanto præ aliis accuratius intelligeret gravitatem damni & perditionis, qvæ in Asas foret ob amissum Balderum redundatura. — Qvum autem resipiscerent Dii interrogavit Frigga: qvinam inter Asas omnibus suis amoribus et favore potiri vellet, eâ conditione ut viam Helæ (lethi sive abyssi) eqvitando permearet, Balderumqve convenire tentaret; ac Helæ, si ea Balderum in Asgardiam remitti se exorare pateretur, lytron (seu pretium redemtionis) offerret. Suscepit legationem obeundam Hermodus, cognomine alacer, famulus (vel juvenis filius) **) Odini. Mox eqvus Odini Sleipner prehensus & productus fuit, qvem Hermodus conscendit & cursu velocissimo abiit. Asæ vero cadaver Balderi ad mare devexerunt. Navis ejus *Hringhorni* ***) appellata, dicebatur omnium navium maxima. Hanc Dii e navali educere volentes ****), ut in illa crematio Balderi fieret, nusqvam dimovere poterant. Tunc in mundos gigan-

*) Hic fabula sine dubio alludit ad sanctam illam pacem qvæ tempore mediæ æstatis (circa solstitium ipsum) olim in septentrione per decem dies observata fuit, & a qvibusdam legibus ævi christiani sancita e. gr. Gothlandicæ Cap. IX. de qva ita doctissimus Schildener in observationibus suis ad eandem legem (*Gutalagh; Greifswald* 1818. 4.) pag. 147-148: "*Der Friede nach Johannis mag sich auf die allgemein verbreiteten religiösen Festlichkeiten beziehn, womit in heidnischer Zeit die Sommer-Sonnenwende gefeiert wurde — ein Fest, dessen Spuren die christliche Kirche so wenig hat auslöschen können, das es noch jetzt in ganz Schweden als Volksfest, durch Anzünden von Feuern auf den Bergen und andre Aeusserungen allgemeiner Freude begangen wird*" &c.

**) Alii habent filius (*son* pro *svein*). Balderus infra Hermodi frater appellatur.

***) I. e. aut cornubus camuris præditus aut etiam (qvod magis mihi placet) circulares angulos (vel rotundam speciem) habens. Rotundæ vel ellipticæ formæ navigia vetustissimo ævo usitata fuerunt. Hinc forte ista fictio, simul alludens ad rotundam solis formam et aureum ejus navigium (in græca qvoqve mythologia receptum). Rudbeckius hanc sententiam fovit: "Navis Apollineæ (Balderi) nomen erat *Ringhorne* a *circulo* & *cornibus* desumtum. Neqve circulum heic alium qvam zodiacum, in qvo sol cursum instituit suum, intelligere licebit". *Atlant* II. 239. Navis Solis adhuc Lapponibus est nota, ab iis in solstitio hiberno cum variis sacrificialibus ceremoniis in arborem qvandam elevata. Cfr. *Skidbladnir* i.

****) Qvum solis gressus mari iterum appropinqvare incipit, navis ejus e navali extrudi allegorice dicitur.

teos, nuntio misso, accercita est mulier gigantea nomine *Hyrrokin* *). Hæc cum adveniret, lupo pro eqvo et serpentibus pro habenis usa est. Illa ab eqvo mox desiliit. Odinus vero qvatuor Berserkos (fortissimos athletas) **) advocavit eqvum servaturos, qvod tamen illi, nisi eum prius prosternerent, præstare non potuerunt. Hyrrokina vero proram navis aggressa, primo impetu eam adeo valide propulit, ut ignis e phalangis emicaret, omnesqve terræ contremerent ***). Qvo viso iram Thor concipit, malleoqve arrepto, parum abfuit, nisi omnes Dii pacem illi exorassent, qvin caput ejus confringeret. Funus deinde Balderi in navem exportatum fuit. Id qvod cum videret uxor ejus Nanna, Nefi filia, præ luctu disrupta exstingvebatur, atqve in eundem rogum efferebatur. Thor vero incendium Miölnere sanctificavit ****), cujus ante pedes Dvergus qvidam cursitavit, nomine *Litur* *****), qvem Thor pede suo in ignem projecit, ut ita conflagraret. Ad hanc cremationem †) multifarius populus confluxit. Primo Odinus est referendus qvem Frigga comitabatur; sic etiam Valkyriæ & corvi ejus aderant. Freyr cisio (sive rhedâ) adveheba-

*) I. e. Igne perfumata vel Igne & fumo circundata. Intelligo autem nocivum æstatis æstum sive solis intemperiem, qvi præsertim canicularium dierum spatio Balderi funestum incendium efficere putabatur. Omnia mala entia giganteo generi olim annumerata sunt.

**) Hi athletæ verisimiliter sunt qvatuor illi robustisfimi Dvergi qvi coeli cardines sustentant. *Lupus* & *serpentes* olim *solis, coeli*, vel *anni* præcipuarum revolutionum symbola aut hieroglypha habita sunt (cfr. Atlant l. c.). Uti Hirokina hic in *æstivo solstitio* apparet, sic etiam alia gigantea mulier in *hiberno solstitio* (sive Jolensi vespere) in carmine de Helgio primo (vide s. T. II. pag 45) *lupo vecta eqvi vice*, & *angves pro habenis usurpans*. In veteri cantilena Svecica de domino *Bâld (Herren* B.) lamiæ in eundem modum eqvitantes describuntur (*Svenska Folkvisor* 1 *Deel* 1814 pag. 76).

***) Intelligit mythus aut vehementem tempestatem, aut etiam terræ motum, qvum forte coeli æstus subterraneum ignem accendere putaretur. Timuere veteres populi canicularem æstum, ut mala qvæcunqve (tenebras, pestem, gravem annonam & ipsum tandem mundi interitum) secum apportantem.

****) Ignis coelestis olim inter res sanctisfimas est habitus, et alias qvoqve sanctificare putabatur. — Alioqvin fulmina illo anni tempore sunt freqventisfima.

*****) I. e. Color Dan. *Lydd, Löd.* Vid Glosf. sub voce *Litir* s. & hocce lexicon v. *Litr* i. Color florum, arborum & graminis a vehemente æstatis ardore debilitatur & deletur.

†) Rudbeckius, ita concludens, rem acu tetigit: "Rogus Apollineus (Balderi) referendus erit ad orbem astralem intolerabili solis fervore calentem, in qvo tum Sol cursum suum instituens a septentrione qvam longisfime aversus videbatur. Scimus eidem orbis plagæ transscriptum olim fuisse Phœnicem, se unacum nido suo exurentem". Ejusdem indolis esse puto mythum Græcorum de funesto Herculis rogo vel exitiali incendio in monte Oeta (forte eodem ac primaria Ida i. e. Coelo) consummato. Non mireris ipsos Titanes & Gigantes Balderi incendio adfuisse, qvum tenebrarum & nocturni frigoris imperium sub boreali nostro climate iterum sit exorsum. Plura ad hujus mythi explicationem pertinentia videas infra sub vv. *Draupnir, Giavll, Nanna, Hermódr, Hel* & pl.

tur, qvod aper ducebat *Gullinbursti* sive *Slidrugtanni* nuncupatus. Heimdallus eqvo cui nomen erat *Gulltoppr*, Freya vero felibus suis vehebatur. — Porro magna qvoqve caterva Hrimthursorum (Titanum pruinosorum) et Bergrisorum (gigantum montanorum) eo confluxit. Odinus vero rogo imposuit annulum aureum cui nomen *Draupner*. Huic postea ea adhæsit proprietas: ut nona qvalibet nocte ex eo octo destillarent annuli, pariter ponderosi. Eqvus qvoqve Balderi tota supellectile eqvestri ornatus, in eundem, qvem ipse, rogum est inductus. — Id autem de Hermodo est dicendum: qvod ille novem noctes per opacas et profundas valles eqvitaret, adeo ut luce frueretur nulla, priusqvam ad amnem Giallam [*Giöll*] deveniret, pons vero illius, in qvem eqvitavit, auro lucente est contectus. *Módgudur* *) appellata est virgo, custos pontis. Hæc illum de nomine et genere interrogavit, dicens: præterito (seu hesterno) die qvinqve agmina mortuorum per pontem hunc eqvitabant, qvi non minus sub te uno intonat; nec tibi facies est mortuorum. Cur ergo hic per viam Helæ eqvitas? Respondet Hermodus: ego ad Helam Balderi qværendi causa sum eqvitaturus; tu ne illum in Helæ via vidisti? Regerit illa: Balderum ibi per pontem Giallæ qvidem eqvitasse; sed via ad Helam ducens boream versus atqve deorsum currit. Pergit postea eqves Hermodus, donec ad clathratas Helæ portas *(Helgrindur)* pervenisset. Ibi descendit et eqvo cingula ephippii firmiter adstrinxit; qvem iterum conscendens, calcaribus subditis instigat; eqvus autem clathra portæ adeo alacriter transiliit, ut ea nullibi attingeret. Protinus ad aulam eqvitavit et ex eqvo descendit, aulamqve intrat. Vidit ibi Balderum fratrem suum in primario loco (vel solio, *Öndvegi* dicto) residentem. Hic Hermodus pernoctat; sed inseqventi mane Helam orat ut Baldero domum secum eqvitare liceat, simulqve exponit, qvam gravi luctu Asæ illius causa premerentur. Hela vero respondet: sic optime comprobari posse, an Balderus, prout fama esset, ab omnibus adeo impense diligeretur; si videlicet omnes res mundanæ, animatæ & inanimatæ, eum deflerent, ad Asas ei liceret redire; sin minus, apud se (Helam scilicet) si qvis obloqveretur, vel plorare nollet, remansurum. Hoc accepto responso surrexit Hermodus, qvem Balderus ex aula eduxit, annulumqve (vel orbem) Draupnerem **), signi memorialis ergo, Odino misit, Nanna vero Friggæ sindonem (sive sagum) ***) et alia dona

*) i. e. Animosa Bellona. Vid. *Módr* (in Gl. T. I & II) & *Gudur* i.

**) I. e. lunam, tempore autumnali & hiberno serenissime splendentem. Vide *Draupnir* i.

***) Hic intelligendum aut niveum illud velamentum (candido sindoni simillum) qvo Frigga sive terra fruges servans & producens, hiberno spatio operitur & calefacitur — vel etiam novum ejus vestimentum, gramine recenti & floribus contextum, qvo illa verno tempore appropinqvante induitur.

misit, Fullæ vero annulum aureum *). Hermodus deinde viam priorem remetitur, Asgardumqve veniens, omnia qvæ viderat et audiverat nova, exposuit. — Asæ per totum mundum negotiatores emiserunt, petituros, ut Balderus de Hela (abysso) plorando lacrymis liberaretur; qvod et cunctæ res fecerunt, nimirum: homines et animalia, terra, lapides, ligna et omnis generis metalla, sic ut sine dubio vidisti has res e frigore in calorem translatas facere **). Qvum autem legati domum reverterentur, atqve negotium hoc suum feliciter expedivissent, mulierem qvandam giganteam, in aliqvo antro sedentem, offenderunt, qvæ se Þavkt ***) nominavit. Hi eam rogarunt, ut Balderum de Hela lacrymando liberaret, qvæ sic respondet:

Thakta lacrymis
Aridis deplorabit
Balderi rogum.
Nec vivo nec mortuo
Eo viro fruebar;
Retineat Hela, qvæ habet!

Putant autem homines hanc oreadem fuisse Lokium Laufeyæ filium, qvi pleraqve maleficia inter Asas perpetravit."

Contra morem mihi in hoc dictionario elaborando solitum, prolixam illam Eddæ junioris fabulam hic exposui, iis rationibus adductus, qvod partim carmina *Völuspá*, *Forspiallslióð* & *Vegtamsqvida* optime illustret, sed partim ipsa inter in-

*) Vid. *Fyll*, *Fulla* i.

**) Hinc veterrima et inter Islandos adhuc usitata phrasis, de casu hic memorato adhibita: *at gráta Balldur úr Heliu*. Retulit mihi vir reverendus *Einar Thorlacius*, Pastor parochiæ Goddalensis in Islandia boreali, tale proverbium inter vulgaria haberi: *Allir hlutir gráta Balldur úr heliu, nema kol* id est: *res cunctæ Balderum ploraudo de Hela liberare* (ab inferis redimere) *conantur, carbone excepto*. — Lacrymas illas duxit Rudbeckius nil aliud esse, qvam imbres, nives, grandinem & pruinam, qvibus autumnus et bruma nostra scatent (l. c. pag. 244).

***) Þavkt, Þökt i. e. tecta, operta (ut habet Cod. Upsal. & pl. alii autem Þökk i. e. gratia, remuneratio, sine ulla verisimilitudinis specie). Oreadem hanc, in antro latentem, et saxis opertam — significare opinor *flammam subterraneam* (ipsius Lokii substantiæ et generi admodum propinqvam). Proverbium de carbone, flammæ foetu, huc spectans, nuper adtuli. Alioqvin forsitan notabile sit: qvod Gothlandi densissimam caliginis speciem, sicco fumo simillimam & statim post solstitium æstivum apparentem, appellent *Töckn*, et de ea dicant: qvod eo usqve in mari jacuisset sive latitasset. (Linnæus in itinere Gothlandico vers. German. pag. 207). — Illa ego ratione adductus censeo mulieres eas qvæ memorantur in *Vegtamsqvida* str. 17:

Qvæ in coela jaciunt
Cervicum pepla

ipsas esse Oreades montis ignivomi, cujus crater (uti Thökt illa nostra in Edda prosaica) vocatur *Gýgur* in vulgato Islandorum sermone. Cineres & scintillæ flammæ *aridæ lacrymæ* vocari qveunt.

geniosissimos & celeberrimos nostratium mythos habita sit. Sine dubio ista relatio superstructa fuit pluribus antiqvis poëmatibus, in primis Ulfi Uggonis filii Husdrapa *), jam e maxima parte deperdita (qvæ longam de Balderi historia episoden e Skaldæ testimonio continuerat) & altero carmine, cujus unicum specimen stropha nuper allegata nobis exhibet. Veniamus autem ad recensum eorum Eddæ nostræ locorum, qvæ Balderi mentionem faciunt:

Baldur vocatur Odini filius *VSpá* 29. *Hyndlu L.* 28. Ulleri (hyemis primarii inter Asas Dei) gratisfimus sive jucundisfimus cognatus aut frater (*sefi, sifi*) *Vegt. Qv.* 3. Dicitur Baldur habitare in coelesti regione sive palatio *Breidablik, Gr. M.* 12. Molesta ejus & portensosa somnia *Vegt. Qv.* 1-2, qvæ ipsius mortem præsagiunt **), in Odini, Friggæ & reliqvorum numinum ingentem moerorem str. 3. Legatio Deorum ad omnes naturas (vel entia) ne Balderum violarent, Friggâ ejus modi stipulationes & juramenta exigente str. 4. Odinus suspicatur istam exactionem defectu laborare & convocat idcirco Asarum concilium str. 5. Odini expeditio in Helæ mundum et consultatio Valæ sive Sybillæ emortuæ de Balderi fatis str. 6-11. sq. Valæ de istis effata str. 12-14. cfr. *Hr. G.* str. 1-5. 8. sq. Balderi cædes ab Hödo perfecta *VSpá* 30. *Vegt. Qv.* 14. Ille Deus vocatur cruore perfusus *VSpá* 29. Ultima dicta Odini ad filium Balderum, anteqvam rogum funebrem ascenderet ***) *Vafthr. M.* 54-55. Asarum vel ipsorum cognationis (hominum) desperatio ob Balderi obitum *Vegt. Qv.* 12. Ultio cædis Balderi in Hödum a Valio peracta *VSpá* 31. *Vegt. Qv.* 15-16. *Hyndl. L.* 27. In Lokium (a *Thoro, Skade* & reliqvis Asis perfecta) *AEg. Dr.* in fine, *VSpá* 22. Balderi splendidæ & auro ornatæ ædes in mundo Helæ (hemisphæra inferiore) *Vegt. Qv.* 11. Merum liqvidum clypeo (solari) tectum, ipsi illic destinatum str. 12. Baldur desideratur a Frigga in convivio Asis ab AEgero parato *AEg. Dr.* 27. Asæ post Balderi interitum undecim remansisse dicuntur *Hyndl. L.* 27. Post interitum mundi ac seqventem regenerationem terræ et coeli & ipsorum Asarum reveniet Baldur & Odini beatas ædes incolet, unacum Hödo, sphærico similiter Deo *VSpá* 55. Ipsius nomine optimates humani sæpe fuerunt honora-

*) Carmen hocce, (teste *Laxdæla Saga*) seculo decimo, ethnica relligione in Islandia florente, compositum, continuit prolixam descriptionem scalpturarum sive picturarum, qvæ tunc ornabant amplisfimam ædem, qvam magnas islandicus *Olaus Pá* (celeberrimi danici sculptoris Alberti Thorvaldsenii atavus) Hiardarholti nuper exstrui curaverat. Repræsentabant, inter alia, Thori cum angvi mundano sive Midgardensi certamen, Lokii & Heimdalli disfidia, exeqvias Balderi & pl.

**) Sic Saxo Grammaticus refert sui Balderi somnium (Hist. Dan. Lib. 3).

***) Hæc eadem verba atavi nostri maximis mysteriis adnumeraverunt — uti similiter concludi potest ex *Hervarar Saga* Cap. 15 (Ed. Havn. p. 176).

ti, uti e. gr. Sigurdus Fafnericida, dicitur populi sive exercituum Balderus *(Her-Balldur)* S. III. 18. Adhuc in Islandia vir præstans & a multis dilectus vocatur *Mann-Baldur* (Balderus humanus sive inter homines versans).

Nostram sententiam de Balderi allegorica natura & significatione, ut æstivâ luce ac clementia, et beatisſimo anni mense (vel sole in geminorum zodiacali signo) p. p. a tenebrarum genio (Hödo) occiso, exposuimus antea in introductione & observationibus ad Vaticinium Valæ. Innuimus ibidem hos regulares *solaris anni* eventus atavis nostris prototypum fuisſe majorum naturæ revolutionum, ad *magni mundani anni* finem, qvum terra & coelum interire, vel potius penitus reformari & renovari putarentur, novo & beato seculorum ordine incipiente. His jam præterea addere liceat, qvod optimus ille physicæ naturæ Deus, pro veterum more, ethico sensu easdem qvalitates posſidere olim creditus fuerit, qvapropter id simul verisimile evadit qvod multi, qvi literalem mythorum explicationem amabant, Balderum pro aureæ mundi ætatis auctore & servatore ceperint, opinantes igitur cum ejus morte omnia mala, tam physica qvam ethica, coelum & terram invasisſe. Plura huc pertinentia exhibui in commentariis meis ad versionem hujus Eddæ Danicam, qvæ in ejus indice notata sunt.

Inter eos, qvi recentiore tempore verum hujus mythi sensum investigarunt, primus (ut putö) fuit Olaus Rudbeckius, vir certe doctisſimus & ingeniosisſimus, a contemporaneis nimis laudatus, sed a nostri ævi hominibus non minus iniqve vituperatus. Videatur ejus Atlantica Part. 2. pag. 236. Felicisſimas ipsius de Mistilteino conjecturas suo loco infra inseremus. Nostro tempore plures viri docti Balderum pro sole vel solari lumine accepere e. gr. Sculo Thorlacius (vid præfat. Eddæ nostræ T. I. pag. XXX) Suhmius, Bastholmius, Graeterus & pl. — Grundtvig & Ling præferunt aureæ mundi sive humani generis ætatis notationem. *Mone* Balderum significasſe opinatur mundani anni æstatem, qvamvis interdum pro terrestris sive usualis anni æstate microcosmice ponatur — qvæ sententia a nostra non multum abludit.

Solis numina apud plurimos veteres Europæ & Asiæ populos nostro *Baldur* convenire videntur. Apud populos semiticæ originis idolum, Solem vel Ignem aut eorum coelestem dominum repræsentans, appellatum fuit *Baal*, *Bal**), *Bel*, *Bela*,

*) Sic orientalium vocabulum, flammam sive flammæ numen significans, ad ungvem correspondet vet. Scand. & Isl. *Bål* incendium, flamma Dan. *Baal*, Scot. *Bale, Bail, Bele* &c. Vid. Gl. T. I & II. Cfr. doctisſimi *J. A. Kanne Allgemeine Mythologie — neue Ausg.* 1815. pag. 354 — qvi asiatico *Bal* &c. cognata putat hæcce slavonica verba: *paliti* urere, *palilo* ustus & pl. — Numne hinc igitur nomen deastri illius Rusſorum, *Kupalo* nempe, cujus memoria in Johanneæ (sive solstitialis æstivæqve) noctis festo adhuc ab iis, juxta ardentem pyram, solenniter honoratur?

qvi verisimiliter idem est cum Indorum *Bali, Beli*, veterum Celtarum *Bel, Beal, Beles, Belenus*, vel Slavorum *Biel Bel, (Bel Bog* o: bonus sive albus Deus) &c. Cfr. I, 430. II, 577. III, 39.

De pluribus vetustisſimi Balderi cultus in Scandinavia & alibi reliqviis egimus supra (pag. 8-10, 12). Liceat præterea his addere sententiam poetæ Danici, acri ingenio prædıti, *Georgii Sorterup*, è libro manuscripto qvi ab eo confectus Anno Chr. 1722 jam in Bibliotheca regia Havniensi servatur sub hoc titulo: *Prodromus Calendarii arctoæ gentis ethnici & antiqvisſimi.* Leguntur ibi seqventia pag. 92. "Combustionem Balderi, de qva Edda Fab. 43 multis agit, olim a paganis pyra, in novilunio circa æstivi solstitii tempus apparente, accensa honoratam, postea in nostratium Johannæum ignem *(St. Hans Ild)* transiisse, vel hoc unico patet indicio, qvod herba *chamelum*, rusticis nostratibus hodie *St. Haus Urt* (herba divi Johannis) antiqvis *Baldursbrá* (supercilium Balderi) appellata fuerit; — ut taceam, qvod nonnulli nostratium herbas illas studiosius collectas, e lignis domuum, simul cum Bardana & Artemisia*) suspendant, foribusqve præfigant, rati noxios hoc remedio arcendos domo genios *(Mein-Vætter)* tonitrua averruncanda & veneficarum infecta toxico spicula **) incasſum casura, unde haud obscure colligimus festum Johannis, loco festi Baldero olim sacri, subiisſe ejusqve abrogasſe memoriam. Cum autem ritus ethnici, qvibus in accendendo nocturnam hoc anni tempore pyram occupati olim fuerunt pagani, subito tolli neutiqvam potuerint, sublata demum Balderi memoria ignis iste Johannæum asſumsit nomen. Similes ritus alibi etiam vigere docet Braunius in *selectis sacris* Lib. 4. C. 3. p. 472."

Qvod cæterum ritus isti ex orientali Solis (sive *Baalis*) cultu suam traxerint originem, nemo non videt. Persæ veterrimi solstitium æstivum (*Mihrgan* sive solis festum dictum) solenniter celebrarunt, pyris sive rogis ingentibus pasſim accensis ***). Tunc Rex ipse subditis appare-

*) Bardana Danice vocatur *Tordenskreppe* (Thoro fulminis Deo olim forte dicata) — Artemisia autem Germanicè *St. Hans Kraut* (in Germania a rusticis superstitioni deditis, festo St. Johannis vespere, in ignem sacrum, tunc accensum, immitti solitum, cum formulis magicis, qvæ mala cuncta avertere putantur). Hypericon alias Danis audit *St. Hans Urt* & ipsum chamelum sive chamomillum *Baldersbraa* uti supra annotavi. Herbæ indigenæ in variis ejusdem regni provinciis variis nominibus siguantur. *David Monrad*, in libro manuscripto qvi *Hedenske Christenhed* inscribitur, similes mores vulgi danici graviter increpat, ut ethnicismum redolentes. Cfr. supra pag. 9.

**) Mistilteino igitur similia (qvoad lethalem & miraculosum effectum) a Thakta ipsa, vetere illa venefica sive oreade, calamitose indurato. Eodem tempore metuebant veteres draconem qvendam sive immanem vermem, veneno suo terram et aëra inficientem. Vid. *Nidhöggr* i.

***) Talia incendia Persæ accendebant in tribus aliis solaribus festis, qvæ circa eadem tempora ab atavis nostris borealibus eodem more celebrata fuerunt. Vid. *Freyr, Skadi Vali.*

bat, ornatus corona, solem radiantem referente. Mensis ipse, in qvem hocce festum incidebat, a variis populis solis nomen nactus est e. gr. Persæ eum vocavere *Mihrgan* & *Khordad*, Syri & Hebræi *Thammuz* (ab Adonide Phoeniciorum) veteres Scandi *Sólmánud* (solis mensem) Baldero alioqvin e mea sententia ab iis dicatum, uti Apollini a Romanis. (cfr. pag. 39-40).

Saxo Grammaticus relationes de Baldero, verisimiliter e mythicis vetustatis carminibus (tum temporis forte nonnunqvam corruptis sed jam dudum deperditis) historice tractavit, & ex iis partem Libri 3^tii^ suæ Historiæ Danicæ confecit *). Fons Balderi ibi memoratus, Danice *Baldersbrönd* (inter Havniam et Roskildiam situs) id nomen hodie retinet **). Is sine dubio sacratus fuit Balderi numini; idem de illo fonte cogitandum, qvem oppido *Balderslee* vel *Balderslohe* in Cimbria meridionali nomen similiter tribuisse putant. De etymologia nominis *Baldr* cfr. Gl. T. I. 430. II. 577.

Báleygr (flammeis oculis sive flagrante visu præditus) — nomen Odini adscititium *Gr. M.* 46. In fabula de Mimere Ódini oculus in ipsius fonte (sive oceani abysso) reconditus, pro sole sive coëli oculo habendus est. Aut hinc, aut etiam de coelestis fulminis fulgore agnomen illud petendum esse videtur. Vide *Bál* (incendium, flamma) & *Auga* (oculus) in Gl. Cfr. *Bileygr* i.

Barri, Bari nomen dæmonis aut genii, forte eroticæ naturæ. *Fsv. M.* 35. Etymon hic mihi incertum. Cfr. Gl. T. I. 430. II. 578.

Barri (vi vocis frondosus, virens, florens) lucus sive locus mythicus, ad Gerdæ & Freyeri conventum ab illa designatus *Sk. F.* 39. Vocatur in Edda prosaica (l. c. pag. 40) *Barey* i. e. insula frondosa, florens vel virens. Vid. Gl. T. I. 431. II. 578. (V. *Bar, Barr*) & Vers. Dan. II. 168. 173. 194. 205-6. Cfr. *Freyr, Gérdvr.*

Baugregin (circulare numen; orbis vel sphæræ numen) *Sól. L.* 56. Fons ipsius, puro medo repletus, pro fonte Mimeris medo similiter abundante (oceano) vel *Urdæ*

*) Hanc fabulæ expositionem præcipue secutus est poëta Danorum ingeniosus *Joh. Ewald* in tragoedia celebri, dicta *Balders Död* — & Germanorum *de la Motte Fouqué* in alia qvæ inscribitur *Baldur der gute.* Eddicorum mythorum veram indolem exprimere feliciter conatus est *Oehlenschlaegerus* noster in dramate suo *Baldur hin gode.*

**) Veteres de isto (ut videtur) fonte traditiones Saxo Grammaticus l. c. sic exposuit: "Victor Balderus, ut afflictum siti militem opportuni liqvoris beneficio recrearet, novos humi latices terram altius rimatus aperuit. Qvorum erumpentes scatebras sitibundum agmen hianti passim ore captabat. Eorundem vestigia sempiterno firmato vocabulo, qvamqvam pristina admodum scaturigo desierit, nondum prorsus exolevisse creduntur." De tumulo Balderi, a Saxone memorato et posteriori ævo ad pagum Ballerup (vel Balderup) sed alio Tunæ in Sælandia monstrato cfr. Itinerarium nostrum Jellingense danico idiomate scriptum (Havniæ 1821) pag 6-7.

fonte, hydromelis primaria origine (æthere) hic poni videtur. Vide Gl. T. I. it. *Hodd-mimir*, *Hodd-dropnir* i.

Baugvör (circulo sive sphærâ circumdans a *Baugr* & *veria* cingere, circumdare) novem filiarum Niordi (maris & aëris dei) natu maxima *Sól. L.* 76. Vocatur a qvibusdam Codicibus *Baugveig* (circuli, orbis sive sphæræ vis aut liqvor) ab aliis *Bavdveig* (de qvo Gl. T. I.) & in svecis expl. *Rådveig* (vis imperans aut consultatoria). Cfr. *Niördr* i.

Bavlverkr
Bavlþorn
Bavmbr
Bavrr
} vid. *Böl.*

Bavörr, *Bavavrr*, *Bavor* Dvergus sive dæmon VS. 11. Incerti etymi & significationis.

Beli, *Belji* gigas å Freyero occisus VSp. 48. Sic de ipso agit Edda Snorroniana (l. c. pag. 41) in fine relationis de gladio Freyeri, qvem ipse Skirnero donaverat: "Hæc qvidem fuit causa cur Freyr adeo inermis esset, qvando cum Belio confligeret & cornu cervino ipsum interficeret. Tunc Ganglerus: mirum mihi videtur Freyerum, tantum heroem, proprium gladium alteri dare voluisse, ut æqve præstantem non retineret; magnum oportet incommodum inde senserit, qvando cum Belio congressus est & credo sane eum tunc ensis donati graviter pænituisse. Regesfit Har. Parvi referebat, qvando ille & Belius congressi sunt; nam Freyerus illum manu sua perimere potuit" &c. Qveritur Gerda, Gymeris gigantis filia de fratre suo a Freyero occiso (*Sk. F.* 16) qvi igitur cum Belio illo idem esse videtur. Gymer *oceanum glacialem* significat, Gerda ejus nata *borealem auroram*; nomen hujus nymphæ fratris *Beli*, *Belji* vertendum erit: boans, mugiens, rugiens; (å verbo *belia*); hoc allegorico nomine hyemem sive hyemalem tempestatem indicari opinor. Hyems certe a Sole sive solari numine interfici non inepte dicitur. Circa æqvinoctium vernum, mense Martio currente, ista victoria qvotannis reportatur; eodem tempore *cervus*, animal Soli a vetustatis populis sacratum *), cornua deponit. Hinc fictio illa qvod Freyr Deus Belium gigantem *cornu cervino*, ensis loco, trucidaverit. Confer cæterum Eddæ hujus Vers. Dan. I, 67. II, 169, 176, 198-99.

Belsta vid. *Bestla.*

Bergelmir, (*Bergemlir*, *Berggemlir* o: senex monticola; vetustus montium sive rupium dæmon) Titan cosmogonicus (is nempe, qvi altissima nivosorum terræ montium cacumina tenens, diluvium mundanum evasisse fertur) filius Thrudgemleris (petræi terrestris orbis trunci sive nuclei)

*) Sic e. gr. Apollini græco & Shivæ indico. *Cervus solis* describitur *Sól L.* 55, idem forte habendus cum cervo coelesti *Eikþyrnir* i. Cfr. Vers. Dan. I. 175. 178. 252. 259-60. III. 213. 226.

qvi iterum ab *Örgemlere* (ɔ: perantiqvo) sive Ymere (chaotica nempe materia) fuerat prognatus. *Vafthr. M.* 29. 35. Cfr. locum Eddæ Snorronianæ (ed. Rask. p. 8) in annotatione 35 translatum, cui tamen hæc verba addenda: "Ex his ambobus (Bergelmere et ejus uxore ɔ: nive aut glacie?) stemmata Hrimthursorum (Titanum pruinosorum sive glacialium) descendunt." Horum qvidam (vel saltim eorum cognati) dicti sunt *Bergrisar* ɔ: montani vel petræi gigantes. Cfr. *Þrúdgemlir, Örgemlir, Ymir* — ut et Vers. Dan. I. 91, 93, 106, 109-110.

Bestla, Belsta, Besla, Beyzla filia Titanis, cui nomen *Böl*þ*orn*, vel *Bavl*þ*ór*, nupta Buri *(Börr)* et ex eo Odini, Vili & Vei mater *Hava M.* 143. Edda Snorr. l. c. pag. 7. Ens qvoddam cosmogonicum, jam nobis incertæ significationis, olim sine dubio sub ejus persona fuit repræsentatum. Cum Belsta nostra conferri igitur merent Chaldæorum, Phœniciorum & Carthaginensium *Belta, Beltis, Belda* & pl. Cfr. *Burr, Börr i.*

Beort vid. *Biört.*

Beyggvir, Beyggver, Beygvir famulus Freyeri *ÆEgis. Dr.* introd. Altercationes ejus cum Lokio, ubi ad aures Freyeri hærere & sub molis [tempestatum aut undarum] susurrare dicitur p. p. Str. 43-47. Nomen (uti ipsum verbum activum *beygia* & pl.) deducendum est a subst. *baugr* orbis, circulus p. p. Accepi istum pro Parelio (qvi ad Freyeri vel Solis latera hærere videtur); vid. Vers. Dan. II. 307, 314. Cfr. *Beyla, Freyr.*

Beyla (qvasi *Beygla* fæmininum τοῦ *Beyggvir* supra) famula Freyeri *ÆEg. Dr.* Introd; — pag. 173; str. 54-57. vel rectius forte tantummodo str. 56-57 ubi ejus cum Lokio altercationes recitantur. Nympham hanc cum Beygvere similis vel ejusdem naturæ ac originis fuisse puto (cum duo parelii solem plerumqve comitari videantur). Cfr. Vers. Dan. II. 301, 316-17 it. *Beyggvir, Freyr* i.

Biblindi (Byblindi ɔ: pagos sive orbem habitatum occæcans) vel rectius:

Biflindi, Biflyndi (mobilis animo, varius, inconstans) agnomen Odini *Gr. M.* 48. Occurrit similiter uti octavum inter duodecim Odini nomina, qvæ olim in Asgardia prisca gesserat & correspondere videtur signo leonis vel mensi Julio (Freyæ apud nostrates sacrato). Vid. *Alfadir* s. & Vers. Dan. I. 158. Deducendum est a subst. *Bif* motus, motitatio, tremor & *Lyndi* indoles, mens.

Bifröst, Bif-ravst ɔ: pons tremulus, via motabilis sive portatilis — vel etiam simpliciter aëria, a voce poëtica *Bif* aëra & mare denotante ɔ: iris aëria, de qva ita Edda Snorroniana (l. c. pag. 13-14): "Tum interrogat Gangler: Qvænam via ducit â terra in coelum? Respondet Har atqve simul subrisit: jam non scite interrogatur. Nonne unqvam inaudivisti Deos fecisse pontem ê terra in coelum ducentem, qvi *Bifröst* appellatur. Hunc procul du-

bio vidisti ac Iridem [arcum imbrium] forte vocas. Hic tres habet colores, valde firmus et qvidem multo majori artificio, qvam alia opera, elaboratus. Sed qvantumvis firmus sit, frangetur tamen qvando Muspelliani [ad verbum filii sive cognati Muspelli] illum ineqvitant, expeditione sua mundum invasuri, qvando etiam simul eqvi eorum vasta flumina transnatabunt. Tum Gangler: haud bona fide Dii mihi visi sunt pontem hunc exstruxisse, siqvidem frangi possit, cum tamen qvidvis pro lubitu facere qveant. Ad qvæ Har: Non eqvidem Dii propter hanc fabricam sunt vituperandi. Bifrosta utiqve pons est validus; sed attendendum, rem in hoc mundo nullam sibi confidere posse, qvando Muspelliani advenerint militariter invadentes." Pontis hujus mentionem facit *Gr. M.* 39, nomine proprio non allato, qvamvis *pons Asarum* (Thoro excepto) appelletur et *flamma flagrare, aqvis sanctis* (sive cœlestibus) *simul ferventibus* dicatur. Hanc stropham adhibet Edda Snorroniana (l. c. pag. 18) his qvoqve additis: "Qværit denuo *Gangler:* Ardetne ignis super Bifrasta? Respondet Har. Rubrum id, qvod in Iride conspicis, ignis est ardens; alioqvin Titanes pruinosi et gigantes montani in cœlum forent ascensuri, si cuivis ire volenti pons hic esset pervius." Heimdallus Deus, residens in palatio Himinbiörg, hunc pontem contra gigantum invasiones defendet; — Edda jun. pag. 21, 30; *Gr. M.* 13 & *Hr. G.* 9. Ascendit Heimdallus eum (sole oriente) *mane* (sub Diis) *sonantem*, (vel etiam *mane fulgidum*) et idcirco *Árgiöll* appellatum *Hr. G.* 25. Vocatur *Bifravst* pontium summus sive præstantissimus *Gr. M.* 43 — nisi hic revera sermo sit de alia via ab illo diversa (secundum varios codices) insignita nomine:

Bilröst, Bilravst (qvibusdam codicibus *Bifröst*) — qvam coeli & Deorum *laeteam viam* originitus significasse suspicor. Sic manifeste nominatur cœlestis ille pons sive via S. II. β. 15. Vide Gl. T. I. — cui addere liceat, qvod *Bil* n. etiam denotet intervallum, interstitium — et ejus qvoqve generis lacunas, qvas in viâ lactea observare possumus. *Bil* præterea, Edda Snorroniana teste, nomen fuit nymphæ lunaris, qvæ etiam inter Deas asicas numeratur. Cælum alioqvin in veterum borealium cantilenis appellatur *Vagnbrautarland* regio plaustrorum (astralium) viæ p. p. *).

Bildr, Bíldur, unus Dvergorum (e coetu Modsogneris vel Durini) *VSpá* 12. Vocabulum ipsum varia notat e. gr. a) telum b) formam, aspectum p. p.

Bileygr (ɔ: oculis fulminantibus præditus, a *Bilr, Bylr* tempestas, præsertim autem

*) Hinc forte appellatio *ursæ majoris*, Scandinavis præcipue nota, *Karlsvagn* i. e. senis (Thori aut Odini) plaustrum Angl. *Charlewain*, Dan. *Karlsvogn*, Svec. *Karlvagn* &c. Duo plaustra Islandi inter astra distingvunt, nempe: *Stóri Vagn* (plaustrum majus ɔ: ursa major) & *Litli Vagn* (ursa minor).

procella fulminosa) & *Auga* oculus — epitheton Odini, aëris & ejus temperiei numinis *Gr. M.* 46. Cfr. *Báleygr.* s.

Byleipr, per oppida sive orbem habitatum currens aut grassans, vulgo:

Bileiztr, *Byleistr* (i. e. habitationes destruens) *) frater Lokii *VSpá* 45. *Hyndlu L.* 36. Qvum *Lokius* pro igne (vel ignis genio) habendus sit, hic ejus frater *tempestatem* sive *ventum* nocivum indicare videtur, tertius autem *Helblindi* ɔ: lethaliter occæcans, *aqvam* sive oceanum. Hæc cognatio sic aliter exponitur:

Logi	*Kár*	*Hlér*
flamma,	tempestas,	oceanus,
ignis.	ventus.	mare.

Vide *Loki* i. Cfr. Vers. Dan. II. 278-79.

Billingr Dvergus qvidam ê coetu Modsogneris vel Durini *VSpá* 12. Vocabulum ipsum incertæ est significationis; — erit forte scribendum *Birlingr* ɔ: mixtura, compositio vel: miscens, componens (a verbo *birla*). Cfr. *Háva M.* 97. & *Brísingamen* i.

Bilskirnir, *Bilscirnir* (ɔ: tempestates sive tempestate serenans vel serenus; aut etiam mox vel partim ventosus, mox placidus vel serenus) — palatium Thori Dei, omnium maximum et 540 cameras sive contignationes continens *Gr. M.* 24. Me judice notat atmosphæram sive terræ aëriam ædem, multis cameris (ex humana imaginatione) consistentem. Valhalla superior esse putabatur, sed Bilskirner nihilominus illâ major, qvum aëris spatium intra ipsum horizontem oculis nostris amplissimum appareat. In fragmentis veterum cantilenarum, ex ethnicismi tempore, vocatur Thorus *Bilskirneris dominus sive possessor.* Cfr. *Þrúdheimr*, *Valhöll* it. Vers. Dan. I. 250. II. 50.

Bivorr, *Bivor* (ɔ: *Bifur* qvatiens vel tremens) unus Dvergorum e Modsogneris coetu. *VSpá* 11.

Biúgvör, *Biúgvavr* (flectendi, incurvandi sive cogendi gnara) furia infernalis. *Sól. L.* 76. Dira regnandi cupido hic allegorice describi videtur. Cfr. *Listvör* i.

Biört, *Biavrt*, *Beort* (ɔ: serena, candida) — una novem nympharum eroticæ indolis *Fiölsv. M.* 39. Vid. Gl. T. II. v. *Biartr.*

Bláinn (cæruleus, lividus, vel similem colorem adamans aut induens) nomen allegoricum Ymeri sive chaotici gigantis, ê cujus ossibus (ɔ; lapidibus) Dvergi emanabant vel procreati sunt — secundum qvasdam Valiani carminis & Eddæ junioris recensiones str. 9 (pag. 197, 207). Vid. Gl. T. II. v. *Blár.*

Blíd, *Blíþ* & *Blídur*, *Blíþvr* } nymphæ ejusdem classis & naturæ Fiölsv. M. 39. Ambo nomina *placidam* mulierem sive talem fœminæ qvalitatem indigitant. Vid. Gl. T. I. & II. v. *Blídr* & T. I. v. *Blíþvr.*

*) A *Býr* habitatio, oppidum cet. et *lesta* nocere, destruere. Legit Joh. Ol. Grunnav. *Bil-eistr*, *Byl-æstr* ɔ: impetuose furens à *Bilr*, *Byl* ventus impetuose ruens et *æsa* incitare aut *æsas* æstuare cet.

Bragi Deus poeseos & facundiæ inter veteres boreales, sic in Edda Snorroniana descriptus (l. c. pag. 29). "Asarum qvidam Bragius dictus est, summe celeber ob sapientiam & præsertim ob elegantiam sermonis, dicendiqve alacritatem et dexteritatem. Poësis est ars ejus potisſima qvæ et *Bragr* inde dicitur. Sic qvoqve de ejus nomine is *Bragr* (præstantisſimus) virorum vel foeminarum *) vocatur, qvi, sive sit vir sive foemina, oratorio lepore alios antecellit". Uxor ejus Idunna in pyxide sua poma custodit, qvæ Dii senescentes dum gustant, omnes rejuvenescunt; id autem (redintegrandæ juventutis remedium) usqve ad crepusculum Deorum [ɔ: ad finem mundi] perennabit". Alia exemplaria dicunt facundum virum sive foeminam appellari *bragarmadr* (ɔ: homo poeseos sive artis oratoriæ gnarus) qvod in acc. sing. flectitur *bragarmann* contracte *bragmann*, qvod igitur vocabulum cum veteri indico *Brahman, Brachman, Bragman* qvandam convenientiam adsciscere videtur. Skalda hæcce de Bragio adfert: "Qv. Qvodmodo Bragius est cognominandus? — Resp. Ita ut qvis eum nominare posſit maritum (sive defensorem) Idunnæ, primarium carminis (vel poeseos) artificem, Asam sive Divum demisſe barbatum et [addente codice regio] filium Odini. De illius nomine vir admodum barbatus dicitur *Skégg-bragi* (barba Bragiana præditus vel ornatus)". Pars qvædam Eddæ junioris appellatur *Braga-rœdur* (orationes Bragianæ) propter antiqvam eam traditionem, qvod istarum contenta (relationes qvædam mythologicæ de Idunna, ipsius uxore & de poeseos origine aut inventione) â Bragio AEgeri, Oceani gigantis domino, in convivio Asarum enarrata fuerint (l. c. pag. 79 & sq.). Edda nostra (antiqvior) sic illius Dei mentionem facit: Bragius vocatur ab Odino summus vates sive poëtarum princeps *Gr. M.* 43. Is primus (uti Deorum rhetor) in convivio AEgeris Lokii advenæ alloqvio respondet, isti mansionem inter numina interdicens *AEg. Dr.* 8. Runæ (oratoriæ) in lingva Bragii (ut Dei & vatis omnium disertisſimi) B. I. 16. Bragius ebrius evadit vel inebriante potu commotus (uti poetæ alias multi vino dediti aut eo inspirati dicuntur) *AEg. Dr.* 18 (cfr. Gl. T. II. v. *Bragarfull*). Emittitur ab Odino una cum Heimdallo & Lokio ad consultandum oraculum Idunnæ (apud inferos fascinatione qvadam detentæ) *Hr. G.* 9. Hac expeditione frustrata et illis duobus Diis retrogresſis, Bragius solus remanet, Idunnam custodiens Ibid. 16. Altercationes Bragii in AEgeris convivio cum Lokio (qvi ei opprobrat timiditatem inter arma, sed fastum sive ostentationem in domo sive conviviis, qvamvis ille Lokio eqvum & ensem in reconciliationis pignus obtulerit) *AEg. dr.* 8, 11-15. Poculum in Bragii (sive poeseos, ipsius doni) honorem, Jolensi (hyemalis

*) Vide Gl. T. I. 441. 442. II. 591.

solstitii festi) vespere evacuare solitum, additis votis solemnibus H. 1. (T. II. pag. 45-47) str. 32. (cfr. Gl. pag. 591) *).

Nomen & qvalitates Bragii remotisſimam ex India sive Bactria originem sapere videntur, cum nostrum *Bragi* (in cæteris casibus *Braga*) conveniat indico *Brahma* **) (Deo loqvelæ, sapientiæ, poeseos, scripturæ &c., unde Brachmanes vel Bragmanes appellati, uti simile qvid de vatibus septentrionialibus antea est relatum) & pluribus mythologicis entibus, ab ipso prognatis vel saltim cum eo cognatis e. gr. *Braha-spadi*, *Brighu* (*Brĕgh*) & aliis qvi inter primos scientiarum doctores & scripturarum auctores habentur***). Si autem hujus Dei nomen ex indigenis etymis deducere malimus, nobis qvoqve (præter illud notisſimum *Bragr*) in mentem venient verba activa: *braga*, fulgere, splendere; *bragga* ornare (unde forte Islandorum Germanorum & Danorum *Prakt*, *Pracht*, *Pragt* splendor, magnificentia p. p.) Aptius qvidem nomen *Bragi* referri videtur ad vetus German. *Brage* (*the Brage*, *s' Brage*, unde recentius *Sprache* sermo loqvela) qvod vocabulum Otfrido facundiam notat ****).

De *Bragii* & Idunnæ matrimonio sive allegorica connexione vid. *Idunn* infra. Nomen *Bragi* sæpe viris, et non raro poëtis celebribus in septentrione contigit. Nomen loci *Braga-lundr* (lucus Bragii) verisimiliter in Dania siti occurrit H. III. 7. Cfr. porro vers. Dan. II. 308 & IV. 222 ubi conjecturas qvasdam proposui de reliqviis superstitionis Bragianæ, qvæ adhuc in Norvegia, Svecia & Anglia existere videntur. Spiritus qvidam aut genius, in oppidis præcipue apparens, ab Anglis jamjam vocatur *Brag* sive *Barguest*. (*Sir Walter Scott Minstrelsy of the Scottish border* T. I. introd. p. CVI.) Deus veterum Celtarum *Braciaca* nobis nimis ignotus est, uti etiam Milesiorum Βραγχος, vatis celeber et Apollinis filius qvi Didy-

*) Hkr. Yngl. S. Cap. 40. "Ferebat mos istius temporis [in Svecia circa medium sec. VII] cum parentandum erat Regibus aut Jarlis, ut, qvi parentalia celebrabat, hæreditatemqve erat aditurus, in scamno sive gradu sederet, summam ante sedem, donec allatum esset poculum *Braga-full* (Bragii poculum) dictum, in occursum cujus surgens, voto nuncupato, poculum totum exhauriret; qvo facto summam, qvam pater ejus occupaverat, ascensurus erat sedem sicqve totius hæreditatis possessor futurus". Cfr. *Saga Hák. goda* Cap. 16: "Multis usu erat receptum [in conviviis sacrificialibus et publicis] libare poculum *Bragafull* dictum".

**) Annotari hic meret, qvod *h*, *ch* et *g* sæpe inter veteres Germanos & Scandinavos permutatum fuerit, uti nostræ runicæ inscriptiones (præter alia) manifeste docent.

***) Circa hanc collationem vide *I. A. Kanne System der indischen Mythe* (1813) pag. 336-38 & ejusd. *Allgemeine Mythologie* (1815) p. 408.

****) Vide *Gräteri* scripta periodica *Bragur* Vol. IV. pag. 7. & *Idunna und Hermode* 1816 pag. 92. Alioqvin vetera Germanorum *brechen*, *pregan*, *prehhan* vertenda sunt: 1) loqvi (*sprechen*) 2) fulgere. *Mone* è *Fulda über German. Würzelwörter* ad Creutzeri Symbolik u. Mythol. d. a. V. Ed. 2. I, 19.

mæo oraculo præfuisse fertur. Milesii cum Scythis europæis & Ponti euxini accolis maxima habuerunt commercia. Numne eorum Βραγχίδαι (Apollinei Sacerdotes) qvoad primam originem aliqvid cum Bragii indo-scandici cultoribus commune habuerint?

Bréidablik (late fulgens aut Latifulgentia vel etiam: lata lucis extensio sive reflexio) Balderi palatium coeleste — ubi paucissimæ (ɔ: nullæ) diritates *(feiknstafir)* admitti qveunt — nisi vocabulum hocce verti debeat: diri radii sive tela ɔ: cometæ vel meteora portentosa aut infausta. *Gr. M.* 16. — Verba qvædam Eddæ Snorronianæ, huc spectantia adtuli supra in art. *Baldur* qveis tamen plura alia hic addere liceat (ê l. c. pag. 20-21): "Tunc dixit Gangler: Magna eqvidem auditu nova tu de coelo referre potes. Qvæ sunt ibi præterea insigniora loca? Respondet Har: multi ibi sunt loci magnifici . . . . Unus eorum est *Breidablik*, qvo nullus istic splendentior alter". Hoc coelesti domicilio indicatur signum zodiacale geminorum, qvod sol præcipue mense Junio durante percurrit, usqve ad punctum solstitii æstivi, uti ibidem demonstrare conatus sum. Cfr. Vers. Dan. I. 148. 171. 212 & sq. cfr. 153. Vid. Gl. T. I. v. *Breiþr* & II. sub v. *Blika*.

Brímir, cognomen Ymeri, chaotici Titanis *VSpá* str. 9. Obs. 20. Vocabulum illud proprie indicare videtur *oceanum æstuantem* (mundum primarium olim continentem vel circundantem) a voce *Brim* æstus maris, mare ipsum; vid. Glos. T. I & II. — Cfr. *Dvergar* i.

Brímir, mythicum palatium sive triclinium Titanis cujusdam sive gigantei dæmonis, in regione Ocolne (i. e. frigorum experte) *VSpá* 33. Denotat fortasis *igneum* sive *flammeum*, a *Brimi* ignis, flamma. An hic de polo antarctico, aut potius de Muspelli vel Gimliani coeli aliqvo loco sermo sit, jam non decernere audemus. Sic de eo loqvitur Edda Snorroniana (p. 75) "Gangler de novo interrogat: Qvid toto mundo exusto ac omnibus [ejus elementalibus] Diis, heroibus & universis populis emortuis, reliqvum supererit, qvum tamen vos antea dixistis qveincunqve hominem in aliqvo mundo per omnia secula esse victurum? Respondet Thridi: multæ tum mansiones bonæ erunt, multæ etiam malæ. Optimum tunc erit in Gimle coelesti apud Surtum degere — ac satis etiam erit generosi potus in gratiam eorum, qvi isto oblectantur, in palatio qvod *Brímir* nominatur, et in Ocolne (regione) ac in coelis qvidem simili modo situm est". Scriptor epilogi Eddæ junioris, ab ipsius auctoris scopo multum aberrans, hæc ita satis inepte explicare conatur: "Palatium illud egregium qvod Asæ *Brímis sal* vel *Biór-sal* *) appellaverunt aulam significavit (Trojani) regis Priami."

*) ɔ: *Brimeri ædem* sive *conclave cerevisiæ* potandæ destinandum — pro distinctis Eddæ verbis *ædis* vel *palatii qvod Brimer vocatur*. Hoc solum exemplum sufficienter monstrat auctores Eddæ junioris et hujus epilogi plane diversos fuisse.

Brímir (flammeus) gladiorum præstantissimus *Gr. M.* 43. Desunt verba hæcce in textu typis regularibus impresso, sed leguntur in tabula chalcographica, hanc editionem seqvente et scripturam membranæ eddicæ legati Arnæmagnæani referente (qvamvis certe versiculum unum hic omissum esse appareat). Qvod hic de Odini ipsius ense (uti etiam de ejus eqvo) sermo sit, concludere possumus e verbis B. I. 14 ubi Hroptus (hic certe Odinus) describitur cum nudo illo gladio, stans in fastigio (coelestis) montis, caput nuper abscisum Mimeri (hic Imeri sive Ymeri) o: coelum ipsum consultans. Vide observationes nostras in hunc locum, T. II. pag. 925 & 926. Etymon qværendum est in voce poëtis usitata *Brími*, ignis, flamma. cfr. Gl. T. II. p. 593. Ensis qvivis alioqvin *Brímir* poëtice appellari potest.

Brísingamen (flammeum sive igneum monile) Freyæ proprium Þryms *Qv.* 13, 15, 19. Edda Snorr. (pag. 57) Skalda (pag. 119). Vocatur simpliciter *Brísingr* in Thorsdrapa (cfr. Gl. T. I. sub hac voce). Lokius id a Freya furtive abstulisse videtur & in mari (apud *Vagaskér* sinuum marinorum scopulum & *Singastein*, clangentem vel etiam altercationum rupem) *) recondidisse, secundum relationem Skaldæ (pag. 104-105) qvæ Heimdallum itidem id petivisse ac de eo cum Lokio contendisse tradit. Inde Lokius vocatur fur monilis Brisingici, sed Heimdallus ejus recuperator. Eventa hæcce scalpturis vel picturis repræsentata fuerunt in triclinio magnatis islandici, Olavi Pávonis, seculo 10^mo^ currente, et inter reliqvas illas decantata a poëta gentilismo maxime dedito, Ulfo Uggonis filio, in carmine Husdrapa. Unam ejus de illo certamine agentem stropham Skalda nobis servavit; hanc nempe (vide ibid. pag. 106) **):

*) Hæc duplex explicatio ambigua est et minus certa; concluditur enim, illud dubium *Singa* deducendum foro aut 1) ab *syngia* canere, clangere, *singla* tinnire vel *singra* murmurare aut 2) contractum esse a *sianinga* (altercationum) ut conjecit Joh. Olav. Grunnavicensis.

**) Lego ita ipsam cantilenam:

Radgégninn bregdr ragna
Rein at Singasteini
Frægr vid firna slægian
Farbauta mavg vari.
Módavflvgr rædr mædra
Mavgr haf-nýra favgro
Kyani ec ádr enn einna
Átta mærdar Þáttoa.

Qvæ sic in ordinem redigo: *Rádgégaian bregdr ragna-rein at Singasteiai, frægr vari vid firna slægian Farbauta mavg. Módavflugr mavgr átta ádr enn einaa(r) mædra rædr favgro hafnýra. (Þat) kynni ec mærdar Þáttoa. Rein* jam vulgo usitatur de porca sive lira agresti aut campestri, sed potest etiam denotare semitam sive viam qvamvis. Hic igitur sermo est de Bifrasta, ponte sive via Deorum, cui Heimdallus præesse fertur, et hic ad

Consultus ille cito commovet
Viam Deorum (Iridem) ad Singasteinum
Celebris ob cautelam contra
Farbauti gnatum, mire callidum, —
Animo validus filius
Matrum unius præter octo [ɔ: novem]
Jam tenet splendidum maris renem.
Hoc carminis strophis promulgo.

Uti hic de Iride, qvasi *Deorum via* sive *ponte* sermo est, sic vatem itidem *lunam* pro flammeo Freyæ monili habere, et istam *splendidum maris aut oceani renem* (qvamvis simul de gemmâ pellucida sive fulgida, monili illi inclusâ, dici posfit) appellare censeo. Hodiedum Islandi irinam (meteoron qvoddam aëris pelagici, Iridi non absimile) nominant *hafgall* ɔ: *bilem oceani.* Monstravi alio loco Freyam, placidam noctis Deam, lunæ simul præsfe; nil igitur mirum qvod lunare illud monile (coeli nocturna gemma) *) isti attribuatur, uti etiam de Iside, Diana, Parvade & pluribus ejusdem generis Deabus facile observamus. Luna igneum vel flammeum fulgorem adsciscit et sic a veteribus poëtis dicta fuit *Brísingamen* i. e. flammeum monile, a vocabulo ignis poëtico *Brísingr.* *Men* præterea *lunnlam* notat, ab ipso lunæ vocabulo (*Máni* gr. Μην) deducendum. Vide Glosf. T. I & II. Probavi supra Heimdallum signo cancri & mensi eidem adscripto præesfe. Tali ipsius imperio incepto *luna* (qvæ a summa longisfimi diei luce ablata vel suppresfa antea videbatur) novum splendorem adqvirit — et Heimdallus ob eam causam illam ê mari elevare vel arcesfere dicitur, qvamvis Lokius (abysfi sive inferioris hemisphæræ dominus aut fautor) lunam sub sua potestate (in inferorum sive Titanum gratiam) enixe retinere conetur. Freya Heimdallo in coeli sive temporis imperio succedit, qvum ipsa dirigat signum Leonis ac mensem isti proprium **) — et sic lunam suam, novis Fulgendi viribus auctam ab Heimdallo læta recipit. Illa eventa circa tempora *solstitii æstivi* accidisfe veteres credidere — et sic facile invenimus causam singularem ejus circumstantiæ, qvod incolæ borealis Norvegiæ *ignem festivum* vesperis Johannei (olim autem solstitialis æstatis festi) hodiedum appellent eddico

---

rupes illas cito commovere dicitur. *Var* pro *vari* (cautela) adhuc super est in voce *Varnagli* & pl.

*) Sol vel luna ab auctore Anglo-Saxonico *poëmatis de Scyldingis* (Ed. Thorkelini pag. 154) vocatur *heofenes gim* (coeli gemma).

**) Annotari meretur ex AEgyptiorum mythologia, qvod Isis monile suum (φυλακτήριον collarium sive pectorale, uti illud Freyæ nostræ) circa initium hujus mensis (*Phaophi* dicti) fexto nempe ejus die, accipere vel iterum usitare et deinde sua graviditate durante gestare dicatur. *(Plutarch. de Is. & Osir.)*

illo nomine, *Brising* *). Confer ea qvæ de eodem festo (tit. *Baldur* et alibi antea) protulimus.

Atavi nostri habuere mythicam qvendam de hujus monilis origine relationem, qvam nos ipsi non nisi corruptam posfidemus, qvum â monacho aliqvo (Gunlogo sive Oddo, Islandis) recensita habeatur (qvamvis verisimiliter e contentis sive reliqviis pervetusti alicujus carminis partim sit eruta). Invenitur in libro *Saga Olafs Trygvasonar* Ed. Skalholt. T. 2 Cap. 17 et inde iterum impresfa ad calcem Eddæ junioris Editionis Raskianæ pag. 353-57. Auctor relationis hujus prosaicæ Asgardiam pro urbe qvadam Asiatica sumit, Asas pro ejus & adjacentis regni incolis et Odinum pro ipsius Rege. Refert porro seqventia, omnes fere allegoricas mythi personas in meros homines permutans: "Freya Niordi filia Odinum seqvebatur et ipsius amasia (sive concubina) fuit **). Dvergi qvatuor & fabri qvidem artificiosi non procul ab aula regia habitabant, tunc cum humano genere magis qvam postea commisceri vel conversari soliti. Freya aliqvando in petræam, sive subterraneam Dvergorum ædem inspiciens, vidit istic aureum monile & pulcherrimum qvidem, qvod tunc ii fabricabantur. Hujus cupidine capta, id a Dvergis licitabatur, iis contra aurum, argentum & alias res pretiosas offerens; — hi autem pecunia se non egere dicebant, sed monile illud se tamen Freyæ vendituros fore, ita nempe ut qvivis eorum istam partem (qvadraturam) qvam rite posfideret (vel fecerit) *Freyæ* traditurus esfet ea sola conditione, ut ipsi cum ea per unam noctem cohabitare liceret. Ista consentiente, postea (qvatuor diversis noctibus) qvivis Dvergorum voti compos factus est. Nomina eorum fuere, et sic a me per *qvadraturas* lunares explicantur:

1) *Álfrig, Álf-rigr, Álfrikr* (Germanorum *Elbèrich*) Alforum (obscurorum) princeps vel propagator (uti Rigus hominum) Svartalforum subterraneum mundum regens vel posfidens — interluninm, sive lunam intermestrem (apud inferos degentem) efficit vel amplectitur. — Videtur idem esfe qvi vocatur *Nidi* (Interlunaris) *V Spá* 11; cfr. *Álfr* 14 & *Álþiófr* 10, 11. Correspondet nomini Freyæ *Mardöll* ɔ: Dea in Oceano abscondita.

2) *Grér* i. e. crescens a verbo *gróa* (*ek græ, grær, grer*) — luna dividua vel

*) *Ströms Beskrivelse over Sundmör* 1 Part pag. 505. *Hallagers norske Ordbog* pag. 13. Sic Btisingi cum monile (luna) Brisingo (sacro igne) fervente, qvovis anno in coelo regenerari sive recuperari hodiedum videtur.

**) De hac circumstantia Eddæ nostra & alia authentica vetustatis monumenta, qvæ jam exstant, altum servant silentium. Nihilominus fieri potuit, ut iste ἱερος λογος allegorice spectet Coeli connexionem cum Nocte (qvamvis Terra alias in relligione populari justa illius uxor haberetur).

dimidiata (phasis secunda). Vocatur forte *Nýi* (novilunaris) VSpá 11. Convenit Freyæ nomini *Horn* (i. e. Cornuta).

3) *Berlingr (Billingr* ɔ: *Birlingr* ɔ: compositor VSpá 12) plenilunium (phasis tertia). Cfr. nomen Freyæ *Géfn* larga, largiens (lucis plena).

4) *Dvalinn* (ɔ: sopiens vel soporatus; deliqvium patiens ɔ: decrescens *VSpá* 11, 13. Luna decrescens, sive qvarta et ultima ipsius phasis. Convenire videtur nomini Freyæ *Sýr* (si a *sær*-lege *sair* — deducendum) ɔ: mare vel oceanum aut abysſum petens *).

Pergit porro relatio illa tradens Odinum Lokium emisisſe ad monile prædictum furtive auferendum, et Lokium se in culicis formam transmutasſe, ut dormitorium Freyæ noctu penetrare et cimelium adqvirere posſet, qvo tandem facto Odinus id a Lokio accepit. Freya monile ab Odino postulans id obtinuit responsum: qvod cimelium ei non redderetur, nisi ipsa id efficeret, ut duo Reges, qvorum uterqve viginti regulis imperaret, ita discordes inter se evaderent, ut continuo dimicarent, sed immortales qvidem et semper e lethali somno, plagis effecto, evigilarent — donec heros qvidam Christianus talem fascinationem tollere posſet. — Ultimum hoc additamentum sine dubio spúrium est, sive posterius in localem traditionem Orcadensium irrepsit **), — nam Edda Snorroniana in mytho de perpetuo Hognii & Hedini, ab Hilda provocati certamine, id ad mundi finem duraturum statuit (l. c. pag. 163. 165). Lokius, suis crebris expeditionibus in inferiorem hemisphæram Odino (coeli sive superioris hemisphæræ domino) præstantisſima mundi cimelia nolens volens arcessivit sive recuperávit, & sic etiam hac vice lunare Freyæ monile. Duobus illis Regibus et qvadraginta Regulis astronomicas aliqvas vel chronologicas periodos allegorice indicari opinor, aliis tamen hujus ænigmatis distinctam solutionem linqvens.

Nostratium *Brísingamen* typus fuit monilis præstantisſimi, qvod in poëmate Anglo-Saxonicō de Scyldingis (Edit. Thorkelini pag. 91-92; cfr. 240) dicitur *Brosingamen*, pretiosis lapidibus ornatum, ab Higelaco Gotho alio heroe ablatum & postea Hrodgaro Daniæ Regi donatum. Cfr. cæt. Eddæ hujus Vers. Dan. II. 121.

Bruni (ardor, fervor) vel *Brúni* (supercilioſus) Dvergus e Durini (vel Modsogneris) coetu *VSpá* 12. Invenitur inter nomina propria virilia medii ævi. Cfr. Gl. T. II.

Brynhilldvr, Brynhildur (Hilda loricata) — Valkyriis humanæ originis adnumeranda sub nomine *Sigurdrifa*, q. v. — Cætera

*) Hi qvatuor Dvergi alioqvin cum qvatuor illis qvi coeli vel terræ cardines custodiunt aut diversis mundi plagis præsunt, non inepte comparari posſunt.

**) Orcadenses insulam suam *Há* sive *Háey* (hodie *Hoy*) perpetuæ hujus sed mysticæ lemurum pugnæ theatrum olim fuisſe putarunt. Vid. infra tit. *Hildur*.

videbis in Ind. nom. propr. T. II. pag. 867 & 889.

Bur, Burr — Bör, Börr — Bor, Bors, Borr (Genit. *Bors, Borz*) ɔ: i. e. gnatus, filius vel etiam *(Börr)* portator, sustentator; — pater (trium) filiorum (qvi alias nominantur *Ódinn*, *Lódur* sive *Ve*, et *Hænir* sive *Vili) VSpá* 4. Odinus præcipue vocatur *Burs arfþegi* (Buris vel Boris hæres aut ipsius hæreditatis acceptor) *Hyndl. L.* 28, & alibi *Bur-bör, Burar bör* i. e. Buris filius. De Bure hæc habet Edda Snorr. (pag. 7): *Búri* (non verus homo, sed primum, post Ymerum, cosmogonicum ens, qvod humana forma præditum fuisse dicitur) ab Audumbla vacca e salis (marini) petrâ (Mithræ instar) productus vel formatus — genuit filium *Börr* vel *Bur*. Hic uxorem duxit Bestlam, Bölthornis Titanis filiam, et habuit ex ea tres filios Odin, Vile et Ve, qvi fratres olim coeli & terræ rectores credebantur. Boris filii Ymerum Titanem occidebant ac ex ejus corpore cœlum & terram formarunt (pag. 8. 9.; cfr. VSpá str. 4. sq.) — et creabant porro posterius primos homines Ascum & Emblam (pag. 10 VSpá str. 15-16). Vid *Áss, ÆEsir*. De etymologia vocis veterrimæ *Burr* vid Glosſ. T. I. & II. Mythum illum cosmogonicum sic explicare conatus sum:: *Buri* ɔ: pariens, generans â vacca *Audumbla* *) (atmosphæra mundi primitiva) Ymerum (chaoticam terræ massam) imbribus nutrit, sed maris exhalationes attrahens, id paullatim ita diminuit, ut mons terræ summus et primus (ê veterum sententia Caucasus nempe vel Persarum *Borz, Bordj*) caput suum ex undis elevet, & duabus diversis periodis reliqvas itidem corporis partes. Mons iste (qvem terræ radicem et primarium fundamentum libri Zendici vocant) idem fere habendus ac Meru ille sive Himala (qvem Indi simili modo describunt) mythica persona indutus, elementalium (terræ) Deorum propater appellatus, & filium gignens *Bur* (ɔ: natum, prognatum) ɔ: terræ nostræ reliqvum continentem, qvi uxorem ducit *Belstam* (i. e. cingentem, circundantem, a *Belti* baltheus, cingulum) **) vel *Bestlam* (i. e. vincientem, cingentem a *Bast, Basti* vinculum; cfr. Pers. *beste*

*) Sic de his loqvitur Edda Snorroniana (l. c. pag. 7) primam mundi (chaotici) creationem describens: "Id contigit, cum pruina [mundi chaotica materies] stillaret, ut vacca inde existeret, cui nomen erat Audumbla, e cujus uberis papillis qvatuor amnes lactei emanabant, ê qvibus Ymor pascebatur. Mox qværit Gangler: Unde vacca pastum habuit? Respondet Har: Linxit lapides pruinosos, qvi salsi erant. Primo autem die, cum illos lingeret, vesperi de illis crines humani provenerunt; secundo die caput humanum, tertio demum die integer prodiit homo. Hic *Búri* [ɔ: gignens, genitor, propagator] appellatus est, qvi formosus erat aspectu, magnus corpore, et viribus valens & robustus. Hic filium genuit *Bör*" &c.

**) Mare in veteri septentrionalium poësi vocatur *landa* vel *eya belti* (terrarum aut insularum cingulum). Hinc nomina fretorum Daniæ *Store* & *lille Belt* ac ipsius *balthici* maris. Mare præterea dicitur *landaband* (vel *besti*) terrarum cingulum vel vinculum &c.

ligare, Germ. *basten)* — Oceani nempe dominam, qvæ tamen, uti is ipse, ê gigantea stirpe oriunda perhibetur. Ex hocce terræ & maris primo connubio prodeunt *Ódinn* (spiritus mundi nostri; terræ magna anima, aëris & auræ numen) *Vili* sive *Hœnir* (lux, inprimis coelestis) & *Ve* sive *Lódur* (ignis, vel elementalis vel proprie sic dictus) qvi Ymerum, chaoticæ confusionis auctorem, interficientes ex ejus corpore, post magnum illud diluvium, terram nostram formant, ea qvidem specie qvam jam retinet. Priscarum tenebrarum & lethalis inertiæ loco aër, lux & coelestis calor terram creatam (jam Friggam vocatam) circumdant ac fovent, unde paullatim prodeunt reliqvi elementales Dei ac Déæ (Asæ & Asyniæ) genii ac nymphæ (Alfi & Disæ) & postremo humanum genus *). Vide *Ódinn, Áss, Álfar, Askr* p. p. De voce *Burr, Bur* cet. ac ejus asiatico-græca origine vide Gl. T. I. II & III; de alia *Bavr, Börr* Gl. T. II.

Buri (generans) vel *Búri* (ruricola p. p.) Dvergus e coetu Modsogneris sive Durini *VSpá* 12. — Diversus ab alio *Buri*, Odini avo, de qvo nuper egimus sub tit. *Bur.*

Byleistr vid. *Bileistr.*

Bölverkr, Bavlverkr (malorum artifex; dolorem, tristitiam sive calamitates efficiens — aut: acer dolor, Græce ὠδὶν, nomini *Odin* literarum valore adcurate conveniens) — agnomen Odini, ei præcipue â Titanibus sive gigantibus adtributum, qvum subterraneum eorum principem Suttungum medo præstantissimo spoliaverit et filiam ejus Gunladam in fraudes amatorias illexerit *Háva M.* 110. Amplior de istis eventis relatio continetur in Edda juniore (p. 83-86). (Vid. *Gunnlöd, Odreyrir, Suttúngr*). Occurrit præterea *Gr. M.* 46. *Hr. G.* 19. Vide Gl. T. I. (it. T. II. voce *Bavl*). cfr. vers. Dan. III. 159.

Bölþorn, Bavlþorn vel *Bölþór* cet. Titan. qvidam chaoticus, pater Belstæ sive Bestlæ, Buris uxoris & Odini matris *Háva M.* 143. Vox prior vertenda est *spina* (vel *stirps*) *calamitosa*, sive *mala aut tristitiam producens; — stirps* forte hic pro *fonte* sive primaria causa sit transponenda, qvum mythica hæcce persona allegorice significaverit *abyssum* Oceani vel Thetidis borealis patrem. Cfr. *Belsta, Bur* s.

Bömbur, Bavmbvrr, Bomburr, Bambör Dvergus qvidam e coetu Durini *VSpá* 11. *Bambur* denotat dolium, ampullam, et sic dæmon hicce qvoad nomen cum Canopo AEgyptiorum est comparandus. Legunt alii *Bumburr* i. e. tympanifer vel tympaniloqvus (a voce *Bumba*; cfr. aliud *Bumbr* venter, cavitas cadi, ventri simi-

*) Burium & Burem pro cosmogonicis entibus habendos indubie statuendum erit, sed variis tamen modis allegoricæ hæcce personæ explicari posfunt. Ingeniosæ aliorum borealis cosmogoniæ illustrationes inveniuntur in scriptis Bastholmii, Graeteri, Grundtvigii, Lingii, Mone & pl. De nostris circa eam conjecturis cfr. porro Vers. Dan. I, 105-106, 265-67 & celeberr. Münteri *Odinische Religion* p. 34 58.

lis — qvæ omnia eandem radicem spectant.

Bönd, Bavnd (ɔ: vincula, ligamina, catenæ i. e. elementorum sive mundi) — usitatur de Asis sive Diis — qvasi dixeris: Dii complices. *Hâva M.* 110. — Occurrit vocabulum in pluribus gentilismi poëmatibus e. gr. Ulfi Uggonis (cui Thorus *vinr banda* ɔ: numinum amicus (vid. *Skálda* p. 204) & Eyolfum Dádaskald (qvi Ericum Norvegiæ Jarlum *at mun banda* (e Deorum voluntate) terras sibi subjecisse canit (ibid. p. 176). — Vid. Gl. T. I. ut et T. II voce *Band*. Cfr. *Hapt* (ejusdem notationis i.

Börr vid. *Bur* s.

D.

Dagr, Dagur (Dies) genius sive dæmon mythicus, diem vel diei lucem dirigens aut repræsentans, est filius Dellingi *Vafthr. M.* 24-25. Hr. G. 24. Vehitur eqvo qvi vocatur *Skinfaxi* (juba coruscante ornatus) *Vafthr. M.* 11. 12. Diei tempora ordinantur ab Asis creantibus, Buris filiis *VSpd* 6. — Ortus diei poëtica descriptio *Hr. G.* 24-26. Dies & diei filii (aut Alfi lucidi vel radii solares, aut etiam diversi diurni temporis genii) *) invocantur a *Brynhilda* sive Sigurdrifa B. 1. 3. Diei gnati vel cognati memorantur A. M. 61. — Edda Snorroniana has de Dago narrationes continet (pag. II. "*Niörvi* vel *Narvi* Titan *(Jotun)* qvidam appellatus est in Jotunheimis (giganteo mundo) habitans. Illi filia erat, *Nótt* (Nox) vocata, colore juxta genus suum nigra & fusca (obscura). Hæc primum nuptui data erat viro qvi *Naglfari* appellatus est. Horum filius vocabatur *Audur*. Postea, Onaris (vel Anaris) matrimonio juncta, filiam ei peperit *Jörd* (Jardam sive Terram) dictam. Postremo omnium Dellingo, qvi generis erat Asici, in uxorem cesfit. Horum filius erat Dagus (Dies) juxta genus paternum lucidus et pulcher. Postea *Alfadir* (Universi vel omnium pater) Nottam (Noctem) cum filio Dago abstulit (vel arcessivit), iisqve eqvos duos & rhedas (vel bigas) duas attribuit atqve in coelum transtulit, ut circa terram singulis duobus seminycthemeriis eqvitaverint. Notta prior præcedens, eqvo vehitur cui nomen est Hrímfaxi (jubam habens pruinosam), et qvi qvolibet mane terram guttis e lupato decidentibus irrigat. Eqvus vero Dagi (Diei) *Skinfaxi* dicitur, cujus juba totus aër & terra illuminantur". Skalda Dago (Diei) duos videtur adtribuere eqvos, qvorum unus *Gladr* (i. e. clarus, serenus, lætus) alter autem *Skin-*

*) Hos duodecim fuisse ac cognomines qvidem cum mensium sive zodiacalium signorum Diis, antea conjeci. Vid. Vers. Dan. I, 152-154.

faxi (juba splendente præditus). Circa mythi illius explicationem videantur ingeniosæ celebr. Thorkelini Observationes in hujus Operis T. I. pag. 9, 10, 16. Plura nostra adferemus sub Tit. *Nótt* i.

Poëtæ veteres et scriptores medii ævi fabulas mythicas cum historicis relationibus mire confuderunt, cujus lucidisfimum exemplum invenimus in narrationibus Norvegicis *) de vetustis Regulis & heroibus, qvæ hanc genealogiam instruunt.

Dellíngr. (Diluculum vel Sol inferus)

Dagur (Dies) — *Sól* (solaris nympha) filia *Mundilfari* (coeli astralis)

Svanhildur (dicta *Gullfiödr* i. e. aurea penna (aurora forte) ⌣ *Álfur*, dictus *Finn-Álfur* (genius sive semideus Finnorum) **).

Svanur (ɔ: cygnus) rutilus *(hinn raudi)* poëtice forsitan solaris cygnus, Apollini & Urdæ coelesti fonti alias adscriptus.

Cætera videas in carmine *Hyndloliód* str. 11. De ipsa voce *Dagr* vid. Glofs. T. I. & II.

Dáinn (soporifer cet.) Alfus sive Dvergus e coetu Durini sive Modsogneris *VSpá* 11. Magici ipsius sceptri qvotidiana efficacia describitur *Hr. G.* 13-14. Conatur Balderi somnia interpretari *Hr. G.* 3. Dicitur apud Alfos Runas sculpsisfe sive edocuisfe *Háva M.* 146. (ubi forte de characteribus naturalibus in petris, gemmis, lignis, foliis &c. sermo est). Traditur Freyæ lucentem (sive aurea seta præditum) aprum, *Hildisvíni* dictum, fabricatus esfe unacum Dvergo alio qvi *Nabbi* appellatur *Hyndlu L.* 6. Num hic de verre qvodam mythico an de galeâ illo nomine insignita, agatur, inferius disqviremus sub Tit. *Freya, Hildisvíni.* Qvicqvid rei sit, aliqvem certe habet respectum ad noctis ac lunæ qvalitates et commercia. Gladius *Dáins-leif* a Dvergis factus, mirifica natura præditus, qvem Hognius Hildæ pater gesfisfe fertur (*Skálda* l. c. pag. 264) ab illo Daino nomen verisimiliter traxit. Radix nominis hujus allegorici qværenda est in voce *Dá* deliqvium ***), imbecillitas, summa qvies vel silentium — unde facile concludendum, genium huncce somno vel nocti præesfe, qvod etiam aliæ rationes docent. Nox ipsa fæmininâ vocis flexione *Dáin* vocari videtur. Vid. Glofs. T. I. pag. 449 (col. 2) & hujus Eddæ vers. Dan. II. 235. Cfr. *Dvalinn* i.

---

*) Vid. Exscripta codicis Flatteyensis ad calcem Eddæ Snorronianæ Edit. Rask. pag. 362.

**) Finnus (inventor) inter Alfos vel Dvergos nominatur *VSpá* 14. cfr. *Álfrödull* (solis vocabulum) p. p. Qvum autem Alfus ille, Raumi, Noris filii, filius, dicatur a Berg-Finno (Finno montano) educatus fuisfe, conjicere posfumus has allegorias Finnicæ partim originis esfe.

***) Dan. *Daanelse* (a verbo *daane* deliqvium pati); errato typographico, qvod in versionis nostræ Eddæ hujus T. IV. pag. 224 irrepsit, antea non a nobis observato, vox hæcce in longe aliam *Dannelse* (formatio) est a typographo depravata.

Dáinn unus e qvatuor cervis, ex Ygdrasilli ramis pascentibus. Vid. *Yggdrasill* i.

Dellíngr pater diei *Vafthr. M.* 25. *Hr. G.* 24. Vid. *Dagr s.* — Est forte rectius scribendum *Degllngr* i. e. dies parvulus, o: diluculum, id qvidem sive etiam Solem inferum denotans. Habetur alias pro tertio Noctis marito. (Vid. *Dagr* s. & *Nótt* i). Si usitata lectio retinenda censeatur, conferri potest *Dellingus* ille cum Gr. Δελιος (solis sive solaris Dei nomine) Caucasiorum hodierni ævi populorum *Dele* vel *Deletscha* & pl. Cfr. Vers. Dan. I. 108. Nominatur præterea Dellingus *Háva M.* 163 ubi ejus ostium diluculi tempus significare videtur *). Occurrit tandem in carmine præobscuro *Fiölsvinns mál* str. 35 inter novem genios ibi enumeratos. Num sint naturæ proprie eroticæ & physici amoris qvalitates, an circumstantias denotent, vel etiam novem muliebris graviditatis menses sive periodos, jam decernere neqveo. — Cfr. Gl. T. I.

Díar (Dii, Divi Asæ) Hr. G. 18 **). Usitatur etiam a borealis gentilismi poëtis e. gr. Kormako (heroë sec. 9; Skalda pag. 94. 176.). Vocis hujus manifesta cognatio cum plurimis Asiæ & Europæ veterrimis lingvis satis probata est in Gl. T. I. 451 & II. 600 & 821 (sub vocibus *Dis, Týr, Tír* & pl.).

Dís, Dýs (Dea nympha) in pl. *Dísir*. Olim specialiter valuit de nymphis hominum familiaribus, genethliacis vel fatalibus (qvæ duplicis putabantur naturæ, ac sic divisæ sunt in tutelares & hostiles) ***) — geniis et Junonibus Romanorum ita correspondentes. Interdum de Nornis sive Parcis borealium (vel rectius de nymphis talibus inferioris ordinis) usitatum fuit. Nominantur Disæ e. gr. a) mites sive tutelares *B.* I. 9. *A. M.* 25. b) fallaces aut inimicæ *S.* II. *α.* 24. *Hamd. M.* 27. In carmine Christiano, ethnicis phrasibus mixto, vocantur sanctæ mulieres *dísir drottins mála* o: Divæ vel nymphæ in divino sermone laudatæ vel prædicatæ *Sól. L.* 25. Nymphæ, qvæ elementa sive physicas rerum qvalitates dirigere putabantur, Alforum vel Dvergorum generi adnumerandæ, Disæ itidem vocatæ sunt, qvæ superstitio inter qvosdam Islandiæ occidentalis ruricolas (qvi istas vocant *Land-dísir* o: terræ sive ruris Deas aut nymphas) nondum penitus est abolita. Huc simul spectat proverbium jamdum inter Islandos vulgare: *Ecki eru allar Dísir daudar enn* o: Non omnes Disæ adhuc sunt emortuæ i. e. ali-

*) Cfr. ænigmata Heidriciana, ubi phrasis poëtica *fyri Dellings dyrom* (præ Dellingi ostio) simpliciter vertenda videtur; sub Dio (Diei porta vel tecto).

**) Hinc forte, uti Biorno Halthoris conjecit, adjectivum *dísætr* o: (divini) nectaris instar dulcis; cfr. *Dísa-miödr* nectar sive hydromel Deorum.

***) Et e vulgari opinione, uti Alfi ipsi in lucidas vel *albas*, et obscuras sive *atras*; (Þidranda-Þáttr in Saga *Ol. Tryggvasonar*. Ed. Scalh. T. II. p. 213. Cfr. *Saga Gisla Súrssonar* Cap. 22. 24. 30. 33. Nymphæ tutelares interdum sunt vocatæ *Spádísir* (Disæ vaticinantes sive oracula edentes) e. gr. *Vols. Saga* Cap. 19. (*Rafn. vers.* Dan. Cap. 20).

qvid spei adhuc remanet; nil penitus desperandum. Disæ olim colebantur festis specialibus, appellatis *Dísablót* (i. e. sacrificia Disarum) uti Alforum virilium *Álfa-blót*. *Dísar-salr* (ædes sive atrium Disæ aut Disarum) Svecis audiit templum eorum Upsaliense *) (*Yngl. S.* Cap. 38) festum autem (nundinis & comitiis junctum) *Dísaþing*, unde hodiernum *Dis-ting* suam derivat originem. De voce ipsa vide cæterum Gl. T. I. 452 (v. *Dísir*) 463 (*Dýs*) & T. II. 600 (v. *Dís*) p. p.

Dólgþrasir (pertinax pugnator vel hostilis rixator) Dvergus, qvidam sive Alfus e coetu Dvalini VSpá 14. (Eddæ juniori l. c. pag. 16. *Dólgþvari*). De etymis vid. Gl. T. I. & II. v. *Dólgr*, *þrá* & T. I. v. *þrasi*. Erat forte genius, gravem vel pertinacem tempestatem efficere aut dirigere creditus.

Dorri; *Dori* genius qvidam, ut puto eroticæ sive allegorico-physicæ naturæ *Fiölsv. M.* 35. Vide *Dellíngr* s. (in fine). Occurrit nomen illud inter appellationes Dvergorum in Edda Snorroniana (l. c. pag. 14). *Dorri* jam Islandis significat aríctem vel caprum; verisimiliter derivandum a *cornibus* ipsis vel *cornibus petendo aut pungendo*; cfr. *Davrr*, *Dörr*, *Dorr* in Gl. T. II.

Draugr, dæmon ex homine transformatus; umbra mortui (H. III.). Idem vocabulum est ac Norv. *Drau*, *Droug* AS. *Dreah*, Scot. *Droigh*, *Dreich*. Cfr. *Draughús* in Gl. T. II.

Draumniórunn (somniorum genitrix sive nutrix cet.) vocabulum noctis *Alvis M.* 30. Vide Gl. T. I.; cfr. porro verbum *nærä* nutrire p. p.

Draupnir, *Drupnir* (stillans, pluens cet.) primus Dvergorum sive Alforum in coetu Dvalini enumeratorum *VSpá* 14 (Edda Snor. p. 16). Gudmundus Andreæ illo nomine imbrem sive pluviam indicari recte conjecit, cfr.:

Draupnir, *Drupnir* memoratus, qvamvis non sit expresfis verbis nominatus, *Skírnis F.* 21. — annulus vel orbis aureus, cum Baldero olim combustus sed Odino ab eo ex inferis remisfus, jam autem a Skirnero (pro Freyero ejus domino) Gerdæ in possefsionem oblatus. Vide T. I. pag. 78-79. Hæc de eo exhibet Edda Snorroniana a) (l. c. pag. 66) de exseqviis flammeis Balderi: "Odinus rogo imposuit annulum aureum, cui nomen erat *Draupnir*. Huic póstea illa adhæsit proprietas, ut nona qvalibet nocte ex eo octo destillarent annuli, pariter ponderosi". b) (Pag. 68) De Baldero apud Helam vel inferos remanente: "Responso (Helæ) accepto surrexit Hermodus, qvem Balderus ex aula eduxit, annulumqve Draupnerum, signi [sive doni] memorialis causa, Odino misit". c) *Skálda* (in appellationibus auri pag. 131-32) nobis servavit mythicam de hujus annuli origine relationem. Lokius, cum Dvergo qvodam, cui nomen erat Brockus (*Brokkr*, *Brokkur*) capite proprio in vadimonium

*) In *Friðþiófs Saga* templi Balderiani sectio vel conclave Deabus sacratum per se *Disarsalr* vocatur.

interposito, contractum iniit, ut istud illi forte redderetur, si res alias, Dvergorum Ivaldianorum cimeliis æqvivalentes *) *Sindri* [sive *Eitri*] frater ipsius parare posset. Pergit auctor in enarrando de fabricatione verris *Gullinbursti* (Freyero sive soli postea donati) — et hæc deinde de illius cimelii formatione tradit: "Secunda vice aurum foco (vel prætabulato fornacis) immisit ac Brockum sedulo et gnaviter ignem folle sufflare rogavit, nec inflatum, prius qvam reverteretur, intermittere, moxqve egreditur. At illico reversa musca, collo ejus insidens, duplo id acrius qvam antea pupugit; hic tamen inflando pergit donec artifex rediens, e fornacis lacuna præliminari, annulum aureum, qvi Draupner vocatur, extraheret". Refertur postremo fabricatio Miölneris, fulminei mallei, Thoro postea dati. — Hæc in seqventibus relatio addit: "Lokius annulum illum Odino dedit, asserens nona qvacunqve nocte octo ex illo annulos æqve ponderosos **) destillare". Skalda ob hanc causam aurum perhibet appellari: guttam, pluviam sive imbrem Draupneris.

Sculo Thorlacius, in mythologica sua cujusvis pretii dissertatione de Thoro & ipsius malleo (*Museo scandinavico* pro anno 1802 inserta) ingeniose monstravit, Dvergos illos nil aliud esse qvam virtutes mundi cosmicas sive principia naturalia rerum; — Lokium merito cum Vulcano comparandum sed Dvergos, qvi ejus nutu Deorum cimelia fabricabantur, cum Cyclopibus [Telchinis, Cabiris] & pl. Vide *Dvergar* infra. Ab iis, uti nuper monstrabam, facta sunt hæc naturæ miracula: *Plantæ*, *nubes*, *meteora*, *fulmen*, *sol* — qvid igitur mirum si *lunâ* itidem iis adderetur, & hanc etiam in annulo sive monili Draupnero lubens recognosco. In his deducendis primo observamus, voces antiqvas *baugr* & *hríngr* sæpe in nostro sermone iniqve confundi. *Baugr* (vox Draupneri in eddico illo carmine adtributa) duplice gaudet significatione, qvum sic appellari qveant: 1) orbis, et inde clypeus ac monile qvodqve bullatæ sive circularis formæ) 2) circulus, et inde qvivis annulus. Ita Draupnerem antiqvissimis vatibus significasse puto *orbem lunæ*, rotundam vel semicircularem formam statis temporibus accipientem, & sic cum aureo monili aut etiam armilla comparandum. Mensis lunæ periodicus continet dies 27 (additis septem horis); — tres lunæ

*) Hæc cimelia ab Ivaldi filiis (qvi Dvergi sive Alfi obscuri vocantur) facta fuerunt: 1) aureum capillamentum sive caliendrum Deæ Sivæ (vel Sifæ) d: Terræ (i. e. herbæ & flores, qvi alias vocantur crines terræ). 2) Skidbladnerus, Freyeri (Solis) & reliqvorum deorum navigium (nubes aëra pervolantes, uti suo loco monstrabimus). 3) hasta sive lancea Odini, qvæ Gunguer appellatur [meteoron aliqvod flammeum aut lethiferum]. Cfr. *Ivaldi*, *Dvergr* i.

**) *(Jafnhavfgir)*: Joh. Olavius Grunnavicensis annotavit Codicem Wormianum habere *jafngævfgir* i. e. æqve generosi sive nobiles (aut pretiosi).

phases nobis sunt visibiles, & cuiqve earum atavi nostri novem dies adscripsisse videntur, qvemvis iterum diem cum orbe sive annulo (qvasi lunæ segmento) conferentes; sic evenit numerus ille mensis lunaris periodici dierum viginti septem. Ita physicum illud ænigma solvere conatus sum; — cætera mythorum figmenta rei naturæ convenisse duco. Dvergi subterranei nutu Lokii (abysi prognati, sautoris vel domini) *lunam* nobis primum invisibilem in recondita sua officina fabricantur, & deinde in superiorem hemisphæram (ad Odinum, coeli numen) emittunt, sed is eam uti Lokii (inferioris hemisphæræ, qvam vulcanii illi dæmones inhabitare credebantur) donum accipit. Aureum istud sive splendidum coeli decus ab Odino donatur Baldero, anni lucidissimi mensis (vel geminorum signi) aut etiam mediæ æstatis domino, qvum lunæ fulgor illo tempore a diei luce obscuretur vel e cœlo disparere videatur. Baldero trucidato (sive Sole ad inferiorem hemisphærum delabente) & in funebri rogo (caniculari æstu) flammis mandato — is ab inferis Odino (Cælo) Draupnerem (lunam, qvæ priscum tum splendorem recipit) remittere fertur. Hæc eventa (allegoricis illis ænigmatibus involuta) qvotannis observare possumus.

Videtur præterea Freyerus, solaris anni & primi ejus (cum solstitio hiberno incipientis) mensis Deus, illud allegoricum monile acqvisiisse & amicæ Gerdæ (uti antea relatum) igitur obtulisse, — nisi Skirnerus, serenitatis aëreæ genius, id sibi qvoqve adscripsisset. Sic annulus vel monile *Draupnir*, eandem habet significationem cum monili Freyæ *Brisingamen*, de qvo suo loco prolixe egimus. De vocabulo ipso ac aliis cognatis vide Gl. T. I. v. *Draupnir*, *Drypner*, *Dryp*, T. I & II. v. *Dropi*.

Duneyrr unus qvatuor cervorum qvi ad arborem Ygdrasillum pertinent *Gr. M.* 33; vid Gl. T. I.; — ego hujus nominis posteriorem partem deducere malo a verbo *eyra* (adqviescere, adsvetus esse) id igitur explicans: fremitui (tempestatis) adsvetus & cervum huncce allegoricum accipiens pro procella ipsa sive vento qvodam cardinali procellosæ indolis. Cfr. *Dáinn*, *Dvalinn*, et.

Duraþrórr, *Dyraþrór* unus ex iisdem cervis *Gr. M.* 33. Vide Gl. T. I. Verto: *fores frangendo validus* & cervum hunc pro tempestate aut turbine, sive vento qvodam cardinali eum præsertim producente, ænigmatice positum credo. De nominis etymis consule Gl. T. II. v. *Dyr*, *Dur* & art. *þrórr*, *þrór* i.

Dvrgr vid. *Dvergr*.

Durinn, *Dúrin* vel *Dúrinn* cet. Dvergus vel Alfus, omnium (post Modsognerem) secundus & cum eo reliqvorum auctor Cfr. *Dvergar* i. *V Spá* 10. *Durnir*, ejusdem verisimiliter denotationis, occurrit alioqvin inter speciales Dvergorum denominationes. Significatio vocabuli videtur esse Somnifer (a *Dúr* somnus levior) sed genius ipse somnum, tenebras vel noctem

denotare vel dirigere*). *Durinn* alibi occurrit uti nomen proprium Dvergis usitatum e. gr. *Hervarar S.* Cap. 2. De radice nominis cfr. Gl. T. II. v. *Dúsa.*

Dvalinn, Dvalin (sopiens) Dvergus sive Alfus qvidam *Vsp.* 11. Idem vel alter ejusdem nominis, aliis Dvergis præfectus 15. Dicitur fuisse Nornarum cujusdam (ad Dvergos sive Alfos obscuros pertinentis) generis pater vel auctor S. II. β. 13 — et Runarum primarius inter Dvergos sculptor sive doctor *Háva M.* 146. Sol (sive solaris Dea) vocatur apud Dvergos Dvalini ludificatrix *Alvis M.* 16 et alioqvin poëtice (proprie ludus) *Hr. G.* 24. — De Dvalino, Freyæ amasio, phasin qvandam lunarem forsitan significante, vide supra sub art. *Brisingamen.* Nomen ipsum derivari debet a *Dvali* somnus, sopor gravis, deliqvium Svec. & M. G. *Dvala* Aleman. *Dwalm.* Tales naturæ qvalitates Dvalinus iste, abysso sive hemisphærio inferiori (ê veterum imaginatione) adscribendus, dirigere videtur. Epitheton Solis *Dvalins leika* duplicem sensum præ se ferre potest, et ita qvidem: a) Ludificatrix sive deceptrix Dvalini (somni aut noctis) qvum somnum animantium rumpat & noctem ipsam propellat vel b) Dea — s. nympha cum Dvalino (hemisphærii inferioris incola ac ejus sociis) colludens**). Præterea concludi potest qvod *leikr Dvalins* qvibusdam sonuerit *ludicrum Dvalini,* qvum dæmones subterranei aureo solis globo ita delectarentur. Plures Dvergi nomen hocce, qvasi sibi proprium, in vetustatis fabulis adoptant e. gr. *Hervarar S.* Cap. 2. Cfr. Gl. T. I.

Dvalinn, Dvalin unus e qvatuor Ygdrasilli cervis *Gr. M.* 33. Malaciam aut aëris tranqvillitatem, sive ventum qvendam cardinalem ea abundantem, allegorice significare videtur. De radice vocis vid. *Dvalinn* s.

Dvergar (in sing. *Dvergr, Dvrgr*) varie significat 1) Omnes nostri mundi vel terræ Alfos sive elementales genios, qvi iterum in *lucidos* & *obscuros* dividuntur; vid *Alfar* supra. Hi sine dubio in carmine *Völospá* (10-14) enumerantur Dvergorum nomine insigniti. Voluit Gudmundus Andreæ & post eum plures, qvod vox *Dvergr* sive Dvergus originitus fuerit Græcæ lingvæ θεουργος, his nempe verbis: "Stropha mentio facit *Dverga,* qvod nunc *pygmæos* nunc *nanos* exponit, ut in fabulis hoc genus hominum comminiscuntur fuisse. Sed ego vatem hic accipio non intellexisse animalia sed animas seu virtutes tum του μεγακοσμου και του μικροκοσμου; innuit hoc in primis vox ipsa, nescio enim unde rectius etymon petatur, qvam ab θεου & εργος,

*) Nisi *Dúrinn, Dvalinn* et pl. simul designentur nominibus a somno sive qviete deductis, ut iis innuantur qvalitates naturæ, per se efficaces & solertes, sed tamen intactiles ac invisibiles & qvasi in somno aut deliqvio operantes.

**) Sic Idunna in carmine *Haust-laung* vocatur *Ása-leika* (cum Asis colludens).

qvasi Dei operarii & effectus divini in rerum natura" *). Monui antea qvod omnes Alfi terrestres Dvergi interdum appellati fuerint, propter invisibilem eorum & atomis compositam vel simillimam naturam. 2) Dæmones in terra, montibus aut petris, in foveis secretioribus et abysso ipso habitantes, qvi alioqvin vocati sunt *Döckálfar* et *Svartálfar* i. e. Alfi obscuri vel nigri sed regio eorum *Svartálfaheimur*. Hi omnes res, qvæ oculis nostris vel imaginationi ex imis terræ, abysso sive hemisphærio inferiore exoriri videntur, artificiose concinnasse feruntur. In fabulis medii ævi, eddicis odis recentioribus, Dvergi plerumqve in saxis (qvæ sponte aperiri & miraculose recludi solebant) habitasse dicti sunt, ac arma præstantia, annulos aureos et alia cimelia fecisse & heroibus nolentes volentes tradidisse referuntur **). Hinc permultæ vulgares de Dvergis & Alfis narrationes & superstitiosæ opiniones, qvæ adhuc per totum septentrionem dispersæ reperiuntur.

De Dvergorum (sive Alforum) mundi nostri creatione agit carmen *Völospá*. Describit stropha 9 Deorum (elementalium) concilium de hisce inferioribus dæmonibus creandis:

Or brímis blódi [vel *holdi*]
Oc or blám leggiom

Qvæ nos ita dedimus:

Ex æstuantis sangvine [vel carne]
Et lividis osibus

ac *æstuantem* illum Titanem accepimus pro oceano primario sive *Ymero*, chaotico ente a Diis creatoribus occiso & in mundum nostrum transformato, cujus *sangvinem* Edda mare & aqvas appellat, carnem *terram* sed *ossa* ejus rupes & lapides. Alii codices duo illos versiculos ita exhibent:

Or brimi blódgo
Oc or bldins leggiom

vel etiam: *blám sleggiom* i. e. Ex æstu maris sangvinolento & è Blaini ossibus (aut tibis) vel lividis lapidibus cet. qvæ eundem reddunt sensum. His etiam adsentit

*) Et alio loco (ad Edit. *Völospá* 1673; str. 22) — — "qvia sic describuntur mythologice, qvemadmodum naturæ qvalitates & dimensiones".

**) Cum Dvergi sive Alfi atri *(Svartálfar)* in profundis terræ habitare putarentur, necesse erat, ut simul imperarent subterraneis thesauris (gemmis & pretiosis metallis) vide e. gr. S. II. a. de Andvari opibus. Eandem apud Germanos opinionem valuisse notissimum est. Hinc fabulæ libri heroici *(Heldenbuch* dicti) de Dvergis divitibus & artificiosis, carminis Nibelungici de Dvergo *Elberich* & pl. His addi possunt mythicæ relationes de Frisonum qvorundam itinere ad regiones hyperboreas, insertæ *Adami Bremensis historiæ ecclesiasticæ* Ed. Helmstad. pag. 160, hæ nempe: "At jam periculum caliginis evadentes & provinciam frigoris, ad qvandam insulam altissimis in circuitu scopulis ritu oppidi munitam, insperate appulerunt; qvam visendorum gratia locorum aggressi repererunt *homines in antris subterraneis meridiano tempore latitantes*, præ qvorum foribus infinita jacebat copia vasorum aureorum & ejusmodi metallorum qvæ rara mortalibus et pretiosa putantur." — Pergit relatio de nautis partem gazarum sublevantibus sed *gigantibus* eos perseqventibus p. p.

stropha 10; qvamvis variæ ejusdem recensiones inter se non exigue differant, — sic nimirum (cum de præstantisſimis Dvergis, Modsognero & Durino sermo sit):

Þeir mannlicon
Mörg um giördo
Dverga [vel *Dvergar*] *úr iördo*
Sem Durin sagdi

i. e. Isti humanas formas
Multas concinnarunt
Dvergos [vel Dvergi] ê terra
Sicut Durinus ordinavit [sive enarravit].

Vel etiam, ex Eddæ Snorronianæ lectione:

Þar mannlicon
Mörg um gerþuz
Dvergar úr iörþo
Sem Dúrin sagdi [vel *kéndi*].

i. e. Ibi humanæ formæ
Multæ concinnatæ sunt
Dvergi ê terra
Uti Durinus ordinavit [sive docuit].

Simplicisſimam talium versuum paraphrasin adoptavit Edda junior, his nempe verbis (l. c. pag. 15-16)": Tunc Dii elata sua sedilia occuparunt & judicialem (sive ratiocinativum) conventum instituebant (aut ordinavere) idqve considerabant, ut orti fuerint Dvergi in pulvere, atqve subtus in terrâ, qvemadmodum vermes in carnibus generantur. Dvergi primum formati fuerant vitamque acceperunt in Ymeri carne, tunc vermes ipsi existentes, sed Deorum jusſu rationis ac formæ humanæ facti sunt compotes, at nihilo secius terram & saxa inhabitant. Horum præstantisſimus erat Modsogner sed alter Durin. Sic inqvit Vaticinium Valæ (nostri str. 9). . . . . Et hæc ipsa eorum nomina recenset (ibid. str. 11 & sq. *Nýi* & *Nidi* &c.) non sine freqvente variatione . . Hi (in seqventibus recensiti) Dvergi etiam sunt & in saxis habitant, priores autem in humo (verbotenus: terrestri pulvere). Seqvuntur aliqvot saxicolarum nomina versibus composita, et iis enumeratis, hæc prosaica periodus: "Hi venerant e Svarinshaugo [tumulo Svarini, rectius de palatii petra — *VSpá* str. 13. Obs. 22] in Aurvangos [agros lutulentos vel prata coenosa; cfr. *Aurvángr* s.] qvi siti sunt in Jorovallis [campis disſidiosis] unde Loſar devenit [sive ortus est]. Hæc autem eorum nomina: *Skirfir, Virfir*" &c. [*VSpá.* str. 47]. Sic Edda junior omnes Dvergos variis modis e mari vel aqvis et terra vel lapidibus ortos, sed in humo vel rupibus (aut saltem locis subterraneis) habitantes describit. His consentit Skalda (& multi veteres poëtæ) qvum saxa & rupes appellent: Dvergorum habitacula, ædes, sedes. Nihilominus Dvergorum sive Alforum nomina in Carmine Valiano & alibi recensita, et cum variis de illis agentibus mythis collata, manifeste monstrant dæmones istos non solummodo ad *aqvas, terram* vel *saxa* aut *foveas* pertinuisſe, sed etiam ad *aëra* et *ventos*, *lucem* et *tenebras, lunam* et *ejus phases, qvatuor mundi plagas, ignem & meteora* fulgentia ac *regnum naturæ vegetabile* revera pertinuisſe. Cfr. vers. Dan. I, 35, 57-59

et alibi. Veritas hujus veterrimi axiomatis recentioris seculi commentatoribus innotuit; sic etiam Gudmundo Andreæ qvi suæ antea relatæ opinioni hæc de Dvergorum origine, a Valâ traditâ, seqventia ingeniose addit: "Attestatur id eorum materiale productos fuisse ex *blòdi Brímis**) cruore ignis o; ex vi ignea & *blâum leggium* o: robore aërëo, nempe invisibilia ex invisibilibus, ideæ ex ideis. — — Ex nominibus eorum luculenter elicitur nil magis qvam qvalitates & actus significare divinos" &c. Dvergos ex omnibus elementis factos non a vero abludit, qvum illi in his adsidue degant & operentur.

Dvergi, sub hoc generico nomine, his locis porro in Edda nostra occurrunt: Nuper creati dividi videntur *VSpá* 10-14 in tres classes, nempe 1) Modsogneris sive Durini (str. 10-11) 2) alteram, in qva *Fili* qvidam, incertæ significationis, primo loco ponitur (str. 12). 3) Dvalini — qvi dæmones Lofaris cujusdam (alioqvin ignoti) atavi sive propagatores fuisse feruntur (str. 13-14) **). Dvergi Deorum cimelia & præstantissima artificia fabricantur, e. gr. (Ivaldi filii) Skibladnerum (Freyeri navigium) *G. M.* 42-43 (*Dain* & *Nabbi*) verrem Freyæ, aureis setis præditum, sive etiam galeam, tali signo ornatam; hic de *luna* ipsa sermo esse videtur; (cfr. *Brísingamen*, *Draupnir* s. *Freya* i.). Dvergi qvatuor (*Austri*, *Vestri*, *Nordri*, *Sudri*) qvi coelum sustentant ac ejus primariis plagis & ventis præsunt *VSpá* 11. *Hr. G.* 4. Duo alii (ut videtur) Balderi somnia explicare conantur *Hr. G.* 3. Fusca vel pallida Dvergi (subterranei) facies *Alv. M.* 2. Dvergi ejusdem summa experientia & sapientia *Alv. M.* 8-10 sq. Vocabula è Dvergorum sermone *Alv. M.* 12. 15. 16. 22. 25. 26. 30. (cfr. Vers. Dan. II. 3-7, 26-36). Dvergi diei lucem et orientem solem fugere solent *Hr. G.* 25. Dvergi solis lumine opprimi (sive in lapides transformari) dicuntur *Alv. M.* 35. (cfr. Vers. Dan. II. 7. 25. 36.) Dvalinus inter eos Runarum primarius sculptor sive doctor fuisse perhibetur *Háva M.* 146. Dvergi sub lutræ & piscis lupi specie latitantes S. II. *α. introd.* Cfr. art. *Álfar* s. Qvædam Nornarum minorum ad Dvergorum genus pertinere feruntur S. II. *β* 13. Hæ in Edda juniore (l. c. pag. 19) expressis verbis Dvergorum stirpi adscribuntur. — Alioqvin selecta Dvergorum nomina suis locis lectori consulenda sunt.

Johannes Olavius Grunnavicensis in suis ad Eddam Snorronianam annotationibus (circa medium seculi 18mi) Dvergos (qvos cum plurimis recentioris temporis, qvi latine scripsere, auctoribus *nanos* ea lingvâ

---

*) Hic Gudmundus Andreæ allegoricum nomen *Brímir* deducit ab eddico *Brimi* ignis, æstus, qvod certe cognatum cum alia *Brim* æstus maris. Cfr. art. *Brímir* s.

**) Edda junior, uti antea monui, tres similiter Dvergorum accipit classes, nempe 1) terrestres sive subterraneos (in terra subtus habitantes) 2) petreos vel saxicolas 3) Aurvangianos (forte proprie agrestes, agriculturam foventes — uti Gudmundus Andreæ jam dudum conjecerat).

appellat) ita breviter describit: "Est spirituum qvoddam terrestrium genus, humana qvidem specie apparens, sed statura curtum et crasſum *) *Danis, Dverge* et *Dvergefolk.* Narrant qvidam spirituales has eſſentias pileo suo (ut perhibent) se invisibiles hominibus poſſe reddere**); sed baltheo suo robur et vires sibi conciliare vel suppeditare. Præterea artifices metallorum***) egregii eſſe cluent et alia". Hæc porro alio loco annotavit: "Dvergi in Dania plerumqve nominantur, Islandis vero [Auctori coævis] ignoti sunt." Revera, uti *Svart-Álfar* olim dicti fuerint sed in Christianismo non liceret credere, qvod gentilium *Liós-Álfar* (Alfi lucidi vel boni) unqvam extiterint, jam in Islandia vocantur simpliciter *Álfar*, de qvibus ita Stephan. Olai (circa med. Sec. 17^mi^): "Hæc vox et opinio adhuc apud vulgum retinetur, ut vocitent *Álfa-fólk* qvos in petris ac tumulis, collibus ac rupibus habitare per phantasiam cernunt; alias *Land-Búar*, Danis *Gaard-Bue (Gaardboe)*". Islandis itidem simpliciter dicti sunt *Búi*, Norvegis *Bue*, *Bo* &c. qva voce *lares habitatores* sive *oeconomi* indicari videntur. Audiunt porro Islandis *Huldufólk* (gens occulta sive occultans; vid. *Fili* i.) De vera Dvergorum mythologica significatione doctisſime & perqvam ingeniose scripsit beatus Sculo Thorlacius in laudata de Thoro et ejus malleo disqvisitione. Sunt autem Dvergi non solummodo comparandi cum Græcorum dæmonibus epichthoniis sed etiam cum eorum & orientalium populorum Cabiris, Telchinis & pl. Nomina mythica illis entibus adsignata****) variis modis apud vetustatis & hodierni ævi populos formata sunt e. gr. AS. *Dveorh*, Belg. *Dwerg*, Aleman. *Duuerch*, Germ. *Zwerg*, Dan. & Norveg. *Dverg*,

*) Similia protulerat Gudm. Andreæ in notis ad carmen *Völöspá* (str. 9. 1): "*Dvergar*, Faunos, silenos & satyros nostræ fabulæ sic appellant a staturæ brevitate; nam *Dverg* tigillum in ædificiis proprie appellamus, brevi mensura tignos sustinens ac elevans. Pinguntur enim Dvergi curtis cruribus & longis manibus, ita ut terram attingant digitis cum stant recti, atqve natio talis fuisſe creditur mechanicæ artis & fabrefaciendi summe gnara & solers; verum hic depinguntur illa nomina qvæ memorat Ovidius Libro I. Metamorph.:

Sunt mihi Semidei sunt rustica numina Fauni.
Et Nymphæ Satyriqve & monticolæ Sylvani" &c.

**) In magno glosſario lingvæ Danicæ *(Danske Ordbog)* hic pileus vocatur *Dverghat* & *Dverghue* [Germanis *Nebelkapp*, *Tarnkapp*]. Islandorum *Dvergmál* Dan. *Dvergmaal* notat resonantiam illam naturalem, qvæ a Græcis & pluribus mythico Nymphæ nomine, Echo nempe, adpellata fuit.

***) Et aliorum qvidem naturæ artificiorum, uti permulta inter Islandos, Norvegos & alios usitata vocabula docent de chrystallis montanis & aliis speciosis mineraliis. Ob eandem causam homines fabrilis artis præcipue gnari dicuntur esſe *Dverghagir* i. e. Dvergorum instar dextri p. p.

****) Nanis vel hominibus perqvam curtæ staturæ a plurimis populis vocabulum illud alioqvin adaptari solet.

in Insulis Færoensibus *Dvorg*, *Dvörg*, Scotice *Duergh*, Angl. *Dwarf* &c. Cfr. Gl. T. I & II. v. *Durgr*, *Dvergr* &c.

Döckálfar, *Davckálfar* Alfi obscuri sive lucifugæ, alioqvin vocati *Svartálfar*, Alfi nigri; fugiunt diei et solis ortum & cum Nocte ac ejus geniis petunt extimam radicem (Ygdrasilli) primariæ vel mundanæ arboris ad polum borealem & Mimeris fontem sitam Hr. G. 25. Eorum propria habitacula ab Edda juniore (pag. 21) in terra subtus esse dicuntur, & ipsi qvidem describuntur pice nigriores sed Alfis lucidis indole magis tamen dissimiles. Eorum regio vel mundus appellatur *Svartálfaheimr* in Eddæ junioris fabulis de Skirnero (l. c. pag. 34) Ivaldi filiis (pag. 130) et de Andvaro (pag. 136) ubi Svartálfos eosdem qvam Dvergos esse manifeste cernimus. Mundus hicce olim putabatur aut e vastis ac subterraneis foveis consistere, aut etiam integrum sub terra nostra aëris spatium replere, inter eam qvidem & Helæ mundum situs, et septimus ordine, deorsum sumtus, numerari solitus. Vide Vers. Dan. II. 5. 29 & alibi. Recentiorum boreæ populorum superstitio has dæmonum subterraneorum regiones, auri & gemmarum nitore & abundantiâ splendidas ac magica qvadam magnificentia & fascinatione insignes depingere solet, sed fabulis istis jam non inhærere possumus *). Alfi atri varias alioqvin appellationes apud eos nacti sunt e. gr. in Dania, Norvegia & Svecia *Vetter*, *Ellefolk*, *Trold*, *Troll*, Germania *Kobold*, *Bergmännlein* (homunculi montani), Scotia *Brownÿ*, *brown men of the muirs* (fusci paludum incolæ) &c. Vide *Álfar*, *Dvergar* & Gl. T. I. voce *Döckálfar*.

---

*) Hæc tamen è Sorterupii laudato manuscripto annotare liceat; Loqvitur de Svartalfis sive tenebrarum geniis, tempore solstitii hiberni aut Jolensis festi, terram nostram fugientibus, & vestigiis veterum rituum, qvi auctoris tempore in ludis Juliis plebis danicæ observari potuerunt: "*Julevetten* [dæmon Jolensis temporis] dicitur juvenis qvidam facie denigratus, qvi indutus galbeo et sub nigro ita involutus operimento, ut stragula, qva tegetur, in oblongam exeat caudam, humi serpendo utroqve cubitu pedum loco suffultus, ore bacillum tenet, cujus extremitatibus parvulæ accensæ inseruntur candelæ. Ita instructus introrepit in ædes, caputqve jam elevando, jam versus terram deprimendo, *Döckalfum* sive *Vættam nigram* repræsentat, præsentesqve salutat, stipem pomorum, nucum &c. collecturus, qva accepta abit. In eos vero, qvi talia denegant munuscula, insulturum se minatur & torvumqvid spirat. — — — Extinctis candelis reptando aufugit. De hac repræsentatione rustici adhuc dicunt. *Nu kommer Jule-Vætten* — qvo ludo hodie sine omni superstitione utuntur, saltem ut præsentibus risum moveant". Vocabulum *Vætter (Vættir)* de Alfis & Dvergis olim in gentilismo usitatum, ludi istius vetustissimam originem monstrat. Similes ludos, in toto boreali orbe obvios, innumeros fere censemus, qvorum igitur descriptionem hujus scripti scopus & spatium minime permittere qveunt.

E.

Edda vide ind. onomast. in Carmen Rigianum.

Egdir, Egþir (aqvila, mas) nomen (ut puto) Hræsvelgi Titanis, aqvilæ formam induti, qvi tumulo elato (boreali polo) insidens, mundi interitu appropinqvante, ludit citharâ (vel pro gaudio æolium suum barbiton pulsat) *Fialare*, rutilante gallo (auroræ borealis symbolo) simul concinente *VSpá* 38. Est alias vocabulum aqvilæ poëticum. Vid. Gl. T. II. v. *Igdæ* et art. *Hræsvelgr* i. Cfr. vers. Dan. I, 46, 65.

Eikin (petulca cet.) amnis vel fluvius coelestis, sive Deorum regionem rigans. *Gr. M.* 27. Vide Glosſ. T. I.

Eikinscialdi, Eikinskialldi (ad verbum a) iliceo scuto præditus sive defendens, vel forte; b) iliceo sive arboreo umbraculo tuens vel refrigerans. 1) Dvergus sive Alfus qvidam in secunda clasſe *VSpá* 12 et 2) (secundum nonnullos codices) alter in tertiâ, sive Dvalini coetu *VSpá* nisi hic duo nomina *) (codice regio Eddæ Snorronianæ innuente) pro uno poni deberent. Circa etyma ipsa vide Glosſ. T. I. v. *Eikinn* T. II. v. *Eik* ac T. I. & II. v. *Skiöldr.*

Eikþyrnir (Spinis arboreis i. e. prægrandibus cornibus præditus) Cervus stans super Odini aulam, pascens e ramis arboris *Leradi* & suis cornibus tantum liqvorem in Hvergelmerem (abysſi fontem) destillare faciens, ut flumina cuncta (sive aqvæ universæ) inde oriantur *Gr. M.* 26. Edda Snorroniana (l. c. pag. 43): "Cervus Eikthyrner insistit Valhallæ (tecto) et arboris Leradi ramis pascitur. Sed e cornibus ejus tanta destillat gutta in fontem Hvergemlerem, ut inde amnes existant, qvi sic appellantur (*Sid* & *Vid* &c. *Gr. M.* 27). Symbolico hocce animali repræsentari opinor *viam lacteam* sive aliam qvandam coeli constellationem aut meteoron. Aqvas e coelo aëreo destillare qvotidiana experientia docet, unde veteres populi multas de coelestibus aqvis fabulas & phrases composuere. Cervus præterea ab iis Coeli, Solis & Lunæ numinibus variis modis sacratus fuit & ab AEgyptiis pro æternitatis & celeritatis symbolo habitus. Cfr. suo loco qvatuor Ygdrasilli cervos, et istum qvi *solaris* dicitur *Sól. L.* 55. (sub art. *Sólar-Hiörtr* i). De nostræ vocis etymis vid. Gl. T. II. v. *Eik* I. & II. v. *Þorn.*

Einheri appellatio Thori Dei, ipsi a Lokio adtributa *AEg. Dr*, 61. Vide Gl. T. I. Plurali numero dici videtur:

Einheriar, vulgaris denominatio heroum in Valhallam, aulam Odini sive cœlum æthereum vel astrale ac interdum etiam, teste Edda juniore, in *Vingólf* aliud cœleste

*) Nimirum 1) *Eikinn* a) sylvanus b) iliceus, arboreus vel c) petulcus, protervus et 2) *Skialldi* tegens, tuens, umbraculo recreans &c.

palatium, forsitan cœlum aëreum (vid *Vingolf*, *Odinn*) receptorum. Eorum qvotidianæ occupationes sic describuntur *Vafthr. M.* 41 qvod nempe in Odini areis qvotidie dimicent ac cædendos eligant, deinde a prælio eqvitent & cerevisiam (sive medum) cum Diis potent *). Eundem tenorem servat Edda Snorroniana (stropham nuper memoratam citans l. c. pag. 44-45). Ganglero de Einherorum recreatione sive oblectamento sciscitanti Har ita respondet: "Qvotidie, vestitu sumto, armaturam induunt, in aream descendunt, congrediuntur & mutuis sternuntur cædibus. Hic eorum ludus. Instante vero prandii **) tempore, omnes domum (incolumes) ad Valhallam eqvitant & ad potandum considerent." Einherorum victus (verris Særimneri caro) *Gr. M.* 18. (vide *Sœhrimnir*) & potus (medum coeleste sive lac capræ Heidrunæ) *Vafthr. M.* 41. *Gr. M.* 25 H. II. 44. cfr. *Hr. G.* 18-19. (vid. *Heidrún*). Valkyriæ iis & Odino potum ministrant *Gr. M.* 36.; cfr. *Hr. G.* 19. (Vid. *Valkyria*). Plura de oeconomia Einherorum Valhallensi, terrestri simillimâ, adfert H. II. 37. (Vid. *Valhöll.* Cfr. *Andhrimnir* s.). Valkyrias pro eorum amasiis interdum habitas esse concludi potest ex H. I. 35. Vivos principes vel heroes Einheri fovere vel defendere dicuntur *Gr. M.* 50. Einheriorum 432,000 ê portis Valhallæ exeunt ***) (e qvovis 540 ostiorum 800 heroes) *Gr. M.* 23. Einheri appellatio Thoro a Lokio cum eo altercante adtributa *AEg. Dr.* 61. Vox *Einsheri* vel *Einheri* allegorice dicitur de duobus telis vel pugnatoribus in humano corpore, *lingvâ* et *manu*, qvæ ambo vitam perdere et defendere qveunt *Hâvâ M.* 73. In ultimo mundi exitio Edda junior (pag. 72) describit Einheros cum Asis armaturam sumentes & sub Odini ac eorum auspicio contra terræ & ejus elementalium numinum inimicos ad prælium vadentes.

Cum Odinus indubie cœli Deus olim creditus fuerit, & aula ejus ac palatia ibi igitur qværenda, Einheros sive præstantes heroes ê veterum sententiâ in cœlum receptos esse oportet. Omnia fere antiqva mythologiæ systemata similes opiniones foverunt. Sic certe qvidam, inter atavos nostros, se putabant cernere Deos & heroes sub astrorum vel lucidorum meteo-

*) Plato (in Phædro) dicit Deos ad convivium et dapes vadere & tunc ad extremum coeli arcum sublimes ire.

**) Vel etiam jentaculi (*Davgvrdarmâl*, *Dagverdarmâl* unde Dan. Norveg. *Davre*, *Dur*, *Durmaal*, *Dul*; Svec. *Dagvard*, *Daver*, *Dagelmaal* p. p.

***) Uti observavit doctissimus noster *Sandal* in *Cosmogon. Ant. prim. lin.* part. I. pag. 119. sq. cfr. 117. 176-178; II. 147. 155-56. Numerus ille (432,000) ad zodiaci ac anni divisiones & mundanæ ætatis annorum seriem p. p., certum habuit respectum, & variis igitur modis in Chaldæorum, Indorum, Sinensium & pl. vetustissimam mythologiam est receptus. Vid. vers. Dan. hujus Eddæ I, 249-50. Cfr. *Kanne System der indischen Mythen* pag. 35, 45, 48-49.

rorum (e. gr. borealis luminis) specie coelum nocturno tempore peragrantes. Hinc poetæ & sacerdotes finxere Einherorum qvotidianum certamen in Odini arcis (coelestibus) qvum stellæ se invicem perseqvi & occidentes ab aliis occidi viderentur vel poetice dici posſent. Notum præterea est qvod inter hyperboræos Europæ & Americæ populos auroræ borealis phænomenon esſe putetur dæmonum sive defunctarum animarum prælium aut certamen. Nihilominus veteres Scandinavi illas pugnas revera hostiles sive lethales esſe minime autumarunt, nam eas e contrario pro Einherorum oblectamento sive ludo militari (pyrrhichæ simili) accepere; — tales ludos inter Thraces valde freqventes fuisſe, docet Xenophon ut oculatus testis*), sic eos adcurate describens: "Epulum satis largum præbuere qvum — — inter coenandum, poculis ê cornu factis, qvæ illa in regione invenerant, uterentur. Posteaqvam libatum esſet ac decantatus pæan, primi Thraces surgebant & armati ad tibiam saltabant inqve saltando alte & agiliter se movebant, qvùm gladiis etiam uterentur. Ad extremum unus alterum feriebat; ut nemini non cæsus unus eorum videretur. At alter certo qvodam artificio ferierat. Tollebant ad ea Paphlagones clamorem. Hinc cum victor alterum armis spoliasſet, cantans Sitalcam exibat: alii vero Thraces victum veluti mortuum effe-

rebant. At illi nihil mali acciderat." Describitur in seqventibus præter alios armatos ludos *saltatio sementina*, qvamAEnienses & Magnetes armati exhibebant, aratorum vel pastorum & prædonum acrem pugnam repræsentans. Ejusdem generis pyrrhichas & artificiosisſimas qvidem inter veteres Boreales in usu fuisſe docet *Olaus Magni* (Hist. de gentib. Sept. Lib. XV Cap. 23. collatus cum Taciti German. Cap. 24) qvæ jam dudum monstravit clarisſimus noster *Engelstoft* in disqvisitione de exercitiis gymnasticis antiqvorum Scandinavorum (Scandinavisk Museum 1802. pag. 55). De lucta eorum freqventisſima consulatur idem Auctor, ut et b. Sculo Thorlacius de matrimon. Vet. Bor. pag. 218 sq. Exercitia proprie militaria publicis oblectamentis olim etiam uti hodie adnumerata fuisſe nulla egebit probatione. Thraces veteres Getis & Gothis cognatos fuisſe sentio, & illorum oblectamenta ab his similiter adamata. Exercitia & delicia Valhallensia thracicam indolem & morem manifeste sapiunt. Hominum gladiatorios ludos heroës in coelis imitari olim putabantur & ex his pyrrhichis beatarum animarum coelestes choreæ sive saltationes (a populis vetustatis orientalibus & græcis, non minus qvam certis hodierni temporis populis, qvi inter barbaros numerantur) relligiose creditæ suas origines ducunt.

*) De expeditione Cyri Lib. 6to cfr. Athenæi Deipnos. Lib. I.

De variis probabilibus significationibus vocis *Einheri* (plur. *Einheriar*) vide Glosſ. T. I. pag. 465-66. Indicem nom. propr. in T, II. pag. 868 & Glosſ. T. III. pag. 219; cfr. Vers. Dan. I, 115-16. Qvod vocabulum istud indicet heroës selectos, præstantes vel pugnaces & sic qvidem *eximios bellatores* *) collective *agmina cœlestia* (i. e. astra vel cælestes dæmones), id pro indubio habemus. Ob eandem causam Odinus, summus cælestium imperator, dicitur *Herian*, *Heriafadir* &c. Einheri igitur et nomine et valore conveniunt Græcorum & Orientalium (præsertim Sabæorum) copiis cælestibus, qvæ etiam Persis & Indis notæ. Earum sanscritica nomina ita recensentur in libro *Amaracosha*, Paulino vertente **): *Abashwara*, *Aaditja* principes (duodecim soles, stellarum rectores, qvi Asis nostris partim correspondent) *Máhárágica* exercitus seu multitudo bellantium, *Ganna-devata* agmina Deorum p. p.

Eir, una novem nympharum, Mengladam comitantium, (allegoricæ et eroticæ naturæ) qvæ enumerantur in carmine *Fiölsvinnsmál* str. 39. Nomen ipsum *Eir* vel *Eyr* alias adtribuitur Deæ medicinalis scientiæ apud veteres Septentrionales (Edda Snorroniana l. c. pag. 36). — Mulieres olim inter eos & Germanos medicinam sæpisſime exercuisſe, jam neminem latet. Vocabulum ipsum, cujus multifariæ significationes enumeratæ sunt in Glosſ. T. I. pag. 467. cfr. 475. verisimiliter est deducendum a verbo *eira*, *eyra* adqviescere, parcere, favere (cfr. Gl. T. II)***). Hujus Deæ sive Nymphæ cognatio cum Græcorum Εἰρήνη (Irene; Pax) jam tum est monstrata.

Eitr, *Eitir*, Dvergus qvidam e coetu Dvalini, secundum Edit. Holm. *VSpá* 13 — idem sine dubio habendus cum Dvergo in Edda juniore (pag. 131-33) celebri, qvi in codice Wormiano vocatur *Eitri* (in aliis *Sindri*) et cum fratre Brocko qvædam Deorum cimelia fabricavit. Vid. s. art. *Draupnir*. Vox *Eitr* vulgo denotat venenum (vid. Gl. T. I & II.), sed usitatur etiam in cosmogonia Eddica pro materia

*) Cfr. veterem Germanorum traditionem de fortisſimo heroi sive gigante *Einheer* dicto, qvam excerpsere fratres Grimmii ex Aventini chronico Bavarico *(Deutsche Sagen* I, 25). *"Diesen Riesen nennt man Einheer dass er sich in Kriegen schier einem Heer vergleicht und also viel ausrichtet. Es flohen ihm die Feinde, Winden und Haunen, meinten, es wär der leidige Teufel"*. Einheri sine dubio vivos homines defendere suni crediti — & hinc igitur ortæ suni innumeræ fere vulgi fabulæ, adhuc in Europa non abolitæ, de heroibus immortalibus, qvi populum suum e summis belli calamitatibus aliqvando sunt liberaturi e. gr. Holgero Dano, Arthuro Britanno, Friderico Barbarosſa & pl,

**) *Amaras inha* Sectio 1ma *de cœlo. Ed. Paul. a St. Bartholomæo. Romæ* 1798, 4. Nomina agminum cælestium. — Annotavit editor varia de græci & indici Sabæismi sive astrolatriæ convenientia.

***) Hinc island. *eird*, *eyrd*, pax, qvies.

qvadam chaotica sive principio elementorum. Vid. *Elivagar* i.

Eldhrímnir, Elldrímnir (ab igne fuligineus, aut igne & fuligine sive pruina o: igneis vaporibus consistens) lebes Andrimneri, Einheriorum coqvi *Gr. M.* 18. Edda Snorr. p. 42. — Vid. *Andhrímnir* s. De etymis consule *Eldr* & *Hrím* in Gl. T. I. & II. Cfr.

Eldir, Elldir, AEgeris sive Oceani famulus stans ad ostium ædis. *AEgisdr.* introd. Ejus cum Lokio altercationes str. 1-5. Nomen deducendum est a verbo *ellda, elda* ignem accendere, ignitum facere, et itidem (sensu obsoleto) lucescere, lucem adferre (unde *elding, aptur-elding* diluculum). Sentio hanc allegoricam personam significare marilam sive ignem maris languidum sed phosphori instar lucentem. *Elldr, Eldur* alioqvin ignem ipsum significat; vide Gl. T. I. & II. In ænigmatibus Regis Heidrici undæ vocari videntur Elderi sponsæ sive amicæ aut cognatæ. (*Hervar. S.* ed. Havn. pag. 158. var. 19. g).

Elgia una novem Heimdalli matrum, e giganteo genere oriunda *Hyndl. L.* 34. Denotare videtur æstum maris, vel fluminum aut nubium, unde verbum *elgia* æstuare. Vid. *Heimdallr* i.

Elivagar flumina abysfi mythica, e qvibus Titan chaoticus, postea in nostrum mundum transformatus, suam originem sumsisse fertur, e. gr. *Vafthr. M.* 31. ubi *Aurgelmer* (vel *Örgemler*) crevisse dicitur e guttis veneni [primitivæ materiei] ex Elivagis prosilientibus, et scintillis ex australi plaga projectis — calore ita pruinæ vitam promente. — Putabant alioqvin oceanum, orbem terrarum cingentem, e subterraneis illis fluviis sive abysfi fontibus scaturire, & sic sæpe illius borealis & orientalis pars (qvæ jam mare glaciale, olim Chronium, dicitur) *Elivagar* similiter appellatur e. gr. *Hym. Qv.* 5. ubi Hymer Gigas sub orientali coeli extremitate habitare fertur & *Hr. G.* 13. loqvens de frigidi Gigantis (Utgardensis Lokii forte) soporifera virga, ab Elivagis et orientali plaga impulsa; — Nox et tenebræ ex oriente et ultimo oceano super terram provehuntur. Sic de Elivagis primariis agit Edda Snorroniana (l. c. pag. 5): "Sunt amnes qvi appellantur *Elivagar**), qvi cum adeo e scaturigine longe profluxisfent ut materia venenosa [perfrigida sive chymicis virtutibus fortisfima] sponte fluens**) [sive se ipsam movens] qvæ illos comitabatur (vel iis admixta fuit) scoriæ instar, qvæ de igne exsilit, indurescerat, in glaciem conversa est, — qvæ cum fluendo subsisteret nec ulterius promanaret, eidem superne infundebatur uligo (seu evaporatio) illa, qvæ ex vene-

*) Hos amnes eosdem esfe puto atqve amnes illos qvos auctor paullo ante ita descripserat: "In medio Niflheimi (nebulosi mundi; imi abysfi) fons situs est nomine Hvergelmir, ex qvo amnes qvi ita appellantur, emanant *Svöl:* (frigida)" &c.

**) Vel simplicius: (spontanea) veneni mobilitas sive vivacitas *(eitur-qvika)*. Joh. Olav. Grunnav. observavit Plinium simili modo appellasfe *argentum vivum*, venenum rerum omnium.

no (primitiva materia) exsudavit, et in pruinam eo modo congelaret, ut unum stratum pruinæ alteri super additum in abysſum chaoticum [*Ginnúnga-Gap* dictum] usqve procederet et accresceret. Vastitas illa inanis, qva septentriones spectabat, pondere et gravitate glaciei fuit oppleta, sed introrsum uligo (seu evaporatio) & aura frigida &c." Seqvitur relatio de caloris ætherei efficacia, qvæ Titani primario, Ymero sive Orgemleri vitam præbuit &c. Vide *Niflheimr*, *Muspell*, *Ymir* p. p. — Enarrat *Skalda* (l. c. pag. 111) qvomodo Thor, e borea veniens, Elivagas vadendo pertransiisset et Orvandilem Titanem (gelu obrigentem) e mundis giganteis gestasſet &c.

Nomen *Elivagar* significat aqvas procellosas sive frigidas; *El* (recentioribus *Jel*) denotat a) procellam, nimbum, tempestatem *), præcipue nivem sive grandinem adferentem; b) æstum maris et inde poëtice mare ipsum; c) guttas (unde lacrymæ dicuntur *el augna* oculorum guttæ sive pluvia; cfr. G. I. 14. — *Vagr*, *Vogr* (unde nom. plur. *Vagar*) olim denotavit mare, flumen, aqvam & postremo sinum vel recesſum maris (Vid. Gl. T. I & II). Verti igitur Danice in *Tractatu de Origine veteris septentrionalium relligionis*, nomen *Elivagar: dryppende Vande; kolde Vande* (aqvæ stillantes vel frigidæ). Illius tractatus brevem recensum sive epitomen, ab illustrisſimo nostro Oerstedio elaboratam **) ad manum habuit doctisſ. *Mone* et plures meas ibi memoratas theses, sine earum sufficiente notitia vel examinatione, refellere conatus est. Sic etiam posteriorem illam versionem (*kolde Vande*) pravam appellat ***). Ego attamen plura ejus fundamenta me statuere posſe opinabar. Sic notisſimum adjectivum *elkalldr* veteribus nostris poëtis manifeste significavit frigidum, valde (verbotenus: procellæ vel maris instar) frigidum: e. gr. in poëmate *Ynglinga-Tal* ****):

Þar er elkalldr
Vödlo straumr
At vagi kémr.

Qvæ ita recte ibi translata sunt Danice: *hvor den iskolde Vadle-Ström falder i Söen*, & Latine: *ubi frigidisſimus Vaudlo flu-*

Veteres in ceterum veneno frigidisſimas adscripsere qvalitates. Hinc nomen *Eiteraa*, in Norvegia flumini perqvam frigido & venenosæ igitur indolis ex accolarum opinione. Sic e. gr. *Ströms Söndmörs Beskr.* II. 139. *"En liden Aa kaldes Eiteraa fordi den altid baade Sommer og Vinter giver fra sig en stærk og giftig Kulde som fornemmes naar man reiser i Nærheden"*. Cfr. Gl. T. I. & II. v. *Eitr.*

*) *El*, *Iel* (uti jam in Islandia) hac nunc significatione gaudet inter Tartaros Caucasios & pl.

**) *Oversigt over det Kongelige Danske Videnskabernes Selskabs Forhandlinger og dets Medlemmers Arbeider fra 31 Maji 1817 til 31 Maji 1818. Af Prof. H. C. Örsted.* 4. Pag. 24. Germanice reddita est epitome illa in *Allgem Geograph. Ephemeriden* 1820.

***) *Geschichte des Heidenthums im nördlichen Europa* I. 315.

****) Snorr. Sturlæi *Heimskringla Yngl. S.* Cap. 51. Ed. Havn. T. I. p. 59.

vius in mare fertur. Nuper primum legi breve Glosſarium poesëos antiqvæ Borealium, Auctore doctiſſimo philologo Johanne Olavio Hypnonesiense, qvi vocem *Elivogar* Latine reddit: *fluvii congelati;* eandem fere sententiam*) fovent Haldorson & Rask in Lexico Islandico ad illam vocem. Miror igitur virum Germanum et prisci Scandinavorum idiomatis non satis gnarum, qvamvis alioqvin doctum & ingeniosum, tales Islandorum glosſas in proprium eorum sermonem sine ullis argumentis aspernari et condemnare!

Embla, mulier prima, a tribus Diis creatoribus ex arbore vel ligno formata *V Spá* 15. Ejus maritus *Askr* (sive Ascus) est nominatus, de qvo suo loco egi & relationem Eddæ junioris de hominum creatione simul adtuli. Nomen ipsum e nostri sermonis radice superstite vix derivandum opinor. Gudmundus Andreæ & Sculo Thorlacius præferunt Hebr. אם *(Em)* mater (Pers. *Emm)* **), et ista significatione pariter gaudent variæ voces inter diversos populos Asiæ borealis adhuc usitatæ *Eme, Emma, Ella* & pl. Adde Hispan. Vascon. *Ema, Emea* fœmina, Mongol. *Eme*, Finn. *Eme, Aeme* uxor Lapp. *Æmed* materfamilias. Alii vocabulo illo indicari putarunt aliqvam ligni sive arboris speciem, præcipue eam qvæ Germanis dicitur *Erle* sive *Eller* (alnus); hæc autem alioqvin Scandinavis sonavit *Elrir* de qvo Gl. T. II. Certe nobis facile in mentem veniet Gr. μελια (fraxinus) cum Græcorum qvidam mythi, borealibus similes, primos homines ex hac arbore factos vel ortos adserant; sic fortasſis *Melia* per metathesin idem foret ac *Emlia, (Emla, Embla)* humani generis fraxinea matrix. De his omnibus alibi uberius agemus.

Esir pro *Æsir* (Asæ, Dii) vide Gl. T. I. 472 & *Áss* s.

Eygló (semper micans sive splendens) appellatio Solis *Alv. M.* 16. Vide Gl. T. I. Cfr. Gr. αιγλη fulgor, splendor.

F.

Fafnir, Fofnir, Fabnir (filius Hreidmaris) Dæmon qvidam, mythicis entibus certe adnumerandus; — vide de illo Indicem nom. propr. in Tom. II. (pag. 869). Hic porro observamus qvod duobus locis S. II. β. 29 & 38, *gigas* vocitetur — sed frater

*) I. 179. "*Elivogar* intima ora maris albi, perpetua glacie adstricti". Mare, qvod album vocamus certe, fuit pars qvædam Oceani glacialis, qvem atavi nostri interdum illo nomine designarunt. — Joh. Olavius Grunnavicensis sic nomen illud reddiderat: "*Elivagar* æstuaria marina nimbos niveos recipientia illisqve scatentia."

**) *Le Pileur Tableaux synoptiqves de mots similaires* (1811) pag. 120.

ejus Reginus (fabrili artificio celeber) ê contrario (qvoad staturam) Dvergus S. II. α introd. Tertius frater, *Otur* dictus (Dvergorum more) se in lutram transformare solebat ibid. Fafneris origines & præcipua gesta ibidem describuntur; vid. *Hreidmarr, Reginn* i. Fafner patrem Hreidmarem trucidabat, ut thesauris ejus potiretur; deinde se in angvis sive draconis speciem transmutavit, divitias raptas ita servans in tesqvis Gnitensibus S. II. α. Ultimus ejus congressus cum Sigurdo, qvi ab ipsius cæde nactus est Fafnericidæ cognomen *(Fafnisbani)* S. II. β.*) Eorum colloqvium; Fafner in mortis periculo varia oracula edit ibid. str. 1-22. Cor ipsius (draconis vel angvis) comeditur sed sangvis bibitur a Sigurdo, qvi inde petit peritiam sermonis avium ibid. (cfr. ea qvæ de uxore ejus Gudruna referuntur G. I. introd.) **). Fafneris ædes & gazæ, a Sigurdo spoliatæ describuntur S. II. β. Hoc Sigurdi facinus prisci artifices in scutis, aulæis &c. freqventer repræsentare solebant. De Fafneris crista (sive formidabili galea, Germanis *Schlangenkrone)* & pl. — vide observationes nostram ad hujus editionis T. II. 922, 924.

Exhibet Edda Snorroniana prolixam narrationem de Fafnere et ejus familia (l. c. pag. 135-39) qvæ nostræ e maxima parte assentit. De nominis origine hæc inter alia adfert Johannes Olavius Grunnavicensis.. "*Fofnir* vermis nomen, interdum scribitur *Fafnir*, per licentiam veterum, qvi *a* et *o* multoties permutant. Procul dubio nil aliud est qvam *Fé-ofnir* i. e. qvi se involvit auro; is in serpentis mutatus speciem illi incubasse perhibetur, nam auro se obvolvit et id sibi telæ instar circumplicat. Aliud vermis nomen est *Ofnir* i. e. *textor* vel qvi *sæpe texit*, sed in specie bombyx (?). Vermes autem qvosdam auro incubare vetus est traditio e. gr. vulgaris illa de pirata Jomensi Buone crasso *(Búi digri)*, nimirum eum, dum de exitu felici pugnæ Hiorungavagensis ***) desperaret, ac utraqve manus illi præcisa esset, brachia mutila in annulos operculi cistarum duarum, qvas secum in navi, auro & argento plenas habuit, immisisse ac ita se cum illis in mare præcipitem dedisse, atqve in angvem commutatus, gazis illis incubans, aliqvoties postea conspectus apparuisse. Convenit hæc opinio cum Martialis XII. 53.

Largiris nihil incubasqve gazæ
Ut magnus Draco qvem canunt poëtæ
Custodem Scythici fuisse luci" —

Hoc etiam ego (isto Olavii opere tunc non

*) Cfr. Griperi de his eventis vaticinia S. I. 11. 13.

**) Hoc esu non modo sapientiam sed etiam crudelitatemacqvisivisse fertur in *Vols. S.* vel *þætti Sigurdar Fafnisbana.* Vid. *Eddæ Sæmundinæ* Ed. Holm. pag. 202.

***) In Norvegia A. C. 994. — Vide *Jómsvikinga Saga* (Holmiæ Svecorum impressa) ut et *Saga Olafs Tryggvas.* Ed. Skalh. I. 185. Cfr. *Hkr.* I. 239 (ubi Snorro tamen illam vulgarem de serpente traditionem, ut nimis fabulosam, caute reticet).

inspecto) observavi antea (II. 922) similis superstitionis mentionem faciens apud Græcos, Persas, Anglo-Saxones & pl. qvæ omnia hic enumerare nimis prolixum foret. Observamus tantummodo Indos multas adhuc fabulas retinere de Draconibus subterraneis, aurum, gemmas & alias divitias servantibus. Heroes dracones illos interdum occidisse & gazas ab iis custoditas abstulisse ferunt *). Fabulantur alioqvin Indi de Rege qvodam angvium (*Sancha-naga* appellato) qvi pro lubitu hominibus divitias tribuere potest, et eâ causa a qvibusdam relligiose colitur **). Serpentum cultus Ophitis ac Sinensibus certo modo proprius fuit, & alioqvin apud Sarmatas invaluit; — Nostratibus non fuit omnino ignotus uti hodiernæ plebis superstitiones monstrant. Cfr. *Ofnir*, *Svafnir* i. Inter freqventissimas auri appellationes poëtis veteris septentrionis audiit *Fafnis bæli* (Fasneris — vel cujusvis serpentis — cubile aut mansio) & alia similia. Eo nomine appellari qveunt pervetusti aurei nummi vel monilia, in bracteārum modum excusi, ac sæpissime in nostro septentrione inventi, qvi suo typo draconem aut angvem unum vel plures variis modis repræsentant. Tales figuras ad illam de serpentibus auri custodibus veterrimam opinionem alludere credo. Pretiosa metalla & gemmæ ipsæ effodiuntur ê terra, in cujus latebris angves nascuntur et habitant; non igitur mirum qvod serpentes illas divitias adamare & custodire dicerentur, qvam ob causam pro divitiarum tutoribus & symbolis ab hominibus fuerunt recepti. Ab alia parte metallarii, ii præsertim qvi aurifodinas exercebant, cum draconibus & gryphis montanis comparari potuerunt, uti veteres Indi & Persæ (e Ctesiæ & Herodoti testimonio) fecisse videntur. Cfr. hujus operis II. 270. 947.

Falhófnir, (pallidis ungulis præditus a *Favlr* pallidus & *Hófr* ungula [Dan. *Hov*, Germ. *Huf*] vel etiam clavatis a *Falr* lamina, cuspis, clavus cet.) — unus inter eqvos Deorum *Gr. M.* 30. Memoratur (ordine nonus) in Edda Snorr. (l. c. pag. 18). In uno ejus codice vocatur *Falhosnir*, in alio *Falofnir* ê Raskii nostri recensione.

Farmatyr vecturarum numen; Deus nautis et vectoribus favens, Othini nomen adscititium *Gr. M.* 46. Edda Snorr. p. 24. Skalda in cantilena Eivindi Skaldaspilleri pag. 327-28 *Hkr.* I. 173. *Farma-god*, eodem sensu, paullo aliter sonat Ed. Sn. l. c. Odinus ipse ventos ferentes (vel secundos) negotiatoribus (sive nautis) donare dicitur

*) Talis fabula refertur e. gr. de heroe *Outánpud* qvi serpentem (sermonis compotem, uti Fafnerum nostrum) trucidavit, et ejus thesauris ablatis Rex terræ ditissimus evasit. *Polier Mythologie des Indous* II. 274-76.

**) *Asiatic Researches* Vol. III. pag. 343-44. Sanscr. *Naga* (serpens) verisimiliter eadem vox est ac vet. Scand. *Snákr* Angl. *Snake* Dan. *Snog* &c. qvæ omnia eadem significatione gaudent. Cfr. Isl. *Naga* rodere.

Hyndl. L. 3. Is etiam Sigurdum et ejus asseclas a naufragio liberat, periculosam tempestatem sua præsentia inhibens S. II. α. Odinus (sive ipsius sacerdos) potest navigia in undis servare, ventum tranqvillum reddere & totum mare sopire *Hávam.* 157 — cui etiam assentit *Yngl. S.* Cap. 7. "Id efficere potuit solis suis verbis ut mare tranqvillum redderetur, ventusque mutaretur, prout ei erat vólupe". Odini ministræ vel nuntiæ, Valkyriæ nempe, suos amicos e marinis tempestatum periculis liberare dicuntur H. Q. I. II. III. Odinus non modo aëre & ventis præfuit, sed divitias etiam suis cultoribus largiri fertur *Hyndl. L.* 3. Cfr. *Yngl. S.* Cap. 7, ubi præsertim omnibus (in terra, petris & tumulis) absconditis thesauris*) imperare perhibetur. Hinc igitur non mirum qvod Odinus vecturarum sive mercium (i. e. vectorum, nautarum & mercatorum in genere) summum numen esse dicatur. Huc spectant plura Odini nomina e. gr. *Hlésreyr* maris deus vel dominus, *Hlésródr* maris peritus, *Farmagnudr* cursum (navis vel nubium aut venti) adaugens & alia **). Niordus alioqvin (et Freyr ejus filius) sub illius auspiciis simili functione præditi esse putabantur, et eorum cultus in his rebus postremis gentilismi temporibus cultu Odini ipsius præcelluisse videtur. Cfr. *Fengr*, *Ódinn*, *Valkyria* i. Vid. Gl. T. I.

Fengr, *Feingur* nomen adscititium Odini S. II. ac 18. Hic certe acqvirens, occupator, a verbo *fánga* vel *fá*; alias vulgato sermone: adqvisitio, captura ***) Dan. & Germ. *Fangst*; vid. *Fáng* in Gl. T. II. Sic Odinus verisimiliter sonuit nautis vel mercatoribus, ut eorum, qvæ adpetebant, bonorum largitor. Cfr. *Farmatýr* s. & Gl. T. I.

Fenrir (vulgo *Fenris-Ulfr* ɔ: abyssi incola sive lupinum monstrum) Lupus mythicus, omnium maximus & ferocissimus, a Lokio & furia qvadam, Angurbodi dicta, progeneratus *Hyndl. L.* 36; cfr. *VSpá* 36, *Ángurbodi* s. & *Loki* i. Is a Diis vinctus, Tyri manum morsu abrupit *AEg. Dr.* in introd. it. str. 38, 39, sed exspectabit in vinculis Deorum crepusculum i. e. interitum mundi 39; cfr. *G. M.* str. 21 obs. 14. Aut hic aut alius ei cognatus lupus Solem mundi nostri prehendet sive interficiet *Vafthr. M.* 46, 47 ****). (Cfr. *VSpá* 36-37, de lupo lunam mordente vel devorante &c.)

*) Odinus (Cœlus sive Zeus) fuit Terræ vel Friggæ maritus ac dominus; — hæc eapropter illi, e veterum simplici opinione, sua bona (terrestres divitias) reddere debuit.

**) Coelum Oceano superiorem esse nemo non videt. Præterea venti, qvorum nutu mare gubernatur, olim e coelo vel aëre emanare sunt creditι. Hinc Coeli numinis in maris Deum apud gentiles populos imperium. Cfr. *AEgir* i.

***) Ita dicitur poësis *fengr Ódins* (adqvisitio Odini) Edda jun. pag. 87.

****) Verbum *fara* (ek *fer*, *fór*) duplicem hanc significationem adsciscere potest, & priori modo hic certe est interpretandum, qvum casum accusativum regat. Vid. Gl. T. I.

Sol ob eam causam ejus gratum nutrimentum *(fódr-lardr)* vocari videtur *Hr. G.* 23 *). Catenâ rupta, lupus ille ad ultimum elementorum conflictum solutus ruet *VSpá* 40 etLokium patrem atque ejus monstrosos cognatos comitabitur 45. Einheri contra eum pugnatum eunt *Gr. M.* 33. Cum ipso Odino certamen inibit et eum qvidem perdet *VSpá* 47, sed trucidabitur a Vidare 48. *Vafthr. M.* 52-53.

In Edda Snorroniana variæ relationes de monstro illo exhibentur. Hæc de ejus primâ origine agit: (pag. 32 sq.). "Angurboda [angorem & afflictionem nuntians] vocatur furia [Gygur] in Jotunheimis (mundis giganteis) degens. Ex ea Lokius tres suscepit Liberos. Unus erat Lupus *Fenrer* (sive Fenricus ɔ: inferus Lupus) alius Jormungandus, tertius vero Hela. Ubi Diis constabat fratres illos cum sorore in mundis giganteis enutriri, ipsiqve vaticinia retexerent, atqve investigarent sibi ab iis magna imminere mala, fore eventura; nec de illis esſent ominati nisi sinistra, et id qvidem ob maternum sed tamen ob paternum genus multo perniciora sibi metuenda; Divos Universi pater [*Allfödur*] ablegavit, qvi natos istos caperent atqve ad se adducerent. Qvi cum ad eum devenirent, angvem in oceanum illum profundum, qvi omnes terras ambit, projecit . . . . Helam autem in Niflheimum . . . . Lupum Asæ domi enutriverunt, Tyr vero eum accedere, cibumqve ei porrigere solus audebat. Sed cùm Dii viderent qvantum ille indies cresceret, & omnia vaticinia eum fore illis damnosum fatali qvadam necesſitate prædicerent, Asæ id consilii inibant, ut compedes facerent admodum validas, qvas *Læding* **) vocarunt, easqve ad lupum afferentes, rogabant eum ut in eis periculum (tentamen seu specimen) roboris sui ederet. Sed cum lupo non videretur hoc vires suas superare, sivit eos semet pro lubitu tractare. At vero qvam lupus primum pedibus obniteretur, perfractæ sunt illæ compedes, atqve sic ex Lædingo solutus est. Alia deinde vincula Asæ parabant duplo firmiora qvæ *Drómi* ***) ab illis sunt vocata, petieruntqve ut robur suum in iis tentaret, addentes eum valde celebrem ob vires suas fore evasurum, si adeo valide fabrefactum opus eum tenere neqviret. Lupus vero qvùm meditaretur, qvamvis hæ compedes valde esſent firmæ, qvan-

*) Si hujus strophæ priorem partem sic legamus: *Fenris fódurlardr rann módr med röstom Rindar valla* ɔ: Gratum Fenreris (abyssi) nutrimentum (Sol) occidit defesſum in flumina Rindæ (Terræ) campos circundantia vel: (Sol) percucurrit flumina &c. Non autem reticendum est, qvod eadem verba in hunc ordinem redigere qveamus: *Rindar fódurlardr rann med röstom fenris valla módur* ɔ: Gratum Rindæ (Terræ) nutrimentum percucurrit Oceani regionum flumina. Vid. Ed. Dan. I. 227, 237-38.

**) *Lœdingr* ɔ: qvi latenter se insinuat et operatur. (Joh. Ol. Grnnnavic.)

***) ɔ: Valide constringens.

tum sibi virium post confractum Lædingum accrevisset et simul cogitaret periculo semet objicere oportere, si celebritatem nominis obtinere vellet, compedes has sibi injici passus est. Qvod cum Asæ se pro animi sententia absolvisse faterentur, se concussit, atqve catenas ad terram allisit, vires intendens et pedibus obnitens, compedes adeo exacte perfregit, ut frusta longe procul disilirent. — Isto modo se e Droma exemit. Hinc loqvendi modus enatus: *at leysa or lædingi eda at drepa or dróma* ɔ: E Lædingo solvere sive å Droma premendo ejicere — qvando res qvædam summo cum virium conamine allaboratur, His peractis Asæ metuebant ne lupum vinculis comprimere possent, qvapropter Universi pater nuntium Freyeri, nomine Skirnerem, ad Dvergos qvosdam in mundum deorsum Alforum obscurorum *(Svartálfaheim)* ablegavit, et vinculum fieri curavit qvod *Gleipnir**) nuncupatur, a sex rebus paratum, qvæ sunt 1) sonitus salientis felis 2) barba fæminæ 3) radices saxi 4) nervi ursini 5) spiritus piscis et 6) sputum avis **) — qvæ licet antea non audiveris vera tamen argumenta, qvod tibi false non sint enarrata, ipse comperiri poteris. Certe enim vidisti fæminam non esse barbatam, nec sonitum edit cursus felinus, nec saxum radicibus suffultum est; eritqve mihi testis proba mea fides hæc omnia ex æqvo vera esse, qvæ tibi enarravi, etiam si qvædam eorum illo se habeant modo, ut experiri neqveas. Ad qvæ Gangler: hæc utiqve intelligere possum vera esse, nam res istas, qvas memorasti coram videre [facile intelligere] licet. Sed qvo modo vinculum inde parari potuit? Respondet Har: id tibi exacte referre possum: Vinculum hoc planum & molle, instar tæniæ (vel ligulæ) sericæ exstitit, sed tamen adeo fiduciale et validum ut mox audies. Qvum ligula ista adferretur, gratias legato impense dederunt bonas, atqve lupum in

---

*) Vel *Gleifnir*; rectissime forte *Gleypnir* i. e. devorans vel deglutiens.

**) Prosaica Eddæ Snorroniana relatio hoc loco (& pluribus simul) sumta videtur e carmine vetusto, hoc qvidem verborum ordine

Or kattar dyn
Oc or kono skéggi
Or biargs rótom
Oc or biarnar sinom
Or fisks anda
Oc fugls hráka.

Hanc meam conjecturam confirmari video fragmento ad Skaldam pertinente, qvo usus fuit Joh. Ol. Grunnavicensis in Corpore suo eddico elaborando; hic talis cantilena revera exhibetur, eâ tamen differentia qvod pro *fugls hráka* habeat *fugla miólk* (lac avium) et postremo addat: *or þvi var hann Gleipnir giörr* ɔ: Ex his fuit Gleipner concinnatus,

insulam qvandam minorem, cui nomen *Lyngvi* *) in Lacu *Amsvartnir* **) sitam, secum avocarunt, eiqve ligulam hanc (sive funiculum) ostendentes rogarunt, ut eam dirumperet; addiderunt tamen eam paulo tenaciorem ac firmiorem esse, qvam cum tenuitate ejus verisimiliter convenire videretur. Hanc autem robore manuum, qvanti esset valoris tentantes & unus alteri tradentes, lupum nihilominus eam divellere posse ajebant. Tum lupus ad hæc respondet: ita mihi tænia videtur, qvod nullam inde nominis celebritatem sim reportaturus, qvamvis adeo tenue vinculum sericum disrumpam; qvod si vero arte et technis sit elaboratum, qvantumvis specie tenus exile (seu tenerum) videatur, pedibus meis injicere non licet. Regerunt Asæ eum procul omni dubio tenuem tæniam sericam dirupturum esse, qvi antea crassa vincula ferrea confregisset. Tu vero si hoc vinculum divellere neqviveris, profecto Divos neutiqvam territabis, cui si forte viribus impar eris, te solvemus. Ad qvæ lupus ita: Si contingat vos me adeo firmiter vincire, ut me ipsum extricare neqveam, certe animo præsumo me sero ***) beneficio vestro solutum iri; ideoqve aversor hæc mihi ut ligula injiciatur. Interea tamen, ne timiditatem mihi exprobretis, manum aliqvis vestrum suam ori meo immittat, ut hoc sine dolo a vobis fieri certe mihi constet. Hoc audito cuilibet Asarum, sed uno ad alium respiciente, duplex imminere malum videbatur, donec Tyr manum suam traderet, atqve dextram qvidem porrigens rostro lupino immitteret. Qvo facto & lupo pedibus recalcitrante, vinculum induruit, & qvo vehementius multa cum corporis jactatione obnitebatur, eo tenacius firmiusqve factum est. Tunc omnes Asæ, præter Tyrum, qvi manu privatus est, risum extollebant. Cæterum, cum Asæ lupum perfecte vinctum esse viderent, catenam, qvæ ipsi vinculo adstringenti annexa fuit, nomine Gelgiam ****) per petram qvandam cui nomen est *Giöll* †) trajecerunt, qvam longe deorsum terræ immiserunt. Ad hæc saxum grande qvod *Þviti* [*] fuit vocatum, in terram paulo longius deorsum adegerunt, qvo scilicet pro paxillo catenæ

*) o: Erica consitus vel ubi erica innascitur. *Lyngvi* alioqvin angvis appellatio est, et olim præterea nomen proprium viri (II. 884).

**) *Amsvartnir* vel *Ámsvartnir* lacum denotat atrum, uti duæ postremæ syllabæ monstrant, prima vero potest derivari a pluribus radicibus e. gr. *Ami* dolor.

***) Vel (per litoten) nunqvam.

****) *Gélgia* i. e. perniciosa vel patibulo similis aut propria. Vid. Gl. T. I. v. *Gálgi* & T. II. v *Gálgvegr*.

†) *Giöll*, *Giavll* fulgida, candens vel clangens, sonora; vide Gl. T. II. sub v. *Giallr* & pl. — cfr. *Giöll* i.

[*] *Þviti* in Skalda occurrit inter lapidis (vel saxi) poëticas appellationes. *Þveitr* alioqvin campus seu portio terræ, *Þveita* autem securis.

(firmandi causa) usi sunt. Lupus vero immane qvantum rostrum diducens atqve ringens, corpusqve obnitendo vehementer jactans, Asas mordere conatus est; hi vero rostro ejusdem gladium qvendam immiserunt, cujus capulum palato ejus inferiori est impactum, cuspis autem superiori infixa *). Talis est pertica palatum ejus transverse distendens. Ipse autem truculente ululat, atqve e rostro ejus viscosus emanat liqvor (sive pituita) unde amnis *Von* **) dictus oritur. Ibidem ad crepusculum usqve Deorum jacebit. Tum Gangler: admirabiliter utiqve mala fuit liberorum procreatio Lokii; interea tamen fatendum est eos [viribus & animo] multum pollere. Sed qvam ob rem Asæ Lupum non prorsus peremerunt, cum mala sibi futura ab illo imminere præscirent? Regesfit Har: Tanti fecerunt Dii pacis publicæ a se sancitæ instituta & asyla, ut ne qvidem ea (lethali) sangvine Lupi fædare vellent, non obstantibus vaticiniis qvæ illum Odino exitialem aliqvando fore prædixerant".

Hæc porro isti relationi addit (ipsâ paululum mutatâ) fragmentum Skaldicum, nuper citatum & nunqvam typis evulgatum: In Insula *Lyngvi* collis est (sive locus elevatus) qvi vocatur *Siglitnir* ***) in qvo infixus est palus qvi nuncupatur *Þviti* ****). Foramen vero, qvo palus iste perforatus est, dicitur *Ginul* (i. e. hians, hiulca) catena autem, qva rêligatus est lupus *Hræda* (terriculamentum) foramen pali transiens; *Gelgia* vero paxillus ille vocatur, qvi transversim extremitati ligaminis est immissus" [Seqvuntur aliqvæ de tribus illis compedibus & cantilena memorata de Gleipneris materia]. Porro amnes duo ex ore ejusdem lupi promanant, qvorum unus *Vil* *****) alter autem *Von* appellantur. Hinc aqvæ recte dicuntur sputum ejus. Illius autem labra pilosa *Giólnar* †) nuncupantur". AEnigmaticæ hæc esse originis nemo non videbit.

Edda ipsa Snorroniana, exitium mundi describens hæc de Lupo Fenrere refert: in vehemente terræ motu monstrum hocce solvetur (p. 71) & sic grassabitur (pag. 72-73): "Lupus Fenrir progreditur diducto rostro, cujus pars inferior terram tangit, superior vero ad coelum usqve extenditur; latiusqve hians rictum distenderet suum, si modo spatium adesset amplius.

*) Hinc gladius a poëta Norvegiæ ethnicæ (seculi 10mi) vocatur *Fenris varra sparri* (Fenreris labiorum baculus sive cuspis) *Hkr.* I. 153.

**) Sive *Ván* i. e. Spes, hic forte liberationis futuræ. Hinc Lupus *Fenrir* vocatur *Vanargandr* (Vanæ fluvii Lupus). Skalda p. 106. Vid. *Ván* i.

***) I. e. semper (sive ubiqve) coruscans aut resplendens. Vide *Glitnir* in Gl. T. I.

****) In alio exemplare *Þota* i. e. tumor (terræ) sive tumiditas — nisi ululandi sensum præferas, à verbo *Þióta*. *Þviti* alias certe saxum vel lapis, uti antea relatum.

*****) o: Angor animi, moestitia vel lamentatio.

†) Forte a *Gióla* aura ventuosa.

Sic etiam ex oculis ejus et naribus ignis emicat — — — . Odinus aurea galea & nitente lorica conspicuus, frameam tenens suam qvæ Gúngnir appellatur, adversus Lupum recta tendit — — — Lupus Odinum devorat; — hoc enim eum fati genus manebit. Qvo tamen facto procedet Vidar, qvi altero pede inferiorem rostri lupini partem insistendo premit, altera manu ejus superiorem partem prehendit & rictum lupi adeo diducit, ut inde moriatur lupus — — — (Cfr. *Vidar* i.). Post renovationem coeli & terræ Asæ in Idæo campo convenient & considentes colloqventur & pristinas Runas [scientias sive confabulationes] commemorabunt, ac sermocinantur de rebus olim gestis, uti quæ de angve Midgardensi & lupo Fenrere acciderunt". (cfr. *VSpá* 53).

Eddicis hisce addere liceat verba gentilis poëtæ, Eyvindi Skaldaspilleri, ex epicedio Hakonis boni, Norvegiæ Regis (A. C. 963 defuncti; *Hkr.* I, 164):

Prius Fenricus lupus
Vinculis solutus grasſabitur
Per hominum habitacula
Qvam vir princeps
(Illi) bonitate par
Loco vacuo succedat.

Nomen *Fenrir* sive *Fenris-Úlfr* deducendum videtur a vocabulo obsoleto *Fenri* abysſus, qvod iterum a voce *Fen* palus, subterranea sive infera regio, mare sive aqva (ac sic ipse abysſus); cfr. Gl. T. I & II. Hinc similiter derivantur *Fenrir* gigas, *Fenia* mulier gigantea, *Fengrani* piscis nomen & pl. Mythicum illud monstrum subterraneæ sive infernalis originis esſe, ex ipso ita nomine patet. Parentum nomina id insuper probant. Vide *Angurbodi* s. & *Loki* i. Fenricum lupum allegoricæ esſe naturæ, omnes circumstantiæ monstrant. Is est frater Helæ (mortis, inferorum Reginæ).*) & Jormungandi (Midgardensis sive terrestris angvis i. e. Oceani). *Fenrir* ipse duplicem tamen significationem adscivisſe videtur, nimirum 1) ignis subterranei, qvi a Diis vinctus sive inhibitus esſe putabatur, sed postremo tamen terram & coelum devoraturus. Ignis & lupus in poëmatibus antiqvis nostratium iisdem nominibus designantur. Sic flamma a Thiodolfo Hvinensi vocatur *Hof-gyldir* (Lupus ædes consumens) *Yngl. Saga* C. 47. Lokii & Logii (Flammæ) arctam cognationem suo loco comprobabimus. Fabulam de Fenreris vinctione & captivitate huc spectare opinor **). Cfr. *Tyr* i. 2) Tenebrarum & caliginis, procellosæ vel hyemalis naturæ. Tempestas non minus qvam ignis ab antiqvis Scaldis belluæ appellationi-

*) Ob eam causam Hela vocatur a poëtis veteribus *Fenris nipt* (Fenreris soror).

**) Ejusdem tenoris est fabula mythica de ipsius Asensis Lokii dura captivitate & ambæ præterea conveniunt aliis Græco-romanis de Typhone, Typhæo, Enceladо & pl. a Diis vinctis & sub ignivomis montibus collocatis. His iterum nonnulli orientalium populorum mythi non sunt absimiles.

bus insignita fuit. De tenebris sive caligine hoc vetustatis ænigma occurrit inter illa qvæ Heidrekus Odino (sub Gesti cæci persona) proposuit (*Hervarar Saga* Ed. Havn. p. 152):

Qvis ille tenebrosus
Qvi terram obit,
Devorat aqvas & sylvas,
A vento sibi timet
Sed non ab hominibus
Et Solem ad pugnam provocat?
Rex Heidrece!
Attende ænigmati.

Gestus ita respondet (pluribus nostræ mythologiæ phrasibus adhibitis):

Facile ænigma tuum
Geste cæce!
Qvod mihi conjectem.
Caligo *) oritur
E Gymeris (Oceani) habitaculis.
Et coeli spectationem prohibet **)
Opprimit ea splendorem
Dvalini ludiæ (Solis)
Solum fugit Fornioti gnatum (ventum) ***).

Sic etiam in Edda ænigmatice lupus Fenrer Solem & ipsum Odinum (coeli numen) devorare dicitur.

Monstrum abysfi lupinum, a Lokio inferorum principe ortum, coeli lumina perpetuo odio perseqvens, unum originitus fuisse censemus — sed gliscente tempore in plura dividebatur mythologica entia, eos nempe lupos (præter immanissimum illum) qvi solem & lunam perseqvi dicuntur, e singulari superstitione qvæ totum fere terrarum orbem occupavit. Cfr. *Sól, Máni, Hati, Skoll, Mánagarmr.*

Fensalir o: profundæ cameræ, ædes inferæ sive mari propinqvæ — palatium Friggæ, (divæ Telluris) Odini conjugis *VSpá* 31. Edda junior id ita commemorat (pag. 36): "Frigga posfidet oppidum (sive villam) qvod *Fensalir* (vel *Fensalr*) appellatur valde qvidem magnificum". Ibat istuc Lokius mulieris forma indutus, ut cum Frigga conversari posfet (p. 64). Ipsa Dea vocatur in Skalda Fensalæ regina. Uti coelum aliqvando atavis nostris *Uppsalir* aut *Uppsalr* (ædes supernæ) ****) audiit, ita etiam (e mea sententia) terra ipsa *Fensalir* vel *Fensalr* (ædes inferæ). A *Fen* mare cet. & *Salr* (in Gl. T. I & II).

---

*) In textu *Myrqvi, Mörqvi;* cfr. Dan. *Mörke* (tenebræ).

**) Hæc interpres Havniensis, borealium lingvæ priscæ non satis gnarus, qvamvis ipse ex Islandia ortus, ita latine reddidit:
Suamqve prolem diligit.

***) Si qvidem Fenrerem pro tenebris ultimis, coelum devorantibus, olim ceperint — Vidarem sive Typhonem (venti fortisfimam speciem) eas rumpere perhibuerunt.

****) Alias qvoqve *Uppheimr* (supera regio — sic proprie a gigantibus dicta uti forsitan terra *Fensalir* a Diis) *Alv. M.* 12. *Upphimin* (cælum altum) *Vaſþr. M.* 20. cfr. *Upregin* i.

Fialarr, Fjalar Dvergus sive Alfus (aut vertendum: multiformis, varius; aut etiam tegens sive personatus) VS. 14. Is Odinum hospitio excipit et mulso gravatum reddit *) *Háva M.* 14. E relatione Eddæ Snorronianæ (pag. 83-84) Dvergus Fialar cum fratre Galare Qvaserum occiderunt et ex ejus sangvine medum poëseos miscuerunt, sed Suttungo giganti id posterius tribuere coacti fuerunt. Cfr. Gl. T. I. et:

Fialarr, Fjalar (multiformis) gallus nitide rutilus, cantans super Egderi (sive Hræsvelgi, Boreæ nostratis) capite *VSpá* 28. Auroram borealem (sonum singularem interdum edentem) eo indicari opinor, cum Gallus apud nostrates & Germanos qvoqve pro ignis sive flammæ symbolo ponatur. Etymon qværendum est in particula *Fiöl* (multum) — vel obsol. *Fiölr* multus. Vid. Gl. T. II. v. *Fiöld, Fiöl.*

Fili Dvergus sive Alfus qvidam *VSpá* 12. Edda Sn. p. 16. Forsitan vertendum: Occultus sive tegens, operiens a **) verbo *Fela*, de qvo videatur Gl. T. II.

Fimafengr famulus AEgeris (Oceani) Diis convivis ministrans. *AEgis Dr.* introd. Edda Sn. p. 129. Vertendum erit: dextre sive celeriter adqvirens a *Fimr* agilis, dexter, celer & *Fengr* s. Est e mea sententia agilis maris fluxus vel unda astris aut coelitibus (e poëtarum fictione) potum abundantem adferens. Sic itidem Macrobius: Unda Oceani dapes (Jovi vel Diis) ministrat. Cfr. *Eldir* s. & Vers. Dan. II, 306-307. it. *AEgir* i.

Fimbultyr nomen Odini, Runarum sive scientiarum auctoris VSpá 53. De vocis significatione vide Gl. T. III. Cfr. *Fimbulþul, Fimbulþulr* i &:

Fimbulvetr, hyems omnium longissima, sævissima & ultima *Vafthr. M.* 44. In observatione hanc stropham illustrante Eddæ Snorronianæ (pag. 71) ipsa relatio plene exhibetur, non tamen adcurate satis translata, ob qvam causam aliam similem versionem hic addemus: "Ganglero, de crepusculo Deorum interroganti, Har ita respondet: Multa memorabilia de illo sunt narranda, qvorum hoc primum: Veniet hyems dicta *Fimbul-vetr* [hyems mythica sive prægrandis] tum nix undecunqve advolabit, frigora erunt acria et venti impetuosi nec sole [ɔ: solis lumine vel splendore homines et terrestria] fruentur. Tres tales hyemes labentur, nulla æstate interposita. Has vero tres aliæ hyemes præcedent, in qvibus universus orbis magnis

*) Nisi Suttungus ipse intelligatur, qvum *Fialar* similiter inter gigantum denominationes habita sit (e. gr. *Harb. L.* 25).

**) Permultæ Dvergorum vel Alforum obscurorum speciales denominationes eadem gaudent significatione e. gr. *Dulinn* (occultus) & *Dulsi* id. (in carmine Thiodolfi Hvinensis *Yngl. S.* Cap. 15). Omnes hujus generis dæmones jam ab Islandis summatim vocantur *Huldufólk* (gens occulta sive occultans). Hinc Færoensium & Germanorum *Hulda*, Norvegorum *Huldre, Hudde* &c. Cfr. *Dvergar* s.

præliis exæstuabit. Fratres mutuis cædibus avaritiæ causa grasſabuntur, nec qvisqvam, homicidii gratia patri suo vel filio aut cuivis etiam adfinitatis vinculo erit parsurus. Sic enim dicitur in vaticinio Valæ (seqvitur VSpá 41)". De radicibus vocabuli vid. Gl. T. I. v. *Fimbul* T. III. v. *Fimbul-fambi* & T. II. v. *Vetr.*

Fimbulþul nomen amnis, Deorum regionibus, ut videtur adscripti. Verti forsitan potest: amnis sonorus sive famosus *Gr. M.* 27. In Edda prosaica e Hvergelmere, abyssi fonte, emanare dicitur (pag. 4, cfr. pag. 43 ubi etiam Asarum habitationes perfluere fertur). Plurimi Codices pro eo tamen accipiunt duo diversos amnes, qvi *Fimbul* & *þul* nominantur. Vid. Gl. T. I. v. *Fimbul* & II. v. *Fimbul-fambi.* Cfr.:

Fimbulþulr verisimiliter Odini (aut ejus sacerdotis) appellatio *Háva M.* 145. Verti potest: famosus sive mythos edocens orator, recitator aut vates. De etymis vid. *Fimbulfambi* & *þvlr* in Gl. T. III. Cfr. *Fimbullióð* ibid. & *Fimbulþul* s.

Finnr, Finnur (inventor) Alfus sive Dvergus e coetu Dvalini. VSpá 14. Vid. Gl. T. II. v. *Finna.* Hoc nomen qvasi gentilitium Finnis & Lapponibus a Scandinavis fuit impositum (unde *Finnland* et *Finnmörk* regiones) — inter eos ipsos nihilominus evasit nomen proprium viri, sed jam hodie (qvantum scio) in sola Islandia usitatum. Cfr. Ind. n. pr. in. T. II. v. *Finnr, Finnar.*

Fiölkalldr (multigelus sive præfrigidus) nomen allegoricum *Fiölsv. M.* 7. Vid. Gl. T. II. v. *Fiöld* & *Kaldr.*

Fiölnir, Fiavlnir (multiformis, multa producens) nomen Odini adscititium, *Gr. M.* 46. *VSpá* 54. S. II. *α.* 18. In Edda Snorroniana (p. 3) recensetur, ordine qvintum, inter duodecim veterrima Odini nomina. — Is qvidem id mea sententia adsciscit, uti signo Tauri & mensi eidem respondenti qvotannis imperans ac summam florum varietatem verno tempore provocans. Vide Gl. T. I. et Ind. nom. pr. in T. II. Cfr. Vers. Dan. I. 157. *Fiölnir* postea nomen proprium virile inter homines evasit e. gr. Svecorum Regis *(Yngl. S.* Cap. 14.) et consiliarii Haraldi Gormonis filii, Danorum Regis *(Saga. Ol. Tr. S.* ed. Scalh.).

Fiölsviþr, Fiavlsvidr, nomen Odini adscititium *Gr. M.* 46. Vide:

Fiölsviþr, Fiölsvidr, Fiölsvinnr (multiscius, valde callidus sive cordatus vel etiam vehementer adurens, omnia denudans) agens præsidium arcis cujusdam, muris et flammis munitæ, qvam virgo egregia, Menglada *(Menglöd)* nomine, posſedisse dicitur. Carmen eddicum qvod *Fiölsvinnsmál* (Multiscii melos) inscribitur, continet (præter plura) prolixum ejus cum advena qvodam colloqvium. Stropha 1 eum (nomine tamen non adlato) memorat, cum nempe cerneret (advenam) montem *) adscendentem, et eum propius ac-

*) In textu *þursa-þiódar-seðt* giganteæ gentis sedem sive regionem nisi legere malis *þursa* vel

cedere prohibeat. Amborum altercationes seqvuntur str. 2-9. Qvum Fiolsvidus tandem Mengladam, suæ tutelæ mandatam nominet, advena, se *Vindkaldr* (Ventigelum vel ventis frigidum) appellat, et proponit deinde Fiölsvido aliqvot ænigmaticas qvæstiones, qvibus iste respondet, qvæ omnia perqvam obscuri & forte simul obscoenisunt argumenti, sed alludere videntur ad advenæ & Mengladæ mutuos amores (str. 10-41). Interrogat advena tandem: an ulli virorum somnus contingere posset in svavibus Mengladæ ulnis? (42) cui Fiolsvidus respondet nullum esse, nisi solum Svipdagum, virginis legitimum sponsum (43). Tunc advena larvam & fictum suum nomen abjicit, se istum Svipdagum esse profitetur & a Menglada intrandi veniam exoptat. (44). Ea lubenter data & amasio rite recognito, amborum felicium amantium exultationibus carmen finitur (45-51) *).

Meam de hocce allegorico-carmine sententiam explicare conatus sum in Eddæ antiqvioris Vers. Dan. III. 39-64, addita qvoqve ingeniosa interpretatione ex ephemeridibus literariis Sveciæ (*Svensk Literatur-Tidning* 1820 Nò. 36) desumta, qvæ allegoriam vatis nostri applicat ad amores Solis & Terræ vel varias anni naturalis periodos. Menglada ei Terra est in arce firma custodita, a Fiölsvido (montana hyemis tempestate). Eam primum ambit *Vindkaldr* (vento frigefactus vel frigidam auram adferens) filius τοῦ *Vorkaldr* i. e. frigescentis veris aut verni frigoris — is autem gliscente tempore illud nomen permutat cum alio tunc magis æqvo, nimirum *Svipdagr* (Diem o: diurnam lucem qvam longisimam vibrans aut indutus) se generatum prædicans a patre *Sólbiartr* (solis instar sive solis lumine splendido). Hæc manifeste lucidæ æstatis aliqvam periodum spectant. Vid. *Svipdagr* i. Mengladæ & Svipdagi connubium sic habendum est pro Solis (vel æstatis) cum Terra florenti annua conjunctione. AEnigmata, a Svipdago proposita, nobis videntur alludere vel ad ipsum physicum amorem vel etiam (et simul forte) ad varios ritus et instituta ethnicæ veterum borealium relligioni proprios, uti suis locis demonstrare conati sumus.

Þurs á, qvum sensus foret: Vidit gigantem (vel longurionem tali modo personatum) ad habitacula hominum adscendere.

*) In ultimæ strophæ prima linea certe est legendum *hafdac* pro *hafdar* (qvod sensu omnino est destitutum) — qvæ igitur ita vertenda:

Recitavi desideria
Qvæ habeo tuarum deliciarum
Tu autem mei amoris;
Nunc sane (ista dicta) vera evadunt
Quum nos consumserimus
AEvum atqve ætatem una (conjuncti).

Si nostri *Fiölsvidr* pro Odino sit capiendus (qvi tale nomen, uti nuper indicavi, adscivisse fertur) — tali significatione pro anni numine, hibernum tempus dirigente, est accipiendum. *Sviþurr*, & *Sviþrir* e mea sententia similes ejus appellationes sunt, qvum ille duos hyemales menses regere fingeretur. *Fiölsvidr* junctam amborum notionem expetit. Hyemis genius, æstatem, veris gnatam, recognoscens, ei lubens cedit et terram langventem ejus jucunda præsentia exhilarari sinit. Hæc igitur præcipua contenta hujus carminis, qvod e mea opinione olim decantari solebat in festo aliqvo verno vel æstivo, in solemni populi conventu apud majalem arborem (symbolicam Ygdrasilli imaginem) inter lætas juvenum choreas, mimicas fabulas repræsentantes qvæ certe (unacum cantilenis ipsis) allusere partim ad veros inter homines, & partim ad symbolicos inter Cælum & Terram amores. Multifariæ horum ac similium rituum & festivitatum reliqviæ adhuc exsistunt in ludis & jocis plebis rusticæ, tam in hisce borealibus regnis qvam in Germania, magna Britannia et alibi. De nominis etymis vide Gl. T. II. *Fiöld*, I. & II. v. *Svinnr* & *Sviþurr*, *Sviþrir* i.

Fiölvarr, *Fiölvar* nomen gigantis alicujus (ut videtur) Harbardi domini sive sodalis *Harb. L.* 15. De vocis significantia & usu vid. Gl. T. I. v. *Fiöld.*

Fiörgyn (gen. *Fiörgyniar)* dicitur Thorum filium (vel forte rectius e filia nepotem) vias gentilitias ad Odini regiones (aëra vel coelum) edocere, qvum vera illius mater (Terra nempe) *Harb. L.* 54. antea in eodem carmine (str. 3.) [hyemali lethargia] extincta fuisse fertur. *V Spá* 50 indubie (ut videtur) Thori mater vocatur. Alioqvin poëtice pro terra ipsa ponitur. De nominis significatione vide Gl. T. I. & II. In cæterum conjicere posſumus, qvod id originitus sonuerit *Fiörunn*, *Fiörgunn* o: vitam vel vitales vires indulgens aut largiens (a verbo *unna*) vel etiam *Fiörgin*, *Fiörgvin* (a stubst. *Gin* vorago, barathrum, jam proprie rictus) qvum chaos, vitæ matricem, vel primitivam sive antediluvianam terram, vitæ sementis & viribus nostrâ abundantiorem, allegorice significaverit. Sic eadem certe evadit *Fiörgyn* illa cum *Fiörgyn* matre aut etiam *Fiörgynr* patre Friggæ (frugiferæ terræ) *AEg. Dr.* 26. In Edda Snorroniana (pag. 10) scribitur in genitivo casu *Fiörgvins* sed in Skalda (pag. 118) *Fiörgyns.* De voce *Fiör* vid. Gl. T. I. & II.

Fiörm f. amnis mythica Deorum regioni adscripta *Gr. M.* 27. Nominatur in Edda Snorroniana (pag. 4, 43) inter flumina qvæ ex Hvergelmere emanant. Nomen derivandum videtur a *Fiör* vita, robur, vel etiam a *Fiarr* procul. Cfr. Gl. T. I.

Fólkvángr (campus acierum sive gentium vel fundus populosus) regio sive palatium Freyæ in cœlis *Gr. M.* 14. Memoratur in Edda Snorroniana (pag. 28) uti ædes sive oppidum Freyæ, plurali qvidem numero in nonnullis codicibus *Fólkvángar;* — atrium sive aula Freyæ ibidem

dicitur *Sesfrúmnir*, *Sesfrymnir* (i. e. qvi amplis gaudet sedilibus vel multa talia capere potest), aut etiam (e var. lect.) *Sesfvarnir* (sedilibus cingens vel cinctus). Illam Freyæ coelestem regionem accepimus pro signo Leonis zodiacali, et id probare conati sumus in vers. Dan. I. 148, 219 & sq. (cfr. 153). Mense ei correspondente durante, mesfis foeni & frumenti populi multitudinem ad arva & agros convocat. Hinc forte nomen *Fólkvángar*, mensis operas indicans, nisi prius qvoqve respexerit ad acies sive copias astrales, qvæ jam iterum in coelis apparent, nocturna diei luce imminuta. De vocis significatione vid. Gl. T. II. it. T. I. & II. v. *Fólk* & T. I. v. *Vángr*. Cfr. *Freya* i.

Fornbogi vid. *Hornbogi*.

Forniótr pater elementalium Dæmonum (ex una Scandinavorum traditione). — Ejus cognati venti vocantur *Hr. G.* 17 uti etiam in fragmento vetusti carminis, *Nordr-setu drápa* dicti sunt Fornioti filii. Nomen e Sc. Thorlacii & pl. sententia compositum est ab adj. *Forn* priscus, vetustus & obsol. *Iótr*, idem ac *Jotun*, *Iötun* Titan, gigas (cfr. Glosf. T. I. pag. 507). Sic pro eodem habendus est atqve primario illo Jotuno, qvi alias *Ymer* sive *Örgemler* vocatur. Tres ejus filii in Skalda memorantur: 1) *Logi* (Flamma, ignis) *). 2) *Ægir sive Hlér* (Oceanus, pontus). 3) *Kár*, *Kári* (Ventus, Caurus?). Vide Edd. Snorr. p. 126. Fabulantur historici Forniotum illum in Jotlandia prisca sive Finlandia olim regnasse, unde forsitan concludi potest, qvod ejus & dictorum elementalium numinum cultus apud Finnos olim floruisset. In Thorsdrapa Thorus appellatur *fellir Fornióts goda stalla* (numinum Forniotensium aras evertens); — Asæ cum gigantibus bella semper gessere, sed Finni & plures hyperboræarum regionum aborigines gigantum cultores vel filii dicti interdum fuerunt, qvasi in ipsis Jotunheimis habitantes. Vid. Edd. Snorr. p. 115 & Sculo. Thorlacii Fragmenta Thorsdr. p. 17, 53-54. Confer porro relationem antiqvam de primis boreæ & præsertim Norvegiæ incolis, ê codice Flateyensi sumtam & ad calcem Eddæ junioris editionis Raskianæ p. 358 & sq. impresfam. Cfr. *Saga Ol. Tryggvas. Ed.* Skalh. Append. T. 2. pag. 331 sq. *Müllers Saga-Bibliothek* II. 430-448. *Mone Geschichte des nord. Heidenthums* I. 273. sq. *Suhm om Odin* &c. p. 218. *Forniótr* invenitur inter gigantum appellationes in fragmentis Skaldæ adhuc ineditis. Cfr. *Bíleystr*, *Loki*.

Forseti, (ad verbum præses — o: judicii — a *for* præ & *seta* sesfio vel *sitia* sedere **)

*) Ignis vel flamma appellatur Fornioti filius in cantilena Thiodolfi Hvinensis de exitio Olafi Tretelgiæ *Yngl. S.* Cap. 47.

**) Vocatur alioqvin accipiter poëtice *Forseti*, — proprie forsitan ille omnium avium summus qvi sub nomine *Háhrók* in nostra mythologia memoratur, unde qvidam faciliter falconem avium præsidem vel principem statuere potuerunt.

Deus posſidens arcem coelestem numero decimam, qvæ *Glitnir* vocatur, & omnes lites sopiens *Gr. M.* 15. Sic de eo agit Edda Snorroniana (pag. 31) "*Forseti* appellatur filius Balderi & Nannæ Nepi (sive Nefi) filiæ. Is possedit aulam in cœlo qvæ *Glitnir* nominatur. Qvicunqve ad illum causas deferunt, etiam maxime dubias, reconciliati omnes discedunt. Is optimus est judiciorum locus inter Deos et homines". Occurrit *Forsetus* inter duodecim Asarum judices (sive consentes Deos) in relatione de AEgeris hospitis in Asgardiam receptione l. c. pag. 79. Skalda in Balderi appellationibus eum Forseti patrem memorat. Monstravit Suhmius (*om Odin* &c. p. 205, 206) e peregrinis medii ævii scriptoribus Forsetum in insulis Saxonum (vel Frisonum) olim (ad annum usqve 866) cultum fuisse sub nomine *Fosete*, unde insula Helgolandia (sancta terra) aliter dicta fuit *Fosetesland* (Forseti regio). Cfr. *Nyerup Wörterbuch der Skand. Myth.* p. 18. *Mone nordeurop. Heidenth.* I. 271-72. *Münter Dän. Kirchengesch.* I. 96, 217, sq. Ad Eddæ hujus versionem Danicam (I. 148, 228-30) monstrare conatus sum, qvod Deus ille ex veterum sententia direxerit signum zodiacale, qvod nos virginem appellamus & mensem anni isti correspondentem, qvi ipso autumnali æqvinoctio concluditur. *Forseti* vi vocis indicat justum illum judicem, qvi in Zodiaco AEgyptiaco & Indico pingitur instructus librâ, cujus lances æqvæ pendent & æqvinoctium significant, qvo temporis momento lis, alias inter diem & noctem qvovis semestri perpetua, juste componitur. Libra certe pro æqvinoctii & justitiæ symbolo freqventer adhibetur. In zodiaco boreali talem significationem aptiorem cernimus qvam in exoticis. Forsetus noster æqvipollentiam temporis continuo præparare et efficere conatur, ad istud usqve momentum, cum nox & dies æqva gaudent longitudine, ac lucis & tenebrarum, caloris & frigoris diuturna contentio feliciter transigitur*). Nunc justus ille judex suum officium perfecit. Qvum certe sciamus judicia publica qvovis autumnali tempore antiqvitus in Norvegia fuisse exercita, probabile evadit, qvod Forsetus, coelestis judex, a terrestribus tunc freqventer fuerit invocatus, & cultus ipsius festo proprius ob eandem caussam celebratus. Monstravimus antea Balderum pro beatisſimo anni tempore vel æstate ipsa olim positum fuisse; — non igitur mirum qvod Forsetus, ultimus inter æstivi spatii menstruos Deos, ejus filius dicatur. Simili modo, cum prisci homines Diis physicis ethicas qvalitates adtribuere ceperunt, justitia (Forseto propria) a bonitate vel clementia (præcipua

*) Erat Forsetus ex Asarum sive lucis numinum genere oriundus, sed nihilominus Jotis vel tenebrarum dæmonibus, sibi inimicis, judiciali sua sententia favet, et eapropter judex omnium justisſimus revera appellari potuit.

Balderi virtute) originem non inepte traxit. — Induciæ aut Treugæ generales (sive pax publica) mesſis securitatem defendentes, in memoratum anni tempus incidebant. Verisimile igitur est, qvod festum Forseti, universalis reconciliatoris, tali instituto firmiorem sanctionem dederit*). Tunc mesſis effectio & consummatio cunctum populum ad communes labores & lætam ac concordem ab iis refectionem convocavit. Cfr. *Glitnir* i.

Frándángr, Frándángurs-fors flumen mythicum & cataractes in eo sitos ubi Lokius, salmonis forma indutus, delituit, cum Asæ eum perseqverentur. *ÆEg. dr.* (in fine). *Frán-dngr* vi vocis est *coruscum flumen* (vel maris sinus) a voce *Frdnn* (de qvo Glosſ. T. I. & II.) & *Ángr* poët. & obsol. sinus maris, flumen (uti in nom. propr. Norveg. *Harddngr*) qvod iterum ab adj. *öngr*, angustus (vid. Gl. T. II.). Cfr. *Loki* i.

Frár, Frárr (celer, agilis, pernix) Dvergus sive Alfus, ignotæ functionis VSpá 12.

Freki (ferox, avidus) nomen alterius Lupi ab Odino saturati *Gr. M.* 19. Poëtice pro qvovis lupo ponitur, sed specialiter usitatur de Fenrere *VSpá* 40, 45. *Frekr* (ejusdem certe significationis) appellatur ignis a Jotnis sive gigantibus **) *Alv. M.* 26. Nomen proprium *Freki* duobus viris Norvegicis adtribuitur *Hyndl. L.* 17. Cfr. Gl. T I. & II. v. *Freki, Frekr* ***). Cfr. *Fenrir s. Géri, Ódinn* i.

Freyia, Freya Dea omnium fere celeberrima, domina regionis cœlestis qvæ *Fólkvángr* dicitur, qvam nos pro signo Leonis zodiacali accepimus *Gr. M.* 14. Hæc de ea habet Edda Snorroniana (pag. 28): "Niordus in Noatunis generavit duo liberos; filius vocabatur Freyr sed filia Freya, ambo visu elegantes&virtute potentes****). — — — — Freya inter Asynias præstantisſima (optima vel celeberrima) est; possidet autem ædem (vel oppidum sive regionem) qvæ dicitur *Fólkvángur* (vel *Fólkvángar)*. Ubicunqve in pugna eqvitat, dimidiam sibi partem cæsorum vindicat,

*) Sic reliqva anni tempora, ab atavis nostris publica pace præ cæteris munita, mythicam originem (gentili nostro calendario convenientem) sapere videntur. Sic nimirum 1) *pax verna (Vorfridr)* correspondet transactioni inter Skadeam & Asas (gigantes & Deos, hyemem & æstatem). 2) *pax æstiva (Midsumars hélgi)* conventui Asarum generali in loco sacerrimo instituto & Balderi, ibi trucidati, festo. Vide supra art. *Baldur.* 3) *Pax autumnalis* sive mesſoria *(Annfridr)* Freyæ & Forseti mensibus. 4) *Pax hiberna* Freyeri, pacis Dei, Jolensi festo *(Jólafridr)*.

**) *Freki* alioqvin habetur pro poëtico ignis vocabulo.

***) Cognatæ voci *Frekr* sunt forte aliæ: *Frækn, Frækinn* vegetus, fortis, *Frakkr* liber, alacer, elatus — unde forsitan nomen gentilitium *Frackar* (Franci).

****) Qvæ hic de Freyero occurrunt de solis Deo manifeste valent, sed suo loco posterius inserentur.

Odino vero altera cedit. [Hic allegatur Gr. M. str. 14] *). Atrium (sive palatium) ejus dicitur *Sesfrymnir* [vel *Sesfrúmnir*, *Sesfvarnir*, vid. *Fólkvángr* s.] id qvidem amplum est & speciosum. Proficiscens sedet in rheda, qvam duo feles trahunt. Hæc hominum vota placidisfime accipit **). Ab ejus qvoqve nomine hic dignitatis titulus deductus est, qvod fæminæ potentes (vel divites) Freyæ ***) vocitantur. Bene illi placuerunt carmina amatoria ****), eamqve amorum potiundorum gratia invocare conducit [vel etiam: ipsi pro amore vota facere juvat]". — — (pag 37). "Frigga Asyniarum summa est. — — — Freya ei est dignitate proxima Hæc nupsit viro nomine Odur. Horum filia Hnossa adeo nitida est, ut de ejus nomine res nitentes & pretiosæ (*hnossir*) sint vocitatæ *****). Odur peregre per lon-

*) De mythici hujus dogmatis vel ænigmatis sensu varia protulimus ad versionem Danicam. Hæ sunt diversæ nostræ et aliorum conjecturæ: 1) Odino, diurni Cæli, solis & lucis summo Deo cedunt bellatores, diurno tempore morientes, sed Freyæ, nocturni coeli & temporis dominæ, ii qvi noctu vitam finiunt. 2) Odinus posfedit homines defunctos e sexu virili, Freya autem fæmininum genus. 3) Cedunt Odino viri amorum expertes at Freyæ omnes fidi mariti vel amasii, qvi post mortem cum priscis uxoribus vel sponsis in ædibus illius Divæ iterum conjungentur. 4) Cl. Graeterus Freyam pro Frigga librarii mendo hic positam fuisfe putat, qvum Coelo (Odino) cedat hominis anima, sed corpus terræ. 5) Odinus eas animas accipit qvæ in summam superioris hemisphærii partem, Valhallam nempe, ascendere qveunt, sed Freya, in Vingolfo & pluribus Dearum palatiis, eas qvæ inferioris erunt conditionis, qvibus etiam fæminæ omnes sunt adscribendæ. Sic *Valr* non modo pro strage bellica sed etiam magis collective de universitate defunctorum erit capiendum. 6) Si in hac cæsorum strage heroes cælestes sive stellas occidentes recognoscere malimus, diurno tempore Odino cadunt aut cedunt, nocturno autem Freyæ. 7) Si autem vox ænigmatica *Valr*, vi vocis indubiâ, coeli convexitatem hic denotat, Odinus coeli diurni posfesfor sed Freya nocturni domina appellantur. 8) Si stragem illam ad mesfem frumenti et vindemiam qvoqve adplicemus, pars hujus dimidia servit corpori & ejus foecunditati (Freyæ sacræ) nutriendo, sed altera pars, qvæ cerevisiæ vel vini auctrix habetur, Odino est sacra, cum animi et ingenii vires inspiret & exaltet. 9) Allegorice hoc ænigma ita solvere posfumus, ut *valr* dicatur de semine humano, qvod paullatim in foetum mutatur, cujus corpus Freyæ sed anima Odino sacra sit.

**) In textu *Freyor*. Hinc Island. *Hûsfreya* hera, mater-familias. Cfr. Glofs. T. II.

***) Vel etiam (e versione *Joh. Ol. Grunnav.*): desideria et vota hominum intentisfimo & tenerrimo animi affectu edimplet.

****) Persæ Anaiti (Anahid) lyram radiantem sed AEgyptii Isidi sistrum adtribuerunt. Hæ ambæ simul amorum Deæ habitæ.

*****) Cantilena vetus Skaldæ mscr. inserta, aureas Frejæ pro Oduro effusas lachrymas memorans, ejus filias appellat Hnosfam & Gersemem (Ed. Holm. p. 212 propter mendum librarii habet *heitt* pro *dætur*) *Gersemi* vel *Gersimi* Islandis audit cimelium vel res qvædam pretiosissima. Hæ ambæ Freyæ filiæ denotare posfunt: 1) Stellam vespertinam (Hesperum) & matutinam (Phosphorum) qvas veteres ex una fecere diversas. 2) Auroram matutinam & vespertinam. 3) Duas lunæ visibiles phases (poëtis â plena Luna sive Freya ipsa generatas).

gas vias profectus est, Freya vero remanens luget, at ejus lachrymæ auro rutilante constant *). Freyæ multa nomina sunt indita, id autem in causa est qvod varia sibi nomina, Odurum inter gentes ignotas perqvirens, adplicaverit **). Vocatur Mardalla (*Mardöll*, *Mardavll*), Horna (*Hörn*, *Horn*) Gefna (*Géfn*) & Syra (*Sýr*). Freya monile Brisingicum posſedit [vide *Brísingr* s.] Appellatur similiter *Vanadís* (Vanica ***) sive Vanorum Dea; — e Vanaheimo oriunda)". — Enumerantur in seqventibus qvatuor Asyniæ inferioris ordinis (*Siofn*, *Lofn*, *Vör* & *Syn*) qvæ amoribus præsunt & qvorum indoles ac functiones inferius disqvirentur. In Skalda (pag. 108) Asis in conviviis propinare dicitur. Ejus ibi (p. 119) collectæ appellationes sunt: Filia Niordi, soror Freyeri, uxor Oduri ****) mater Hnossæ; possestrix (domina) stragis cæduæ, Sesfrumneri, catorum *****) et monilis Brisingici; numen Vanorum (*Vanagod*) Dea Vanica (*Vanadís*) Dea lachrymando pulchra (vel splendidas lachrymas fundens). Addunt codices qvidam: *Ástagod* (Dea amorum).

In Edda nóstra antiqviore hæc porro de Freya occurrunt: Dicitur Oduri sponsa sive uxor, giganteo generi (vel giganti alicui) desponsata, tradita vel promissa *VSpá* 23. Hic sermo est de promisſis Asarum præstitis fabro cuidam e Jotunheimis oriundo, qvi êx illa transactione (Lokii consilio initâ) munimento terræ & coeli rite perfecto, pro laboris præmio Freyam, solem & lunam accipere deberet †); — Lokius, ab Asis deterritus, fraudes invenit,

*) Verbotenus: aurum est rutilans, sensus vero esſe videtur: auro similes sunt.

**) Cfr. Apuleji Metam. Lib. XI. "Regina coeli, . . luce foeminina conlustrans cuncta moenia & udis ignibus nutriens læta semina, qvoqvo nomine, qvoqvo ritu, qvaqva facie te fas est invocare . . . cujus numen unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis". (Hinc Ceres, Proserpina, Venus, Diana, Freya &c).

***) Cum Freyr dici posſet *Vanr* sed Freya *Vana*, putarunt qvidam qvod Etruscorum Deus & Dea *Venus* illis originitus convenisſent. *Vænn*, *Væn* lingvâ islandica pulchrum & pulchram denotat, sed Gaëlicum *ban*, *bhan*, *van* album, pulchrum &c. Cfr. doctiſs. *Roberti Jamieson Illustrations of northern antiqvities* p. 516 & *Joh. Jamieson Hermes scythicus* p. 123.

****) Kona *Óþs* sive *Ods*; hoc librarii qvidam prave legerunt *Ódins* (Odini) — et hinc sine dubio error ille, in qvem varii medii ævi scriptores inciderunt, qvod Freya fuerit Odini uxor sive amasia — qvem qvoqve errorem Freyæ cum Frigæ nomine similitudo sine dubio nutrivit & auxit. Cfr. *Ódr* i.

*****) Præferunt qvidam *ursorum*, cum vocabulum *Fr efs* et *catos* et *ursos* significet, sed obstant verba Eddæ p. 28 et 66, ubi feles indubie dicuntur. Felis etiam Isidi & Lunæ sacer. Dicit Plutarchus id animal Lunam repræsentare; de multifariis hujus fictionis causis vid. Jablonsky *Panth. Ægypt.* II. 67. Rhea Babylonica (Diodoro Siculo teste) duos leones (felino generi adscriptos) ante pedes habebat. Rhea Phrygiæ & interdum Venus ipsa leonibus vehebatur. Diana, in felem transmutata fuisſe dicitur.

†) Multifariæ fabulæ ejusdem certe originis adhuc referuntur â vulgo scandinavico. Sic Gigas *Skalle*, qvi e Norvegorum relatione magnificum Nidrosiæ templum exstruxit, Solem, Lunam &

qvæ munimenti perfectionem frustrabant, ob qvam etiam causam Thorus fabrum illum giganteum malleo suo percusfit. Vid. Edd. Snorr. p. 45-47. In carmine *Thrymsqvida* continetur relatio de Thrymo gigante, (hyemis, tenebrarum & frigoris hyperboreo dæmone) qvi malleum Thori (fulmen) furtive abstulerat sed Freyam pro *ejus* redemtione sibi desponsandam poposcit str. 8. Lokius id Freyæ nuntiat, eam secum in Jotunheimos abire rogans 12 — sed ipsa talem petitionem irata recusat 13. Thorus igitur, e Lokii consilio, habitu Freyæ se induit, bysso nuptiali velatus et monili Brisingico ornatus 19 *). Ita personatus Jotunheimos tendit, nuptias cum Thrymo celebraturus sed malleo suo recuperato gigantes crebris ictibus lethaliter contundit 20-32. (Vid. Þórr, Þrymr i.). In carmine *Hyndluliód* describitur Freyæ nocturnum iter ad Valhallam, oreade *Hyndlá* illam comitante str. I. sq. Freya juvenem terrestrem, Ottarem, cognomine stultum sive inexpertum **) suo patrocinio beat & Hyndlam ipsius genealogiam (in lite hereditaria perutilem) ipsi recitare rogat str. 6, 8, 9, 46. Freya Hyndlæ Thori gratiam promittit, se illum sacrificio placaturam indicans 4, sed postea cum oreade litigat, ab ea *ignis amica* appellata & impudicitiæ opprobriis gravata 42 sq. Freya AEgeris convivio adfuit *ÆEg. Dr.* introd. Ejus cum Lokio altercatio (ubi veneficia ei exprobrantur) str. 29-32. Ejus monile, vid. *Brisíngamen.* Verres sive aper, vid. *Hildisvíni.* Freya invocatur a mulieribus, præsertim puerperis *Oddr. Gr.* 8***). Colitur qvoqve a viris *Hyndl. L.* 9.

In *Ynglinga Saga* & pluribus medii ævi libris describuntur Asæ uti meri homines,

---

plura maximi pretii cimelia sibi in laboris præmium paciscebatur, sed S. Olaus, pia fraude usus, eum nihilominus mercede & vita ipsa spoliavit. Norlandenses Sveci similem narrationem proferunt de gigante qvodam, aliud fanum ædificante, nomine *Vind och Väder, Bläst* vel *Slätt* (qvæ omnia violentam tempestatem indicant) sed ab eodem sancto Rege occiso. Adde fabulam Scanicam de gigante Finno, templi Lundensis structore, a S. Laurentio in lapidem mutato & pl.

*) Freya nostra personata correspondet Veneri apaturiæ, in urbe Phanagoria cultæ, qvæ gigantes ad Herculem in antro latentem in illorum excidium pellexisse dicitur. Cfr. clarifs. Creutzeri *Symb. und Myth.* Ed. 2. III. 523. qvi in eo mytho allegoriam physicam (nostræ similem) vel vetus qvoddam astrologumenon recognoscit. Cfr. hujus Eddæ vers. Dan. II. 89-92.

**) *Óttarr heimski; heimskr* proprie audit domi educatus sive remanens o: domestica inscitia laborans.

***) *Egilssaga Skallagr. s.* refert Thorgerdæ viraginis verba, qvæ manifeste indicant firmam eam spem sive opinionem, qvod virgines sive mulieres defunctæ in ædes Freyæ hospitio reciperentur. — Hæc excerpsit Cleffelius ex Olao Magno: "Frea una ex Asynis apud qvam post mortem honorifice excipi se omnes matronæ sperabant". Cfr. *Gefión* i.

qvi populi Gothici & Svecici imperium olim tenuere; inter alia hæc de Freya narrantur. Cap. 4. "Freya erat filia Niordi *); illa facta est sacrificiorum antistita, docuitqve prima Asas artem magicam, qvam *Seid* dicunt, apud Vanos usu freqventisſimam". Post Odinum regnavit Niordus, post eum Freyus (vel Freyerus) sed eo etiam defuncto (Cap. 13) Freya sacrificia rite curabat, Divûm illa tunc sola superstes, famâqve nominis adeo inclyta ut ejus nomen illustriores omnes referrent fæminæ, qvæ nunc *Frúvor* (Dominæ) vocantur **). Freya etiam vocatur, qvæ bona possidet, mulier, qvælibet, qvæ autem res domesticas curat *Húsfreyia*. Freya erat ingenii admodum versatilis. Odur dictus est ejus maritus, filiæ autem *Hnoss* & *Gérsemi*, fæminæ formâ admodum præstanti, qvare earum nomen referunt res pretiosisſimæ" ***). — Similem indolem spirat relatio de origine monilis Brisingici, qvæ in Historia magna Olavi Tryggvini continetur; vide supra, qvæ de ea monuimus, in art. *Brisingamen*.

Qvamvis minimè denegemus principes qvosdam vel hierarchas boreales olim Deorum nomina gestasſe, eorum sacerdotio functos, unde relationes historicæ cum mythicis facile confundi potuerunt — eddicos mythos numina physicæ, ethicæ vel allegoricæ originis continuo spectare putamus. Sic qvoqve in observationibus nostris ad Eddæ hujus danicam versionem passim monstravimus Freyam, tanqvam cælestem Deam, ab atavis nostris variis modis cultam fuisſe. Plura huc pertinentia nobis jam etiam adferre liceat.

Primo loco observare juvabit vetustisſimam orientis & totius fere terræ relligionem, qvæ duo statuit mundi *principia*, *masculinum* nempe & *fœmininum*, qvibus varia gentes indiderunt nomina. Revera prisci homines *Coelum* et *Terram*, aut etiam *Solem* et *Lunam* ****) sub mythicis illis personis sæpisſime spectabant & adorabant. Exempla exotica e plurimis exhibere superfluum erit. Nostratibus Coelus audiit Odinus et certo etiam respectu Thorus, Terra autem Frigga, Sifa &c. Sol similiter præcipue Freyerus sed

*) Hic auctoris testimonio l. c. ex Vanaheimis erat oriundus, sed inde Asis obses traditus. Odinus postea ipsum et Freyerum ejus filium constituit sacrificiorum antistites "qvi adeo inter Asas facti sunt Dii".

**) Cfr. ea qvæ supra ex Edda Snorroniana attulimus. *Frúvor* habet in nomin. sing. *Frú*, idem nempe vocabulum qvod Danis sonat *Frue*, Svecis *Fru*, German. *Frau* &c. Vid. Gl. T. II. v. *Húsfreyia* it. *Freyr* i.

***) De mythica earum significatione cfr. *Ódr* i.

****) Sic e. gr. vetus Scholiasta in Horatium (apud Jablonsky in Pantheo AEgypt. II. 104) Plutarcho ipso consentiente: "Duobus his reguntur omnia terrena, calore qvidem Solis per diem, humore vere Lunæ per noctem. Nam ut calore Solis animantur semina, ita Lunæ humore nutriuntur. Penes ipsam enim et corporum omnium ratio esſe dicitur et potest".

Luna Freya (qvæ plures etiam denotationes adoptavit). Horum numinum nomina ipsa prædictam significationem aperte innuunt. *Freyrr, Freyr, Frœir* *) vi vocis explicari debet: Seminator, Sator (ejusdem originis ac Latinorum Saturnus) — ab etymo *Fræ* semen (Dan. *Frö*, Svec. *Frö*, MGoth. *Fraiva* &c.) unde etiam adj. *fríófr, fríór* frugifer, fæcundus & pl. Hinc formatum est fæmininum *Freyia, Freya* (seminata, frugifera, fæcunda vel foecundans) **).

Niordum aëri & aqvis proprie sic dictis præfuisse, sed ejus natale regnum Vanaheim athmosphæram nostram significasse, suis locis demonstrabimus. Freyr & Freya, illius liberi in Vanaheimo nati, significant Solem & Lunam, qvi e mari vel athmosphæra depressiore qvotidie exoriri videntur. Ob eandem causam Apollo et Diana (qvi Græco-Romanis similem habuerunt significantiam) Latonæ liberi dicti sunt. De Freyero, Solis Deo, inferius agemus. Is certe diei Rex, sed soror ejus cœlestis noctis Regina ***). Hæc duo splendidissima nocturni mundi phænomena sibi præ cæteris vindicavit, *lunam* nempe et *Hesperum planetam*, qvi nostratibus *Freya*, exoticis *Venus-Aphrodite, Anahid* &c. qvæ nomina similiter amoris & foecunditatis fæminino numini contigere. Dea lunæ (nocti propriæ) ab omnibus fere populis illis naturæ organicæ et animatæ qvalitatibus præesse credita est ****). Freya nostra Odurum, amissum maritum, qværit, uti Isis-Luna Solem

*) *Ei* et *æ* in veteri nostra scriptura sæpe permutantur, e. gr. *ei* vel *æ* (semper).

**) Cognatum est verbum *Freyda* spumare (abundanter ebullire vel scaturire) cui propinqvum est *Froda* spuma gr. ἀφρος, unde Hellenum Freya vocata est Ἀφροδίτη. Deæ Romanorum *Frutis, Frui-Seja, Seja* & pl. a frugibus & serendo sine dubio ita dictæ sunt, Freyæ nostræ eo modo fere cognomines. Sic etiam Horatius de Luna, Od. IV. 6. Rite crescentem face noctilucam, prosperam *frugum*". — — — Freyeri & Freyæ nomina & entia pluribus persicis ac indicis vocabulis & numinibus convenire videntur, sed de his alibi nobis est disqvirendum. Confer porro verba Euripidis in Hippolito:

Est autem in maris
Fluctibus Venus, omnia vero ex ipsa sunt,
Hæc est qvæ seminavit & dedit amorem
Cujus omnes sumus ex semine editi.

Huc spectat mos Borusforum veterum qvi multifaria semina sponsæ capiti in nuptiis infundebant. Cfr. S. Thorlacii Antt. Boreal. Spec. IV. p. 208.

***) Sic Orpheus appellat noctem (in ejus suffimento):

Canam noctem Deorum pariter atqve hominum genitricem —
Nox origo rerum omnium qvam & Venerem appellamus.

Dogmata & figmenta orphica vetustis borealibus sæpe ad ungvem conveniunt. Thraces fuerunt Getis cognati sed hi iterum Gothis. — Isis, Freyæ admodum similis, Frugiferæ & Fructiferæ cognomina adscivit.

****) Huc spectant multa loca Plinii Hist. nat. e. gr. II. 99. "Hoc esse sidus arbitrabantur qvod terras saturet accedensqve corpora impleat, abscedens inaniat. Ideo cum incremento ejus au-

Osiridin. Ejus lachrymæ, desiderio debitæ, poëtis veteribus verisimiliter apparuere in guttis roris, qvi lunæ, auroræ & solis radiis illustratæ auri rutilantis fulgore resplendent. Sic etiam exteræ vetustatis gentes rorem *lunæ lachrymas* freqventer appellarunt *). Præterea vates prisci et recentiores rorem sæpe lachrymis asfimilant. Terræ, coeli et soli calore et ariditate laborantes, roris beneficio præcipue recreantur, & is igitur merito inter præstantisfima foecunditatis principia habetur. Hinc Luna-Freya, roris præsumta auctrix, terræ foecunditatem efficere putabatur, uti etiam menstruæ ipsius operationes in animalia, præsertim hominem, similes effectus producere videntur. — Mythi nostri docent qvod Gigantes hyperboræi, lunæ sed non itidem solis lucem amantes **), Freyam præ cæteris Deabus appeterent. Cum Thorus (in *Thrymsqvida*) tali occasione data, Freyæ vestes et velum induit, ut gigantes decipere posfet, hanc fictionem ortam sentio ex observatione meteori aërei, qvod emphaticum dicunt, globo ignito et sæpe etiam plenæ lunæ similis; — id interdum cum maximo fragore rumpitur, aërolithos vel chalybæam qvandam molem violenter emittens. Sic fulmen lunæ vel Thorus Freyæ formam suscepit ex veterum opinione, non sine ingenti giganteæ gentis damno. Freyam, originitus Borealium Hecaten, Græcæ similem nocturna venefica exercuisfe, & a magis & sagis ob eam causam cultam fuisfe, nemo miretur. Idem qvoqve dicendum de Venere nostra, qvum impudicitia ei interdum ab adversariis exprobrareretur, qvamvis pii ejus cul-

---

geri conchylia et maxime spiritum sentire, qvibus sangvis non sit — sed et sangvinem hominum etiam cum lumine ejus augeri aut minui, frondes qvoqve et pabula (ut suo loco dicetur) sentire eadem penetrante vi". AEgyptii veteres, Plutarcho teste, opinabantur Lunam (Isidem &c.) ut qvæ lumen habet genitabile et humectans, prosperam esfe et animalium procreationi et stirpium pullationi. Jul. Firmicus eam vocat humanorum corporum matrem.

*) Virgil. Georg. III. 336. Lunam roscidam decantat. Convenit ei Plutarchus Sympos Lib. III: "Maxime plenilunio rorem facit aër colliqvatus". Dicebant AEgyptii Nili aqvas Isidis lachrymis adaugeri. Græci rorem (Ersen) vocabant filiam Jovis (Cæli) & Selenes (Lunæ). Sorterupius Danus in Disqvisitione manuscr. supra laudata mythum nostrum ingeniose illustravit: "Lacrymæ Freyæ est pluvia tempestiva qvocirca adhuc nos dicimus de frugifera mensis Junii & Julii pluvia: aurum depluit *(Nu regner der Guld ned)*. Divitiæ [*Hnoss & Gersemi* — res utiles et pretiosæ] sunt ejus filiæ". De roris præcipua salubritate prisci boreales varias habuerunt superstitiones: hinc mos Islandorum rusticorum, qvi morbis externis laborant, qvod lavacro se reficiant rorali in ipsa Sancti Johannis (vel mediæ æstatis) vigiliâ, olim gentilibus sacrâ.

**) Ob eam causam luna a priscis Scaldis vocabatur sol spectrorum & gigantum. Solem mali dæmones petebant, ut eum, in Deorum & hominum perniciem sed proprii imperii adauctionem, vinculis aut letho opprimere potuerint.

tores in ea revera deam maxime castam & marito fidelisſimam adorasſent.

Freyæ certe inter nostrates, uti et aliis amorum Deabus ab exteris, sacrata fuit stella Veneris (sic inter planetas vocitata); — hoc plenis verbis testatur *Rimbegla* (pag. 112). Dies hebdomadis a planetis inter antiqvisſimas gentes (Indos, AEgyptios & pl.) nomina traxerunt, & sic qvoqve in borealibus terris. Dies Veneris atavis nostris sonuit *Friddagr (Freyudagr* vel *Freydagr)* priscis Germanis *Freyatag Fro-Venus-tag*, Frisis *Fredis*, Anglosaxonibus *Frigedœg;* hodie Danis & Svecis *Fredag*, Germ. *Freytag*, Belg. *Vrydag*, Esthn. *Rhedy* &c. Monstrat Saxo Grammaticus (Hist. Dan. Libr. 6to) illas dierum appellationes, hodie etiam usitatas, ortas esſe ex Diis indigenis sed non Romanis vel Græcis *); — observandum tamen est qvod nomina illa planetarum vel numinum multo magis conveniant orientalibus qvam Græco-Romanis. Sic e. gr. a Persis veteribus Venus dicta est *Anahid*, *(Anaitis)* qvod nostro *Vanadís* respondere opinamur; recentioribus Persis, Chaldæis & Arabibus *Zohare* **), *Zohre*, Pers. *Suhre*, Hebr. *Soura*, AEgypt. *Surot*, Ind. *Sucra* (it. *Syri*, *Sri*, abundantia, felicitas), AEg *Siris* Lat. *Sirona*, qvæ omnia convenire sentio eddico *Syr*, *Sir* uni ex nominibus Freyæ).

Monstravimus supra, in art. *Fólkvangr*, qvod coelestis hæcce regio, Freyæ propria, revera significaverit zodiacale *Leonis* signum, unde etiam necesſarie seqvitur, qvod Dea illa mensem, isti respondentem, olim dirigere putaretur. Nos hanc periodum vocamus *dies caniculares*. Istum mensem Scandinavi dedicarunt amorum & foecunditatis Deæ, non sine gravibus argumentis. Is omnium in his terris est calidisſimus, amor autem sæpe cum calore aut igne comparatus, nostri sermonis etymologiâ eo qvoqve tendente ***). Amor sub fervido climate vehementisſime ardet, et Freya igitur cum calidisſimo tempore boream visitare dicta est. Nunc etiam semina, fruges et seges maturantur, sed foenisecia & frumenti mesſis administrantur, qvæ omnia Freyæ nomini & officio optime conveniunt ****). Cfr. *Fólkvángr* s.

*) Similia de saxonicis hebdomadis dierum Diis referunt Galfredus Monomuthensis & pl.

**) Numne *Socharis*, vetus Isidis nomen, hinc etiam deducendum? Venus alias veteribus audiit Isis sive Isidis stella (Plin. Hist. Nat. II. 8) Ptolomæo etiam *Asis*.

***) Cum *ignis* et *amor* eandem radicem agnoscant; — a verbo *(ec) el* (infin. *ala* Lat. *alo*, Gr. ἄλδεω) derivantur *eldr* ignis et *elska* amor. Inter ignes sacros veterum Persarum illustriſs. v. *Hammer* memorat *Vóh-Freian* ignem animalem in hominibus &c. his verbis rite additis: "*Hier lasst sich schwerlich die nordische Freya (Freia) verkennen*" *Vóh* verisimiliter est nostrum *Ve* (ignis sacer). Vid. *Freyr*, *Ve* i. Cfr. Apuleji Metamorph. Lib. XI. ubi Regina cœli dicitur *udis ignibus læta semina nutrire* &c.

****) Simili modo Bithynii mensem Augustum, sed alii signum Leonis Demeteri sive Cereri sacraverunt. Indi qvidam eundem mensem *Prithivi* Deæ dedicant.

Hæc qvatuor Freyæ nomina ad qvatuor lunæ phases alludere puto:

1) *Mardöll* (marina nympha; marino habitaculo gaudens) — Luna in interlunio, qvæ tunc in oceani abysso degere sive retineri videbatur.

2) *Horn*, *Hörn* *) (cornuta) luna dimidiata, talem speciem præ se ferens.

3) *Géfn* (donatrix; larga) luna plena**) lucis abundantiam largiens.

4) *Sýr* (forte: marina mare adamans)***) — luna decrescens, qvæ mari iterum appropinqvare videtur.

Hactenus de *Freya* ipsa. Restat brevis de quatuor minoribus amorum Deabus sive eroticis nymphis disqvisitio. Hæc de iis habet Edda Snorroniana (l. c.) Freyæ descriptione mox absolutâ ****):

1) Siofna *(Siofn)* admodum studet "animos hominum, tam virorum qvam fœminarum ad amores [mutuos?] flectere et convertere. Hinc est qvod amator ex ejus nomine *Siafni* dicatur". Nomen *Siofn*, e mea opinione, deductum est a voce *Sión* visus, qvod iterum a verbo *sjá* videre. Primi amoris affectus visu certe moventur. Siofna igitur amorem tenerrimum sive primitivum denotat, qvi visûs interventu in amantis animo gignitur. Amator in specie vocatur *Siafni* (attentus sive amatorius spectator) qvum eum tantummodo, sed non fœminam, amores primum declarare vel postulare deceat.

2) "Lofna *(Lofn)* adeo benigna est et semet invocantibus indulgens ut libertatem ab ipso Pantopatre (*Alfödur*) vel etiam Frigga †) impetret viros et fœminas ad congressum conjugalem (vel connubium sive matrimonium ipsum) deducendi, licet antea prævetitum sit vel omnino denegatum. Præterea ab ejus nomine vocula *Lof* (laus, venia)

---

*) Non scribitur *Hórn*, ut perperam legit doctiss. *Mone* (I, 402) nisi codicem qvendam Eddæ junioris, mihi ignotum, inspexerit. Conferri hic meret Latinorum *Carna*.

**) Prædita formâ rotundâ; adj. Dan. *rund* significat 1) rotundus 2) largus.

***) A voce *Sœr*, *Siár*, *Sjór* mare, lacus, Zend. *Zare*, *Sur* cet. cfr. Gl. T. II. Hinc forte etiam *Zaretis* (apud Hesychium) nomen Dianæ Persicæ; *Zerene* Venus Macedonum & pl. Alioqvin conjicere possumus qvod nomen *Sýr* olim contigerit phasi lunæ primæ, sed *Mardöll* phasi qvartæ.

****) Hic Freya ponitur Asyniaram sexta, Siofna septima &c. — omnes qvoqve (ut videtur) ad muliebrem Friggæ comitatum pertinentes. Cum autem Freya in specie amorum Dea olim sit habita & propriam in coelo posfederit regionem ac aulam, ei has nymphas adscribere malumus, qvamvis ipsa certe Friggæ (uti Venus Juuone) inferior & cum suis nymphis illi subdita putaretur.

†) Frigga prima in hoc mundo fuit uxor et mater, uti Odinus etiam maritus et pater. Sic ambo connubii summa numina facti sunt, uti Zeus-Jupiter et Here-Juno apud Græcos et Romanos, qvi tamen nihilominus in Aphrodite-Venere amorum præcipuam Deam agnoscebant, uti Freyam nostrates. Observari forte meretur, qvod nec Veneris nec Freyæ conjugium feliciter evasisset, causis tamen maxime diversis id efficientibus.

est deducta, qvia ab hominibus magnopere collaudatur". Voces *Lofn*, *Lof* alioqvin amorem significant, ejusdem qvidem originis ac Anglorum *Love*, Germanorum *Leewe*, *Liebe* &c. Cfr. Glosſ. T. I. v. *Lofnfarar*, II. v. *Leyſa* & Ind. nom. pr. v. *Lofnheidur*. Cognatum est verbum *lofa* 1) permittere, 2) promittere 3) laudare — cujus prima significatio nomini nymphæ nostræ magis convenire videtur. Hæc certe efficit vel dirigit amorem mutuum, maturum, constantem, qvi communis metæ contingendæ gratia nullis malis vel impedimentis cedit, sed omnia tandem indomitus vincit. Sic *Lofna* allegorice denotat amorem perennem & immutabilem, primis procationis et seris conjugii diebus æqve honestum et sincerum.

3) Vara *(Vör* vel *Var)* *) "hominum juramenta ut et singularia ac privata pacta, qvæ viri & fæminæ invicem contrahunt, auscultat, ideoqve pacta ea *Varar* dicuntur. Illa qvoqve fallentem ulciscitur. Est Vara sapiens et de multis rebus sciscitans, adeo ut eam celari res nullæ posſint. Hinc loqvendi modus; *at kona verdr vör þess er hún verdr vís* ɔ: fæminam res allatas sentire, qvorum notitiam (clanculum) capit". Ad Deam istam spectabant certæ in nuptiis ceremoniæ, qvorum mentio facit *Thrymsqv.* str. 30 sponso gigante (allato ad novam nuptam consecrandam fulmineo Thori malleo) **) ita exclamante:

Vigit ockr saman
Varar hendi.

i. e. Initiate nos in conjugium
Varæ (Deæ i. e. pronuba) manu.

De prima origine & significatione phrasis jam obsoletæ *at veitaz varar* (pacta sponsalitia inire) meam proposui conjecturam in Gl. T. II. p. 827 ad voces *Varar* & *Varavargr.* Alioqvin Varæ Divæ nomen convenit Al. *Uuara (Wara)* AS. *Væra* ſoedus, pactum &c. *Vör* porro derivari potest a verbo *veria* circundare, amplecti (de qvo videatur Gl. T. II. p. 855.; cfr. *Háva M.* str. 166). Sic nomen illud ab amantium primo osculo & amplexu simul desumtum esſe videtur. Desponsationis Dea eo igitur satis manifeste indicatur. Præferunt forsitan alii, qvi nostræ vocis etymon qvæsitant, adj. *Varr* (in fæm. *Vör*, acc. *Vara* &c.) cautus, providus, qvæ animi qvalitates sponsis utriusqve generis maxime erunt necesſariæ. Amantes ambo, anteqvam ipsa sponsalia contrahantur, mutuam alterutrius cognitionem rite posſidere debent, sponsæ vel sponsi

*) Codices pleriqve duas ex una Deas faciunt, qvod qvidem illustravit & correxit celeberr. *Rask* in editione Holmiensi pag. 57. Obs. 6.

**) Sic forte mallei Jovis (Thori) ænei, qvos Magnus, princeps Danicus, in ejus Gothlandensi templo invenit, seculo 12mo currente, ritibus hujus generis adhibiti fuerunt. Saxonis Hist. Dan. Lib. 13.

conditione, ingenio & vita anteacta caute ac diligenter investigatis. Ipsa Dea, qvæ desponsationis actum dirigit vel observat, non modo mutua amantium promissa & jurationes inaudit, sed etiam occultas hominum cogitationes ac meditationes perspectas habet & fallacem vel perfidum animum ultrice manu perseqvetur. Non tantum desponsati sed etiam connubio juncti ejus imperio subditi sunt — et sic igitur Vara nostra sponsalem æqve ac conjugalem fidem optime servat et vindicat. Cfr. Gl. T. I. voce *Var*.

4) "*Syna (Syn)* fores aulæ*) custodit, easqve non intromittendis occludit. Illa qvoqve in judiciis iis causis defendendis præficitur qvas (veris argumentis) infringere cupit **). — Hinc loqvendi modus: *at syn sé fyri sett* ***) cum qvis aliqvid denegat". *Syn* vi vocis significat abnegationem, denegationem sive repulsam, unde etiam verbum activum *synia* negare, renuere; vid. Gl. T. I. & II. Hæc Dea pravas accusationes aut petitiones & fucatas simul vel fallaces procationes refellere videtur. Sic qvoqve, Freyæ atrium custodiens, infaustos amores odit et istam repulsam efficit qvæ proco sæpe contingit. —

Hanc justis argumentis provocatam esse, nemo dubitabit, qvum hic de Dea sermo sit. Qvum procus exoptatæ mulieris aut sit indignus, aut is etiam, si voti compos factus fuisset, sibi vel amatæ fœminæ tristes attulerit vitæ calamitates, Syna amorum fores & borealis Veneris coelestem aulam occludit. Cfr. porro vers. Dan. I, 225-26. His eroticæ rei Deabus, Freyæ subordinatis, rite æstimatis, elucebit hujus numinis præ Venere græco-romana ethica præcellentia, qvum integros tantum amores & connubialem fidem incolumes servet ac tueatur. Cfr. Disqvisitionem cl. Graeteri: *Freya die Göttinn ehelicher Treue uud Liebe*, it. *Katterfeld über die Asalehre* 1819, (pag. 38 & sq.).

Physicis numinibus ethicas qvalitates semper ab hominibus, tempore gliscente, ubicunqve adtributas fuisse, mihi facile persvadeo. Sic etiam hasce qvatuor mythicas repræsentationes Lunæ phasibus originitus adscriptas puto — hac nominum significatione rite perspectâ:

1) *Siofn* ɔ: *Sión* visus primus; — Lunæ prima phasis sive facies.

2) *Lofn* ɔ: benigna, amatoria, laudata; lubenter permittens sive promittens &c. — Luna plena.

3) *Vör* sive *Var* ɔ: cauta, provida &c., vel etiam monens (Moneta) de lucis lunaris futuro decremento — Phasis tertia.

4) *Syn* ɔ: denegatio (totius lucis) Novi-

*) Intelligo Folkvangum vel Sessrumnerum, Freyæ palatia; — alii Valhallam sive aulam Friggæ; — auctor sive librarius eam omnibus Deabus communem fuisse verisimiliter est opinatus.

**) Vel rectius (secundum variantes lectiones): "qvas infringere aliqvis cupit".

***) I. e. Syuam (abnegationem) accusationi objectam esse vel: denegationem petitioni obstare.

lunium, lumen nocturnum terræ denegans.

Hinc antiqvitas formavit Deas qvatuor minores, Freyam, magnam lunarem Deam, comitantes — qvæ omnes tamen Friggæ, mundi nostri summæ Reginæ, obedire putabantur.

Nihilominus non est reticendum, qvod Freyæ numen & nomen Friggæ ipsius recentiora esse videantur, ab iis qvidem originitus desumta ac cum iis interdum confusa (cfr. *Nyerup mythol. Wörterb.* p. 81). Verus status hujus præsumtæ sed pervetustæ saltem commutationis vix amplius indagari potest. In Frigga vel Freya nos certe recognoscimus Asiatarum & Græcorum Rheam sive Rheiam et plura (uti antea monuimus) Italorum fæminina numina, qvibus forsitan Feroniam & pl. addere licet. Culta sine dubio fuit a plurimis Germaniæ populis *); audiit Leuticiis, Svevis & Anglosaxonibus *Frea*, Frisonibus *Freda*, Gotfredo Viterbiensi *Feria* &c. Alii eam apud Germanos & Anglo-Saxones putant appellatam fuisse *Ostar, Easter, Eastra* &c. (unde paschatis festum adhuc *Oster* & *Easter* dictum) — et Orientialium *Astarte, Astaroth, Atargati, Astaræ* **) &c. convenisse. Conferri forsitan meretur vet. Scand. *Ást* (lege *Aust*) amor, unde Freya etiam dicitur *Ástargod* (amoris numen) vel *Ástardis* (amoris Dea) vid. Gl. T. I & II. Hinc certe nomina propria *Ásta, Ástridr* p. p. olim in Scandinavia tota sed jam in Islandia sola (ni fallor) mulieribus usitata. Vestigia qvædam cultus Freyani observavit b. *Jonge* inter rusticos Sælandicos, in variis de luna superstitionibus p. p. Hinc etiam plura vulgi borealis de die Veneris sive Freyæ ejusdem farinæ opiniones ***). — Jongio ingeniose observante primis Christianismi temporibus sancta Maria in borealium adoratione Freyæ (vel Friggæ) succesit; — id leges veteres Norvegicæ cum historiis collatæ manifeste monstrant, cratere olim Freyæ sacro in hono-

*) Isidis cultum Tacitus inter Germanos commemorat; Isidi & Freyæ sus fuit sacratus. Liburna erat Isidis Germanicæ (et navis etiam AEgyptiacæ Isidis) symbolum; forte nihil aliud qvam lunæ dimidiæ signum &c. Freya alioqvin filia erit Njordi, maris Dei, ipsa igitur e mari orta. — Christianismo introducto pictores medii ævi S. Mariam in luna dimidiata, qvasi in cymba qvadam stantem, repræsentare solebant.

**) Hæc certe omnium illorum (prout hodie scimus) Scandinaviæ proxima, cum culta fuerit à Mæotis (qvibus Aspurgitani adnumerantur) & incolis Bospori Cimmerii. Eadem verisimiliter fuit cum Venere apaturia (Phanagoriæ culta) & Anaiti, cujus relligio in iisdem regionibus floruit. Vid. *Koehler Disfertation sur le Monument de la Reine Comosarye, Petersbourg* 1805. c. *Heyne de sacerdotio Comanensi* in Comment. Societ. Reg. Goett. T. XVI. *Sveci* & Dani Freyam olim sub nomine *Astrild, (Ástridr? Ásthildur?)* adorasse dicuntur, qvod qvidam è recentiore vulgi sermone & phrasibus probare conati sunt; sed hæc in medio linqvo.

***) Sic e. gr. crinis & ungves abscindendi sunt die Veneris ut omnia prospere succedant *(Thiele danske Folkesagn* III. 103) — sic qvoqve sagarum veneficia averruncanda (ibid.). In Ger-

rem Deiparæ religiose exhausto *). — Constellatio qvæ alias dicitur coma Berenices, baltheus Orionis sive baculus Jacobi, Græcis priscis sonuit colus (ἠλακατης) sed Scandinavis (rusticorum Svecorum hodierno etiam idiomate) colus Frejæ sive Friggæ *(Frigge-Rok; Freje-Rok)* — ast ruricolis Sælandiæ Danicæ *Mari-Rok* (colus Mariæ). Græci colum istum apposuere signo Virginis (qvæ variis varie Demeter, Isis, Atergatis, Tyche &c.) non procul a Freyæ nostræ (e mea hypothesi) zodiacali signo. Simili modo plures herbæ Freyæ & Mariæ nominibus adhuc in borea nostro sunt insignitæ e. gr. isl. *Freyuhár* ɔ: coma Freyæ, Dan. *Fruehaar* (adiantum aureum) qvæ veneficia tollere, morbos ex iis ortos fugare & infantes lactantes servare putatur; Norvagicum *Sirildrod*, *Sirilrod* (formatum, ut puto e veteri *Sirhildar-rot)* **). Danis audit *Marie-Bregne* (Polypodium vulgare) & pl. Huc etiam has pertinere opinor: Norveg. Dan. *Duggræs, Himmeldug, Soldug, Mariæ Öientaare*, Germ. *Sonnen-Thau* (cum mythum de roscidis Freyæ lacrymis respiciamus) alias Drosera rotundifolia; — Norveg. *Mördul* (forte a vetere Freyæ vel Lunæ nomine *Mardöll*) Dan. *Hjertespan* (Leonorus cardiacus) p. p. — Norveg. *Froubunke*, *Frœeng*, Dan. *Venus-Straa*, *Venusgræs* (Aira cespitosa; aira odorifera Norvegis dicitur *Marigras* ɔ: S. Mariæ herba). Plura de antiqvis Freyæ appellationibus, qvas antea recensuimus, addidit *Skálda* p. 133-34 priscorum poëtarum testimonia adferens.

Freyr, Freyrr, Frœyr (ɔ: *Frœrr, Frær*, seminator, sator, fruges ac fructus largiens &c. ubi supra monstravimus in art. *Freya*). Deus solis & solstitii hiberni ac mensis tunc incipientis, fœcunditatis, annonæ, pacis, divitiarum & abundantiæ p. p. Hæc de eo memorabilia habet Edda prosaica: l. c. p. 28: "Niordus in Noatunis duos postea genuit liberos, aspectu speciosos

---

mania hic dies veneficiis maxime aptus credebatur. Putant qvidam hoc die olim inter Germanos nuptias celebratas, qvod posterius novæ religionis superstitio prohibuit. In historiis Islandicis invenimus solennes nuptias sæpe peractas esse *at Tvímánudi* ɔ: in confinio mensium, qvi Freyæ & Forseto (e mea hypothesi) sacrati fuerunt. Vid. e. gr. *Hólmverja S.* Cap. 3. 4. 10. *S. Finnboga rama* C. 30 &c. Dies Freyæ olim semper primus fuit in mense Thori (qvi Þorri dictus, nobis & pl. *Thor-Maaned)* &c. — cfr. mythum illum de Thoro qvi Freyæ nomen usurpat et ejus vestimenta induit. it. *Freyr* i.

*) Leges vet. Gulathing. Translat. Pausii Dan. Cap. 5. Cfr. *Mone Nord-Europ. Heidenth.* I, 925.

**) Qvod iterum e nomine Freyæ *Sýr*, *Sir* & Bellonæ Hildæ. — Anthemis qvoqve Norvegis dicitur *Siurguld (Sýrgull*, Syræ vel Frejæ aurum?). — De polypodio vulgari Norvegi rustici adhuc referunt, qvod sancta Maria ê mammâ propria lac maternum super terram aliqvando emanare fecerit & tunc montanæ fissuræ iis herbis (victui & potui aptis) statim abundaverint. Qvis non videt hunc mythum gentilis originis esse, ac Friggæ vel Freyæ, sed non nostræ Deiparæ adplicandum esse. *(Wille Beskriv. over Silleröds Præstegjeld* p. 123).

(vel lucidos) et (simul) potentes. Freyerus optimus (vel celeberrimus est) Asarum, gubernans pluvias & solare lumen et insuper fructus (sive foecunditatem) terræ. Eum pro annona et pace invocare (sive ei pro a. & p. vota facere) juvat. Is qvoqve opulentiam hominum dirigit". Numeratur ille inter Asas 12 in Asgardiæ Regia, AEgero eam visitante (p. 78). Ipse unacum Odino & Thoro a Dvergis Ivaldi filiis arbiter eligitur (p. 131). Amplam insuper Edda junior (p. 39-40) exhibet relationem de amoribus Freyeri & Gerdæ. Cum similis fabula contineatur in Carmine *Skirnisför*, prosaicam illam, qvasi odam illustrantem, hic inserere liceat (e pag. 39-40):

"Gymer vir [gigas] qvidam dictus est nomine, cujus uxor erat Aurboda a prosapia gigantum saxeorum oriunda. Horum filia Gerda omnium fuit fæminarum formosisima. Contigit die qvodam, ut Freyr in [locum editisimum] *Hlidskiálf* ascendisset, atqve per mundos omnes specularetur. Qui cum ad borealem plagam respiceret, vidit in prædio qvodam ædem admodum amplam & speciosam, ad qvam fæmina qvædam accedebat; qvæ cum manus, januæ reserandæ causa elevaret, splendor ê manibus [ulnis] ejus in aëra et aqvas tantus emicuit, ut omnes mundi ê fæmina illa illuminarentur *). At vero tantum isti ultionis constitit magnus ille fastus qvod in sacram [Odino] sedem se contulisset, ut plenus tristitiæ inde discederet. Hinc domum redux, non sermonem cum aliis miscuit, nec somno aut potu fruebatur, nec qvisqvam eum ad colloqvium sollicitare ausus est, aut illud ab eo exigere. Tum Niordus ad se vocari curavit Skirnerem famulum Freyeri, eumqve rogabat ut Dominum suum accederet, atqve ut verba secum misceret, pateretur, qværeretqve simul: cui adeo infensus esset, ut cum nemine colloqveretur. Skirner id qvidem se facturum promisit, sed non cupidum; qvoniam, juxta opinionem suam, aliqvid ingrati responsurus esset. Qvum vero Freyerum adiisset, qvæsivit cur ille adeo se misere coarctaret [curvus vel moestitia contractus hæreret] ut cum aliis sermones serere nollet? Respondet Freyerus, dicens se fæminam qvandam vidisse pulcherriniam, atqve ejus causa se tantopere lugere; nec se diu victurum, si illâ non potiretur. Tu vero, inqvit, illam mihi in uxorem petiturus, mox abito, eamqve huc, sive pater ejus id permiserit sive prohibuerit, adducito, qvod præmio bono mox postea remunerabo. Respondens Skirner, id se qvidem iter initurum promittit; sed ea cum conditione ut gladium suum Freyerus illi tradat, qvi tantæ erat energiæ ut sua sponte conversus inter pugnandum vibraretur. Nec illud Freyerus deesse fecit, eiqve gladium donavit. Mox profectus

*) Horum loco codex Upsaliensis seqventia exhibet: "exiit istinc mulier, ê cujus coma äer et mare illuminabantur". Cfr. *Skirnisför* str. 6 ubi hæc de ulnis virginis referuntur.

Skirner fæminam vice ejus ambivit, ejusqve promisſionem adeptus est, ut scilicet, post novem noctes, proxime inseqventes, in locum qvi *Barrey* (vel *Barey*) *) dicitur, conveniret, ibidemqve nuptias cum Freyero suas concelebraret. Verum cum Skirner Freyero nuntii sui & negotii exsecutionem explicuisſet, hæc Freyerus cecinit:

Longa est nox una" &c.

ultimam nempe stropham carminis *Skirnisför* **). Seqvitur brevis illa de Belii gigantis cæde ***) narratio, qvam suo loco (pag. 302) supra inseruimus, his tandem additis: "Erit aliqvando potius futurum qvod Freyerum gladii amisſi defectus pejus habebit, cum scilicet Muspelliani militariter grasſantes sunt adventuri" ****).

De conflictu Asarum ac Einheriorum contra Muspellianos & alios orbis nostri hostes, hæc inter alia eadem Edda enarrat (pag. 73). "Porro in his fragoribus diffindetur coelum & inde Muspelliani adeqvitabunt (sive advehentur) — et Surtus qvidem omnium primus, qvem ignis ardens præcedit et seqvitur. Gladius ei est egregius, ſulgorem sole clariorem emittens . . . . Muspelliani agmen suum seorsim ducent admodum splendidum. — — Freyerus cum Surto dimicabit, qvi ambo acre committent prælium, priusqvam Freyerus occubuerit."

Skalda hasce nobis communicat Freyeri denominationes: Vocari potest filius Niordi, frater Freyæ, numen Vanicum *(Vanagod)* Vanorum cognatus sive gnatus *(Vananidr)* Vanus *(Vanr)* annonæ numen sive Deus *(árgud)* & opum largitor *(fégiaſi) Beliadólgr* (hostis Belii); possesſor navis *Skidbladneris* & verris Gullinbursti (qvi etiam *Slídrugtanni* appellatur) *****). *Atridi* qvoqve vocari videtur in fragmento carminis *Þorgríms-Þula*; vid. *Atridi* s.

*) I. e. insula frondosa; vide Gl. T. I. ut et I. & II. ad vocem *Bar, Barr;* — locus iste in oda ipsa lucus dicitur; vide *Barri* s.

**) Unde hæc tota fabula extracta et prosaice exposita esſe videtur, unica tantum carminis stropha citata; — sic qvoqve reliqvæ junioris Eddæ narrationes è poematibus antiqvis simili modo compositæ apparent. — Auctor ejus epitomes nihilominus aliam Skirneriani carminis recensionem ad manum habuisſe videtur, qvum variæ id indicent differentiæ, licet minoris momenti, qvas lector ipse facile indagabit. Cfr. *Beli* s.

***) *Vishnu* Indorum Deus, cum Freyero variis modis rite comparandus, sub nomine *Vamen (Vanr?)* Gigantem Belum vel Balium occidisſe fertur, unde ipsi cognomen contigit *Baladhvamsi*, uti Freyero nostro aliud simile *Beliabani*, ejusdem significationis. Cfr. *Mayer mythol. Wörterbuch* v. *Beli*; Paulini *Amaracosha*; *Wagners Ideen zu einer allgem. Mythol. der alten Welt* p. 151.

****) Nostras de mythis hisce sententias partim jamdudum exposuimus sub. art. *Beli* & pl. — cætera autem adferemus sub tit. *Gérdur* i.

*****) De his Freyeri adtributis vide i. sub. art. *Gullinbursti, Skidbladnir.* Eqvus qvoqve ei adscribitur in fragmentis carminis *Alsvinnsmál* (Skalda pag. 180) appellatus *Blódughófi* (ungulas

Edda nostra antiqvior Freyeri his locis mentionem facit: Coelesti regioni, qvæ *Álfheimur* appellatur, dicitur præesse, eandem qvidem a Diis nactus in primæ dentitionis monumentum*) *Gr. M.* 5. Dicitur Vanigena vel e Vanorum gente ortus *(Váningi) Sk. F.* 37. Vocatur candidus Niordi filius (qvi Skidbladnerem navem ab Ivaldi filiis dono accepit in principio temporum) *Gr. M.* 42. cfr. *Sk. F.* in introd. Niordi e sorore filius *ÆEg. Dr.* 36. Appellatur populi divini princeps sive dux cœlestium agminum *(fólkvalldi goda) Sk. F.* 3. & Asarum princeps sive primipilus *ÆEg. Dr.* 35. (cfr. vers. Dan. II. 195, 313). Dicitur optimus inter omnia altivola **) (numina) in regionibus Asarum, qvi nec virgini nec mulieri fletum facesfit, sed qvemcunqve [frigoris & tenebrarum] vinculis exsolvit *ÆEg. Dr.* 37. Eum nemo hominum aversatur vel odit *ÆEg. Dr.* 35. Dicitur sapiens sive multiscius *Sk. F.* 1. 2. (cfr. *Sk. F.* 17. 18 *Vafthr. M.* 39. & *Thr. Qv.* 15. ubi Vani sapientes esse referuntur). Freyerus occiderat gigantem qvendam (Belium forte) Gerdæ fratrem *Sk. F.* 16 (cfr. *Beli* s.); vocatur Beli occisor *VSpá* 48. Freyerus Lidskialfam ascendit & Jotunheimos oculis lustrans amore Gerdæ conflagrat *Sk. F.* introd. str. 4-7. sq. Missio Skirneri (procationis gratia) qvi eqvum & ensem Freyeri dono accipit str. 8-9 & sq. (Vide *Gérdur, Skirnir*). Freyerus illius missionis successum percontatur & inaudit str. 40-42. — Gerda ejus uxor fuisse dicitur *Hyndl. L.* 29. Freyerus inter AEgeris hospites in famoso ejus convivio *ÆEg. Dr.* introd. Illius cum Lokio altercationes str. 41-42. Vocatur *Ingunar-Freyr* str. 43. Ultimum ejus cum Muspellianis certamen commemoratur, cum ense se destitutum sentiet str. 42. Freyeri conflictus cum ipso Surto *VSpá* 47. 48. Ipsius pediseqva sive armiger, olim etiam ejus in juventute socius, Skirnerus fuit; *Sk. F.* 5. cfr. *Skírnir* i. Alter ejus famulus & famula, vid. *Beyggvir, Beyla* s. Sigurdus Fafnericida vocatur Freyeri amicus S. III. 22.

Ynglinga-Saga, anthropomorphicas medii ævi historicorum traditiones vel opiniones (e veterum poëmatibus formatas) lubenter seqvens, hæc de Freyero refert: Cap. 4: "Dum apud Vanos (populum) degebat Niordus, sororem suam habuit uxo-

---

cruentas gerens); — hæc fictio forte orta est a sangvineo cæli rubore qvi solem orientem vel occidentem interdum comitari videtur. Verris ille pro solis symbolo manifeste habitus fuit qvum de eo dicatur: qvod semper per aëra & aqvas cursum teneat & ingens ubiqve lumen effundat &c.

*) E prisco Borealium more uti antea observavimus. De donis infanti recens nato pro nominis arrha oblatis (ex aliqva parte prædiis vel oppidis) vide H. II. 7, 8. (obs. 21). Cfr. *Álfheimr* s.

**) *Ballridi* proprie forsitan *sphæra altivola* a *Bavllr* sphæra & *rida* in sublimi versari. Freyr sive Sol, astrorum dux, eorum optimus rite censebatur.

rem, legibus ibi id permittentibus *); ex qvo conjugio nati erant Freyerus & Freya, ast apud Asas ejusmodi cum consangvineis interdictus erat concubitus. Niordus dives & filius ejus Freyerus Odino & Asis (ejus asiaticæ genti) a Vanis, illorum popularibus, obsides sunt traditi. Niordum & Freyerum Odinus constituit sacrificiorum antistites, et ii apud Asas Dii *(Diar)* habiti (vel vocati) sunt." Cap. 5: "Odinus terras in Svecia nactus templorum antistitibus optima habitacula dedit, et Freyero nempe Upsalos **) (sive Upsalum)." Cap. 12: "Mortuo Niordo, Odini in imperio succesſore, Freyerus regni habenas cepit, qvi Svionum salutatus Dominus, ab iis tributa recepit. Is in Upsalis magnum exstruxit templum, qvod etiam oppidum sedem suam statuit primariam, cuiqve omnes suos reditus, prædia et bona asſignavit nobilia, unde ortæ sunt Upsalenses sic dictæ divitiæ (*Uppsalaaudr)* qvæ postea semper mansere sartæ tectæqve. Eo regnante pax erat Frodensis (sive Frothoniana) ***) qvo tempore annonæ ubertas universum beavit orbem. Hanc Freyero Sviones tulere acceptam, qvi eo majori, præ cæteris Diis, veneratione est cultus, qvo ditiores, eo vivente, cives atqve colonos reddidit pacis & annonæ felicitas. Gerda Gymeri filia dicta est ejus uxor, filius eorum Fiolner [postea Rex Sveciæ & Ynglingorum principum propater]. Freyerus alio nomine dictus est *Yngvi* ****), qvod nomen diu postea, inter ejus posteros, pro eximio honoris titulo est habitum, omnesqve ex ejus prosapia orti Ynglingi dicti sunt. Morbo correptus est Freyerus, qvo ingravescente id iniere consilium ejus amici, ut pauci ad eum admitterentur, ipsi interea occupati in tumulo magno congerendo, cui janua tresqve erant fenestræ. Freyerum mortuum in tumulum clam tulere, ubi per triennium eum custodiebant, coram Svionibus eum vivere asſerentes. Censum autem omnem tumulo ingesſere, per unam fenestram aurum, per

*) Cfr. *ÆEg. Dr.* 36. Fratris cum sorore conjugium (in mythologia veterrima ubicunqve occurrens) olim revera licitum ducebatur a regiis familiis inter Persas, Medos, indigenas Ponti & pl. E vicinis regionibus et Gotho-caucasia stirpe primi Scandinaviæ incolæ orti fuisſe traduntur et videntur.

**) Cfr. ea qvæ de hujus nominis significatione observavimus in art. Fensalir s.

***) Cfr. *Yngl. S.* Cap. 14. Eddæ nostræ H. II. 13. Saga *Ol. Tr. S.* Ed. Skalh. II. 194. Saxonis Hist. Dan. Lib. 5. it. *P. E. Müller Critisk Undersögelse af Danmarks og Norges Sagn-Historie Khavn.* 1823. pag. 64-66.

****) Cfr. eddicum illud *Ingunar-Freyr* (nobis ignotæ originis) *ÆEg. Dr.* 43. Thiodolfus Hvinensis (poëta gentilis sec. 9.) in Thorsdrapa sua Asas vocat *œttir Yngviſreys* (Yngvio-Freyeri gentes). Eyvindus Skaldaspiller Deum hoc nomine indubie indicat, cum Haconis comitis hostes (Jomenses, Venedos & Danos) nocivos Yngvio-Freyeri adversarios appellet. *Hkr. S. Ol. Tr. S.* Cap. 43. Cfr. hujus operis II. 895 in ind. nom. propr. art. *Yngvi*. Thiodolfus ille, in carmine *Ynglinga-Tal*, hos principes vocat Freyeri sobolem *(Yngl. S. C.* 23).

alteram argentum, per tertiam nummos æreos, manente interea pace atqve annonæ ubertate." Cap. 13: "Sviones cuncti mortem Freyeri edocti, cum pacis tamen atqve annonæ maneret felicitas, eandem perpetuo mansuram crediderunt, qvamdiu in Svecia ad esset Freyerus. Hinc noluerunt eum cremare sed mundi [vel orbis terrarum] Deum appellarunt ac pro annonæ pacisqve felicitate omni seqventi tempore adoraverunt [vel sacrificiis coluerunt]." Memorat qvoqve Saxo (Hist. Dan. Lib. III.) *Frö* Deorum satrapam sedem haud procul Upsala cepisse & veterem litationis morem "tot gentibus ac seculis usitatum" mutavisse. Haddingum Danum *Frö* Deum adorasse alibi refert. — Multa locorum propria nomina in Dania ab eo orta videntur e. gr. medii ævi *Frös Herred*, *Fredorp* &c.

Freyerum, non modo a Svecis sed etiam a Norvegis & Islandis religiose cultum fuisse, multæ veterum relationes testantur. Hæc præsertim physici numinis cum historico homine singularem confusionem copiose monstrabit. Est desumta ex hist. Olai Tryggvini, gentilis Norvegorum religionis acerrimi persecutoris *): "Nunciabant Regi Thrandos denuo ad cultum Freyeri, cujus idolum adhuc integrum servatum, relapsos esse. Hæc cum in convivio qvodam, parte procerum præsente, percepisset, vehementer commotus hanc eis statim culpam imputabat. Sed cum non esset defensio promta, nec confessio tuta, hæsitantibus imperavit, ut defensionem a contemptu idoli peterent, idqve statim confringerent. Id cum præ pristina reverentia consvetoqve cultu minus a se impetrari regererent, ipse in seqventem diem conventum publicum indixit, seqve idem idolum condemnaturum, mox etiam confracturum minatus est. Inde Rex cum suo satellitio, ab alia parte in sacellum, ubi idolum colebatur, magna contentione pergebant, priorqve Rex litori appulit. Errabant ibi in pascuis eqvi idolo sacri **), qvos Rex cum comitibus adscendebant et iis ad lararium vecti sunt, ingressiqve idola omnibus sedibus dejecerunt, statua autem Freyeri in locum conventui dicatum translata, sanumqve regio jussu clausum est. Illi ad sacellum serius profecti cladem damnumqve Diis illatum cognoscebant, Freyerum autem desiderabant. Inde ad forum præcedentes Regem jura reddentem & qvæ in publicum spectabant cognoscentem exspectabant, qvibus peractis Freyerum tentorio efferri inqve publicum produci

*) Ed. Skálh. II. 190 sq. Torfæo eandem latine vertente in Hist. Norv. II. 410 sq.

**) Uti alibi Soli & solaribus Diis. Similia leguntur de eqvis Freyero sacris in *Vatnsdæla* (p. 140) *Saga Hrafnkels Goda* (Cap. 2. 3. 11.) &c. Similes mores & Germani & Slavi fovere, Deos noctu iis jumentis vehi opinantes. Varias superstitiones de eqvorum cura in Jolensi festo (Freyero olim sacrato) præcipue habendâ, adhuc in nostro septentrione non eradicatas, alibi demonstrare conabor.

jusſit, qvæsivitqve, qvid in trunco illo divinum observarent? Regesſere illi magnam ejus potentiam hucusqve agnitam; jam vero cultu omnium, auctore Rege, destitutum, iratum populo, non ut antea cum civibus colloqvi, oracula reddere *), futura prædicere, annonæ ubertatem pacemque donare. Rex horum nullius eum auctorem fuisſe respondit, sed juratum humani generis hostem, in trunco locutum; nec iis aliud donasſe, qvam qvod aliis prius abstulisſet; conversusqve ad idolum: si vel isti, vel ei, qvi hucusqve obsedisſet, malo genio, vires ullæ ad resistendum suppeterent, ut iis jam adversus se uterentur, obsecravit. Mox brachium (statuæ) securi amputavit; reliqva deinde concidit, comminuitqve. Perfidiam deinde civium exsecratus, unde hic Freyeri cultus originem traxerit, exposuit. "Freyerus" inqvit "unus potentisſimorum Sveciæ principum fuerat, post excesſum magnifico tumulo, ingenti popularium luctu, illatus. Nec contenti erant cives solis exeqviis: vivos homines in solatium ejus una tumulo inferri placuit. Verum qvamvis esſet omnibus dilectisſimus, nemo tamen illud officium ei exhibere sustinuit. Placuit ergo effigie hominum statuas binas ligneas, qvibus se mortuus oblectaret, tumulo fenestris tribus distincto inferri. Tributa annuusqve census, qvi vivo Freyero in recompensationem pacis annonæqve proventus, pendi solebat, triplici monetæ genere injecta sunt; auream prima, argenteam secunda, æream tertiæ recepit **). Triennium hoc tenuit, indigenis plerisqve mortuum ignorantibus, sed annonâ et pace populum beante. Ut vero mortis ejus cognitio inolevit, nec tamen fertilitas, qvæ vivo divinitatis opinionem conciliaverat, ulla ex parte imminuta videbatur, eum omnium bonorum auctorem datoremqve agnoverunt, corpus ejus cremare nolentes, sed mundi numen vocantes eum longo tempore sacrificiis, sed clauso tumulo, coluerunt. — Post longi temporis decursum fuere qvi opum cupidine illecti, tumulum, jam clausis etiam fenestris, aperirent. Verum qvi per catenam in penetralia collis ad auferendum thesaurum demisſi erant, panico terrore repente percussi, statuas tantum ligneas rapuerunt,

*) Freyerus interdum hominibus in somniis apparuit, futura præsagiens e. gr. *Viga-Glums S.* Cap. 26.

**) In regno Indiæ continentali *Nepal* dicto, proceres defuncti cum amplis divitiis inhumantur & in sacris locis subterraneæ caveæ formantur, qvorum variæ cameræ auri, argenti &. æris coiam, e donis vel tributis populi collectam, continent. *Asiat. Researches* I, 311, 312, 314. Alioqvin borealis hujus mythi summa vetustas elucet ex Herodoti IV. 95-96, qvum de Getis scythicis & eorum Zamolxi vel Gebeleizi sermo sit: "E Thracum conspectu subductus fuit, descendens in subterraneum ædificium, ubi circiter triennium egit, desiderantibus eum Thracibus ac deflentibus tanqvam morluum. Qvarto anno se eisdem in conspectum dedit, atqve ita credibilia sunt effecta qvæ illis exposuerat" (de immortalitate animarum).

qvas extracti sociis exhibebant. Aliam Sveci sibi retinentes religiose sub Freyeri nomine colebant, aliam huc in Thrandiam miserunt, qvæ hucusqve similiter illius specie religiose culta est *); qvæ autem ipsi Sveci frugum, fertilitatis cæteraqve pacis munera ipsi adscribebant, eadem Dani Frodio (sive Frothoni) Pacifico Regi suo accepta referebant. Imperabat tunc orbi Romano, ut prisca tradunt monumenta, Cæsar Augustus, sub qvo Christus, Dei omnipotentis omnipotens filius natus est, ut omnium bonorum, ita etiam illius pacis auctor datorqve, a qvo ego vobis missus sum ad exstirpandam, qva hucusqve obcæcati estis, idololatriam &c.". Complures verbis Regis assensum præstabant. Interea militum regiorum Christianorumqve agmina magna occulte a Rege undiqve viciniâ excita accurrebant, qvibus cum apostatarum vires neqvaqvam sufficerent, causam omnem arbitrio Regis commiserunt".

Freyerus certe in Norvegia religiose cultus fuerat seculo 9^no^ currente. Id monstrant veteres historiæ e. gr. *Landnáma*, *Vatnsdæla* & pl. *Kiötvius Dives*, unus procerum qvi Haraldi pulchricomi imperio acerrime obsistebant, sed in pugna Hafursfiordensi cæsi sunt, Freyeri idolum, sive tesseram argenteam id repræsentantem, semper secum portaverat. Rex Haraldus, idololatriæ minime deditus, cimelium illud, inter spolia bellica repertum, dedit fido cuidam inter suos bellatori, Ingemundo nempe. Is aliqvando postea, pro seculi more, sagam qvandam Finnicam de futuris suis eventis consultavit, cujus oraculum prædixit ipsum in Islandia esse habitaturum. Ingemundus incredulum se gerens, id responsum accepit: qvod in effati veritatis testimonium

*) Hæc tota relatio Norvegis ipsis olim omnino incognita fuisse videtur; Hi sane Freyerum, uti anni, annonæ & pacis coeleste numen in ipsius symbolica & oracula (per varia signa) edente effigie adorabant. — Sveci nihilominus Freyerum qvendam inter primos suos principes sive hierarchas numerarunt; vide *Ynglingatal*, *Ynglinga Saga* & alia varia eorum vernacula chronica (qvos fontes Snorro Sturlæus, in Vestro-gothia degens, verisimiliter ad manus habuit; cfr. *Benzelii Monum. hist. vet. eccl. Sviogoth. pag* 66. *Scriptores rerum Svecicarum* (Holm. 1818.) ubi *Froyer*, *Froy* vel *Froe* filius *Neorc* (i. e. *Neort*, *Njordi)* variis modis est appellatus, his qvoqve additis: "Hos ambos tota illorum posteritas ut Deos venerata est". De singulari Freyeri cultu in Svecia, circa exitum sec. 10mi, vid. *Saga Ol. Tr. S.* Ed. Skalh. II. 122 sq. Ibi ejus idolum, fabrili artificio insigne, a viro humanæ indolis interdum obsessum fuisse videtur. Putarunt incolæ ei sermonem et rationem propriam esse; eidem non solum cibaria & dapes, sed etiam concubinam, qvæ ipsius templi fuit antistita, perpetuo ministrabant. Hiberno tempore hic Freyerus cum ipsius hierodula curru vehebatur ad singula regionis oppida vel prædia, ubi lautis conviviis & sacrificiis exceptus est, ut annonæ levamen populo indulgeret p. p. Eodem fere tempore Islandi gentiles, e Norvegia aufugituri, Freyero votum dedere, ut ei pecuniam & certam cerevisiæ (convivialis) mensuram, si inde in Sveciam navigare possent, offerrent (ibid. II. 86).

idolum Freyeri ex ejus crumena disparuerit, eumqve id nullibi, nisi in Islandia, ubi futura ei mansio constituta, reperturum fore. Is revera argenteum suum Freyerum se desiderare simulans, paullo post duos fatidicos Finnos mercede locavit, qvi nova oracula edentes se magica vectura in Islandiam profectos esse dicebant, ubi qvidem illud simulachrum viderint, sed capere non potuerint, qvum ipsum Ingemundi adventum certo loco exspectare deberet. His factis Ingemundus a Rege Haraldo veniam in Islandiam abeundi, uti sibi profecto necessariam, expetiit & obtinuit. Ingemundus postea in boreali insulæ parte ac loco amoeno et rurali habitationi apto, idolum illud reperit & magnificum templum ibidem Freyero exstruxit, cujus sacerdos factus Vatnsdalensium, suæ coloniæ adscriptorum, præfecturam simul administravit. Qvis non in illis omnibus eventis facile recognoverit hominis astuti inventa, ne ob iter in Islandiam constitutum Regis iram vel popularium odium sibi parasset, qvum id a fatis vel Freyeri numine ei stricte mandatum haberetur? Cæterum ex hac relatione concludendum, qvod Kiotvius ille dives divitias suas Freyeri gratiâ acqvisiisse putatus fuerit*), et Ingemundus insuper, ex vulgari opinione; cum sacro illo idolo prosperam acqvisierit sortem, cum qva etiam nova, in fertili solo ac terra nuper inventa, habitatio ei contigerit. Ipse Ingemundus dives & potens in Islandia evasit, & fatis defunctus apud solis auctorem vel dominum**) felicem ac immortalem vitam agere a filio ejus prædicabatur. Occurrit adhuc Freyeri nomen in fabulis vulgi Norvegici. Vid. e. gr. *Gurri Kunnan, et norsk Eventyr* (*Frigga* 1813. p. 97):

Min Anfind og jeg vi flygted til Fröi,
Han var os saa huld og tro,
Han skjænked os denne favre Öe.

Primi incolæ Islandiæ, insulæ mari glaciali vicinæ, ob soli & coeli asperitatem, Freyeri, solis & fertilitatis Dei, clementi patrocinio se commendare maxime necessarium duxerunt. Sic coloni, e Norvegia & aliis septentrionis regnis egressi, multa Freyero in Islandia exstruxere delubra,

*) Ut etiam Egillus Skallagrimi de Arinbiorno Hersere ceciuit (*Egla* Ed. Havn. it. *Skállda* l. c. p. 104). Soli inter metalla aurum, cum ejus splendore comparatum, omnes vetustatis populos adscripsisse, notissimum est. Simili modo divitiæ Solis numini, terras foecundanti & greges ac homines nutrienti, adtributæ fuerunt, & ab ipso donari putatæ. Huc spectant varia nomina Freyero a veteribus Islandiæ gentilis vatibus adscripta e. gr. *Landkostar árr* (terræ frugum sive annonæ minister aut dator) p. p.

**) Verisimiliter Freyerum ipsum, solis & pacis (atque igitur pacificæ vitæ et ejus virtutum) Deum, nisi Surtum, solis primarium auctorem, et coelo Gimle imperantem, præferre malimus. Similia de Thorkillo Manio, gentili Islando, relata sunt. Vid. *Landnama* Ed. Havn. p. 19. & *Vatnsdæla* ed. Werlauffii.

ipsius cultui religiose dediti. Hic etiam ejus patri Niordo, aëris & aqvarum Deo, non minus rite contigit. Per hæc ambo numina, Odino sive Thoro sub omnipotentis Asæ nomine addito, Islandi gentiles e legis mandato jurare solebant *). Festum Jolense Freyero certe sacrum fuit ac pace ejus religiosa sancitum **). Aliud qvoqve speciale festum Islandi, hiberno tempore ipsius clementiâ præcipue egentes, ipsi dicavere, solemnia nempe hyemem præcedentia (*Veturnátta-bod*, qvæ *Freyblót* alio nomine dicta esse videntur) ***). In templo cjus Vatnsdalensi arma gestare non licuit; — aliud ejus delubrum, situm in villâ Thvera (*Þverá*) talem sanctitatem prædio ipsi communicavit, ut nemini homicidæ vel exlegi homini ibi degere liceret "nam Freyerus (pacis publicæ Deus) id non permisit" ****).

Singularis Freyeri in Islandia cultus permulta exempla habentur. In ejus potestate præcipue putabatur fundorum & prædiorum distributio et tutela, qvam ob causam tauri ipsi mactati sunt & sacrificialia convivia instituta. Amicis vel cultoribus eum favere, sed istorum hostes perseqvi, vulgaris erat opinio *****). Multi ipsi eqvos sacrabant, qvibus nomen *Freyfaxi* addi solebat; hi sacrificio non fuerunt adhibiti sed usui Dei et possessoris solummodo destinati †). Tales animalium in idolorum honorem dedicationes leges christianæ postea graviter prohibuere, sed mos similis apud Mongolos et Calmucos hucusqve acceptus esse dicitur. — Eqvi & tauri æqve utiles habentur pastoribus et agricultoribus, & eorum communi vel terræ fertilitatis universali Deo (Soli nempe) sæpissime sunt sacrati ††). Norvegi

*) Hæc nempe eorum jurandi formula: "Juro ad annulum juramentum legi conforme; — ita mihi propitius sit Freyerus, Niordus & omnipotens ille Asa!" v. *Landn.* Ed. Havn. p. 299. Qvum qvidam eo tempore Odinum Deorum omnium maximum duxerint, alii autem Thorum, ambigua ista de Deo omnipotente formula verisimiliter fuit inventa.

**) Hæc vulgo dicebatur *Jólafridr* (pax jolensis) certo dierum numero adscripta. In legibus recentioribus Sveciæ & Daniæ vocatur *Julfrid*, *Julefred*. Freyeri nomen italice Saturnus verti potest; non igitur mirum qvod illius festum præcipuum respondeat Saturnaliis.

***) *Saga Gisla Súrssonar* Cap. 15. Cfr. Sax. Hist. Dan. Lib. I. "Hadingus propitiandorum numinum gratia Frö Deo rem divinam furvis hostiis fecit. Qvem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum, posteris imitandum reliqvit. *Fröbloth* Sveones vocant." Illa historia Cap. 18 memorat vulgarem traditionem de tumulo sepulchrali Thorgrimi sacerdotis, qvi meridiem versus hyemali frigore nunqvam afficiebatur, qvod qvidem vulgus putabat ita fieri propter multa sacrificia qvæ defunctus ille in vivis obtulerat Freyero, qvi eum tantopere dilexit, ut frigora inter eos sævire minime (solis Deus) siverit.

****) *Vigaglúms Saga* Cap. 19. (Ed. Isl. pag. 218).

*****) *Vigaglúms S.* Cap. 9. *Droplaugarsona* Mscr.

†) *Vatnsdæla* l. c. *Saga Hrafnkels Freysgoda* Mscr.

††) Eqvus præterea (uti ante observavimus) solem symbolice repræsentabat, taurus autem sæpissime vernam ejus efficaciam, agriculturam in coelesti tauri signo provocantem, p. p.

navigantes de Freyero sperabant auram prosperam, sed Islandi eum opinabantur istam effecisse tempestatem, qvæ Stefneris, christianismi prædicatoris, navigium perdidit *). Islandi insuper ei adtribuebant frigoris vel glaciei attenuationem, qvæ interdum homines ei exosos aqvis suffocavit **), sed sæpissime tamen terras ipsius fidis sectatoribus arabiles vel fertiles reddidit.

Videmus e fragmentis Husdrapæ (*Skálda* p. 104) cum Laxdæla collatis, qvod Freyerus ipse ita repræsentatus fuerit in sculpturis pictis, ædem Olavi Pavonis (magnatis Islandiæ gentilis) olim ornantibus:

Vehitur primo ad arcem Odini filii ***).
Verre aureis setis prædito
Pugnandi gnarus Freyerus
Agmina (coelestia) ducens.

Monstravimus antea Freyerum in Edda nostra dictum esse Asarum principem sive primipilum, ducem deorum p. p. Hæc ad ungvem conveniunt populorum orientalium, Græcorum & pl. nominibus Soli impositis; Stoici eum e. gr. appellabant Deorum principem & Ducem, ut cætera taceam. A sole foecunditas terræ donatur, et illius numen ob eam causam ab hominibus fuit adoratum & variis modis, uti fertilitatis origo, symbolice repræsentatum. Hinc AEgyptiorum Osiris, Phoeniciorum Baal-Peor, Indorum Shiva, Græcorum Bacchus & Priapus ingenti phallo instructi pingebantur. Similes ideas a qvibusdam boreæ nostræ gentilibus incolis receptas fuisse e variis monumentis cernimus. Sic, sine dubio, Adamus Bremensis idolum Freyeri Upsalis cultum describit (De situ Daniæ pag. 152). "*Fricco* ****) pacem voluptatemqve largiens mortalibus. Cujus etiam simulacrum fingunt ingenti priapo. — — Si nuptiæ celebrandæ sunt immolant Fricconi". Hic *Fricco* sive Freyerus, a Germanis cultus, ad annum usqve

*) *Kristni-Saga* Ed. Havn. pag. 36, 37.

**) Exemplum offert *Droplaugarsonsaga* Mscr.

***) Arcem hanc significare puto pyram Balderi (Odini filii) exeqvialem, qvum talis etiam arx vocetur aliis eddicis carminibus (vide hujus operis T. II. p. 240, 258, 590). Alii codices habent, "Odini filius", qvod etiam Freyerus appellari potuit, cum Odinus omnium Deorum pater dicatur. — Monstravi alibi Eddæ junioris relationem de Baldero ad carminis illius normam compositam fuisse; vide supra pag. 298. *Bidrag til nordisk-Archæologie pag.* 30. sq. *Den ældre Edda* II. 45 sq.

****) *Fricco* verisimiliter depravatum est e sveco *Frigod* vel *Freigod* (Freyus Deus). Adamus alias Friggam &. Freyam eandem cum illo Fricconē sive Freyero esse putavit — uti omnium horum origo communis fuisse videtur, si omnis mythologiæ principium respiciamus. Hermaphroditica veterrimi orbis idola satis nota sunt, e coeli & terræ aut solis & lunæ symbolis composita. Hinc antiqvarum gentium *Baal* & *Baltis* (vel *Tholad* & *Tholath*) *Mithras* & *Mithra*, *Aphroditos* & *Aphrodite*, *Liber* & *Libera*, *Phoebus* & *Phoebe*, *Dianus* & *Diana* p. p. qvibus nostratium *Freyr* & *Freya* exacte respondent. Cfr. *Freyia* s. *Frigg* i. it. S. Thorlacii Ant. Bor. Spec. IV. p. 208.

1734 spectabatur in lapide exsculptus Emenzheimi in Nordgavia, inter reliqvias templi pagani; fæmina ab altero ejus latere verisimiliter ipsius sororem Freyam indicavit *). De phallolatria veterum Borealium alio loco disqviremus. Inter inscriptiones Germano-Romanas hæc occurrit FREIO ET FRIATTO. (Cleffel. l. c. pag. 410). Saxonibus *Fredus* olim audiisse fertur, et Dies Veneris ei qvoqve sacer fuisse dicitur *(Galfredi Monumuth. Hist. Angl.* Lib. 5).

De origine & significatione nominis attulimus qvædam supra in articulo *Freya*. Non tamen reticendum est, qvod Deus *Freyr, Frei, Frö* idem esse videatur cum veterum AEgyptiorum *Fre, Frei, Phre* (ΦRH) qvi Sol vel Solis numen apud eos habitus fuit **). Vox ista forsitan cognata sit multis olim persicis, qvæ divinum vel sacrum ignem et ejus virtutes indicarunt e. gr. *Phra, Fra, Froba* ignis sacer, *Voh-Freian* ignis animalis, *Freueschno* vis vitalis. Cfr. heroem Persarum *Frevak* & uxorem ejus *Frevakein* ac multa alia qvæ huc spectare videntur. Nostratium Freyr Deus olim fuit prototypus viri principis vel nobilis, sed soror ejus Freya cujusvis illustris fœminæ. Hinc tales homines eadem nomina sive titulos usurpavere, & *Freyr* dominum sed *Freya* dominam significare ceperunt. Vocabulum *Freyr, Frei* hoc sensu convenit AS. *Frea* Dominus, Franc. *Fro,* MG. *Frauja* Indo-Birmanico &c. *Praw* ***). Cfr. *Freya* s. Hinc qvoqve orta esse videtur denominatio hominis liberi in lingvis germanicis *(freyer, freye* &c.).

Prima literarum runicarum ᚠ (sive F) insignitur nomine *Freyr,* & sic hicce Deus pro alphabetici ordinis uti alias solaris anni principio habetur, illic cæteras literas, uti hic cæteros menses ducens & gubernans. Litera illa alioqvin vocatur *Fé* ↄ: pecu, pecunia & simul ejusmodi divitiæ qvæ pro Freyeri singulari dono olim habitæ fuerunt. Hinc prima Runarum classis, sex literas continens, dicitur *Freys ætt* (stemma vel familia Freyeri). Cfr. nostram de Runarum origine disqvisitionem ad Eddæ hujus Vers. Dan. III. 86. 88.

Frid, Friþ (Frida ↄ: venusta) una novem Mengladæ nympharum, eroticæ, ut videtur, naturæ *Fiölsv. M.* 39. Vocabulum *fridr* originitus sonuit amabilis a *fria* amare, unde Dan. *frie* German. *freyen* &c.

*) Vid. *Falkenstein Antiqvitates Nordgavienses* Fol. Pag. 86. Tab. III. Auctor in iis figuris Osiridin & Isidem se reperisse credidit.

**) Vide de eo *Jablonsky* in *Prolegomen.* pag. 71. 110. *Panth. AEgypt.* I, 137. *Zoëga* de Obeliscis p. 159. *Hirt über die Bildung der ägyptischen Götter* (Berlin 1821) p. 17. An nomen *Phrouron,* Osiridi, Solis sive Nili numini adtributum, illi cognatum fuerit, mihi non liqvet. Cfr. *Creutzer Symbol.* I, 270. 275.

***) Hunc titulum Birmani Diis, principibus & sacerdotibus adtribuunt, *Asiatic Researches* V, 115. A Freyo & Freya permulta propria nomina veteres formavere, ut masculina *Freysteinn, Freygardr,* fœminina *Freydis, Freygérdur, Vefreya* & pl.

Numen qvoddam, *Freda* dictum, a priscis Saxonibus cultum fuisse fertur. Nomina fæm. *Frídur*, *Frída*, per se et in compositis (uti *Hólm-Frídur*) olim apud Scandinavos usitabantur.

Frigg, *Frygg* (Frigga) Dea inter veteres Scandinavos suprema, sic in Edda juniore descripta (pag. 10). "Uxor Odini nominatur Frigga, Fiörgvini filia. Hinc orta est ea progenies qvam Asarum familias appellamus, qvæ priscum illum Asgardum *) & ad eum spectantia regna inhabitabant. Cuncta ista stirps divinitate (vel bonitate) est celebris **). — Idcirco Odinus *Allfavdr* (universi mundi sive omnium ejus entium pater) jure vocari potest, qvod sit omnium Deorum atqve hominum pater. Terra filia qvidem ejus erat et conjux, ex qva primum condidit filium qvi *Asa-Thor* dicitur". Pag. 23. "Odinus supremus et antiqvissimus omnium est Asarum. Is cunctas res gubernat et qvamvis reliqvi Dii sint potentes, ipsi tamen omnes, ut liberi parenti suo, serviunt (vel subditi sunt). Ejus uxor est Frigga, qvæ etiam omnia hominum fata habet perspecta, licet vatici[illegible]a non promulget".

In recensu Asyniarum ita primo dicitur (pag. 36) "Frigga (earum) summa est; ea possidet oppidum (sive villam) qvod *Fensalir* dicitur, valde qvidem magnificum". Pag. 37. hæc de Lofna Dea referuntur: "Ea adeo benigna est et semet invocantibus indulgens, ut libertatem (vel veniam) ab ipso Pantopatre vel Frigga impetret viros & fæminas ad congressum conjugalem deducendi, licet antea prævetitum sit vel omnino denegatum." Pag. 36 & 37: "Fulla virgo crinibus solutis incedit, sed caput ejus vitta (sive ligula) aurea ornatur. Ea pyxidem Friggæ gestat (vel curat) et ejusdem calceamenta custodit" ***). Pag. 38: "Hlyna sive Hlina *(Hlyn Hlin)* ordinata est ad curandos illos homines, qvos Frigga ab aliqvo periculo vult conservare" &c. — — (Asyniam sive Deam) *Gná* dictam, Frigga, ad sua negotia gerenda, in diversos mundos ablegat. Ea eqvum possidet qvi per aëra et aqvas transcurrere potest et *Hófvarpnir* (ungulam jactans) appellatur ...****). Ab illius Deæ nomine id dicitur *gnæfa* qvod in sublimi (aëre) fertur." Percontationes Friggæ de fatis futuris Balderi, iter ejus ad hujus sui filii exeqvias & relatio de sindone sive peplo, ei a Nanna ex inferis missо, insertæ sunt supra in art. *Balldr*.

*) Coelum nempe, ê nostra interpretatione. Vid. *Ásgardr* s., cui hic ex Edda Snorroniana l. c. addendum: "Ibi Dii, et eorum prosapia habitarunt, indeqve multa eventa et res singulares tam in terra quam in aëre (vel coelo) contigere [vel inaudiebantur]."

**) Incertum nempe est num legere debeamus *godkunnug* an *gódkunnug*.

***) Qvæ de Fulla & Hlina alibi occurrunt suo loco inferius disqvirentur.

****) Adduntur strophæ ex carmine aliqvo jamdudum deperdito, e colloqvio Deæ *Gna* cum Vanis dæmonibus, qvi eam per aëra eqvitare spectabant.

Frigga in Skalda vocatur filia Fiörgyni, uxor Odini, mater Balderi, æmula concubina Terræ, Rindæ & Gunladæ *), socrus Nannæ, Regina Asarum & Asyniarum (vel Deorum & Dearum) domina Fensali, Fullæ et accipitris **).

Edda nostra his locis Friggam memorat: Appellatur filia Fiörgyni AEg. Dr. 26 ***) uxor Odini *AEg. Dr.* 26. *Sól. L.* 77. et Odinus ejus carisſimus sive jucundisſimus Divus *VSpá* 48. Opprobrat ei Lokius, qvod nihilominus Veum & Vilium, Odini fratres, olim sinu suo fovisſet AEg. Dr. 26. (cfr. *Ve, Vili* i.) Frigga cum Odino in Lidskialfo, summo coeli apice, sedet et omnes regiones oculis perlustrat *Gr. M.* in introduct. Frigga disſvadet Odino, ipsam consultanti, iter ei propositum ad Vaſthrudneri gigantis habitacula *Vaſthr. M.* 2. et ei discedenti valedicit 4. Adest convivio numinum in palatio *Vingólf Hr. G.* 23. Contristatur infaustis de Balderi morte ominibus *Vegt. Qv.* 3. Exigit juramenta et stipulationes ab entibus naturæ quod Balderum non violarint 4. Deflet in Fensalis ejus mortem & Valhallæ damnum *VSpá* 31 ****). Desiderat Balderum, in AEgeris convivio, Lokii conviciis irritata *AEg. Dr.* 27. 28. Friggæ cum Lokio altercationes 25-28. Noscit fata futura, etsi ipsa non eloqvatur 29 *****). Frigga Odini ipsius lethum deplorabit *VSpá* 48. Fabula de Frigga Agnarem educante & protegente sed Geirrodum ejus fratrem perseqvente — ac illius inde seqventes machinationes *Gr. M.* in introd. Frigga nympham Fullam, suam cistellatricem, in terras emittit ib. Frigga a gentili puer-

*) Qvæ tamen ambæ, uti Frigga ipsa, variæ sunt Terræ personæ allegoricæ vel poeticæ. Vid. *Gunnlöd. Rindur Jörd.*

**) Ad verbum *(valshams)*: exuviarum accipitris. Has Lokius in Skalda (pag. 113) ad giganteas regiones (Geirrödi habitationem) volitans usitasſe fertur. Freya alias similes exuvias posſidebat & Lokio qvidem mutuabat *Sn. E.* p. 81. cfr. *Þrymsqv.* str. 3. 4.

***) De isto nostræ mythologiæ hermaphroditico ente *(Fiörgynr* vel *Fiörgyn)* chaos sive terram primitivam significante, vide supra pag. 346.

****) Balderi interitum & Friggæ fletum solenniter commemoratos vel repræsentatos fuisſe puto in solstitiali æstatis festo, Junio mense currente. Tunc etiam Sorterupius, in disqvisitione mscr. supra laudata, Friggæ festum celebratum opinatur. Adonia Phoeniciorum, solemnia ejusdem indolis, in idem anni tempus incidebant. Tunc etiam Alexandriæ Adonis mortuus (uti Balderus noster) undis mandatus fuit, et tunc qvoqve Aphrodites vehementisſimus luctus omnem naturam implebat. Uti sangvis Adonidis certos flores tunc colorasſe fertur, sic etiam idem verisimiliter de Balderi et posterius de Sancti Johannis sangvine in nostro borea creditum fuit. Vide supra pag. 8. 9. 40. 294-97.

*****) Confer ea qvæ nuper excerpsimus ex Edda juniore pag. 23, ubi etiam hæc stropha allegatur, sed Odino attribuitur, qvamvis carminis *AEgisdrecka* recensiones, qvæ nobis supersunt, Freyæ eam adscribant.

pera adoratur *Oddr. Gr.* 8. Terræ navigium *) Odini uxori, fastuosæ & voluptuosæ, adtribuitur *Sól. L.* 77.

Saxoni Grammatico Frigga nostra, sub proprio ejus nomine, satis nota fuit. Is in Historiæ Dan. Lib. I & II. eam vocat Othini uxorem, priore loco mythum qvendam, ut historicam relationem, serio enarrans: de Frigga auream mariti imaginem furtive auferente, & adulterium pro auri illius acqvisitione committente **). In Lib. VIII. reperimus Pauli Diaconi narrationem de colloqvio Othini cum ejus uxore *Frigga* vel *Frea*, de victoria Vinulis vel Vandalis indulgenda. Anglo-Saxones Friggam adorasse feruntur sub nomine Friga, diem Veneris de ejus nomine *Frigedæg* appellantes, nisi hic rectius Freja nostratium præferenda — de cujus multifaria cum Frigga commutatione & communi forte origine nos supra egimus ***). Apud cæteros Germaniæ populos Friggæ cultus olim verisimiliter floruit, & *Frischia* slavonicarum gentium cum ea idem numen fuisse videtur.

Friggam Deam, Odini omnium patris uxorem, Terram vel magnam matrem symbolice significasse ****), e prædictis satis elucebit. Auctor præfationis in Eddam juniorem (pag. 5) de ejus cultu apud veteres boreales hæc, inter alia, loqvitur: "Observarunt terram vegetam et aliqva ratione vita præditam esse. Nec eos latebat eam, qvoad seculorum numerum, mire esse antiqvam et virtute propria validam; — hæc enim omnia viventia pascebat, atqve eadem mortua adqvisivit, qvapropter & certo illam nomine insigniverunt, genusqve suum ad eandem referebant." Terram porro, uti muliebre mundi nostratis principium & omnium terrestrium matrem, ab omnibus fere vetustatis populis cultam fuisse, neminem latebit. Sic Frigga nostra nomine & omine correspondet Phrygiæ Deæ (qvæ alias Rhea, Cybele, magna mater, bona dea p. p. appellatur) *****). Est Frigga vel Terra uxor Odini eodem modo ut Here vel Era aut Terra est uxor Jovis, Rhea Attini, Tellus (Indorum) Visnuvi, qvorum connubio om-

*) Cybele Rhea, magna Deum mater, in navigio sedens similiter repræsentatur. *(Creutzer Symbol. u. Myth.* II. 59). Liburna Isidis Germanicæ, forte ejusdem ac eorundem Hertha, cum illa navi conferri potest, uti lavatio qvotannis in festo solemni ambabus Deabus communis fuit. Ceridwen, Britannorum magna Dea, navigium qvoqve velis instructum usurpavit.

**) Hic fabulæ duæ, in scriptis Islandorum relatæ, de Friggæ connubio cum fratribus Odini in ejus absentia & de monilis Brisingici, per Frejam Odini amasiam, obscoena acqvisitione, in unam confusæ videntur.

***) Simili modo Græcorum Here & Aphrodite, Romanorum Juno & Venus in unam Deam interdum confusæ inveniuntur. Vide ex gr. *Creutzer Symb. u. M.* II, 564. 566.

****) Hinc qvoqve vocabulum poeticum *Frigg*, in Scalda occurrens & insulam (vel terram aut terræ portionem) significans.

*****) Prologus Eddæ junioris statuit Phrygiam (vel Frigiam) a Frigga nomen suum traxisse — et Asas simul a Phrygibus ortos. Fredegarus Scholiasta (auctor sec. 8vi) in continuatione,

nia terrena ortum & vitam debent. Cfr. supra pag. 353-355. Huc spectat ipsum nomen *Frigg*, *Frygg*, qvod eandem fere significationem præ se ferre videtur, qvam aliud *Freyia* (de qvo supra egimus pag. 354) et ejusdem qvidem originis esse ac Latinorum *fruges*, qvorum Dea porro *Frugeria* dicta fuit. Cfr. vers. Dan. I, 76-77, 214, 219. II, 306, 311.

Hinc seqvitur, Odini & Friggæ conjugium nil aliud fuisse qvam Coeli cum Terra frugiferam conjunctionem (qvæ Græcis ἱερος γαμος) sic etiam a Virgilio (Georg. II. 324) descripta:

Tum pater omnipotens foecundis imbribus *Aether*
Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, foetus.

Hic Aether pro Jove sumitur, Terra autem pro Junone, qvam sæpissime tamen veteres pro aëre, terram circundante, ceperunt, qvod similiter de priscis circa Friggam gentilium opinionibus accepimus. Deam terræ vel aëris nostratibus in coelo interdum degisse e variis patet circumstantiis, qvas hic enumerare superfluum foret. Sic Sveci ei attribuere videntur constellationem qvæ nobis audit Orionis baltheus, sed iis *Friggerock* colus Friggæ *) at rusticis Sælandiæ Danorum *Marerok* (colus S. Mariæ). Rhea sive Dea Syria colum inter res sibi adtributas numeravit, ut plures taceam. Hinc etiam aves certæ Friggæ adscriptæ, ut accipiter & alia, mihi jam non perspecta, qvam Skalda mscr. in avium denominationibus vocat *Friggiar-elda* vel *Friggiar-ælda* (ɔ: alumna, ut videtur, Friggæ). De terra e contrario agit mythus de sago sive sindone**) Friggæ ab inferis (Nannæ dono) post Balderi (solis hiberni) descensum ad Helam misso, uti supra (pag. 296) demonstrare conati sumus; relationem ei cognatam invenimus apud Herodotum Lib. 2. Cap. 122 de Rhampsiniti, AEgyptiorum Regis, descensione ad inferos et aureo velo, Cereris dono, inde ab eo ablato, in cujus rei memoriam festum solemne ab indigenis fuit celebratum ***).

Annalium Grégorii Turonensis, dicit Francos, cum Friga, vocatos Frigios, Asiam pervagantes in littore Danubii fluminis & oceani consedisse & in Europa Francorum propatres evasisse. Cfr. *Mone nordeur. Heidenth.* II, 119. sq. De Francorum cum Scandinavis cognatione cfr. T. II. pag. 888. De Phrygum & Thracum vel Getarum (ac simul Gothorum) & earundem gentium religionis multifaria cognatione, videatur ex. gr. *Creuzer* l. c. II. 295. & sq. In cæterum de his rebus consulenda sunt scripta doctissimorum historicorum *Suhm*, *Schoening*, *Vedel Jarlsberg*, *Vedel-Simonsen*, *Münter*, *Rask* & pl.

*) Cfr. art. *Freya* s. Vide porro *Ihre* Glos. Sviogoth. in voce *Friggerock*.

**) ɔ: *Ripti*, non autem collari, uti docet cl. *Mone* (l. c. I, 431) secundum versionem Reseniam, hoc loco perpravam. *Ripti*, *Ript* uti AS. *Rift* denotavit velum, peplum cet. Cfr. Gloss. hujus Eddæ II, 762.

***) Cfr. *Creutzer* l. c. II. 382 ubi fabula hæcce ab hieroglyphis, ad agriculturam spectantibus, orta censetur.

Ethnicismo ipso abrogato Friggæ memoria non penitus obsolevit. Sic variis modis ea occurrit in carminibus medii ævi ex. gr. in *Skida-Rima* Islandorum, ubi Frigga describitur tanqvam uxor Odini, œconomiam Deorum & Einheriorum Valhallensium sedule curans, et in cantilena qvadam heroica Danorum, ubi hæc verba occurrunt: *Give det Frigge, Frue og Thor!* ɔ: Id indulgeant domina Frigga & Thorus (Deus). Coelestis Friggæ (vel Frejæ) colus adhuc, uti supra observavi, a rusticis Sveciæ spectatur, & sic qvoqve de eorum in Friggæ honorem celebrata festivitate Sioeborgius loqvitur: "Ad locum Skatelöf in Smolandia adhuc invenitur tumulus, saxo olim figuris ornato insignis, dictus *Moderhög* ɔ: matris [magnæ] tumulus. Hic fertur Blenda, amazonum olim patriam valide defendentium ductrix, Friggæ solemni sacrificio pro victoria reportata gratias egisse, choreis mulierum saltantium circa tumulum ductis. In lacu vicino dicto *Odensſiö* (Odini lacus) *) ad vicum ejusdem nominis sito, amazones illæ postea lavacro se purgasse feruntur, qvapropter etiam, ad recentissima tempora, vicinæ fæminæ solebant in ipso mediæ æstatis (solstitiali) festo talem lavationem usitare & in tumulo cibaria immolare ac potum Diis vel dæmonibus libare."

Avem qvandam a Frigga nomen traxisse nuper observavimus; jam qvoqve monstrabimus herbam qvandam, qvæ olim Græcis & Latinis, ob aphrodisiacas virtutes & formam singularem, *Aphrodisæa* vel Satyrium dicta fuit, Friggæ etiam, primæ et summæ conjugii Deæ **), inter nostrates dedicatam fuisse et varias simul de illa herba superstitiosas opiniones, mox ethnicismum aut catholicismum, mox numinis adorationem aut mali dæmonis timorem redolentes, exempli gratia adferemus. Herba hæcce, qvæ in Islandia crescit, a diversis botanicis vocatur Orchis testiculata, maculata vel odoratissima aut etiam Satyrium albidum — sed varia ab indigenis nomina accepit qvæ gentilem cultum et inde desumtas opiniones de sa-

*) Nomen *Skatelöv* eandem (ut videtur) denotationem habet cum luco *Skatalundr* in qvo Odinus Brynhildam amazonem clypeis obcluserat. Vide Ind. nom. propr. T. II. pag. 890. In hoc loco Brynhilda Sigurdum recipiens Diis libavit (pag. 190-193. 264). Ad lucum illum svecicum & Odini lacum sita præterea spelunca est, qvæ adhuc appellatur *Odins Kyrka* vel *Puke-Kyrka* ɔ: delubrum Odini aut dæmonis infesti. *Siöborg Forsök till en Nomenclatur för nordiska Fornlemningar* (1815) pag. 60. 61. — Veterrimum Christianorum in Vestrogothia svecica templum situm est in loco *Friggerow* sive *Friggeråker* (ɔ: arvum sive ager Friggæ) qvi olim sine dubio magnæ illi Deæ sacratus fuerat. *Lagerbring Svearikes Historia* I, 539.

**) Hinc vocabulum *Frygd* (voluptas venerea) arctam habet cognationem cum nomine *Frygg*.

lubri plantæ virtute *) produnt. Vocatur nempe a) *Friggiargras* (herba Friggæ Deæ — & sic indubie isti adscripta vel sacra fuit) b) *Brönugrös* herba Branæ vel Brenæ, qvæ mythica fingitur mulier fuisse, e genere giganteo orta, & herbam illam heroi cuidam sed alumno suo, donavisse, ut ejus magicis viribus amores virginis regiæ adqvirere posset **). Non est vero absimile, qvod Friggæ nomine in Islandia christiana proscripto, planta etiam ita & in alios modos suum nomen mutaverit, nisi sic prius dicta fuerit a Britannis celticis in Islandiam emigrando delatis, denominatione ab illorum Frigga, *Brengwen* (alias *Ceridwen)* desumtâ. c) Varia nomina ad amores sive conjugium (cui Frigga fuit præposita) spectantia, uti: *Hiónagras, Hiónarót* (herba sive radix conjugalis) *Gradrót* (radix libidinosa) *Elskugras* (herba erotica) *Vinagras* (herba amica sive amicis propria). Apud Norvegos & Danos similes adoptavit appellationes e. gr. *Gillieurt* (herba venerea) *Huvendel* (animum — ad amores — vertens sive adtrahens), *Huvendelse-græs, Huvendelserod* (herba vel radix ejusdem efficientiæ). Hic porro Frigga & Brana, a gentilibus cultæ, in sanctam Christianorum virginem mutatæ videntur, qvum herba illa a qvibusdam dicatur *Mariæ Haand* (manus Mariæ) & *Mariklo* (ungula sive digitalis Mariæ). Alii herbam hanc appellant *Guds Haand* (Dei sive numinis manum) sed e contrario a qvibusdam vocitatur *Fandens Haand* (Diaboli manus), qvæ mutatio a gentilis vocabuli improbatione orta fuisse videtur. In Gothlandia hæc planta Baldero vel Freyero ***) olim forte sacra fuit, qvum jam a rusticis dicatur *Sanct Johannis Nyklar* (claves Sancti Johannis). De Balderi et Friggæ festo in sancti hujus viri solemnia mutato vid. supra pag. 7-9, 294, 299-300, 310 . . . Nomina Germanica: *Geilwürz* & pl. ac Anglica *Ragwort* et alia aphrodisiacam plantæ efficaciam indicant, sed mythicam tamen significantiam jam dudum (qvantum scio) perdiderunt. Cfr. *Freyia, Freyr, Fiörgyn, Fensalir, Javrd Gefión, Gunnlavd, Rindur.*

Friþ vid. *Frid.*

Frosti o: gelidus vel gelu ac frigora efficiens, nomen Dvergi e Dvalini coetu *VSpá* 14. Vid. Glosf. T. I & II voce *Frost.*

*) Hæc a medicis recentioribus agnoscitur; sec. 17mo currente electuaria ex ea distillabantur, inter præstantissima aphrodisiaca numerata. Orientales de orchide fovent similes opiniones, remedium pretiosum, qvod vulgo Salep vocatur, ex ea componentes. Cfr. celeb. nostri *Wendt* de eo nuper editam peculiarem disqvisitionem.

**) Videatur *Saga af Hálfdáni Brönufóstra* inserta Bioerneri *Kämpedåter*, Holmiæ editis & Mülleri nostri *Saga-Bibliothek* II, 636 & 59.

***) Sic a Serapi, foecunditatis inter AEgyptios deo, eadem herba vocatur Serapias vel Serapion, & qvædam ejus species orchis Serapina. Ipsa planta, a radicis cum testiculis similitudine (qvæ illas superstitiones verisimiliter inprimis produxit) accepit nomen Græco latinum ὄρχις & pl.

Frægr ɔ: inclytus, celeber. Nomen Dvergi clasſis secundæ VSpå 12. Vide Gl. T. I & II.

Fulla, Full, Fylla, Fyll (plena, satura abundans vel abundantia cet.) cistellatrix Friggæ Deæ *Gr. M.* in introductione. Hæc de ea habet Edda Snorroniana (pag. 36): "Qvintą Asyniarum est Fulla. Hæc et jamnum virgo est, crinibus solutis incedens et capite aurea vittâ ornato. Hæc pyxidem gestat (vel curat) Friggæ et calceamenta ejus custodit. Præterea consiliorum secretiorum cum illa est conscia." (Pag. 68.) Nanna ab inferis dicitur Fullæ annulum aureum digitalem misisse (pag. 79) in narrationibus Bragii Fulla numeratur inter Deas in Asgardia ad convivium AEgeri exhibito congregatas. Skalda (pag. 133): "Hic etiam audiri potest aurum a vitta Fullæ denominatum esse, qvemadmodum cecinit Eyvindus Skaldaspiller *):

Per omnem Haconis ætatem
Sol, Fullæ caput obnubens,
Splenduit poëtis in Ulleri
Navigii statione [ulna sive manu].

Vir gentilis Norvegus, in cantilena inserta Landnamæ (Ed. Havn. pag. 416). Fullam expresſis verbis pro terra sive ejus superficie sumsit, his nempe verbis: *Var ec þar er Errubeinn féll til Fullar:* Adfui, qvum Errubeinus in terram procidit **). Sic in hoc mytho Frigga pro aëris vel atmosphæræ & simul ipsius terræ domina capi videtur, sed Fylla ejus famula pro Græcorum Phyllide aut Chloride sive Latinorum Flora. De etymo vocis (ut videtur boreali) consule Gl. T. I & II. v. *Fullr* T. II. v. *Full.* Cfr. *Frigg* s.

Fundin, Fundinn (ɔ: inventus, repertus) nomen Dvergi e clasſe secunda *V Spá* 12. Cfr. *Finnr* s.

Fylgia, proprie: seqvela, comitatus sed dogmatice sive mythologice Parca, genius sive dæmon, qvemcunqve hominem et interdum integram familiam sive stirpem ***) continuo seqvens, sæpisſime tutelaris sed qvandoqve etiam infesta vel perseqvens. De tali dæmone sermo esse videtur H. I. (Tom. II. pag. 45, 48) qvi sub mulieris giganteæ specie, lupo vectæ et angves pro habenis usurpantis, festi Jolensis vespera (cum genii & spectra freqventisſime mortalibus

*) Cfr. *Hkr.* I. 167. VI. 35. Verti etiam potest: — "sol caducus Fullæ superciliorum campi" qvum hic alluderetur ad aureas lacrymas (roris guttas, coelesti lumine resplendentes) qvæ Freyæ alioqvin adtribuuntur.

**) Cfr. *Saga af Þorgils Orrabeinsfóstra* Mscr. et danicam ejus versionem a celeb. B. Thorlacio concinnatam (*Scand. Selsk. Skrifter*).

***) Hæc hodieqve in Islandorum sermone dicuntur *AEttar-Fylgia, Kynfylgia;* cæteræ simpliciter *Fylgia.* Huic vocabulo (qvum seqvelam denotet) oppositum est aliud *Forynia,* qvod jam pro prognostico supernaturali vulgo capitur, sed olim (uti Gunnarus Pauli observavit) genium præcedentem (uti *Fylgia* seqventem) indicavit. Tales genii in Islandia a vulgo superstitioso creduntur homines præcedere, eorum futurum adventum prænuntiantes, sed jam nihilominus *Fylgiur* appellantur.

apparere credebantur) Hedino Norvego in sylva occurrens et suum comitatum pollicitans, qvum fratrem ejus Helgium se mox fati decreto deserturum sentiret. Genius Attali, Attilæ sive Atlii, Giukungis infestus, Kostberæ, Hognii uxori, in somnio sub cruentæ aqvilæ specie apparet, et illius *Hamr* *) (forma sive exuviæ) dicitur A. M. 18 ejus qvoqve animum significans A. M. 19, qvi poetæ audit *hugr*, uti sæpe ejusmodi genii in scriptis veterum borealium. Hinc veterum *Hamingia* (Parca hominis tutelaris vel ei præ ceteris propria, de qvâ suo loco plura adferemus). Hæc Parcæ vocantur Disæ (*Disir*) e. gr. A. M. 25. vel etiám Nornæ (*Nornir*) e. gr. A. Q. 16 (funera alumnorum sive amicorum deplorantes) vel Hamingiæ (*Hamingiur*) *Vegt. Qv.* 5.

De hisce Borealium opinionibus vir summæ doctrinæ Joh. Erici scripsit peculiarem disfertationem (de Geniis) in suo Specimine Observationum ad antiqvitates septentrionales pertinentium Havn. 1769, cujus brevem epitomen Suhmius inseruit operi suo: *om Odin og den hedenske Gudelære* (1771) p. 226 sq. Hisce jam tantummodo addimus: qvod atavorum nostratium *Fylgia*, omine & nomine adhuc conservato, jam nunc reperiatur inter monticolas Moraviæ a Gothis meridionalibus procreatos. Hinc suum titulum accepit collectio qvædam vulgarium cantilenarum, qvæ in regione *Kuhländchen* usitantur **). Cfr. *Dís, Hamingia, Norn, Vœttir.* it. Gl. T. I. v. *Fylgi, ek Fylgi* & T. II. v. *Fylgd, Fylgia.*

---

*) Vide Observationem nostram ad Glosfarium T. II. pag. 653 ubi *Hamr* hocce monstravimus eandem esse vocem cum Finnico *Hahmo* (umbra sive figura hominis) & Islandis alias dici *Fylgia*, duplici qvidem significatione, aut nempe 1, secundinæ muliebres, aut etiam 2, genius familiaris. Superstitio Islandorum ibidem notata, de secundinis in ædibus sepeliendis, apud gentes Mongolicas e. gr. Calmucos simili modo invaluit, qvi etiam funem umbilicalem, certis ritibus disfectum, diligenter conservant & religiose colunt, eum ad omnia graviora negotia secum apportantes (*Menneskeslægtens almindelige Karakteristik* II, 137, 138). Mongoli alias (uti Persæ & pl.) qvemcunqve hominem habere putant duos genios, unum bonum sed alterum malum (*Bergmann Wanderungen* III, 55) qvod etiam qvidam gentiles Scandinavi opinati sunt e. gr. Gislaus Suri filius (*Saga Gísla Súrssonar* Cap. 22 &c.) Tuscos sive Etruscos eidem superstitioni firmiter adhæsisse, notissimum est.

**) *Der (die) Fylgie. Alte teutsche Volkslieder in Mundart des Kuhländschens* 1 *Band Wien* 1817. Hæc auctor in præfatione profert: "*In dem Kuhländchen lernte ich einen Geist kennen den die dortigen Landleute F y l g i e nennen, und der zuweilen erscheint um ihnen die langen Winterabende zu erheitern. Eine liebliche Mummerey, welche die menschliche Gestalt, künstlich verlängert, durch die Lage auf Händen und Knien und unter weissen Tüchern verbirgt, das höhere Wesen durch grüne und rothe Bänder und eine Art von Monden oder Schmetterlingsflügeln auf dem Haupte andeutet — bewegt er sich langsam und leise in die Versammlung, richtet sphinxenartig sich auf um landschaftlichen Lieder zu singen und kleine Gaben zu vertheilen, und beschliefst seine Rolle nicht ohne das*

G.

Gagnráþr vid. *Gángráðr.*

Gandálfr ɔ: lupinus vel angvinus dæmon, nomen Dvergi sive Alfi e coetu Modsogneri *VSpá* 11. (Edda jun. p. 16). Indicatur hic forte Alfus sive dæmon, qvi princeps putabatur angvium, qvi variis modis ad novisſima usqve tempora a superstitiosis rusticis Sveciæ, Norvegiæ, Lithuaniæ & pl. variis modis culti sive celebrati sunt. *Ganddlfr* alioqvin nomen fuit pluribus prisci septentrionis principibus. Vid. Glosſ. v. *Gandr* it. *Álfr* s. & *Jörmungandr* i. Cfr. Vers. Dan. IV. 233.

Gángleri unum ex Odini nominibus *Gr. M.* 45. Aut verti debet: gresſum (viatorum) fatigatione inhibens vel viatores fatigans, aut etiam: (viator) ambulatione defesſus. Hæc ambo de coelo, aëre sive tempestate vel eorum numine, facile dici possunt. Hoc nomen sibi adscivit Gylfius, Asgardiam visitans; Edda jun. p. 2, 77. Observavit Grimmius nomen *Gancler* vel *Ganclero* viro Germano proprium fuisſe circa annum æræ nostræ 760. Cfr. Glosſ. T. I. it:

Gángráðr ɔ: gresſum moderans sive dirigens — nomen, qvod Odinus, Vafthrudnerum gigantem visitans, sibi adtribuit. *Vafthr. M.* 8 & sq. it. *Gr. M.* 45. Edda jun. p. 24. (pro nostri *Gángleri* secundum editionem svecicam). Hoc nomen summo jure ei numini, qvod coeli, aëris & anni motum moderatur, adscribi potest *). Lectiones variantes præferunt *Gagnráðr*, qvod varie vertendum erit, sic nempe a) commoda consilia promens (â *gagn* commodum, progresſus, victoria) b) contraria sive infesta consilia edens â *gagn*

Bild einer dem Menschen befreundeten Gottheit in den Gemüthen zurückzulassen. — — Ich irrte darin nicht, dass ich die Idee selbst für die älteste poëtische jener Landleute und für unschuldigen Ueberbleib von dem Naturdienste ihrer Väter erklärte; denn Fylgien nannten die skandinavischen Völker ihre Schutzgeister die sie, nach ihrer Meinung, überall hin begleiteten. Wie aber aus dem germanischen Norden Fylgien in das Kuhländchen gekommen seyn, und warum sich hier gerade nur weibliche erhalten haben — das darf, wenn es anders nicht unter die Geheimnisse des Geisterreiches gehört, vor der Hand wenigstens unerforscht bleiben". Minime miror populum a Gothis meridionalibus ortum, cum septentrionalium progenie easdem gentilismi ideas vel fictiones adhuc fovere. Ludum rusticorum Daniæ, Alfos obscuros repræsentantem, ex vetere nostratium mythologia ortum et huic non absimilem, memoravi supra pag. 326. In superstitione vulgi Norvegici Fylgiæ adhuc existunt vel singulis hominibus attribuuntur sed jam *Valdöger* & *Vardivle* appellantur, (*Wille Sillejords Beskrivelse* p. 253. *Basſöe over Rackestads Præstegjeld* &c. *Norsk topogr. Journ.* XVIII 106).

*) Sic Deus Janus putatur idem esse ac Eanus, ab eundo, cui forte consentit Virgilianum illud:

Deum namqve ire per omnes
Terrasqve tractusqve maris coelumqve profundum &c.

in compositis pro *gégn* contra &c. c) ut vult. doctisſ. Raskius (Ed. Holm. pag. 286) admodum sagax. Cfr. Gloſ. T. I.

Garmr canis immanis, antri Gnipensis ostium, ut videtur, tuens, qvi mundi interitu appropinqvante vehementer latrabit vel ulalabit *V Spá* 40, 51. Is dicitur canum maximus esſe *Gr. M.* 43. Edda jun. p. 45. Is (ut videtur) ab inferis obvius ivit Odino, illuc tendenti, pectore sangvinolento, rictu mordendi avido multum hians, latrans et baubans. *Vegt. Qv.* 6, 7. In ultimo Deorum conflictu (secundum Eddam juniorem pag. 73) Garmus canis, immanisſimum qvidem monstrum, cum Tyre Deo pugnabit, unusqve alterum interficiet. Canis qvicunqve ferus vel vorax *Garmr* poëtice dici potest & sic etiam duo ii appellantur qvi Gastropneris prædii arva tuentur *Fiölv. M.* 14. Alias *garmr* interdum pro fera qvavis rapace sumi videtur; sic ventus violentus & ignis nocivus, ejus in nostra mythologia frater, vocantur ambo *elris garmr* (vorax ligni perditor) &c. Ita canem illum puto significare streperam tempestatem poli borealis, sangvinolentis istius auroræ flammis conspersam, qvæ Tyrem sive Lunum in mundi nostri exitio devorabit. Garmus igitur idem videtur esse ac monstrum illud qvod alias lupo asſimilatur, et *Mána-Garmur* (fera lunam devorans) appellatur. Sic de eo Edda Snorroniana pag. 13. "Oreas annosa, in Sylva ferrea *(Járnvidr)* habitans multos parit giganteos (vel dæmoniacos) filios, qvibus forma est lupina. Traditum autem est memoriæ ab illa progenie potentisſimum qvendam exstiturum, cui nomen *Mána-Garmur;* hic etiam vita omnium morientium hominum implebitur et Lunam deglutiet, necnon coelum et terram cruore asperget. Hinc sol fulgorem deperdet, ventiqve fient inqvieti, atqve hinc inde murmura excitabunt. Ita autem rem declarat *Völuspá:*" (seqvuntur strophæ hujus odæ 36 & 37 ubi sermo est de immani illo lunæ devoratore sive detractore, moribundorum *) hominum vitali vigore repleto p. p.). Cfr. *Fenrir* s. *Mánagarmr* i.

Garmum forsitan veteres Sveci appellaverint ursam majorem in coelis, qvæ etiamnum ab eorum posteris vocitatur *Stor-Racken* o: Canis grandis sive maximus; cfr. *Gr. M.* 43. Sirius alias Islandis, Norvegis & Danis a vetustisſimis qvidem temporibus audiit *Hundastiarna* (stella canum sive canicularis) sed Islandis alio nomine *Loka-brenna* (Lokii incendium sive exustio ultima), qvod olim forte aliqvem ad fabulam de Garmo, Tyris hoste, respectum habuerit. Trautvetter Garmum sumit pro Cerberi constellatione **). Alioqvin Garmus noster infer-

*) Sic sine omni dubio vocabulum *feigr* (Norveg. *fej* AS. *fæg* Scot. *fey* &c.) vertendum, erit sed non solummodo de hominibus armis cæsis, qvod doctisſ. *Mone* statuere videtur l. c. I. 324.

**) *Asciburg oder die Germanischen Götter- und Helden-Bilder des Tacitus und der Edda als Sternbilder dargestellt. (Isis* IX. 1820).

nali illi Græcorum & Romanorum cani exacte correspondere videtur. Nomen *Garmr* derivatur a *Gérr* vorax, & ipse multum hiscere dicitur; sic qvoqve celeb. Hermann nomen Κερβερος interpretatur: "hiscius" & ipsum vulcanium sive ignivomum terræ craterem significare opinatur *). Tuentur Garmus et Cerberus inferni aditum et ambó in spelunca habitant p. p. Cfr. porro *Géri, Gnipahellir, Týr* & Gl. T. I.

Gastrópnir (hospites adclamans sive conclamans) ædes (ut videtur Mengladæ) qvæ semper stabit dum seclum superest sive humanum genus, adeo firmiter a Fiölsvido structa sive fulta *Fiölsv. M.* 13. Num allegorica hæcce fictio physicæ sit naturæ et qvidem eroticæ, an etiam denotet ædem hominum mundanam et denuo templum sive delubrum, ad ejus normam formatum, id jám in medio linqvimus. Vox composita videtur a *Gastr* pro *Géstr* hospes (German. *Gast* &c.) et *rópa, hrópa* clamare; vid. Gl. I, II, & III, v. *Géstr* & *Hroptr* it. Vers. Dan. III, 42, 59, 60.

Gautr, Gavtr nomen Odini *Gr. M.* 53. Verti potest a) observator a *gæta* custodire cet. b) Gothus κατ' εξοχην cum Odinus primus Gothicæ gentis conditor & propater haberetur **). Cfr. *Allda-Gautr* s. & Gl. T. I. pag. 514, 540.

*) *Briefe über Homer und Hesiodus* &c. *von Hermann und Creuzer* 1818 pag. 180. Mater monstri eddici *Mána-Garmr* dicitur fuisse *Gygur* (i. e. oreas) sed hoc ipsum vocabulum jam in Islandia denotat craterem ignivomum. Garmus fuit e familia Helæ et Lokii, Cerberus filius Echidnæ & Typhonis — qvæ omnia veteris mythologiæ entia indolem produnt eandem vel qvidem persimilem. Cfr. pag. 182 ubi Creuzerus sentit Cerberum de lupo AEgyptiorum mythico, Amenthem sive mundum infcrum tuente, formatum esse — sed plures gentes similem adoptarunt fabulam e. gr. Indi, qvi suo Plutoni, Jamæ nempe, adtribuunt canem *Cerbura* (i. e. maculatus, variegatus, qvi etiam, græci instar, triceps describitur. *Moor Hindu Pantheon* 1810 p. 304); Americæ septentrionalis indigenæ canem immanem vias ad defunctorum regiones periculosas reddere dicunt *(Jarvis Discourse on the religion of the indian tribes of North-America; New York* 1820). Hela Venedorum slavonicorum dira Dea canem sibi adscivit qvi *Mita* nominatur, et idem sic cum nostro Garmo est habendus. *Arendt Grosherzogliches Strelitzisches Georgium nordslavischer Gottheiten, Minden* 1820. *Mone Nord-Europ. Heidenth,* I. 210.

**) Cfr. Skalda pag. 195: "*Gotnar* (Gothones) sic dicti sunt a nomine Regis cujusdam qvi Gotho *(Goti)* fuit appellatus, a qvo etiam Gothlandia *(Gotland)* est denominata; illius vero Regis, nomen nomini Odini suam debet originem; sciendum enim est qvod *Gotland* sive (et) *Gautland* sit a nomine Odini deductum sed *Sviþiód* a *Sviþurr*, alia ejus appellatione. Ceterum illo tempore tota qvam is posfidebat, terra continens dicta fuit *Reidgotaland* (eqvestrium Gothorum terra) sed insulæ omnes Eygotaland (insularium Gothorum regio) qvæ tamen hodie imperio Daniæ & Sveciæ subditæ sunt". Eyvindus Skaldaspiller vocat Odinum *Gauta-Týr* o: Gothorum Deum. Odini nomen *Gautr* occurrit in fabula vulgi hodierni Norvegici poetice concinnata (in *Nyerups Frigga* 1812 pag. 96) oreadis verba referente:

Da kom fra Östen den mægtige Gout
Han dræbte min Fader med stærken Sout &c.

Géfión, *Géfiun* una Asyniarum, qvæ Aegeris convivio adfuere *AEg. Dr.* 19. Dicitur ab Odino seculi vel viventium fata æqve probe scire atqve ipsemet 21. Lokius ei improperat concubitum cum se vel alio candido aut lucido juvene 20.

Edda junior varia de Gefiona habet, sed duas hujus nominis mythicas fæminas statuere videtur. Primam indubie inter ipsas Deas sive Asynias collocat, qvam ita breviter describit (pag. 36): "Qvarta Asyniarum est Gefiona, et ei serviunt istæ mulieres, qvæ virgines moriuntur". Gefiona nominatur (pag. 79) inter Asynias in convivio Asgardiæ AEgeri instituto, ac qvidem in alio ab eo Asis parato (pag. 129). De alia Gefiona sermo esse videtur in primordio hujus Eddæ (pag. 1), ubi seqvens (Danorum certe) vetusta traditio his verbis inseritur: "Rex Gylfius (*Gylfi*) terras ibi regebat ubi nunc Svecia vocatur. De illo hoc memoriæ traditum est qvod fæminæ cuidam advenæ (sive ambulanti), propter exhibitam sibi oblectationem *) tantum arvi dedisset, qvantum qvatuor tauri uno die et nocte aratro eruere vel proscindere possent. Fæmina hæc erat ex Asarum genere, et Gefiona qvidem nominatur. Ea ex Jotunheimis (mundo giganteo) qvatuor accivit et adduxit tauros (sed qvi filii ejus et gigantis alicujus essent) eosqve aratro junxit trahendo. Vomer autem adeo latum et profundum fecit sulcum, ut terræ evulsæ magna portio exscinderetur, qvam tauri occidentem versus in pelagum usqve pertrahebant, donec in freto qvodam subsisterent. Ibi Gefiona terram illam collocavit, deditqve ei nomen *Sæland* **). Verum ubi exscisa fuit terra, remansit aqva qvæ nunc dici-

---

Sic ea qveritur de Ganto i. e. Odino, ipsius patrem trucidante & giganteum genus perseqvente ac ex Norvegia fugante. Noster *Gavtr* idem forsitan est cum Jornandis *Gapt (Gavt?)* qvem Gothi meridionales ferebant primum fuisse inter Anses (sive Asas) o: divinos heroes qvæ familiarum inter eos regiarum auctores fuisse credebantur. Jornandes de rebus Get. Cap. 13. "Gothi proceres suos, qvasi qvi fortuna vincebant, non puros homines sed semideos id est *Anses* vocavere. Qvorum Genealogiam ut paucis percurram . . . . ausculta. Cap. 14. Horum ergo, ut ipsi suis fabulis ferunt, primus fuit *Gapt*". In libris manuscriptis medii ævi p. pro v. vel u. facile a librariis perperam poni potuit, et sic etiam illud Gapt pro ingenuo *Gavt*, qvod idem foret qvam nostrum *Gavtr*, *Gautr*, (acc. sing. *Gavt*). Qvod Anses illi iidem fuerint cum nostris Asis, indubium habetur, sed primus eorum fuit Odinus, alio nomine *Gavtr*, de qvo Skalda similia seqventia refert. Ejusdem originis esse videtur Anglo-Saxonum Geata & pl. Cfr. ind. nom. propr. T. II. v. *Ásgardr*, *Áss*, *Goðþiód*, *Gotar*, *Gotnar* & pl. Vers. Dan. IV. 306.

*) "*At launum skémtanar sinnar.*" His verbis indicari videtur oblectamentum tempus fallens e. gr. enarratio mythorum sive relationum aut carmiuum vel etiam præstigiæ, qvæ olim magicæ putabantur.

**) I. e. lucus marinus (insula lucis consita). Posterius hæcce Daniæ provincia vocata est *Sæland*, *Sidland* (olim forte, in plurali numero, *Sælönd*, qvum e pluribus constaret insulis jam in unam coalitis) i. e. terra marina vel mari circumflua. Ex veteri *Sidland*, *Sæland* for-

tur *Lögur* in Svecia sita *). Vergunt autem sinus in lacu isto, sic ut prominentiæ in Sælandia. De his poëta, Bragius priscus ita cecinit:

Gefiona a Gylfo, auri divite,
Abduxit augmentum Daniæ
Adeo ut a jumentis currentibus
Sudoris vapor exhalaretur.
Boves capita qvatuor
Et oculos octo gesserunt
Cum traherent amicæ insulæ
Massam, campo plano evulsam"**).

Hæc tota relatio, ex observatione doctissimi Raskii, omissa est in Codice Upsalensi, et non qvidem inepte, cum Eddæ juniori a librariis præmissa esse videatur, si nempe illam ejus relationem de Gefiona innupta respiciamus & hæc simul Codicis ipsius Wormiani verba, post insertionem illius narrationis: *Gylfi er madr nefndr. Hann var Konúngr* &c. o: Gylfius vir qvidam nominatus est; is Rex fuit &c. — qvæ a primo scriptore primi mythi literis non reddita apparent. Fabula nostra reperitur, paucis mutata, in *Ynglinga Saga* Cap. 5: "Odinus (Asarum Rex & summus sacerdos) sedem sibi elegit in insula qvadam, ubi nunc in Fionia locus dicitur *Odinsey* [jam *Odense*]. Hinc misit Gefionam, boream versus, trans fretum, novas qvæsitum terras, qvæ ad Gylfium delata, jugere terræ ab eo donata est. Illa igitur, in Jotunheimos profecta, qvatuor ex gigante (Jotuno) qvodam suscepit filios, qvos in boves transformatos aratro junxit, traxitqve ita, è continente in mare, occidentem versus terram, qvam è regione Odinseyæ (insulæ Odinianæ) posuit, postea appellatam *Selund (Sælund)*. Hic deinde sedem fixit Gefiona, nupta Skioldo Odini filio ***), habitaruntqve in Hleidra (Lethra). Locum ubi prius posita erat Sælandia jam tenet aqva aut lacus Lögur (Mælerus) in Svio-

malum est nomen jam usitatum *Siöland, Siælland* (sine ullo respectu ad vocem *Siæl* o: anima; cfr. *Mone N. Eur. Heid.* I. 265).

*) Jam autem *Müler* lacus. *Lögr, Laugr* alioqvin aqvam qvamcunqve sive etiam liqvorem denotat, vide Gl. T, II. Ab ista generali denominatione homines ævi mytho recentioris specialem illam deduxisse videntur. Dani veteres verisimiliter putabant Sælandiam è mari balthico elevatam sive evulsam esse, qvum tota hæc insula hodie etiam pluribus fretis olim divisa fuisse videatur. Sic orta est traditio de violenta Sælandiæ a Scania sive Svecia disjectione (freto Sundensi terras separante) qvæ mythicam deinde adornationem accepit. Cfr. Suhmii, Vedel-Simonsen & aliorum circa rem eandem conjecturas, in scriptis citatis a Justo Thiele — *Danske Folkesagn* I. 161. Non est vero absimile qvod Sælandia præsentem fere suam formam acceperit circa id tempus, qvum mare vicinum balthicum, tempestatibus vel terræ motu excitatum, freto Sundensi novam sibi viam pararet, & simul in lacum Mælerem, jam cum mari cohærentem, violentam efficeret invasionem.

**) Lego *Vallröf (Vallrauf)* pro *Valröf*. Cfr. *Hkr.* I. 9. VI. 3.

***) Sic de eo agit prologus Eddæ junioris (pag. 14): "Odinus [e Germania] iter suum instituit boream versus, atqve in terram devenit qvam ii nuncuparunt *Reidgotaland*, ubi, qvicqvid ei

nia dictus, in qvo positi sinus referunt Sælandiæ promontoria. Hac de re ita cecinit Bragius priscus" &c.

Gefionam in Dania & Svecia antiqvitus notam fuisse e relatis patet; qvod etiam ea in Norvegia a fœminis, et præcipue, ut videtur, innuptis, culta fuerit, cernimus e vetere cantilenâ, inserta operi historico *Saga Olafs Helga* mscr. ubi ancilla gentilis Norvega hæc verba loqvitur:

Þess sver ec vid Géfion
Oc vid godin önnur ɔ:
Id juro per Gefionam
Et per cætera numina.

Gefionæ nihilominus â poetis medii ævi Sælandiam insulam adscriptam legimus, ejus nempe feudum vel donum vocatam.

Hanc veterum borealium Deam eandem esse puto cum Rinda, Fiorgyna & forte pluribus, terræ nempe sterili sive primitivæ originitus præpositam. Prior nominis particula *Ge* eadem forte est cum græco Γη (terra) AS. *Geard;* hoc accepto, totum nomen *(Gé-fión)* indicabit *terræ separationem* *) (â *Fión*, *Fián* aversatio, separatio vid. Gl. T. I. v. *Fión*, *Fiá*) cui etiam mythus ille de disfectione terræ et ipsius Sælandiæ situs optime conveniunt. Terra humana corpora recipit; sic etiam virgo Gefiona virgines imprimis sibi adqvirit. Gefiona, uti ipsa Frigga, fata sibi perspicua habere dicitur, qvum hominem, a terrâ ortum, ad eandem (certo tempore) rediturum esse sciat. Sic verisimiliter Gefiona, uti Græcorum Gea **), oracula edidit gentilibus, qvi variis modis terræ numina in spelæncis vel vicinitate fontium, fluminum &c. consultare solebant. Diodorus Siculus Geam admodum sapientem fuisse prædicat. — Lokii (vel lucidi juvenis) cum Gefiona concubitus significavit forsitan Ignis subterranei cum Tellure cohabitationem, & monilia vel gemmæ, huic ab illo donata, res ejusmodi

placebat, in illius possessionem cessit. Huic terræ filium suum, qvi Skjoldus nominabatur, præfecit, cujus filius Fridleifus fuit. Hinc derivata est prosapia, qvæ Skioldungi appellantur, Reges videlicet Daniæ. Adde qvod jam Jotlandia (Jutia i. e. terra jotica sive Gothica) appelletur regio, qvæ tunc audiit *Retdgotaland* (eqvestrium Gothorum terra)." Cfr. ea qvæ nos e *Skálda* excerpsimus ad articulum *Gautr* s. Consule præterea de Skioldo Skaldam p. 146. "Skioldus nominatur Odini filius a qvo Skioldungi orti sunt; is ibi resedit & regno præfuit ubi nunc vocatur Dania *(Danmörk)* sed tunc *Gothia (Gotland)*." Saxo Skioldum appellat Lotheri filium, sed ejus uxorem Alvildam. Anglo-Saxonibus audiit *Scyld;* vide Poema de Scyldingis a cl. Thorkelino editum & a Grundtvigio danice versum. Hic Dani omnes Scyldingi sive Skioldungi appellari videntur, ut sic etiam, apud poëtas nostros, partem maris danici dictam invenimus *Skiöldúngæ-haf* (Skioldungorum mare). Alium Skioldum veteres Norvegorum traditiones apud eos floruisse statuunt & regiæ familiæ propatrem evasisse, qvi similiter Skioldungi vocati sunt.

*) Præferunt alii *Gefiun*, *Gefiunn*, idem nempe ac *Géfn* datrix, largitrix a *Géfa* dare, indulgere &c. Cfr. Gl. T. I.

**) Gea sive Γη e. gr. Delphis habuit celebre oraculum.

pretiosas, vi ignea conflatas vel induratas, qvæ terræ sterilis sunt propria ornamenta.

Mythus de Gefiona Sælandiam producente & agriculturam exercente, qvamvis indumentum magis historicum acceperit, eandem sapit originem, qvam Deam, terrarum situm mutantem ac novas ex antiqvis transformantem, manifeste celebret. Prima ejus incunabula nobis qværenda esse videntur ad Bosporum Cimmerium, Gothorum patriæ partem; Orphei enim (ita dicti) Argonautica (v. 1054 & sq.) nobis servarunt illi similem traditionem de Titane, boum abactore *), qvi tauro robusto insidens transitum paludis (βοος πορον) findendo qvondam aperuerat. Oresundia nostra vel Svecorum Maeler lacus eadem ratione Bosporus vocari potuit. Franci Scandinavis cognati fuisse feruntur et sic non mirum foret si duæ eorum nostræ similes traditiones, qvas cl. *Moze* annotavit **) eandem sapiant originem. Sed tales fabulæ apud gentes maxime diversas antiqvitus sparguntur. Nobis præ cæteris innotuit ea, qvæ Didonem celebrat tantam terræ portionem mercatam fuisse, qvam corio bovino (in ligulas disfecto) circundare potuerit & Byrsam postea, Carthaginis arcem, ibidem fundavisse. Idem fere nostratium historici narrant de Ivare Ragnaris filio, arvum anglicanum emente. Hodie etiam, ni fallor, relatio persimilis traditur de urbe aliqva Americæ septentrionalis, ab indigenis emtâ. — Indi insuper varios mythos enarrant de naturæ revolutione, terrarum situm vel faciem mutante sic: e. gr. maria terrestria orta sunt e sulcis vel fisuris, qvas Sagaræ filii, eqvum qvendam qværentes, terram perfodientes effecerant ***); — Insula Ceylon sive Selan primum est ex oceano elevata in magno Deorum & gigantum certamine &c. Proxime nihilominus nostro mytho convenit fabula Groenlandica de muliere immani, mundum subterraneum regente, filia ejus gigantis qvi insulam Disco (Sælandiæ amplitudine circiter æqvalem) per centum millia ab ora Groenlandiæ meridionali trahendo abegit ****).

Gefionam cecinere varii hujus ævi poetæ e. gr. illustris inter Svecos nobiles fæmina de Albedyhl & vates nostri Oehlen-

*) Hercules alias inter fortissimos bovum abactores celebratur. Hi boves maria pernatabant, petras gradiendo perforantes &c. Tauri sæpe in veteri mythologia pro rapidis fluviis & fluxibus symbolice ponuntur & sic etiam verisimiliter in boreali illa fabula. Cfr. Carmen *Grógaldur* str. 8 & Gl. T. II. v. *Horn* i. e. cornu, de fluvio magno sive rapido dictum.

**) *Nord-Eur. Heidenth.* I, 264. sq. Agunt autem de S. Remigio terræ portionem a Chlodovico primo ementem, qvam Regis meridiatione durante circumire potuerit — et de Dagoberto, qvi aliam S. Florentio donavit, qvam hic asino insidens, dum Rex in balneo moraretur, circumeqvitare qviverit.

***) *Die Herabkunft der Göttinn Ganga* translata a cl. *A. W. Schlegel* (*Ind. Bibl.* I, 56 sq.) Cfr. *Moor Hindu Pantheon* p. 338. *Polier Mythologie des Hindous* II. 38.

****) *Paul Egedes Efterretninger om Grönland* pag. 111. Hic tamen monendum, qvod meridionalis Groenlandiæ hodierni indigenæ, a feris harum terrarum aboriginibus & hominibus si-

schlæger, Thiele & pl. Cfr. *Frigg, Gunnlöd, Rindur, Sif, Jörd.*

Geirahöd, Geirahavd o: hastigera, hastata, — Valkyria qvædam sive belliça nympha *Gr. M.* 36. (var.). vide Glosſ. T. I. Alias *Geiravlvl* (p. p.) i.

Geir-avlvl, Geirölul, nomen Valkyriæ sive nymphæ bellicæ *Grimn. M.* 36. Vi vocis: hastas sive lanceas (hostili cruore) nutriens sive lactans. (a *Geirr* hasta, lancea & *Ala* alere). Cfr. Gl. T. I.

Geirröđr vid. *Grimnir.*

Geir-skögul vid. *Skögul.*

Geir-vimul o: hastas (fluctibus) vibrans sive circumagens — fluvius coelestis sive circulos aut regiones Deorum pervadens *Gr. M.* 27. Cfr. Gl. T. I & *Slidur* i.

Gérdur, Gérþvr (Gerda) o: muniens, cingens vel etiam orta e regione qvi *Gardur* (i. e. *Ut-gardar*) *) appellatur. Gerda dicitur filia Gymeri *Hyndl. L.* 28. & Aurbodæ ejus uxoris *Skirn. F.* in introd. ac uxor qvoqve Freyeri *Hyndl. L.* 28. Fabulam de ejus et Freyeri amoribus inseruimus articulo *Freyrr* s. ex Edda juniore desumtam. In ea itidem (pag. 79) nominatur Gerda inter Asynias, qvæ adfuere convivio AEgeri in Valhalla ab Ódino parato. Hæc porro de ista in carmine Skirneriano & ejus prosaica introductione memorabilia occurrunt:

Freyerus ê Lidskialfa omnes mundos perspeculatus Gerdam, pulchram sive lucidam virginem, vidit in Jotunheimis e patris ædibus ad exedram suam solitariam transire & statim amore ejus conflagravit qvamvis is certe sciret eorum connubium a nemine inter Asas vel Alfos (coelestis originis) approbatum fore **), introd. it. str, 4, 6 & sq. Gerdæ, in Gymeri domiciliis sive regionibus incedentis, brachia lucebant, ac omnis inde aër & æqvor illuminabantur str. 6. AEdes ejus flammâ ambiente cinguntur str. 8. 9. 17. 18. sed septo alto & feris canibus defenduntur. Prosa pag. 73-74, str. 11. Gerdæ cum ancilla de ignoti advenæ (Skirneri) adventu colloqvium 14-16. Gerda advenam hospitaliter accipi & ad meri medi compotationem ipsum invitari jubet — qvamvis eum sui fratris interfectorem esſe suspicetur 16. Gerdæ colloqvium cum Skirnere 19. Abnuit undecim ab eo oblata aurea poma ***) 19-20 ac annulum vel monile

mul e Scandinavia advectis (qvorum mythos retinere & suæ patriæ adaptare potuerunt) orti fuisse videantur.

*) Sio Haraldo strenuo, Norvegiæ Regi, audiit nobilis mulier e regno *Gardar* sive *Gardariki* orta: *gollrings Gérdur i Görđum.* (Gerdæ nostræ aureus Balderi annulus oblatus fuit.) Cfr. *Hkr.* III. 71. VI. 150. & hujus Eddæ vers. Dan. II, 171.

**) Qvum Gerda nempe (sive Aurora borealis e mea hypothesi) orta fuerit in Jotunheimis sive oceani glacialis vicinia, et giganteo generi igitur adscribenda. Ad polaris illius luminis formam adludunt porro: descriptio flammæ obscuræ, Gerdæ habitacula cingentis vel muentis (str. 8. 9. 17. 18) Gerdæ ipsius coma et brachia, aërem & æqvora illuminantes p. p.

***) Poma sæpe symbolice amorem vel ejus fructus indicant, sed hic forte significant tot menses vel tot mensium, cum Sole ipso, imperium.

(Draupnerum) antea cum juvene Odini filio (Baldero) ustum *) 21. 22. Skirner Gerdæ frustra minatur ipsius violentam mortem 23. 24. Seqvuntur illius (acutum gladium & magicam virgam gestantis) diræ obsecrationes 25-56 qvarum immanitate & efficacia **) commota Gerda tandem cedit, Vanigenam (Freyerum) se dilecturam fatens, & Skirnero calicem pruinaceum sive glacialem ***), medo repletum, amice offert, ac Freyero deinde post novem noctes, in luco tranqvillo qvi dicitur *Barri* (frondosus) gaudia (amorum) promittit 39 ****). (cfr. *Barri* s.)

Gerdam, Freyeri sive Solis amasiam, ab eo ex Lidskialfa in boreali mundi regione spectatam, eandem cum Aurora boreali esse innuimus supra (in art. *Beli*) ubi etiam de ejus fratre i. e. hyeme, similiter Gymeri i. e. oceani glacialis filio, satis egimus. Egregiam Gerdæ verecundiam laudavit et ingeniosam ejus cum Brynhilda comparationem instituit Mone l. c. I, 398. Cfr. porro *Freyrr*, *Gymir*, *Aurboda* &c. it. Gl. T. I. voce *Gérdvr.*

Géri (vorax) alter Odini lupus, qvi qvotidiano ejus victu nutritur *Gr. M.* 19. Alter dicitur *Freki* (ferox) de qvo suo loco egi-

*) Aurum vi flammæ purius & clarius redditur. Draupner lunæ splendidum orbem denotare videtur. Cfr. *Draupnir*, *Brisingamen.*

**) Ex his præcipue memorandæ minæ Skirneri str. 27 & sq. de dira Gerdæ mansione in tubere aqvilæ (in vicinia Helæ & immanissimorum frigoris dæmonum) i. e. (e mea sententia) polo boreali, Hræsvelgi, mythicæ aqvilæ, satis nota sede.

***) In textu *Hrimkalkr*. Nympha gelida glacialem calicem administrare satis apte fingitur. Cfr. *AEgisdr.* 54 ubi Sifa sive Beyla Lokio medum in tali calice propinat. Verterunt interpretes το *Hrimcalcr* calicem frigidum, candidum, argenteum vel vitreum. Vid. Gl. T. I. Gunnarus Pauli ita de hoc vocabulo agit in epistola (typis non mandata) ad doctissimum virum. Ejolfum Jonæ sacerdotem Vallensem (d. d. 3 Aug. 1745): "Voce *Hrimkalkr* mihi verisimile sit significari poculum vitreum, qvemadmodum Græci voce κρυσταλλου tam glaciem qvam gemmam indigitarunt, ac si latine diceretur poculum prûinaceum (sit venia verbo). Nisi forte argenteum poculum, ob similitudinem coloris, intelligere magis conveniat. — — Nota est Plinii et aliorum Philosophorum sententia: ex aqva crystallum fieri, qvam tamen Solinus negat. Alii varia dubia movent. NB. Aqvam dixi, sed congelatam." Conferri merent Olai Magni dictamina (Hist. Gent. Sept. l. 22).: "Non minor varietas in vitris contingit qvæ arcendi frigoris causa æstuariorum fenestris imponuntur. Dum enim loca hujusmodi caloribus contra immensum gelu tepidius instaurantur, forinseco frigori atqve miro naturæ artificio sub diversis imaginibus ita depicta videntur illa vitra, ut qvivis artifex, talibus inspectis, naturæ excellentiam potius possit admirari, qvam imitari. Ingenio tamen adhibito, plurima ex his pro domestico ornatu ac decore artificum industria excogitantur ac perficiuntur, qvalia ab aliis nationibus prece vel pretio vix acqviruntur. Unde evenerat, ut eo ingenio plurimi crateres argentei excellenter fabricati viderentur." Monendum præterea erit, qvod non pauca chrystallina vel vitrea vasa in tumulis gentilium septentrionalium sepulchralibus reperta sint, qvæ partim in museis Havniensibus servantur.

****) Islandi æstivam noctis lucem, novenario dierum spatio ante ipsum æstatis initium, in coelo conspicuam esse ferunt.

mus. Hæc de iis habet Edda Snorroniana (pag. 42): "Ganglerus qværit: Num Odinus eodem cum Einheris (heroibus) vescendi modo fruitur? Respondet Har: Appositam sibi in mensa escam dat lupis duobus qvorum nomina sunt Geri & Freki, ipse vero nullo indiget cibo, sed vinum illi potus & cibus est, ita ut hic dicitur:" (seqvitur stropha nuper allegata). *Géri* adhuc in Islandia parelius dicitur sed *Úlfakreppa* (coarctatio sive circumsesfio lupina) phoenomenon illud, qvum duo parelii (post et ante solem) in coelo cernantur. Hæc meteora a vulgo Daniæ & Norvegiæ adhuc vocitantur *Sol-Ulve* (lupi solares). Sic illius mythi origo nobis satis perspicua apparet; (cfr. *Hati, Skoll* &c.). Hi coelestes vel solares lupi victu mensæ Odinianæ qvotidie saturantur. Nomina *Géri* & *Freki* cuivis lupo poëtice adtribuuntur, & sic etiam iis terrestribus qvi Odini bellica sacrificia i. e. homines in pugna cæsos devorare solent. Qvum Hedericus, Gothorum princeps Haraldum Regem cum filio Haldano & reliqvis militibus occiderat, stragem cunctam sacravit Odino, victoriæ datori, altaria qvidem cæsorum sangvine illinens (*Hervar. S.* Cap. 11). Refert Saxo Grammaticus (Hist. Dan. Lib. 8) Haraldum Hildetannum militum occisorum animas Odino (sive Plutoni) similiter dedicasse sive promisisse. Sic Odinus tantummodo recepit hostiæ (humanæ) animam (uti Persæ de suis Diis sentiebant) ac interdum ejus sangvinem, qvem prisci Scandinavi (uti Hebræi & plures vetustatis populi) pro animæ habitaculo sive vehiculo accepisse videntur. Odinus, coeli & aëris Deus, animas heroum sub dio cadentium amice recepit, talibus bellicis sacrificiis lætatus & illas coelestibus gaudiis beans. Nihilominus rapaces feræ, præsertim lupi, aqvilæ & corvi cæsorum cadaveribus sæpe vescebantur. Eapropter hæc animalia, sub dio continuo viventia, repræsentabantur a sacerdotibus & poëtis uti Odini nuncii & emisfarii, qvi ejus victu sive sacrificiis vescerentur, et Deo ipsi lupi igitur (et ob plures causas) sacrati fuerunt. Sic poëta gentilis hæc exprimit in carmine, dicto *Eiríksmál* *):

Bellicus lupus, liceat ferox sit,
Heroem ducit ad Deorum sedes.

Nonnulli Asiæ populi (olim nempe Masfagetæ & Persæ, ac hodiedum Tatari mongolici & veteris Persarum relligionis confesfores) id pro honestisfima sepultura ducunt, qvum cadavera a feris vel avibus rapacibus devorantur. Pluribus Diis antiqvitatis gentes lupum sacraverunt e. gr. AEgyptii Osiridi & Horo, Græci ac Romani Apollini & Marti p. p. **). Lupi ipsi inter plures

*) Vid. *P. E. Müllers Saga-Bibliothek* II, 375.

**) Monstravit celeberr. Creuzerus l. c. II. 468-69, 988 & alibi, cur lupus olim inter Græcos & Romanos pro solis symbolo habitus fuerit. Hæc ex magna parte in nostratium fictiones qvadrant Cfr. hujus Eddæ versionem Danicam II, 170. 208. 241 & sq.

Europæ & Asiæ populos (ut Scandinavos & Persas) numerantur adhuc inter omina fausta, ut reliqvas de iis superstitiones reticeamus. Cfr. *Ódinn*, *Valhöll* &c. De radice vocabuli vide Gl. T. I. & II. vid. *Géri*. Cfr.:

Géri, (avidus, vorax) alter canum, qvi Gastropneris prædii vel ædis arva tuentur per undecim custodias, usqve ad potestatum (elementalium) sive numinum mundanorum interitum *Fiölsv. M.* 15. Cfr. *Gastrópnir*, *Géri*, *Gífr*, *Fiölsvinnr*.

Giallarhorn (cornu sonorum sive fulgidum) tuba Heimdalli Dei. — Ista tuba adtribuitur Heriani sive Odino, sed Heimdallus vocatur ejus custos *Hr. G.* 16. Hic Deus (Ulfrunæ filius) vocatur buccinator potens coelestium rupium (vel e summo coeli cacumine tubæ sonum emittere dicitur) *Hr. G.* 26. Terræ interitu appropinqvante Heimdallus eam intonat, sed Mimeri filii sive subditi (forte oceani undæ vel procellæ) ludunt circa accensum Ygdrasillum sive centralem mundi arborem *Vspá* 62. Hæc de ea habet Edda Snorroniana: pag. 30 (de Heimdallo): "Tubam habet, dictam *Giallarhorn*, qvam qvum inflat, sonus ejus per omnes mundos auditur". Pag. 72 (de crepusculo numinum): "Hæc qvum fiunt surgit Heimdallus & tubam *Giallarhorn* vehementissime inflans omnes excitat qvi tunc ad communem conventum congregantur". Præterea hæcce Edda (pag. 17) memorat cornu (aliud ut videtur) dictum Giallarhorn, de qvo Mimer qvovis mane potum haurit e fonte sibi proprio. De etymo vocabuli consule Gl. T. I. v. *Giallarhorn* & T. II. v. *Giallr* T. II. & III. v. *Gialla* cet. it. T. I. & II. v. *Horn*. Cfr. *Giöll*, *Heimdallr* i. et Vers. Dan. I. 19, 217.

Giálp una novem Heimdalli matrum, qvæ ipsum ad terræ crepidinem peperere, e giganteo genere oriundæ, *Hyndl. L.* 34. Vocabulum *Giálp* adhuc usitatur pro alia *Giálfr* o: allisio maris sive undarum ad litora vel rupes aut syrtes. Hâc vapores producuntur, qvæ Iridem (sive Heimdalli vehiculum vel personam) indubie pariunt aut efficiunt. *Giálp* in Edda Snorroniana (vel duobus vetustis odis, hic ipsius fontibus) vocatur (p. 114 sq.) altera filiarum Geirrodi gigantis, qvæ Thorum Deum fluctuum violentia & pluribus periculis frustra perimere conabantur. Vide Gl. T. I. v. *Giálp*.

Gífr, *Gífvr* m. (avidus, vehemens) alter canum qvi Gastropneris prædii vel ædis arva tuentur per undecim custodias, usqve ad potestatum (elementalium) sive numinum mundanorum interitum *Fiölsv. M.* 15. Vid. Gl. T. I. & II. Cfr. *Gífvr*, *Géri*, *Gastrópnir*, *Fiölsvinnr*.

Gífvr n. oreas, monstrum giganteum *Vspá* 47. H. I. 15. *Fiölsv. M.* 14. (in voce *gífvrrekar*). Vide Gl. T. I. v. *Gífr*, *Gífvr* & T. II. v. *Gífrom*.

Gígur, vid. *Gygvr*.

Gilvar-straumar vid. *Giöll*.

Gimli, e qvorundam conjectura *Gimlir*, (igneus, gemmeus, fulgidus) urbs vel aula sole clarior et auro tecta ubi probi homi-

nes per cuncta secula habitabunt & gaudio fruentur *VSpd* 57. Hæc universi metropolis & summi numinis (Surti) sedes sita est in supremo mundo, qvi dicitur *Liósálfaheimr* (mundus Alforum sive geniorum lucis, de qvo supra egimus pag. 275-77) et describitur ita in Edda juniore (pag. 21): "In australi [ac simul supremo] coeli cardine [sive fastigio] locus est aulicus omnium splendidissimus et qvidem sole clarior qvi *Gimli* nuncupatur, qvi post interitum coeli et terræ perstabit, et a bonis ac justis hominibus per omnia secula incoletur — uti dicitur in vaticinio Valæ" &c. Pag. 75: "Tunc qværit Ganglerus: Qvid remanebit qvum totus mundus exustus est, omnesqve Dii, Einheri & homines mortui sunt? Memini antea vos dixisse qvemlibet hominem in alio mundo per omnia secula victurum esse. Respondet Har: Multæ sunt mansiones — — — sed tunc optimum fuerit in coelis, et qvidem in Gimle apud Surtum." In principio hujus Eddæ Har hæc dixerat: *Allfavdr* (universi sive omnium pater) cunctorum numinum summus & antiqvissimus . . . vivit per secula & regnum suum gubernat, omnia dirigens . . . . Is coelum, terram & aërem condidit . . . et hominem fecit cui animam tribuit semper victuram, nunqvam interituram, & si corpus putrescens in pulverem terræ aut per ignem in cinerem redigatur, viventqve omnes homines bene morati et erunt cum ipso in locis qvæ *Gimli* vel *Vîngólf* appellantur." Hic mythi veterrimi de Surto & ejus demiurgo Odino confusi fuisse videntur, qvum illi alioqvin palatium Gimle sed huic vel Asyniis aliud Vingolf adscribi soleat. Cfr. *Ódinn*, *Surtur*, *Vîngólf* i. Etymon vocabuli indubie habetur in *τω Gimr* a) ignis *), b) gemma (igneo splendore micans) vide Gl. T. II. (cui tamen addenda Aleman. *Gimme*, gemma Svec. *Gimsten*). Hinc etiam isl. *Gimlir* nitor, splendor. Est in Islandia occidentali collis, antiqvitus dictus *Gimlafell* (mons Gimle sive isti similis) unde prospectus admodum jucundus per adjacentes regiones habetur. Deducunt qvidam nostrum *Gimli* (acc. *Gimla*) ab ind. *Himala* (qvi pro Indorum coelesti monte accipitur) qvod iterum cognatum opinantur Dan. Svec. & Germ. *Himmel* (coelum) &c. Qvævis fere natio suum laudat mythicum Elysium. Indorum & plurium orientis gentium descriptiones talium coelestium locorum, auro & gemmis abunde ornatorum, boreali nostræ ad ungvem conveniunt. Cfr. *Glitnir*, *Valhöll*, *Sindri*, *Brímir* &c.

Ginnarr, *Ginnar* (allector, seductor) Dvergus sive Alfus e coetu Dvalini *VSpá* 14. *Ginarr* vel *Ginar* is appellatur in variis Eddæ junioris codicibus (pag. 16). Deducendum videtur a verbo *Ginna* allicere. cet. vel etiam a *Gina* hiare, clarescere.

*) Dicitur similiter *Gim* (neutrius generis); vox *Gimr* præterea usitatur de gladio, qvi alias poëtice *Brímir* (flammeus) & flamma armaturæ appellatur.

Ginnúnga-gap (Gap ginnúnga) nuncupatur chaos primarium, unde mundus noster exstitit *VSpá* 1. Describitur in Edda juniore eo modo uti antea retulimus (in art. *Elivagar* pag. 331-32, ubi borealis ejus pars dicitur plena fuisse uliginis & auræ frigidæ) his qvoqve additis: "Australis vero Ginnungagapi (chaotici abysſi) pars affluxu scintillarum & scoriarum (candentium) qvæ ex mundo Muspelliano (æthere) volitabant, rarescens expandebatur et elevabatur. Qvemadmodum qvicqvid Niflheimus (mundus nebulosus) spirabat frigidum erat, et tales res omnes sævæ, ita cuncta, qvæ prope Muspellum erant atqve eo vergebant, calida fuerunt et lucidá. Vacuum (abyssus) illud Ginnúnga-gap adeo leve (vel tenue) erat ut aër venti expers. Sed cum pruina anræ caloris occurreret liqveſacta est et in guttas resoluta. Tum ex mobilibus — ceu vitalibus — guttis, virtute ejus, qvi calorem admisit [Surti nempe] facta est forma humana" &c. Vide *Ymir, Örgelmir, Surtr.* Seqvitur relatio de chaotici gigantis (macrocosmi primarii) & ejus nutricis (vaccæ mythicæ qvæ Audumbla dicitur) procreatione sive existentia, ac de Ymeris cæde et in nostrum mundum transformatione, a Buris v. Boris filiis effecta (vide *Burr* s.) ubi hæc, inter alia (pag. 8) occurrunt: "Non res exiguæ de Boris filiis sunt narrandæ; nam ipsi Ymerum, dum vitâ privârunt, in medium *Ginnúngagap* vexerunt, et ex illo terram condiderunt, atqve ex sangvine maria et flumina. Sic e carne terra, rupes vero ex ossibus, lapides autem et saxeta (sive aspreta) e dentibus et maxillis ut et ossibus confractis. — E sangvine qvi vulneribus emanabat, mare, qvo tota cingitur terra, seu oceanum effecerunt, qvi plerisqve hominibus impervius videbitur. Illi qvoqve ex capite ejus coelum formarunt, qvod supra terram collocârunt, et cujus qvatuor extremitatibus (vel unicuiqve angulo) Dvergum supposuerunt [vid. *Austri* s.]. Qvibus peractis prehenderunt scorias candentes et scintillas sine certis legibus vagantes, et e mundo Muspelliano ejectas, ac imposuerunt eas in medium Ginnungicum coelum [Ginnúngahimin] *) tam inferne qvam superne, ut coelum et terra illuminarentur" &c. Pag. 17 prædicatur secunda Ygdrasilli stirps sive radix, inter gigantes glaciales & Mimeris fontem sita, ibi jam stare ubi olim fuerat Ginnungagap". Sic inferni abyssus vocari videtur *Ginnúngs nid* (Ginnungicæ tenebræ) *Hr. G.* 4.**). Sed nihilominus aër, qvi ter-

*) Ut habent Codex Regius et plurimi alii, sed Upsalensis seqventia: "imposuere eas in medium Ginnúngagap superne et inferne in coelo, ut terram illuminarent".

**) Qvum priorem strophæ partem ita legamus:

Dugir med Dvergom	Vires inter Dvergos
Dvina; helmar	Deficiunt; coeli
Nidr at Ginnúgs	Deorsum in Ginnungicas
Nidi savckva o:	Tenebras sidunt.

Dvergi illi certe ii quatuor sunt, qvi coelum sustentant.

ram nostram circundat, vocatur in Skalda (p. 181) *Ginnúngagap*. Huic denominationi convenit alia *Ginnúngave* (Ginnungica asyla, sacri loci sive habitacula) qvæ continetur in carmine gentili *Haustlaung* (vid. Ed. Sc. Thorlacii pag. 5, 13-15). Huc etiam spectat Eddæ junioris *Ginnúngahimin* (Ginnungicum coelum) qvod nuper memoravimus.

Nomen hocce variis modis etymologice derivari potest. Mihi est verisimillimum qvod deduci debeat a masculino *Ginnúngr* vel *Giníngr* (qvod in gen. plur. habet *Ginnúnga*) et voce adhuc Islandis vulgo usitata *Gap* (hiatus). *Ginnúngr* illud diversis gaudet significationibus, qvarum plurimæ jam sunt obsoletæ, his nimirum: 1) Accipiter sic in Skalda appellatur; — hinc aër dici potuit *Ginnúnga-ve* et *Ginnúnga-gap*. 2) Homuncio, vir stultus & olim gigas. Gigantes in fabulis eddicis dolis facile se circumvenire sivere. Sic qvoqve vocabulum illud verti posset: gigantum sive Titanum abyssus. 3) Piscis; — si eam significationem præferamus, sermo foret de maris specie, cui chaos certe adsimilari posset. *Gap* per se positum, dicitur interdum de ponto sive oceano *). Sic illud mythicum vocabulum verisimiliter usitatum fuit de abysso chaotico, nebulis vel aëre obscuro ac aqvis primitivis vel tartareis repleto, ac simul monstris giganteï generis abundante.

Alii scriptionis modum paullulum mutare malunt, lectionem *Ginúnga* illi præferentes. Sic igitur doctiss. Joh. Olavius (Hypnonesiensis) in indice ad librum *Nordens gamle Digtekunst*: "*Ginnúngar* hic (*VSpá* 1) magna et sancta numina, rebus creatis præexistentia ab AS. *Gin* amplus, magnus. *Ginheilagr* (nobis) admodum sanctus; semper de Diis" **). Gunnarus Pauli in observatione manuscripta lectionem vult mutare in *Ginvángagap* (chasma hiantium vel vastarum regionum cet.). Doctiss. Mone plures nobis vocabuli illius interpretationes exhibuit, nimirum a) in observatione sua ad cl. Creuzeri *Symbolik* &c. l. c. II, 419: "*Gap ginnúnga* [*Ginúnga?*] *der gähnende gaffende Schlund* (vorago hians sive hiscens); *Becher* (*Kumpf*) *der Gähnung* (scyphus vel

*) Geographi qvidam Islandici medii ævi cepere *Ginnúnga-Gap* pro mari glaciali, polo boreali vicino — vel etiam pro æstuante eo freto sive hiatu, per qvod, ex eorum opinione, arcticus oceanus in nostra maria irrupit. Hoc fretum statuerunt in regione caurina — & sic qvidem eddica terræ repræsentatio ad ungvem convenit illi indicæ qvam nobis servarunt *Asiatic Researches* VII. 374. cfr. IX. 100 sq. Cauricum hocce chasma effectum est a Crishna, visitaturo Deum universi, per regiones tenebrarum, aqvis scatentes (Eddæ nostræ Niflheimum, sic adcurate descriptum). Vocabulum isl. *Gap*, AS. Angl. & Svec. (hiatus, vorago) jam Danis audit *Gab*. Gudmundus Andreæ hanc vocem deduxit ab Hebr. *Gœbæ*, *Gab* fovea, fossa. An his conveniant Sanscritica *gup* occulere, tegere, unde *guptih* fovea &c. philologi dijudicent.

**) Cfr. Glosſ. T. I. v. *Ginn-Regin*. T. I & III v. *Gin-heilagr*. & hoc Lexicon ad *Gin-Regin* i.

crater hiantiæ)" &c. & b) in continuatione ejusdem operis I, 314. *Schlund oder Becher der Tauschung* (vorago aut scyphus illusionis sive seductionis). Hic auctor videtur statuere qvod *Ginnúnga* idem sit ac *Ginninga*, a voce *Ginning* allectatio, seductio, illusio *). Cfr. *Gin-Regin*, *Elivagar*, *Niflheimr*, *Ymir* &c.

Gin-regin, *Ginn-regin*, uti a diversis librariis scribuntur, sed diversum innuunt sensum. Præfero primam scriptionem, qvæ nihilo minus varias significationes adsciscit, has nempe a) Abysſi (chaotici) sive mundi ex eo producti numina (a *Gin* idem qvod *Gap*, *Ginúnga-gap* hiatus, chasma) b) Magna sive celsa numina. Vid. Gl. T. I. voce *Ginn-Regin* & T. III. v. *Gin-heilagr* **). Hoc sensu prior vocabuli pars derivanda erit a voce isl. AS. & Scot. *Gyn*, *Gin* rictus, vorago, abysſus, vastum spatium cet. a qvo etiam verbum *Gina* ***) hiare, de qvo videatur Gl. T. I. sub art. *Gein*. Alterum *Ginn-Regin* certe significaret Deos pellaces, allicientes, seducentes sive illusores, nisi potius malis ejus originem derivare ex orientali *Ginn*, *Gin* (genius, dæmon) &c.****). De posteriore vocabuli parte *Regin* (numen) vide Gl. T. I. *Regin*, *Ragnarök*, *Ginn-regin*, *Reginleif*. Numina, qvæ ambigua illa denominatione gaudent, memorantur in his Eddæ nostræ locis: *Alv. M.* 20. *Gin-regin* (ampla numina) distingvuntur a Diis *(God)*; vocantur aliter str. 10 ibidem *Upregin* (superæ potestates) ab Asis diversæ — & videntur ita significare vacui vastisſimi (in qvo mundus inferne situs) summa numina, primos creationis auctores i. e. Surtum & ejus lucidisſimos Alfos ac flammeos (Muspelli) genios. *Ginregin* vel *Ginnregin* dicuntur qvidam inter ipsos Asas, diversi a cæteris Diis *(Tífar) Hym. Qv.* 4. Feruntur hæc numina Runas (primum) formasse *Háva M.* 80, 145. (cfr. observationes nostras T. II. pag. 925-27 insertas, de divina Runarum sive literarum origine). In fragmento carminis *Haustlaung* (str. 13) numina Valhallensia appellantur *Ginn-regin*. (Ed. Sc. Thorlacii p. 44-45, 79). Cfr. *Ginnúngagap* s. *Regin* i. *Ginúngagap* vid. *Ginnúngagap*.

Gipul nomen fluvii coelestis sive regiones

*) Uti in titulo primæ Eddæ junioris partis *Gylfa-ginning* (illusio Gylfiana sive Gylfio facta). Hæc denominatio indicas certe de Diis & mundo ideas sapere videtur.

**) Adde Caucasio-Tscherkesſicum *Gin* magnus.

***) Verba exotica nostro *gina* correspondentia sunt ibi enumerata. Addenda tamen sunt Dan. obsol. *gine*. Belg. *gynen*.

****) Hi Ginni a poëtis persicis & arabicis celebrantur in ficta qvadam regione, *Ginnistan* dicta, imperium tenere. Hæc entia alludere videntur aut ad gigantes sive Titanes à Diis victos (forte Eddæ nostræ Ginnungos; vid. *Ginnúngagap* s.) aut etiam ad Deos sive genios priscæ illorum Asiatarum relligionis. Vocantur *Ginn*, *Gin*, *Dhsin*, *Genn*, (*Ginnian*, *Gianian*) ab Arabibus Persis & Sabæis *Ginnili* a Turcis. Indis genii sonant *Gian*, *Ginnerer* &c. Cfr. *Gennah* Paradisus Mahomedanorum & pl.

Deorum ambientis *Gr. M.* 27. Nominatur etiam in Edda juniore (p. 43) inter flumina qvæ Asarum habitationes percurrunt *). Vide Glosſ. T. I.

Gisl unus ex Asarum eqvis sellariis *Gr. M.* 30. *Gisl, Gísli* alioqvin scribitur *Geisli* (radius) **). Memoratur hicce *Gísl* vel *Gils* in Edda juniore, octavus inter illos eqvos numeratus (pag. 18). Cfr. Glosſ. T. I. v. *Gísl, Gils* (obses cet.).

Giöll, Giavll (Gialla) nominatur inter fluvios terrestres sive hominibus propinqvos, qvi tamen hinc ad Helam sive orcum labuntur *Gr. M.* 28. In Edda juniore (p. 4.) enumeratur Gialla (uti orci claustris proxima) inter amnes eas Niflheimenses qvæ ex Hvergelmere profluunt. Cfr. *Elivagar* s. Memoratur in relatione mythica de Hermodi ad Helam itinere, instructa ponte qvi dicitur *Giallarbrú* (Giallæ pons) et auro lucente contectus describitur. (Vide supra pag. 296) ***). Vocatur etiam eadem *Giöl, Gil* qvæ adsciscit genitivum singularem *Gilvar*, *Sól. L.* 42 et infernalem fluvium satis manifeste indicat (cujus torrentes sangvine mixti morienti mugierunt). Hic gentilem superstitionem in Christianam mutatam cernimus ****). Cfr. Gl. T. I. v. *Gilfr, Gilin, Gyl.* Hic fluvius & pons per eum ad mortuorum regiones ducens conveniunt variis aliis in mythologia, indica, persica, arabica & plurium gentium (americanis non exceptis) *****). Lucentem Giallæ pontem, viam sive flumen accepi pro auroræ borealis lucidis phoenomenis, qvæ a polo boreali oriri viden-

---

*) Hæc flumina præterea ibidem nominantur, qvæ ex antiqviore Edda supra memoravimus: *Ekinn* vel *ÆEkin* (nobis *Eikin*) *Fiörm* vel *Fiörn*, *Fimbulþul* vel *Fimbul* et *þul*) & *Geirvimul.*

**) Uti *Gisli* Scandinavis olim 1) radius 2) baculus 3) obses, sic etiam *Geissel* Germanis 1) virga, flagrum 2) obses. Radius similiter Latinis 1) baculus, virga cet. 2) spiculum solis, radius solaris, qvi etiam islandice dicitur *Sólarstafr* baculus solis; — baculi solares AEgyptiis qvoqve non fuerunt ignoti. Nostrum *Gisl, Geisli* cognatum est alii *Geistill* radius, baculus; originitus forte telum a verbo *Geisa, Geysa* impetu ferri, grassari cet. Sic itidem *Gisl* simili sensu dici potest de obside, qvi repente mittitur hostibus, ut publicæ pactionis pignus. Cfr. Glosſ. T. I. v, *Geisla, Gils, Gisl, Gisling.*

***) Uti pons coelestis *Bifröst* Iridem (solis splendore prognatam) indubie denotat, sic etiam pontem inferum *Giallarbrú* significare censeo aureum borealis auroræ lumen, pontis forma sæpe conspicuum, et e polaris vel glacialis oceani abysso ortum.

****) Sic qvoqve Sturla Thordi cecinit de Skulio comite, christiano viro, ultimam obeunte diem:

Ok þar géck Abiit etiam inde
Á Giallarbrú Per Giallæ poutem
Rœsis mágr o: Regius socer.

Hkr. V. 262. VI. 224. Hæc libere vertit b. Sc. Thorlacius (Ant. bor. Obs. Spec. II. p. 21):

Sic ergo transabivit
Acheronta ponte junctum
Regius actutim socer.

*****) Britanni catholicæ fidei dediti in næniis jam vetustis celebrarunt talem pontem, appellatum

tur, in eadem regione per qvam atavi nostri finxere lethi viam *(Helvegr)* boream versus & ad inferos tendentem. Cfr. Vers. Dan. I, 176. II. 233-34, 261. Ibidem demonstrare conatus sum, qvod Idunna ad profundas arctici poli tenebras demissa *Hr. G.* 9. nominata fuerit *Giallar-sunnu gátt*: solis Giallæ i. e. splendentis hujus pontis speculatrixo: eum tuens sive observans. Cfr. Gl. T. I. v. *Gátt. Giöll, Giavll* verti potest a) sonora, strepera b) fulgida*). Vid. Gl. T. I. sub hac voce. Cfr. Gl. T. II v. *Giallr* ac I & II v. *Gvll,* II & III v. *Gialla* cet.

Gladr, Gladsheimr vid. *Glaþ.*

Glapsviþr, Glapsvidr unum ex Odini nominibus adscititiis *Gr. M.* 46. Edd. jun. pag. 24. Mea sententia vertendum erit: decipiendi sive illudendi aut occæcandi callens, a verbo *Glepia* (Gl. T. I.) & adj. *Sviþr, Svinnr,* (Gl. T. II.). Cfr. Gl. T. I.

Glaþr, Gladr, (clarus, vivax, alacer, lætus) primus inter Asarum eqvos sellarios *Gr. M.* 30. Numeratur etiam secundus, post Sleipnerem, Edd. jun. p. 18. *Gladr* qvoqve in Skalda vocatur alter Diei eqvus vectarius (nisi pro alio Skinfaxi nomine habeatur) pag. 180. Cfr. Gl. T. I. & II.

Glaþsheimr, Gladsheimr, Gladheimr locus coelestis, numero qvintus, inter habitacula sive regiones numinum ubi Valhalla perstat, auri instar fulgida i. e. ubi ad eam introitus patet *Gr. M.* 8. Nostra opinione habendus est pro signo arietis zodiacali, qvod veteres coeli vel Solis portam nominarunt et simul pro eo mense qvi incipit circa 21 Martii diem. Valhalla mihi (sensu specialiore) est superior coelestis hemisphæræ pars, ad qvam Sol ascendit in æqvinoctio verno, novum splendorem induens & lucidum anni tempus simul adferens. Odinus, summus astralis coeli Deus, Valhallæ præest & sic qvoqve Gladsheimo, ejus introitu — nisi *το Hroptr* capiendum sit pro alio Deo sive Deorum præcone, qvi heroas bello occisos ad Valhallam invitat**) (Vid. *Hroptr, Ódinn, Valhavll* i.). Nominatur *Gladsheimr* ab Eddæ junioris auctore sive collectore (p. 14) locus qvidam in splendidisfimo templo sive aula (coelesti) ab Asis in principio rerum ædificato, duodecim soliis, præter ipsius pantopatris (Odini) thronum, instructo; — sed hoc qvoqve templum pro ipso coelo est capiendum, qvod alioqvin mythice Valhalla dicitur, sed duodecim illa solia pro zodiacalium numinum statis sedibus. Cfr. *Alfödur, Hávahavll, Valhavll.* Hæc omnia amplius illustravimus in Eddæ hujus versione Danica I. 148, 170, 206 &c. cfr. 153. Nomen ipsum *Gladsheimr, Gladheimr* vertendum erit:

Brigg ó Dread (terroris sive horroris aut calamitatis pons). Vid. illustrissimi Walteri Scott *Minstrelsy of the Scottish border* II. 368 (cfr. 364).

*) *Giöll, Giavll* dicitur præterea mythica ea petra, ad qvam lupus Fenrer tandem vinctus fuit. Vid. supra p. 339.

**) Plures orientis populi cepere Solis portam pro animarum humanarum coelesti introitu.

regio clara, lucida sive læta. Cfr. Gl. T. II. v. *Gladr* *), I, & II, v. *Heimr*.

Gler vid. *Glœr*.

Glitnir, aula Forseti Dei, aureis columnis & argenteo tecta ornata Gr. M. 15. Cfr. Edd. jun. p. 21, 31. Hoc coelesti domicilio indicatur signum zodiacale Virginis, qvod sol percurrit a die circiter 21 Augusti usqve ad æqvinoctium autumnale. Jam in terra nitent aureæ fruges, aureo solis splendore qvotidie illustratæ, astris itidem noctu iterum fulgentibus, & mundanæ ædis tectum argenteo nitore ornantibus. Cfr. observationes nostræ supra adductæ ad carmen *VSpá* str. 4 & 15 cfr. str. 7 it, *Hávaköll*. Vide *Forseti* s. & Eddæ hujus Versionem Danicam I, 148, 171, 228. cfr. 154. *Glitnir* vi vocis vertitur coruscans, resplendens vel splendidus aut nitidus, â τω *Glit* nitor, res nitens p. p. Hinc qvoqve coruscus serpens *Glitnir* appellatur. Est præterea eqvi poetica appellatio, forsitan ab ornatu nitido ephippiorum &c. Cfr. Gl. T. I. it. verbum *glitra* nitere, resplendere &c. omnia forte ab alio *gliá* nitere. Cfr. *Glói*, *Glœr*, *Gladr*.

Glói (splendidus) Dvergus sive Alfus aut genius e Dvalini coetu *VSpá* 14. Vocatur *Glóinn* in Edda juniore pag. 16. Vide Gl. I. & II. v. *Glóa*. Cfr. *Gladr*, *Glœr*, *Glitnir*.

Glær, *Gler*, *Glœrr* (clarus pellucidus) tertius inter eqvos illos sellarios, qvi Asis sunt proprii *Gr. M.* 30. Audit Eddæ juniori *Gler* (Wormiano codici *Glenr*) sed numero qvidem qvartus. *Glær* qvoqve aër & mare poëtice vocantur, & oceanus interdum *Glæheimr* nitida sive pellucida regio. Recentioribus vitrum (ob claritatem vel pelluciditatem) *Gler* vulgo dicitur. Hæc forte a verbo *gliá* nitere. Cfr. Eddæ hujus vers. Dan. I, 177, 254. Vide Gl. T. I. v. *Glerr*, *Glevr* I. & II. v. *Gler* it. *Glói*, *Gladr*, *Glitnir* s.

Gnípahellir, *Gnypahellir* (forte rectissime *Gnypo-* vel *Gnúpa-hellir* *VSpá* 40 & sq.) o: antrum prominentiæ sive eminentiæ, a *Gnýpa*, *Nýpa* fastigium montis prominens vel *Gnúpr*, *Núpr* prominentia montis, promontorium **). Vide Glosſ. T. I. voce *Gneypa*, cfr. *Gnæfa* (eminere cet.) & *Hellir* antrum, spelunca (in. Glosſ. T. I. & II.). Sic etiam Edda junior (p. 73) mundi interitum describens: "Tunc ex vinculis dissolvetur Garmus canis, qvi alligatus fuerat ad ostium speluncæ qvæ *Gnípahellir* ***) dicitur". Qvid mythicum hocce

*) De altera (sive potius prima) significatione hujus adjectivi consule Lexicon islandicum Haldorsonii & Raskii, ubi ea nobis redditur: splendens, nitens. Huic certe cognatæ sunt multæ similis sententiæ voces: e. gr. *Glana (gladna)* lucescere, *Glampi*, *Glans*, *Glansi* splendor, nitor jubar p. p. Hinc qvoqve nomen *Glenr*, *Glanr* (clarus, lucescens), impositum marito solaris nymphæ (Edd. jun. p. 12); cfr. *Glœr*, *Gler* it. Gr. γληνος, γληνος lumen, stella &c.

**) Hinc certe nomen *Gniben*, Sælandiæ promontorio, dicto *Siællands Odde*, proprium.

***) Codex Upsalensis habet *Gnípalundr*; cfr. Ind. n. pr. T. II. sub hac voce.

antrum denotet, decernere neqveo; qvum autem Garmi, infernalis canis, habitaculum esse videatur, pro orci qvodam aditu haberi potest — nisi *Garmr* hic proprie indicet violentam tempestatem a polo boreali grassantem, qvum spelunca illa forte eadem erit cum arcto freto, e qvorundam sententia montes Utgardenses discindente. Cfr. *Ginnúngagap*, *Garmr* s.

God, *Goþ*, *Gud* numen (Deus vel Dea) & collective: numina. Sic vocantur Asæ sive Dii *VSpá* 21 & alibi. Soli in specie hic titulus adtribuitur *Gr. M.* 33. cfr. *Sól. L.* 41. Vocabulum θεος (Deus) absolute positum Græcis qvoqve Solem interdum significavit. Vide Gl. T. I. & II. v. *God*, *Gvd*, ubi asiatica vocis origo satis perspicue monstratur. Cfr. Gl. T. II. v. *Godborinn**) it. *Godvegr*, *Godþiód*.

Godvegr, *Goþvegr* o: numinum sive Deorum via, dicitur de aëre sive coelo aut viâ aliqva ibidem sitâ *Hyndl. L.* 5. Non hic de Iride sive Deorum ponte sermo est qvum iter Freyæ nocturnum describatur. Viam coeli lacteam pro Deorum viâ apud atavos nostros olim habitam fuisse alibi demonstrabimus. A v. *Gvd* s. & *Vegr* (via; in Gl. T. I. & II.).

Godþiód Deorum (aut etiam Gothorum) gens sive regio *VSpá* 28 (obs. 48). Vid. T. II. indicem nominum propriorum ad hanc vocem; cfr. *God*, *Gautr* s.

Grábakr (griseo sive cinereo tergo præditus) serpentis appellatio, *Gr. M.* 34. Vide Glosf. T. II *Grárr* & *Bak* it. Gl. T. I.

Gráfiölludr grisea vel cinerea cute præditus (ab obsol. *Fiall*, *Feall* Germ. *Fell* &c. cutis) aut etiam *Grafvölludr* foveæ potens aut fodiendo pollens; appellatio serpentis *Gr. M.* 34. Vide Glosf. T. I.

Grafvitnir o: fodiendi gnarus, vel etiam: angvis foveam inhabitans; appellatio serpentis, cujus filii *Góin* & *Móin* nuncupantur Gr. M. 43. Cfr. Gl. T. I.

Grafvölludr vid. *Gráfiölludr*.

Gramir verbotenus: sævi, infesti — *Harb. L.* 58. B. II. 10. hic sine dubio diræ potestates, mali dæmones (tenebrarum vel orci). Eo sensu vox occurrit in qvibusdam medii ævi islandicis narrationibus Ex. gr. *Saga af Þorgilsi Orrabeins-fóstra*. Adhibitum nihilominus fuit de piratis sive militibus belligeris, (qvi victis certe terribiles evasere) e. gr. *Yngl. S.* Cap. 26. *Gravm god* dictum olim fuit de Diis iratis vel (perjuro) inimicis, unde *Goda gremi* numinum ira sive inimicitia; — ab adjectivo *Gramr* sævus, iratus cæt. Hinc verisimiliter est derivanda antiqva anglici sermonis vox *Gramary* magia, fascinatio cet. Vide Gl. T. II. v. *Gramir* I. & II. v. *Gramr*. Cfr. ind. nom. propr. T. II.

Gráþ, *Grád* (vorax, voracitas) amnium coelestium (sive Deorum aut eorum populi

*) o. Diis prognatus, Græce διογενης. Tales titulos Græcorum, Persarum & AEgyptiorum Reges usurpasse, multæ veteres inscriptiones testantur. Mos iste hodiedum orientalibus acceptus habetur. Aliud nostrum *Godmálvgr* ad ungvem convenit Græco θεολογος (*Hymisqv.* 38. cfr. Glosf. T. I).

regiones ambientium) una Gr. M. 27. Vid. Glosſ. T. I.

Greip (q. d. rapax, capax) una novem Heimdalli matrum, e genere giganteo oriundarum *Hyndl. L.* 34. *Greip* qvoqve vocatur Geirrodi gigantis filia, qvæ cum Gialpa sorore Thorum Deum interficere conabatur. Cfr. *Gidlp* supra. *Greip* alioqvin nostratibus audit 1) sinus digitorum 2) incurva manus 3) ansa — omnia a verbo *grîpa* rapere, capere (de qvo Glosſ. T. I. & II.). Cfr. Gl. T. I.

Grímarr, Grímar personatus (ſorte etiam galeatus) nomen Odini adscititium *Gr. M.* 46. A τω *Grîma* persona, galea, tegmen (it. nox. q. d. tegens, occulens) vid. Gl. T. II. Cfr. *Grîmnir, Grimr.*

Grímnir (personatus vel galeatus) nisi legi debeat *Grimnir, Grimmnir* (sævus, crudelis) — nomen adscititium Odini, sub humana hospitis specie, Geirrodum Regem Gothorum, ipsius alumnum, visitantis. Agit de eo introductio et epilogus carminis Grimneriani *(Grîmnismâl* dicti) T. I. pag. 36-39 ut et oda ipsa ac ejus epilogus sive prosaicum additamentum pag. 66. Odinus experiri voluit, an relatio Friggæ, de sordida Geirrodi erga advenas parcimonia, veritati fuerit congrua — et ipse igitur illud iter suscepit. Geirrodus interea monitus ſuit a Fylla, Friggæ famula, ne illi veneficiis noceret magus iste, qvi istuc advenisſet, pro signo qvidem (unde is agnosceretur) adferens: qvod nullus canis tam rabidus esſet, ut in eum foret incursurus. Sic de nocuis veneficorum oculis judicavit antiqvitas, & non secus de ipso Deorum visu, hoc autem ob rationem longe ab illâ diversam; — formam enim & habitum corporis, solis oculis exceptis, vi divina sive magica mutari posſe opinabantur *). Eadem ſuit Græcorum de hac re sententia, qvæ etiam inter superstitiosos Europæos nondum est penitus abolita. Geirrodus advenam illum, cæruleo pallio indutum et Grimnerem se appellantem, comprehendi curavit, sed hic nihil de se narrabat, tametsi rogaretur. Rex ex eo per tormenta exqvisiturus, ipsum collocari mandavit inter duos ignes, ubi etiam per octo noctes (ac dies) persedit. Turcæ Caucasii medii ævi, secundum auctores Byzantinos, advenas peregrinos, qvos magiæ suspectos habuere, igne lustrare solebant, ne ipsis eo modo nocere possent. Hic certe similem cernimus superstitionem. Grimner sive Odinus, ab Agnare, Geirrodi filio, decem annos nato, potu tandem refrigerante donatus, longum rupit silentium, ipsi benedicens ac patrium regnum promittens. Revelat dein Agnari secretiores scientias,

*) Græci præterea, & ſorte etiam atavi nostri, eam opinionem ſoverunt, qvod Deorum, humana specie apparentium, oculi nunqvam clauderentur et fixo semper intuitu a mortalibus, distingverentur. — E Græcorum qvoqve superstitione canes Deorum visum sustinere neqvierunt; vid. e. gr. Odyſs. XVI. 158. sq.

ad veterum Scandorum astronomiam & cosmologiam spectantes, sed mythicis formis (in Druidarum & AEgyptiorum ac pl. sacerdotum modum) involutas; loqvitur enim str. 4 de æthere & aere, 5-17 de duodecim coelestibus domiciliis sive signis zodiaci &c. (quæ suis locis in hocce dictionario explicantur) — ad stropham 40am usqve. Tunc str. 41 Ulleri*) & omnium Deorum favorem ei promittit, qui primus ignem tetigerit — ut nempe Asæ sive eorum filii (genii melioris indolis) ex coelo sive aëre, per amplissimam ædis pinnaculi fenestram, lebetibus de ea pendentibus amotis, Odinum ad focum crudeliter vinctum cernere posſent. Is tamen per breve temporis momentum mythos recitando pergit, dum str. 44 (lebetibus revera amotis) se larvam abjecisse sive veram suam speciem repræsentasse (aut etiam: vultum sive oculos elevasſe) fatetur, Asarum, in sui succursum, in ædes tyranni mox futurum adventum prædicens. Jam sua multa adscititia nomina str. 45-49 Odinus recitat, ut alumnus ejus (hæc olim verisimiliter edoctus) ipsum facile recognoscere & feliciter resipiscere qviverit — sed omnino frustra, propter nimiam Geirrodi temulentiam (str. 50). Odinus iratus jam Geirrodum suo & Einherorum favore interdicit, ac istum letho solenniter devovens suum tandem proprium vel sanctisſimum nomen revelat, plura insuper alia huic addens (str. 51-53). Seqvitur brevis prosaica narratio de morte subitanea Geirrodi, gladio proprio extincti & Agnaris **) in regno succesſione ac longo postea regimine. Opinamur fabulam hancce alludere ad hyemis sive brumæ (Geirrodi) & æstatis (Agnaris) arctam originitus cognationem, sed perpetua tamen disſidia; — ille ab Odino (aëris Deo) primum enutritur, sed ingrate suum fautorem tractat & eapropter ab ipso trucidatur (circa festivorum Jolensium incendiorum brumale tempus); — Frigga (frugifera Tellus sive ipsius Dea) æstatem sive vernam lucem aut anni periodum continuo protegit, & ei tandem Gothorum (i. e. hominum gothicæ vel divinæ stirpis) imperium adqvirit. Cfr. vers. Dan. I, 154, 160, 193, it. *Grímarr* s. & *Grímr* i. *Frigg* s. *Odinn* i.***) it Gl. T. II, voce *Grima*.

*) Ullerus, e mea sententia, Deus fuit zodiacalis, signum qvidem sagittarii regens & simul pro ipsius hyemis numine habitus; — sic qvoqve frigori præesse credebatur, & ejus favor eapropter isti homini necesſarius, qvi ignem tangere periclitatur. — Ita similiter id evadit probabile, qvod tempus fabulæ ad mensem Decembrem & brumæ hyemalis exitum ac solstitiale simul vel Jolense festum, rite sit referendum — et carmen igitur Geirrodianum pro festiva dramatis specie, vel Jolensi hymno, nobis accipiendum.

**) Hic Agnar nomen habuit patrui sui, olim Friggæ educatione & favore beati, sed à Geirrodo fraudulente per vastum æqvor è patria ditione ad oras giganteas (Utgardos) propulsi.

***) In codice qvodam Eddæ junioris (l. c. pag. 22) occurrit *Grímnir* aliqvis, alter hyemis cognatorum, qvi ibidem memorantur.

Grímr, Grímur (personatus, velatus, occultus) nomen Odini adscititium *). In recentiore qvadam Svecici vulgi cantilena is vocatur Odin *Asa-Grim* (Asarum Grimus). Vide Eddæ hujus versionem Danicam IV. 237. Nomen *Grímr* (*Grim* vulgo Danice redditum) usitatur adhuc in Islandia uti viris proprium. Cfr. *Grímar, Grímnir* s.

Gróa, nomen sagæ, â filio ad tumulum ejus sepulchralem stante e mortuis excitatæ, qvæ deinde ipsi (e mea sententia, matris mandato procatum ituro) utilia præbet consilia ut exoptatam tandem contingeret metam. Illa consilia integrum carmen *Gróugaldur* continet. Nostras de isto lucubrationes exhibuimus in versionis Danicæ III, 175, sq. Cfr. translatoris latini commentationes in hujus editionis II, 536, sq. *Mone* e contrario carmen illud allegorice de hominis nativitate agere putat (*Heidelberger Jahrbücher der Litteratur* 1822 pag. 478) qvem etiam secutus esse videtur Heibergius noster junior in danica sua poematis versione, (*Tilskuerne, udg. af Rahbek* 1823). — In Skalda sive Edda juniore (pag. 110, 111) celebratur Groa qvædam, gigantis Aurvandelis uxor, qvæ cotem, qvam Hrungner gigas Thori Dei capiti intruserat, magicâ incantatione solvere conabatur &c. Hunc physicum mythum explicare tentavit *Mone Gesch. des nord. Heid.* I, 418.

Gud, Guþ vid. *God.*

Gullinbursti o: aureis setis præditus, nomen sive epithetum verris Freyæ, qvi nocturno ad Valhallam itinere ejus currum traxisse videtur *Hyndl. L.* str. 7 (cfr. str. 6). Verres Freyeri, ipsius vehiculum trahens, illa denominatione vulgo insignitur. Agit sic de eo Edda junior sive Skalda (pag. 131) describens fabricationem cimeliorum a Dvergis Brocko & Sindrio (sive Eitrio) perfectam, qvam supra memoravimus in art. *Draupnir*: "Officinam dum intrasset, Sindrius pellem suinam ustrinæ immisit, & Brockium ignem folle sufflare rogabat, donec injectam materiam ipse iterum reciperet. Mox ex officina se contulit; at alteri illi, qvi inflatoris munere fungebatur, musca qvædam advolavit, et manum, in qvam se demisit, vellicavit, qvi nihilo tamen minus, qvam antea, ignem folle sufflavit, donec artifex rediens ex ustrina rem injectam reciperet, qvæ tunc in verrem (sive aprum) transmutata fuerat, aurea qvidem seta conspicuum." (Seqvitur relatio de formatione Draupneris annuli & Miolneris mallei). — — — "Has omnes res pretiosas Sindrius Brocko in manus tradens, eum rogat ut Asgardum de-

*) Sic etiam auctori hymnorum Orphicorum summus Deus Παγκρυφος audit — eadem sine dubio ratione. Is noctis & caliginis tenebris coelum involvere credebatur, ipse præterea plurimis hominibus ignotus, qva qvidem ratione illud cognomen ei non inepte convenire putatum est.

portaret, depositumqve (seu rem oppignoratam) redimeret. Illo autem unacum Lokio talia pretiosa cimelia proferente, Asæ in tribunalia ascendebant; concluso enim vel decreto Odini, Thori & Freyeri standum esse ab utraqve parte sancte stipulatum fuit. Tum Lokius dedit ——— Freyero Skidbladnerem (navem). Tunc Brockius sua cimelia protulit. Is Freyero verrem illum dedit, dicens eum tam noctu qvam interdiu qvolibet eqvo velocius aërem & aqvas percurrere posse, nec unqvam vel nocturnas vel *Myrkheimorum* (i. e. mundorum tenebricosorum sive inferioris hemisphærii e veterum opinione) tenebras adeo spissas esse, qvin seta ejusdem satis effunderet luminis." cfr. vers. Dan. *Nyrupii* pag. 124-126 & Ed. Raskii pag. 150 & sq.; *den ældre Edda* I, 269, III, 10, 24. — Ad exeqvias Balderi dicitur Freyerus tetendisse, insidens currui, qvi a verre sivè apro *Gullinbursti* et *Slidrugtanni* dicto, trahebatur (Edda jun. ed. Raskii pag. 66)*). Eadem hujus apri nomina occurrunt in *Skálda* (l. c. pag. 104) additâ hac cantilenâ e celebri Ulfi Uggiani (gentilis Islandiæ poëtæ) carmine, *Húsdrápa* dicto:

Ridr á bavrg til borgar
Bavdfródr sonar Ódins
Freyr oc fólkum stýrir
Fyrst oc gulli byrstum.

o: Vehitur primus apro, aurea setâ prædito,
Ad arcem (rogum) Odini filii
Freyerus, pugnandi gnarus
Et cohortes [coelestes] ducens.

Sic nomen *Gullinbursti* Freyeri apro proprium fuit, pro solis ipsius (ut videtur) idolo sive simulacro habito; — sed interdum etiam (epitheti loco) est attributum alteri, Freyæ proprio, verri sive apro, qvi alias veteribus *Hildisvini* audiit, & lunam sine dubio olim significavit.

Historia Hervaræ & Heidreci nobis servavit veterum Gothorum, qvi ê meridie & oriente maris Balthici olim habitarunt, varias traditiones de Freyeri & Freyæ apud eos cultu, cum aprina superstitione connexo. Sic de Rege illo refert Cap. 14 (Edit. Havn. pag. 125). "Tum Rex Heidrecus armorum omnium exercitium deposuit, at leges juraqve civilia tulit, qvemadmodum eo tempore Reges clarissimi fecere. Duodecim viros sapientissimos delegit, ad dijudicandum causas omnes in regno, qvæ majoris momenti viderentur, sed intra limites regni rem omnem piraticam abolevit, jam princeps magnus & dilectissimus, sapientia & potentiâ clarus evasit. Freyam coluit ac præ cæteris omnibus Diis summos ei honores habuit. Rex Heidrecus verrem alendum curavit; is tantæ fuit staturæ qvantæ sunt verres maximi & primarii, *tanti vero etiam ni*

*) Nomen *Slidrugtanni* non satis perspicua notione gaudet. Videtur denotare aut a) dentes vagina tectos (i. e. occultos) habentem, aut etiam b) dentes obtusos vel hebetes gerentem (i. e. non acriter mordentem). Cfr. Gloss. T. II. p. 788 voce *Slíðrbeitr* c) dentibus lamina (aurea forte) obductis ornatum.

toris ut pilus qvisqve aureus videretur. Moris erat verrem sumere, qvi maximus acqviri poterat; qvi aleretur & ad annonæ bonitatem Freyæ daretur, ineunte mense qvi (jam) Februarius dicitur, cum pro felicitate publica sacrificia peragerentur. Rex Heidrecus verrem (alium) Freyero *) sacrificavit, qvem maximum ei dandum parare poterat; hunc adeo sanctum habuerunt, ut setam ejus tenendo causæ omnes momentosæ dijudicarentur, qvi verres sacrificio piaculari (sive solari) **) immolandus esset. Vesperâ festi Jolensis***) verres iste piacularis (sive solaris) in aulam ad Regem perduci solebat, ut setæ ejus præsentes viri manus imponerent & vota tali modo facerent. Rex manum unam verris capiti, alteram autem setæ imponens, spopondit, tantum in se peccaturum neminem, si suæ potestati se permitteret, qvin rectum judicium sapientum suorum obtineret. Hi duodecim viri sacri illius verris curam habuere" &c. Hic verres Freyæ & Freyero a borealibus populis sacrati manifeste occurrunt. Taciti relationem de formâ apri, in Deorum matris (Freyæ sive Friggæ) honorem ab AEstyis (Gothici illius regni aliqvando incolis) gestatâ, infra memorabimus, ad vocem *Hildisvini.* — Venedi sive Slavi, qvi eas regiones postea occupabant, eam foverunt superstitionem, qvod aper qvidam dæmoniaci generis ê lacu Rhetræ vicino apparere soleret, si qvando Rhedariis sæva longæ rebellionis asperitas immineret****). Sic forte Dei Freyeri, Venedis exosi & ab iis certo modo in exilium e propriis sacrariis profligati, mythicus aper hostilis numinis imminentem iram minari putatus est. — Inter monumenta

*) Mira editoris Havniensis (docti alioqvin mathematici) incuriâ vel in antiqvitatibus patriis insciliâ, is in latina sua versione hic pro Freyero Deo Freyam Deam intellexit. Variæ historiæ Hervarianæ recensiones inter se nihilo minus discrepant, de verribus, qvi aut Freyero aut Freyæ vel ambobus etiam numinibus sacrati fuisse videntur. Cfr. *Skule Thorlacius om Thor og hans Hammer. Scand. Mus.* 1802. 1 *Hefte.*

**) Qvod dictum luit *Sónarblót* (Glofs. Tom. II. in voce *Sónargavlr* & *Sónardreyri* pag. 762) non autem *Sonarblot* (sacrificium filiale) ut legere et vertere maluit historiæ Hervarianæ laudatus interpres.

***) In illis terris Jolense festum olim, ut jamjam moris est, circa hiberni solstitii tempus (& Freyeri, solaris Dei nativitatem) celebratum fuisse videtur. Rustici Svecici (& partim etiam, ni fallor, olim qvidam Germanici) apros e farre sive farina subacta factos (vel placentas apri figurâ signatas) festo Jolensi tempore durante, mensis imponere solent. Hi farracei verres a qvibusdam superstitiose servantur, ad vernum usqve temporis spatium cum semina sulcis sint credenda, ut dimidiam eorum partem degluliant eqvi vomere terram sulcantes, alteram autem ipsi aratores. Vid. *Hervararsaga* cum *annot. Ol. Verelii.* Upsaliæ 1672. pag. 139. Cfr. nostri *Jonge Nordsjællandske Almues Karakter* pag. 260 (cfr. 259).

****) Dithmar. Merseburg. Lib. VI p. 151 edit. Wagner; cfr. *Mone Geschichte des Heidenthums im nordl. Europa* I, 212.

veterrima montis Asciburgii in Silesia (qvi jam vulgo Zobtenberg appellatur) una (vel duæ) aprorum lapidea statua adhuc conspicitur, Asarum Deorum cultui olim verisimiliter dedicata *). Veteres Germani Solem & Lunam (qvæ numina nostratibus *Freyr* & *Freya* interdum dicebantur) religiose colebant; hinc probabilis evadit antiqva qvædam traditio de comite tractus Schaumburgensis, Arnum dicto, qvi tempore Caroli Magni Soli & Lunæ statis anni temporibus sues sacrificasse fertur **). Similem morem olim inter AEgyptios, Græcos et Romanos invaluisse, jam est notissimum. Sic AEgyptii Osiridi & Isidi, Græco-Romani Dionyso & Cereri, Telluri ac Lunæ sues immolavere ***). Cum Freyerus & Freya aurum & pecuniam indulgere crederentur, non adeo mirum est, qvod apri figura in vetustissimis Gothicorum & Celticorum Europæ populorum nummis (qvi vulgo barbarici dicuntur) sæpissime inveniantur ****). Aper inter Indos sacratus habetur magno Deo *Vishnu* (qvi ejus specie indutus terram aliqvando ex abysso elevavit) & magnæ Deæ *Bhagavadi* (*Moor Hindu Pantheon* pag. 149). De etymis vocis *Gullinbursti* vid. Glos. T. I. Cfr. *Freya*, *Freyr* s. *Hildisvini* i.

Gullinkambi, *Gullinnkambi* (si pro proprio nomine accipiendum sit) o: aurea crista præditus, gallus in aula exercituum patris (Odini) heroes ad postremam pugnam excitans *VSpá* 39, (Obs. 65). Memorari alioqvin videtur H. Q. III. 47. (Obs. 70). Cfr. *Fialarr* s.

Gulltoppr (aurea juba sive crista ornatus) nonus inter Asarum eqvos sellarios, enumeratos in carmine G. M. 30. Adtribuitur Heimdallo (signi cancrini & mensis ad idem pertinentis domino) ab Edda juniore (l. c. pag. 30) ut etiam a *Skalda* (pag. 105),

*) Vide doctiss. *F. Kruse* dissertationem: *Etwas über das alte Schlesien und dessen Alterthümer*, insertam celeb. Büschingii *Wöchentl. Nachrichten für Freunde der Gesch.* &c. IV, 238, 349, 359, 360 & sq.

**) Vid. Caroli liberi Baronis de Münchhausen, disqvisitionem *Wold und Ostar, zwo altteutsche Gottheiten, nebst der Zeichnuug eines Götzensteins*, insertam amplissimi Graeteri scripto periodico *Bragur* VI, 41, Circa annum 1600 reperta fuit tabula lapidea sive argillacea, runica inscriptione et solis ac lunæ variis imaginibus ornata, ad petram Druidico (sive Drudensi) adhuc nomine insignitam, in montana Schaumburgiæ regione sitam. Ejusdem picta in ligno delineatio jamjam superest, æri l. c. incisa. Vid. ibid. pag. 46.

***) Vid. e, gr. Plutarchum de Iside & Osiride, qvi AEgyptios sues farraceos (uti Svecos recentiores) interdum formasse & comedisse testatur. Cfr. doctiss. *Creuzer Symb. u. Myth. der alten Völker* Ed. 2. III, 322.

****) Sic in nummis Britannicis videtur apri (solaris borealium animalis) imago, additâ inscriptione VANO — Numne nostro (FREYERO) VANO moneta illa revera dedicata fuerit? Vide supra pag. 363. Cæsar suo tempore Belgas (i. e. viros Germanicæ sive etiam Cimbro-Gothicæ originis) amplam magnæ Britanniæ partem inhabitare reperit.

Radices vocabuli sunt notisſimæ illæ *Gull* (aurum) & *Toppr* apex, conus, cacumen, crista, juba p. p. unde Dan. *Top* (ſorte etiam German. *Zopf* & pl.), Cfr. Gl. Tom. I. voce *Typpa*.

Gullveig (auri materies, vis sive efficacia aut etiam liqvor, fluor, potio); nomen allegoricæ mulieris, aurum ipsum sive melius ipsius materiem denotantis, qvæ alias qvoqve *Heidur* (pecunia vel etiam serena) dicta. Dicitur fuisse saga sive fatidica, bona (suis cultoribus) nuntians & lupos ipsos (i. e. feros homines) domare sciens. — Callebat præterea fascinationes sive pyrotechniam (metallurgicam) & malorum (avarorum) hominum oblectamentum (vel deliciæ) semper habita fuit. Hanc perfoderunt homines cuspidibus (aurum ê terrâ evellentes) & ternis eam vicibus in Alti aula (mundi vasto ædificio) cremavere; ea nihilominus ter, & sæpius renata, adhuc inter gentes vivit vel superest. Sic etiam aurum post iteratam cremationem (ɔ: defæcatione aut purificatione, vi ignis adhibitâ) certo modo renasci & redintegrari solet. *VSpá* 19-20 Obs. 32-35. — Dii hominibus ob facinus illud irati evaserunt (cum auri usum sibi solummodo antea vindicasſe videantur). Hinc bella, aëris intemperies et aliæ humani generis calamitates ortæ. Sic aureæ mundi ætatis finis poni videtur in auri ipsius introductione, sed mors & alia nostratium ærumna ut divinæ vindictæ seqvelæ censeri. *VSpá* 21-22. Obs. 36-38. Cfr. nostram in illud carmen introductionem pag. 11 & 20. Prolixe alioqvin de hoc mytho & aurea borealium ætate (a viris doctisſimis *P. E. Müller, Ling, Mone* & pl. disqvisita) nuper egimus in scripto nostro *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 87-108; de Pandoræ Græcorum cum Gullveiga nostra perantiqva similitudine p. 108-110 p. p. Videtur Gullveiga sive Heida mala ille mulier fuisſe cujus cor semiustulatum Lokius invenisſe ac comedisſe & inde dolosam mentem adeptus esſe, at nocivorum omnium terræ monstrorum origo evasisſe dicitur, *Hyndluliód* 27. Hic Lokius pro terrestri igne habetur; is enim auri cor sive primariam esſentiam deglutire solet, unde pecuniæ inter homines usus, qvi olim omnes mundanas calamitates provocasſe credebatur. (Vide porro *Eddalæren* II, 95-96, 117-118. *Den ældre Edda* IV, 237). Prius etymon nominis *Gullveig* aurum indubie denotat. *Veigr* (Latinis *vigor*) Islandis dicitur vigor, valor, materies durabilis sive solida, sed *Veig* ipsum alioqvin aurum aut pecuniam ut etiam pondus rei veteribus denotavit. Cfr. Gloſs. T. I & II voce *Veig*. Sic Gudmundus Andreæ (quem etiam alii Valiani carminis interpretes Johannes Olavius Grunnavicensis & Magnus Ketillius secuti sunt) rite reddidit istud allegoricum nomen: *aurea vis, vigor auri, aurum in fornace coctum* & veram mythi sententiam ingeniose perspexit. Cfr. *Heidur* i.

Gúngnir hasta sive lancea *) Odini (vel hic etiam qvævis alia, ad armaturam humanam pertinens) B. I, 18.; cfr. H. III, (Tom. II, pag. 104) ubi Dago ad cædem perpetrandam mutuo data fuisse fertur. Memoratur inter arma illius Dei in Edda juniore (l. c. p. 72), sed *Gugnir* a variis codicibus dicitur. Occurrit in Skalda (p. 98) in fragmento cantilenæ Kormaci, Islandiæ gentilis & seculi 10mi poëtæ.

Úngr fór Hroptr med Gúngni **)
o: Juvenis Hroptus (Odinus) Gungnerem tractavit.
(i. e. dum etiam adhuc juvenis esset).

Edda junior (p. 150, 151) Gungnerem docet a Dvergis qvibusdam (Ivaldi filiis) factum esse, ê petitione Lokii, qvi etiam enm Odino donasset. Cimelia reliqva, hic memorata (uti malleus Thori fulmineus &c.) certa naturæ elementaris phænomena indubie denotant, et idem qvoqve de Gungnero nostro statuendum erit. Hinc mihi verisimillimum apparet, qvod mythica ista Odini hasta originitus significaverit acontiam vel ignitum meteoron, ensis sive lanceæ formam amantem, qvod adhuc in Islandia dicitur *Vigabrandr* o: ensis, lancea vel jaculum, cædes aut bella (e vulgi opinione) portendens ***). Hoc jaculum a Coeli & bellorum qvoqve numine emitti creditum est, strages futuras inter humanas gentes prænuntians; cfr. *VSpá* 22. Ejusdem indolis erat ensis *Brimir* (i. e. flammeus) dictus, de qvo supra suo loco egimus (pag. 309). Cfr. *den ældre Edda* I, 271. De ipso vocabulo *Gúngnir* consule præsentis operis Glosarium (II, 648).

Gunnlavþ (Gunnlöd, in Skalda etiam *Gunnhlöd)* Suttungi subterranei gigantis filia, Odinum ebrium sive oblivione imbutum hospitio excipiens *Háva M.* 13. Ea in aurea sive aurata sella sedens Odino eximii medi potionem præbuit (str. 106). Odinus ejus amore ac amplexibus fructus, et ab ipsa in periculis protectus, eam tamen postea deseruit str. 106, 109. Cfr. nostram ad eundem carmen introductionem (pag. 63) et observationes (numero 60-70) qvæ mythum ipsum e nostra sen-

*) Dicitur vulgo *Geir (geirr)* qvam voculam plurimi pro hasta sive lancea accipiunt, alii autem (uti e. gr. Joh. Olavius Grunnavicensis) pro ense vel pugione. Cfr. Gloss. T. I & II.

**) Hic prima & postrema versiculi voces consona vocalium alliteratione veram vocabuli pronuntiationem luculenter demonstrant.

***) Fulmen ipsum Odino ab atavis nostris originitus (sed postea) vel ab aliis primum gentibus, filio ejus Thoro attributum fuisse videtur. Sic apud vetustissimos Græcos et forte etiam Romanos lancea pro fulminis symbolo habita est. Vid. e. gr. *Millin mytholog. Gallerie.* Berlin 1820 pag. 199. Lancea olim Scythis & Sabinis Martem (Mamertem sive Mavortem) aignificavit. Hi sine dubio, uti olim Scandinavi, per lanceæ cuspidem vel acinacis aciem jusjurandum præstitere, cfr. Eddam nostram V. Q. 31. Jovi qvoqve Græci attribuerunt aureum ensem unde χρυσαωρ interdum dictus fuit. Cfr. *Creuzer Symbolik und Mythologie der alten Völker.* Ed. 2. IV, 63, 66.

tentia explicant, ut et versionis Danicæ III, 74, 157-160. Prolixior fabulæ enodatio, qvam antea in doctiſ. Molbechii *Athene* (VI, 242 & seqv.) publicavimus, jam Germanice versa prodibit in ephemeridibus literariis Hoestii nostri, qvæ *Nordisches Museum* inscribuntur. Edda Snorroniana (l. c. pag. 83 & sq.) multis exponit mulsi Suttungiani (sive poëseos) origines et ejus qvoqve ab Odini perpetratam acqvisitionem, qvæ tamen hic omittimus, his solummodo exceptis qvæ de Gunlada nostra tractant: "Suttungus mulsum ad domicilium suum avexit, et in loco qvi dicitur *Hnitbiörg* *) reposuit, eiqve custodiendo præfecit filiam Gunladam — — — Odinus, sub Bölverki nomine latens, (vide supra pag. 314) in angvis formam mutatus, foramen (terebrâ per duram cautem effectum) irrepsit **). Mox Bölverkus procesſit ad habitaculum Gunladæ, cum qva per trinoctium concubuit — & tunc ea isti permisit, ut tres e mulso haustus sorberet. — — — Is hoc pacto totum absumsit mulsum . . . qvo facto in formam aqvilinam immutatus avolavit." Hinc Odinus dicitur sarcina Gunladæ brachiorum *(farmr Gunnladar arma)* in fragmento cantilenæ Steinthoris poëtæ, Skaldæ (pag. 96) inserto. Ob candem rationem vocantur Frigga, Rinda, Tellus & Gunlada æmulæ ejusdem mariti uxores sive concubinæ (qvamvis omnes pro eadem persona, terrâ scilicet, revera habendæ sint) *Skálda* l. c. pag. 119, 123. Nomen *Gunnlöd* vertendum videtur: ad pugnam sive certamen invitans sive alliciens, a voce *Gunnur* pugna (de qvo mox infra) & verbo *laþa*, *lada* invitare (vide I, 615 ad vocem *Löþ*); — cfr. *den ældre Edda* III, 158.

Gvnnr, *Gunnur*, *Gudur*, *Guþur*, una Valkyriarum præcipuarum, qvæ enumerantur *VSpá* 28. Hæ alioqvin collective vocantur *Gunna-Systur* (sororeş prælio-rum sive bellicosæ, nisi *Gunnar systur* o: Gunnæ sorores legi potius debeat). Enumerationi Valkyriarum qvam nobis exhibet G. M. 36, hæc addit Edda Snorroniana (pag. 39): "Gudur ac Rota et Nornarum (Parcarum) natu minima, nomine Skulda, jugiter ad eligendos homines (in bellis) sternendos obeqvitant, cædesqve moderantur." De voce *Gunnr* (pugna, bellum) vide Glosſ. I, 537-38 & II, 649-50.

Gvnnþorin } duo cælestes amnes *Gr. M.* 27.
Gvnnþrá } Vide Glosſ. T. I, pag. 538.

Gvstr, *Gustur* Dvergi appellatio S. II. 5. obs. 15. *Gustr* alias Islandis ventus, aura

*) Vox non satis perspicua, sed rupes nucibus consitas sive petris compositas indicare videtur. Legerunt alii *Hvítbiörg*, (o: rupes albæ) Eddam Resenianam seqventes, et hæc ipsa lectio mihi olim præ cæteris arrisit.

**) Eodem modo Zeus ipse, amoris qvoqve gratia, Persephonen (cum Gunlada certe comparandam) visitavit. Zagreus et Qvaser, ex alia hujus mythi parte, non exigua inter se similitudine gaudent.

(præsertim frigida). Hinc Norveg. & Angl. *Gust*, ejusdem significationis. Vocabulum, *Gust*, *Alf-Gust* in Norvegia adhuc usitatur de morbis pecuariis vel humanis, qvi (a superstitioso vulgo) ab Alforum sive Dvergorum noxio flatu effici creduntur. Dvergi non pauci pro ipsis ventis olim habebantur. Vide supra sub vocibus *Álfr*, *Austri*, *Dvergr*. Vox ipsa *Gustr* mea sententiâ alioqvin originitus plane convenit Dan. & German. *Geist* (spiritus) Angl. *Ghost* &c. Cfr. Glosſ. T. II.

Gýgr, *Gýgur*, (pl. *Gýgiur*) oreas, gigantea mulier H. B. obs. 4. Cfr. *VSpá* 30. Videas cæterum Glosſ. T. I, pag. 538-539 ut & T. III, voce *Gígur*. Nostro *Gygrin*, convenit Norvagorum *Jyvrin* (it. *Jyvring*, *Jyvre* & pl.) ejusdem omnino significationis. Cfr. *Gífvr* s. (qvod in numero plurali, postponendo articulo addito, nobis audierit *Gífvrin*, *Gífrin*, Norvegico illi recentiori fere consonum).

Gyl vid. *Giöll* s. & Glosſ. T. I.

Gyllir (aureo colore aspergens sive obducens vel etiam aureus, auratus &c.) unus e Deorum sellariis eqvis *Gr. M.* 30. (*Gylla* deaurare cet. a notisſimo *Gvll* aurum). *Gyllir* alioqvin pro gigantis nomine habetur.

Gýmir Gerdæ pater, oceani borealis vel ipsius glacialis oræ dominus *Sk. F.* 6, 12. Canes habuit rabidos sed ligatos, qvæ Gerdæ habitaculum custodirent (I, 73-74) str. 11. Fuit dives auri & pecuniæ 22. Is filiam, contra Freyeri procationes, armis defensurus credebatur, 24 (cfr. 25) Videas cæterum articulos *Gérdur* & *Freyrr* s. Dicitur gigas fuisſe et Aurbodæ maritus *Hyndl. L.* 28. Idem atqve AEgerus olim sæpe habebatur *AEg. dr.* (I, 148) it. *Skálda* pag. 123, 183. Cfr. *den ældre Edda* IV, 238 cet. ut & s. Gl. T. I.

Gýmisgardar Gymeris, æqvorei aut Utgardensis gigantis sive tyranni habitaculum et ditio *Sk. F.* (I, 73) str. 6, 14, 22. Vid. *Gýmir* s.

Göll (Gavll) Valkyriarum una *Gr. M.* 36. Vocabulum videtur idem esſe cum alio *giöll* (sonora). Sic *göll* alias poetice sonus, vox. Vid. Gl. T. II, v. *giallr* it. *Giöll* s.

Gömul (Gavmul) una cœlestium amnium *Gr. M.* 27. De vocabuli consoni significatione vid. Gl. T. II, v. *Gamall*. Cfr. I, 154.

Göndlir (Gavndler) o: nodosus &c. Odini nomen (ad coeli fortasſis varios nodos respiciens) *Gr. M.* 47. Vid. Gl. T. I, (I, 154).

Göndul (Gavndul) una Valkyriarum præcipuarum *VSpá* 28. Carmen Eyvindi Scaldaspilleri, *Hákonarmál*, eam unacum altera Scögula fingit ab Odino emisſam, ut Haconem bonum, Norvegiæ Regem, in prælio occumbentem exciperent ac ad Deorum & heroum Valhallensem coetum ducerent. Cfr. fabulam veterem, christiani ævi fictionibus mixtam, insertam libro *Saga Olafs Tryggvasonar* Ed. Scalholt. II, 53. Multæ prælii appellationes ab hac Valkyria derivantur e. gr. *Göndlar bylr*, *byrr*, *glymr* (Gondulæ procel-

la, ventus, strepitus) p. p. De probabili vocabuli origine, vid. Gl. T. I, v. *Gavndler*.

Göpul (Gampil) Gavpol ɔ: hiulca, una coelestium amnium *Gr. M.* 27. Vid. Gl. T. I.

H.

Hábrok (altipes) nomen falconis aut accipitris summi sive primarii G. M. 43. Idem fortassis olim habitus est cum alio qvi in Edda Snorroniana (l. c. pag. 19) dicitur *Vedurfölgnir* sive *Vedurfölnir* (ɔ: tempestates abscondens sive sedans) et sic alioqvin describitur: "Aqvila qvædam ramis (apici) Ygdrasilli insidet, eaqve qvidem multiscia; sed inter oculos ei accipiter versatur, cui nomen *Vedrfölnir*." Accipitres uti Odino proprii sive sacri memorantur H. Q. III, 41 *). Hæc avis a præstantisſimis antiqvitatis populis (ut Indis, Persis, AEgyptiis, Græcis & pl.) pro solis, ætheris ac summi interdum numinis symbolo, idolo aut sacra alite habita fuit, qvod etiam de priscis Scandinavis statuendum **), uti multis probare nuper conati sumus (*Eddalæren og dens Oprindelse* II, 267-274, 283-288). Iis, qvi, gliscente tempore, Odinum tantummodo ut Deorum ac heroum Asgardiæ & Valhallæ (coelestis regni & ejus primariæ aulæ) Regem, humano modo viventem et incedentem, æstimarunt, falco ille ipsi, ad venationem exercendam, proprius credebatur. Venatio Asarum memoratur *Hym. Qv.* 1, & Osſianum vatem Valhallensium (ipsi Lodensium) heroum similia exercitia decantasse scimus; hinc etiam vulgi Meklenburgensis ad noſtra fere tempora vigens superstitio, de nocturna Vodani sive Odini venaturâ, & aliæ ei convenientes fabulæ borealium regnorum rusticæ plebi acceptæ. De vetustisſima per accipitres inter Gothicos (ut Asiaticos qvoqve) populos consule indicem T. II, pag. 971 it. *den ældre Edda* (sub titulo *Höge*) IV, 334. De vocabulo ipso vide Glosſ. Tom. I.

Háſi (Hávi) ɔ: Celsus, Altus — nomen Odini sive summi Dei *Háva M.* 110 (obs.

*) *Hervarar-Saga* Cap. 15 enarrat Odini (uti olim inter Græcos Apollinis) sub accipitris specie apparitionem. Hinc forte hujus avis inter atavos nostros summa æstimatio, ut ejus nomina Regibus ipsis adaptarentur. Summæ insuper Borealium Deæ, Frigga & Freya, accipitris specie indutæ interdum apparere solebant.

**) Cfr. observationem proxime præcedentem. Nota est Dithmari Merseburgensis relatio (Annal. Libr. 1) de solenni accipitrum sacrificio, in maximo Danorum festo celebrato. Convenit ei nomen *Haukanótt* (nox accipitrum) qvod Jolensi (solstitii hiemalis) nocti, qvæ pro solis & simul mundi ipsius natali nostratibus habebatur, e qvorundam sententia attributum fuit. De præcipua avis illius inter veteres Scandinavos æstimatione consule Gl. T. I. voce *Haukr*.

70) unde etiam *Háfahöll, Hávahöll* Celsi aula i. e. ædificium mundanum sive coeli arcuatum atrium ibid. cfr. *VSpá* 19. *Háfi (inn háfi, hinn hái)* est proprie flexio appellativa adjectivi *hár,* celsus &c. — qvæ tamen ambo vocabula in substantiva Dei illius nomina a poëtis vel theologis antiqvisfimi ævi transformata fuerunt. Variæ appellationes, ab aliis vetustatis populis summo Deo impositæ, his ad ungvem conveniunt, qvas tamen hic enumerare noftri non est negotii. Cfr. *Hár, Hávahöll* i. & Gl. T. I. v. *Háva,* I. & II, v. *Hárr.*

Hala (sive *Hála)* appellatio lamiæ, oreadis sive mulieris giganteæ H. Q I, 16 — forte fæminimum *tou:*

Halr (in pl. *Halir)* denominatio virorum Helæ, mortis sive orci Deæ, dicatorum vel subditorum *Vafþr. M.* 43. *Alv. M.* 28. (cfr. 18, 26, 32, 34) *Gudr. Hv.* 18. Vide Cæterum Gl. T. I. & II.

Hamíngia Fortuna, Parca, genius sive dæmon muliebris (cujuscunqve mundani hominis sive entis) *Vafþr. M.* 49. Cfr. nostras (de vero illius strophæ sensu lucubrationes: *den ældre Edda* I, 122-24. — De voce ipsa videas Glosf. T. I, art. *Hamíngior* & T. II, *Hamr.*

Hanarr, Hanar nomen Dvergi sive Alfi aut elementalis genii, incertæ significationis *VSpá* 12.

Hángatýr, Hángatýrr, Deus suspensorum (sacrificiorum) sive etiam omnis (ex aëre) penduli — Odini (aërii numinis) cognomen*) *Hr. G.* 18. Cfr. etiam *Háva M.* 160 (obs. 119) occurrit porro in *Skálda* l. c. pag. 94. 95. Vid. Gl. T. I. ut et *Ángantýr* s.**) *Týr* i.

Hapt (in pl. *Havpt, Höpt*) appellatio numinis cujusvis elementalis, proprie (naturæ) vinculum significans. *Vegt. Qv.* 2. (& forte etiam, qvamvis non in versione expresfum sit, *VSpá* 32). *Havpt* dii collectim appellantur in Skálda (pag. 120, 176). Vide Glosf. T. I & III. Convenit alteri *Bönd (Bavnd)* de qvo in hoc lexico suo loco egimus. Odinus in Edda juniore (Cod. Vorm.) dicitur *Haptagud,* Deorum sive naturæ vinculorum numen o: supremus omnium Deus.

Hár, Hárr (Altus ***), Celsus) Odini sive summi Dei nomen V*Spá* 9. *Gr. M.* 45. Vide Gl. T. I & II. Cfr. *Háfi* s. *Hávahöll* i.

Hár, Hárr Dvergi sive Alfi aut dæmonis elementalis nomen. *VSpá* 14. Ambiguum est an verti debeat a) altus, aut etiam

*) Aliud Odini nomen, huic non absimile, occurrere videtur in carmine Finni Hallkelii *(Helmskr. S. Ol. Tr. S.* Cap. 43) nimirum *hánga-hrynr* o: suspensis vel pendulis illabens aut irruens, sive etiam: pendula demittens aut effundens.

**) Odor certe aëri arcte cognatus est, uti vocem illam latinam cum Odini nomine & indole aliqvam connexionem habere suspicamur. Vid. *Eddalæren* I, 335, 44, 33 59. Cfr. *den ældre Edda* III, 170.

***) Hinc forte Altanus, nomen barbaro latinum numinis alicujus (Odini ut videtur) apud gentilis Germaniæ Saxones.

b) hirsutus vel c) canus. Vide Glosſ. T. II.

Harbardr, Harbarþr nomen lintrarii, de qvo carmen *Harbardslióð* titulum et argumentum accepit. Hic portitor Thoro ad fretum aliqvod progresſo, scapham & vecturam denegat & vehementer cum Deo illo altercatur, ut ipsa cantilena optime docet. Harbardus se Hildolfo alicui, ad Radseyense fretum habitanti, scaphæ possesſori, portitando inservire fatetur str. 7. Is se, post Hrungnerum extinctum, asperrimum vel fortisſimum virum (seu gigantem) esſe declarat 13 & una cum Fiölvare qvodam, in insula *Algrön*, bella gessisſe, multa præterea periclitatum & amoribus (invitarum & raptarum forte) virginum indulgentem (cfr. 17). Refert porro qvod is olim lamias sive oreadas vafra arte a maritis abduxisſet, & Hlebardum fortem gigantem, magico baculo, qvem ipse donaverat, dolose de mente deturbasſet 19, tale suum facinus veterrimo proverbio defendens 21. Suas in Vallandia (hic mythica certe sive allegorica) bellicas actiones & ad disſidia inter principes exhortationes breviter commemorat, Thoro insuper opprobrans qvod Odino heroes, in præliis occumbentes, addicerentur, sed illi tantummodo servile genus 23. Graviora probra Thoro objicere pergit 25. Harbardus se præterea cum muliere, tiliæ vel bysſi instar candida, longos conventus egisſe & ludum (eroticum) egisſe narrat 29, sed se tamen edicit Thori ipsius auxilio (aut venia) indigere, ut istam fæminam retinere posſet *) 31-33. Se porro fatetur in exercitu (giganteo) olim contra Thorum (& Asas ac terram ab iis defensam) progresſo, arma hostilia gesſisſe 28-29 tantis offensis meras contumelias addens 40, qvas a lemuribus, tumulos inhabitantibus, se percepisſe fatetur. Sifam porro adulterum domi fovere dicit & Thorum ad ejus congresſum provocat (cfr. 29, 35) 46, 48. Semet Harbardus appellat pastorem sive opilionem **) qvi tamen Asa-Thori itineri graviter offecisſet 50. Harbardus iterum Thoro, per fretum, trajectum abnuit 52 se viam ei ad Verlandiam (i. e. regionem ab hominibus inhabitatam) ducentem describit, prædicans Fjorgynam (Friggæ sive Telluris frugiferæ matrem) ibi Thoro suo prognato (vel ex filia nepoti) porro gentilitias vias ad Odini (aëreas, coelestes sive vernas aut æstivas)

*) Hinc concludere licet, qvod Harbardus hic jactet se cum Thori ipsius uxore Sifa vel Tellure, in illius per tempus hiemale absentia, longos conventus & mutuos amores egisſe; non igitur mirum, qvod mulierem illam appellet tiliæ vel bysſi instar candidam (i. e. nive purisſimo tectam sive involutam). Cfr. str. 46.

**) Gregum cura & pastura gigantibus non raro in veterum borealium mythis adscribitur, non autem, qvantum scio, agricultura — cum in oris terræ extimis, ad glacialem oceanum sitis. aut etiam in tesqvis & montanis regionibus, illorum, ac gentium ex eorum prosapiâ editarum, habitacula vulgo collocarentur.

regiones ducturam esse p. p. 54, 56. Minis Thori brevi imprecatione respondet, qvâ ipsum diris (frigoris & hiemis) potestatibus devovet 58.

Nomen *Harbardr* (ɔ: *Hardbardr*) vel etiam *Hárbardr* significare videtur virum aspera sive pilosa barba præditum. Attribuitur Odino *Gr. M.* 48 (inter Deos id qvidem gestanti) *). In introductione carminis Harbardiani, versioni hujus Eddæ Danicæ insertâ, ac observationibus id seqventibus (II, 131-135, 155-164) multis demonstravi, Harbardum istum aut pro Coelo hiberno aut etiam (potius) hiemali dæmone, ex giganteo genere orto, accipiendum esse, qvi qvidem Thoro Deo, fulmineam vim per vernum & æstivum tempus tantummodo exercenti, in terras habitatas, per aëra jam a frigoris genio occupatum, introitum prohiberet, & in ejus invita absentia atmosphæræ ac telluris dominium usurparet. Sic fabula vel cantilena illa ludis, qvi festo incipientis hiemis *(veturnátta -blót* sive *-bod)* olim celebrabantur, scenico more repræsentata sive decantata fuisse videtur **). Qvod veteres Harbardum illum pro gigante sive Thori Dei dæmoniaco adversario habuerint, elucere videtur ê cantilenâ Ulfi Uggiani, poetæ gentilis in antiqva mythologia versatissimi, insertam *Kristni-Saga* Cap. 8, uti interpretes & G. Pauli voluerunt. Cfr. aliam huic oppositam G. Magnæi opinionem ac ejus argumenta I, 90-91, qvum Harbardum pro Odino larvato, filium illudente, intelligere mallet. Vide de nomine ipso Glos. T. I. Cfr. *Algrön, Hlébardr, Valland, Þórr.*

Hati, lupus dæmoniacus, solis præcursor, filius Hrodvitneris (lupi sive draconis vastatoris) *Gr. M.* 39. Sic de eo agit Edda Snorroniana (l. c. pag. 12-13): "Tum dixit Gangler: multum qvidam festinat solaris dea *(Sól)* et adeo fere qvasi perterrita esset; nec profecto cursum plus accelerare, et si interitum metueret suum. Respondet Har: non est mirum, qvamvis operose festinet; qvia prope adest qvi eam impetitet et perseqvatur; nec ulla patet ei via elabendi, qvam fugiendo præcurrere. Ad qvæ Gangler interrogando: qvisnam ille, qvi ei tantam adfert inqvietem? Respondet Hár: sunt duo lupi, unus inseqvens *Skoll* dictus, qvem illa metuit,

*) Similia epitheta (a barba demissa, hirsuta sive pilosa sumta) Indi & Græci certis Diis præstantioris notæ adscripsere.

**) Ludi & cantilenæ ejusdem indolis describuntur apud Svecos medii ævi ab Olao Magno in hist. gent. sept. (Lugd. Bat. 1645 pag. 144) heroum & gigantum facta repræsentantes & (pag. 404. Lib. XIV. Cap. 2, 84.) de ritu fugandæ hyemis, receptione æstatis & majalibus festis. Reliqviæ horum ludorum adhuc inter vulgum borealium regnorum reperiuntur, ut etiam in Germania, Silesia, Helvetia &c. Cfr. ex gr. doctiss. *Büsching* (junioris) *Wöchentl. Nachrichten* I, 133 & sq., ubi hiems (aut mortis pater) in plebeja cantilena vocatur *Jöde* sive *Jöden*, qvod sine dubio respondebit nostratium *Jötun*, *Jætte* cæt.

et is qvidem eam aliqvando capiet. Alter vero præcurrens, Hati nuncupatus, Hrodvitneris filius, Lunam (hic proprie Lunum) comprehendere cupit, qvod et tandem futurum erit. Ad qvæ Gangler: Qvænam est horum luporum stirps originalis? Respondet Har: Oreas qvædam (sive Lamia, in textu *Gýgur*) in sylva qvæ *Járnvidr* (ferrea) dicitur, orientem versus ab Asgardia sitâ habitat, qvam etiam sylvam fæminæ giganteæ, qvibus nomen *Járnvidiur* incolunt. Annosa illa oreas multos parit filios gigantes, qvibus forma est lupina. Hinc ambo hi qvoqve lupi prodierunt *). Traditum autem est memoriæ, ab illa ipsa progenie, potentissimum qvendam exstiturum, cui nomen *Mánagarmr* (i. e. fera Lunam devastans sive devorans); hic etiam vitâ (sive vitali vigore) omnium morientium hominum implebitur et lunam deglutiet, nec non coelum et terram cruore asperget. Hinc sol fulgurem deperdet ventiqve fient inqvieti, atqve hinc inde strepitus emittent. Sic in carmine Valiano dicitur:" Seqvuntur e *VSpá* str. 36-37; cfr. observationes nostras 57-61 ad eadem loca, et Vers. Dan. I, 64, 119, 265. Videas cæterum *Fenrir s. Skoll* i. *Hati* vulgo explicatur osor, infestus (ut in Gl. T. I.); habet tamen non exiguam similitudinem cum monstro mythologiæ Indicæ, qvod *Khait* sive *Ketu* dicitur; est autem alterum eorum, qvæ solem & lunam perseqvuntur, et hanc qvidem devorare assiduo nititur **).

Hati (osor, infestus) gigas qvidam, inhabitans oras sinus maris (in Norvegia ut videtur) qvi *Hatafjördr* (ab ejus verisimiliter nomine) appellatur. Gigas ille fuit Hrimgerdæ oreadis pater, ab Helgio Haddingico (in rupe sedens) occisus. H. Q. I, (T. II, p. 36). Filia eum declarat fortissimum inter suos fuisse & multas (humanas) mulieres propriis domiciliis abrepsisse str. 17, cfr. str. 24. De nominis hujus probabili etymo consule Glosf. T. II, v. *Hata, Hatr.*

Hávahavll, Háfahöll, (Celsi aula) *Háva M.* 110, 113, 167 (obs. 70, 77). Vocatur *Hárs höll* in *VSpá* 19, cfr. 4 (obs. 9). *Hásí* vel *Hávi* & aliud *Hár, Hárr* nomina sunt Odini vel summi mundi numinis uti antea suis locis observavimus. Triplici sensu hoc vocabulum olim puto

*) Denotarunt forte originitus ambo hi *solares lupi* parelios, qvi adhuc in Norvegia & Islandia tali nomine gaudent. Eadem in Dania loqvendi formula valuit circa annum 1722 ut his testatus est poëta ingeniosus *Sorterup* in Prodromo Calendarii ethnici, adhuc inedito: "Etenim nihil Siællandicis adhuc rusticis familiarius, qvam cum viderint unum in crassiore nube parelium, vel simul plures, inde orituram brevi tempestatem et pluviam augurari dicentes: intemperies aëris propediem exspectanda, qvia vidimus in coelo *lupos solis (Soel-Ulve).*"

**) Vid. e. gr. *Polier Mythologie des Hindous.* I, 258. Monstrum sive dæmon Rahu, cum Khait illo antea arctissimo nexu junctus, alias vocatur *lunæ afflictor* (qvod illo *Mánagarmr* optime convenit) *Ward Wiew of the history, literature and religion of the Hindoos* II, 73. sq.

sumtum fuisse, nimirum a) pro coelesti Dei palatio b) coeli arcuato atrio vel aëria, nobis visibili, camera c) Dei aprico vel intecto delubro. Cfr. s. III, 60, 61, 64 & Vers. Dan. IV, 239 (ad vocem *Hár*). Videas cæterum *Háfi*, *Hár* s.

Havdr vid. *Hödr.*

Haugspori (tumulos calcans vel vestigia in tumulorum superficiem imprimens) nomen Dvergi vel Alfi sive genii alicujus elementalis *V. Spá* 14 *). Alludit certe ad superstitionem, adhuc in Dania, Svecia & Magna Britannia vulgo acceptam de circulis (sive curvis ac undulatis lineis) qvi interdum in virentium tumulorum gramine, qvasi levi aliqvo tactu depressum fuerit, æstivo tempore conspiciuntur. Cfr. e. gr. Olai Magni hist. gent. Sept. (l. c. pag. 106) de Elvarum sive spectrorum nocturna chorea, & viri immortalis *Shakespeare* celeberrimam comoediam *a Midsummernights Dream*. De etymis vocabuli vide Gl. T. I, & II, v. *Haugr* ac T. II, v. *Spor*, *Sporna* (unde etiam *spora*, vestigia imprimere).

Havpt vid. *Hapt.*

Heiddraupnir, *Heiþdropnir* (ex alto stillans vel guttas emittens sive etiam aurum aut pecuniam stillans) B. I, 13. Est, ut puto, nomen Ymeris, primarii Titanis, mythicum, cujus rei rationes reddere tentavi T. II, pag. 925. Cfr. Ind. nom. propr. (pag. 877).

Heidr, *Heiþr*, nomen gigantis *Hyndl. L.* 30. Hic forte *montanum* significat a *τω Heid*, *Heidi* tractus editior sive montanus; cfr. Gl. T. II, sub hac voce.

Heidrún, *Heiþrún*, capra mythica, stans supra aulam Odini, pabulum sibi ex Læradi (arboris) ramis carpens & qvotidie craterem (ansatum) implens medonis sive mulsi nunqvam deficientis *Gr. M.* 25.

*) De Alforum hisce choreis agit (præter plures) celeberrima inter veteres Danicas cantilena:

Jeg lagde mit Hoved til Elvehöj;

Udvalgte Danske Viser Ed. Abrahamson, Nyerup & Rahbek I, 234, 385. Cfr. *Jonge den nordsjællandske Land-Almues Character* &c. pag. 300 & celeb. *Ihre Glos. Svio-Goth.* Voce *Aelfdans.* De re ipsa ita agit doctiss. *Arndt (Reise durch Schweden)* III, 16. *"Allbekannt sind in Schweden die Aelfentänze: ein runder Streif im thauigten Grase bezeichnet den Ort wo sie ihre nächtliche Reihen führen; wer Nachts in einen solchen Ring hineingeräth, dem werden sie sichtbar, und er ist in ihre Gewalt gegeben; doch schaden sie nicht, höchstens fügen sie ihm einen Schabernack zu."* Hæc qvoqve de Scotorum simili superstitione refert illustriss. *Sir Walter Scott (Minstrelsy of the Scottish border* (Ed 5. III, 162) *"The Fairies of Scotland are represented as a diminutive race of beings, of a mixed or rather dubious nature. They inhabit the interior of green hills, chiefly those of a conical form in Gaelic termed Sighan, on which the lead their dances by moonlight, impressing upon the surface the marks of circles, which sometimes appear yellow and blasted, sometimes of a deep green hue, and within which it is dangerous to sleep, or to be found after sunset."* Linnæus in itinerario Oelandico (Vers. German. pag. 76) botanicas hujus phænomeni rationes explicavit.

Hæc de ista refert Edda Snorroniana (l. c. pag. 43). "Qvid est potulentorum heroibus (Einheris) qvæ illis, æqvé ac cibus continuo sint sufficientia? seu an ibidem aqva bibitur? Respondet Har: jam magnopere mirum in modum interrogas. Cogitas tu Omnipatrem Reges, Comites vel alios viros potentes, ad se invitatos, sola potare aqva? Id enim rationaliter asserere possum, multos eos Valhallam adire, qvibus aqvæ potus sibi, sine dubio, satis care constare videtur, si modo lætiora ibidem non essent speranda; in primis vero iis, qvi vulnera et dolores usqve ad mortem toleranter perpessi sint. Ego autem tibi aliud inde certius narrare possum. Capra nomine Heidruna stat super Vallhallam et frondes carpit arboris famigeratissimæ qvæ Læradus dicitur. At ex papillis capræ istius mulsum adeo copiose profluit ut qvotidie craterem ansatum impleat, qvi tantæ est capacitatis ut Einheri omnes satis inde habeant potus." Mulsum alioqvin Einheri bibere dicuntur *) *Hr. G.* 19 et alibi. Cfr. *Hyndl. L.* 42, 43. Nostram Heidrunæ cum Amalthæa sive Olenie, Jovis infantis nutrice, comparationem inseruimus *den ældre Edda* I, 252 (cfr. 276) ubi etiam conjecimus: qvod ex illius Grajorum mythicæ capræ lacte via lactea suum originitus cepisset nomen, sed non a Junonis materno lacte, ut seriores finxerunt poetæ. AEsculapius caprino lacte similiter enutritus fuisse fertur. Esca et potus immortalitatis in mythologia Brachmanorum, Græcorum *Ambrosiæ* nomine & omine respondens, e mari lacteo et coelesti qvidem confecta fuisse feruntur. Omnes hos mythos ad coeli illud lacteo nomine insigne phænomenon respexisse, minime dubitamus. Accedit sensus vocabuli *Heidrún* i. e. ætherea aut coelestis figura sive character — ab *Heid* æther, sudum coelum (vid. Glosſ. T. I, & ut et T. II, v. *Heidr*) & *Rún* (de cujus plurali numero agit Gl. T. I, v. *Rúnum* & II, v. *Rúnar*). Id mihi verisimile apparet qvod Heidruna, uti ipsa Amalthæa Græcis, antiqvis Scandinavis significaverit constellationem aliqvam, viæ lacteæ vicinam, uti alibi pluribus demonstrare conati sumus. Videas porro, de nomine ipso, Glosſ. T. I. *Heidvr*, *Heiþr* (aurum, pecunia) nympha qvædam sive mythica aut allegorica mulier, alias appellata *Gvllveig* (9 v.) *VSpá* 20. Hinc permulta antiqvæ poesëos vocabula e. gr. *heidmilldr* munificus auri; *heidþegi*, *heidmadr* stipendiarius, prætorianus p. p. Cfr. Gl. T. I, voce *Heid*, *Heiþ* & T. II, v. *Heidr*. Nomen *Heidvr* contigit pluribus gentilis antiqvitatis Valis sive sagis, unde conjicere liceat qvod celeberrima illa Veleda sive Velleda (a Romanis sic dicta) patrio sermone appellata fuerit *Vala-Heid* sive *Völ-Heid* vel

*) Vino Einheri interdum in Valhalla potabantur, adventu nimirum fortium principum vel heroum celebrato; vid. e. gr. nostram circa hanc rem observationem *den ældre Edda* I, 243.

simili aliqvâ denominatione. Hinc qvoqve multa Scandinavorum & Germanorum mulierum nomina propria e. gr. *Ragnheidur* (divina opulentia) *Adelheid* (nobilis opulentia, serenitas sive gloria) & pl. Cfr. *Lofnheidur*, *Lyngheidur* in Ind. nom. pr. ad T. II.

Heimdallr, *Heimþallr* dicitur fuisse divinæ stirpis, sed initio temporum natus ad terræ crepidinem sive extremas oras ê novem matribus, gigantei qvidem generis, qvæ etiam enumerantur *Hyndl. L.* 33-34; — auctus postea sive corroboratus fuit, Telluris ſvi sive vigore, refrigerante ac gelido maris liqvore & piaculari (vel solari potius) cruore *Hyndl. L.* 34 *). Vocatur in specie Ulfrunæ filius *Hr. G.* 25. Dicitur præesse domiciliis vel sacris ædibus aut delubris, in loco qvi dicitur *Himinbiörg* (mons, sive rupes coelestis ὁ: coeli vel potius eclipticæ aut solaris viæ fastigium), ubi is in amoena domo mero mulso exhilarari solet *Gr. M.* 13, cfr. *Hr. G.* 25. Longe aliter ejus conditio describitur a Lokio, (Asarum Momo) qvum is Heimdallum appellet Deorum custodem, foedæ sorti â temporum initio destinatum, qvi in perpetuum udo dorso vigilias exercere deberet, *Æg. Dr.* 49. Sic per Heimdallum verisimiliter intelligendus est ille famosisimus (vel latisime conspicuus) Deorum custos, qvem Skirnerus memorat *Sk. F.* 28. Nihilominus is dicitur noctu (somni) vertigine vaçillare **) *Hr. G.* 14. Vocatur Bifrostæ (Iridis sive cælestis pontis) custos *Hr. G.* 9. Solis ortu eveniente is festinanter ascendit (eundem) pontem dictum *Árgiöll* (mane splendentem i. e. Iridis arcum) *Hr. G.* 25. Ingens ejus fortitudo laudatur *Hyndl. L.* 33. Adnumeratur Asis & simul tamen Vanis (sive aëriis Diis) & in horum modum sane providus fuisse dicitur *Þr. Qv.* 15. Appellatur Asarum albissimus sive candidisimus ibid. — & candidus (vel albus (Asa ensem gestans *Hr. G.* 14. Vocatur heros ense ornatus sive gloriosus *Hyndl. L.* 23 (e nostra versione). Diis id consilium proponit, ut Thorum, Freyæ loco, in Jotunheimos mitterent *Þr. Qv.* 15. Delegatur ab Odino, unacum Bragio & Lokio, ut Idunnam, in regionem subterraneam vel Utgardensem deportatam, interrogarent de terræ sive mundi fatis & futuro exitio *Hr. G.* 9. Frustraneæ hujus expeditionis & tentaminis descriptio 10-15. Heimdalli & Lokii, ventis vectorum, reversio & in Vingolfi

*) Hæc omnia respicere putamus ad Heimdallum, qvâ Deum Iridis genium vel protectorem, qvi a terræ, maris & cæli vel aëris elementalibus potestatibus procreari videtur. Hinc cuncta matrum ejus nomina derivari posunt, ut suis locis in hoc lexico monstravimus sive amplius probabimus. Cfr. e. gr. *Ángeyia Elgia* s.

**) Sic Iris ipsa per medium noctis spatium non est visibilis. Cfr. porro *den ældre Edda* II, 236.

aulam adventus 16-18. Multum Heimdallus a celsis Diis, durante convivio, rogitatur 20. Heimdalli, in AEgeris ædibus, cum Lokio altercatio. *AEg. Dr.* 48-49. Appellatur Heimdallus tubæ Giallianæ custos, Odini qvidem auspiciis *Hr. G.* 16 et potens coelestium rupium *(Himinbiargensis)* buccinator 25. Ejus tubæ sonus sub sancta ætheri adsveta arbore (Ygdrasillo) reconditus esse dicitur *VSpá* 25; qvam etiam altum intonans, Deos & heroes ad ultimum certamen provocabit 62, (cfr. *Giallarhorn* s.). Majores & minores Heimdalli cognati vel posteri (Dii & homines) memorantur *VSpá* 1 (cfr. obs. 1). — Heimdallus, sub humana specie & Rigi nomine latens, terram sive borealles ejus regiones peragrat & trium hominum ordinum (servorum sive vilium rusticorum — liberorum colonorum et nobilium ac principum) conditor evadit; hæc *Rigsmál* in introduct. & tota fere ea carminis parte, qvæ nobis adhuc superest. Sic Heimdallus, certâ conditione, totius humani in nostris terris generis procreator appellari potest. Vide cæterum *Rigr* i.

Seqventia de Heimdallo profert Edda junior sive Snorroniana (l. c. 30): "Deorum unus, Heimdallus nomine, Asa candidus sive albus appellatur. Is magnus et sanctus *) est. Peperere eum virgines (sive mulieres) novem, eæqve sorores. . . . . Sic qvoqve ipse cecinit in carmine *Heimdallargalldr* (Heimdalliana cantilena sive incantatione) **):

Gnatus ***) sum novem matrum,
Sum filius novem sororum.

(Cfr. *Hyndl. L.* 33-34). Vocatur etiam *Hallinskíþi* ****) (vel *Hallinskedi* o: viam declinantem sive deorsum tendentem capiens aut terens) et *Gullintanni* (aureis vel auratis dentibus ornatus) qvum dentes ejus ex auro constarent. Eqvus vero ejus *Gulltoppr* (caprona aut juba aurea o: insignitus) nuncupatur. Heimdallus habitat juxta Bifrastam ubi Himinbiörg (rupes cælestes) locus vocatur (vid. *Bifröst* s.). Is custos est Deorum et ibidem ad extremitatem *****) coeli, pontis custodiendi

*) In textu *heilagr* i. e. (originitus) *heidlagr, heidlægr* (æthereus, coelestis, cet.) ab *Held* æther cet. Cfr. Glosf. T. II in hanc vocem & aliam *Heidr.*

**) Carmen hocce, cum aliis pluribus in Edda juniore, Skalda et alibi citatis ad mythologiam nostratium spectantibus, magno literaturæ damno jam dudum est deperditum.

***) Vocabulum *mavgr*, in textu occurrens, cognatum præterea significare potest.

****) A verbo *halla, hallaz;* vergere, declinare (vid. Gl. T. I & II v, *Hallr* & *Skid* (vetere scribendi modo) pro *Skeid* cursus, curriculum, spatium, via (vid. Gl. T. II). Ab illo *halla* deduxit b. *Sorterup* phrasin vulgi danici: *Solen haler digt imod Nedgangen.*

*****) Heimdallus non solummodo contra gigantes, inferiorum regionum incolas, sed etiam contra Muspellianos, qvi coelum empyræum, astrali elevatius, inhabitarunt, excubias agere debuit. Hinc verisimile evadit, qvod veteres, e variis sententiis, ejus stationem sibi repræsentarent: a) in summa extremitate (apice) coeli astralis, ad fastigium pontis sive viæ *Bilröst* i. e. viæ

causa, constitutus, ne scilicet gigantes montani" (Utgardenses vel eorum cognati, terras interdum devastantes) "illum ingrediantur. Hic minori, qvam avis, somno indiget & noctu æqve ac interdiu centum Rastas (veterum borealium milliaria) qvoqvoversus videt atqve auribus nascentia terræ gramina, lanas ovium succrescentes & omnia altius sonantia percipit. Buccinam habet nomine *Giallarhorn*" (i. e. cornu sonorum sive fulgidum — — de qvo supra suo loco egimus) "cujus sonus per omnes mundos audiri potest. Gladius Heimdalli *Havfvt* (i. e. caput) vocatur." (Seqvitur stropha carminis Grimneriani 13). — (L. c. pag. 66) "Heimdallus Balderi defuncti exeqviis adfuit, eqvo Gulltoppo vectus." (Pag. 72) "Appropinqvante sive incipiente Asarum ultimo cum Muspellianis & gigantibus proelio, Heimdallus exsurgit et vehementi tubæ sonitu cuncta numina e somno excitat." (Pag. 73) "Lokius cum Heimdallo pugnam gerit, qvi mutuis pereunt cædibus." Sermones Bragiani (pag. 78) memorant Heimdallum inter summos duodecim Asas, judicum (sive præfectorum aut consiliariorum) munere functos, in aula Asgardiensi congregatos.

Has *Skálda* Dei Heimdalli appellationes recitat: novem matrum filius (addita posterius stropha integra carminis Husdrapæ, illum mythum comprobante, qvam etiam supra pag. 309 explicatam dedimus). Vocatur porro Odini filius, custos Deorum; Asa candidus (sive albus); hostis Lokii; posfesfor Gulltoppi (eqvi); monilis Freyæ recuperator; accesfor Vagaskeri & Singasteini. Memoratur breviter harum denominationum causa, uti id supra exposuimus ad art. *Brisingamen* — Additur prædicta gladii Heimdalliani denominatio, *Havfvt* scilicet, cum hac auctoris observatione: "Traditum est Heimdallum humano capite transfixum fuisse, ut in Oda, cui titulus est *Heimdallar-galldr* exstat. Hinc ergo caput humanum appellatum est mesfor vel sector viri, gladius enim sector vel deletor viri nuncupatur"*). Præterea in Skalda (pag. 97) occurrit cantilena ex Husdrapa desumta, qvæ celebrat eximium (sive vir-

lacteæ (uti suo loco conjecimus). b) In apice eclipticæ sive solaris viæ, in loco Himinbiörg (coeli monte vel editisfima rupe), confinia zodiacalium signorum, Geminorum & Cancri, denotante. c) In summa parte pontis aërii *Bifröst* dicti (vel ipsius Iridis) aut in una coeli extremitate i. e. confiniis coeli & atmosphæræ, ubi aërii pontis fastigium coelum astrale attingere videtur.

*) *Havfut* sive *Höfud* (caput) alioqvin significat a) initium, principium & b) summitatem. Heimdallo, uti solari sive zodiacali Deo, ipsum vitæ initium & stationis summitas statim eveniunt exitialia, qvum deorsum asfidue vergant & declinent. Hinc Heimdalli excidium eddico loqvendi modo gladio lethali asfimilatum, *havfvt* vocari qvivit. Sic & aliter tales fabulas ac phrases ad varias figuras baculorum calendarium sive runicorum, gentilibus usitatas, allusisfe opinamur. Cfr. plures nostras de usu vocis *havfvt* conjecturas qvas infra proferemus.

tutibus ornatum) Heimdallum, ad rogum Balderianum eqvitantem *) qvæ ejus repræsentatio, inter alias, in Olavi Pavonis æde, sculpta sive picta exstitisse videtur.

Heimdallus in genere habebatur coeli & mundanæ naturæ custos, Iridis aërium pontem in specie gubernans — et alioqvin praefectus loco *Himinbiörg* ac palatio ibi exstructo, qvod qvidem in carmine Grimneriano, inter coelestes arces sive oppida, numero octavum recensetur et, e nostra sententia, pro domicilio solis vel zodiacali signo, qvod nobis *cancri* nomine insignitur, accipiendum erit. Mensis, in annuo solis cursu ei correspondentis, ac ex aliqva parte festi solstitii æstivi (sive mediæ æstatis), tunc celebrati, dominus & director præcipuus Heimdallus olim similiter æstimatus fuisse videtur. Cfr. ea qvæ de hoc momento protulimus supra pag. 8-12, 294-96, 500 & alibi — qvibus tamen hic seqventia addenda velimus: mons cælestis *Himinbiörg* eclipticæ sive solaris viæ fastigium in astronomico hocce et calendari mytho denotat. Tale solium Heimdallus Baldero defuncto occupat & propter lucidissimum, qvod jam dirigit, anni tempus, ipse *candidus* sive *candidissimus* etiam Asa salutatur. Simili, ut videtur, ratione vates ei *dentes aureos* & *eqvum juba sive crista aurea insignem* attribuere solebant **). Nomen Heimdalli adscititium *Hallinskíði* sive

*) *"Sva sem Ulfr qvaþ Uggason:*
Kostigr riþr at késti
Kynfróds, þeim er goþ hlóþu;
Hrafnfreistaþar hesti
Heimdallr at mavg fallin."
Qvæ sic in ordinem prosaicum sunt redigenda: *"Kostigr Heimdallr riþr hesti at þeim késti er goþ hlóþu at kynfróþs hrafnfreistaþar fallin mavg"* — et ita qvidem vertenda:
Eximius Heimdallus, eqvo vectus, tetendit
Ad rogum, qvem Dii struxerant
Filio cæso posteritate clari
Corvorum tentatoris (Odini)."

**) Solem & aurum iisdem apud veteres notis insignita fuisse et jam qvoqve esse, notissimum putamus. Sic de illo Heimdalli cognomine scripsit l. c. laudatus Sorterup (sed nescio tamen qva hic fuerit auctoritate fultus): *"Gullintanni* qvod aureos haberet dentes; incisuræ enim (calendares) baculis runicis vel orbibus aureis inscriptæ, seriem dentium repræsentabant." Mensis qvisqve gentilium Scandinavorum habuit dies triginta — et ipsius ergo in calendario spatium tot ostendebat incisuras, qvæ ob eam causam *dentes* porro vocari potuerunt, qvod dentium numero in virili hominis capite optime corresponderent. Sic *dentes* forte dies significarunt & *dens* qvidem *aureus diem solis lumine abundantem*, sed talium dierum sive dentium copiam possedit Heimdallus, ob qvam igitur causam *Gullintanni* vocari meruit. — Mensis spatium in baculo calendari propter triginta illos dentes, *viri caput* allegorice sive ænigmatice appellari qvivit — & hinc illam de tali capite, Heimdalli vitam (per mensem ei

Hallinskeidi, solis vergentem sive declinantem cursum manifeste innuit, uti supra monuimus. Cæterarum menstrui hujus Dei appellationum origines exponere tentavi in art. *Brisingamen* s. Qvalitates Heimdalli summæ sive mediæ æstatis indoli correspondent. Brevissimus ejus somnus indicat noctis exiguitatem, acerrimus visus nocturnam tenebrarum absentiam, clarissimus auditus aëris placidissimam qvietem &c. *). Aliæ mythicæ relationes Iridis phænomenon & ejus genium propius attingere videntur, præsertim illa de novem ejus matribus, uti alibi demonstrare conatus sum (*den ældre Edda* I, 218). Sub tali specie Vanis qvoqve sive aëriis Diis rite adnumerari potest — sed nihilominus, uti Deorum custos ac zodiacalis constellationis præfectus, inter Asas potentissimos refertur. De tubæ Heimdallianæ significatione vide supra p. 11, 391.

Plures in Norvegia loci ab Heimdallo nomina sua propria nacti sunt e. gr. lacus *Heimdallarvatn* in valle Gudbrandica (jam Guldbrandsdalen) situs; mons altissimus et longe lateqve conspicuus, dictus *Heimdallshougen* in Nummedalia & pl. Noti fuerunt plures de eo agentes fabulæ Glumo Geiri filio, vati Norvego seculi 10mi gentili, is enim aurum vocat *Hallinskida tanna of* o: abundantiam sive copiam Hallinskidi (Heimdalli) dentium (*Hkr.* T. I, 169. VI, 36). Plures præterea poëtæ veteres dixere caput Heimdalli gladium (*Heimdalls hiör*) vid. e. gr. *Landnáma* ed. Havn. pag. 266, 415. De verisimili nominis *Heimdallr* significatione et etymis vid. Glosf. T. I.

Heiþ (qvæ ita incipiunt) vid. *Heid.* s.

Hel (in genit. *Heliar*) mortis sive inferni Dea vel domina, dicitur (nomine tamen non prolato) Lokii & (oreadis sive lamiæ) Angurbodæ filia, furia qvidem omnium immanissima *Hyndl. L.* 26. Habitat sub una Ygdrasilli radice sive stirpe *Gr. M.* 31. Memoratur alta ipsius domus, cum ostio orientem (ut videtur) spectante *Vegt. Qv.* 8. Ejus fores moribundus graviter stridentes inaudit *Sól L.* 39. Baldero, istuc adventuro, domicilia, lectus & scamna auro inundantur vel copiose or-

proprie destinatum) finiente fictionem ortam suspicamur, cum Eddæ de ejus exitio narratio nihil tale sapiat. Caput humanum lunam adhuc & mensem qvoqve in calendariis denotare cuîqve obvium erit. Caput pro persona sive homine ipso fuit loqvendi formula, atavis nostris non ignota (vid. e. gr. H. B. 2.) — et sic etiam figura talis sive vocabulum aliqvem forsitan respectum habuit ad personam illam mythologicam, qvæ mensi cuiqve & solari simul domicilio præesse putabatur.

*) Hermeti vel Mercurio apud Græcos & Romanos idem mensis dicatus fuit, ac Heimdallo (e nostra sententia) apud veteres boreales; hinc igitur non mirum qvod ambo illi Dii Deorum custodes candidi sive lucidi appellentur & acerrimo visu gaudere dicantur. Vid. Rudbeckii Atlantica II, 30.

nantur & liqvidum nectar (mulsum scilicet peroptimum) clypeo tectum præparatur ibid. 11. Helæ virgines sive nymphæ (furiæ) moribundos, qvovis vespere, horride ad ejus habitacula invitant *Sól. L.* 38. — Hæ in somnio apparentes describi videntur *A. M.* 25*). Ejus firma vincula, moribundi lateribus duriter adstricta, ab isto dirumpi neqveunt *Sól L.* 37. De cane ei adscripto vide art. *Garmr* s. Gallus fuligineus in ejus atriis cantu suo mundi appropinqvantem interitum nuntiabit *VSpá* 39 (obs. 66 cfr. 64, 65). Ater ille eqvus, qvo defuncti Sigurdi Fafnericidæ larva vehi dicitur *G. Hv.* 17 alludere videtur ad Helæ caballum, superstitiosæ Daniæ plebi sub nomine *Helhesten* adhuc satis notum. —

Hel sive *Helia* pro Helheimo o: mundo subterraneo sive inferno ponitur *Vafþr. M.* 43 (ubi *Niflhel* ab *Helia* diversa traditur); *Gr. M.* 28, ubi amnes isti enumerantur, qvi e locis hominibus vicinis istuc cadere dicuntur; *Sk. F.* 27 ubi Gerda, a Skirnero exsecrata, Helam se convertere jubetur. *Vegt. Qv.* 6-7 ubi canis immanisfimus, inde Odino obviam iens, describitur. *Alvis M.* 14, 18, 20, 26, 32, 34 vocabula qvædam Heliæ sive orci incolis usitata, enumerat**). Adde *G. Hv.* 18 ubi Sigurdus Fafnericida Helæ regiones inhabitare innuitur. *Heliarheimr* Helæ mundus sive regio *Hr. G.* 11 (cfr. *Heliarsiöt* Helæ sedes vel ditio *Fiölsv. M.* 26). *Helvegir* Helæ viæ sive regiones memorat *VSpá* 43, a singulari *Helvegr* (Helæ sive lethi via) ibid. 47 (cfr. Eddam juniorem l. c. pag. 65-67). Ponitur porro *Hel* sive *Helia* pro morte ipsa vel sepulchro e. gr. *S. II, β.* 21. *A. M.* 95 et pro interitu, occasu sive defectu *Fiölsv. M.* 26. Cfr. porro Gl. T. I, & II.

Hæc de Hela nostra habet Edda Snorroniana: l. c. pag. 32 eam de Lokii & Angurbodæ tribus liberis (Fenrere lupo, Jormungando angve & Hela ipsa) exhibet relationem, qvam supra pag. 337 lectori communicavimus. His jam solummodo inde addendum: "Pater universi (Odinus) Helam in Niflheimum (chaos sive abyssum primarium) abjecit illiqve potentiam et dominium in novem dedit mundos***) (vel regiones) ut mansiones inter eos, qvi ad eam mitterentur, distribueret, sed hi sunt morbo vel senio exstincti homines. Magna ibi habitacula (sive prædia aut oppida) possidet, qvorum sepimenta sunt celsissima, atqve januæ portarum clathratæ & vastæ. Ejus palatium vocatur *Elvidnir* (nimbos sive procellas late accipiens;

*) Cfr. porro *Saga Gísla Súrssonar* Cap. 24, 30 & 33 ubi somnia his non absimilia enarrantur.

**) Cfr. *Halr* supra & Vers. Dan. II, 4, 5, 29 & sq.

***) Hæc desumta videntur e *Vafþr, M.* 43, sed verbis auctoris prave intellectis. Cfr. vers. Dan. I, 96. 117.

cfr. *Elivagar* s.) *); patella (vel orbiculus cibarius) *Húngr* (inedia); culter *Sulltr* (fames, jejunium lethale) servus *Gánglati*, ancilla *Gánglöt* (præ pigritia tarde incedentes); lectus *Kavr* (grabatum); aulæum ejus (sive aulæorum apparatus) vocatur *blikandi bavl* (fulgens ærumna sive dolor) **). Dimidium corporis ejus est lividum, reliqvum vero colorem refert cutis humanæ vulgarem; idcirco cognitu facilis est, et simul qvoqve vultum gestat adeo minacem ac truculentum."

Qvæ de Hela (pag. 65-68) in mytho Balderiano occurrunt, nos supra explicata dedimus (pag. 293-297). Pag. 72 memorantur omnes Helæ socii, asseclæ aut domestici *(Heliar sinnar)* ut Lokium contra Deos pugnam ultimam gerentem comitantes (cfr. *VSpá* 45). Pag. 75 prædicuntur Balderus & Hödus ex Helæ mundo sive habitaculis ad Campum Idensem reversuri esse. Har Ganglero (pag. 4) declarat malos post mortem homines ituros esse ad Helam (sive Helæ regnum) & inde qvoqve in mundum nonum qvi *Niflhel* appellatur (cfr. *Vafþr M.* 43).

Multi ethnicæ vetustatis poëtæ Helam suis celebrarunt carminibus e. gr. Thiodolfus Hvinensis, in carmine *Ynglingatal* Videatur *Ynglinga Saga* Cap. 20 ubi Hela vocatur Lokii virgo sive filia, & caballus *(Helhesten)*, ut illi præsertim proprius memoratur, qvapropter ipsa hic eqvina Dea dicitur ***); appellatur porro (Cap., 49) Bileisti fratris (Lokii) puella (Cap. 52) gigantea mulier (ut Angurbodæ & Lokii, e tali genere prognati, filia).

Veteres de Hela, ejus domiciliis & incolarum habitu ac conditione, varias opiniones fovisse, ex iis, qvæ jam prolata sunt, satis constat. Putarunt enim qvidam malos tantummodo homines ejus domicilia inituros, alii autem eos, qvi armis (in proelio vel certamine) non exstingverentur. Vidimus Balderum, optimum inter Asas Deum, illuc venisse, sed hanc fictionem originitus physicam fuisse, alibi demonstravimus. Helæ qvoqve regionem inhabitare dicitur heros inter humanos maxime celebratus, Sigurdus Fasnericida, qvi ferro periit, sed sicarii qvidem proditione, Balderi fatalem exitum certo mo-

*) Varii codices limen Helæ variis modis describunt vel denominant; aut id aut etiam clathrata ædis janua dicitur *fallanda forad* (præcipitium ruinosum sive lapsum parans) &c.

**) Allegoria hæcce respicere videtur ad fulgida illa textilia, variis figuris conspicua, qvibus gelu in septentrionali mundi parte parietes & vitra fenestrarum copiose obducere solet. Cfr. Olai Magni hist. gent. sept. Lib. I. Cap. 9. Alioqvin illam Eddæ junioris periodum descriptioni Virgilianæ inferni (AEneid. Lib. VI. 275 & sq. qvam etiam Seneca Tragicus, Claudianus & plures imitati sunt) non absimilem esse, satis lectori innotescet. Occurrunt nihilominus apud orientales poetas, qvi Virgilium nunqvam legerant, allegoricæ ejusdem indolis descriptiones, ut Hesiodum & plures Grajorum vates taceam.

***) Vid. Snorronis Sturlæi *Heimskringla* ed. Havn. I, 23, VI, 6.

do experiens. AEdes splendidæ & eximia potio, Baldero apud Helam paratæ, Eddæ Snorronianæ de vulgari ejus hospitio relationi minime convenire videntur. Invenimus præterea qvosdam antiqvitatis vates viros, in bello cæsos, in Helæ domiciliis receptos statuisse; vid. e. gr. A. M. 40, 48, 51. Monstrat carmen *Alvis-Mál* atavos nostros Helæ mundum ad nostri normam formatum putasse, qvum ibi etiam finxissent solem, qvem incolæ gyrantem (sive versatilem vel etiam disparentem) orbem nominarent (str. 14) & similiter nubes, galeæ cooperienti adsimilatas (18) ventum (asperum, 20) ignem (vastantem sive præcipitem, 26) segetem (coarctatam sive tristem, 52) Cerevisiam (sive mulsum, 54). His forte addendum qvod terra nostra appelletur cælum (vel tegmen) Helæ mundi (*hlýrnir heliar heims*) *Hr. G.* 11 — unde ejus verus situs facillime indagatur. Istum igitur pro hemisphærio inferiore veteres sine dubio sumsere, & eum qvidem cum nostra tellure in ultimo mundi exitio periturum credidere. Tunc Balderus & plures ad cœlestia revenient domicilia & tunc etiam malorum hominum animæ ex Helæ inferno (vel orco) ad Niflielæ (sive infimi Niflheimi) Tartara migrabunt; eodem tempore proborum animas, qvæ in Helæ habitaculis, mundano hocce ævo durante, detentæ fuerant, ad Gimlii summi æternam beatitudinem pervolaturas esse, e contextu carminis *Völuspá* & Eddæ junioris contentis, satis probabile ducimus. Cfr. *Gimli* supra.

Describit mythus Balderianus longinqvum (per novem dies ac noctes) iter, per vias deorsum & boream versus vergentes, profundis (Utgardensium montium) vallibus circundatas. Ad hocce iter perficiendum mortui olim eqvo, viatico & reliqvo itinerario apparatu indigere putabantur; hinc caballorum, canum & falconum ossa, cibariorum & potulentorum reliqviæ, qvæ adhuc in sepulchris borealium gentilium reperiuntur. Ad illum apparatum pertinuere calcei, qvi mortuorum pedibus alligabantur, dicti *helskór* (calcei, summæ ad Helam & etiam Valhallam itioni destinati) *). Permulta

*) Vid. e. gr. *Saga Gísla Súrssonar* Cap. 14, ubi sermo est de Vesteino, clandestina cæde nocturno tempore interemto: "Tumulo condito & involucris cadaveri adplicatis, Thorgrimus loqvebatur: solent viris alligari funebres calcei ut iis in suo ad Valhallam itinere uti possint et hoc qvoqve Vesteino faciam. Cum id perfecisset, iterum dixit: non funebres calceos rite ligare calleo, si hic unqvam sponte dissolventur." — In Anglia boreali gentilis ista superstitio christianæ fidei adaptata evasit, ut concludere possumus ex illustriss. Walteri Scott disqvisitione de 'næniis,' a vulgo illius regionis catholicæ fidei dedito, adhuc usitatis. Elizabetha regina imperante, hæc de illorum exeqvialibus ritibus, inter alia, literis sunt tradita: "*When any dieth, certaine women sing a song to the dead body, recyting the journey that the partye deceased must goe; and they are of beliefe (such is their fondnesse) that once in*

recentiorum borealium (Islandorum, Danorum, Svecorum, Germanorum & pl.). Vocabula & superstitiones, ad mythum veterrimum de Hela & ejus domicilio pertinentia, hic ad ungvem recitare, nimis prolixum foret. Jam satis erit tantummodo observare, qvod mythica illa *Hel* eadem sit ac veterum Germanorum *Helle* (nunc *Hölle*) Angl. *Hell* &c. Reliqvas in fidei christianæ libros symbolicos, inde receptas inferni appellationes & plura huc spectantia, exposuimus in Glosf. T. II; cfr. Gl. T. I, *). Cfr. *Helgrind*, *Niflhel* i.

Helblindi (letho sive lethaliter occæcans) nomen Odini adscititium *Gr. M.* 45. Est qvoqve alteri Lokii fratrum proprium, de qvo vid. *Loki* i. Odinus ut summus coeli Deus antiqvisfimis hominibus fulgura, turbines & tempestates emittere credebatur, unde facile illam denominationem acqvirere potuit (cfr. *Gúngnir* s.). Habebatur præterea vitæ & necis dominus, uti alibi monstravimus (e. gr. *Eddalæren* I, 336, 340 & sq.) et postremo ethnicismi ævo, præsertim a bellatoribus, ut præliorum & cædium director cultus fuit. De etymis vocis vid. Gl. T. I & II v. *Hel* & T. II, v. *Blvndandi* (vel *Blindandi*) **).

Helgrind (in pl. *Helgrindur*) ostium Helæ clathratum vel clathra ejus aulam vel ditionem cingentia, non distincte nominatur, sed memoratur tamen (e nostra & Gunnaris Pauli sententia) *Sk. F.* 28 (cfr. 27). Vocatur *Heliar grind* (orci fores, qvas defunctus graviter stridentes inaudit) *Sól L.* 39. Edda junior memorat *Helgrindur* pag. 4 ubi *Gialla* amnis iis proxima fluere dicitur. Pag. 33. Helæ *grindur* o: januæ portarum clathratæ vastæ describuntur. Pag. 67 nominantur *Helgrindur* (clathratæ Helæ portæ sive

---

their lives, it is good to give a pair of new shoes to a poor man, for as much, as after this life, they are to pass barefoote through a great launde, full of thornes and furzen, except by the meryte of the almes aforesayd they have reedemed the forfeyte; for, at the edge of the launde, an oulde man shall meet them with the same shoes that were given by the partie when he was lyving; and, after he hath shodde them, dismisseth them to go through thick and thin, without scratch or scalle." *Minstrelsy of the Scottish border* II, 361. cfr. 367 sq. — Refertur insuper de plebejis Hibernis recentioris ævi, qvod densa calceamenta defunctis alligare soleant, ut illæsis pedibus ad futura domicilia pervenire qviverint.

*) An Venedorum aut Slavorum Hela cum nostrate aliqvid habeat commune, doctisfimi Schroeteri diligente circa idola, qvæ illis adscribuntur, disqvisitione propediem indagandum speramus.

**) Odinus porro a Scaldis antiqvis vocatus fuit *Blindr* (coecus) *Gestr blindi* (de qvo historia Hervariana consulenda p. p.); similis indolis sunt alia *Grimarr*, *Grimr*, *Grimnir*, uti supra suis locis memoravimus. Zeus ipse apud Græcos, pari verisimiliter ratione, agnomen Scotitæ adeptus est (Vid. Pausan, Lacon. Cap. 10). Notum alioqvin est, qvod Odinus interdum a vetustatis poëtis monoculus dictus & descriptus fuerit. De hujus fictionis primitiva causa vid. s. III, 12, 37.

etiam sepes) janua autem (vel portæ clathra) qvam Sleipnerus eqvus, Hermodum vehens, transsiliit, singulari numero *grind*. Cfr. s. pag. 296. *Helgrind* (ostium Helæ ɔ:, inferni vel hemisphærii inferioris) directe opponi videtur alteri *Valgrind* (ostio Valhallæ ɔ: coeli astralis vel hemisphærii superioris) uti suo loco amplius explicare conabimur. — Illam forte veteres interdum pro noctis & tenebrarum, hanc autem pro diei & lucis ostio vel porta ceperunt. Cfr. versiculos hosce Angantyri (*Hervarar Saga* Cap. 7).

Hnígin er Helgrind
Haugar opnaz —

ɔ: Occidit (vel reclusa est) Helæ janua
Aperiuntur (sepulchrales) tumuli.

De radicibus vocabuli vid. *Hel* s. ac Gl. T. I, II, & III, v. *Grind*.

Hepti (impediens, vinciens, constringens) nomen Dvergi sive genii elementalis *VSpá* 12. De vocabuli radicibus consule *Hapt* s. & Gl. T. II, v. *Hapta, Haptr, Heptr.*

Herdir (indurans sive indurator) nomen allegoricum Odini, tanqvam borealium Plutonis vel Christianorum diaboli repræsentati *Sol. L.* 76. Cfr. vers. Dan. III, 223. Vid. Glosſ. T. I. ut et T. II. v. *Herda*.

Herfavdr, Herfadir pater exercitus sive militiæ; (agminum dux sive protector) nomen adscititium Odini *VSpá* 27. (Obs. 45). Cfr. *Heriafadir, Herian* i.

Herfiötur vel *Herfiötra* (ad vocem; militaris pedica vel etiam: copias aut milites constringens sive impediens) *Gr. M.* 36. — Valkyriarum una, Einherorum vel Valhallensium heroum pocillatrix. Vid. Gl. T. I. ut & T. I & II ad v. *Herr, Her* & *Fiötur, Fiavtvrr.*,

Heri, Dvergus sive dæmon elementalis, e Lofaris coetu *VSpá* 14. Vox ipsa, jamdudum obsoleta, originitus verisimiliter denotavit militem, vastatorem sive etiam (herum) ducem aut dominum. Vid. Gl. T. I. v. *Einheri* Herian *) et ind. nom. pr. T. II. v. *Einheriar* it. I & II. v. *Herr, Her.*

Heriafaþir (alioqvin *Herfadir, Herfavþr*) agminum sive exercituum pater, nomen adscititium Odini; *VSpá* 39. *Vafþr. M.* 2, 40. *Gr. M.* 19, *Hyndl. L.* 2. Cfr. *Herfavdur* s. Denominatio hæcce significare potest a) agminum (coelestium i. e. astrorum) patrem b) exercituum (terrestrium) ducem, protectorem vel directorem. c) multitudinis sive universitatis (coelestis ac terrestris ɔ: Deorum & hominum) patrem. Vid. Gl. T. I. (ut et vers. Dan. I, 62, 100). Circa vocabuli etyma cfr. Gl. T. I & II ad *Herr, Her* & *Fadir, Faþir* — it. *Herian* i.

---

*) Iis, qvæ ibidem de origine seu parallelis vocis *herra, hari, heri* (dominus) allata sunt, adde Græca ἔρος, ἔρρος (unde etiam ἥρως, heros, nomen Junonis *Here* & pl.). Cfr. nomina Deorum & semideorum græcorum *Heracles* (Hercules) *Hermes*; — Indorum: *Heri, Hari* vel *Hara* Diis maximis Visnuvo & Sivæ adtributa p. p.

Herian (imperator, dux, destructor. cæt.) nomen adscititium Odini, *Vſpá* 28. *Gr. M.* 45, *Hr. G.* 16. Occurrit in Edda Snorroniana (pag. 3) uti præcipuarum illius Dei appellationum secunda, præsertim forte Coelo, signum & mensem aqvarii dirigenti, ut videtur propria. Vid. vers. Dan. I, 157. cfr. *Alfadir* s. De vocabulo ipso vid. Gl. T. I & II *). Cfr. *Herfavdr*. *Heriafadir* s.

Hermódr, *Hermóþr* Deus sive heros, galea & thorace ab Odino donatus *Hynd. L.* 2. Fuit alioqvin Hermodus, cognomine alacer, Odini filius; de ejus ad inferos expeditione, in Edda juniore relata vid. s. pag. 294 & sq. Hermodus etiam, ê fictione Eyvindi Scaldaspilleri, epicedium Haconis boni concinnantis, unacum Bragio ab Odino delegatus fuit, ut Regem illum, in praelio occumbentem, solenniter ad Valhallæ gaudia invitarent & deducerent **); (*Hkr.* ed. Havn. I, 163). Videas porro Vers. Dan. I, 209, IV. 241. Circa nominis hujus (qvod pro virili proprio adhuc in Islandia usitatur) etymologiam consule Gl. T. I & II. v. *Herr*, *Her* & *Módr*, *Móþr*. Hinc qvoqve nomen Anglo-Saxonicum *Heremod* ***).

Herteitr (inter cohortes hilaris sive alacer vel etiam: agminibus arridens aut propitius) nomen adscititium Odini *Gr. M.* 46. Derivatur a voce *Herr*, *Her* (de qvâ Gl. T. I & II) ac adj. *Teitr*, lætus, hilaris ****), vid. Gl. T. II. v. *Teiti*.

*) Ejusdem naturæ fuere Græcorum Zeus στρατιος, Romanorum Jupiter imperator, prædator, victor & pl.

**) Hinc certa similitudo inter Hermodum nostrum (viarum gnarum & itinerum peritum) & Hermetem Græcorum, Psychopompum qvoqve dictum, facillime demonstrari poterit.

***) Cfr. vetustam præfationem Eddæ Snorronianæ Ed. Rask. pag. 13 & poëma Anglo-Saxonicum vel Dano-Saxonicum de Scyldingis Ed. Thorkelini pag. 69. Odinus sive Vodanus, Heremodi nepos sive filius Anglosaxonibus dictus, pro humano inter eos principe accipiendus esse videtur. Memoratur in fragmento islandico, de antiqvis Daniæ Regibus, Hermodus noster, ut maxime inter Asas animosus et cum Helgio aspero, Daniæ principe, comparatus (in colloqvio Hoerdi & Ivaris Vidfadmi). Deest locus hicce in exemplare Holmiæ 1719 edito (vulgo *Sögubrot* dicto) & in translatione Grundtvigii Danica (*Dannevirke* I, 336 & sq.; cfr. *P. E. Müllers Sagabliothek* I, 486) qvam ob causam originalis relationis verba, a me aliqvando in Islandia è codice melioris notæ transscripta, his inserere liceat: *Konúngr mælti: hvat var Helgi hinn hvassi med Ásum? Hördr qvad: hann var Hermódr er best var hugadr* oc *þér úþarfr Konúngr m. Hvat er Gudraudr med Ásum? Hördr qvad: Heimdallr &c.* Adfuit qvoqve locus hicce, vel similis qvidem Rafnio nostro, verba prædicta ita Danice vertenti: "*Hvo var Helge hin Hvasse blandt Aser? spurgte Kongen. Hörd svarede:*

Han var Hermod
I Huen bedst
Og dig til Skade."

(*Nordiske Kjæmpehistorier* 3 B. 1 H. 1824 pag. 137). Decantatur Hermodus aliqvis (*Heremod*) ut Danicus heros in carmine Anglo-Saxonico de Scyldingis, à Thorkelino edito.

****) Hinc nomen proprium virile, adhuc Islandis usitatum, nimirum *Teitr*, *Teitur* qvod Latino *Titus* correspondere videtur.

Hervör vid. *Álvitur.*

Hiálmberi (galeam gestans) nomen Odíni adscititium Gr. M. 43. Describit Edda Snorroniana (pag. 72) Deum illum, aurea galeâ adornatum, ad ultimum cum Asarum hostibus praelium tendentem. Consentit ei Skalda, de Odino Hrungnerem visitante referens (pag. 107). Auream illam galeam poetis ipsum coelum, alioqviu casſidem (tegmen sive operculum) aëris, terræ, solis & pl. dictum, significasſe puto, qvapropter Odinus, aëris Deus, galeam auro (astralium luminum) ornatam merito gestasſe fertur; cfr. *Skálda* pag. 122. De radicibus vocabuli vid. Gl. T. I & II v. *Hiálmr* & *Ber (bera).*

Hildisvíni, Hilldisvíni aper sive verres Freyæ, a Dvergis duobus, Daino & Nabbio fabricatus, aurea setâ sive auratis pilis præditus (de qvo ex aliqvâ parte disqviſivimus in art. *Gullinbursti*, â qvo etiam galeæ certo modo cristatæ sive rostratæ idem nomen apud vetustatis heroes adeptæ sunt). *Hyndl. L.* 56. Præter exempla borealia in Gloſs. T. I. allata (qvocirca *Skálda* consulatur pag. 152 ut et 217 de galeâ Alii, Norvegicī Regis, qvæ postea Rolfo Krakio propria fuit, et *Hildisvín* vel *Hildigavlltr* appellabatur) videas carmen Anglosaxonicum de Scyldingis ubi pag. 85 galeæ vel earum cristæ vocantur:

svin eal gylden ɔ: porci (vel porcinæ cristæ) aurati
eofer iren heard super dura ferra (positi)

pag. 98 *svin ofer helme* porci supra galeas (cfr. annotationes doctisſimi editoris pag. 243). Laudatur porro (pag. 110) galea Beovulfi, cui armorum faber imposuerat porcinam formam, & qvæ deinde illi heroi egregium præsidium evasit. De apris sive verribus Freyæ & Freyero sacratis, suis locis varia protulimus, qvibus hæc jam addenda: Tacitus (in Germaniæ Cap. 45) seqventia nobis refert de AEstyis, maris balthici Gotho-germanicis accolis (et eadem, ut videtur, gente ac Gothis illis Heidrecianis, aprinis sacris maxime deditis): "Matrem Deum venerantur; insigne superstitionis, formas aprorum gestant; id pro armis omniqve tutela; securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat." Hic manifeste de apro Freyæ sermo est uti etiam observavit doctisſimus *Malte Brun*, hæc ad illum Taciti locum ingeniose annotans: "*C'était précisément l'animal consacré a Freya, la Vénus de Scandinaves, souvent confondue avec Frigga, la mère des dieux dans la même mythologie*" (*Geographie de M. Brun* I, 234). Cfr. scriptum nostrum *Bidrag til nordisk Archæologie* (1820) pag. 152-153 et versionem hujus Eddæ Danicam III, 24, 25. — Vocabulum *Hildisvíni*, verti potest Bellonæ sive bellicus (originitus forte splendidus) aper, qvarum versionum rationes qværendæ sunt in Gl. T. I. art. *Hildisvíni* & *Hilditavnn* ut et *Hildur* i. De mythici illius apri vera significatione vid. art. *Gullinbursti* s.

Hildólfr (*Hilddálfr* ɔ: genius bellicus sive

Bellonæ carus) Harbar li, ut fertur, herus sive Dominus, et cymbæ ejus vectoriæ posſesſor; dicitur sagax esſe sive consilio valens et in freto ad insulam *Rádsey* (imperii insulam) habitare *Harbardsl.* 7. Denotavit forsitan poëtæ nostro summum anni & variorum ejus temporum numen, ut antea conjecimus ad vers. Dan. II, 156. De etymis vocabuli vide *Álfr* s. & *Hildur* i. Cfr. *Harbardr* s.

Hildur, Hildr, Hildvr borealis Bellona & una qvidem e Valkyriis. Describitur, inter alias, ad eqvitatum paratas *Vſpá* 28, et Einheris potum ministrantes *Gr. M.* 36. Humana belli (sive disſidiarum) effectrix donatur illius nomine H. III, 21: *Hildur* alioqvin veterrimis poëtis simpliciter bellum sive pugnam freqventisſime significavit; sic e. gr. miles bella ciens Hildam e somno excitare dicitur H. III, 6. Appellatur praelium Hildæ ludus S. II, β. 31. — Nomen Hildur proprium fuit juveni heroinæ, qvæ postea Brynhildæ celeberrimam acqvisiit appellationem (nisi amazo hæcce galeata, e poëtæ sententia, cum Hilda Dea sive Valkyria vulgo comparata fuerit) HB. 7. — Edda Snorroniana, melos Grimnerianum secuta, Hildam inter Valkyrias, Odini ministras (qvarum numero Brynhilda illa aliqvando adscripta fuisſe dicitur) enumerat (l. c. pag. 39). Hanc de Hilda aliqvâ, ab illis diversa, mythicam fabulam refert Skálda (l. c. pag. 163-165): "Pugna appellatur Hiadningiana tempestas vel procella, arma vero ignes sive virgæ Hiadningorum. His autem nomenclaturis seqvens inservit traditio. Rex qvidam nomine Hognius *(Havgni, Högni)* filiam habuit Hildam, qvam raptu abstulit Hedinus rex, Hiarandi filius. Paulo antea Hognius ille ad conventum regium profectus erat, sed cum postea inaudiret regnum suum militari invasione infestatum fuisſe et filiam suam avectam, iter cum militibus investigandi Hedini causa suscepit, qvem, boream versus, litora legentem tendere relatu aliorum audiebat. Qvum vero in boreales Norvegiæ oras deveniret, fama ei Hedinum occidentem versus oceanum pernavigasſe allata est. Hognius eum ad Orcades usqve persecutus, ipsum tandem prope insulam *Háey* [hodie *Hoy*] cum suis copiis offendit. Tum Hilda patrem accedit & ei qvidem (ingens) monile reconciliationis gratiâ, a parte Hedini obtulit*), eo tamen modo, ut verbis suis alternatim insereret, Hedinum ad concertandum paratum esſe, nec Hognio ab illo ullam (parcentis) clementiam esſe expectandam. Hognius aspere filiæ respondit, qvæ etiam, qvoties ad Hedinum revertebatur, isti indicavit Hognium pacem omnino respuere, et solummodo jubere, ut se ad pugnam pararet **). Sic etiam revera uterqve fecit, & mox insulam ascen-

*) Hic Codex Wormianus e recensione Joh. Olavii habet simpliciter: "reconciliationem ei obtulit."

**) Vel etiam: ipsa (Hilda) hortabatur, ut (Hognius) se ad pugnam pararet.

dentes milites suos in ordinem disponunt. Tum Hedinus generum suum Hognium inclamans, reconciliationem & magnam auri vim, in delicti satisfactionem obtulit. Respondit Hognius: hæc nimis sero offers, si pax tibi cordi sit, qvoniam jam evaginavi gladium meum *Dáinsleif* *) qvem Dvergi qvondam fabricaverant, et qvotiescunqve nudus apparuerit, homini mortem adferet, nec unqvam in cædendo sistitur, nec ullum vulnus, ab ipso inflictum, sanari potest. Tum iterum Hedinus; "gladium commendas, victoriæ incertus **); eum (ensem) bonum appello, qvi suo possessori fidus (vel faustus) est." Tum igitur pugnam inchoaverunt, qvæ cædes Hiadningiana nuncupatur; — totam diem pugnando consumserunt; vesperi autem Reges ad naves (qvisqve suas) se receperunt. Ast Hilda noctu ad stragem accessit & magica arte omnes cæsos resuscitavit. Inseqventi die Reges in eodem pugnæ campo (loco) prælium redintegrant, unacum omnibus illis qvi præ-

*) I. e. Res (vel artificium) a Daino relicta. De Dvergo isto varia suo loco (in art. *Dáin* protulimus, qvæ ipsum manifeste probant noctis, somni vel tenebrarum elementalem esse dæmonem. Hinc mihi elucescit totam hanc fabulam physico-allegoricæ (uti plerasqve alias eddicas) esse originis, qvum de diei cum nocte, vel lucis cum tenebris qvotidiano certamine revera sermo sit. Tunc astra coelestia (Einherorum modo) statis qvotidie horis dimicant. evanescunt vel disparent & iterum denuo resuscitari videntur &c. qvæ singula enodare mira relationis hic exhibitæ & sine dubio depravatæ confusio vetat, qvum prius de heroum nocturno sed mox postea de diurno certamine serio loqvatur. Opinor tamen fabulæ illius præcipuas personas ita explicandas esse: *Havgni* (proprie *Hugni* o: gratus, animo acceptus) diei genius, filiam habet nomine *Hildur* (splendor, Germanice *Helle*, vel etiam simpliciter pugna, nocti variis modis propria); rapitur Hilda a noctis dæmone, cui nomen *Hédinn* (i. e. obtegens, occulens; vide Gloss. supra in hanc vocem, qvæ etiam pro nomine proprio usitatur). Hilda, Hedini nomine, Hognio monile (i. e. lunam, vid. *Brisingamen* & *Draupnir* supra) reconciliationis gratia frustra offert &c. Heroes olim sæpe cum astris, sed astra cum (candentibus) lapidibus, mythice comparatos fuisse, notissimum est, ut cætera jam taceam. Præterea *Hiarandi* Hedini pater, videtur esse ejusdem indolis ac *Mundilfarus*, solis & lunæ pater i. e. Coelus ipse, a verbo *hiara* (proprie ut videtur, hærere, pendere) qvod iterum a *hiar*, *hiör* cardo, unde etiam *hiari* axis sive polus mundi, *hiarastiarna* stella polaris &c. Cfr. *Hiarar* s. in Glossario. Hinc non mirum, qvod versus memoriales, Skaldæ manuscriptæ inserti, Odino (cive Coelo) ipsi nomen *Hiarandi* (sive *Hiarrandi*) adtribuant. — Campus pugnæ *Háey* (alta sive elevata insula vel regio) coelum ipsum manifeste indicare videtur, qvamvis, gliscente tempore, pro insula Orcadensi, ejusdem nominis, a borealibus populis, veræ mythi significationis oblitis acciperetur, qvam etiam ob causam traditio primum allegorica in localem & humanis personis adaptatam evasit. Nomen gentilitium *Hiadningar*, (ab illo virili *Hédin* alioqvin derivandum) denotare potest 1) occultos, obtectos, a vocabulo *hédin* vel 2) disparentes, desidentes a verbo *hiadna* disparere, evanescere &c. qvod de coelestis luminis geniis vel effectoribus variis modis poëtice dicere possumus.

**) Vel etiam verbotenus: gladium extollis, non autem victoriam.

terito die occubuerant, invicem dimicantes. Sic continuatò bello una aliam excepit dies, ut omnes interfecti & omnia arma qvæ in campo jacebant, in lapides converterentur, sed illucescente die mortui omnes surgerent pugnarentqve et omnia ipsorum arma usui idonea redderentur. Sic in poëmatibus traditum est qvod Hediniani (vel Hiadningi) in tali statu ad crepusculum usqve Deorum (seu diem mundi novisfimum) sint permansuri. Juxta hujus traditionis tenorem poëta Bragius partem aliqvam carminis de Ragnare Lodbrok (celeberrimo Danorum heroe & rege) agentis concinnavit." Seqvuntur (pag. 165) strophæ aliqvot odæ laudatæ, qvibus poëta indicat pugnam illam Hiadningianam, inter alia, repræsentatam fuisse in scuto, qvod rex Ragnar ipsi dederat; decantat porro monilis frustraneam oblationem, Hognio ab Hilda, fraudes meditante, factam & prælii ipsius initium. — Permultas belli poëticas denominationes ab Hilda et fabula jam recitata ortas esse, neminem veteris borealium poëseos gnarum latebit. Sic arma vocantur *Hildar griót* (Hildæ lapides) gladius *H. hregg* (procella); ensis *H. hyr* (flamma) &c. Vocatur qvoqve pugna ipsa Valkyriæ illius sive amazonis nomine e. gr. ab Eyvindo Skaldaspillero in carmine *Hákonarmál*.

Aliam prædictæ fabulæ recensionem exhibet suo modo Historia Olavi Tryggvini, edit. Skalholt. II, 49 sq. Cfr. ejus inde desumtum initium ad calcem Eddæ Snoronianæ ed. Raskii pag. 354-357 & art. *Brísingamen* s. (pag. 311 & 312). Hæc relatio serioris (& christiani qvidem) ævi fictionibus magis adaucta & corrupta est, qvam illa eddica. Hic Hedinus fingitur fuisse princeps & pirata Saracenicus (in regno nimirum *Serkland* dicto habitans); is a Gondula (Valkyria), ipsi in luco qvodam apparente, ad certamina cum Hognio, tum Daniæ celeberrimo Rege, instituenda exhortatus fuit (cfr. *Göndul* s). Hedinus, in Daniam profectus, variis militaribus artibus & exercitiis cum Hognio concertavit, sed cum omnino pares probarentur, neuter inde victoriam retulit, qvapropter etiam arctisfimum iniere sodalitium. — Paulo post Gondula, Hedino iterum in luco qvodam apparens, potionem magicam ipsi ministravit, qvâ exhausta Hedinus omnium pactorum oblitus sed maligna mente imbutus, Gondulæ præceptis obediens, & ab ipsa Odini effatis solenniter subjectus aut devotus, Hognio absente ejus reginam trucidat sed filiam Hildam vi surripit, & clasficâ nave, patri propria, velociter abstulit. — Hognius postea Hedinum persecutus, eum offendit ad insulam *Há* (altam sive elevatam); mox prodigiosa illa pugna incepit & continuavit, qvam antea descripsimus, simili qvidem modo, eo excepto, qvod Hilda culpæ expers repræsentetur, sed prælium noctu & interdiu continuo durasse dicatur per annos 283, donec ibiles Regis Olavi Tryggvini, divina ipsius fortuna adjutus, crebris ictibus perpetuos il-

los pugnatores optata lethi qviete donaverit. Cfr. s. pag. 312.

Saxoni Grammatico (Hist. Dan. Lib. 5) Hithinus fuit Rex Norvegus, qvi cum Hogino, Jutiæ regulo, sodalitium arctisſimum iniit, sed cum filia ejus Hilda sponsalitia contraxit. Retulerunt patri delatores Hithinum sponsam ante matrimonii perfectionem stuprasse, qvam contumeliam Hogenus ægre ferens, Hithinum ad duellum provocavit, & victrice manu prostravit, sed juvenis vitæ pepercit. Septem abinde annis elapsis heroes isti iterum convenere ad insulam *Hithinsö* (Eddæ antiqvioris *Hédinsey;* vid. II, 877) ubi acerrima inter eos pugna mutua nece finita est. Addit tamen seqventia Saxo, qvæ mythicam Islandorum traditionem sapiunt: "Ferunt Hildam tanta mariti cupiditate flagrasſe, ut noctu interfectorum manes, redintegrandi belli gratia, carminibus excitasſe credatur."

Scandinavicæ illius narrationis non ambigua vestigia reperiuntur in poëmate Germanico medii ævi (e variis ethnicismi carminibus, ut videtur, concinnato) qvod *Chautrun* sive *Chudrun* (nostrum *Gudrún)* inscribitur. Decantatur ibi rex Hagene (noster *Havgni)* regnum *Eyerland* gubernans qvi ex uxore Norvegica filiam habuit Hildam. Ambiit hanc virginem rex regionis Hegelingenland dictæ, nomine *Hettel* (nostratium *Hedin, Hethin)* sed repulsâ accepta, illam postea clam sive violenter abduxit. Hagene perseqvens fugientes offendit, qvo facto (contra borealium relationum tenorem) reconciliatio disſidentium & connubium amantium eveniunt. Vide Büschingii junioris *Wöchentl. Nachrichten* (1816) II, 174.

Hildam magnopere ab Anglosaxonibus veterrimis cultam fuisſe monstrat poëma Scyldingicum, a Thorkelino editum, locis non perpaucis e. gr. pag. 25, 26, 64 & 69 ubi sancta Hilda (*halge Hilde*) appellatur & heroes faustos optime adjuvare & sanare dicitur; ista porro pro Fortuna, Bellona, Hygea & Salute variis modis habita est, ex editoris observationibus (pag. 247, 248). Multa Scandinavica, Anglosaxonica & Germanica nomina ab ea deducta esſe monuimus supra (II, 666). De ipsius nominis (qvod adhuc in Islandia pro fœminis proprio usurpatur) verisimili origine & significatione satis spatiose disqvisitum est in Glosſ. T. I, & II, — qvibus tamen addere liceat verbum vulgare Norvegicum *hildre* splendere, radiare, affulgere. Cfr. Gl. T. I, v. *Hildisvíni, Hilditavnn* & II, v. *Hildileikr, Hildimeiþr, Hildingr.*

Hildvr (cæt.) vid *Sigurdrífa* i. & Ind. nom. pr. T. II. v. *Brynhildvr.*

Himinbiavrg, Himinbiörg (rupis cælestis, cæt.) Heimdalli Dei habitaculum — numero octava inter urbes sive ædes duodecim cælestes, vel solis domicilia — (et qvidem e nostra sententia pro signo cancri & mense ei correspondente accipienda) *Gr. M.* 13. *Hr. G.* 25. Vid. *Heimdallr* s.

Himinfiöll (montes coelestes sive celsisfimi) H. II. (Obs. 4). (Cfr. ind. nom. prop. T. II. pag. 878).

Himinvángar (campi sive regiones coelestes) H. II, 15 (cfr. 8). Vid. Gl. et ind. nom. pr. T. II.

Hladgvdur, Hlaþguþr ɔ: Bellona (milites) sternens, cognomine *Svanhvít* (cygni instar candida) — prognata ex humano genere (Regis *Lödveris* filia) sed inter Valkyrias (terrestres) enumerata *V. Qv.* Vid. T. II. in ind. nom. propr.

Hlavck vid. *Hlöck.*

Hlébardr vel *Hlébarþi* gigas, qvi Harbardo virgam magicam sive mirificum baculum donavit, sed tamen ab eo dolose de mente deturbatus fuit *Harb. L.* 19. Nomen ipsum vertendum opinor: Oceani oram tenens, maris accola aut maria circumdans a *Hlér* Oceanus, pontus & *Bard, Barþ, Bord* littus. Gigantem illum ipsum AEgerem sive Hlerem (Oceani moderatorem) denotare puto, cujus sententiæ rationes alibi ad illum locum exponere tentavi (*den ældre Edda* II, 158-159). Cfr. Glosf. T. I. *Harbardr* s. & *Hlésey* i.

Hlésey mythicum (& historicum simul) insulæ nomen, in hac Edda variis, ut videtur, adtributum. Nominatur *Harb. L.* 35 (cfr. 36, 37) ut theatrum facinorum Dei Thori, qvi ibi mulieres giganteas, famulo & navigio ejus noxias & terrificas, crebris ictibus concusfit. Accepi lamias istas pro violentis oceani tempestatibus aut fluctibus; vid. *den ældre Edda* II, 161-162. AEger, oceani dæmon (e giganteo genere ortus) alioqvin dicebatur Hler, & insula, ejus habitaculum, ab ipsius nomine *Hlésey*, Danis hodiernis *Lessöe*, ut docet *Skálda* (l. c. pag. 78. cfr. 125). Fabula vetus de Norvegiæ prima indagatione sive habitatione, Hlerem, maris Deum sive dominum (ê Finnorum opinione) inter tres Fornioti (primarii Titanis) filios primum numerat*). Insula illa Danica, in sinu Codano sita, nominatur in Edda nostra H. III, 5. Cfr. porro hujus operis T. II. pag. 879. Nomen *Hlér* auctor Skaldæ (pag. 332) satis inepte derivat a verbo *hlúa* (*hlya*) fovere (tanqvam lucum a non lucendo) qvum (hominem) minime foveat. Circa vocabuli originem conferri meretur Isl. *Lá* æqvor, unde, Scot. *Le, Lee, Lea* fluctus oceani, aqva maris commota, ut et Cambro-Britann. *Llyr* pontus, aqva (qvod nostro *Hlér* propius convenire videtur).

Hlévangr vid. *Hlævángr.*

Hlidskiálf, Hliþsciálf, Lidskiálf turris editisfima Asgardiæ sive Valhallæ, in medio cæli et mundi (ut videtur) sita, ubi thronus vel specula Odini, unde omnes sphæras sive regiones oculis perlustrare

*) Cæteri fuerunt *Logi* (ignis, flamma) & *Kári* (ventus). Vid. *Forniótr* s. Saxonis Grammatici *Lœe*, vel *Ler* videtur idem esse atqve ille Islandicorum scriptorum *Hlér* vel *Ler* (dat. & acc *Hlé* &c.).

potuit. Hic Frigga ei interdum asſidebat *Gr. M.* (in introductione). Hic qvoqve Odinus remotisſimos sermones auscultasſe dicitur *Hr. G.* 10 (Obs. 43). Freyerus aliqvando e Lidskialfa omnes mundos perspeculatus, Gerdam giganteam virginem cernit, et ejus amore, in sui futurum exitium, subito capitur. *Sk. F.* (in introductione).

Inqvit Skálda (l. c. pag. 10): "Est in Asgardia locus, qvi Lidskialfa dicitur, ubi cum solium conscenderet Odinus, omnes mundos oculis perlustrare potuit, omnes qvidem hominum actiones videns et visa cuncta intelligens." Idem fere repetitur pag. 21, ubi solium ita dictum in atrio seu palatio *Valaskiálf* (rectius, ut puto, Valhalla) situm esſe fingitur. De Freyero in Lidskialfa sedente agitur pag. 31, his qvoqve additis: "At vere tantum illi ultionis constitit ingenii ille fastus, qvod in sacram sedem se contulisſet, ut plenus tristitiæ inde discederet." Vocatur Odinus in fragmento gentilis cantilenæ (pag. 98) *Hlidskiálfar gramr* ɔ: Lidskialfæ rex sive dominus. Vocem istam Biorno Haldorsonius (in Lexico suo Islandico) ita exponit: "porta coeli tremens ɔ: nubes; ita Odinus tribunal suum vocavit." Mallem Lidskialfam pro coeli vertice (sive verticali aut centrali puncto, Zenith alioqvin dicto) accipere, cfr. *den ældre Edda* IV. 251 & loca ibi citata. Vide porro Gl. T. I. v. *Hlidskiálf* & II. v. *Lidskiálf*.

Hlíf (tutela, tegmen) & *Hlífþvrsa* (obscuræ significationis) } nymphæ eroticæ indolis. *Fiölsv. M.* 3.

Vid. Glosſ. T. I. & II. v. *Hlífa*. Cfr. *Fiölsviþr* s.

Hlín (forte rectius *Hlyn*, *Hlýn*) nomen Asyniæ, cui Odini salus maximi fuit momenti *VSpá* 48 (Obs. 80). Edda Snorroniana (pag. 38) istam ita breviter memorat: "Hlina ordinata est ad curandos illos homines, qvos Frigga ab aliqvo periculo vult conservare; unde phrasis: *at sá hleïnir* *) qvi aliqvod periculum evitat. "Etymon vocis qværendum opinor in obsoleta illa *Hlý* calor, cognata τῳ *Hlie* (*Hlé* Dan. *Læ*) umbra, immunitas a vento, unde verbum *hlúa*, *hlya* fovere & hinc iterum alia: *hlýna*, çalescere, *hlynna* fovere, favere & pl. **). Cfr. Gl. T. I. v. *Hlý*.

Hliódólfr, *Hliódálfr* (soni genius) unus Alforum sive Dvergorum e Lofaris (ut videtur) coetu. De etymis hujus nominis vid. Gl. T. II. v. *Hliód* & *Álfr* s.

Hlódyn, *Hlóþyn* dicitur Thori Dei mater (qvi alioqvin Telluris filius dicitur; vid. *Javrd* i.) *VSpá* 50. Adfert Skalda (pag. 178) vocabulum *Hlóþyn* inter Telluris appellationes poëticas, è fragmento cantilenæ a Völu-Steino concinnati, ubi lapides ossa Hlodinæ vocantur. Versus memoriales, Skaldæ inserti, idem nomen

---

*) Verbum hocce *hleina* jam obsoletum evasit.

**) Hinc etiam Dan. *lun*, *laun* calidus, *lunken* tepidus & pl.

(pag. 220) Telluri sive Terræ adscribunt. Beatus Sculo Thorlacius, vir antiqvitatum tam exterarum qvam nostrarum peritisſimus, peculiari disqvisitione, mea laude superiore *) probavit Hlodynam illam eandem esſe ac Hludanam, a Germanis gentilibus cultam, et forte non diversam a Latinorum Latona, si Dea hæcce pro Telluris numine aliqvando habita fuerit. Multa de vocabuli hujus etymologia tractavit vir ille doctisſimus & varias ejus probabiles rationes proposuit, qvarum hæc mihi maxime arridet: "Terræ deæ nomen *Hlódyn* a voce *Hlód*, qvod in lingva prisca boreali *aram*, *focum*, *fornacem* signiſicat Gudmundus (Andreæ) deducit, sed suæ sententiæ patrocinantes nullas affert rationes. A veri specie ista Gudmundi sententia non multum abludere mihi qvidem videtur. Curni enim ab ara vel foco denominari potuit Hlodyna, qvæ Odini conjux Thoriqve mater habebatur, cum uterqve hic Deus symbolica *Solis* & *Ignis* numina antiqvis creditus fuerit? — — — Apud Romanos & alios Vesta, qvæ itidem *Terra* Dea, atqve adeo a Hlodyna nostra non prorsus diversa, æterni ignis custodiâ qvondam culta fuit. Vocem *Hlód* focum sive fornacem significare usus, in Islandia etiamnunc superstes, commonstrat. Si igitur inde nomen Hlódyn descendit, ipsum numen *Deam Focariam s. Fornicalem* latine vocaveris. Mythologiarum vero consensum lector mirare; nam et ipsi Latini tam *Terræ* qvam *Ignis* Deam *Fornacem* & *Deam Fornacalem* nuncuparunt et venerati sunt, hujusqve festum *Fornacalia* dixerunt. Noti sunt versus Nasonis:

Et Fornacáli sunt sua sacra Deæ —

Hiqve porro:

Facta Dea est Fornax, læti Fornace coloni,
Orant ut fruges temperet illa suas."

Monstrat deinde laudatus auctor vocem *Hlód* s. *Lód* antiqvisſimo significatu ig-

*) *Antiqvitatum borealium observationes miscellaneæ, Specimen tertium: de Hludana, Germanorum gentilium Dea. Havn.* 1782, 8. Corrigitur hac disqvisitione viri alioqvin doctisſimi Godofredi Schütze libellus *de Dea Hludana, topico Germanorum gentilium numine* in ejusd. *Sylloge Exerc. ad Germ. sacram gentilem. Lips.* 1748. Monumentum qvod illis disſertationibus ansam dedit, describitur in libro nuper edito: *Geschichten und Alterthümer des untern Germaniens, oder des Landes am Nieder-Rhein, von Dr. Franz Fiedler* 1 *Band* 1824 pag. 226. Fuit autem ara votiva, sculptis floribus (Telluris non inepto attributo) hac inscriptione adornata:

DEAE
HLVDANAE
SACRVM
C. TIBERIVS VERVS.

Inventa est ara ista ad pagum *Birten*, deinde primum Cliviæ servata, sed jam in museo Houbeniano Coloniæ Trajanæ (qvæ vulgo Xanten dicitur) deposita.

nem verisimiliter denotasse; hinc Celtis (Cambro-Britannicis) *Lludw* cineres igniti, Germanis *Loder (Loderasche)* favilla, *lodern* autem ardere, flammigare &c. (Cfr. hujus operis T. II. Glosarium art. *Glód* & *Liós*). Liceat jam relatis addere, qvod veteres Græci & Romani *ignem centralem*, (qvem etiam *foco* sive *fornace* urbis & domicilii cujusve, publico vel privato, symbolice repræsentare solebant) — Vestæ sive Terræ adscripserint — qvod autem boreales nostri atavi Friggam (sive Tellurem) centralem ignem sub mythica Vei Dei persona clam fovisse vel amasse retulerint (de qvo infra in articulo *Ve* inscripto disqviremus; consule tamen *den ældre Edda* II, 293, 311. *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 352-357. 370-375). Si revera *Hlódyn* nostra illa etymologia gaudet, videtur primitus sonuisse *Hlódunn* (focum amans; foco amica sive dedita — a verbo *unna*, de qvo Glosf. T. II,) *).

Hlórridi, Hlódriþi. Thori Dei nomen adscititium, occurrit *Hym. Qv.* 4, 16, 27, 29, 37. *þrymsqv.* 7, 8, 14, 31. *AEg. Dr.* 55, 56. Mythica illa appellatio in Edda Snorroniana penitus desideratur, qvod non adeo mirum, qvum auctor tria illa vetustioris Eddæ carmina non ad manum habuerit — sed e contrario, multa ejusdem indolis, qvæ jam nobis desunt. De nominis significatione vide Gl. T. I. cui tamen addendum, qvod *Hlódridi* sive *Lódridi* verti porro potuerit: focos sive aras supervolitans (cfr. Gl. T. II. v. *rída*). His non repugnat explicatio Biörnonis Haldorsonii (in Lexico Islandico a Raskio

*) Tellurem omnes focos & aras (ac cunctas insuper structuras) sustinere ac nutrire, nulla probatione carebit, qva etiam ratione *Hlódyn* sive *Hlódunn*, *Hlódun* appellari meruit. Præterea vocula *hlód* (uti Johannes Olavius Grunnavicensis observavit) indicat aliqvid ordinate exstructum, qvando pars una alteri imponitur, ut in exstructione aggerum, parietum & focorum fieri solet, a verbo *hlada* (congerere, coagmentare, struere; præs. *hled*, imperf. *hlód)*; *yn* vero in nostro *Hlódyn* est terminatio fœmininorum (propriorum nominum) antiqva ut in *Fiörgyn*, *Sigyn* & pl. Fundamentum nomenclaturæ hujus (inqvit porro Olavius) est procul dubio rudis illa antiqvorum ethnicorum opinio, qvæ sibi imaginabatur terram ingentibus saxis esse suffultam, in qvibus qvasi fulcris basi & fundamentis immota qviesceret. Huc spectat ultima stropha Snorronis Sturlæi carminis, qvod clavis metrica dicitur:

Falli fyrr	Proruat prius
Folld í ægi	In oceanum Terra
Steini studd	Saxo suffulta
En stillis lof	Qvam Regis laudes!

Consentit illi exegesi doctisf. Paulus Vidalinus, in hemistichium unum carminis *Háleygjatal* (qvod Snorro hic imitatus esse videtur) ab Eyvindo Scaldaspillero concinnati. Convenit prædicto sensui vocis *Hlód* Anglo-Sax. *Hleod* mænia. — Qvod vox nostra olim significaverit 1) aram 2) delubrum (uti AS. *Hleo* asylum) p. p. & Osiani celeberrimum *Loda* inde fuerit deductum, monstrare tentavi in nostro ad qvædam laudati vatis loca commentario, in scriptis societatis Scandinavicæ pro 1813 pag. 153 & sq, 161 & sq., 276 & sq. Cfr. Glosf. T. II, v. *Hlada*, *Hlæþa*, *Hleþom*.

edito): "*Hlórridi*, agnomen Thoris ex eqvitatione ignita per aëra." Alioqvin ignem inexstinctum Thoro sacrum, in templis sive delubris borealium olim conservatum fuisse, jam notissimum habetur. Cfr. *Hlódyn* i. Spuria Eddæ junioris præfatio (l. c. pag. 12) memorat Trois sive Thoris & Sibillæ vel Sifæ filium, dictum *Loride*, patri simillimum; — hoc figmento auctor (sive Anglosaxonicus aliqvis ejus antecessor) probare voluit mythicum nostrum Lodridum heroem troicæ sive thracicæ originis fuisse; qvum autem nec prosaica Edda, nec Skalda ei annexa Lodridum (*Lódridi* vel *Hlódridi*, *Hlórridi*) alicubi memoret, necesse erit, ut præfationem illam ab alieno auctore additam censeamus. Pluribus, qvam eddicis, vetustatis poëtis notus fuit Thorus Deus sub appellatione *Hlóridi* vel *Hlódridi* e. gr. gentili illi Einari Skálaglam, qvi in carmine *Vellekla* (de Hacone Hladensium Comite) eam usurpavit. Vid. *Hkr.* ed. Havn. III, 204.

Hlöck, *Hlauck*, *Hlavcc*, exsultatio vel exsultans, una Valkyriarum, qvæ Einheris potum ministrare dicuntur *Gr. M.* 36. Vid. Glosf. T. I, *) it. *Valkyria* i. Alii eam compararunt cum Parca Grajorum Lachesi, cujus nomen derivari solet a verbo λαγχανω sortior, qvod Valkyriarum officio satis bene convenit. A Bellona ista multæ belli & rei militaris appellationes in veteri poëtarum idiomate derivari debent e. gr. *Hlackartiald* (velum sive tabernaculum Hlackæ o: clypeus) H. *mót* (conventus) H. *hagl* (grando) o: prælium &c.

Hnikarr, *Hnikar*, *Nikarr* nomen adscititium Odini *Gr. M.* 46. *Hr. G.* 19. *S.* II, α. 18 **). Est Eddæ juniori (pag. 3) tertium inter præcipua Odini nomina, qvæ is in Asgardia prisca usurpavit — qvod qvidem directorem mensis, piscium zodiacali signo correspondentis (qvum Sol sive Coelus hibernorum gigantum victor salutari meret) significare puto; cfr. *den ældre Edda* I, 156-157. Christianismo in his terris invalescente Asæ ipsi, Olympiorum instar, pro malis dæmonibus ac-

*) Hic nomen *Hlavck* (Gen. *Hlackar*) non inepte derivatur a *hlacka* clangere, exsultare, insultare (more aqvilæ) originitus, ut puto, arcte cognatum Germ. *lachen* ridere, M. G. *hlahian* &c. (Vid. Gl. T. II, v. *hlægia*).

**) Qvoad hunc locum confer narrationem de Norna-Gesto, *Saga Olafs Tryggvas*. Ed. Skalh. II, 138 (Danice a Grundtvigio & Rafnio versam). In poëmate illo Eddæ nostræ dicitur Odinus Sigurdo Fafnericidæ, promontorium aliqvod non sine naufragii periculo præternaviganti apparuisse, qvum se Hnikarem nominavit & vecturam petivit. Hac accepta & tempestate sidente Hnikar Sigurdo dedit varia militi utilia consilia.. Fabula de Norna-Gesto dicit Hnikarem indutum fuisse brevi tunica & viridis qvidem coloris, braccis cæruleis & cothurnis (vel ocreis) fibulatis vel bullatis. Cfr. *Volsunga Saga* (translat. Dan. Rafnii Cap. 26) ubi illis relationibus additur, qvod Fiölner (sive Hnikar) statim post adventum Sigurdi & ejus asseclarum in regnum Hundingianorum, ex inopinato disparuerit.

cipi cæperunt, & tum, ut puto, confusum fuit illud *Hnikar* vel *Nikar* cum alio (olim etiam cognito) *Nikr*, qvod monstrum aliqvod sive dæmonem marinum & lacustrem denotavit & apud Islandos adhuc in usu est; hinc Anglo-Saxon. *Nicer*, Dan. *Nöcke*, *Nökke* Svec. *Neck*, *Necken* ejusdem significationis ut & Anglorum *Nick (old Nick*, Belgarum *Nicker)* qvo jam nunc diabolum indicant. Cfr. Finn. *Næcki*, Esthn. *Næk*, Scot. *Nicneven* German. *Nicks*, *Nichs*, *Nichse* unde etiam Dan. *Nisse* & pl. De vocis borealis verisimili origine & significatione vid. Gl. T. I, *). Observatu forte digna sunt qvod: 1) Odinus, per mare navigans et fluctus ac tempestatem sedans, Hnikaris in primis nomen adoptaret; 2) qvod idem nomen ejus annuo regimini in signo piscium (cum alioqvin in loco *Savcqvabeckr* ɔ: voraginoso sive profundo fluento, frigidis undis circundato, degere perhibeatur) correspondere videatur & 3) qvod appellatio eadem, seriore tempore, aqvarum certis dæmonibus præcipue adoptata sit. Cfr. *Hnikudr* i.

Hnikudr, *Hnikuþr* adscititium Odini nomen. *Gr. M.* 46. Id Edda prosaica (pag. 3) qvartum (nimirum *Nikuz*, *Hnikudr)* recenset inter duodecim primaria Odini nomina, signi arietini & mensis ad id pertinentis directori verisimiliter proprium. Videtur alioqvin esse freqventativum seu intensivum τοῦ *Hnikarr* s.

Hodd-dropnir, *Hoddropnir* (ɔ: ê circulo guttas emittens — vel etiam: nummos, annulos aut aurum stillans) B. I, 13. (obs. 17). Nomen illud mythicum Coelum Titanem (nobis Ymerum, coelum pro capite sive cranio gestantem) denotare opinamur; hic ê circulari hemisphærio guttas (pluviales) emittit & simul etiam stellas (aureis nummulis assimilandas) stillare poëtice dici potest. Cfr. cæterum nostras huc pertinentes observationes (T. II, pag. 925-926) *Heiddropnir* s. *Hoddmímir* & *Ýmir* i. Circa etyma vocis vid. Gl. T. II, art. *Hodd* & *Dropi*.

Hoddmímir (circularis sive sphæricus dæmon) in cujus sylva Lifa & Lifthraser (vita & vitalis calor) homines nimirum nostri generis in novo orbe futuri parentes, durante ultima hujus ævi hyeme sive devastationis tempore, latebunt, rore matutino vescentes. *Vafþr. M.* 45. Hic sine dubio Ymerus ipse sive Macrocosmus nostratium, aut etiam Coelus sive Ουρανος (qvi Mimeris nomine adornatur) intelligendus erit. Cfr. *Baugregin*, *Hodd-dropnir* s. *Lif*, *Mímir*, *Ýmir* i.

*) Cfr. porro (præter illud *hnika* commovere) verba Islandica qvæ ei cognata videntur: *hnickia* raptare, trudere, *hneikia* vel *hneykia* (jam obsol.) repellere, retroagere, *hneckia* repellere, impedire &c. Cfr. Germ. *necken*, Angl. *nick* (it. Dan. *knække*, Germ. *knacken*, Angl. *knack*, *knock*) & pl. — Numne igitur *Hnikarr* & *Hnikudr* allegorice indicent menses frigora & glaciem hyemis (et aqvarum qvidem inprimis) præ cæteris commoventes, repellentes et debellantes?

Horn allegoricum, ut videtur, amnis nomen, anfractuosum sive impetuosum denotans G. G. 8 *). Cfr. Gl. T. II.

Hornbori (cornua perterebrans) nomen Dvergi sive Alfi. *VSpá* 12. A subst. *Horn* (in Gl. T. I, & II,) & verbo *bora* terebrare (Dan. & Angl. *bore*, Germ. *bohren*) Est forte derivandum a τω *Horn*, mons conicus sive cacuminatus (qvod Islandis, Norvegis, Germanis & Helvetis usitatur) — qvum venti violenti montium cacumina atterant & perforent.

Hreidmar, *Hreiþmarr* e Dvergorum vel dæmonum, ut videtur, genere ortus, pater Oturi, qvem in lutram transfiguratum & esoce se satiantem, Lokius, unacum Odino & Hænero iter faciens, lapidis ictu percusfit. Hreidmar, eadem vespera, cum filii Regini auxilio, Asas (humano modo incedentes) suos hospites factos ac venatum ostendentes, comprehendit, et iis imposuit pretium vitæ redimendæ, ut pellem lutræ auro opplerent et extrinsecus qvoqve occulerent. Tunc Asæ ablegârunt Lokium ad aurum istud parandum. Is ad *Rânam* (Thetidem borealium) venit & rete ejus in usum nactus est; ivit deinde ad cataractam, dictam *Andvarafors*, piscium multitudine freqventatam, ubi Dvergus qvidam, Andvarius nomine (alioqvin in saxo sive saxea spelunca habitans) ut plurimum se continebat, lupi piscis specie indutus, & cibum sibi comparabat. Huic Lokius rete illud objecit, & istum qvidem irretitum prehendit. Sic Lokius ab Andvario, pro vitâ redimenda, auri magnam copiam extorsit, non uno annulo excepto, qvem retinere tentavit, sed frustra, qvum Lokius istum ei etiam ademerit. (Vid. *Andvari* s.) Totam illam pecuniam Asæ Hreidmari soluere, sed non sine diris Lokii execrationibus; cfr. colloqvium eorum S. II, α 6-9. Postea Hreidmaris superstites filii, Fafner et Reginus, eum poscebant portionem iis debitam e mulcta pro Oturis cæde soluta. Hâc denegata Fafner patrem dormientem gladio transfodiit. Hic somno exsurgens filias suas Lyngheidam & Lofnheidam alloqvitur, eas simul ad sui ultionem aut saltem futuri ultoris ê principe (sive valido bellatore) conceptionem exhortans str. 10-11. Denuo Hreidmar animam exspiravit, sed Fafner solus aurum ab eo relictum occupavit. De disfidiis inde inter eum & fratrem Reginum ortis, qvæ ambobus tan-

*) *Horn* alioqvin unum fuit e multis nominibus, Freyæ qvondam assignatis; — egimus de eo supra pag. 357. — Si Freya a qvibusdam revera *Hörn* (forte contracte pro *Hörunn*, *Hörun* o: lini amatrix) appellata fuerit, appellatio ista sino dubio derivanda foret a τω *Hörr*, *Havrr*, *Hör*, linum (Dan. *Hör*, Aleman. *Haru*; vid. Gl. T. I, & II, v. *Havrr*, *Hörr*, unde *Hörgefn* — qvod originitus Freyæ proprium fuisfe videtur p. p.). Hinc non mirum qvod linum, Freyæ sacratum, semina produceret medicis & magicis virtutibus insignia, ut vulgus Scandinaviæ trium regnorum olim credidit et ex aliqva parte etiam nunc credit. Vid. e. gr. *Oldenborg om Gjengangere Kbhavn.* 1818 pag. 121. *Thiele Danske Folkesagn* III, 114.

dem lethalia evasere vid. *Fafnir* s. *Regin, Sigvrdr* i. Ex eddico illo carmine sine omni dubio desumta est narratio de eventis hisce, inserta Volsunga-Sagæ (Cap. 23 in Danica Rafnii translatione).

Skalda (l. c. pag. 135-137) eandem exhibet relationem, et verbosius qvidem qvam Edda nostra, excepta majore Lokianarum altercationum parte et Hreidmaris cum filiabus colloqvio, qvod illa penitus omittit. Refert auctor tres Asas Odinum, Lokium & Hænerum iter supra memoratum instituisse, ut mundum universum perlustrarent; — dicit Hreidmarem magnæ fuisse indolis & simul magiæ peritum *); — promissum Asarum de cædis resarcitione præstanda jurejurando stabilitum fuit; — Andvarius in mundo dæmonum obscurorum sive nigricantium (auctori *Svartálfa-heimr*) habitasse et piscis in aqva (interdum) fuisse dicitur; Andvarius captus, aurum omne, qvod spelunca ejus continebat, Lokio promisit. Magna auri vi soluta Dvergus iste annulum qvendam aureum sibi sub ala manus repente abdidit, qvod Lokius conspiciens, hunc etiam annulum tradere jussit; Dvergus autem operose oravit eum ut illo semet spoliare nolle, utpote qvem si saltem retineret, majorem inde pecuniam se recuperaturum esse speraret. Lokius contra Andvarium ne nummulum qvidem retenturum indixit, annuloqve isto eum etiam privavit, qvo facto mox exiit. Dvergus igitur imprecatus est, ut idem annulus cujuscunqve possessoris sui futuri causa necis existeret. Id Lokius sibi haud displicere ajens, eamqve imprecationem, se non obstante, vim obtinere et valere licere, siqvid eam possessori futuro auri, simul cum ejusdem traditione, se indicaturum esse promisit. Effectis Asarum erga Hreidmarem promissis, observat Skalda, qvod cum Odinus hastam suam seu lanceam, Lokius autem sua talaria (vel calceos) recepisfent, nulla fuisset cur sibi metuerent causa. Peroravit porro Lokius, qvod imprecatio Andvarii rata in posterum foret, annulum scilicet illum, cum reliqvo auro, cuicunqve possessori suo futuro exitialem fieri, qvod et postea revera actu evenit. (Cfr. *Andvari* s.) Hinc appellatur aurum lutræ compensatio *(otnrs giölld)* nec non lytrum pro Asis necessitate urgente solutum *(nauþgiatd Ásanna)* & metallum disfidiosum *(rógmálmr;* cfr. Gl. T. II,). Ex hujus auctoris relatione ambo fratres (Reginus & Fafner) id nefandum ceperunt consilium, ut patrem auri potiundi causa perimerent. Inter divitias, a Hreidmare parricidis relictas enumeratur galea terrifica *(Ægishiálmr*, de qva Gl. T. II,) "qvam visam omnia animantia metuunt" statim a Fafnero proprio capiti imposita, ut et gladii Hrotti & Refill dicti. Cfr. *Reginn* i. & observationes nostras ad primi Sigurdini carminis priorem partem (II, 919 &

*) *Volsúnga Saga* l. c. Hreidmarem virum divitem & potentem appellat.

sq.). De nomine *Hreidmarr* (& alio *Hrodmarr*) cfr. Ind. n. pr. II, 880.

Hrid, Hriþ nomen amnis terrestris, ad Helam cadentis *Gr. M.* 28. Vid. Gl. T. I.

Hrimfaxi (jubam gestans pruinosam sive roscidam) eqvus mythicus, ex oriente noctem (qvamcunqve sive qvotidianam) super (vel: et) *) benefica numina trahens, qvi qvovis mane de lupatis guttas stillare facit, unde rores convallibus advehuntur *Vafþr. M.* 13-14 (obs. 18, 19). Rimfaxio incedente (sive procedente) Dii a convivio discedunt *Hr. G.* 23. Verba Eddæ Snorronianæ de eqvo hocce agentia, adtulimus supra art. *Dagr.* Præter eum Skalda (pag. 180) Nocti adtribuit alterum eqvum, nomine *Fiörsvartnir* (ɔ: vitam sive vitales vires obscurans, aut etiam obscurus vigoris effector sive conservator)**) & sic qvoqve illam bigis trahi innuit. Nocti adtribuerunt Græci & Romani duos vectarios eqvos, sed Hespero unum — ut aliarum gentium de talibus mythicis jumentis traditiones taceam. Qvum guttæ illæ, roris effectrices, de eqvi lupato (Isl. *Mélr*, Dan. & Svec. *Mil*) stillare dicantur, conjecit celeberrimus Graeterus qvod appellatio Germanica rubiginis vel robiginis, nimirum *Meelthau* sive *Mehlthau****) inde suam duxerit originem. — De nominis illius priori etymo consule Gl. T. I. & II. v. *Hrim;* posterior ejus vocula matricem agnoscit Isl. *Fax* juba, coma (Anglo-Sax. *Feax* crinis, Scot. *Fas, Faſe)* *****). Cfr. *Skinfaxi* i.

Hrimgérdvr, Hrimgérþr oreas sive lamia, Hatii gigantis filia H. I, (T. I, p. 36) cadaverum avida str. 16 & culo sive cauda prædita 20. Dicitur jacuisse in sinus ostio ut naves Helgii Haddingiani impediret et perderet, qvod tamen potius de matre ejus dicendum, qvamvis ipsa Lodveris filios pelago submersisset 18. Provocat Atlium, Helgii proretam, ad certamen sive duellum, in secessu Variniano instituendum 22. Expetit ab Helgio ipso cædis patriæ satisfactionem, unius qvidem noctis concubitu præstandam 24. Hrimgerdæ cum Atlio altercationes 12-23 & colloqvium cum Helgio 24-28. Ea istis confabulationibus remorata in lapidem, diurnæ lucis aspectu, immutata fuit, postea

*) Est hic verisimiliter legendum *of* pro *oc*, uti interpretes verterunt & Raskius in sua editione expresſit — nisi verus sensus originitus fuerit, qvod Noctis eqvus unacum illa traxerit innumera, ipsam comitantia, benefica numina, Stellas videlicet & Lunam earum reginam noctu apparentes, & circa diei ortum disparentes.

**) Radices vocabuli sunt subst. *Fiör, Fiavr* & adj. *Svartr;* vid. Glosſ. T. I. & II.

***) Germanico *Meelthau* conveniunt Dan. *Meeldug, Meldug*, Angl. *Mildew*. Eddicæ illi voci (*Méldropi)* optime convenit Scot. *Meldrop, Mildrop*, ejusdem significationis. Cfr. Gl. T. I, v. *Mel* & *Jamieson etymological Dictionary of the Scottish language* ad vocabulum nuperrime prolatum. Cfr. porro Gall. *Nielle*.

****) Hinc etiam vetus Angl. adj. *faxed* crinitus e. gr. *a faxed comet*. Cfr. porro nomen gentilitium *Fairfax*.

qvidem pro portus (saxeo) indicio habita 29-30. Occurrit *Hrimgerdur* inter gigantearum mulièrum nomina in Skalda (l. c. pag. 210). Cfr. *Hati* s. & Ind. nom. propr. T. II, art. *Atli*, *Helgi* &c.

Hrimgrimnir Thursus sive gigas teterrimi generis, infra mortuorum clathros *(Nágrindvr)* & ad radicem arboris (Ygdrasilli ut puto) in profundo abyssо, habitans *Sk. F.* 35. Cfr. Gl. T. I. & II, v. *Hrim* & *Grimnir* s. it *Hrimþvrs* i.

Hrímnir (pruinosus) gigas, ut videtur ejusdem indolis, *Sk. F.* 28: cfr. *Hyndl. L.* 30 ubi aliqvot ejus familiares enumerantur. In *Volsúnga Saga* (translat. Dan. Rafnii Cap. 4) memoratur gigas Hrimner, ut pater virginis sive Valkyriæ, ab Odino ad Rererem regem Hunnorum et ejus conjugem, cum pomo aphrodisiaco delegatæ. Cfr. *Hrimgérdvr*, *Hrímgrímnir* s. *Hrimþvrs* i.

Hrimþurs (in pl. *Hrimþursar*) ɔ: gelidi, pruinosi, sive gelu producentes Titanes aut gigantes — primarium & atrocisſimum qvidem Titanum sive giganteorum dæmonum genus, frigora, tenebras, lethum & multas alias calamitates mundo, hominibus & ipsis Diis adferens. Distinguuntur a gigantibus proprie sic dictis *(Jötnar)* & a Suttungi filiis *Sk. F.* 54. Dicuntur sub altera Ygdrasilli radice habitare *Gr. M.* 31. Aula eorum in gigantum regionibus (qvæ *Jötnagardar* dicuntur) sita esſe perhibetur *Sk. F.* 30. Venerunt ad Celsi (Odinî sive Coeli aulam) de ipsius conditione scitatum, qvum ipsum a Suttungo gigante in profundis vitâ spoliatum crediderint, *Háva M.* 110 (cfr. 111). Ipse Ymer sive Aurgemler (chaoticum mundi principium) e pruina prognatus, *Hrimþvrs* appellatur *Vafþr.* 30-33 & alio ejusdem carminis loco *hrímkaldr iötvn* ɔ: pruinâ frigidus gigas 21. Decantatur talis aliqvis gigas in Elivagis habitans, noctis tenebras dirigens & somnifera virgâ instructus (cfr. *Elivagar* s.) sub appellatione *þvrs hrímkaldr*, ejusdem significantiæ *Hr. G.* 13 — qvod etiam epitheton de filio Lokii Nario adhibetur *Æg. Dr.* 50.

Multas nobis de Titanibus hisce veterrimis traditiones Edda Snorroniana servavit. Notatu dignisſimam hanc, inter alias, censeo: (pag. 3, 4) "Ganglerus sic exorsus est: Qvinam omnium Deorum summus est vel natu maximus? Respondit Har: ille lingva nostra *Allfödur* (vel *Alfödvr* ɔ: Pantopater, omnium pater) nuncupatur, at in Asgardia vetere duodecim ei erant nomina . . . . . Qværit porro Gangler: ubi ille Deus est? quid potest? aut qvid egregiorum factorum operatus est? Respondet Har: ille per omnia secula vivit & totum regnum suum gubernat, res cunctas, tam maximas qvam minimas dirigens. Addidit Jafnhar: Is coelum, terram & aërem condidit — — (cæt. vid. *Gimli* s. *Ódinn* i). Interrogavit iterum Gangler: qvid operatus est anteqvam coelum & terra conderentur? Respondit Har: tunc apud pruinosos Titanes permansit." Ultimum hocce additamentum manifeste monstrat totam illam rela-

tionem non esse Christianæ sed vere gentilis originis. Cfr. Eddarum de mundi originibus commenta*), a nobis in hoc lexico tractata, ad art. *Elivagas, Odinn, Ymir* & pl.

In Edda juniore (pag. 67) omnes Hrimthursorum gentes ab Aurgemlero sive Ymere (vetusto Hrimthurso dicto) originem traxisse feruntur. — Hrimthursi omnes in diluvio, qvod cædes Ymeris causavit, submersi sunt; Bergelmero uno cum ejus uxore & familia excepto, qvi denuo reliqvorum ejus generis dæmonum propater evasisse dicitur (pag. 8; cfr. *Bergemlir* s.). Habitant ad radicem (borealem) Ygdrasilli, sub qva fons Mimeris situs est (pag. 17). Multi eorum & montanorum gigantum (qvi *Bergrisar* dicuntur & cum illis interdum confunduntur) percussi sunt a malleo Thori fulmineo, qvem etiam, in altum elatum, prognati eorum & cognati optime norunt (pag. 26 cfr. Skálda pag. 132). Hi Deorum regna (validis munimentis ob eam causam egentia) sæpissime infestant (p. 45). Nihilominus interdum cum Diis in pace vixisse videntur, qvum ingens illorum multitudo Balderi exeqviis adfuisset (pag. 66). Mundi tandem exitio appropinqvante Hrimthursi, Hrymo Duce, ad ultimum cum Asis praelium in campo, qvi Vigridus dicitur, congregabuntur (pag. 72).

Pruinosos hosce dæmones pro hiemis & noxiarum tempestatum effectoribus olim habitos fuisse, nullo dubio caret; hæc ex aliqva parte ad art. *Harbardr* s. tentare probavimus, cui hic fortasis addendum, qvod plures inter recentiores poëtas majoris notæ (e. gr. Anglorum Thomson) hyemem & hiemales tempestates immani giganti asimilaverint. De vocabuli radicibus vid. Gl. T. I & II. v. *Hrím* **) & *Þurs, Þursi, Þvsi* (de qvo etiam infra amplius agemus) it. *Jötnar, Tröll* i.

Hripudr, HripuÞr poëtica ignis appellatio, incertæ originis *Gr. M.* 1. Transferendum puto per latinum *rapax* a verbo *hrifa* rapere, unde etiam aliud *hrifsa, hripsa* id; — cfr. *hripa*, tumultuarie agere & pl. Gl. it. T. I. ut et T. II. voce *Rifinn.*

Hrist (qvatiens, concutiens) prior Valkyriarum, qvæ ipsi Odino cornu (potatorium) adferunt *Gr. M.* 36. Hinc poëtica pugnæ appellatio *Hristar hrîd* (Hristæ procella) *Hkr.* Ed. Havn. III, 242. Vid. Gl. T. I. Cfr. Gl. T. I & II. v. *Hrista* — it. *Mist.*

*) Hæc etiam systematice explicare tentavi in opere inscripto: *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 1-50, 248 & sq.

**) Freqventissima significatio voculæ *Hrim* est pruina, ros congelatus, sed olim etiam frigus, glacies Gr. κρυμος, Sanscr. *Hima* &c. (in Gl. T. II.) — memorat tamen Gl. T. I. aliam & rariorem qvidem, hanc nimirum: fuligo adhuc vulgo Tellemarkiæ Norvegicæ *Rim* (qvæ alioqvin denotatio, qvantum scio, cæteris cognatis lingvis deest); sic qvoqve gigantes qvi adusta terra climata & abysos vulcanicos inhabitare putabantur eo sensu *HrimÞursar* appellari potuerunt.

Hrodvitnir, *Hroþvitnir* (ɔ; lupus vastator) lupus qvidam mythicus, pater Hatii, qvi lunam devorare nititur *Gr. M.* 39. Vid. *Hati*, *Fenrir* s. De nominis etymis et variis circa id conjecturis, vid. Gl. T. I. v. *Hroþvitnir* & *Hróþrsvitni* it. Gl. T. II. v. *Hroþit* & Ind. nom. pr. art. *Hrodmarr*.

Hroptatyr, *Hróptatyr* Odini nomen adscititium) Vid. *Hróptr* i.

Hroptr, *Hróptr* verisimiliter contractum ab obsol. *Hrópvdr*, *Hrópvþr* *) (clamator). — Occurrit ut Odini nomen **) *VSpá* 55. *Hr. G.* 23. B. I. 13. Dicitur Hroptus in Gladsheimo, qvinto in coelis loco sive regione, ubi Valhalla spatiosa & auri instar fulgida perstat (vel verbis aliter expressis: ubi aditus ad coelestem illam aulam rite qværendus est) qvolibet die viros armis cæsos eligere vel istuc invitare Gr. M. 8. (cfr. 9, 10).

Valhallam supra monuimus, pro superiore hemisphærio vel saltim coelesti camera, accipiendam esse. Gladheimus e nostra sententia correspondet signo zodiacali qvod aries vulgo dicitur; sole id intrante incidit æqvinoctium vernum, cum dies primum post hibernas tenebras nocti æqvalis, mox ista longior evadit, ac deinde successive adauctus lucis æstivæ imperii certum reditum terræ prænuntiat. Tunc Odinus, coeli & coelestis luminis summus inter mundani nostri systematis numina auctor, Valhallam, aureo Solis jubare fulgidam, aperire & heroes ob fortitudinem dilectos, bellicis expeditionibus iterum cum veris adventu inceptis, ad se invitare dictus fuit — nisi hic proprie sermo esset de astris ipsis, interdum sub Einherorum specie descriptis (ut suo loco observavimus) qvæ circa illud anni tempus, in boreali climate, noctu disparere incipiunt & eapropter, ad altiores coeli regiones & palatia, ab ipso Odino invitari ac recipi fortasis olim sunt credita. Cfr. *Gladsheimr* s. Odinum huic zodiaci signo & mensi eidem adscripto, qvi illi Deo alioqvin sacratus fuisse fertur (vid. *Ódinn* infra) præfuisse, nullus qvidem dubito,

*) A verbo jam notissimo *hropa*, *rópa* clamare (Dan. *raabe* Germ. *rufen*, AS. *hreopan*, Scot. *rope*, *rowp*, *roip*, *roup*, MGoth. *hropian*) qvod tamen majoribus nostris eo sensu raro usitatum invenimus; cfr. Græcum ῥοιβδος strepitus, stridor & pl. Ad eundem modum varia perantiqva vocabula composita sunt e. gr. *hripudr*, *hvidudr* & pl. Alioqvin illud *Hrópudr* ad ungvem convenit Græco agnomini κλόμενος, qvod Plutoni olim datum est, alternativa qvidem ratione, qvum omnes ad se vocet sive invitet, aut etiam ab omnibus audiri posit. Nomen illud et Deo ipsi et ejus sacerdoti adtributum fuit. Vide Pausan. II, 35 & *Creutzer Symbolik und Mythologie der alten Völker* ed. 2. IV, 38, 47. Hæc omnia certo modo de Hropto borealium valere videntur.

**) Sic etiam (ut videtur) censuit auctor versuum memorialium Skaldæ (pag. 216) insertis, cum galeam appellet *Hroptshött*, (Hropti — sive Odini — capitium) cui plures apud ethnicos poëtas armorum denominationes consentiunt. Majoris tamen momenti habenda sunt verba Kormaci, gentilis Islandiæ poëtæ, circa medium seculi xomi florentis; is enim Hroptum juvenem lanceam Gungnerem tractavisse dixit (ibid. pag. 97-98) cfr. *Gúngnir* 6.

sed suspicor nihilominus, qvod vox illa *hróptr* proclamatorem sive præconem, aliqvem, scilicet Deum ipsi subordinatum (e. gr. Hermodum) denotet, ut alibi amplius explicare tentavimus (*den ældre Edda* I, 209-210). Sic voculæ *hróptr ravgna* (*Háva M.* 145) significant præconem (sive proclamatorem) Deorum; an hic de coelesti nnmine sive terrestri Asarum sacerdote (literarum præ cæteris gnaro) sermo sit, non penitus liqvet; — cfr. Gloſs. T. III. voce *Fimbul-þvlr*. Qvod plur. *hróptar* aut ipsos Deos aut etiam eorum sacerdotes sive publicos præcones indicet, satis aperte nobis monstrat Odini ipsius denominatio *Hroptatîr* sive *Hróptatyr* *Gr. M.* 53 (qvæ etiam invenitur in carmine *Hákonarmál*, *Hkr.* I, c. I, 163) & *Háva M.* 163 ubi sapientia, (a sacerdotibus præ cæteris affectata) ei præcipue adscribitur; cfr. *þiódreyrir* i. Cfr. porro Gl. T. I & II v. *Hroptr*, *Hróptr*.

Hrossþiófr (eqvorum raptor sive abactor) nomen gigantis *Hyndl. L.* 30. (Cfr. *Harb. L.* 7). De ejus etymis consule Gl. T. I & II v. *Hross* & T. II. v. *þý* (*þiófr*).

Hroþvitnir vid. *Hrodvitnir*.

Hrúngnir, *Hrugnir* gigas magnanimus saxeo capite præditus, sed nihilominus a Thoro prostratus *Harb. L.* 14. Hymer vel Ymer vocatur ejus collocutor sive socius *Hym. Qv.* 16. — Thori autem fulmineus malleus Hrungneris peremtor *ÆGisdr* 62.

De celebri illo certamine sic agit Edda Snorroniana (l. c. pag. 106) juxta relationem perantiqvam, qvæ olim a Bragio Deo AEgeri recitata fuisſe fertur: "Thorus aliqvando orientem versus profectus erat, ad malos dæmones percutiendos, at Odinus, Sleipnere vectus, in mundos giganteos (*Jötunheima*) eqvitavit, et ad gigantem Hrungnerem devenit. Hic mox interrogat, qvisnam ille esſet virorum, galeâ insignis aurea, qvi per aëra et aqvas eqvitaret, ajebatqve ejus eqvum esſe admodum egregium. Respondit Odinus se caput suum oppignorare velle, neminem in mundis giganteis eqvorum æqve egregium dari. Regesſit Hrungner, hunc qvidem præstantem esſe eqvum, sed alium sibi proprium memoravit, cui nomen esſet *Gullfaxi* *) qvi multo ampliores inter currendum extenderet pasſus. Iratus deinde Hrungner eqvum istum insilit, Odinumqve cursu maximo inseqvitur, atqve hoc modo arrogantia ejus dicta recompensare studet. Odinus autem tanta præcesſit celeritate, ut in alia terræ emi-

*) Mythicus hicce eqvus *Gullfaxi* (aurea juba insignitus) videtur esse paris indolis ac eqvus Diei *Skinfaxi* (splendida sive lucida jubâ præditus) & alter Noctis, dictus *Hrimfaxi* (jubam pruinosam vel roscidam gestans). Denotat autem (e nostra opinione) lumen hyperboreum sive auroram borealem, Hrungneri i. e. Hyëmi sive hiemali dæmoni propriam. Jubar illud cum juba non inepte comparari potest. Cfr. relationes Taciti de mari orbis extremo, trans Svionas posito, ubi sole immergente formæ Deorum (vel eqvorum) & radiantia capita adspici feruntur &c. (German. Cap. 45).

nentiore superficie semper esset ante illum eqvitans. Hrungner vero tanto percitus erat furore giganteo, ut ne attenderet qvidem cursum suum rapidissimum, prius qvam intro per portam (sive sepem) Asgardiæ clathratam *(Ásgrindur)* summa cum pernicitate se inferret. — Qvum is ad aulæ fores accederet, Asæ eum ad potandum invitarunt. Mox Hrungner aulam intrat, potumqve poscit. Promebantur phialæ, de qvibus Thorus bibere solebat; ille vero liqvorem infusum, tangendo qvasi, ex qvâlibet statim sibi ingurgitavit *); sed cum inebriaretur, grandiloqvus factus est; jactabat enim se Valhallam e sede sua evulsurum, ut eam in mundos giganteos transferret, Asgardiam vero ipsam demersurum, diis qvidem omnibus prius denecatis, exceptâ Freya, assumenda qvoqve Sifa, qvas secum auferre vellet **). Tunc sola Freya Hrungneri propinare ausa est, is vero se tota Asarum potulenta ebibendo consumturum asserebat. Tandem Asæ, nimiæ ejus magniloqventiæ pertæsi, Thorum invocant, qvi extemplo præsens aulam intrat, et valde iratus malleoqve (feriendi causa) elevato, interrogat, qvisnam illius rei auctor sit, qvod gigantes, canina sagacitate præditi ***) poculis ibi indulgerent? aut qvisnam Hrungneri licentiam in Valhalla commorandi concessisset? aut cur Freya, ut in symposiis Asarum, pocula ipsi infunderet? Respondit Hrungner, sed oculis parum amicis ad Thorum contortis, se ab ipso Odino ad potandum invitatum esse, ejusqve pace data munitum ibidem commorari. Regerit Thorus Hrungnerem illius invitationis, anteqvam egrediatur, poenitentiâ luiturum. Cui iterum Hrungner: Thoro nihil inde gloriæ accessurum, si semet inermem interficeret; majus vero esse animositatis tentamen, si auderet duello secum contendere, in confiniis regionum ubi *Griótúnagardar* (saxea sepimenta****) aut petræi muri) nuncupantur, magnumqve fuit (pergit Hrungner) stultitiæ specimen, cum domi cotem *****) meam & scutum imprudens neglexerim, qvæ si adessent arma, duellum hoc ambo illico iniremus; sin minus & si me inermem interficere velis, probrosam infamiæ notam tibi applico & imprimo. His auditis Thorus, nullo modo a singu-

*) Sic hiems aërei liqvoris immensam copiam tangendo qvasi ingurgitare dici potest, cum eandem congelando statim exsiccet sive hauriat.

**) Freya, dea noctis & lunæ (qvæ oreadum sol alioqvin dicitur) a gigantibus semper appetebatur; Sifæ sive terræ integrum dominium iisdem non minus fuit exoptatum.

***) Hoc sensu vocem *hundvisir* Auctor Skaldæ accepisse videtur. Cfr. *Hymisqv.* str. 5.

****) *Griótún* sive *Grióttún* simpliciter saxetum denotat. Pro *Griótúna gardar* habet Höstlanga G. *haugr* (o: tumulus vel collis saxeus) ut infra amplius exponemus.

*****) *Hein* alioqvin significat cotem molliorem, sed illam Hrungnerianam Thiodolfus vates in Höstlanga carmine non sine durissimo ictu diffringi posse innuit. Vocabulum *Hein* (qvod Ha-

lari illo certamine, ad qvod provocatus erat, se subducere voluit, præsertim cum ipsi locus duelli esset stricte determinatus, qvippe nemo id antea cum illo experiri ausus fuerat. His ita peractis Hrungner domum cursu maximo contendit, donec Jotunheimos rediret, indicans conventum definitivum inter se et Thorum prædestinatum esse. Hic ejus excursus inter gigantes summopere celebratus fuit, qvum multum sua discriminis interesse, uter horum amborum victoria potiretur, censerent; interea tamen sinistra qvævis a Thoro sibi ominabantur, si Hrungner debellaretur, utpote qvi ipsorum esset robustissimus. Tum gigantes virum in Griotunagardis exstruxerunt argillaceum, qvi novem Rastarum (sive milliarium) erat proceritate, trium autem crassitie (sive latitudine) infra axillas (vel brachia). Cor tamen acqvirere neqvierunt, qvod cum magnitudine corporis ejus esset proportionatum, donec ex eqvâ qvadam desumtum isti adaptarent, qvod tamen adveniente Thoro haud stabile repertum est. Hrungneri ipsi cor erat e duro lapide spiculatum et triangulare, ut postea ad ejusdem formam incisuræ species *) facta est, qvæ *cor Hrungnerianum* appellatur. Caput ejus saxeum fuit, scutum vero petra ampla et crassa, qvod ante se obtegendi causa protendebat. Ita armatus Thorum in Griotunagardis (saxeis muris) stans expectavit; cote vero pro gladio usus est, qvam axillæ injectam et ad ictum inferendum paratam tenuit. Sic instructus non erat aspectu mitis. Ad alterum istius latus stabat gigas ille argillaceus, nominatus *Möckurkálfi* **), sed valde pavidus, adeo ut fama sit eum, cum Thorum videret,

---

raldo Daniæ Regi, sec. 11. regnanti, cognominis loco contigit) adhuc in Norvagorum vulgari sermone de cote usitatur, qvæ Vestrogothis Sveciæ *Hen* etiam dicitur. Cos ipsa ita dicta, qvâ Skalda Hrungnerem pro gladio usum esse asserit, revera fuit hasta sive machæra lapidea, qvæ veterrimis gentibus in usu fuit, & cujus generis multæ, nitidissime politæ, ut eapropter voce *Hein* indicari potuerint, hodiedum in perantiqvis borealium sepulchris freqventer reperiuntur. — Cfr. *Sjöborg Forsök till en Nomenclatur för nordiska Fornlemningar* p. 106.

*) Putatur fuisse e duobus triangulis compositum, uti celeberrimum illud pentalpha sive pentagonum aut etiam interdum hexagonum, qvod alioqvin (superstitiosa ratione) Islandice dicitur *Smiörknúr*, Germanis *Bierschild*, *Drudenfuss* sive *Truhtenfuss* (Druidæ, magi sive veneficæ pes sive pedis planta) aut etiam *Alpfuss* (Alfi sive dæmonis pes) Indis vulgo *Sherkun* &c. Hæ figuræ olim sacræ fuerunt Pythagoreis, Druidis & Indorum Brachmanis. Cfr. *Asiatic Researches* VIII, 79. & *Moor Hindu Pantheon* Tab. I (No. 42) pag. 598 sq. Inveniuntur porro in monetis (præsertim Celticis) qvæ variis veteris Europæ populis adscribuntur & præterea in urnis sepulchralibus gentilium Silesiæ incolarum; vid. *Kruse über das alte Schlesien und dessen Alterthümer (Büsching wöchentl. Nachr.* l. c. IV. 274, 276.)

**) I. e. suras habens è densa nebulâ coagmentatas, sive vitulinus (dæmon) e tali materiâ confectus. — *Möckr* sive *Möckur* aut etiam *Möckvi* nebula est sive caligo densissima, *Kálfi* autem sura (Dano-Jutice *Kalv*, Angl. *Calf*); de voce *Kálfr* vid. Gl. T. II. Voci *Möckr* cognata

urinam reddidisse. Thorus congressum duelli indictum adiit, cujus comes erat Thialfius; hic ad Hrungnerem, ubi stetit, procurrens hæc est effatus: incaute stas gigas! qvum te scuto protenso protegas; qvoniam te Thorus jam dudum conspexit, et infra in terra proruens subtus te adibit. Qvocirca Hrungner scutum pedibus subjecit, atqve isti insistens, cotem ambabus strinxit manibus. Mox deinde coruscationes & fulgetra cernit, tonitruaqve audivit vehementia, qvæ confestim seqvebatur Thorus ipse, furore Asico excitatus. Is maximo grassabatur impetu, malleumqve vibratum per longum spatium in Hrungnerem projecit. At Hrungner cotem ambabus manibus elevatam contra contorsit, qvæ malleo, in aëre volans, illisa perfringitur; cotis pars una, in terram delapsa, originem dedit omnibus cotariis *); altera vero, in caput Thori adacta est tanto effectu, ut in terram pronus corrueret. Malleus interea, Miolner dictus, medium Hrungneris caput offendit, totumqve cranium in minutas contudit particulas; ipse vero supra et trans Thorum ita corruebat, ut pedes illius cervici hujus incumberent. Thialfius Mockurkalfium adortus prostravit, at hic cum exigua laude occubuit, qvo facto, ille Thorum accedit, a qvo dum pedem Hrungneris auferre anniteretur, nullorsum dimovere valuit. Ceterum Asæ Thorum qvum prostratum esse audirent, accedunt, nec eum a premente Hrungneris pede liberare potuerunt. Supervenit tandem filius Thori & Jarnsaxæ, nomine Magnius, ætate trinoctialis **) tantum. Is pedem Hrungneris a Thoro sine mora abjecit, hæc simul locutus: Heu pater! dolor turpis! qvod ego adeo serotinus accederem; hunc enim gigantem si offendissem, credo ipsum memet pugno ad necem usqve percussurum fuisse. Tum Thorus surgens, lætus adventu filii, eum blande accepit, prædicens istum magnæ virtutis virum esse evasurum, voloqve (inqvit) te eqvo donare Gullfaxio, qvem Hrungner olim possidebat. Id autem Odinus Thorum injuste facere asseruit, qvod eqvum adeo egregium oreadis filio, sed non patri suo largiretur. — Thorus his factis Thrudvangos domum redit, cos vero capiti ejus fixa inhæsit. Advenit incantatrix qvædam,

---

est alia *Mugga*, caligo pluvialis sive nivalis; — ambævoces referendæ videntur ad Indo-Sanscriticum *Megha*, nebula (Pers. *Mig*, Cauc. Oss. *Mich*, Curd. *Messg*; cfr. CBritt. *Mwg* fumus Ang. *Smoak* & pl.). Hinc indicæ mythologiæ gigas, dictus *Megha-nada*, qvi cum Indra Deo (borealium Indrido sive Thoro persimili) concertans, densa nube obvolutus pugnavit, sed nihilominus ab eo devictus, eqvo victoris alligatus contumeliose tractabatur. (*Ward View of the history, literature and religion of the Hindoos* II, 35).

*) Anglus Eddæ Sæmundinæ primæ partis translator hanc fabulam cum Ovidii poëtica de lapis Lydii origine narratione comparavit; — *Cottle Icelandic poetry* &c. pag. 108. cfr. *Nyerup mythol. Wörterbuch* art. *Hrugner*.

**) Sive etiam trimus, e variante lectione. Magnius e giganteo (vel hiemali) et divo (sive æstivo) simul genere prognatus vernum aliqvem genium hic indicare videtur. Cfr. *Magni* i.

nomine Groa, uxor Örvandilis *), qvæ alacer cognomine dictus est. Hæc carmina sua incantatoria super capite Thori cecinit, donec cos exsolvi inciperet. Qvod dum sentiret Thorus, spem concepit de cote propediem solvenda, ideoqve illi medelam recompensando gratificaturus, id novi isti retulit, qvod dum e boreâ veniens Elivagos pertransiisset, in qvalo ferreo Orvandilem ê mundis giganteis gestasset, cujus rei signum esset, qvod digitum pedis Orvandilis unum, qvi forte ex qvalo ferreo prominens gelu obriguisset, defregerit, atqve in cælum sursus projecisset, stellamqve inde, qvæ nunc *Örvandilstá* (ɔ: digitus pedis Orvandilinus) appellatur **), condidisset, additqve Thorus Orvandilem brevi domum esse rediturum. His auditis Groa adeo est exhilarata, ut nullas amplius incantationes memoria teneret, nec cos solutior, qvam antea, facta est, qvum etiam nunc Thori capiti fixa inhæreat ***). Hinc cautelæ ergo prohibitum est, ne cos per transversum pavimentum trajiciatur, qvia hoc facto cos in caput Thori altius imprimitur. Juxta hujus traditionis tenorem Thiodolfus Hvinensis (gentilis sec. 9. poëta) partem carminis qvod Höstlanga dicitur, concinnavit. Ita autem ibi dicitur" &c. ****).

Memorat qvidem poëta Griotunensem tumulum sive collem, qvem Thorus fulmine instructus impetivit. Sonat isti Hrungner noster: tumidus et hominibus infestus monticola; lucifugorum dæmonum numen; nocivus celsarum & ventisonantium rupium satellitii ursus; antricolarum princeps; hostis terræ sive terrenus neqvam. — Fragmentum illud a

*) Secundum codicem Upsaliensem nomen ei fuit *Örvalldi* sive *Aurvalldi* i. e. lutum aut udorem efficiens vel producens. Dicitur alias *Örvandill* sive *Aurvandill*, qvod posterius argillæ sive luti contortorem significare videtur. Est forte allegoricum aliqvod tempestatis (sive ejus dæmonis) nomen, ad venti vernalis tales effectus alludens; hoc egregie confirmari videtur nomine uxoris ejus *Gró* sive *Gróa* ɔ: Flora (Chloris), proprie: virescens sive florescens. Hæc verna nympha sive incantatrix Thoro, æstivi caloris elementalem Deo, acerrimo cum hyëmis dæmone conflictu sauciato, feliciter mederi conatur, sed *brontiam* sive potius *grandinem* (lapidi asimilatam) removere neqvit. Cfr. *Mone Gesch. des Heidenth. im nordl. Europa.* I, 418-419.

**) Stella hæcce (borealibus certe adnumeranda) qvæ fuerit, jam, qvantum scio, Islandis et aliis gentibus ignotum est, qvod etiam certe de multis aliis astrorum nominibus statuere possumus.

***) Sic qvoqve ad ultima usqve tempora cos ista Lapponum Thori capiti inhæsit. Describit Schefferus (in sua Lapponia, Francof. 1683. 4. p. 105) Thori idolum, ê ligno factum, malleum manu tenens, cujus capiti Lappones silicem impingere solent, chalybe tamen addito, ut ignem Divus its excutere qviverit.

****) Hanc, qvæ nobis superest, Höstlangæ particulam, amplius exponemus ad artic. Þórr i. Videatur *Skálda* l. c. pag. 111-112 & *Sc. Th. Thorlacii Fragmenta Höstlangæ* (Obs. ant. bor. Spec. VI. p. 2-31). Decantavit poëta ille Thori cum Hrungnere certamen, ut in clypeo aliqvo picturâ repræsentatum; id fragmenti primordium & conclusio satis manifeste monstrant.

Skaldæ auctore est communicatum, cum prosaica illa relatione de cotis Hrungnerianæ diruptione & ejus seqvelis. — Hæc porro de Hrungnere occurrunt in carmine pervetusto, *Gróttusaungr* sive molaris cantilena nominato (qvod etiam Skalda nobis servavit, l. c. pag. 147 & sq.) *).

Fortis erat Hrungner
Et ejus pater,
Attamen iis Thiasfius
Potentior fuit &c.

In clypei poëticis appellationibus Skalda (pag. 160) eum jubet denominari ex allusione aliqvâ ad pedes Hrungneris, utpote qvi in scuto steterit. Sic Bragius poëta in cantilenæ fragmento, ibidem (pag. 162) exhibito, id vocavit *iliablad Hrúngnis* ɔ: folium (sive tenue scabellum) plantarum pedum Hrungneris. Hemistichium istud, notatu dignisfimum, hic nobis inserere liceat:

Vilit Hrafnkétill! heyra,
Hve hreingróit steini **)
þrúdar scal ec, oc þengil,
þiófs iliablad leyfa — ɔ:
Visne me Hrafnketille! auscultare,
Dum laudavero Thrudæ abactoris
Lapidibus arcte compactam
Tabulam, insistendo adaptatam [ɔ: scutum]
Et Regem [ejus datorem].

Ragnarem nimirum (de qvo consulenda sunt, qvæ de hac re supra egimus T. II. pag. 963; cfr. *Skálda* l. c. pag. 145 ut et art. *Hildur* s.). Vocatur præterea Hrungner gigas *þrúdar þiófr* ɔ: fur, raptor sive abactor Thrudæ, Thori filiæ, juxta mythum aliqvem, jam nobis penitus ignotum. Cfr. *þrúdur* i ***). Idem (Bragius priscus) in encomio Dei Thori (Skalda pag. 102) istum vocat *hausprengi Hrúngnis* i. e. cranii Hrungneriani percusforem sive diruptorem.

De nomine *Hrúngnir* vel *Hrugnir* consule suis locis Gl. T. I; his etymologice cognatum esse opinamur verbum *hrynia* ruere (unde *hrun* ruina — Gl. T. I & II); cfr. vetus poët. *Hravnn* unda strepera, æstuosum mare; *hraung* procella sive strepitus; recent. *hraungl* strepitus & pl. Aliud *Hrúgnir* deduci potest a verbo *hrúga*, cumulare, coacervare, a subst. *hrúga*, cumulus, acervus &c. Hæc omnia in hiemalem gigantem (cfr. *Harbardr* s.) satis apte qvadrare videntur; Hrungneris indoles, apparatus et gesta simili favent opinioni, qvæ jam dudum a pluribus me-

*) Est qvoqve editum cum latina versione a Sc. Thorlacio, ut laudatarum ejus Obs. ant. bor. Specimen Vtum, sed vix jam hujus libelli ulla exstant exemplaria.

**) His simul poëta verbis alludere potuit ad scuti decantati picturam (qvæ *steinn* veteribus sonuit) vel etiam ad pretiosos lapides (sive gemmas) isti inclusos.

***) Reliqvæ Hrungneris in isto fragmento appellationes giganti cuivis attribui possent.

lioris notæ auctoribus recepta est. Sic Danus Sorterup (in tractatu manuscripto sæpius laudato): "Non aliud vult pugna Hrungneris & Thori, qvam caloris & frigoris disfidium". Eandem sententiam Germanus Mone multis nuper ingeniose exposuit *); scutum, hiemi suppositum, est terræ glaciale tegmen, a fulmine (vel vernæ tempestatis violentia) diruptum &c. — qvæ hic recitare superfluum foret. De singulis aliqvot momentis hujus fabulæ propriam nostram opinionem in observationibus, huc allatis, adumbrare conati sumus; cæteris hic non locus est. Cfr. *Hrímþvrs*, *Harbardr* s. *þiasfi*, *þrymr*, *þórr*, *þidlfi* i.

Hrymr, *Hrymur*, gigas aliqvis sive dæmon, diis & hominibus hostilis, qvi terræ interitu appropinqvante ex oriente advehetur, *VSpá* 44. Verbotenus currum (forsitan etiam navem) agere dicitur *(ecr)*; seqventia verba variantibus lectionibus triplici modo exhibentur, videlicet:

a) *Hefiz* (pro *hefz*, *hefst*) *lind fyri*, — i. e. Elevatur (vel intumescit) scaturigo (maris) ɔ: profundus Oceanus (cfr. Glofs. T. II. v. *Linn*, *Lind*) — aut:

b) *Hefir lind fyri* i. e. tiliam (arborem), scutum vel navem sibi profert, aut etiam

c) *Hefir lid fyri*, exercitu præmunitus procedit. Hæc de Titane illo habet Edda prosaica (pag. 72). "Hrymus vocatur gigas aliqvis, qvi navem Naglfarium *gubernat*" (cfr. *Naglfar* i.) — & paullo posterius; "In campum Vigridum (ultimæ pugnæ destinatum) devenerat Hrymus & una cum eo omnes Hrimthursi."

Hinc concludendum, qvod Eddæ junioris auctor Hrymum pro horum Titanum tunc temporis summo Duce acceperit; certe qvidem nomen *Hrymr* ex eadem radice *(Hrím* scilicet) deducendum videtur. Vid. *Hrímþvrs* s.

Hræsvelgr (helluo cadavera deglutiens) gigas aqvilæ specie indutus, qvi ad coeli extremitatem (polum arcticum) sedem tenens, alarum qvasfatione ventum efficit (violentum) per oceanum spirantem *Vafþr M.* 36, 37. (obs. 36-38). Sic de eo agit Edda Snorroniana (pag. 22). "Interrogabat Gangler: Unde ventus oritur? qvi sane adeo validus est, ut vasta maria dimoveat & ignem incitet, sed qvantumvis habeat roboris oculis tamen cerni neqvit, ideoqve miro modo est creatus. Respondit Har: id tibi exacte revelare possum. In boreali cæli extremitate gigas qvidam, nomine Hræsvelgus, residet, exuviis indutus aqvilinis; qvi cum alas ad volandum intendit, venti sub iisdem excitati (mundum) perspirant" — (allegatur porro stropha Vafthrudneriani carminis, nuper memorata). Uti Latini *aqvilonis* nomen ab *aqvilâ* deduxisfe putantur**) & Jovi,

*) *Mone Geschichte des Heidenthums im nördlichen Europa* I, 414-417. cfr. *Stuhr Abhandl. über nord. Alterthümer* pag. 82.

**) Sic e. gr. Festus censuit. Hiems ipsa & qvidem frigidisfima olim Latinis sonuit Aqvilo; hinc etiam phrasis nota: *mediis aqvilonibus* pro medio hiemis tempore. Dixerunt illum

aëris & ventorum summo numini, hanc avem peculiariter adscripsere — sic etiam Odinus noster, aqvilæ forma sive exuviis indutus, interdum apparuit; (vide *Gunnlöd* s.) is tamen, ut putamus, aëri æstivo sive mitiori præsertim præfuit, cum ê contrario gigantes boreales & orientales, hiemales, violentas & hominibus noxias tempestates excitasse feruntur, & tum etiam similiter aqvilinam formam induisse referuntur. Hræsvelgus ille giganteæ qvidem indolis fuit, sed non tamen semper noxios ventos emittere credebatur. Alii gigantes sub eadem forma sæpius mundum nostrum visitabant, e. gr. Thiasfius, qvi simili modo Idunnam ad Jotunheimos abegit p. p. Præterea aqvila Valhallæ (*Gr. M.* str. 10) & eadem vel alia ex Eddæ junioris relatione (pag. 19) Ygdrasilli ramis (sive cacumini) insidens aëra vel ventum significasse videntur, uti alibi demonstrare conati sumus *) & hic amplius exponere nolumus. — Juvat tamen huic loco inserere ingeniosisfimam b. Gunnaris Pauli observationem: "Ad Hræsvelgum refero vocabulum *Klósigi* **) qvod nubem trifidam, non admodum crassam, procellæ indicem notat, demittendo nimirum (veterum sensu) in inferiora alterum pedem hac ipsa coelesti aqvila, et ab hac aqvilâ dictum puto ventum Aqvilonem, vetustisfima traditionum convenientia, Scythicam ni fallor originem sapiente." — Superstitio ista, de ingente qvâdam & mythica aqvilâ, borealem tempestatem efficiente, ad recentisfima tempora exstitisse videtur apud vulgum insularum Shetlandensium (e Norvegia originem ducentem). Confer incantationem vere poëticam, ad istam aqvilam provocandam, qvæ eidam genti adscribitur, & inserta habetur narrationi ê maxima parte cæterum fictitiæ, inscriptæ *the Pirate* (1822) qvæ illustrisfimo Waltero Scott (sive Vaverleji auctori) vulgo adtribuitur. — De etymo nominis vide Glos. T. I. art. *Hræsvelgr*; cfr. porro Gl. T. II. v. *Hræ* & T. I. v. *Svelg* (infin. *svelgia*, Dan. *svælge*, ASax. *svelgan*, Angl. *swill*, *swallow*, German. *schwelgen* &c.).

Hrönn, *Hravnn* f. amnis terrestris, hinc ad inferos cadens *Gr. M.* 28. Vid. Glosf. T. I.

Hvgin, *Huginn* alter corvorum sive accipitrum, Odino præ cæteris propriorum; is cum Munino qvotidie terram pervolare

---

poëtæ *concretum grandine pennas* &c. Is sive Boreas (Hræsvelgo similis) *pennarum jactatu adflavit omnes terras* & tempestatem ita excitavit (ut canit Ovidius Metamorph. VI, 702 & sq.).

*) *Eddalæren og dens Oprindelse* 1824, II, 130, 274, 288 (ubi præterea plura adtulimus de aqvila coeli, aëris & venti symbolo apud AEgyptios, Phoenices, Persas, Indos & pl.).

**) Verbotenus: ungvium (avis aut feræ rapacis) demisfio. Vox ipsa adhuc freqventisfime in Islandia usitatur. Observatio illa adscripta est (auctoris propria manu) margini exemplaris Eddæ hujus Tomi 1mi, qvod in bibliotheca universitatis Havniensis servatur.

sive supervolare dicitur, ipso tamen possessore metuente ne domum ille rediret *Gr. M.* 20 (cfr. Edda Snorroniana p. 43). Princeps bellicosus Huginum exhilarare dicitur S. II, α 26. Hugini glans sive pomum *(Hugins barr)* vocatur cor poëtice H. II, 50. Opinatur doctiss. Raskius *Hugin* pro *Hugr* legendum esse *Hr. G.* 3 (cfr. hujus operis I, 208 ad var. o) cum sermo foret de delegatione Hugini ad Dæmones aliqvos, de futuris mundi fatis consulendos.

Hæc de istis avibus refert Edda prosaica (pag. 42): "Duo axillis Odini insident corvi, qvi ipsi in aures omnia nova eventa, qvæ vident & audiunt (submissa voce) referunt. Horum nomina sunt Hugin & Munin; eos enim statim, diluculi tempore incipiente, ut totum pervolent mundum, emittit, redeunt autem tempore prandii — unde ille multarum fit rerum gnarus. Hac de causa vulgo *Hrafnagud* (corvorum numen) appellari solet;" (sequitur stropha nuper allegata Grimneriani carminis). Scalda hos nobis versiculos (pag. 322) servavit:

Flugu hrafnar tveir
Af Hnikars öxlum,
Huginn til hánga
Enn á hræ Muninn — o:
Volitabant corvi duo
Ex axillis Hnikaris (Odini)
Hugin ad suspensos (homines)
Sed ad cadavera Munin.

Ibidem porro (pag. 181, 182) ambo nomina inter corvorum poëticas appellationes memorantur.

Nomen *Hugin* vertendum erit cogitabundus sive meditabundus, & intellectum vel meditationem denotat, nisi potius capiendum sit pro animo ipso, qvi alioqvin sonat *Hugi* (cum articulo postpositivo *Hugin*); ita qvoqve *Munin* significat memorem, vel etiam ipsam memoriam. Sic ambo ipsi corvi repræsentant animi præstantissimas virtutes sive qvalitates, hominibus ab Odino, nostri mundi mente vel summo animæ ac vitæ & necis numine datas, uti suo loco amplius demonstrabimus *). De radice sive significantia vocis *Hugin* vide Gl. T. I & II, v. *Hugi* **), *Hugr*, *Huginn*. Cfr. *Hábrók* s. *Muninn*, *Odinn* i.

*) Cfr, *den ældre Edda* I, 243-247. it. III, 138, 163-164. hic supra pag. 129-131 (unde sane suspicari possemus, qvod foetus in matris utero, certo modo suspendi sive penduli esse, à veteribus ænigmatice dicerentur). Tales suspensos animus (Hugin) ab Odino missus, qvotidie visitat, qvamvis memoriæ (Munini) præsentia non fruantur. Hoc potius dormientibus sive defunctis ex antiqvitatis sententia contingere potuit. *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 337 & sq. 359.

**) Ita in Edda juniore (pag. 55. 56) manifeste appellatur animus, uti celerrimus puer allegorice repræsentatus, hoc videlicet modo "Lokius Utgardensis interrogat qvid ludorum (sive artium) juvenis ille, comes Thori, calleat? Respondet Thialfius se cum aliqvo, ad id ab illo singulariter delecto, per decursorium cursu contendere tentaturum. Lokius præstantem hanc

Hvedna, Hveþna nomen mulieris (giganteæ, ut videtur) *Hyndl. L.* 30 — cognatum certe alii *Hvedra, Hveþra* qvod Skalda (pag. 210) pro vulgari oreadis appellatione accipit. De vocis verisimili radice & significatione vid. Glosſ. v. *Hvedrúngr.*

Hvedrúngr, Hveþrúngr nomen gigantis (hic ut videtur Lokii) VSpá 49; sic qvoqve Hela vocatur *Hvedrúngs mær* a Thiodolfo Hvinensi (*Yngl. Saga* Cap. 52). Versus antiqvi memoriales, Skaldæ manuscriptæ inserti, illam vocem inter Odini appellationes referunt; — de ipsius significatione & etymologia, vide Glosſarium s.

Hveralundr (thermarum lucus) nomen loci, ubi Lokius vinculis constrictus scelerum poenas luit *VSpá* 32 (obs. 54, qvam idcirco consulas; cfr. porro variantes lectiones isti loco additas). De etymis vocabuli vid. *GI.* T. I & II v. *Hverr* & *Lundr.*

Hvergélmir, Hvergemlir nomen imi fontis sive abyssi, unde omnia flumina origines ducere dicuntur (cfr. *Eikþyrnir* s.). Hæc de eo habet Edda Snorroniana (pag. 4): "Multis eqvidem seculis ante terram factus est Niflheimus (nebulosus sive chaoticus mundus), in cujus medio situs est fons, qvi Hvergélmir appellatur. Emanant inde amnes ita dicti: *Svöl*" &c. (qvæ ad Orcum sive Helæ regiones proprie pertinent) *). — (Pag. 17.) Sub una [media nimirum] radice sive stemmate Ygdra-

---

artem approbat, sperandumqve esſe (inqvit) magnâ Thialfium præditum esſe agilitate, si in hoc certamine victor evaderet, idqve semet mox tentaturum asſerens surgit et egreditur; illi autem spatiosa erat planities ad percurrendum apta. Tum adolescentulum qvendam, cui nomen Hugi, advocat, eumqve currendo cum Thialfio contendere jusſit. Tum primam percutsionem inchoant, in qva Hugius Thialfio eatenus celerior evasit, qvod decurso spatio semet illi obverteret. Tum Lokius Utgardensis loqvebatur: Opus erit tibi Thialfi! si in hoc certamine superior evadere velis, plus ultra nervos intendere; interea tamen verum est, nullos hic accesſisſe, qvi majore valerent pedum pernicitate. Mox in secundam se præcipitant percursionem, qvâ finita, cum Hugius se converteret, longiusculus ad Thialfium teli grandioris jactus intercedebat. Tunc Lokius ille: egregia qvidem mihi velocitate pedum Thialfius valere videtur, non tamen puto eum jam victoria potiturum; id vero tertio currendi certamine manifestum fiet. Tum de novo percursionem iterant; Hugius ad terminum decursorii veniens, semet tergum versus convertit, qvum Thialfius ad medium decursorii vix pervenisset. Consentiunt omnes præsentes hoc qvoqve certamen satis esſe experientiâ comprobatum." Thoro ex Utgardia egresſo Lokius ille ipsi confesſus se eum magicis præstigiis illusisſe, hoc qvoqve ita declaravit: "*Hugius* ille, qvi cum Thialfio cursu contendit, animus erat meus, qvocum celeritate pedum certare, non poterat ab ipso sperari."

*) Qvoad horum fluminum numerum & indolem varii variant junioris Eddæ codices, qvod autem originitus duodecim fuerint verisimile evadit, hæc videlicet:

Svöl	*Hrid*
Gunnþró	*Sylgur*
Fiörm	*Ylgur*
Fimbul	*Vid*

silli dicitur Hvergelmer situs esse, et (in eo) draco Nidhoggus, arboris illius mundanæ radices rodendo atterens; cfr. *Gr. M.* 31 ubi Hela ad hocce, ut videtur, stemma (supra Hvergelmerem sive Nastrandas) habitare dicitur. (Pag. 19) in Hvergelmere cum Nidhoggo tot dicuntur degere vermes, qvot nulla lingva enumerare valeat; (allegatur porro *Gr. M.* 34). — Pag. 47 occurrit traditio de guttis e cornibus cervi Eikthyrneris in Hvergelmerem (adsiduo) cadentibus, qvam supra suo loco exhibuimus & explicare tentavimus. Pag. 76: In Hvergelmere (post mundi interitum) pessima erit mansio, ibi enim Nidhoggus emortua cadavera cruciat (cfr. *VSpá* 35). —

Abyssus hicce sub medio mundo situs, et ei qvidem primitivis suis aqvis originem præbens, variis modis & sub variis nominibus in omnium fere antiqvorum Europæ & Asiæ populorum cosmogonicis mythologiæ systematibus celebratur, uti jam alibi prolixe demonstravimus *). Conveniunt non minus exteri mythi nostratibus in descriptione Tartari, sive malorum dæmonum & defunctorum hominum carcere vel ergastulo in abysso illo locato (cfr. *Ndströnd* i.) & angvibus repleto, sub primarii alicujus Draconis regimine (vid. *Nídhöggr* i.); — nomino tantum Indorum *Bhógavati*, Persarum *Tschekaët-Daëti* & Græcorum Tartarum sive potius Acheronta **).

Nomen *Hvergélmir* sive *Hvergemlir* vertendum esse videtur: fons, gurges sive abyssus vetustus, a voce *Hverr*, *Hver* fons ebulliens sive fervens (unde thermæ fervidæ Islandis sic hodiedum dicuntur) & simpliciter simul cacabus, lebes, olla. Vid. Gl. T. I & II; — cfr. porro Gl. T. I. voce *Aurgelmer* vel *Aurgémlir* ***) —

Þul *Leiptur*
Slidur *Giöll.*

Cfr. *Elivagar*, *Fimbul*Þul s.

*) *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 3, 75, 117, 213, 220, 269 & sqv. De ipso Hvergemlere præterea conferatur *den ældre Edda* IV, 245 (& alia ibidem allegata loca).

**) Acheron variis modis convenit nostro Hvergelmeri (Ygdraailli sive terræ primariam radicem edenti sive continenti). Cfr. e. gr. Orphicorum hymnorum XVIImum ubi vates decantat:

Κνάνεον Ἀχερονθ', ὃς ἔχει ῥιζώματα γαίης &c.

(Atrum Acheronta qvi servat radices terræ — vel immane ejus statumen p. p.). A latinis simul poetis istud flumen sive abyssus in Elivagorum & Hvergelmeris modum describitur ut:

Turbidus cæno vastaqve voragine gurges —

Dicitur porro sanie & crasso (angvium vel glaciei) veneno æstuare & gelidam arenam cum murmure eructare &c. — Numne igitur *Hverr*, *Hver* (interdum *Kver* pronuntiatum) latere possit in Græco illo A — χερ — ων &c.? Denotat Gr. χηραμις cavernam, sed unde deducendum sit, ipsos philologos latuit. Cfr. *Elivagar* s. Hæc inferorum flumina Græcis partim ad ungvem conveniunt, ut *Svöl* (frigida) Stygi, *Giöll* sive *Leiptur* Phlegetonti, *Ylgur* Cocyto &c. — qvæ tamen similitudo pro pervetusta & radicali sine omni dubio habenda est.

***) A voce *gamall* (vetustus) &c. eodem modo formata sunt plura vocabula Islandis adhuc usi-

& de re ipsa *Elivagar, Ginnúngagap, Giöll* & pl.

Hyfiaberg rupes sive monticulus eroticoallegoricæ naturæ *Fiölsv. M.* 37 (obs. 45). Hic certe de monte aliqvo Venereo sermo est, qvem tamen amplius illustrare nolumus. Cfr. *Fiölsviþr* s. Circa etyma vocabuli consule Gl. T. I, v. *Hynótt*, I & II, v. *Hiá* — ut et I & II, v. *Berg, Biarg.*

Hymir gigas immanis, peculiari carmine, qvod *Hymisqvida* inscribitur, celebratus. Habitavit orientem versus ab Elivagis (sive oceano, proprie sic dicto) sub coeli extremitate, animosus qvidem ac caninâ (sive multifaria) sagacitate præditus & lebetem, milliaris profunditate gaudentem posfedit. *Hym. Qv.* 5. Fuit pater Tyris, & maritus mulieris auratæ ac albicantibus superciliis præditæ (str. 5, 8) *). Mater Hymeris (ut videtur) deformis tamen erat & nongenta habens capita (str. 7). Immanis ipsius statura & gravitudo innuuntur, barba autem conglaciata sylvæ asfimilatur (10); cranium ejus lapide durius erat (31), sed aspectu solo gigas iste columnam disfilire fecit (12). Dicitur erga hospites parcus fuisfe & ad malum animum pronus, mente autem dura et varia sive nociva imbutus (9). Thor cum Tyre comite, ad maximum Hymeris lebetem auferendum, ex Asgardia ad hujus domicilia iter faciunt (5-7) & a Tyris matre, in gigantis absentia, hospitio latenter excipiuntur (8). Hymer adveniens hospitum adventum exaudit & visu solo columnam diffringit (12) cum simul octo lebetes de ista excutiuntur, sed unus tantum eorum illæsus permansit (13). Annosus gigas, lebetibus, qvi Thorum & Tyrem obtegebant, ita amotis, oculis perlustrans suum adversarium, tristes concepit animi præsagitiones; tres tamen tauros asfumere & coqvere jusfit, qvibus mactatis, Thorus duos eorum solus comedit (14, 15). Piscium captura seqvente die prædestinata, Thorus nigri tauri caput defregit, ut isto pro esca uti piscatores posfent (16-19). Seqvitur relatio de Thoro piscaturam exercente & angvem Midgardensem (sive mundanum) hamo attollente (20-24) qvæ omnia suis locis amplius exponemus. (Vid. *Jörmungandr, Þörr*). Hymer tristis & taciturnus domum versus remigando tetendit (25). Navigio a Thoro ad Hymeris habitaculum transportato, seqvuntur eorum altercationes & calicis diffrac-

---

tata e. gr. *gémlir* senex summæ ætatis p. p. Priori vocabuli parti *(Hverr, Hver)* convenire videntur Angl. *Wherl, Whirl* vortex, *Wéar* palus, stagnum, piscina. — Qvum atavi nostri imum abysfum cacabo sive ollæ ferventi asfimilaverint, notatu præ cæteris digna est Nasaræorum traditio de simili abysfo (unde Terra etiam orta dicitur): "Exstiterunt ex fonte aqvæ nigræ, volventis, reverberatæ, spumantis, nec ollis turgentibus, ebullientibus, ferventibusqve disfimilis" &c.

*) Hæc igitur fuisfe videtur ex Asarum vel Cælitum genere (qvod forte etiam è str. 7 concludendum) nisi Auroram borealem vel aliqvid simile ultimi septentrionis phænomenon allegorice mulier illa repræsentasfet.

tio ad caput sive cranium Hymeris, lapide (sive lapidea columnâ) longe durius (26-31). Hymer calicis damnum deplorat (32) sed lebetem niltilominus Thoro promittere videtur, ea tamen conditione, si viatores istum e gigantis vasta æde auferre posſent, qvod Tyre frustra conante (33) Thorus solus strenuisſime nisus efficit (34). Ambos inde profectos multiceps e speluncis (gigantum) multitudo cum Hymere ipso persecuta, (35) a Thoro & crebris Miolneris ictibus percutitur (36). Conclusio carminis memorat alterius Thori caprorum claudicationem (37) & Thialfii ac Roskuæ inde profectam adqvisitionem (38). Tandem ſortisſimus Thorus in deorum consilio deposuit lebetem, Hymeri qvondam proprium; sic, istum cacabum adepti, Dii qvovis linisecio (vel autumnali tempore) apud AEgerem (cui lebes ille destinatur) unam celebrabunt compotationem (39) *).

Uno antiqvioris Eddæ loco Hymer noster porro nominatur; memorantur enim, in Lokii contumeliosis scommatibus, Hymeris virgines sive filiæ, qvas Niordo pro lotii alveolo usas esſe & ori ejus imminxisſe asſeruit **) *AEg. Dr.* 34.

Hæc de Hymere nostro (qvem sæpe Ymerem nuncupat) refert Edda Snorroniana (Pag. 61-63): Thorus gigantes offendere & illusiones ipsi nuper ab eorum summo principe, Lokio Utgardensi, invectas ***) rependere cupiens non diu domi mansit, priusqvam se adeo festinanter itineri accingeret, ut nec capris, nec comitibus uteretur. Egresſus igitur Asgardiâ, adolescentis specie asſumpta, vespere ad gigantem qvendam, cui Ymer nomen erat, venit, ubi etiam pernocta-

*) Inceperat carmen hocce descriptione convivii Asarum, cum res occultas sive futura eventa explorantes, bacillos jactitabant divinatorios (per rhabdomantiæ exercitium) et sangvinem inspexerunt sacrum; AEgeri saxicolæ (giganti), qvem lebetibus carere cernebant, mandant Dii, freqventer deinde iis compotationem instituere; adnuebat ille qvidem, simodo Thorus sibi adferret lebetem, liqvoris ita capacem, ut in eo cerevisia, cuncto Deorum coetui sufficiens, coqvi posſet. Hunc numina nullibi invenire potuerunt, dum Tyr Thoro soli talem lebetem Hymeri proprium esſe indicavit (str. 1-4). Cætera carminis contenta supra exposuimus. Lebetes grandes, sive insigni capacitate præditi, a vetustatis populis (uti hodie etiam ab iis, qvi ad Caucasios & Emodios montes habitant) magni habebantur pretii. Nota est Herodoti relatio (IV, 81) de Scytharum, Hypanis accolarum, immani lebete, 600 amphorarum capace, ut & ingente cratere ad Ponti ostium servato — ut famosisſimum Cimbrorum lebetem taceam. Turcarum militibus lebetes eorum communes adhuc sacri sunt & relligiose servantur. Cfr. *den ældre Edda* II, 75, 76.

**) Scomma hocce, in Aristophanis modum prolatum, physico mytho originem debuisſe opinor. Niordus enim erat marium proprie terrenorum numen, sed Hymer Elivagis (sive Oceano) adhabitasſe & ex aliqva parte iis præfuisſe fertur (Gymeri igitur omine & nomine cognatus). Sic Hymeris filiæ aut sunt vastæ Oceani undæ aut etiam montani Utgardensis tractus rapidisisimæ amnes, se in mare (sive Niordi ora) evacuantes; cfr. *Niördr* i.

***) "Interrogaverat Gangler: Nonne Thorus hæc unqvam ultus fuit? — cui Har ita respondit:

vit. Subdiluculano tempore surrexit Ymer, & semet in mare piscandi gratia remigaturum accingit. Thorus qvoqve, cum surrexisset, semet confestim præparat & Ymerem, ut se comitem adjungeret rogat. Hic vero respondet eum, utpote corpore parvum & adolescentem, exiguo adjumento futurum esse; frigore enim (inqvit) corrumperis, si tam diu & in-adeo longe remotis piscaturæ stationibus, ut solitus sum, substiterim. Respondet Thorus eum qvidem, illa non exstante causâ, a continente longe remigare posse; incertum enim esse, an ipse prior veniam â pelago revertendi littusqve petendi exoraturus esset; irascensqve simul non multum abfuit, qvin malleum illi insonare faceret, id qvod tamen illâ vice omittendum esse satius duxit, cum mox alio in loco vires suas, majori cum periculo, sibi tentandas reservaverat. Porro qvæsivit Ymerem: qvânam materia illis, pro esca piscium alliciente utendum esset? Ymer vero id ipsum procurare jussit. Tunc Thorus ad agmen qvoddam boarium, cujus ipse Ymer possessor erat, se contulit, atqve maximum taurorum prehendens caput ei avulsit, et secum ad littus asportavit; erat autem nomen tauro illi *Himinhriótr* *). Interea Ymer lembum suum piscatorium in mare eduxerat; Thorus in sentinæ interscalmio (puppi proximo) consedit, Ymer vero in navigii prora (sive anteriore parte) remos agebat, igiturqve remigatio cito peracta fuit. Tunc Ymer dixit eos in illas delatos esse stationes piscatorias, ubi solitus esset subsistere & planos pisces **) expiscari. Thorus contra se multo longius remigare velle respondit, ideoqve raptim & cursu citato iterum remigant. Tum Ymer dixit eos adeo longe processisse, ut ob angvis Midgardensis præsentiam periculum esset ibidem subsistere. At Thorus se, per aliqvod temporis spatium, adhuc nonnihil ulterius remigaturum esse innuit, qvod etiam fecit, sed Ymere tunc admodum subtristi facto. Mox Thorus remis in cymbam reductis, lineam suam piscatoriam, majorem in modum validam, extricavit & piscatui adcommodavit; nec hamus pari modo minor vel invalidior erat, cui caput illud taurinum immittebat. Hanc extra oram navigii in mare projecit, hamus vero fundum petiit; jam vere asseri potest Thorum tunc temporis non minus angvem Midgardensem seduxisse, qvam Lokius Utgardensis eum, qvando olim

licet desint mythologi, non tamen est ignotum Thorum hanc, qvam jam narravimus, expeditionem emendasse. *Hic enim non diu domi mansit*" &c.

*) I. e. qvi a coelo delapsus (sive coelum versus) proruit; alii legunt *himinbriótr*, coelum diffringens, aut etiam *himinhrióðr* vel — *rióðr*, cælum devastans sive cruentans aut rubefaciens.

**) Intellige passeres maximos vel pleuronectes, aut etiam rajas & alios pisces ejus generis.

dictum angvem manu sua elevaret, irrisit. Serpens enim Midgardensis, ore diducto, capiti huic taurino inhiabat, sed hamus, vibratione pensili demissus, palato ejus infigebatur. Qvod cum angvis persentisceret, motu adeo valido correptus est, ut ambo Thori pugni oræ (seu interscalmio) navigii illico alliderentur. Tunc irâ percitus Thorus divinum sibi contraxit robur, adeo ut pedibus obnitendo ambobus navigium penetraret & stans ad fundum recalcitraret, angvemqve ad oram usqve navigii extraheret. Id sane vero congruum censemus, neminem illum visiones (sive oculos aut aspectus) terribiles conspexisse, qvi non spectaverat Thorum, oculos superne in angvem acuentem, hunc vero inferne fixo visu obtuentem & venena spirantem. Tum (ut relatum est) Ymer gigas angvem cernens, necnon simul aqvam marinam per cymbam illabi & elabi, colorem mutavit faciei & præ metu expalluit. Unde igitur, eo ipso momento qvo Thorus malleum acceptum allevaret, cultrum escarium vacillante manu arripuit, funemqve Thori ad oram cymbæ disfecuit, angvis vero in mare subsidens iterum undis immergebatur. Thorus autem malleo post eum projecto, caput ei, ut tradunt, ad fundum maris *) avulsit. Aliud tamen, illudqve verius, tibi esse dicendum puto, qvod scilicet angvis Midgardensis etiamnunc adhuc in pelago cubans vivat. Ceterum Thorus pugnum elevatum auri Ymeris impegit, ut extra oram cymbæ prorueret præceps, plantis saltim pedum ejus postremo visui apparentibus — & deinde continentem vadando repetiit."

Hæc sunt, qvæ Eddæ nobis de Hymere illo produnt, nec qvidem consone, qvum auctor Eddæ junioris illud antiqvioris carmen, qvod *Hymisqvida* inscribitur, non ad manus habuisse videatur. Nihil certe hicce mythographus retulit de Hymeris lebete & ejus raptu; tractat autem solummodo celeberrimam illam Thori piscaturam, qvam noster episodes loco inserit, & Hymeris cædem, qvam integra illa cantilena longe aliter describit. Skalda nihilominus varia diversorum ethnicæ vetustatis carminum fragmenta exhibuit, qvæ eventa illa, ab Eddæ prosaicæ auctore descripta, celebrarunt — & qvæ nos igitur hic adferre vel memorare minime hæsitamus. Qvod mythographus iste 1) Husdrapam in Thori piscaturæ descriptione secutus sit, nuper asseruimus, & simili modo idem de cæde Hymeris dicendum est, qvum Ulfus poëta iisdem de hoc facto loqvendi formulis usus sit **). Præterea Eddæ junioris scriptor usus fuit:

*) I. e. *vid grunninum*; alii præferunt: *vid hrönnunum* o: ad aggeres undarum; — auctor Eddæ junioris hæc verba manifeste sumsit e carmine Ulfi Uggiani, supra laudato, qvod Húsdrápa dictum est — uti infra in articulo *Jörmungandr* luculenter monstrabimus.

**) Eu fragmentum Husdrapæ (*Skálda* l. c. pag. 102):

Fullavsflugr lét fellir
Flallgauts hneisa skialla,

2) Bragii prisci (sive vetusti) encomio Thori Dei, cædem sive vulnerationem angvis Midgardensis & periculosam illam piscaturam describente. Hymerem duo illius carminis Skaldæ inserta fragmenta memorant, qvorum primum *) admirationem gigantis de Thori hocce celeberrimo facinore exprimit, alterum autem Hymerem gigantem ejus piscatorium funem dissecusse innuit **). 3) Carmine Eysteinii Valdii filii, gentilis similiter poetæ incerti ævi, cujus dimidia stropha Thorum decantat, instrumenta piscatoria cum sene (illo) præparantem ***). Plura, in Skalda allegata, veterum poemata de istis eventis egerunt, sed in reliqvorum fragmentis, qvæ jam supersunt, Hymeris (ni fallor) nulla facta est mentio. — Thiodolfus Hvi-

---

Ramt mein var þat, reyni
Reyrarleggs vid eyra.

Ordine prosaico: *Fullauflugr fiallgauts fellir let hnefa skialla reyni reyrarleggs vid eyra; ramt mein var þat*, & sic qvoqve vertendum:

Perqvam validus monticolæ prostrator
Pugnos allidi fecit
Auri (genæ) arboris trunci tentatoris;
Id damnum acerbum evasit!

*) Fragmentum carminis Bragiani l. c.

þiockvavxnum qvad þickia
þikling firin-mikla
Hafra-niôts at havfgum
Hættlng megindrætti.

Ordine prosaico: *þiockvavxnum þyckling qvad þyckia firinmikla hættlng at hafraniôts havfgum megindrætti;* qvæ sic interpretamur:

Dixit (gigas) crassitie insignis,
Sibi videri caprorum possessorem
Miraculosum periculum perfecisse,
In illo gravissimo tractu.

**) *Skálda* l. c. pag. 186 — ubi Hymer manifeste dicitur:

Hinn er miôtýgil máva
Mórar skar fyri þóri —
Is qvi tenuem larorum paludis (o: marinum)
Funem, Thoro proprium, dissecuit.

***) Ibidem pag. 101:

Sin bió Sifiar rúni
Snarla fram med karli
(Hornstraum gétum Hrimnis
Hræra) veidarfæri.

I. e. Celeriter, cum sene,
Sifæ maritus præparavit
Sua piscatoria instrumenta —
Jam (de iis) carmen concinnamus.

nensis in Haustlanga suâ (l. c. pag. 121) Thiasium Hymeris cognatum appellavit; cfr. S. Thorlacii Ant. bor. VI, 62.

In nostra ad carminis *Hymisqvidæ* Danicam versionem introductione & annotationibus (*den ældre Edda* II, 39-86) multis demonstrare conati sumus, qvod fabula illa de lebetis Hymeriani autumnali raptu, alludat ad terreni maris (AEgeris) autumnale augmentum, ex Hymeris (Oceani) promtuario, Thori (fulminatoris) & Tyris (Luni) strenua ope desumtum. Videtur carmen illud cantatum fuisse in magno illo autumni festo, qvod post Christianismum receptum sacrabatur Michaëli Archangelo (Draconis victori, ut Thorus ipse olim appellatus fuerat) p. p. Plures auctores mythum huncce ad annua naturæ phænomena alludere putant e. gr. Stuhr (*Abhandl. über nord. Alterth.* 1817 pag. 80 sq) & Mone (*Gesch. des Heidenth. im nordl. Europa* I, 412 & sq.) *). Cfr. *Jörmungandr*, Þór i. De etymo nominis *Hýmir* verisimili vide Gloss. T. I. Cfr. porro *Jörmungandr*, *Týr*, Þór i.

Hyndla, oreas qvædam sive gigantea mulier, Freyam in nocturno itinere comitans & cum ea altercans. Agit de hoc evento carmen integrum, qvod *Hyndluljód* inscribitur. Incipit poëma blanda Freyæ allocutione, qvæ Hyndlam in antro habitantem, qvam tamen amicam & sororem salutat, ad iter illud, in Valhallam ac sanctum (sive editum) locum aut domicilium provocat, (str. 1) — ut exercituum (vel populorum) patris (ipsius Odinii) multifariâ, hic decantata munificentia insignis, gratiam orando expeterent (2-3): — Freya porro Thoro, giganteis feminis alioqvin inimico, in Hyndlæ gratiam se litaturam promittit (4) — & hanc tandem poscit ut unum luporum suorum (oreas) e stabulo sumat, & eum cum magicis capistris currere faciat (5) **). Respondet Hyndla verrem Freyæ ***) viam Deorum (vel ad Deorum regiones ducentem) segniter calcare (5), sed Freya suum hocce eximium jumentum se oneraturam (sive ascensuram) innuit. Seqvitur Freyæ & Hyndlæ colloqvium de genealogia viri cujusdam humani, Ottaris Insteini filii ****) cognomine stulti sive stolidi, qvi Freyam delubri sive aræ exstructione &

*) Doctiss. Mone carmen Hymisqvidam seculo undecimo non antiqvius esse censet, nos contra idem ipsum gentilismum manifeste prodere opinamur. Vox *kalkr* non magis latina est qvam aliæ: *sól*, *salt*, *mar* qvæ latinis *sol*, *sal*, *mare* ad ungvem fere conveniunt, ut cæteras taceamus.

**) Oreades sive giganteæ mulieres lupis olim vehi putabantur; cfr. H. I. T. II. p. 45 & 48, Eddæ Snorr. l. c. p. 66. Eadem postea de sagis sive veneficis sed vere humanis feminis superstitio invaluit, unde earum nocturna per aëra itinera Islandis adhuc dicuntur *Gandreid* (i. e. lupina eqvitatio). Similia tamen olim interdum de Diis ipsis dicta sunt (*Hr. G.* 10).

***) Vide de eo articulos *Gullinbursti* & *Hildisvini* s.

****) Innsteinus hicce videtur idem esse ac inclytus ille athleta, qvi in *Hálfssaga* inter Halfi vel

novem boum sacrificio coluerat, Asyniis insuper semper relligiose deditus (9); jam hic juvenis princeps in pignorititia sive hereditaria lite versabatur (8, 9) ob qvam causam notitia variorum genealogiæ stemmatum ei necesfaria evaserat, qvam etiam Hyndlam ei (vel sibi) aperire Freya intense rogat (10). Hyndla multa ejus generis de principum, nobilium, liberorum colonorum & porro de gigantum & deorum stemmatibus recitat, nefasto vaticinio insuper addito (11-38). Memorat porro Thorum, uti principum (vel numinum terestrium) potentisfimum (39) sed mox prædicat alterum, eo potentiorem, adventurum esfe, qvem tamen ipsa non nominare audeat *), qvum pauci longius provideant, qvam id tempus, qvo Odinus cum lupo (Fenrere) congredietur (40).

Freya Hyndlam suo hospiti (Ottari nimirum, qvi eas in itinere, ut videtur, comitatus fuerat) memorialem potionem adferre hortatur, ut ipse genealogicos Hyndlæ sermones recensere posfet, cum is & Angantyr stemmata evolvere deberent (41). Irascens Hyndla Freyam facescere jubet, semet dormitionem desiderare adserens, et illam insupra libidinis & nocturnarum grasfationum opprobriis afficit (42-43). Freya respondens minatur feminam sylvicolam igne ita circundare, ut non ex isto loco evadere posset, oreadis opprobria in ipsam porro retorqvens (44). Confitetur Hyndla se flammam ardentem & tellurem flagrantem cernere, & se eapropter, e plurimorum exemplo, ad propriæ vitæ redemtionem cogi; — Freyæ igitur potionem Ottari propinandam tradit, sed non sine diris execrationibus (43) — qvod omen Freya e contrario neqvaqvam valere jubet, sed Ottari suo cuncta numina opem adferre precatur (46). Cfr. *Freya* s.

Hyndlam nostram giganteis & simul nocturnis vel tenebricosis mythologiæ entibus adnumerandam esfe, nullo dubio carebit, — cui autem eorum generi rite adscribi debeat, non nobis penitus liqvet. Nomen *Hyndla* qvidam caniculam interpretati sunt (vid. Gl. T. I,) sed aliud consonum *Hindla* cervam sive cerviculam indubie significat; — an a cornibus, lamiis adtributis, oreas illa ita dicta sit, in medio relinqvimus. Gigantes multa calluisfe, qvæ Diis ipsis ignota erant, plu-

---

Alfi, celeberrimi Norvegorum piratæ asleclas numeratur; fuit autem filius Alfi prisci sive vetusti, Hordalandiæ regis, cujus majores hic recensentur. Ottar ipse præterea per varia stemmata ortus fuisfe dicitur e principibus priscorum Gothorum, qvi olim incolebant orientales baltici maris regiones, jam præsertim Rusfico imperio subditas, uti alibi demonstravimus (*den ældre Edda* III, 28-30). Non igitur mirum, qvod Ottar iste Freyæ ibi solemnisfimo cultui maxime deditus fuisfet.

*) Hic sine dubio Surtus ipse intelligitur, Deus nimirum totius universi, cujus notitia, non nisi mysteriis involuta, olim inter gentiles nostros atavos indicata fuisfe videtur. Cfr. *Surtr* i.

res eddicæ fictiones innuunt; — huc forte certo modo spectavere nocturnæ atavorum nostrorum sub dio lucubrationes, ad res occultas vel futuras indagandas institutæ, qvæ *útisetur* vulgo appellabantur, in christianis nostratium medii ævi legibus strictisſime prohibitæ. Ob talem causam Freyam ipsam (lunæ vel venereæ Stellæ Deam) finxerunt poetæ a gigantea muliere scientiam genealogicam, in viri vere humani gratiam, expetere, & cum ea in nocturno itinere versari. Matutino tempore adpropinqvante lamia dormiturire cæpit, & a Freya compellata, istam acerbisſimis scommatibus affecit — sed Dea contra tenebricosam furiam (auroræ) adparentibus flammis, qvas hæc tolerare neqviit, cingere & perdere minatur. Cfr. *Hrímgerdur*, *Alvis* s.

Qvoad carminis hujus ætatem observari meret, qvod Haraldi Hilditanni, Daniæ Regis, (qvem Suhmius ad seculum 8vum post Chr. n. refert) mentio ibi injicitur. — Plura de ejus contentis in versione hujus Eddæ Danica (T. III) commentati sumus, qvæ non hic repetere necesſarium ducimus.

Hænir, *Hönir*, Asarum unus; nominatur inter tres eos, potentes & amabiles vel amore præditos), qvi homines primos, Ascum & Emblam crearunt; his Hænerus rationem dedit; *VSpá* 15-16. Is cum Odino & Lokio ad cataractem Andvarii pervenit, ubi Lokius Oturum, in lutræ speciem transformatum occidit, qvam ob causam Asæ illi, a Hreidmare, Oturis patre, hospitio eos excipiente, postea comprehenduntur, & cædis resarcitionem solvere coguntur S. II, *α*. (T, II, pag. 151 & sq.); vide *Andvari*, *Hreidmarr* s. — Qvum, post hujus mundi excidium, recens terra ex oceano emerget, priscorum malorum expers & Asæ iterum in Idæ campo convenient, Hænerus litamen sive sacrificialem sangvinem *) accipiet *VSpá* 56 (cfr. 52 sq.).

Edda Snorroniana inter Deos, hominis creatores, Hænerum non nuncupat, sed Vilium (Boris filium & Odini fratrem) ejus loco ponere videtur (pag. 10) qvamvis illos Deos pro uno & eodem habendos opinemur; cfr. *Askr.* s. Memorat tamen Edda ista Hænerum, ut obsidem Vanis ab Asis datum, qvum firmam inter se disſidiorum transactionem fecisſent (cfr. *Áss* s.) **). Nominatur Hænerus inter

*) E qvorundam lectione, videlicet *hlaut*, *laut* (de qvo supra in Glosſario, ubi λυτρον pro λουτρον legendum est græcum illud vocabulum, nostro forsitan cognatum). Scripserunt alii *hlut (lut)* qvum sensus foret: Tunc Hænerus suam accipiet sortem vel (imperii aut *posſesſionis)* portionem. — Hæneri cultus inter veteres Scandinavos, secundum historica monumenta, mihi in cæterum ignotus est. Fuit forte revera idem Hæner hoster atqve Saxonum Hanus, cujus idola & sacras arbores S. Bonifacius destruxit. Cfr. cl. Graeteri *Bragur* VI, 29.

**) Cfr. traditiones Ynglingasagæ Cap. 4 (*Hkr.* I, 7) insertas sed ex mythicis in historicas transformatas, qvorum verum sensum alibi explicare conatus sum (*Eddalæren og dens Oprindelse* II, 236 & sq.). Loco prius citato innuitur Hænerus stultitiâ sive inscitia laborasſe. E

duodecim primarios Asas, in Asgardia ad judicium (sive potius colloqvium) congregatos, cum AEger istic convivio exceptus fuit (pag. 80) *). Dicitur Hænerus cum Odino & Lokio domo profectus & cum iis per montes & deserta vagatus fuisse, qvum cibariorum acqvisitio iis difficilis evasit; in valle qvâdam gregem tandem boarium cernebant, et ex ea bovem unum cepere & coqvere tentabant, sed Thiasius gigas, aqvilæ formâ indutus, ejus operis successum impedivit. Vid. *Idunn, Loki, Þiassi* i. Aliam ejus cum Odino & Lokio expeditionem descripsimus supra art. *Hreidmarr* (Eddæ jun. l. c. pag. 135 & sq.). Skalda tales ei denominationes adtribuit: Odini consesor, (itineris) socius vel collocutor; Asa celer; longipes (ad vocem: longus pes) & sagittarius (vel sagittarum) rex (aut director vel possessor) **). In fragmento carminis Haustlangæ (l. c. pag. 120) bis Lokius vocatur fidus Hæneri amicus. Conjecturas nostras de Hænero, lucis Deo vel genio in aliis libris exponere tentavimus ***) qvas hic jam non repetere vacat. Addamus inde solummodo nominis probabilem etymologiam. *Hœnir, Hönir* e nostra sententia olim proprie sonuit *Hædnir* (excelsus vel excelsa petens) aut etiam *Heidnir* (æthereus, serenus vel serenans); vid. Gl. T. I & II, v. *Heid, Hæd* T. II, v. *Heidr* it. *Heidrún* s. & pl. ****).

Hævateinn, Hæfateinn (spiculum in feriendo certum) *Fiölsv. M.* 27. Est, ut videtur, erotico-allegoricæ sed physicæ qvidem naturæ, qvod amplius illustrare nolumus, sed lectori solummodum idcirco commendamus Skaldæ l. c. pag. 223. Cfr. *Fiölsviþr* s. Radices voces qværendæ sunt in verbo *hæfa*, scopum ferire, collineare (vel collimare) s. subst. *Hæfi* (meta, scopus) — & subst. *Teinn* spiculum, virga, cæt. (de qvo Gl. T. II,). Cfr. *Mistilteinn* i.

Hödr, Höþr, Hödur, Havdr Balderum Mistilteini infelicissimo ictu percussit *VSpá* 30. *Vegt. Qv.* 14. Ipse (in ejus facti vindictam) occiditur & in (funebrem) pyram portatur a Balderi fratre (Valio) 31.

---

contrario fragmentum historicum, *Sögubrot* dictum, Hænerem ab Asis perterritum fuisse refert sed Heimdallum Asarum stultissimum appellat; vide Grundtvigii huc spectantem observationem (*Dannevirke* I, 371. cfr. *Rafns nord. Kjæmpehist.* III. 137).

*) AEgeris ipsius Asis parato convivio Hænerus non adfuisse memoratur, qvod forsitan sua non caret ratione.

**) Lego enim *örkonúngr*, e freqventi similium vocum scriptione, pro *aurkonúngr*, qvod alias luti s. argillæ dominum &c. innueret.

***) *Den ældre Edda* I, 39. IV. 246. *Eddalæren* og *dens Oprindelse* II, 60, 63, 235 & sq. (cfr. I, 43, 350).

****) Confer tamen Pers. *Huner (Hyner)* excellentia, unde alii nostrum *Hönir (Hæner)* deduxerunt. Numne etiam conferri meretur Latinorum *Honor*, qvem qvidam pro Deo habuere? — Circa illud *Hœnir (Hönir)* observari qvoqve possunt recentiora Danica *Höiner, Höjner* exaltator vel *Höinet* exaltatus, a verbo *höine (höjne)* & pl.

Vegt. Qv. 15, 16. "Post mundi nostri interitum is & Balderus beatas Odini ædes vel regiones, ut cælestes Dii, incolent 55.

Edda Snorroniana eum primo loco (pag. 31) ita memorat: "Hödus (sive Hoederus) Asarum unus est, coecus qvidem sed valde robustus; vellentqve Dii ne hunc vel nominare opus esset, nam ejus facinora *) inter Deos & homines diu in memoria habebuntur." Pag. 64 & sq. continetur relatio de ipsa Balderi cæde, a cæco illo Hödo è fraudulento Lokii consilio perpetrata, qvam supra (in articulo *Baldur*) lectori proposuimus **). Pag. 76 hæc occurrunt (ad Valiani carminis str. 52-56 & Vafthrudneriani str. 44-51 spectantia): "Ganglerus interrogavit: Num tunc temporis — (post mundi nostri interitum) — ulla numina supervivent? et num tunc aliqvid cæli aut terræ exstabit? Har respondit: emerget e mari tellus virens & amoena; tunc agri insativa frumenta ferent. Vidar & Valius ita vixerunt, ut incendium Surtianum illos neqvicqvam nocuerit; tum ii Idæ campum inhabitabunt, ubi qvondam erat Asgardia sita.

Illuc qvoqve filii Thori Modius & Magnius venient, Miölnerem in sua possessione habentes. Mox etiam Balderus & Hödus ex Helæ regno advenient; tunc omnes una (Asæ) considentes colloqventur" &c.

Skalda l. c. Hödi denominationes ita recenset (pag. 105): Asa cæcus, Balderi percusfor, Mistilteini ejaculator, Odini filius, Helæ socius, Valii adversarius.

Nostras de Hödi mythica significatione (ut nocturnarum vel potius hibernarum tenebrarum genio) exposuimus supra (III, 12, 39, 40, cfr. 299, ut et Eddæ hujus vers. Dan. IV, 246 & plura loca ibidem allegata). De nomine ipso consule Gl. T. I. cui tamen addendum, qvod cognatum videatur terræ vocabulo *haudr, haudur*, qvod forte tegmen (abysfi vel inferorum &c.) originitus significavit, it. *hýdi* lustrum, cfr. AS. *hydan* occulere, tegere Angl. *hide* & pl. Si hæc revera nostro *Havdr, Hödr* affinia sint, ejus vera notio evaserit: Tegens, Occulens, qvod tenebrarum genio satis apte conveniret***), cfr. Gl. T. I.

Högstari nomen Dvergi sive elementalis genii, e Dvalini coetu, incertæ significationis *Vǫ́pd* 14.

Höll, Havll (vergens, declinans) una amnium, qvæ per Deorum regiones volvuntur *Gr. M.* 27. Vid. Gl. T. I. cfr. I & II v. *Hallr*.

*) Verbotenus: *hans handa verk* o: opera, ejus manibus facta (vel perpetrata).

**) Hic iis addendum, qvod nomen Hother, a Saxone, in hist. Dan. libr. 3. Balderi percusfori adtributum, Eddarum Höderum sive Hödum indubie significet, qvamvis tota ejus descriptio principi terreno & humano, non autem mythico Deo sive dæmoni conveniat.

***) Conferri porro meret Græcorum Hades (Ἅδης) Plutonis & inferni cognomen; præferunt alii Ἀιδης (cæsus sive invisibilis) qvod etiam certo modo in Hoedum nostrum bene qvadraret.

I.

Jafnhárr, Jafnhár, (æqva celsitudine sive sublimitate præditus) nomen Odini adscititium *Gr. M.* 48. Sic de ejus origine agit Edda Snorroniana (pag. 3): "Qvum Valhallam, Asgardiæ principalem arcem, intraverat Gylfius, Gangleri nomen usitans — — vidit ibi solia tria, qvorum unum super aliud ordine dispositum erat, & singulis singulos viros insidentes. Qværit deinde, qvod nomen princeps eorum (urbis incolarum) gereret *). Respondit introductor, qvod ille, qvi infimum solium occupabat, Rex esset & *Hár* (excelsus) nuncuparetur, qvi superius *Jafnhár* (æqve excelsus) qvi supremum *Þridi* (ɔ: tertius)." Hi tres deinde Ganglerum mundi, Deorum & hominum ortum, statum & prisca ac futura fata edocent.

Nihilominus cuncta illa tria nomina Odinus ipse sibi adscribit *Gr. M.* 45, 48 & is summus Asgardiæ & Valhallæ Rex alioqvin habetur, quare non dubitandum, qvod ipsemet (qvi omnes formas induere & ubicunqve præsens esse potuit) sub triplice isto nomine latuerit. Cfr. *Hár, Háfi* s. *Odinn, Þridi* i. Hic *Valhöll* sive Valhalla eadem est ac *Háfahöll* (Excelsi aula) ut Edda prosaica expressis verbis docet (l. c. pag. 2, 3) — & certe qvoqve pro mundano Dei ædificio habenda (cfr. *Háfi, Háfahavll* s.). Hæc amplius alibi demonstravi **) ubi tres illos mundi sive coelestis aulæ principes [accepi pro Sole, Luna & astrali coelo (qvorum omnium summus rector Odinus certe habebatur). Radices vocabuli qværendæ sunt in duobus adjectivis *Jafn* (æqvus, par) & *hár* altus; vid. Gl. T. II.

Jálkr (eviratus ɔ: senex) Odinus dicebatur apud Asmundum qvendam *Gr. M.* 47 & simul inter Deos *Gr. M.* 53. Vocabulum illud veteribus sonuit: eviratus, qvod jam autem de eqvis tantummodo dicitur, uti etiam Norvegis *Gjælk* (vel *Jælk*). Gudm. Magnæus nomen illud putabat proprie *Jólkr* olim audiisse, a voce *Jól* deductum, qvod etiam Jolensis festi (sive solis annuæ conversionis) primum auctorem ***) non inepte indicaret. Tunc senex annus repente transmutatur in rena-

*) Vel forte rectius: qvæ nomina essent istorum principum.

**) *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 381 & sq. Cfr, ingeniosam Trautvetteri sententiam, ibidem pag. 407 memoratam, de Hare ut solstitio hiberno, Jafnhare ut bino æqvinoctiali tempore & Thridio de solstitio æstivo — qvos omnes ita interdum atavis nostris explicatos fuisse, minime denegare audeo. Nihilominus Trautvetterus simul in tribus illis Regibus, qvos Gylfius visitavit, vidit tres stellas in Orionis balteo positas. Vide laudati auctoris *Asciburg oder die Germanischen Götter- und Heldenbilder als Sternbilder dargestellt (Isis, herausgeg. von Oken.* 1820. IX *Heft*).

***) Odinus alioqvin in manuscriptis Scaldæ codicibus vocatur *Jólfadir* (Jolensis festi vel annui solis reditus) pater.

scentem infantem, qvi etiam *Jólkr* dici potuit, uti Vermelandi imberbem puerum adhuc *Jolk* vocitant *). Cfr. *Asmundr* s. & Gl. T. I.

Jari Dvergus qvidam sive elementalis genius, incertæ significationis *VSpá* 12.

Járnsaxa (ferrum s. ferri venas discindens) una Heimdalli novem matrum, e giganteo genere orta *Hyndl. L.* 34. Skalda Jarnsaxam aliqvam & oreadem qvoqve Magnii, Thori filii, matrem nuncupat (pag. 110) & istam simul ut hujus Dei concubinam memorat (pag. 119). Radices vocabuli sunt subst. *Járn* (ferrum, de qvo Gl. T. II) & verbum *saxa* (minutim disfecare) qvod iterum a s. *sax* sica cet. (ibid.). Sic nostra Jarnsaxa, ferrum in montium speluncis tractans sive promens, & gnatos ferrea fortitudine insignes pariens, rite comparari potest cum variis Finnicæ mythologiæ giganteis nymphis, ferri nutricibus & matribus, ut poetæ finxerunt **). Cfr. *Heimdallr*, *Magni*.

Járnvidr, *Járnviþr* (ferrea sylva) in Utgardis, ad orientem (terrarum orbis & oceani istum cingentis) sita, domicilium vetustæ oreadis sive lamiæ (verisimiliter Angurbodæ) qvæ Fenreris genera (lupos & gigantea monstra) propagavit *VSpá* 36 (obs. 58-60 ubi Mongolorum & Indorum parallelæ traditiones memorantur). De his sic loqvitur Edda Snorroniana (pag. 13): "Oreas qvædam (sive lamia, in textu *gýgur*) in sylva qvæ *Járnvidr* dicitur, orientem versus ab Asgardiâ sita habitat, qvam etiam sylvam fæminæ giganteæ, qvibus nomen *Járnvidiur*, incolunt. Annosa illa oreas multos parit filios gigantes, qvibus forma est lupina" &c. (vide *Hati* s.). Simplex vocabuli etymologia qværatur in substantivis *Járn* (ferrum) & *Vidr* (sylva) in Gl. T. II. adumbratis.

Idavöllr, *Iþavavllr* o: Idæ campus, sive etiam verbotenus: actionum aut confluxus planities &c. — in qvo Asæ creatores, astrorum regulari cursu prius ordinato, convenerunt, delubra & fana (vel amplas ædes) exstruxerunt & varia deinde (fabrilia inprimis & metallica) artificia exercuerunt; auri copia beati & lætitia imbuti aleæ lusu delectabantur, donec tres illuc advenere giganteæ virgines &c. *VSpá* 7-8. Post mundi sive telluris interitum Asæ iterum in Idæ campo convenient, varia colloqviis tractaturi — cum aureæ illæ ac mirabiles tabulæ (sive potius calculi aut aleatorii orbes) in gramine reperientur, qvas in principio temporum Dii possederant *VSpá* 53.

*) *Ihre svenskt Dialect-Lexicon* Upsala 1766. 4. ad vocem *Jolk*, qvod similem cum illo *Jólkr* originem habere videtur, qvamvis hæ voces diversis jam gaudeant significationibus. — Sic qvidam forte Odinum uti solarem infantem (qvem alii Freyerum nuncupabant) olim salutavere. Cfr. *Freyr* s.

**) Vid. e. gr. cl. Schröteri *Finnische Runen* ("die Geburt des Eisens") pag. 22, 156.

Edda Snorroniana hunc campum ita memorat (pag. 14): "Qvæsivit Ganglerus: Qvid egit Omnipater post Asgardiæ (regionis sive urbis) perfectionem? Respondit Har: Inprimis rectores in sedes collocavit, qvi secum fata hominum judicarent vel dispensarent et urbis statum (sive ordinationem) dirigerent. Id erat in medio urbis, ubi locus *Idavöllr* (Idæus campus) appellatur. Primum deinde opus eorum fuit, qvod curiam ædificarent in qva sedilia erecta sunt illorum duodecim, præter solium illud qvod Omnipatri proprium est. Hæc domus in mundo exstructa fuit maxima & ornatisſima, intrinsecus & extrinsecus auro purisſimo resplendens; ibi etiam locus est qvem Gladsheimum nuncupant" (vid. *Glaþsheimr* s.). Mox memoratur ædificatio Vingolfi (vid. *Vingólf* i.) & relatio de aurea Deorum ætate, Valiani carminis traditioni fere consona. Post mundi interitum & novæ telluris ex oceano emersionem, hæc ex Haris præsagitione (pag. 76) inter alia evenient: "Vidar & Valius tunc supervivent, cum nec mare nec Surtianum incendium iis nocuisſet. Isti Idæ campum, ubi prius sita erat Asgardia, inhabitabunt (sive ædificiis adornabunt). Venient istuc filii Thori, Modius & Magnius, Miolnerem secum adportantes, necnon Balderus et Hoederus ex Helæ regno reversi, qvi omnes ibi colloqventur & priscarum scientiarum [vel etiam confabulationum aut periculorum] reminiscentur. Tunc ibi in gramine reperient aureas eas tabulas (vel calculos aut aleatorios orbes) qvas Asæ olim possedérant" &c.

Qvod majores nostri Phrygibus cognati fuisſent, multæ nobis rationes persvadent, — & sic non igitur mirum, si illi in borealem mythologiam Idæum campum, Deorum habitaculum vel coeleste forum receperint. — Si autem, e contrario, vox *Idavöllr* nostro tantummodo idiomati adscribenda sit, prior ejusdem pars referenda videtur ad verbum *ida*, *yda* festinanter vagari sive ambulare, it. confluere, æstuare cet. unde *id* confluxus, *ida*, *yda* æstus aqvarum, cataractes &c. Aureos illos calculos sive aleatorios orbes, qvibus Dii creatores ludebant, coelestes stellas, ab iis simili ordine dispositas, ænigmatice significare puto, & Idæum insuper campum coelum astrale ipsum *) denotare.

Idun, *Idunn*, *Iþvnn* (it. *Idudur*, *Iþuþvr* vel *Idunnur* minus vulgariter) ex Alforum genere orta, Ivaldi (Dvergi) majorum (ætate magis provectorum) liberorum natu minima *Hr. G.* 6. Decidua ex æsculo (sive fraxino) Ygdrasillo (i. e. æthereo ejus culmine) præsaga illa Dea diversabatur in (obscuris Utgardiæ) vallibus, talem descensionem sub (large) comatæ arboris stipite detenta moleste ferens, mi-

*) *Idavöllr* præterea derivari potest ab *id* pro *idn* vel *idia* opus, solertia &c. — & sic qvoqvo explicari: operum, operationum vel facinorum campus. Cfr. porro *den ældre Edda* IV, 247, *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 25, 26.

nime adqvievit mansioni apud cognatam (sive filiam) Niorvii (Noctem nimirum) cum domi olim placidiori (sive commodiori) tractationi adsvevisset (str. 6, 7). Felices Dii, ipsam *) moerere cernentes, illi lupinas exuvias mittebant, qvibus induta **) ista suum ingenium vertit, callidis fallaciis lusit & proprium vultum mutavit (str. 7, 8). Delegit Odinus Bifrastæ custodem (Heimdallum) una cum Bragio & Lokio, ut a Gjallini (i. e. inferi) solis (tunc temporis) custode sive spectatrice ***) exqvirerent, qvicqvid ea de singulis mundi (majoris momenti) rebus sciret (9). Legati, incantamenta concinentes & magicis monstris vecti, ad inferius mundi hemisphærium ****) tetendere (10). — Dum Odinus in Lidskialfa (summo coeli vertice) sonos remotisfimos auscultaret, sapiens ille (Heimdallus nempe) scitabatur "eam, qvæ potiones (vel potius: nutrimenta, vires) promit Deorum soboli & hujus asseclis (heroibus)" — num ista sciret telluris durationem (vel annorum seriem), ævum (sive fata) & summum excidium (aut ejus causfam) (10, 11). Illa e contrario ne minimum qvidem sonum aut voculam protulit; stillabant ex oculis copiosæ lacrymæ, studio qvidem celatæ, sed iterum atqve iterum profluentes (12). Seqvitur poëtica descriptio somni gravisfimi (13, 14), cujus mirabili qvadam specie Dea illa *****), moeroribus turgens, affecta esfe videbatur. Emisfarii inter-

*) Sive etiam & vcrisimiliter potius Nannam, Balderi uxorem, propter infausta omina; ejus futurum exitium indicantia. *Nanna* itidem de qvavis nympha sive muliere dici potest, unde illa ambiguitas orta. Cfr. Gl. T. III, s.

**) Magica hacce transformatione putarunt veteres notitiam futurorum adqviri posfe; lupini generis permulta fuerunt inferorum gigantea monstra, & ea igitur sub specie facillimum erat ipsorum habitacula intrare & secreta, iis tantum nota, simul explorare.

***) Sic verbotenus reddimus auctoris illa: *Giallar sunnu gátt.* Gialla maxima fuit infernalium amnium, per qvam etiam pons celeberrimus (Bifrastæ, cælesti illi oppositus) ad Helam sive orcum duxit (vide *Giöll* s.). Giallæ sol pro infero certe habendus est; hunc, illo epitheto, Idunna, e coelo lapsa et lupi exuviis induta, custodiisfe sive potius spectasfe aut observasfe fertur. AEgyptios in orco sive Amenthe lupos mythicos locasfe, certisfimum ducimus, & lupum olim a Græcis & pl. pro solis (forsan potisfime inferi) symbolo habitum fuisfe, alii satis prælixe demonstraverunt. Cfr. *den ældre Edda* II, 233.

****) o: *At rauni heimis.* Circa has voculas (qvas longe aliter reddidere) interpretes latini varias proposuere conjecturas in Gl. T. I, v. *Heimir.* Opinor priscis septentrionis hominibus sonuisfe:

Himin m. coelum;
Heimr m. mundus (habitabilis o: in specie hominibus, ad suas res hac denominatione respicientibus);
Heimi n. mundus inferior, orcus (manium sive lemurum habitaculum); hinc qvoqve illud *heimis skógar*, orci umbræ sive opaca nemora *Harb. L.* 42, 43; cfr. tamen vers. Dan. II, 151, 162-163, 222, 234.

*****) Textus ipse habet *Jórunn*, nomen muliebre Islandis adhuc usitatum, correspondens peregri-

rogantes, sed nullo responso potientes instabant eo acrius, qvo magis repulsa dabatur, sed abunda eorum loqvacitas nihil tamen valuit (15). Heimdallus igitur, cum Lokio in comitatum adscito, ad coelum revertebatur, sed Odini vates (Bragius nimirum) Deam relictam, vel tenebricosum aut opacum locum (contra malorum dæmonum aggressiones) custodivit.

Sic finitur episode illa de Idunna ad inferos delapsa. Qvod hæc Dea eadem sit ac celeberrima illa Bragii conjux, nullus dubito; id strophæ undecimæ descriptione satis manifeste apparet *). De his plura inferius disqviremus. — Alioqvin Idunna, cum marito suo Bragio, AEgeris convivio adfuisse fertur *ÆEg. Dr.* (introd.). Qvum Lokius Bragium ad pugnam provocaverat (str. 15) Idunna maritum obsecrat, per liberorum (communium) & adoptivorum (sive optatorum) filiorum necessitudines, ne is Lokium contumeliosis verbis adpellaret in Odini aula (16). Lokius igitur Idunnam tacere jubet, se dicens eam ex omnibus fœminis virorum (vel viri) maxime adpetentem scire, qvoniam ista brachia sua, apprime lota, circumdedisset proprii fratris interfectori (17). Idunna e contrario declarat se Lokium maledictis compellare nolle, sed solummodo Bragium, potione commotum, sedare, ne ii incitati invicem dimicarent (18).

Hæc de Idunna adfert Edda Snorroniana (pag. 30): "Uxor Bragii est Idunna, qvæ in pyxide sua poma custodit, qvæ Dii senescentes dum gustant, omnes rejuvenescunt, id autem redintegrandæ juventutis remedium usqve ad crepusculum Deorum (ɔ: ad finem mundi) perdurabit. — Tunc dixit Ganglerus: permultum, ut mihi videtur, Diis certe situm est sub custodia & fide Idunnæ. Har subridens respondit: adierunt hinc Dii discrimen semel præsentissimum, qvod tibi, si placeat, explicare potuero **). Sed primo audies reliqvorum Asarum nomina &c." Idunna, cum pluribus Deabus præsens fuit in epulo, AEgeri in Asgardia parato (pag. 79). Ibi Bragius hospiti permulta enarravit de Asarum factis et eventis; inter alia de raptu Lokii a Thiassio gigante, sub aqvilæ specie latente, perpetrato (cfr. *Loki, Þiassi* i.). "Lokius exclamans aqvilam intense rogavit ut sibi parceret, qvæ respondit, nullam illi spem restare dimissionis, nisi juramento sibi confirmaret, se Idunnam cum suis pomis dolo aliqvo extra Asgardiam allectaturum fore. Id in se recipiens Lokius solutus ad suos so-

no: Philippa, cum eqvorum amicam indubie significet; tale epitheton Idunnæ olim adtribui potuit, sed vereor tamen, ne vox illa, librarii alicujus mendo, pro simplice *Idunn*, *Iþvnn* in textum irrepserit. Convenerit alioqvin noto Athenes sive Minervæ epitheto *ἱππία* nempe.

*) Cfr. *Mone Gesch. der Heidenthums im nördl. Europa* I, 442 & sq. ut et Eddæ hujus vers. Dan. II, 211-212, 216; 221-24, 232-34.

**) Har saltem hoc suum promissum non absolvisse videtur — sed in Bragianis sermonibus id certo modo a Bragio, AEgerem informante, efficitur.

cios (Odinum & Hænerum) rediit. — — — Constituto tempore Lokius Idunnam, ut ex Asgardia in sylvam qvandam secum egrediatur inducit, referens se poma invenisse qvæ illi certe egregia clenodia viderentur, petitqve ut sua etiam poma exportet, & hæc cum illis conferat. Qvod cum Idunna faceret, gigas Thiasfius confestim adfuit & ipsam aqvilæ exuviis amictus Idunnam rapuit & cum ista domum *) avolavit. — Asæ moleste ferebant raptum Idunnæ, cito enim senes & cani reddebantur. Conventum igitur agentes, inqvirere cæperunt, qvid de illa novisfimum constaret. Sed deprehensum est, Idunnam nulli visam postqvam ea cum Lokio Asgardiâ egresfa esfet. Comprehensus igitur Lokius in conventum protractus est, ubi mors vel cruciatus illi intentabantur. Is supplicium metuens, promisit se Idunnam ex Jotunheimis revecturum, simodo Freya exuvias falconis, qvas posfidebat, sibi vellet mutuari. His impetratis avolavit Lokius aqvilonem versus in Jotunheimos, villamqve Thiasfii attigit, qvum domo abesfet piscaturam exercens. Idunna vero domo decedit, qvam modo Lokius in formam convertens nncis [sive hirundinis] **) ungvibus tenuit & pernicisfimo incubuit volatui. Thiasfius autem domum reversus Idunnamqve cernens ablatam, formam accepit aqvilinam, furensqve inseqvitur & alarum molimine plus proficiens Lokium attrahit — sed cum Asæ falconem viderent cum nuce [hirundine] advolantem & aqvilam prope seqventem, omnes ad muros Asgardiæ exiere, & onera (fasciculos) asfularum ***) illuc portarunt; qvando autem accipiter cum sua nuce [hirundine] volando urbem intrabat & intrinsecus ad parietem se demittebat, Asæ asfulas incenderunt, in aqvilam accipitre frustratam & sistere se non valentem flamma afflagravit, ac plumas adurens volatum ei ademit. Asæ præsentes mox occiderunt aqvilam, qvæ revera gigas ille Thiasfius erat, intra clathra Asgardiæ, & hæc qvoqve cædes celeberrima evasit." Seqvitur relatio de Skadea patris cædem ulcisci tentante, ut in articulo de ista agente infra memorabimus.

Skalda (pag. 118) has adfert Idunnæ denominationes: Uxor Bragii; custos pomorum (hæc poma autem erant Asis senectutis medela); rapina Thiasfii gigantis, ut antea memoratum est, qvod istam

*) "In prædium suum Thrymheimum" addunt qvidam codices.

**) E variante lectione, qvam reservasfe videtur codex ille, qvi Magno Olavio, latinam suam versionem adumbranti, ad manus fuerat. Hirundo certe borealibus suo adventu vernam & æstivam annuntiat beatitudinem, qvam Idunnæ ab atavis nostris adscriptam fuisfe putamus.

***) In textu *Lokarspænir;* ita e qvorundam sententia dicuntur asfulæ qvæ in gyrum volvuntur, qvum se sponte recludant; alii autem veram putant lectionem esfe *Lokaspænir* ɔ: aut a Lokio (secundum hancce fabulam) aut etiam idem qvam *Logaspænir* ɔ: asfulæ vel schidia igni aive flammæ maxime acceptæ, qvum facillime conflagrent.

Asis abstulerat; qvam etiam relationem Thiodolfus Hvinensis in carmine *Haustlaung* dicto ita expresſit" &c. *). Hic Idunna porro vocatur 1) virgo sive mulier doloribus mederi sveta, qvæ etiam Asarum senectutis medelam novit (sive servare potuit) **) 2) Brunnakerinæ sedis ornatrix *(Brvnnakvrs beckiar gerdur)* — unde certe concludendum, qvod prædium aliqvid sive palatium ejus nominis poetæ Idunnæ aut ipsius marito Bragio olim attribuerint. ***) 3) Numinum Dea o: præstantisſima *(goda dís)* qvum sine ea mortalitati subjecti forent 4) *Ása leika* (e variante qvadam lectione) o: Asarum ludia vel socia. — In hocce Haustlangæ fragmento auctor decantavit fabulam illam (uti aliud Hrungnerianam cædem) in clypeo aliqvo picturâ repræsentatam cfr. *Hrúngnir* s.

E nostra sententia Idunna primitus habita fuit pro mitiore anni tempore, vel aura serena & simul calida, flores & fruges producente, qva universa natura, cum divis geniis, ejus rectoribus, qvotannis repubescere videtur. Hoc ejus pomis, stellis forsitan ita vocatis, consumtis (i. e. verno & æstivo tempore disparentibus) accidit — unde Dii ipsis fruiti esſe a poetis fingebantur. Hinc florida eorum verno tempore juventus & adolescentia, æstivum & autumnale virilis ætatis robur; — hieme vero appropinqvante stellæ nocturnæ in boreali climate iterum apparent. Thiasſius, hiemis giganteus Dæmon, Lokium (elementalis & terreni qvidem ignis genium) comprehendit ****) & ipsum Idunnam, pomis terrestribus ei monstratis, ex Asgardia i. e. in hyperboreas gigantum regiones allicere cogit, ac sic ea a Thiasſio rapitur cum cælestibus illis pomis, qvibus inferæ sive hiemales potestates jam nutriuntur & corroborantur, cum Dii ipsi, meliores naturæ qvalitates dirigentes, senescere & canescere incipiant. Hic eorum status hieme in terris manente durat & adaugescit, donec hiemalis ille gigas, in glaciali oceano detentus, Idunnam rite custodire oblivisceretur. Tunc Lokius Freyæ (fertilitatis & elementalis

*) Editum est istud fragmentum & latine versum a Sculone Thorlacio in Antt. bor. observ. miscell. Specimine VI, Havniæ 1799.

**) Þá er kvnni ellilyf (non ut qvidam legunt *ellilif*) *Ása*. Hæc verba non plane exprimuntur in versione Thorlaciana (pag. 41) qvamvis auctor ea in commentario suo illustrare tentaverit (pag. 63).

***) *Brunnakur* verbotenus sonat fontis vel fontium ager sive pratum. *Beckr* certe vulgo scammum est, sed alia ejus significatio (Danice *Bæk, Bek*) rivum sive rivulum indicat. Hinc forte conjiciendum qvod cæleste illud palatium *Savcqvabeckr*, qvod cognata gaudet significatione, aliqvid cum illo commune habuerit, & qvod *Saga* ejus domina, historiæ borealis Musa, pro eadem ac Idunna Dea sit habenda. Vide *Bragi* s. *Saga*, *Urdur* i. — cfr. tamen *den ældre Edda* IV, 247.

****) Cfr. *Mone Gesch. des Heidenth. im n. Europa* I, 419, 420, de Lokii captivitate per tres (hibernos) menses apud Geirrodum gigantem, in eundem modum explicanda. Vid. *Loki* i.

ac vere coelestis caloris Divæ) adjumento fultus & falconis *) ei propriis exuviis indutus, Idunnam iterum amovet, aut in nucem aut etiam in hirundinem (utramqve pro veris symbolo habitam) transformatam. Cædem Thiasfii, Idunnam sive vernam auram perseqventis, ad hiemis in solaribus flammis interitum allusisse opinamur, sed hæc solertius enodabimus in art. *Þiasfi, Skadi i.* Sic Idunna liberata ad *fontinalia* sua *prata* revertitur, cum ipsius aëreus calor fontium gelidas aqvas resolvat, sed florescentes campos & frugiferos agros cælestibus liqvoribus irrigat. Jam qvoqve astralia illa Idunnæ poma, olim ab hieme rapta & glaciale ejus imperium illustrantia, e terrestrium conspectu disparuere, ut Diis ætheriis, naturæ regnum clementissime administrantibus, feliciter reddita, & iis simul vires ac decorem juvenilem reddentia.

Hæc igitur primaria mythi significatio. Idunnæ cum Bragio conjugium originitus ejusdem naturæ fuisse, non improbabile ducimus. Hic Deus, uti supra monstrare tentavimus ê loqvelâ (vel forte potius sono) & simul splendore ac decore proprium nomen cepisse videtur. Soni & loqvelæ genium hilaritatem adamasse, necesse est; hinc qvoqve compotationibus deditus esse dicitur. Summam hilaritatem omnium animantium vernum & æstivum tempus comitari, nulli non est perspicuum. Tunc læti hominum & avium cantus renatam naturam salutant & tunc Bragius, sonoram illam hilaritatem provocans & moderans, Idunnæ amoribus delectatur. Eorum matrimonio completo maturantur autumnales fruges (poma, uvæ, segetes) qvæ latices præbent inspirantes vel inebriantes, Bragio admodum acceptos. Hi ipsum loqvelæ, rhetorices, musicæ & poeseos Deum ac vates simul humanos, ei addictos, agitant & calescere faciunt & ingeniosa illa carmina efficiunt, qvæ pomis Idunnæ, immortalitatem donantibus, rite assimilari possunt. Hanc vero mythi applicationem vel explicationem pro seriore vel secundaria accipimus **).

Qvum ad veteris Græci & Scandinavici sermonis & ipsorum qvoqve populorum radicalem affinitatem respiciamus, non penitus absurda evadet ea conjectura qvod Græca Athene & borealis Iduna (Ithuna &c.) nominibus gaudeant originitus cognatis. Ambarum Dearum indoles & qvalitates mythologis insuper non adeo dispares apparebunt. Athenen varii variis mo-

*) De aqvilâ & falcone sive accipitre, alioqvin symbolice pro aëre vel vento positis, aliqva protulimus antea in art. *Hábrók, Hræsvelgr* & pl.

**) Cfr. tractatum Herderi: *Idunna oder der Apfel der Verjüngung* (primum Schilleri periodico scripto, *die Horen* nuncupato, 1796 insertum) ut & alium Graeteri (in libro *Bragur* Vol. 4) — it. Christ. Bastholmii *Historisk-philosophiske Undersögelser over de ældste Folkeslægters religiöse og philosophiske Meninger* pag. 575 & *Grundtvig Nordens Mytologi eller Udsigt over Eddalæren* pag. 51.

dis accepere, videlicet 1) pro ætheris vel sereni aëris symbolica imagine *) 2) pro aqvarum fæcundante Dea **) aut 3) pro ætherei ignis vel elementalis mundi caloris moderatrice***). — Hæc certe omnia in Idunam nostram aliqvatenus qvadrare censemus.

Si qvidem nomen Idunæ e veterum borealium idiomate, hodiedum cognito, derivandum sit, duplice illud sive ambigua origine gaudere videbitur, qvoad priorem vocabuli particulam. Hæc ideo fuit, aut 1) *Id* confluxus, vel *ida*, *yda* æstus aqvarum, cataractes (qvod nominibus locorum *Brunnakur* & *Savcqvabeckr* optime sane conveniret; cfr. *Idavöllr* s.); aut etiam 2) *Id*, *idn* opus, solertia (ibid.) — sed posterior nominis particula *unnur*, *unn* prioris studium vel amorem indicat (a verbo *unna*, de qvo Gl. T. II.). Totius nominis significantia ita fieret aut 1) Torrentum sive æstuantium vel fluentium aqvarum amatrix aut 2) operum vel solertiæ amica — qvod certe Athenes sive Minervæ epitheton, ἐργανη ad ungvem exprimeret. — Præterea aliud hujus Deæ adscititium nomen ἱππία (eqvestris nempe) Idunæ alii, nimirum *Jórunn*, satis bene convenit, ut antea suo loco observavimus. Tertium Hygea sive Medica Idunæ nostræ summo jure attribui potest. — Qvartum Itonia (Ἰτωνία) ipsum Idunæ (sive Ithunæ) nomen sono exprimere videtur. Agnomen Minervæ Romanum, Capta nempe, originis fuit olim ignotæ, sed Idunnæ nostræ optime conveniret, ut boreales mythi satis evidenter docent. Hirundo (Idunnæ, ut videtur, avis) Minervæ sacra habebatur. Cfr. *Bragi* s. *Ivalldi* i.

Ífing, amnis regiones inter Deos & homines ****) dividens, qvæ qvidem semper aperta fluet, sed nunqvam glacie tegetur. *Vaſþr M.* 16. *Íſing* sive *ýſing* (a verbo *ífa*, *ýfa*, derivatum) denotat commotionem sive irritationem & aëra, aqvis cognatum, allegorice forte sive ænigmatice significat. Cfr. Eddæ hujus vers. Dan. I, 103-104.

Imd, appellatio (ut videtur) oreadis sive giganteæ mulieris, H. Q. II, 39. Est forte fæmininum του:

Imr gigantis appellatio *Vaſþr M.* 5. verisimiliter cognata τω *Ímir*, *Ymir*, omnium gigantum & nostri qvidem mundi propagatoris notisſimo nomini. Cfr. Gl. T. I. *Ímir* vid. *Ymir*.

Ingunnar-Freyr appellatio Freyeri Dei *ÆEg. Dr.* 43. Incertæ originis, vereor autem

*) Inter multos priscos & recentiores auctores nomino tantummodo celeb. Creuzerum e. gr. *Symbolik* &c. Ed. 2, II, 788 &c.

**) E. gr. Dr. *K. H. Völcker* in scripto *Die Mythologie des japetischen Geschlechts* &c. Gieſsen 1824, 8. pag. 191, cfr. 161 & sq.; it. Creuzer l. c. II, 648 sq.

***) Vid. *die Aeschylische Trilogie Prometheus und die Kabirenweihe von Lemnos &c. von F. G. Welcker, Darmstadt* 1824. 8. p. 278 & sq.

****) Verbotenus: "hominum (sive natorum i. e. mortalium) filios" sed varians lectio præfert: "gigantum filios", strophæ proxime præcedenti consonum.

ne corrupta sit ex alia satis nota, at paullo magis perspicua, *Ingvi-Freyr* nempe, qvæ Deo illi in ethnico carmine *Haustlaûng* attribuitur (cum Asæ vel Dii ejus consangvinei dicantur) sed alias duplex nomen famosisſimi Svecorum Regis, divino post mortem cultu beati, effecisſe ſertur. — Alioqvin *Ýngvi* sive *Ingi*, in cæteris flexionis casibus *Inga*, Regem (ex illius prisci principis genere ortum) denotavit, qvam appellationem quidam comparaverunt cum Peruanorum *Inca*. Vide *Freyr* s.

Jólnar Deorum appellatio *Hr. G.* 15. Indicat conviviorum, vel hiberni solstitii festi datores aut moderatores Gl. T. I. v. *Jól.*

Jórmun vid. *Jörmun.*

Jórunn (Philippa, Hippia) cognomen (ut videtur) Idunnæ *Hr. G.* 15. Vid. *Idunn* s.

Jóruvellir nomen campi mythici, incertæ significationis *VSpá.* 13.

Íri, nomen genii incertæ naturæ, sed tamen, ut videtur, physico-eroticæ *Fiölsv. M.* 35. Est forte rectius scribendum *Ýri* o; minutim pluens (sive etiam: nitens, micans) a verbo *ýra* (vid. Gl. T. II. v. *úrgr, úrigr*). Cfr. *Fiölsviþr* s. *Menglöd* i.

Ívalldi, Ivaldi (rectius verisimiliter *Yvaldi*) pater Dvergorum, qvi Skidbladnerem navem in rerum principio fecere & sereno Freyero, Niordi filio, donavere *Gr. M.* 42 — qvod etiam in Edda Snoroniana (pag. 48) enarratur. Vid. *Skídbladnir* i. Hi qvoqve in Skalda (pag. 130) ad Alfos nigros *(Svartálfa)* referuntur sed Dvergi nihilominus appellantur, qvi qvidem, e Lokii consilio sive petitione, navigium illud & præterea aureum Sifæ capillitium ac Odini lanceam, Gungnerem dictam (vid. *Freyr, Gúngnir* s., *Loki, Sif* i.). Monstravit jam dudum b. Sculo Thorlacius *) Dvergos illos referri debere ad δαιμονας ἐπιχθονιους vel genios elementales, in imis terræ occulte laborantes & operantes; hi autem nitidam Telluris comam (gramen videlicet floribus splendentibus interspersum) crescere faciunt &c. Ejusdem generis (qvamvis non expresſis verbis ad Ivaldi filios referantur) fuisſe videntur Brockius & Sindrius, qvi Odini mirabilem annulum, aureum Freyeri verrem & fulminantem Thori malleum composuerunt (vid. *Draupnir, Gullinbursti, Miölnir*). Ivaldius ille idem verisimiliter fuit atqve:

Ívalldr, Ivaldr (rectius, ut puto *Ývaldr*) Idunnæ ex Alforum genere prognatæ pater *Hr. G.* 6. Ambo illa nomina (e nostra sententia) derivanda sunt ab antiqvisſima voce *úr*, qvæ primaria olim elementa indicavit, significans 1) aqvam, pluvlam, rorem 2) scintillam, ignem — & a verbo *valda, vallda* efficere (de qvo Gl. T. II). His acceptis ens illud allegoricum denotare videtur effectorem aqvæ & ignis, qvæ

*) Om *Thor og hans Hammer (Scand. Museum* 1802, IV, 59 & sq.) cfr. *den ældre Edda* I, 269 II, 232.

pro totius mundi prima materie veteribus habebantur; — sic Ivaldi filii vocati sunt terrestres dæmones, qvi elementalem telluris calorem & udorem servare, moderari & in varia naturæ artificiosa phænomena transformare putabantur. Cfr. *Idunn* s.

*Ívi*þ*r*, *Ívidr* vid. *Yggdrasill.*

Jörd, *Javrd*, *jör*þ cet. (Tellus) — memoratur tanqvam Dea, Thori mater *) þ*r. Qv.* 1. *Æg. Dr.* 59. *Harb. L.* 3, 4 **). Salutatur & adoratur ut noctis nata (a Brynhilda, numinibus libante) B. L. I, 3. Vis Telluris dicitur Heimdallum Deum roborasse *Hyndl. L.* 34 & Thorum qvoqve adauxisse ibid. 39. Vis telluris est a cerevisiæ (sive cujusvis inebriantis potionis) potatore votis expetenda, qvum terra (talium certe datrix) ebriamina excipiat sive recipiat *Hdva M.* 140 (obs. 83). Attribuitur Odini uxori Telluris navigium ***) in qvo illa remigans voluptatem vehementer sectari dicitur, sed vela ejus sero contrahi, qvum in funibus pertinaciæ (sive potius: infirmis & tenuibus) suspensa sint *Sól. L.* 77.

Edda junior hæc de Jarda sive diva Tellure collegit: (Pag. 11) "Odini uxor erat Frigga Fiörgvini filia, & ex iis orta est propago ea, qvam hos Asarum gentes appellamus, qvæ etiam priscam Asgardiam inhabitaverat & pro vere divina (vel optime nota) familia habetur. Hinc Odinus recte appellatur omnium pater, videlicet Deorum, hominum & omnium rerum, qvæ ejus virtute perficiebantur. Tellus filia ejus erat & conjux; ex ea primum filium genuit Asa-Thorum, tanto præditum robore, ut omnia superet viventia." — "(Pag. 39). Jarda (Tellus) mater Thori & Rinda (Terra) ****) Valii inter Asynias enumerantur." Skalda has Telluris huc spectantes denominationes recenset (pag. 123): "Filia Onaris & Noctis, soror Audi & Diei *****); Sponsa (sive uxor) Odini; mater Thori; æmula Friggæ, Rindæ & Gunladæ concubina; socrus Sifæ. Illustrantur hæcce allatis authenticis versibus ex ethnicismi celeberrimorum poetarum carminibus: Hallfredus (ibid. pag. 94) Tellurem Odini uxorem appellat sed Eyvindus Skaldaspiller matrem gigantum hostis (Thori) cui etiam expresis verbis assensus est (p. 101) Olver Nusa (poëta seculi noni); cæteras cantilenas, qvæ illas comprobant appellationes de Onare, Audo, Odi-

*) Alioqvin appellata *Fiörgyn VSpá* 50, *Harb. L.* 54; *Hlódyn*, *VSpá* 50. Cfr. ipsas hasce appellationes, supra disqvisitas. —

**) Vid. *Harbardr* s. it. *den ældre Edda* II, 133, 140, 156 cfr. 153, 163-164.

***) Hic verisimiliter Frigga, sive Odini celeberrima uxor, a christiano vate pro mundana humani generis superbia ponitur. Alioqvin observari meretur, qvod veteres Britanni Deæ Ceridwen, Telluris apud eos moderatrici, navigium qvoddam attribuerint; liburna Isidis Svevicæ, a Tacito memorata, huc qvoqve referri posse videtur.

****) E poëtica qvadam fictione, nominis mutatione adhibitâ; vid. *Rindur* i.

*****) De Audo illo cfr. *Dagr* s. *Nótt* i.

no & Rinda desumtas, confecere Hallfredus & Thiodolfus Hvinensis *). Cætera hic occurrentia nomina ad soli ipsius sive terrestris orbis situm & qvalitates respiciunt. Dicitur Tellus porro (pag. 178, 220) appellari *Fiörgyn*, *Hlódyn* & *Sif* (qvæ omnia suis locis observanda).

Auctor prologi, Eddæ juniori affixi, hæc de gentilium opinionibus commentatur: "Id prisci homines meditati sunt & admirati, qvomodo fieret, qvod terra, animalia & aves eandem naturam (vel proprietatem) modo tamen disparem (seu varie modificatam) in rebus qvibusdam foverent. Una erat illa terræ proprietas, qvod si in altis montium pinnaculis effoderetur, aqvam daret exsilientem, nec ibidem opus esset profundiore effossione, qvam in vallibus depressis; sic in capite & pedibus æqva est sangvinis præsentia. Alia terræ natura est, qvod anno qvovis herbas & flores producat, eodemqve anno hæc omnia (marcescant) pallescant & decidant. Sic qvoqve in animalibus pili & avibus plumæ qvotannis succrescunt & defluunt. Tertia autem terræ proprietas est, qvod evulsa & effossa (vel eruta) illâ, gramen in summitate (sive extremitate) pulveris progerminet. Rupes & saxa significabant per dentes & ossa animalium. His de rebus observarunt terram vegetam & aliqvâ ratione vitâ præditam esse **). Nec eos latebat istam, qvoad seculorum numerum, mire esse antiqvam & virtute propria validam; hæc enim omnia viventia pascebat atqve eadem mortua posſidebat, qvapropter et certo illam nomine insigniverunt, genusqve suum ad eandem referebant." Ultimam hancce opinionem confirmant diversæ loqvendi formulæ sive proverbia, in veterrimis borealium narrationibus occurrentes e. gr. *Niálæ* illud (Cap. 44) *at falla í móduræt* o: materno generi (sive gremio) accidere & pl. Hoc qvoqva non pro miro habendum, qvum Odinus sive Coelus omnium pater, Tellurem sub proprio & aliis nominibus in connubio habuisset. Cfr. *Alfödvr* s. De his ita ingeniose commentatur Sculo Thorlacius ***): "Terra Odini et filia et conjux in Edda vocatur, nimirum antiqvissimi omniparentis Odini

*) Hallfredus Tellurem vocat *breidleita Báleygs brúdi* o: vultuosam sive ampla facie præditam Odini sponsam vid. *Báleygr* s.

**) Hic antiqvissimæ de macrocosmo opiniones pellucent, sed fæmininam formam spectantes; aliæ Ymeris masculinam præsertim observabant. Vid. *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 248 & sq. AEschylum, Sophoclem & plures Græcorum vates lapides ossa Telluris appellasse, nulla probatione indiget. Id qvoqve veteres Persarum poetæ fecerunt. — Hi alioqvin præcipuas Caucasi montis (qvem pro totius terræ fundamento vel sceleto cepere) radices sive juga cum humani corporis venis comparavere.

***) *Ant. bor. obs. miscell.* III, 33, 45 observat idem auctor: "qvod Terra cluat Homero magna parens divum, Orpheo alma mater Deorum & virorum — ut Maronem, Statium & plures latinitatis poëtas taceamus."

filia, qvodam modo dici potuit, a qvo qvippe cum reliqvis omnibus rebus creata et efformata credebatur, medii autem Odini nempe Solis conjux Thoriqvé mater est habita, ob rationes antea allatas" *) &c. Is qvoqve observat, seriore tempore, qvum Frigga vulgo pro Odini uxore acciperetur & coleretur, Terram, ut Deam vetustiorem & obsoletam **), simul cum Sole et Luna Deorum qvidem concilio non penitus exclusam, sed ultimum tamen locum occupare coactam fuisse; audit enim Odini Dei non amplius legitima uxor, sed vel secundaria conjux, vel pellex qvasi fortuita" &c. Addit porro auctor doctissimus: "Hlodyna (Fiorgyna p. p.) & Terra sunt unius Deæ nomina ***), hoc nempe qvotidianum & populare, illa autem mystica & mythica, qvemadmodum Terram AEgyptii, Græci, Latini (& pl.) Isidem, Cybelem, Rheam, Vestam, Opem & aliis nominibus mysticis appellarunt." Memorat tandem plures populos Telluris religioso cultui deditos, ut Scythas, qvi Apiam eam nuncuparunt, & Germanos, qvibus Hertha & Hludana sonuit.

Duplex hocce ejusdem numinis nomen in nostro septentrione reperimus. De Hludana sive Hlodyna, Thorladio duce, supra satis disqvisivimus; Hertha autem Germanorum idem fuit vocabulum atqve recentiora eorundem *Herte, Erde* (terra) conveniens veteri boreali *Jörd (Jörþ, Jörth* &c.) Dan. & Svec. *Jord*, olim Alemannice *Erda, Herda, Herd*; Anglo-Saxonibus *Eard, Eord, Geard*, Angl. *Earth* Scot. *Yerd*, Moeso-Gothis *Airtha*, Græcis ἔρα, γη, γηθην; Turc., Tart. & Uigur. *Jer*, Curd. *Ard, Art*, Pelv. *Arta*, Arab. *Erd*, Hebr. *Erets*, Casi-Camuckis Caucasiis *Er* ****). Ipsa nostra *Hertha* facile recognoscitur in veterum Persarum *Hethra* sive *Herethra*; Terra videlicet, qvæ in libris Zendicis "fæminina esse dicitur & virum aut maritum portare, Gorotmanem nimirum sive cælum ipsum." Cfr. porro Gl. T. I & II it. *Fiörgyn, Frigg, Gunnlöd, Hlódyn, Rindur, Sif.*

Jörmungandr, Jormungandr (terrestre monstrum sive serpens) alias *Midgardsormr*, (angvis terrenus sive terram cingens) serpens immanissimus, nominatur expressis verbis *VSpá* 44. Carmen *Hymisqvida* describit expeditionem Thori in Jotunheimos sive gigantum regiones, & piscaturæ, in Hymeris gigantis navigio ac oceano ipso, operam navantis, ut marinum il-

*) Confer tamen laudati auctoris disqvisitionem *om Thor og hans Hammer* l. c. III, 54, IV, 24, 53, 5.

**) Qvamvis revera pro eadem ac Frigga ipsa (nomine tantummodo mutato) habita fuerit, uti nos antea observavimus.

***) Hoc qvoqve de Gunlada, Rinda & pl. statuendum, uti suis locis demonstrare conati sumus. Cfr. *Hlódyn* s.

****) Cfr. Lat. *Terra*, Cambro-Brit. *Daear*, Sanscrit. *Dhara*, Tungus. *Tor*; his verisimiliter cognata sunt Isl. *Torf, Torfa* cespes, gleba, Dan. *Törv*, Germ. & Belg. *Torf*, Angl. *Turf* &c.

lum serpentem esca taurini capitis allicere & hamo undis extrahere posset. Plura huc pertinentia e laudato carmine excerpsimus in articulo *Hýmir*, sed hæc tamen jam addenda censemus. Qvum Deus Thorus (sub juvenis piscatoris larva latens) unacum Hymere cymba vectus in solitam gigantis marinam stationem venerit *) — rogavit ille ut Hymer navem ulterius promovere vellet, qvod hic regerens se parum cupere indicavit (str. 20). — (Peiiti effectione subintellecta) — dicitur animosus Hymer duas simul balænas hamo sursum attraxisse, qvandiu Thorus (Veor dictus) in postica navis parte seorsim piscatoriam lineam callide confecit (21). Indidit hamo caput videlicet taurinum populorum auxiliator & serpentis (Midgardensis) solus occisor — sed mox illud omnium terrarum cingulum, Diis exosum, inferne adversus escam hiavit (22). Fortis Thorus animose sursum extraxit, ad latus navigii usqve, angvem veneno politum (sive coruscantem) & malleo tundebat altum cacumen lupini fratris turpissimi capitis (23). Tum petræ ruebant sed aspreta ululabant, vetus tellus tota arcte contrahebatur — sed piscis ille (vel marinum monstrum) se deinde in mare demersit (24). — Seqvitur relatio de piscatorum ad littus reversione & posteris pluribus eventis, de qvibus consulantur articuli *Hýmir*, *Þórr*. Alioqvin prædicitur, Jormungandum illum in futuro mundi exitio ac ultimo elementalium potestatum certamine, in furore giganteo se volutaturum esse, oceanum qvidem urgentem *VSpá* 44; — is qvoqve cum Thoro conflictum aget vehementissimum, & graves ab eo recipiet plagas — dum Deus (certamine defessus & veneno offusus) nutans ab angve novem (ultimos) passus gradietur *VSpá* 50, (obs. 86). Videtur Jormungandus coruscus angvis, hominibus maxime ingratus, appellari *Sk. F.* 27 (obs. 25) **). Dii post mundi redintegrationem, in Idæ campo congregati, de angve illo colloqventur *VSpá* 53 (cfr. tamen Glossarium supra ad vocem *Moldþinvrr*).

Edda Snorroniana ita mundanum hunc serpentem variis locis celebrat: (Pag. 32) "Angurboda [angorem et afflictionem nuntians] vocatur furia *(Gýgur)* in Jotunheimis (mundis giganteis) degens. Ex ea Lokius tres suscepit liberos. Unus erat lupus Fenrer, alius *Jörmungandr*, id est serpens Midgardicus, tertia Hela. Ubi Diis constaret, fratres illos cum sorore in mundis giganteis enutriri, ipsiqve vaticinia retexerent, atqve investigarent, sibi

*) Stropha hoc eventum olim certe describens jam in carmine Hymeriano desideratur.

**) Sic qvoqve refertur in fragmento islandico historiæ Danicæ Hoerdi cujusdam effatum in Ivarem Vidfadmium: "Tu apud Asas eris (sive habeberis) angvis ille qvi pessimus existit & Midgardicus appellatur." Cfr. translationes hujus fragmenti Danicas in Grundtvigii *Dannevirke* I, 371, *Rafns nord. Kæmpehist.* III, 138. Cfr. *P. E. Müllers Saga-Bibliothek* II, 486-487.

ab iis magna imminentia mala fore eventura; nec de illis esſent ominati nisi sinistra, et id qvidem ob maternum sed tamen ob paternum genus multo perniciora sibi metuenda; Divos universi pater *(Allföður)* ablegavit, qvi natos istos caperent atqve ad se adducerent. Qvi cum ad eum devenirent, angvem in oceanum illum profundum, qvi omnes terras ambit, projecit; hic serpens iste in tantam increvit longitudinem, ut in æqvore jacens omnes terras circumdet & ore caudam apprehendat" &c. (vid. *Fenrir*, *Hel* s.). Hujus Eddæ de periculosa illa Thori piscatura relationem antea inseruimus articulo *Hymir*; memorantur ibidem duplæ & inter se variantes vetustatis opiniones sive traditiones, de angvis Midgardensis cæde aut gravi vulneratione in celeberrimo hocce conflictu. Addidimus insuper fragmenta aliqvot gentilismi de eo Thori facinore cantilenarum, qvibus etiam plura addere liceat, hæc nimirum:

1. Ex Ulfi Uggiani carmine *Húsdrápa* dicto, decantante nitidas sculpturas sive scalpturas, mythicas fabulas repræsentantes, et novam ædem Olavi Pavonis *) adornantes. Hic, inter alia, Thori expeditio ad oceanum piscatoria, cum cæde Hymeris gigantis & ipsius qvoqve Jormungandi, oculis sculptæ (ac simul pictæ) exhibebantur. Præter fragmenta de Hymere proprie agentia et antea a nobis rite explicata, hæc qvoqve de speciali fabulæ momento occurrunt:

a) Hemistrophium Skaldæ insertum (l. c. pag. 158 & 178).

b) Aliud ibidem (pag. 204); qvæ ambo, inverso ordine, integram strophan efficere putamus, & sic qvoqve rite componenda:

Innmáni skein ennis
Öndótts vinar banda,
Áss skaut ægigeislum
Ordsœll á men stordar;
Enn stirdþinull stardi
Stordarlegs **) *fyri bordi*
Fróns á fólka reyni
Fránleitr oc blés eitri.

o: Fulsit luna torvi numinum
Amici fronte inclusa;
Asa, laude beatus, in telluris monile
Terribiles ejaculavit radios;
Sed contra, ad navigii latus,
Angvis aspectu coruscus oceani,
Rigide extensus, fixo visu intuebatur
Terræ populorum tentatorem, venenum eructans.

c) Tertium l. c. (pag. 102):

Vídgymnir laust Vimrar —
Vads af fránum nadri
Hlvsta-grvnn vid hrönnum —

*) Magnatis Islandici, in historia Laxdalensium celebrati, qvi etiam, secundum series genealogicas chartis mandatas, inter inclytissimi sculptoris Alberti Thorvaldsonii atavos recensetur.

**) Verbotenus: Telluris lectus sive cubilis i. e. Oceani. Præferunt alii lectionem *stordarleggs*; cfr. Gunnaris Pauli hic certe superfluam *stordarelgs*.

Hlaut ihnân sva minnum.
o: Lati Vimræ vadi transgressor*)
Ad undarum aggeres (pressum)
Caput corusci serpentis abscidit —
Hæc intus carmine memoramus.

Qvartum fragmentum, cædem Hymeri memorans, nos supra loco citato adtulimus.

2. E Bragii prisci (sive vetusti) hymno in Thorum Scalda qvinqve hemistrophia, de illo Dei facinore agentia, nobis servavit, hæc videlicet:

a) (Pag. 98):
*Þat erumc sent***) at snemma*
Sonr aldafavdurs vildi
Afls vid úri Þafdan
Jardar reist of freista.
o: Id mihi traditum est qvod filius
Seculorum patris***) voluisset
Qvam primum vires experiri
Cum terræ motore, aqvis agitato (sive conspisato).

b) (Pag. 101):
Var þá Vidris arfa
Vilgi slakr er raktiz
Á Eynefis avndri ****)
Jörmungandr at sandi.
o: Funis Odini filii minime laxus
Fuit in navigio (fixus)
Dum (isti adhærens) Jormungandus
Arenam (littoris) versus traheretur.

c) (Pag. 102):
Hamri fórsc í hægri
Hönd þá er allra landa
Eygir öflugbarda,
Endi-skeids ofkéndi.
o: Malleum tractavit dextrâ
Manu, qvum cerneret illum
Qvi validis axillis (alis) cunctas regiones
Complectitur, finem (adesse) itineris sentiens.

d) (Pag. 145):
Þá er forns litar flotna

*) Sensus & ortus vocis *Vidgymnir* (qvæ Skaldæ auctori *gigas* audiit) mihi qvidem obscurissimi apparent, & translatio illa idcireo pro mera conjectura habenda — sed certe hic de vado amnis Vimræ, (qvod Thorus in expeditione ad Geirrodi habitacula transierat) sermo fuit poetæ, unde is illam Dei appellationem sumsit. *Hlustagrunn* (fundus sive fundamen aurium) poëtica capitis est denominatio. *Hlaut* de poësi dici potest qvum sangvis (Qvaseri) alioqvin dicatur.

**) Vel qvoqve (e variante lectione) *synt* i. e. monstratum, aut etiam apertum, manifestum.

***) Sive populorum patris (Odini nimirum).

****) *Eynefr* inter piratas celeberrimos, sive marinos regulos antiqvitatis, numeratur; ejus cursoria assula navigium appellatur. Alioqvin circa hanc strophan id est observandum, qvod vox ambigua *vilgi* totum ejus sensum maxime ambiguum reddat; hæc enim aut *admodum, adeo* aut etiam a) *non, minime* vel b) *non ex voto sive voluntate* — in vetustis monumentis varie significare videtur. Si prior denotatio hic sit præferenda, stropha illa inter nostras hasce ultima ordine evaserit, & hanc tum admiserit versionem:

"Funis Odini filii admodum laxus
Fuit in navigio (pendens)
Dum (isti prius adhærens) Jormungandus
Arenam (fundi) versus devolveretur."

Á fángboda aungli
Hravckvi-áll of hrockinn
Héck Volsúnga dreokiu.
o: Qvum in (Dei), gigantes
Ad luctam provocantis, hamo
Pependit circumgyrata Volsungorum convivii
Angvilla jaculatoria *).

e) (Pag. 102):
Oc bordróinn barda
Brautarhríngr enn lióti
Á hausprengi Hrúngnis
Hardgédr nedan stardi.
o: Et foedus atqve truculentus
Alisqve (sive axillis) præditus angvis
Inferne intueretur cranii
Hrungneriani concusſorem.

Duo præterea ejusdem Bragiani carminis fragmenta, Hymerem gigantem memorantia, supra suo loco exposuimus.

3. Ex Eysteinis Valdiani de eadem Thori expeditione carmine tria nobis Skalda (pag. 101) servavit fragmina, qvorum primum supra (in artic. *Hymir*) explicatum dedimus. Cætera duo ita sonant:

a) *Leit á brattrar brautar*
Baug hvassligum augum
(Æstiz ádr at flausti
Avgurs búd) fadir Þrúdar.
o: Pater Thrudæ acribus oculis
Aspexit acclivis terræ cingulum,
Prius vero æqvoris vastities
Æstuosa navigium appetierat.

b) *Sva brá vidr at sior*
Seidr rendi fram breidar,
Jardar út at bordi
Ulls magar hnefar skullu.
o: Accidit subito ut (ſulminis) flamma
Fulgura (brontias) lata projecerit,
Ulleri vitrici (Thori) pugni allidebantur
Extremo telluris margini **).

4. *Ölver Nufa* (*Hnúfa*) vates Norvegus, seculo nono florens, teste Skálda (pag. 101) ita cecinit:
Æstiz allra landa
Umgiörd oc sonr Jardar.
o: Exæstuabant omnium regionum
Cingulum & Telluris filius.

5. Huc etiam spectare opinor fragmen Eilifi Gudrunæ filii carminis (Thorsdrapæ ut videtur — ibid. pag. 102) ***).
Þraungvir gein vid Þúngum
Þángs raud-bita tángar
Qveldrunninna qvenna

*) o: Angvilla talis *Hravckáll (Hrökkáll)* sive *Hrockáll* appellata, e vulgi Islandici opinione, in nonnullis ejus insulæ paludibus latet, venenosa indole prædita, & pedes hominum aut jumentorum ad osſa usqve subito disſecare valens. Angvillam Islandi Norvegi & plebeji vocant *angvis fratrem*, istum piscem e vetere præjudicio cibariis adhibere plerumqve nolentes. Vocabula illa latina similem veterum Italorum opinionem prodere videntur. — Convivium Volsungicum, venenosa potione famosum, describitur in Edda antiqviore (T. II, pag. 119). Clr. Eddam Snorronianam pag. 144.

**) I. e. muro montano Utgardensi Oceanum & orbem terrarum circumdanti.

***) Cfr. Sc. Thorlacii *Ant. bor. obs. misc.* VII, 173.

*Kunnleggs alin munni**).

o: Algæ marinæ compresſor

Prognatus mulierum noctivagarum genere,

Ore hiavit contra gravem

Et rutilantem (ignitam) forcipis offam. Speramus hæcce sat superqve probare, qvod Thori illud facinus & (Jormungandus qvoqve ipse) inter vates gentilismi borealis celeberrimum evasisſet & frequenter ab iis decantatum fuisſet.

Eddæ Snorronianæ, de diversis antiqvitatis circa Midgardensis serpentis fata opinionibus, ipsisſima verba huc adferre non pro superfluo ducimus: Postqvam Hymer sive Ymer gigas funem Thori piscatorium (in qvo Jormungandus, hamo transfixus pependit) cultro disſecuerat & angvis in mare subsidens iterum undis immersus fuerat — "Thorus, malleo post serpentem projecto, caput ei, ut tradunt, ad fundum maris (sive aggeres undarum) avulsit. Aliud tamen illudqve verius tibi esſe dicendum puto qvod scilicet angvis Midgardensis etiam nunc adhuc in pelago cubans vivat." Hoc Haris additamentum mysticam aliqvam doctrinam, paucis electis revelatam, a vulgaribus (& ipsorum qvoqve popularium poëtarum e. gr. Ulfi Uggiani) traditionibus diversam ac iis qvoqve contrariam, sapere videtur. Consentiunt tamen illi Valiani carminis vaticinia, antea memorata, & seqventia iis superstructa junioris Eddæ effata (pag. 71, 72, 73, 76):

Post sex ultimas mundi nostri hiemes elapsas, qvæ collectivo nomine hiems immanis sive mythica (*Fimbulvetr*) nuncupantur, monstra lupina solem & lunam deglutient, at stellæ e cælis disparebunt. Tellure ipsa corruente & Fenrere eam devastante — "oceanus exæstuans terras inundabit, qvia angvis Midgardicus, furore correptus giganteo (sive immodico) continentem invadet. — — — Fenreris lupi latus claudet serpens ille, admodum terribilis, venena tantopere spirans, ut aërem & aqvas iis perspergat (vel inficiat). — — Hi cum reliqvis Asarum adversariis in campum Vigridum procedent. — — Odinus adversus Fenrerem recta tendet, Thorus vero alterum ejus stipat latus, qvi tamen illi succurrere haud potest, qvoniam satis habet laboris (et curæ) cum angvi confligere Midgardensi. — — — Thorus qvidem, qvod angvem debellaverit, celebrabitur, sed pasſus ab eo novem digresſus mortuus decidet & id qvidem ob venenum, qvo ipsum serpens afflaverat — — Dii tandem post mundi renovationem in Idæ

*) Hæc ita in ordinem prosaicum redegi: *Þángs Þraungvir, alinn kunnleggs (kvnnlegg, kyn legg) qvenna, gein vid Þúngum tángar raud-bita.* Jormungandus revera fuit oreadis sive giganteæ mulieris aut furiæ Angurbodæ filius; algæ marinæ compresſor summo jure dici potuit; malleus Thori ferreus (jam fulmineo igne agitatus sive emisſus) hic forcipis (Dvergorum fabricantium) rutilans offa nuncupatur. —

campo congregati de angve illo (inter alia) colloqventur" *).

Mythum nostrum de angve Oceani mundum cingente Indi optime norunt, qvi talem serpentem appellant Vasughi, Ananda (isl. *án enda* ɔ: sive fine, infinitum; vid. Gl. T. II. p. 562) &c. Similes opiniones veteres AEgyptii, Persæ & plures populi fovisse videntur, qvibus demonstrandis jam non locus erit. Hic tantummodo Leviathanem Hebræorum memoramus, qvem plures docti viri cum nostro Jormungando comparavere **) qvum revera proavi nostri, post Christianismum receptum, gentiles de mundano oceani serpente opiniones aut ei, aut etiam ipsi diabolo adaptare tentaverint. Sic e. gr. Venerabilis Beda populari Anglo-Saxonum superstitione ad Leviathanis indolem rite describendam utitur ***): "Leviathan animal terram complectitur, tenetqve caudam more suo, qvi aliqvando sole exustus nititur illum comprehendere, sicqve indignationis ejus motu terram qvoqve move-

*) Auctor epilogi Eddæ junioris, qvi universam borealium mythologiam ad heroum Trojanorum gesta & fata referre conatur, sic inter alia de angve Midgardico commentatur (pag. 88, 89): "Qvod prolixam de crepusculo Deorum condiderint narrationem, bellum innuit Trojanum. Inter alia traditum est *Aku-Thorem* capite taurino pro esca illice usum fuisse, et ad oram naviculæ angvem Midgardicum extraxisse, qvi ita vitæ suæ consuluit, ut se in oceanum iterum demergeret. Exempli hujus origo inde est deducta qvod Ector (sive Hector) Volocreontem, athletam qvendam egregium, & qvidem intuente magno illo Achille trucidaret, qvem sic ad se allicuit capite occisi viri; hunc Asæ cum tauro compararunt, a qvo Thorus, cervicem frangendo, caput avulsit. Verum Achilles, illo suo studio et conamine athletico summum vitæ discrimen subiit, etenim effugium ei restabat nullum, qvam aufugiendo, et qvidem vulneratus, lethalem Hectoris evitaret plagam. Traditum qvoqve est memoriæ, Hectorem adeo vehementer pugnasse, tantumqve Achille conspecto animi ejus fuisse ardorem et magnitudinem, ut res nulla, qvantumvis valida, illi resistere potuerit; Achille vero fuga elapso, iram suam Rhodum athletam interimendo sedavisse. Similiter Asæ dixerunt Aku-Thorem, angve amisso, gigantem Ymerum peremisse. Sed ingruente crepusculo Deorum angvis Midgardicus inopinato Thorum aggressus, ipsum veneno afflavit et usqve ad necem percussit. Noluerunt autem Asæ eo modo referre historiam ut Aku-Thorus ita periisset (licet res ita se veraciter haberet) ut unus qvidam eum superaverit. Properabant autem relationes, plusqvam veritati esset consentaneum, dicendo angvem Midgardicum ibidem occubuisse, addentes tamen Achillem, licet cæde Hectoris famosissimum, iisdem de causis eodem modo mortuum jacuisse. Id autem Elenus et Alexander patravere; eum Elenum Asæ nominant Alium (sive Valium)" &c.

**) E. gr. Sculo Thorlacius *(om Thor og hans Hammer) Scand. Mus.* 1802 IV, 46 & sq. qvi fabulam de angve Midgardico asiaticæ originis esse censet, allegans de Leviathane Esaiæ XXVII, 1, conferens qvoqve (respectu ad Thori Utgardicum iter habito) Jobi III, 1, Ps. LXXIV, 14). Addo tantummodo qvod Jobi XL, 20 (vel 25) Leviathan (ab humano viro) hamo extrahi neqvire innuatur. Cfr. XLI, 6, 7, 9, 11, 17.

***) *Venerabilis Beda (de ratione temporum)* vide ejus *Opera, Basileæ* 1563, *Fol.* p. 377-378.

ri *). — Haurit qvoqve aliqvando immensitates fluctuum ut etiam omnia maria sentiant in reddendo inundationem & inde terræ moveantur." Hæc insuper posterius addit: "Dicunt (alii) habitationes nostras vicinas esse ori Leviathan, qvi dum haurit fluctus terra apparet, et dum remittit, obruitur." Veterrimi inter Islandos sacrorum bibliorum interpretes pro Leviathane nomen aliud iis antea notum, *Midgardsormr* nimirum, ponere non hæsitabant. Alii etiam fabulam de Jormungando, a Thoro capto, ad Diabolum a Christo victum applicasse videntur e. gr. Eysteinus Asgrimi, poëta seculi 14^mi^, in carmine Lilio (Finni Johannæi Historiæ ecclesiasticæ Islandiæ inserto) **).

Serpentem Midgardicum sive mundanum, maris terram cingentis incolam, pro ipsius Oceani genio sive symbolo olim habitum fuisse, neminem latebit. Maris fluctuationem primi homines ab ente qvodam vita prædito, sed in profundis latente, productam esse opinati sunt, qvam eorum sententiam immanes balenæ & marini serpentes iis verisimiliter indidere. — Oceanus æstuans, hiemali præsertim tempore, ab hominibus metuebatur; Thorus fulminator, verno cum gigantibus certamine terram et aëra pacificare creditus &

*) Hic nostratium de Fenrere & Jormungando fratribus superstitiones in unum confundi videntur. Ut supra observavimus, angvis Midgardicus in Edda antiqviore vocatur *jardar reistr* (terræ motor). Indorum Vasughi solem obscuratum deglutire fingitur.

**) En ejus stropham, numero 60am:

Enn i andláti Jesu sæta
Oss er flutt at gægst á krosfin
Fiandinn hafi oc frétt at syndum
Færaglöggr ef nockur væri;
Hlægir mig at hér muni teygiast
Hans forvitni sér til vansa
Eigi mun nú ormrinn biúgi
Agn svelgiandi á króki fagna

: Sed in dulcissimi Jesu obitu
Accepimus, qvod in crucem furtim prospectaverit
Sathanas, peccata investigaturus,
Occasioni invigilans, si qvæ exstiterint.
Gaudens præsagio hic allectum iri
Ejus curiositatem in propriam ejus contumeliam;
Incurvus certe angvis
Escam illicem deglutiens, in hamo non lætabitur.

Hæc comparatio iis non adeo mira videbitur, qvi observarant Thorum etiam a gentilibus vocatum esse servatorem gentium & serpentis victorem, qvæ nomina posterius Christo in borealibus hisce terris contigere. — Nostrò insuper ævo Schimmelmannus Germanus & Goeransonius Svecus similes ethnici numinis & divi christianæ relligionis auctoris comparationes serio instituerunt.

is qvoqve terribilem illum æqvoris angvem occidisse ferebatur. Sic fictio illa orta, gliscente tempore multas subibat variationes & auctiones, & verus mythi sensus plurimos latere cæpit. Sic qvoqve angvis extractio, hamo Thori effecta, ad priscam aliqvam sed nobis jam ignotam naturæ revolutionem alludere videtur, nisi annua illa rite intelligi debeat, qvæ tamen jam omnia in medio linqvere cogimus. Cfr. III, 51; *den ældre Edda* II, 51 sq. 81-82, — it. *Midvitnir*, Þór i. De etymis vocis *Jörmungandr* vid. *Jörmungrund* i. & Gl. T. I & III v. *Gandr*.

Jörmungrund, *Jórmungrund*, *Jormungrund* terrestre solum, terra ipsa; eam corvi Odini, Hugin & Munin, qvotidie pervolant *Gr. M.* 20. Ad boreale ejus latus sive oram *) sub extrema Ygdrasilli (mundanæ arboris) radice, cubile qvæsiere oreades & gigantes, Dvergi, atri dæmones & lemures *Hr. G.* 25. Nomen *Jörmungrund* vates medii ævi boreales, & christiano qvidem tempore, Sælandiæ, fertilissimæ Daniæ insulæ attribuerunt. *Iörmun* sive *Iormun* in veterrimo nostro sermone tellurem certe denotavit; hinc qvoqve *Iörmunrekr* (ɔ: terram sulcans) poëtica tauri appellatio, ut T. I, editores in Glossario observarunt (cfr. ind. nom. propr. ad T. II, pag. 883). Apud exteros populos, nobis cognatos, vox ipsa facile recognoscitur e. gr. in Germanorum *Irmin, Yrmin, Ermin*, Anglosaxonum *Eormen*, qvam iidem pro tellure sive mundo indubie cepere. — Sic antiqvissimum (seculi 8vi) Saxonum carmen, ad morem veterum borealium metricum compositum, Hildebrandum & Hadubrandum celebrans, illum heroem *Irmin-Got* (q. d nostro sermone *Iörmun-god*) invocare facit **); in Harmonia evangelica priscorum Saxonum, qvæ Cottoniana dicitur, vox eadem occurrit, & genus præterea humanum *Irmin-theod* vel *Irmindiet (Irminþeod* q. d. *Iörmun-þióð*) simili sensu appellatur. Hinc etiam celeberrima Saxonum columna, dicta *Irmensul* (q. d. *Iörmunsul* sive *Iörmunsúla*) qvæ nostro Ygdrasillo ad ungvem convenit & ab Adamo Bremensi (& scriptoribus antiqvioris ævi) latine sonuit *columna universalis* [i. e. mundana; universi mundi] *qvasi sustinens omnia*. Vid. *Yggdrasill* i. A veterrimo illo vocabulo putantur porro plura mythica orta esse e. gr. *Irminstrasse* (vet. Angl. *Erminstreat* &c.) ɔ: via mundana (vulgo lactea cæli); *Irminswagen* ɔ: plaustrum mundanum (Gr. ἅμαξα μεγάλη, plaustrum majus, vulgo Triones, sive constel-

*) I e. *Jadar*, *Jaþar* (de qvo Gl. T. I) (ut corrigere tentavit celeb. Rask); præferenda videtur edit. Havn. *Jódyr* ɔ: eqvestris porta sive ostium i. e. Solis aut Diei (in stropha proxime præcedente) eqvis vel eorum ingressui (ad nocturnum cubile) et exitui qvoqve destinata. Cfr. *den ældre Edda* II, 228, 239.

**) *Das Lied von Hiltebrand und Hadubrand, ed. J. & W. Grimm*, 1812, 4.

latio ursæ majoris & minoris, Svecis *Karlsvagn*, Danis *Karlsvogn* &c.) *). Plures de origine vocis *Jörmun* conjecturæ proponuntur in Gl. T. I. (ubi recentius Danicum *Jordmon*, *Jordsmon* ex ea derivatur) qvibus hic tantummodo addere liceat, qvod certa terræ species Norvagis adhuc dicatur *Jörme* sive *Jörme-jord*. Cfr. *Jörmungandr* s.

Jötun (in pl. *Jötnar*) — sic dicuntur veterum borealium Titanes sive Gigantes, sæpisfime Deorum & hominum hostes dirisfimi habiti. Antiqvisfimus eorum fuit *Ýmir* sive *Örgemlir* aut *Aurgemler*, de qvo suis locis satis disqvisiimus; hic ipsum repræsentat Chaos, unde plures Titanes, ei similes (de qvibus Vala, ut primariis, Nornæ celsisfimæ nomine loqvi videtur *VSpá* 2) progeniti sunt, sed iterum ex iis per Belstam, Bölthornis filiam, Bori nuptam, tres primi Deorum, Odinus, Vilius & Ve, qvi Titanibus fere omnibus occisis ex eorum propatre mundum nostrum formavere. Hæc transformatio sive creatio breviter memoratur *Vafþr. M.* 20-21. *Grimn. M.* 40. Titanes Jotunes primarii enumerantur & Asis sive Diis natu majores esse perhibentur, innumeris qvidem hiemibus sive annis terrâ nostra antiqviores *Vafþr. M.* 28-35. In codice Eddæ Snorronianæ Upsaliensi, cui prior Strophæ 31 carminis Vafthrudneriani inseritur, nostris ita consona:

Ex Elivagis prosiluere
Veneni [primitivi liqvoris] guttæ
Qvæ succrescebant, donec fieret inde
Titan —

sed posterioris partis loco hæc illic exprimuntur:

Þar orar ættir
Koma allar saman
Því er þat allt ti atalt

o: Ibi stirpes (gentes) nostræ
Omnes conveniunt
Inde cuncta (inter se) contraria redduntur.

Hic gigas Vafthrudner de suo & Asarum genere loqvitur ut originitus uno & eodem, jam tamen maxime diversis & oppositis, unde cunctarum naturæ potestatum perpetua contentio derivanda fuerit **). Omnes Jotunes sive Jotni ab Ymere (sive Orgemlere) prognati esse dicuntur *Hyndl. L.* 31 cfr. *Vafþr. M.* 28 & sq. Tres, ut videtur, primariæ Parcæ inter Jotnos enutriri feruntur ibid. 48, 49, cfr. *VSpá* 2. Nominantur Jotni ut a Hrimthursis & Suttungorum filiis sensu strictisfimo diversi, nisi primum nomen pro generali & seqventia includente habendum sit *Sk. F.* 34. Jotni (ut Deorum inimici & ab iis ad inferas regiones dejecti) Asgardiæ expugna-

*) Cfr. duas de hisce rebus peculiares disqvisitiones: *Irmenstrasse und Irmensäule, eine mythologische Abhandlung von Jacob Grimm, Wien* 1815; *Irmin, seine Säule, seine Strasse und sein Wagen von Dr. F. H. von der Hagen, Breslau* 1817.

**) Cfr. *Eddæ* hujus Versionem Danicam I, 112.

tioni & inhabitationi inhiant, qvam Thorus solus, Miolneris mallei posſesſione gaudens, impedire potest Þr. *Qv.* 18. Gens sive proles gigantea Freyam aufert & aërem veneno vel sangvine miscet *VSpá* 23 (obs. 39). Jotni qvoqve humanum genus perseqvuntur, sed homines & Midgardus, eorum regio, a Thoro, in eundem modum defenduntur *Harb. L.* 22. Abripiunt domo humanas mulieres *H. Q.* I, 17. Lingva sive idioma Jotnorum memoratur & verba qvædam inde desumta recitantur *Alv. M.* 10, 12, 14, 16, 18, 20, 22, 24, 26, 28, 30, 32, 34 *). Jotnorum Runæ i. e. mysteria sive secreta doctrina, a Deorum Runis diversa, *Vaſþr. M.* 42, 43 & sq. *Hávamál* 146 (obs. 100) cfr. *Ásviþr* s. Hinc varia eorum epitheta, ut *fródr*, *fróþr* (multiscius, doctus sapiens; primario sensu, ut videtur ferax) *Vaſþr. M.* 35; *hundviss* (multifaria sive etiam caninâ sagacitate præditus) *Hym. Qv.* 5. Jotni oracula consulunt de infensorum Balderi somniorum significatione *Vegt. Qv.* 2. Gigantes multa capita gestantes *Hym. Qv.* 36, cfr. 7 ibid. Gigantis acerrimus visus ibid. 12. Illi diei & solis lucem fugiunt *Hr. G.* 25 cfr. *H. Qv.* I, 29, 30 (ubi oreas illius aspectu in lapidem transformata fuisse dicitur) **). Gigantes (ut abysſi & speluncarum montanarum incolæ) auri & argenti sunt divites *Sk. F.* 22. Þr. *Qv.* 5, 23. Possident qvoqve armenta, vaccas auratis cornibus insignes & boves usqveqvaqve nigros Þr. *Qv.* 23 nec non pecudes sive oves, ut videtur a pastore custoditas, *Sk. F.* 10 (I, 73, 74). Eqvos insuper habent & canes aureis collaribus ornatos Þr. *Qv.* 5. *Sk. F.* 11. Jotnorum stirpes sive familiæ recensentur *Hyndl. L.* 28-31 cfr. 33-37. Lokius latere videtur sub Titane eo, qvi mundi interitu appropinqvante solvetur, secundum *VSpá* 43. Tunc qvoqve Jormungandus, mundanus ille serpens in cyclopeo (sive giganteo) furore volutabitur, oceanum urgens, clangente simul aqvilâ (dæmoniaca) & pallido rostro cadavera dilacerante ***) ibid. 44. Is insuper Thorum violenter adgredietur ibid. 50 (obs. 86). Tandem Fenrer lupus, gigantis filius dictus, ipso Odino peremto, ab ultore Vidare occidetur ibid. Cfr. *Jötunheimr* i. Collectiva gigantum nomina derivantur a frigore (e. gr. *Hrimþursar*) vel etiam a rupibus sive saxetis, ut *Bergrisar* (vid. *Bergelmir* s.) *Bergdanir* (*Hym. Qv.* 17) & *Hraunhvalir* (ibid. 36). Inter præcipua eorum epitheta hæc occurrunt: *hrímkalldr* pruinâ frigidus (*Vaſþr. M.* 21. *AEg. Dr.* 50); *ámáttkr* prævalidus *Gr. M.* 11 p. p. De primariis & pesſimis furiis

*) Cfr. ejusdem operis II, 6, 28 & sq.

**) Hæc superstitio de gigantibus lucifugis & diei vel solis aspectu in lapides transformatis ad nostros usqve dies in terris hisce borealibus perduravit. Cfr. Vers. Dan. I, 77 & sq.

***) Hic forte intelligendus Hræsvelgus gigas, aqvilæ formam gestans, cujus nomen indubie sonat: cadavera deglutiens. Cfr. *Hræsvelgr.* s.

vel lamiis ê Jotnorum stirpe oriundis. Vide *Angurbodi, Hel, Járnvidr* s. Hinc monstra mundi immanisſima Fenrer & Jormungandus ac plura qvidem, qvæ ejus exitio inhiant & id aliqvando perficient. *V Spá* 36-38, *Hyndl. L.* 36-38. Tres præpotentes Titanum mulieres ê Jotunheimis adveniunt & aureæ Deorum ætati finem faciunt *V Spá* 8 (cum obs.). Oreades sive gigantum mulieres memorantur: in insula *Hlésey* sive Lesſõe dicta (q. v.) Harb. L. 35-37. Mulier gigantea in Thrymi domicilio, a Thoro tandem percussa Þr. *Qv.* 31 sq. 34 (obs. 19). Thorus sæpissime gigantum fæminis inimicus esse ac eas perseqvi dicitur *Hyndl. L.* 4. cfr. 46 *Harb. L.* 22, 37. Novem tamen gigantum puellæ (sponsæ sive mulieres) Heimdallum ad terræ crepidinem (Utgardiam ipsam) pepererunt 33-34; cfr. *Heimdallr* s. Aliæ ipsis Asis nuptæ fuisse dicuntur; vide *Gérdur, Skadi*, qvæ pulchra etiam formâ gavisæ sunt; — hoc qvoqve de pluribus oreadibus referri videtur; e. gr. *Hym. Qv.* 8: cfr. *Hýmir, Týr.* Plurimæ nihilominus giganteæ mulieres ut forma teterrima insignes describuntur e. gr. una, nongenta capita gestans *Hym. Qv.* 7 alia autem culo sive caudâ deformis *H. Q.* I, 20, 21. Tertia lupo insidens, angves pro habenis usurpabat H. Q. I, (T. I. pag. 45) cfr. str. 35. Tales lamiæ naves & nautas perdere conantur ibid. 13, 18, 19, 23, 26 *Harb. L.* 57 sed impediuntur â Valkyriis, heroes defendentibus *H. Q.* I, 26-28; adpetunt humana cadavera 16; grassantur tempore vespertino & nocturno, qvum diei & solis lucem fugiant, et ab ea perimantur vel in lapides transformentur; hinc nomina earum appellativa: *Qveldrida, Myrkrida* (striges noctivagæ vel lucifugæ) & pl. *H. Q.* I, 15 (obs. 35) 30, *Harb. L.* 19 (obs. 19), *Hr. G.* 25. Cfr. Gl. T. II, p. 751. Mulieres giganteæ funes ex arena nectunt *) et ex valle profundo terram suffodiunt *Harb. L.* 17 (obs. 15). Pugnant ferreis clavis **); Thoro ipsi ita minantur & Thialfium, ejus ministrum, in fugam agunt *Harb. L.* 37. Oreas ad Helæ viam (qvæ ad inferos ducit) in ædibus saxeis ac areâ cinctis habitans, cum Brynhilda defuncta (et e nostra sententiâ, per funebrem rogum in umbram transformata) colloqvitur H. B. 1-13. Præcipua oreadum nomina collectiva in antiqviore Edda occurrunt: *Gýgur* (de qvo supra egimus)***)

*) Hoc adhuc a plebe Scotica dæmonibus adscribitur; vide illustrisſimi Walteri Scott *Minstrelsy of the Scottish border* III. 257. Cfr. *Menia* i.

**) Sic etiam in Danorum & Scotorum medii ævi cantilenis, e. gr. *Udvalgte Danske Viser fra Middelalderen* &c: II, 18; *Minstrelsy of the Sc. b.* l. c. II, 134.

***) De antiqvo illo *Gygor, Gigur* nomen hodiernum sine dubio trahit sepulchrum pervetustum ad locum Hornborga, in toparchia Gudhemi & Vestrogothiâ Svecica, qvod vulgo audit *Gigerommen*, qvod, ni fallor, verti debet: Oreadis sive gigantis fornax sive cavea; — sic Jutæ nostri talia sepulchra vocant *Jyn-Ovn* (i. e. idem qvam *Hun-Ovn* o: Hunnorum vel gigantum

Fála, Hala, Imd, Rýgur, Tröllkona, de qvibus Glosfaria operis sunt consulenda. Cfr. supra III, 400, 411.

Filii sive gnati Gigantum memorantur *Vafþr. M.* 15. *Háva M.* 147.

In execrationibus & juramentis vulgaribus gigantum nomina olim sunt adhibita e. gr. A. M. 31: *egi hann iötnar* o: Possideant (sive auferant) eum (me) gigantes (mali dæmones)! cfr. *Harb. L.* 58: *Þic hafi allan gramir* te cunctum potiantur diræ potestates!

Hi præcipui gigantes in Eddæ nostræ carminibus memorantur *Aurgemlir* sive *Örgemlir* vel *Ýmir, Berggélmir, Forniótr, Gýmir, Harbardr, Hati, Hlébardr, Hrímgrímnir, Hrímnir, Hrúngnir, Hrymr, Hræsvelgr, Hýmir, Loþinn, Sauckmímir, Skrýmir, Þiasfi, Þrymr, Vafþrúdnir, Ægir* — cfr. Porro *Loki* (cum ejus filiis) *Týr, Fafnir* it. *Jörmungandr, Fenrir, Mánagarmr, Hati, Skoll* — & hæc giganteæ mulieres *Angurbodi, Hel, Hrimgerdur, Hyndla* præter alias Asis sive Diis connubio junctas, *Gérdur* & *Skaþi*.

Eddæ junioris relationes de prima Jotnorum origine illis consentiunt et eas qvidem amplificant sive uberius explicant (l. c. pag. 6-8) ut suis locis in Dictionario hocce ad articulos, nuper citatos, enarravimus vel enarraturi sumus. Reliqva; qvæ huc pertinent, memoratu dignisfima, in brevi nostro commentario, vocabulum *Jötunheimr* illustrante, mox adferemus. Cfr. tamen *Þórr* i. cum tota fere ejus historia facinora contineat celeberrima contra Titanes & Gigantes (qvi nostratibus *Hrímþursar, Bergrisar, Jötnar* &c. audiunt) valide perpetrata.

Permulta gigantum epitheta & propria ac appellativa nomina in Edda juniore & Skalda ei annexa occurrunt, qvarum plurima uno fere loco recensentur, versibus memorialibus inserta (pag. 209-211). Leguntur inter ea *Ægir* (Oceanus) alioqvin dictus *Hlér, Vindr* (ventus) qvi etiam *Hræsvelgr, Kári* & pl. *Eldr* (ignis) qvi alias *Logi* (& verisimiliter etiam *Loki* p. p.). Cfr. *Bileiztr, Helblindi, Loki*. His adjungitur *Vindsvalr*, hiemis pater (teste Edda Snorroniana, pag. 23, qvæ eos ipsos ut crudeles & frigida spirantes describit). Hinc horum Titanum vera & primitiva indoles facillime cognoscitur. Alia gigantum nomina ad eorum in montanis Utgardiæ ac terræ qvoqve ipsius regionibus habitacula alludunt, ut hæc seqventia, e variis gentilium vatum carminibus desumta, qvæ ampliore explicatione non indigent: *fiallgautr, fiallgyldir, biargagætir, byrgitýr biarga, bergdólgr, griótnidudr, hraundrengr, hellisbör, giliagramr* & pluralia: *bergdanir, fiódrifs danir* p. p. His accedunt Oreadum, lamiarum sive gigantearum mulierum variæ appellationes, qvæ in *Skálda* l. c. sub generali denominatione *in articulo tröll-*

caveas) *Doden-Unn* (mortuorum fornaces) &c. Cfr. *Sjöborg Nomenclatur* &c. p. 150. *Möen af J. Paludan* I. 173 (cfr. 169).

qvenmaheiti (pag. 270) amplissime recensentur. Ipsarum vera indoles clarissime versiculis perantiqvis, ibidem (pag. 175) nobis servatis elucidatur, his nimirum, qvos lamia Bragio prisco per sylvam trahâ vecto occurrens decinisse fertur:

Travll kálla mic
Tungl siótrúngnis,
Audsug tötuns,
El, sólar böl,
Vilsinn völu
Vörd náfjardar
Hvelsvelg himins,
Hvat er travll nema þat?

i. e. Spectrum *) me vocitant,
Lunam gigantææ regionis,
Cyclopum opes **) attrahentem;
Procellam, soli noxiam, ***)
Amicam Valæ comitem ****)
Custodem æqvoris infernalis *****)
Coeli hemisphærium devorantem †);
Qvid spectrum nisi hoc?

Ad Jotnorum indolem præcipue pertinent tenebræ et frigora. Hinc Nox ex eorum genere prognata dicitur (vid. *Nótt* I.) sed Hræsvelgus, frigidos borealis plagæ ventos emittens, Jötun appellatur. Nihilominus gigantea entia divis jungebantur, & sic qvoqve Freyerus Gerdam (sed Diis tamen invitis) & Njordus Skaden in matrimonium ducebant. Odinus insuper ex oreade Grida Vidaris taciturni, sed Thor e Jarnsaxa Magnii pater evasit. Gesiona, ex Asarum stirpe nata, cum gigante qvodam plures filios generavit. Hos mythos ad anni hyemalles periodos & earum allegorica numina referendos censemus. De novem Heimdalli giganteis matribus suo loco satis egimus.

Jotunes a Diis cæsi in Tartarum borealium, qvi *Niflhel* dicitur, dejecti fuisse perhibentur (vid. Edd. jun. l. c. pag. 47). Sic qvoqve Geirrodus gigas a vetere poëta dicitur *helblótinn*, i. e. Helæ sacrificatus (pag. 118). In historils vetustis borealium Finni sive Lappones interdum Jotunes appellantur; vid. e. gr. *Heimskringla* ed. Havn. I, 101, 103.

Vocabulum *Jötun* Danice sonat *Jætte*, (fæmin. *Jættinde*) Svec. *Jätte* (fæmin. *Jättinna*); Hasis sive Catris (ut videtur) olim etiam *Jette*, Silesiis hodie qvidem *Jöden* ††), Scotis *Eyttyn*, *Ettyn*, *Eaten (Jaten)*, Anglosax. *Geat*, *Eoten (Joten)*,

*) Vel etiam larvam, oreadem, malum dæmonem.
**) i. Metalla pretiosa & gemmas qvoqve in gigantum subterraneis antris latentia.
***) Proprie: qvæ solem tristitiâ afficit aut Soli inimica evadit.
****) Valâ se a gigantibus olim educatam testatur in carmine *Völuspá* str. 2 et eorum mysteriis initiata cæterum fuisse videtur.
*****) Proprie: sinus vel fluminis cadaverum, i. e. Hvergelmeris abyssi, qvi oris cadaverum *Náströndir* dictis, circumdatur, sive fluviorum Helheimi & Niflheimi vel infernarum regionum. Vid. *Elivagar*, *Hvergelmir* s.
†) i. e. ut nimbum vel tenebras. Cfr. vetustos versiculos de Feurere supra in art. *Fenrir*.
††) Eodem modo formatum videtur consonum vocabulum plebis Danicæ e. gr. *Jöden i Upsal.* Vid. *Thiele Danske Folkesagn* I, 192.

Lap. *Jatton*, Finn. *Ajattaro*, Ind. Maratt. *Joting*. Cfr. Gloss. Edd. II, 690. Videas cæterum artic. *Bergelmir*, *Gífvr*, *Gýgr*, *Hrímþurs*, *Jötunheimr*, *Tröll*, *Þurs*.

Jötunheimr & sæpe in pl. *Jötunheimar*, mundus giganteus sive regiones a gigantibus inhabitatæ. Hæc vox in mythicis nostratium monumentis duplici sensu gaudet, nam 1) denotat universam inferiorem hemisphæram, qvæ Helheimum vel Erebum & Niflheimum sive Tartarum continet, unacum circulo illo montano qvi oceanum cicumdedisse putabatur, alioqvin *Utgardar* dicto. Huc etiam pertinuit oceanus innavigabilis; 2) in historicis præcipue relationibus oras maris glacialis maxime boreales & veris (i. e. Gothicæ originis) hominibus inhabitabiles, sed a Lapponibus & iis cognatis gentibus, Gigantum (ut nostri propatres ajebant) cultoribus & filiis habitatæ. Occurrunt autem nomina illa sic in Edda antiqviore. Tres ex Jotunheimis oreades coetui Deorum creantium admittebantur *VSpá* 8. Thrymus gigantum princeps fulminantem Mjölnerem abstulerat, qvam ob causam Thorus cum Lokio in Jotunheimos iter paravit et Titane cæso malleum suum recuperavit *Þr. Qv.* 5 & sq. Freya cum Thoro in Jotunheimos iter facere recusat ibid. 15. Thorus rhedâ vectus Jotunheimos petit. ibid. 23 & sq. Gerda, Freyeri amasia, in Jotunheimis vitam degit *Sk. F.* introd. (vid. *Gérdur*, *Gýmir*, *Gýmisgardar s*). Skirneris (ejus arcessendæ gratia) expeditio in Jotunheimos memoratur Sk. F. 42. Mundi excidio appropinqvante totus Jotunheimus tumultuarie strepet. *VSpá.* 46. In Edda juniore & Skalda ei affixa ita memorantur: Hrungner in Jotunheimis habitans ab Odino visitatur sed hunc ad Asgardiam revertentem perseqvitur &c. (pag. 106 & sq.). Vid. *Hrúngnir* s. Fabricator ê Jotunheimis veniens Freyam & amplissima coeli lumina arte sua adqvirere conatur (47 & sq.). Vide *Sleipnir*. Thorus Lokium Utgardensem visitaturus & Jotunheimos petens, oceanum (sive profundissimum mare) transiit *) (50 & sq.). Thorus e Jötunheimis ac septentrione Elivagas (sive oceanum) transgrediens Örvandilem frigore rigentem succollavit (p. 111). Hyrrokin oreas (qvæ terræ motum effecisse dicitur) in Jotunheimis suum habuit domicilium (pag. 66). Thiassius gigas in Jotunheimis habitans, aqvilæ specie indutus) Idunnam extra Asgardiam ambulantem aufert &c. (p. 81). Vid. *Idunn* s. *Þiassi* i. Gefiona e Jotunheimis, boream versus sitis, qvatuor tauros abstulit in Sveciam &c. (p. 1 & sq.) vid. *Géfión* s. — *Jötnagardar* pro magis usitato *Jötunheimar* invenitur in versiculo, e poëmate prolixiore, de itinere Thori ad Geirrodi gigantis sedem agente, a Skalda allegato; Divus ille, eam petens, fluvium maximum, qvæ *Vimur* (hodie forte Rusforum *Wym*) appellatum, transiisse fertur (pag. 114). *Eilifus Gudrunides*, facinus illud in car-

*) Vel etiam pernatavit, e testimonio codicis Upsalensis.

mine Thorsdrapa celebrans Sveciam frigidam (Scythiam) & fluvium Ivam (hodie Oby) distincte memorat *). In vetustis Scandinavorum historiis Rusſiæ septentrionales vel etiam Finmarkiæ regiones sub Jotunheimorum nomine latere videntur. Cfr. *Jötun* s. **).

K.

Kár, Kári (pronuntiandum Caur; cfr. Lat. Caurus) — ventorum dæmon sive numen e Finnorum (ut videtur) mythologica traditione — Vide *Forniótr* s. ***).

Kára, Valkyria qvædam & simul humana virgo, Haldanis filia, sed reverâ, ex vulgi opinione, Sigruna Helgii Hundingicidæ uxor, olim defuncta, sed posterius, sub illo nomine renata vel regenerata. Egit de ista carmen jam deperditum, inscriptum *Kárulióð*. Qvædam ejus contenta leguntur, ut puto, in vetusta fabula de Romundo Greipi filio (*Saga Hrómundar Greipssonar* Cap. 7) in Biorneri *Kämpe-Dåter* impreſſa. Vid. epilogum Odæ secundæ, de Helgio Hundingicida agentis.

Karl, Aſi (Avi) sive Rigi (aut Heimdalli Dei) & Ammæ illius uxoris filius, colonorum borealium propater *Rigsmál* 18. Cfr. ejusdem carminis speciale onomasticon ac Gloss. T. I. & II.

Kérlaug (verbotenus lavacrum i. e. aqva calida) nomen duobus iis amnibus commune qvos Thorus Deus permeare solet, forum sive judicium Deorum sub Ygdrasillo celebratum petens *Gr. M.* 29. Denotat verisimiliter aqvas sive vapores atmosphæræ terrestris. Cfr. Gl. T. I ****).

Kialar nomen Odini, ipsi trahas (per glaciem hiemalem, ut istius tempestatis numini) vehenti attributum *Gr. M.* 47. Cfr. Gl. T. I.

Kiar vid. onomasticon T. II.

Kili unus Dvergorum sive Alforum (dæmonum vel geniorum) *VSpá* 12. Rectius forte scribendum foret *Kyli* à *Kul*, (aura frigidior) ut ab eo vocabulo derivandum.

Kólga (aura frigida; unda violenta) una novem filiarum Aegeris & Ranæ. Soror ejus unda (*Bylgia* sive *Hrönn*) ibidem appellatur. H. II, 25 (a τω *Kul*, *Kulr* aura). Cfr. Eddam jun. l. c. p. 185.

Kreppvör, Kripvavr (contrectans, contorqvens) filia Niordi natu minima *Sol. L.* 79. Cfr. *Baugvör* s. & Gl. T. I, (A verbo *krepa* contorqvere, coarctare, incurvare, Dan. *krympe* Svec. *kräppa* Scot. *creep*).

Körmt, Kavrmt f. flumen qvoddam ex eorum

*) Vid. S. *Thorlacii* Ant. bor. obs. misc. VII, 30, 117.

**) De Jotunheimis, eorum situ & incolis prolixe disqvisiimus in opere nostro *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 46, 251-52, II, 134, 301 & sq. 318 & sq. III, 316 & sq. IV, 205. 234-235.

***) Cfr. hujus Eddæ translationem Danicam I, 125. II, 278. IV, 250.

****) Cfr. operis ejusdem I, 176, 254.

numero, qvæ Thorus Deus permeare solet, Deorum consilium petens. Gr. M. 29. Cfr. *Kérlaug* s. Etymon nominis nobis penitus ignotum esse fatemur *).

L.

Landvidi, Landviþi n. o: ampla sive lata regio, domicilium Vidaris, e nostra sententia signo scorpii zodiacali correspondens *Gr. M.* 17. Describitur territorium hocce ut consitum virgulto & alto gramine *(hágras* ab *hár* altus &c.) vel potius: gramine chordo serotino aut altera vice autumnali tempore crescente — a subst. *há;* vid. Haldorsonii Lex. Island). Hæc loci descriptio optime correspondet terræ per illud anni tempus faciei. Etyma habet notisfima illa: *Land* (Gl. T. II,) & *Vidi* (vastities, interdum oceanus) i. e. vasta regio (cfr. *Vida, Vidr* ibid). Vidaris imperio durante sol borealium regionum in amplisfima (i. e. maxime demisfa) coeli sive aëris parte versari videtur, et qvidem fere in horizonte ipso, qvi a rusticis Svecicis hodiedum *Vide* appellatur **). Cfr. *Vidar* i.

Laufey uxor s. amasia Farbauti gigantis sed mater Lokii, qvi vulgo dicitur *Ása-Loki, Þryms Qv.* 20, 22, *AEg. Dr.* 53. Memoratur etiam in Edda juniore (p. 32, 64) sed alio nomine *Nál* (i. e. acus) vocata fuisse refertur. Vetusta relatio (e mythica in historicam transformata) hanc vocem cognominis sed illam nominis loco vaduisse censet ***). Nomen *Laufey* verbotenus transfertur: frondosa insula, et de Tellure a mythologis primariis allegorice fingentibus dictum esse videtur, si Lokius ille (ut sane interdum fieri oportet) pro igne subterraneo capiendus sit; hic enim rite posfet Telluris gnatus appellari. Si enim *Loki* simpliciter idem sit ac flamma ipsa, revera describi potest ut 1) filius arboris vel ligni, qvæ sanè nomine *Laufey* (i. e. frondosa fæmina vel nympha) adornanda foret & 2) ut filius acus (chalybeæ nempe sive ferreæ, qvâ ignis excudi solet, ut per frictionem ligni olim sæpissime accensus fuit). Cfr. *Nál, Loki.*

Leiptr, Leiptur, unum ex infernis Niflheimi vel Helheimi fluminibus *Gr. M.* 28. Per hujus fluvii "fulgidas aqvas" jus-jurandum olim præstitum fuisse videtur H. Qv. III, 29; sic qvoqve Græcorum & Romanorum Dei per stygias undas juravisse dicuntur. Nominatur etiam in Edda jun. (pag. 4). Traductionem sive etymologiam nominis in Gl. T. I. pravitate laborare opinamur, cum vox *Leiptr* manifeste & adhuc in Islandia vulgariter fulgur sive coruscationem denotet, vid. Gl. T. II; (similis qvidem originis ac recentiora Dan. *Löbeild,*

*) Idem nomen, *Körmt* vel *Kormt* nempe, insulæ cuidam Norvegiæ occidentalis (hodie *Karmen* dictæ) olim proprium fuit.

**) Amplius res hæcce tractatur in translat. Dan. I, 148 (cfr. 154) 172, 235. IV, 251.

***) Appendix Skaldæ l. c. p. 355. *Saga Olafs Tryggvas.* II, 49-50.

Svec. *Löpareld* ignis cursorius, proprie artificiosus). Correspondet alias Phlegetonti græco, nec non Indorum & plurium gentium ardentibus inferni fluviis, qvos etiam sibi finxerunt medii ævi Christiani — qvi in rhytmo anglico (hominis catholici) ita describuntur:

*The water brend o'lightning and of thunder**).

Cfr. *Giöll, Elivagar* s.

Leirbrîmir, nomen qvoddam mythico-allegoricum *Fsv. M.* 13. Vide Gl. T. I. Transferri insuper potest: luteus (gigas) calore (vitali i. e. vitâ) præditus. Ymer simpliciter alibi *Brîmir* vocatur, ut ipsum illa denominatione significari non foret adeo improbabile. Cfr. vers. Dan. III, 42, 49, 62; IV, 251. it. *Fiölsviþr* s.

Léttfeti levipes, eqvus tolutarius, unus inter Asarum eqvos *Gr. M.* 30. De etymis consule Gl. T. I, & II, v. *Léttr* & *Fótr* unde *feta* gradi, *feti* cursor (gradum faciens) & plura.

Líf (vita) mulier hujus terræ (ut videtur) ultima sed novæ aut futuræ prima, qvi in sylva Hoddmimeris, unacum marito Lífthrasere, durante mundano incendio latebit, & rore postea matutino nutrietur. *Vafþr. M.* 45. Consentit huic relationi Edda junior pag. 76-77 et ex illorum stirpe cunctum humanum genus, qvod universum novum mundum inhabitabit, oriundum fore vaticinatur. — Persæ arborem istam, qvæ humano generi secundum eorum mythos originem dedit, *Livas* interdum appellant. Cfr. *Askr* s. **) *Lífþrasir* i. ac Gl. T. I, & II, v. *Líf*, Dan. *Liv* &c. (cui insuper Svecicum *Lif* est addendum).

Lífþrasir (vigor vitalis & simul longævus) vir, huius terræ (ut videtur) ultimus sed novæ aut futuræ primus. Vid. *Líf* s. Posterior vocabuli particula a voce *þrár* pertinax (i. e. durus, longe durans, unde etiam *þras* continua vel longiturna rixa) derivanda videtur.

Listvör mulier sive furia allegorica cum alia Biugvara in Herderi (Odini aut Plutonis borealis e primorum Christianorum opinione) ostio sedens, ac qvidem in tonante sella, ferreo simul sangvine ex ejus naribus defluente *Sól L.* 76. Ipsius nomen interpretari posfumus 1) ut in T. I, artis vel 2) percutiendi gnara aut etiam 3) (cum *Lystvör* rite scribendum foret) cupidinis plena. Cfr. vers. Dan. III, 217, 228 et *Biúgvör, Herdir* s.

Litr, Litur (color) Dvergus, Alfus sive genius aut dæmon qvidam elementalis *VSpá* 11. De voce ipsa consule Gl. T. I & II ***). Nominatur qvoqve dæmon ille in Edda jun. p. 16 & 66 ubi hæc insuper de incendio Balderi referuntur: "Thorus ignem istum malleo Miölnere sanctificavit, cum autem ante pedes ejus cursitaret Dver-

*) *Sir Walter Scott Minstrelsy of the Scottish border* II, 365. Cfr. *Eddalæren* I, 3, IV, 273-274. 427.

**) Consule porro vers. Dan. I, 96, 118-19. & *Eddalæren* II, 69-71. 84-85. IV, 498, 501, 508, 512, 534-535.

***) Additamenti loco adjicimus eam observationem: qvod vox ista legibus Juticis Danorum (II,

gus qvidam nomine Litur, hunc Thor pede suo in flammas projecit, ut ibi conflagraret." Latere hic opinamur allegoriam qvandam physicam, aut de tenebrarum circa qvotenne Balderiani incendim sive potius canicularium dierum tempus (vel solstitium æstivum) accrescens imperium, qvo colores naturæ pulcherrimi afficiuntur, aut etiam de colorum naturalium in tonitruali tempestate subitanea obscuratione, cum flammis qvasi absorberi videantur. Cfr. *Þór* i. Lithuani plebeji duos adhuc dæmones venerantur, qvi ex eorum opinione homines in sylvis herbas tinctorias legentes adjuvare solent *).

Lódurr (Lódr, Lódur, Lóþr) unus inter tres Deos, qvi homines primos creaverunt, & hic qvidem iis dedit sangvinem et venustos colores *VSpá* 16. Correspondet tamen ei Boris filio, qvem Edda junior *Ve* designat. Ignem sive calorem coelestem originitus significasse videtur, posteriore autem tempore cum terrestri confusus fuisse, et idem igitur habitus cum hujus dæmone, qvi vulgo *Logi* dicitur, sed sub aliis nominibus *Loki* & *Loptr* magis est celebratus. Etymon vocis qværendum est in obsoleto *Lód* ignis.**) Cfr. *Logi, Loki, Loptr.*

Lofar, Lofarr. Alfus aut Dæmon (ut videtur) incertæ significationis; tertiæ & ultimæ Alforum classis progenitor *VSpá* 13, 14. Edda junior è contrario asserit Lofarem (vel Lovares) ab illis esse progenitum (pag. 16).

Logi (ignis terrestris dæmon) vid. *Forniótur.* De voce ipsa, qvæ flammam vulgo significat cfr. Gl. T. I, & II, it. *Lódurr* s. *Loki* i.

Loki — sub hoc nomine duo diversi dæmones in mythologia boreali celebrantur, qvi originitus aut iidem aut etiam arctâ cognatione juncti fuisse videntur, hi nimirum:

1. *Útgarda-Loki* (Lokius Utgardensis) qvi in Edda antiqviore non satis perspicue memoratur. Multa nihilominus de isto narrantur in Edda juniore, (pag. 50-61) qvæ his inserere nimis prolixum evaserit. Observamus tamen ipsum habitasse in Utgardis (i. e. circulo montano oceanum & terrarum orbem cingente, cum urbe principali idem nomen gestante) qvorum Rex expresfis verbis (pag. 54) is nominatur, & gigantibus ac larvis cunctis ibi congregatis præfuisse fertur. Is Thorum illuc profectum multifariis illusionibus vexavit ac decepit, qvæ cunctæ ad

---

109) audiat *Lit*, unde recentiora *Lydd*, *Lŏd* — pro qva tamen civili sermone jam vulgo usitatur alia *Farve* (Isl. *Farfi*, Germ. *Farbe* &c.). Carminis Valiani *Litir* & *Læti* (str. 16. cfr. Gl. T. III) variis modis conveniunt Scot. *Lait*, *Layte*, *Lete*, de qvibus celeb. *J. Jamieson* Dictionar. etymolog. suis locis consulendum.

*) Cfr. vers. Dan. I, 35, 58. IV, 252. *Eddalæren* &c. II, 29.

**) Vide *S. Thorlacii Ant. bor. obs. misc.* III, 56-59. 61-63. Nostram de hisce rebus sententiam prolixe exposuimus in hujus Eddæ vers. Dan. I, 37, 55, 59. II, 293, 311, 316 et *Eddalæren* I, 6 & sq. 43, 352-356, 370-375. II, 59-63. 78-79.

fulminis (vel æstivi caloris), aut ejus administratoris, cum frigore (hyemali) ac ejus activo dæmone qvotennes disfidias spectare videntur. Cfr. *Hrimþursar* s. *Þór* i. Utgardi interdum pro universa inferiore hemisphæra (Asgardiæ oppositâ) accipi debent, tenebris & frigore plena, vivis hominibus inhabitabili, sed a gigantibus, spectris & mortis infernis numinibus possessa. Ad eos insuper oceanus ille innavigabilis pertinuit. Nomen *Loki* variis modis explicari potest, ut 1) cingens, circundans, occludens (qvod igitur Utgardorum domino optime conveniret); 2) finiens, finem imponens, concludens; inferni, ac inferorum præsidi & mortis patri sed Deorum, hominum, coeli & telluris perpetuo hosti non minus convenienter. *) Is tenebris favet & eorum progressus amplificare conatur; igni insuper subterraneo & meridionali ardori, in regionibus maxime australibus præesse putabatur ê veterum borealium opinione. Ignis terrestris vel subterraneus soli est oppositus, qvum ejus candore illius lumen impediatur et obscuretur. Calor solaris homines tamen fovet et nutrit, qvum frigus polare & abysfi atra caligo contrarium producant effectum. Sic verisimiliter Lokius Utgardensis cum Angurboda (de qvâ suo loco egimus) e primorum borealium sententia hos genuit liberos:

1) Helam, mortis Deam, in inferno sive inferiore hemisphæra habitantem; vide *Hel* s.

2) Fenrerem, abysfi lupum (sive lupinum monstrum) tenebras emittentem, coeli, solis & lunæ lumina extingvere conantem & vulcanias flammas eructantem; vid. *Fenrir* s.

3) Jormungandum (qvi alias *Midgardsormr* dicitur) — serpentem oceano (in Lokii huius vicinia sito) inditum & imperantem. Vid. *Jörmungandr* s.

Nihilominus, tempore gliscente, mutata fabula eandem progeniem alii Lokio attribuit, qvi autem vulgo dicitur: vel simpliciter Loki, vel etiam:

2. *Ása-Loki*, antiqvioris illius Utgardensis Lokii sine dubio soboles vel dæmon ab ipsius ente emanatus aut transformatus, Deorum qvoqve acerrimus sed larvatus & astutisfimus adversarius, in eorum cœtum amice receptus. Variæ circumstantiæ & facinora, qvæ de eo narrantur, antiqvitus fortasfis de Lokio prisco relata fuerunt, sed easdem nos hodie rite inter se distingvere neqvimus; ista igitur uno loco enumerare & ad unum dæmonem referre cogimus. Hæc tamen

*) *S. Thorlacius* nomen illud derivans mavult respondere Dan. *Locker* "qvod latine pellacem significat, a verbo Isl. *(eg) locka*, Dan. *(jeg) locker*, Lat. *lacio*, Gr. λοχαω insidior a λοχος insidiæ, hinc λοξος obliqvus & Apollo ab oraculorum amphibolia & tricis λοξιος est appellatus." Ant. bor. obs. misc. VII, 47.

ê magna parte in ignem sive ignis terrestris & subterranei allegoricum dæmonem qvadrant *). In Edda antiqviore hæc loca de eo agentia occurrunt: Is et Odinus primordio temporum sangvinem una miscebant, in adoptatæ fraternitatis vel amicitiæ testimonium (secundum ritum veterum borealium, Iberorum, Scytharum, Armeniorum, Arabum & pl. qvum tale sodalitium solenniter fundaretur) *AEg. Dr.* 9. Sic ipse Odinus alias vocatur ingenuus frater Vei vel Loduri (qvi cælestem ignem ambo repræsentant) **). Lokius cor malæ mulieris semiustulatum devoravit & dolosus inde factus monstrorum (malorum) cunctorum terrestrium pater evasit *Hyndl. L.* 37 ***). Odinum ac Hænerem, (mundum perlustrantes) in itinere comitatur & Oturem occidit S. 2. II. (pag. 151 & sq.). Vide artt. *Andvari, Hreidmar, Otur, Hænir, Ódinn.* Lokius (alis Freyæ sive pennata formâ indutus) in Jotunheimos volat et Thori malleum ab illo furtim ablatum indagat *Þr. Qv.* 2-11. Dat Thoro salubria (ut videtur) consilia 18. Comitatur Lokius Thorum, Freyæ vestibus ornatum, (ut Thrymo fictitie nuptum daretur) in Jotunheimos, sub ancillæ specie latens, ac ipsum ibidem in nuptiali convivio callidis verbis defendit 20, 26-28. Emittitur ab Odino Lokius, una cum Heimdallo, ut comitarentur Bragium Idunnæ, ad inferos mislæ, oracula consultaturum *Hr. G.* 9-17. Lokius præsertim a Deabus de profectu hujus itineris in Vingolfensi convivio rogitatur 20. Vid. *Idunn* s. Lokius Thiasfium lethalibus vulneribus afficit *AEg. Dr.* 51. Astute alium Thori caprorum semimortuum claudicare facit *Hym. Qv.* 37. Se cum variis Deabus scelestos amores exercuisse jactat, ut qvidem (virgine) Gefiona *AEg. Dr.* 20 Skadea 52 & Sifa 55. Hermaphroditica corporis indoles ipsi opprobratur 23, 33. Astutis suis insidiis Balderi excidium causat 28. Lokius cum Asis aliis Aegeris convivio adfuit, sed invidiâ actus Fimafengum, Aegeris habilissimum famulum occidit; — aufugit postea in sylvam sed reversus Elderum superstitem compellat ac deinde Deos & Deas in famosisfima altercatione acerrimis convitiis vexat *AEg. Dr. introd.* & str. 1-64. Thoro soli postremo cedit 65 & Aegeri mala imprecatur 66. Posthac in cataracte Franangrensi salmonis formam gestans frustra latibulum qværit. Ibi Asæ eum ceperunt & ilibus filii Narii ipsum vinxerunt (altero, Narvio nempe, in lupum converso). Skadea angvem attulit & suspendit supra faciem Lokio; inde autem cadebat venenum. Adsedit Sigyna uxor

*) Hæc copiose demonstrare tentavimus in vers. Dan. I, 63, 266, 274-75, 304, 307-308, 318-19. II, 274-278.

**) Cfr. *Lódr* s. *Ve* i. Vers. Dan. II, 287, 308-309.

***) Hunc mythum elucidare tentavimus in articulis *Gullveig* & *Heidur* s. Cfr. *Eddalæren* II, 93, 96, 116-117.

Lokii & pelvi suscepit venenum, atqve ubi oppleta erat pelvis, id extulit foras. Tum ille tam vehementi corporis agitatione corripiebatur, ut inde tota terra contremisceret. Tales convulsiones hodie terræ motus appellantur. (*AEg. Dr.* in conclus). In Valiano carmine, sed brevius tamen, eadem relatio de vinculis Lokii ita exprimitur: Vidit vates foedum Lokium vinctum jacere sub thermarum (sive Hunnorum) luco *) ubi Sigyna ad mariti latus tristis consedit, in venenosis (ut videtur) vallibus, ad amnem *Slidur* dictam, sordes & gladios volutantem **) *VSpá* 32, 33. Appropinqvante aliqvando interitu mundi gigas (iste) solvetur (43) & Muspellianorum (flammeorum dæmonum) navigium terras petiturum gubernabit — Byleisti frater hic vocatus ***).

Edda junior has relationes passim confirmat. Alias Lokium Asam nominat (p. 23) & in Asarum serie ultimum ita describit (pag. 32). "Is, qvem nonnulli vocant calumniatorem Asarum & blandarum astutiarum auctorem, sed omnium Deorum hominumqve dedecus, nuncupatur Lokius vel Loptus *(Loptr)*, filius Farbauti gigantis; mater vero Nala vel Laufeya, sed fratres ejus sunt Byleistus & Helblindus. Lokius aspectu qvidem pulcher est ac nitidus, sed indole improbus et moribus admodum varius. Scientiâ præ reliqvis hominibus pollebat qvæ versutia et fraudulentia vocatur, eaqve in omnibus rebus gerendis usus est. Asas freqventer in periculosas deduxit difficultates, unde eos etiam sæpe extricavit. Uxor ejus Sigyn nominatur sed filius Narius *(Nari)* vel Narfius *(Narfi)*. Præter hunc Lokii plures erant liberi. *Angurbode* (angoris & afflictionis nuntia) appellatur lamia in Jotunheimis (mundis giganteis) degens. Ex illa Lokius tres suscepit liberos. Unus erat lupus Fenrer, alter Jormungandus, tertia Hela" (de qvibus cunctis suis locis satis tractavimus). In relatione de gigante qvodam (larvato), qvi vallum circa Valhallam exstructurus Freyam, solem & lunam mercedis loco sibi pactus fuerat, memoratur expressis verbis (pag. 46) qvod "inter Asas omnes conveniret, tanti facinoris eundem esse ac plurimorum aliorum malorum auctorem, nempe Lokium Laufeyæ filium, eumqve horribilem mortem commeruisse ajebant, nisi consilium excogitaret, qvo faber mercede privaretur. Tunc iis minitanter incessantibus Lokius, metu perculsus, jura juranda interposuit se ista mala aversurum" &c. Posthac seipsum in eqvam transformavit, ut ju-

*) Inter Causasios montes vide l. c. Obs. 54.

**) Hoc postremum Indi narrant de infernalibus fluviis secundum mythologiam iis propriam.

***) Vid. *Býleistr* s. Variantes lectiones habent *Bileipr* (vel *Býleypr*) per oppida aut habitacula grassans; *Býleikr*, oppida illudens vel vexans (qvæ sane de vento dici possunt); reticendam præcipue censemus tertiam lectionem, *Býleifr* nimirum (i. e. oppidis sive habitationibus carus).

mentum gigantis *Svadilfari* dictum, a traha vectoria pelliceret, & eo modo Sleipnerem (Odini eqvum) suscepit, ac postea peperit (vide *Sleipnir* i). Lokius Thorum in Utgardiam proficiscentem comitabatur (pag. 49 & sq.) & variis ibidem exercitiis cum Logio (flamma ferociente sive personata, vorando nempe) *) & cum Hugio (animo — cursoriâ arte, de qva supra in art. *Hugin)* valide sed infeliciter contendit (54, 55). De raptu Lokii per Thiasfium gigantem ut Idunnam in ejus potestatem redigeret & ipsius ad ablatæ Deæ restitutionem coactione nec non Thiasfii inde causata cæde vid. supra in art. *Idunn.* Qvomodo Lokius iratæ Thiasfii filiæ Skadeæ risum moveret, vid. *Skadi* i. Narrantur porro seqventia (pag. 113): "Cum Lokius aliqvando, exuviis Friggæ accipitrinis indutus, oblectandi animi causa evolasset, id acciderat, qvod in regionem (sive urbem) Geirrodi (gigantis) curiositatis ergo pervolaret. Hic aulam qvandam conspexit, in qvam se ad sedendum demisit et per fenestram introspexit. At Geirrodus, conversis in eum oculis, avem hanc comprehendere atqve sibi afferre jusfit. Misfus ille parietem aulæ, præ altitudine, ægre conscendendo moliri potuit; Lokius autem oblectatus qvod ille magna cum difficultate ad se contenderet, spatium moræ concesfit, ipse prius non avolaturus, qvam partem difficillimam absolvisfet. Accedente vero ad ipsum nuntio, alis dirigendo intendit et ad volatum sollicitat, pedibus simul valde obnitens, sed qvi tecto firmiter adstricti erant. Lokius igitur manu captus ad Geirrodum perfertur; qvi cum oculos illius inspiceret, suspicatus est hominem esfe, eumqve respondere jusfit, Lokius vero obticuit. Tum Geirrodus Lokium cistæ inclusit, ubi eum per tres menses jejunio affecit. Visitans deinde illum, fari jusfit. Hic ergo, qvisnam esfet, revelavit et in liberationem vitæ jure jurando semet ita effecturum obligavit, ut Thorus sine malleo & cingulis corroborantibus **) ad ædes Geirrodianas deveniret." Seqvitur relatio de itinere Thori ad Geirrodi habitacula, insidiis hujus gigantis filiarum in exitium Dei p. p. (cfr. *Gidlp*, *Greip* s. Þór i.) cum fragmento carminis vetustisfimi Thorsdrapæ, istam fabulam tractante (cfr. *Loptr* i.). ***) Docet Skalda cur aurum appelletur capillitium Sifæ (p. 130): "Lokius Laufeyæ filius astutia sua id effecit, qvod totam comam Sifæ detonderet; qvod cum resciscerent Thorus Lokium comprehendit, unum qvodqve os isti verberando confracturus; qvapropter Lokius jurejurando se obligavit ab Alfis atris (dæmoni-

*) Hæc enim non tantum nutrimenta, sed etiam lintrem, cui imposita fuerant, consumsit. Cfr. *S. Thorlacii Ant. bor. obs. misc.* VII, 45-46.

**) Vel verbolenus: roboris balteo *(megingiardir)*.

***) Hæc Skaldæ sectio impresfa habetur & latine versa ac illustrata in *Sc. Thorlacii Ant. bor. obs. misc.* VII, 1-169.

bus subterraneis) Sifæ tale comparaturum esse capillamentum, qvod comæ instar naturalis cresceret. Deinde Lokius ad Dvergos qvosdam ivit, Ivaldi filios" (qvi hoc & plura cimelia artificiose fabricati sunt; vid. *Ivaldi* s). — "Lokius cæterum cum Dvergo, qvi Brockus appellatur, contractum inierat, ut caput suum isti fore redderetur, si res qvasdam aliis productis æqvivalentes Sindrius (sive Eitrius) frater Brocki parare posset. Asæ postea, hanc causam judicantes, concludebant Dvergum hypothecæ a Lokio solvendæ justum esse possessorem. Qvâ censura audita & promulgata Lokius obtulit lytron pro capite suo redimendo, qvod acceptare Dvergus omnino denegavit. Comprehende me igitur, dixit Lokius, qvod cum nanus facere vellet, ille momento longe procul aberat; erant enim isti talaria [in textu proprie calcei] qvibus aërem & aqvam percurrere potuit*). Rogavit ergo Dvergus Thorum ut Lokium comprehenderet, qvod cum fecisset, voluit Dvergus eum decollare, sed Lokius illum collum non vero caput possidere ajebat. Sumsit igitur Dvergus corrigiam & cultellum, labia Lokii perforaturus, ut os ipsi hoc modo consueret, sed cultellus prorsus hebes factus est; ideoqve optavit Dvergus qvod subula fratris sui adesset, qvæ nominata ocyus aderat. Sic ergo labia Lokio qvidem constrinxit, sed sutura ita discerpsit ea, ut Lokio os diducente vel aperire conante rimulæ et incisuræ tantum relinqverentur. Corrigia vero, qvâ os illi consuendo constrictum fuerat, *Vartari***) appellatur."

Qvo modo Lokius Balderi, optimi Asarum, mortis & detentionis apud inferos primaria causa fuerit, prolixe supra exposuimus in art. *Baldur*. Pergit Edda junior (pag. 68 & sq.) poenam hujus sceleris a Diis effectam ita referens." Qvum Dii Lokio, ut verisimile est, et prout gravitas sceleris exegit, irati essent, aufugit ille & in monte qvodam delituit, ubi ædiculam, qvatuor foribus instructam, ædificavit, ut qvoqvoversus videre posset. Interdiu autem in salmonis se commutavit formam, & in cataracta, qvæ dicitur *Fránángursfors*, se ipsum occultavit. Interea animo volvebat, qvamnam Asæ technam semet in cataracta cupiendi essent adhibituri. Sedens ergo in casa sua filum cepit lineum & maculas intexuit nodulis adstrictas, eadem scilicet forma ut rete postea factum est, ignis vero coram illo ardebat. Odinus eum e specula sua *Hlidskiálf* creverat, sed cum Asas adspiceret Lokius appropinqvantes et a se parum distantes, rete in ignem conjecto, semet

*) Hæc talaria memorantur etiam in narratione Skaldæ (pag. 137) de Andvarii annulo. Vid. *Hreidmar* s. Addunt certe Lokio, qvi fur poetis sæpissime audit & Deorum insuper nuntius, aliqvam cum Mercurio vel Hermete similitudinem.

**) Vocabulum significationis mihi penitus ignotæ; derivari verisimiliter debet a voce *Vaur (Varis)* labium (labia).

in amnem præcipitavit. Asæ vero dum accederent, primus introivit, qvi omnium eorum erat sapientissimus, nomine Qvaser. Hic dum in prunis favillam viderat combusti retis, id ad capiendos pisces technam esse intellexit, Asisqve indicavit, qvi mox ad istius formam, qvam in favillis viderant & Lokius effinxerat, aliud sibi rete pararunt. Qvo facto Asæ ad amnem accedunt, atqve rete in cataractam explicant, cuius unam longitudinis extremitatem Thorus tenuit, alteram vero omnes Asæ & hoc modo rete secundum amnem trahunt. Prænatans Lokius inter duas petras delituit, ita ut rete super eum traheretur, sentiebant tamen aliqvod vivens istud tetigisse. Secunda vice ad cataractam denuo redeunt et adeo ponderosos reti appendunt globulos, ut subeundi illi non esset facultas. Præcedit Lokius rete, sed funiculum illius, cum cerneret mare prope adesse, transiliit, & in cataractam renatavit. Jam Asæ eum salientem videntes, tertia vice ad cataractam redeunt et cohortem suam in duo agmina dividunt, Thorus vero secundum medium amnem deorsum vadit. Qvibus ita ad mare pergentibus sensit Lokius duas sibi adesse conditiones eligendas: unam se mari committere, qvod tamen summum erat vitæ periculum; alteram vero rete denuo transilire qvod etiam tentans epidromum retis qvam celerrimo potuit cursu transiliebat; at Thorus manu festina eum corripuit, qvi tamen ob lubricitatem manus ipsius transiit, donec ad caudam cursus sisteretur — qvâ de causa salmo deinde per posteriorem corporis partem, juxta caudam, factus est nonnihil gracilior. Jam Lokius sine omni pacis spe aut commiseratione captivus ab Asis in antrum qvoddam transfertur, ubi hi tres ceperunt petras, qvas in acutas earum extremitates erexerunt, iisqve singulis foramen impresserunt. Præhenderunt qvoqve filios ejus, Valium & Narium sive Narfium. Illum Asæ in lupum transmutarnnt, qvi fratrem suum Narfium dilaceravit; huius ilibus Asæ Lokium super tres petras ligabant, qvarum prima humeris, secunda lumbis, tertia vero poplitibus ejus fuit subjecta, qvæ etiam in ferrea vincula sunt conversa. Qvo facto Skadea serpentem cepit venenosum, atqve super illum eo modo suffixit, ut venenum e serpente illi in faciem destillaret. Sigyna vero uxor ejus ipsi adstat et pelve guttas venenatas excipit, qvâ impleta secedit et venenum effundit; sed qvô interea in faciem ejus destillat, adeo valide concutitur ut tota terra contremiscat, qvod vos terræ motum vocatis, ibi autem ille ad crepusculum qvoqve Deorum ligatus jacebit." Auctor Eddæ junioris alias manifeste traditiones hic secutus est, qvam antiqvioris illas qvas supra his inseruimus; — Aegerianum convivium, altercationes Lokii cum Diis ibi congregatis & Fimafengi cædes longe diverso loco Skaldæ (pag. 129) nihilominus breviter commemorantur.

Poëticas Lokii denominationes seqventes Skalda recenset (pag. 106): Filius Farbauti & Laufeyæ vel Nalæ, frater Byleisti & Helblindi, pater lupi Vanensis (fluvii) qvi Fenrer lupus alioqvin vocatur*) nec non Jormungandi & Helæ, Narii & Alii **), cognatus & patruus ***); comes & consesfor Odini & Asarum; consangvineus Sleipneris; maritus Sigynæ; Visitator & cistæ cimelium Geirrodi; fur gigantum (sive gigantes spolians aut ex iis oriundus); fur capri ****) & monilis Brisingici; hostis Asarum (vel Divorum); corruptor comæ Sifianæ; artifex malorum (vel doloris omnifarii); subdolus (sive astutus) Asa; calumniator & fraudator Deorum; dolosus Balderi necis procurator (sive auctor); Asa vinctus; hostilis erga Heimdallum & Skadeam altercator *****).

Lokium Utgardensem a Daniæ rege Gormo Haraldino devote cultum fuisse, sub nomine *Utgarthi-Loc* (i. e. *Utgarda-Loci* s. *Loki*) ut numen qvoddam (sed "inusitatum" qvidem) Saxo Grammaticus manifeste docet (Hist. Dan. Lib. 8. pag. 164-166 ed. Stephan.); vid. *Útgardar* i. Prolixe ibidem enarrantur itinera illius Regis & Thorkilli Adalfari ad hyperboreas Gigantum & spectrorum oras, Lokii prædicti & Geruthi immanissimi (Eddæ junioris Geirrudi) horrida & tenebrosa habitacula, ubi ambo isti dæmones a Diis vincti describuntur. Ens qvoddam

*) Vid. artice. *Fenrir* s. & *Van* i.

**) *Nara* oc *Ala*. *Ali* supra (in juniore Edda) *Vali* fuerat appellatus.

***) Hæc appellatio obscuritate aliqva laborat. Dici potest Lokius Odini frater juratus (ut supra monstravimus) sed præterea etiam verus ipsius frater sensu magis abscondito, si idem ille habendus sit cum ignis genio, uno Boris filiorum, qvi olim *Lódur* vel *Ve* nominatus fuerat. Sic igitur Lokius Odini frater, Asarum patruus simul rite vocari potest. Alioqvin Lokius Utgardensis & qvivis gigas Odini & Asarum cognatus vel consangvineus sensu latiore fuere, cum Belsta, huius mater, e giganteo orta foret genere. Cfr. *Jötun* s.

****) Hæc denominatio notis caret argumentis, qvamvis alludere videatur ad os fractum alterius Thori capri, ut docet Hymisqvida str. 37:

Non diu erant profecti
Anteqvam jaceret
Hircus Thori (alter)
Semimortuus ante currum,
Erat vitabundus temonis
Claudicans (uno) pede [vel etiam: in habena],
Hic vero fraudum gnarus
Lokius in causa fuit.

Ampla Eddæ junioris relatio perhibet (pag. 49) Thialfium os femorale capri fregisse (cujus eventi præsens Lokius, malorum fere omnium primus auctor, ut in poëmate illo discimus, habitus fuit).

*****) Vide artic. *Brisingamen* s. de Heimdallo & *Ægis Dr.* 48-53 de isto & Skadea cum Lokio altercantibus.

dæmoniacum & pesſimæ qvidem indolis, in poëmate Anglo-Saxonico de Scyldingis a Thorkelino edito, *Grendel* vocatur, qvod celeberrimus editor ingeniose conjecit meram esſe translationem vocabuli Islandici sive veteris borealis *Loka* (obex, repagulum) qvæ vox tamen consona est genit. dat. & acc. nominis Loki. Certe Grendel iste a poëta describitur ut Deorum & hominum giganteus hostis, Lokio nostro ideo non absimilis. Hæc omnia alio loco uberius exposuimus*).

Lokium omnium malorum auctorem olim habitum fuisse ê prædictis satis illucescet; eum igitur qvodam modo atavi nostri æstimasse videntur ut Christiani Diabolum. Lokius se sub duabus manifestavit personis, uti diabolus medio ævo a Christianis in duas similiter divisus fuit, Satanem nimirum & Belialem vel Luciferum. Hic etiam olim in angelorum uti Lokius ex Asarum sive Divorum numero fuerat. Non igitur mirum, qvod recentiores Scandinavi Christianorum diabolum pro Lokio illo ceperint. Hoc revera ita evenit ut a) in Islandia, ubi phrases multæ perantiqvis de Lokio fabulis, suam debent originem. Sic e. gr. *Loka lýgi* mera denotat mendacia; *Loka daun* Lokianus odor, de halitu sulphureo sive vulcanio (qvasi ex inferis erumpente); *Lokabrenna* (incendium Lokianum) de Sirio sive caniculari stella, qvæ a pluribus antiqvitatis gentibus finale mundi exitium annuntiare sive adferre putabatur**). Phrases aliæ ad Lokii igneam alludunt naturam, ut hæc seqventes: *Loki fer yfir akra* de flammâ agros vel campos vastante; *Loka spænir* ramenta ligni, flammis apta sive destinata p. p. ***). Qvod notissimum ipsius cognomen *hinn lœvísi*, eandem originitus sapisset originem, minime prorsus erit denegandum. b) In Norvegia, ubi Diabolus vulgo adhuc sonat *Loke, Laake* (orthographico Danorum usu, Svecico autem *Låke*) ****). c) In Dania: Jutiæ borealis incolæ pessimum qvoddam lolii genus, non solum hominibus, sed etiam feris & pecoribus exosum (polytrichum commune Linnæi) nuncupant *Lokkens Havre* (ut me amice edocuit celeberrimus noster botanicus & veterum Fœroensium carminum editor *Sev. Lyngbye*), unde phrasis ipsis familiaris: *Nu saaer Locken sin Havre* o: jam Lokius suam avenam serit. Nota est parabola christiana de Dia-

*) *Eddalæren og dens Oprindelse* III, 134-148, 166-171, 303-304, cfr. 316-319. Cfr. *Pôema de Scyldingis;* ed. *Thorkel.* p. 260-261. Aegyptiorum fabulæ de Typhone, Persarum de Arimane &c. magis notæ sunt.

**) Cfr. *Eddalæren* III, 225-227, 239-240.

***) Cfr. Eddæ huius vers. Dan. II, 273-280 ubi totam Lokii indolem demonstrare conati sumus, ut et *S. Thorlacii Ant. bor. obs. misc.* VII, 42, ac ipsius disqvisitionem de *Thoro et ejus malleo* in scriptis Societ. lit. Scand. 1802 pag. 61 & sq.

****) *Ström Beskriv. over Söndmör* T. I. (in dictionario); *Wille Beskr. over Sillejords Præstegjeld i övre Tellemarken* pag. 251; *Hallager norske Ordbog* (1802) pag. 68 *(Laake)* & 71 *(Loke)*; *Dansk Ordb. udg. af Vidensk. Selsk.* III, (L) 2, 192.

bolo lolium in agro triticeo serente *). Ad Lokii mendacia sive fictiones spectare videtur phrasis altera: *at höre paa Lockens Eventyr* (Lokii fabulis auscultare) **). d) In Svecia loca qvædam adhuc mythicum Lokii nomen prodere videntur e. gr. *Lokakälla* (fons celeberrimus), *Lokehall* in Vestro-Gothia & pl. In Scandinavorum cantilenis, qvæ medio ævo originem debent, variis celebratur Lokius nominibus & cognominibus, ut α) Dan. *Lokke Lejemand* ɔ: *Legemand*), joculator vel musicus) β) Norveg. *Loke Lagenson* (*Lafeson* ɔ: *Laufejarson?*) γ) Svec. *Lokke Löye* (joculator, comicus) vel etiam *Lewe* (*levisi*, *lævisi* eddicum ?) ***). An in Finnorum *Lekkio* (mali dæmonis appellatione) Lokii nostri nomen lateat, non distincte statuere audemus****). Cfr. *Loki*, *Loptr* i.

Loki (claudens, finem imponens) dæmon qvidam sive genius, allegoricæ et physico-eroticæ qvidem, ut videtur, fictioni adscribendus — "subdolus Alfus" appellatus *Fsv. M.* 41. Cfr. *Loki* s. *Loptr* i.

Lóni (stagna inhabitans sive aqvis stagnantibus præsidens) unus Dvergorum sive Alforum *VSpá* 12. De etymo vide vocem *Linn* (*Lón* & pl.) in Gl. T. II.

Loptr, *Loptur* (se elevans, in aëra ascendens vel in aëre habitans aut circumiens) idem ac *Asa-Loki* de qvo nuper satis egimus; sic vero ita nominatur Lokius: *Hr. G.* 9; *ÆG. dr.* 6, 19, (ubi priori loco ipse sibi hoc nomen imponit) *Fiölsv. M.* 27 (ut spiculi magici, infra inferni portas sive muros — *Nástrandir* nempe — fabricator). Lokium insuper ita appellat Eilifus Gudrunides in Thorsdrapæ initio (Skalda pag. 115):

Driúgr var Loptr at liúga
Lögseims fadir heiman.

ɔ: Loptus, marini serpentis pater*****) validis suis mendaciis effecit &c.

Etymon qværendum est in voce *Lopt*, *Loft* aër, de qva consulatur Gloss. T. I & II. Adaptata hæcce denominatio olim verisimiliter fuit igni sive flammæ, aëra petenti, vel etiam ignitis meteoris in aëre apparentibus, qvæ Deorum aut dæmonum cætui, a plurimis antiqvitatis populis, variis modis annumerari vel adscribi solebant †). Cfr. *Loki* s.

*) Cfr. *Almindelig Dansk Ordbog (udg. af Videnskr. Selsk.)* III, (L) 2. — ubi *Lokes Havre* vertitur avena fatua, inter lolia similiter numeranda; vid. Floram Dan. Tab. 1629.

**) *Peder Syvs gamle Danske Ordsprog* II, 72.

***) Vid. *den ældre Edda* II, 94-100.

****) Qvod planeta Saturnus gentilibus Scandinavis sonuerit *Logi* vel *Loki*, & qvod Saturni dies (jam Islandis *Laugardagr* &c.) ipsi sacrata fuerit, alibi conjecimus; vid. *den ældre Edda* I, 138-139, II, 317.

*****) Non *auri partor*, ut primum vertit doctiss. *S. Thorlacius Ant. bor. obs. misc.* VII, 17 — rectiorem vocabulorum sensum is in Danica sua versione reddidit. Cfr. pag. 51-52.

†) "Uliginosum & sulphureum foetorem, qvem fulgetra, ignes fatui & aliæ faces igneæ in aër relinqvunt, *Loka daun* (Lokii odorem) vocari in Islandia puer audivi; ejusmodi enim phae-

Loþinn, Lodinn (hirsutus, Dan. *lodden* sive *laaden*, Svec. *luden*) nomen gigantis cujusdam, olim habitantis in insula Norvegiæ borealis þ*ollei*, hodie *Dollsöe* H. I, 25. De etymo vocabuli consule Gl. T. II, v. *Lodi* *).

Lóþr vid. *Lódur.*

Læráþr (*Leradr*) arbor mythica super tectum Valhallæ crescens, e cujus ramis Heidruna capra & Eikthyrner cervus pabulum sibi carpunt *Gr. M.* 25, 26. Asſentit hisce Edda junior (pag. 43). Qvod arbor illa igitur æthereæ sit naturæ, minime erit denegandum; hoc qvoqve nominis significatione probatur, nam *Læ, Lé, Hlé* interdum notat aërem qvietisſimum (hic ætherem) & vocabulum *Læráþr* sive *Læradr* ens aliqvod (et hic qvidem arborem) qvod istum producit aut efficit. Est forte igitur pars summa Ygdrasilli sive arboris mundanæ **). De etymo vocis consule Gl. T. I. sed potius tamen aliam, nempe *Hlébarþr*, in eodem glosſario — nec non T. II in vocabulis *Rád, Ráda.* Cfr. *Eikþyrnir, Heidrún* s.

M.

Magni (ɔ: fortis, validus, potens); filius Thori, *Harb. L.* 8, 51. Post extinctionem incendii Surtiani (in novo mundo) cum fratre Modio Miolnerem (fulminantem patris malleum) obtinebit & bellis finem faciet *Vaſþr. M.* 51. Asſentit hisce Edda junior (pag. 76). Dicitur in Skalda (pag. 110) filius fuiſſe Thori & Jarnsaxæ, ac patri suo post ejus cum Hrungnere gigante certamen, maximi momenti levamen præstitisſe. Vid. *Hrúngnir* s. Derivatur a voce *Magn* (vis, robur, potestas) de qvo Glosſ. T. II; (cognatum est Latinorum *magnus* & permulta alia veterrimarum lingvarum).

Mánagarmr vid. *Garmr, Fenrir, Hati.*

Máni (Lunus, nostratibus ipsa Luna) filius Mundilfari, & frater Solis (solaris Divæ) — qvæ qvotidie coelum circumibunt, hominibus in anni computum. *Vaſþr. M.* 22, 23. cfr. S. II *α*, 23. In prima mundi nostri creatione Luna non scivit, qvam mansionem (sive qvantas vires) haberet, sed Sol (coelestem suum currum agens)

---

nomena ignea, sulphureæ plerumqve materiæ et odoris, ignes divinos opinabantur veteres, unde θειον sulphuri nomen. Qvin et voces *leyptr* & *leyptring*, coruscatio a *Loptr*, qvod alterum Lokii nomen, haud absurde qvis dixerit;" *S. Thorlacius* l. c. VII, 44 — & amplius pag. 48. "Lokius dictus est Loptus i. e. *aëreus* sive *aërivagus:* — — — Ab isthoc profectum est proprium viri nomen *Loft*, qvod in Dania hodieqve in usu." Correspondet igitur alii in Islandia usitato *Loptr* s. *Loftr* (nam vox *Lopt* vel *Loft* iisdem modis ambigue scribitur).

*) A voce Isl. *Lod* (Dan. *Laad*, Svec. *Ludd*, C. Brit. *Lwydni* &c.) derivandum porro est nomen allegoricum juvenis discipuli *Lodfafnir (Loddfafnir)* in carmine *Hávamál* occurrens i. e. qvi prima jam præditur (barbæ) lanugine.

**) Vid. repræsentationem nostram mythicæ veterum Scandinavorum cosmographiæ *(Oldnordisk Verdensbetragtning)* Tab. I, *(Verdenstræet Ygdrasill).*

ejus socius sive comes (in itinere) vocatur *VSpá* 5. In iris atrocibus luna est invocanda *Háva M.* 140. Luna vocatur ab hominibus *Máni*, inter Deos *Mýlinn* (sive *Mylinn*) in Helheimo (orco vel Erebo) *hverfanda hvel* (gyrans orbis), â Jotnis vel gigantibus *Scyndir*, *Skyndir* (festinans) a Dvergis *Scin*, *Skin* (splendor) ab Alfis *Ártali* (anni calculator) *Alvis M.* 14*). Videtur vocari oreadum (sive gigantum aut malorum dæmonum) sol *Sól. L.* 41.

Edda junior (pag. 12) hanc de Luno (sive luna) relationem continet: "Viro cuidam *Mundilfari* dicto, duo erant liberi, adeo nitidi, pulchri et venusti, ut filium suum nuncuparet *Máni* (Lunum) sed filiam *Sól* (solem sive solarem divam) qvæ nuptum data fuit viro, qvi *Glenur* appellatur. Ast Dii nimiæ huic arrogantiæ irascentes, puerum cum sorore abstulerunt, atqve in coelo collocarunt. Solem eqvos agitare fecerunt qvi currum (veri) solis traherent, qvem dii ê candente ea masfa, qvæ e mundo Muspelliano evolaverat, creaverant. — — — Manius (Lunus) autem cursum lunæ eiusqve novilunia & silentia dirigit. Hic dnos puellos e terra ad se recepit, qvi nominantur *Bil* (f. & *Hviki* (sive *Hjúki* m.) dum e fonte qvodam *Byrgir* dicto discederent, et portarent in axillis hydriam **) qvæ *Sægr* appellatur pertica verò *Símöl* (sive *Simul*). Pater horum erat Vidfinnus (*Vidfinnr*)***). Hi autem (ejus) liberi lunam comitantur, ut ê terra conspicî potest."

*) Has Skalda enumerat lunæ poëticas appellationes: *Máni* (luna vel Lunus); *Ný* novilunium, *Nid* interlunium; *Ártali* (v. s); *Mulinn (Mylinn)*; *Fengari* (capturam — ferarum vel piscium — indulgens?); *Glámr* (glaucomate laborans sive istud efficiens); *Skyndir* (festinator); *Skiálgr* (obliqvatus); *Skrámr* (facie albicante & osfuosa præditus). Cfr. porro vers. Dan. II, 30-31. Bardis Caledonicis (ut etiam Arabibus, Indis & pluribus) lunæ numen vel genius masculini generis habetur, dictus noctis splendidus princeps &c.

**) Sive vas amplum & magnæ capacitatis.

***) *Bil* vulgo notat interstitium sed verbum *bila* subigere, frangere; *bilaz* deficere, succumbere; *Hviki* poni videtur pro *Viki*, cedens, discedens (cognatum notisfimo *Vika* hebdomas, temporis itidem spatium denotanti). Si autem (e qvorundam pronunciatione) legamus *Qviki* vox ipsa manifeste notat primam (sive dimidiam) lunæ qvadraturam. *Hjúki* qvoqve significaret fovenem, nutrientem, diligenter curantem (a verbo *hjúka*, qvæ denominato eidem rei conveniret). Hinc suspicor personas illas allegoricas spectare ad ambas phases sive facies lunæ dimidiatæ, apud nos visibiles. Fons *Byrgir* (abscondens sive occultans) abyssum (in qvo etiam oceani primitivus fons) forsitan significat sed hydria illa *Sægr (Sægur)* maris verum inter veteres poetas nomen gestavit. (Vid. e. gr. *Skálda* p. 187). Hæc igitur ad æqvoris fluxum et refluxum alludere non est improbabile. Ipse Oceanus postremo vocatur *Vidfinnr* i. e. vastitiei aut vastitatis inventor, sive etiam gigas *(AEgir)* vastis regionibus imperans. Cfr. ingeniosas lucubrationes celeberrimi Graeteri circa res hasce, in scripto periodico *Bragur* inscripto VII, 11 & sq. Alii parelios lunæ sub mythicis illis nominibus latere sunt suspicati, sed illos veteres verisimiliter habebant pro lupis lunam perseqventibus. Tertiam sententiam adhuc fovent plebeji Svecici, qvi veterrima illa traditione persvasi, duos homines, hydriam sive

De lupis (sive lupinis monstris) lunam perseqventibus & lupo altero eam aliqvando devoraturo, cfr. *Mána-Garmr, Garmr, Hati, Fenrir.* Diem lunæ, sub nomine *Mánadagr* (Dan. *Mandag*, Svec. *Måndag*, Germ. *Mondtag*, Angl. *Monday*, &c.) veteris Scandinavi isti sive Luno suo attribuerunt. Nomen sive vocabulum primitivum plurimis Europæ et Asiæ lingvis ac relligionibus antiqvitus commune habetur. Sic nostrum *Máni* Dan. *Maane*, Svec. *Måne*, Germ. *Mond*, vet. Alaman. *Mano*, Belg. *Mane*, Angl. *Moon*, Scot. *Mone*, ASax. *Mona*, MGoth. *Mena*, Lapp. *Manne*, Lith. *Mienu*, Gr. *μήνη*, Dor. *μανα*, Pers. *Mah*, *Mai*, *Mank*, Cauc. Osset. *Mai*, Chuns. *Moots*, Avar. *Maz*, Indo-Sanscrit. *Masi**). *Menos* Deus Persicæ originis Cappadocicus (& plures similis nominis) Lunum repræsentavit — ut cætera huc pertinentia taceamus. Cfr. Glosſ. T. II; *Freya* s. *Týr* i.

Mannheimr (in pl. *Mannheimar*) hominum mundus dicitur terra habitata *Hr. G.* 24 (alias sæpe *Midgardr*). Compositum manifeste est a *Madr*, *Maþr* (*Mannr*, *Mannur*) unde mythicus veterum Germanorum *Mannus* & forte etiam Indorum *Manu* ac plures talii primarii homines vel principes) homo, & *Heimr* mundus, regio, habitaculum. Vide Gl. I. T. & II (ubi illam præciptie vocem in plurimis ac antiqvisſimis Europæ & Asia lingvis variis modis repериri monstravimus)**). Nomen *Mannheimar* Sveci (sive Gothi) veteres, ex Asiâ huc transmigratri, propriis habitaculis imposuisſe feruntur (*Yngl. S.* Cap. 9). Se enim revera veros dicebant homines sed Finnos aut Lappones gigantes (vel eorum filios) appellarunt; cfr. *Jötun*, *Jötunheimar* s. — Novum jam in Svecia Mannheimum institui, ab hominibus priscam Gothorum simplicitatem adamantibus & exercere cupientibus, ephemerides publicæ nos edocent.

Mavgþrasir vid. *Mögþrasir.*

Meili frater Thori *Harb. L.* 8. Nominatur qvoqve in Skálda (pag. 211) inter Odini filios & in carmine vetustisſimo *Haustlaung* (pag. 111, 120). De ejus indole vel facinoribus nos nihil amplius novimus.

Menglöd (*Menglavd*) o: monili aut monilibus gavisa, lætata sive pollens, sponsa Svipdagi, qvæ ipsum tandem advenam post

---

vas amplisſimum in pertica pendens una ferentes, in maculis lunæ spectare opinantur. (Vid. *Dalin Svearikes Historia* I, 158. *Ling Eddornas Sinnebildslära* I, 78). Nomina novilunii & interlunii Dvergis sive Alfis duobus aperte imponuntur in vaticinio Valæ. Vid. *Nýi*, *Nidi* i. — Fons *Byrgir* præterea vi vocis ejusdem est naturæ et significationis ac fons ille maris in qvo sol sive Odini aut coeli oculus qvâvis nocte absconditur.

*) Nihilominus etymon naturale vocis *Máni* in vetere nostratium (et Islandis adhuc usitato) idiomate inveniri videtur, verbum nimirum *má (mái)* terere, atterere, delere — ut lunæ qvovis mense apparenter fieri solet. Occurrit vocula illa *Gr. M.* 34. Cfr. AS. *mavan*, Scot. *maw* &c.

**) Cfr. *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 75-78, 86. III, 285-286 & delineationes nostras mythico-cosmographicas, Tab. 2. (novem nostratium mundos repræsentantem).

longam in itinere absentiam læta recognovit *Fiölsv. M.* 43-51. Vide *Fiölsviþr* s. *Svipdagr* i.

Menia (soror Feniæ) altera earum robustissimarum oreadum (sive ancillarum gigantei generis) qvas in Svecia emerat Rex Daniæ Frodius (sive Frotho) pacificus, ut aurum ipsi adsiduo in saxis molaribus ingentis magnitudinis molerent (sive molendo acqvirerent). Hinc denominatio auri *Menio neit* (intrimenta Meniæ) S. III, 40 (obs. 58) & alia notisſima *Fróda miöl* ſarina Frodii (sive Frothonis) conveniens fabulæ, a Saxone Hist. Dan. Lib. 2. memoratæ, de Frothone Daniæ Rege aureo pulvere cibum suum miscente vel superadspergente. Sororum illarum molaris cantio adhuc existit, sub nomine *Grótta-saungr* vulgo celebrata. (Videatur Skálda pag. 146-150) *). Ejus tandem magica virtute effecerunt, qvod noctu adveniret Mysingus piratarum regulus, qvi Frodium occidit & ancillas illas cum reliqva prædâ abegit. Pirata oreades deinde coëgit ut noctu dieqve sal molâ tererent, dum naves Mysingi in mari submergerentur; sed in loco isto vorago in Oceano existit, ubi mare per foramen molare molæ illaberetur; hinc etiam mare salsum factum est. Relationes veteres, certis exemplaribus Skaldæ insertæ, sed nondum impresſæ hoc in sinu vel freto Petlandiæ, hodie *Pentland Frith* (ad boreale Scotiæ latus) accidisſe referunt. Revera hæc fabula alludere videtur ad æstuantem oceanum, molæ adsimilatum, qvæ a tempestatibus mota arenam litoralem minutisſime conterit, ut observavit Amletus Danus (in Sax. Gram. hist. Dan. Lib. 3). Is Islandis dicitur Amlódi, et ob eandem causam mare veteribus Scandinaviæ poetis audiebat illa mola, in qva novem Oceani nymphæ (Aegeris & Ranæ ſiliæ) olim litoralem arenam Amlodo (sive Amleto) moluerant; vid. cantilenam Snæbiorni (Skalda l. c. pag. 126) qvam etiam ingeniosisſimus Grundtvigius in similem modum explicavit. Cfr. *Harb. L.* 17, ubi giganteæ mulieres (i. e. undæ et tempestates, AEgeris gnatæ) in insula qvâdam ex arena ſunem nexuere (cfr. *Algrön*, *Jötun* s.) et e profunda valle solum suffodere. Ideæ vel metaphoræ similes plebi Siælandicæ innotuerunt vel usitatæ fuerunt, ad dies usqve cl. Sorterupii, qvi de iis ita refert in manuscripto sæpius laudato: "Nec adhuc marino ita motu detractum molendi nomen deprehendimus, qvin a nostratibus hodieqve agricultoribus usurpetur. Illi enim, ubi sudo tranqvilloqve coelo, sive mane sive vesperi, murmurantes audiverint Oceani undas solito altius personare, augurio non vano brevi orituram tempestatem ominantur, dicentes: *Vi faae snart Uvæir; det maler saa i Havet* o: tempestas imminet, qvia intensiore sono

*) Edidit istam insuper vir doctisſ. b. Sculo Thorlacius ut suarum Observ. ant. bor. Spec. 5, sed omnia fere hujus opusculi exemplaria incendio fatali sunt consumta.

molit oceanus — nec certe diffiteri posſumus illud marinum molarium lapidnm, præsertim versatilium (cum fortiore manu circumgyrantur) ita mentiri sonum, ut alterum ab altero difficulter discernas". Vocabulum *Malström*, de vortice marino naves attrahente & contundente usitatum, his ideis suam originem debere videtur. Fabulam Græcorum de Actoridibus & Molionidibus celeb. Creuzerus simili modo interpretatus est, pugnam vel fremitum maris aut fluctuum cum litore eas designare opinans *). Nomen Menia deducendum esſe videtur a τω *Men* annulus (aurum) sed mare poëtis vetustis audiit annulus sive circulus terræ (ɔ: terram cingens) &c. Vid. Gl. T. I & II.

Midgardr &c. vid. *Miþ*.

Mimameiþr (Mimii sive Mimeris arbor) — arbor qvædam, fictæ ut videtur & allegoricæ qvidem naturæ *Fiölsv. M.* 20-25, cfr. 26 & sq. Verterunt interpretes: "æmulationis arbor" nescimus autem qvibus rationibus adducti. Cfr. versionem Dan. III, 42-43, 51-52, 60-61) **).

Mimir (*Mimer*, interdum qvoqve, ut videtur, *Mimr*) dæmon inter nostrates olim celeberrimus. In puro (sive celebri) ipsius fonte abscondit Odinus alterum suum oculum, e qvo sphærici patris pignore qvolibet mane Mimer mulsum haurit *VSpá* 26. Delitescit sapientia (rerum futurarum notitia) in limpido Mimeris fonte *Hr. G.* 5. Mulsum Mimeris (e mea interpretatione) bibitur in Vingolfo, Deorum ac Dearum palatio *Hr. G.* 19. Mimi sive Mimeris filii (gigantes, ut videntur) ludent (sive salient) ad sonoram Giallæ tubam, in ultimo Ygdrasilli & mundi incendio *VSpá* 62. Hropto (sive Odino) sapiens Mimeris (hic, ut puto *Imeris* sive Ymeris) caput prima & vera edidit oracula B. I, 14-19. Id etiam Odinus, mundi interitu appropinqvante, est allocuturus sive consultaturus *VSpá* 62.

Edda junior in descriptione Ygdrasilli (pag. 17) ita de Mimere agit: "Sub ea radice, qvæ ad gigantes pruinosos vergit, fons est Mimerianus, in qvo sapientia & ratio sunt reconditæ. Hujus fontis posſessor Mimer de cornu Gialleo qvovis mane bibit. Illuc omnipater (Odinus) aliqvando veniens unum tantum haustum ex fonte expetebat, qvem tamen, nisi prius altero oculo oppignorato, conseqvi non potuit." Et sic qvoqve de Deorum crepusculo (pag. 72): "Surget in pedes Heimdallus et Gjalleum suum cornu vehementer inflans omnes Deos excitat, qvi conventum statim agunt. Tum Odinus ad fontem Mimeris eqvitat atqve consilium pro semet et suo comitatu expetit & accipit. Hoc ipso tempore fraxinus Ygdrasillus titubat" &c.

Mimeris nomen, variis præfixis voculis sæpisſime auctum, Skaldæ & priscis poëtis designavit ens aliqvid Titanium, Coe-

*) *Symbol. und Mythol.* Ed. 2. II, 389. *Briefe über Homer und Hesiod* p. 109 & sq.
**) Videatur porro *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 151.

lum vel Oceanum repræsentans, — sic enim:

1. Coelus (sive coelum) vocatur:
   a) *Hregg-Mímir* o: procellas emittens
   b) *Vet-Mímir* udoris (sive pluviæ) largitor.
   c) *Hodd-Mímir* (circularis dæmon) — de qvo supra suo loco egimus (cfr. *Hodd-drcpnir, Heid-dropnir, Baug-reginn).*
   d) *Hríng-Mímir*, ejusdem notionis. *)

Cum Odinus ipse veterrimis temporibus Coelum (ac coeli numen) habitus fuerit, ei interdum Mimeris nomen contigit, ut et alia præfixis voculis aucta e. gr. *Vidr-Mímir* (*Vedur-M.*) ejusdem significationis ac notisfimum illud *Vidrir* i. e. tempestatis dator sive director.

2. Oceanus qvoqve appellatur:
   a) Sine ullo additamento *Mímir*, e. gr. in versu antiqvo: *strauma-mót oc Mímis;* sic etiam fluctus asperrimi in carmine Thorsdrapa nominari videntur *Mímis eckiur* (Mimeris mulieres sive viduæ).
   b) *Söck-Mímir* (abysfi sive profundi dæmon) de qvo infra suo loco disqviremus.

Auctor Ynglingorum historiæ fabulas mythicas de Mimere ac ipsius capite, historice referre et enodare tentavit; — veram e contrario earum significationem aliis locis explicare periclitati sumus, qvæ omnia hic non repetere vacabit. **) Cfr. *Hodd-Mímir, Söck-Mímir.*

Mist (Mista) Valkyriarum una, sed altera earum, qvæ Odino cornu potatorium adferre sive propinare solent *Gr. M.* 36. Vocem ipsam opinor eandem esfe ac recentiorem Islandorum *Mistr, Mistur* caligo aëris (Anglo-Sax. & Angl. *Mist).* Valkyriæ insuper per aëra volitare & qvasi velificare solebant. Hinc duplex origo poëticæ aëris denominationis *Mistar marr* (Mistæ sive calliginis mare) H. II, 43. Cfr. *Hrist* s.

Mistilteinn, proprie: visci tenus sive surculus, — nomen spiculi illius qvo Balderus Deus dolose cæsus occubuit. Describitur ut tener & speciosus surculus,

*) Videatur e. gr. *Skálda* l. c. pag. 177, 209, 222.

**) Demonstravimus nempe Mimeris fontem esfe maris septentrionalem scaturiginem & interdum oceanum ipsum, in cujus euroboreali regione sol qvovis mane primum recondi sed deinde exoriri videtur, ob qvam causam finxerunt istum Odini vel (in phraseologia universali) Coeli oculum Mimeri sive Oceano oppignoratum fuisfe, ut is mulsum (auri instar rutilans, o: auroræ talem liqvorem) inde haurire qviverit, vide Translat. hujus Eddæ Danicam IV, 260, *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 122 & sq. 232 & sq. 262 & sq. Fontem Byrgerem (o: occulentem &c.) in qvo luna certis temporibus absconditur, ejusdem esfe naturæ, monstravimus supra ad art. *Máni.* — Sic qvoqve Luna Euripidi dicitur *Noctis obscuræ oculus.* De nomine ipso varias illic proposuimus conjecturas pag. 242-245, 265, cfr. Glosfarium hujus operis I, 625. Cum Mimer e plurimorum opinione Titanibus fuisfet annumerandus, gigas qvivis ejus nomine olim poëtice designari potuit.

campo (vix) altius excrescens sed deinde ab Hoedo (sive Hoeduro) deplorando ictu ejaculatus *VSpá* 29-30. Dicitur Hödus inclytum illum ac altum ramum *(hródr-badm,* minime autem *barma* o: frátrem) Baldero lethalem portare *Vegt. Qv.* 14.*) Nomen *Mistilteinn* convenire videtur Dan. & Svec. *Mistel*, *Mistelten* Germ. *Mistel*, Angl. *Mistletoe*, *Missletoe*, **) viscum (album Linn.) cuius maxima apud Druidas, Persas & Masſagetas reverentia & inclytisſima olim ut morborum variorum medicaminis fama neminem eruditum latent. Hujus superstitionis non perpaucæ reliqviæ hodiedum inveniuntur apud plebem Danicam, Germanicam & Scoticam. De Svecis sui ævi Rudbeckius hæc refert: "Nihil autem notius qvam id genus arboris (viscum qvernum) adhuc dum locum in veneficiis habere atqve incantamentis, ac præterea usui esſe." (Atlant. II, 236). De visci superstitioso cultu in Cambria, Anglia & parva Britannia Galliæ circa brumale anni tempus & pl. vide doctisſ. Gejeri *Svea Rikes Häfdar* I, 330 & sq. p. 9, 10, 45, 61. Varias de Balderianæ illius fabulæ significatione conjecturas aliis locis adtulimus ***). Cfr. *Baldur*, *Hævateinn* s.

*) Nomen *Mistilteinn*, sine dubio ob famosſisſimum illud facinus, a spiculo cognomine perpetratum, inditum fuit pluribus heroum borealium gladiis, qvorum unus in historia Hervoriana celebratur.

**) Nominatur in Vestro-Gothia Sveciæ *Ve-Spelt* (i. e. ut nos opinamur, sacrum sive sacri ignis planta aut frutex); vulgus porro id, in ædibus suspensum, incendia ab iis averruncare putat. *Linn. V. Götha Resa* p. 31.

***) *Den ældre Edda* I, 62-63, II, 230. Viscum inter plantas qvæ parasitæ dicuntur pro præcipua habetur. Ei asſimilari potest cometa, virgæ forma præditus, maximæ mundanæ arbori Ygdrasillo qvasi fortuito insitus. Cometæ omnium ætatum & terrarum populis terrorem semper injecere superstitiosum. Recens viscum ultima Junii triente (circa solstitium æstivum) germinare solet; hinc forte superstitio de cometâ, tunc viso, ut maxime calamitoso. — Ipsum *Frigga*, ab omnibus entibus juramenta exigens ne Baldero nocerent, cernere non potuerat; is igitur postea, Lokii, abysſi progeniei, fraudibus, ab Hœdo, tenebrarum coelestium dæmone, ejaculatus, Balderi, lucidisſimi ac jucundisſimi vernalis temporis genii, deplorandam cædem effecit. Qvidam mythum hunc proprie de qvovis anno valentem, aureæ ac priscæ mundi ætati et ipsius calamitoso fini olim adplicasſe videntur. — Ipsas insuper nocturnas vel hyemales tenebras (circa tempus illud ad terram revertentes) proavi nostri cum virga sive spina comparabant (l. c. II, 223, 235, 262). Minime igitur reticendam duximus ingeniosisſimum Olai Rudbeckii in Balderianam fabulam commentarium (Atlant. II, 236) qvum idem iste adoptasſet interpretandi principium, his (inter alia) suas exprimens opiniones: "Verum occasum solis brumalem hac fabulâ adumbratum voluerunt, alia multa in naturæ cursu viribusqve fundamentum habentia illi adjicientes." — — Demonstrat deinde omnia vegetabilia brumali tempore qviescere & qvasi moerere (ê promisſo Friggæ præstito) visco illo excepto, qvod tunc (ex qverca intrinsecus putrefacta exiens) neqve truncum, neqve frondes, neqve fructus qvercinis similes accipit. — Supervenerat huic frutici ingenium poëtarum, qvi germinantem videntes mediâ bruma, qvo tempore ob frigus intensisſimum alia omnia torpent, per illum bru-

Miþgardr (Midgardr) ɔ: media regio, urbs sive vallum — mythicum terræ, vel mundi humani ac interdum etiam aëris eum cingentis nomen. Sic e. gr. designat:

a) mundum nostrum *VSpá* 4;

b) terram ab humano genere inhabitatam *Hr. G.* 13, cfr. Edda jun. pag. 13;

c) vallum (sive intervallum), humanum mundum a divino (ɔ: æthere) separans, aërem nempe sive terræ atmosphæram qvam Thorus suo fulminante malleo gigantes coërcens strenuisſime defendit. *Gr. M.* 40. *Harb. L.* 22. *Hyndl. L.* 10, 15, cfr. Edda jun. p. 9, 10. Plur. num. *midir gardar* Þr. *Qv.* 9. Hinc Thorus dicitur *Midgards veorr* ɔ: Midgardi defensor *(verr)* vel numen *(veorr, veor* in plur. *vear) VSpá* 50.

Mundum nostrum corruptibilem veteres tripartitâ distingvebant divisione & duplice qvidem ratione; sic nimirum:

A. 1) Fuit iis *Ásgardr* idem ac *Godheimr* aut *Godheimar* (primario sensu) coelum æthereum sive astrale.

2) *Midgardr* terra nostra cum atmosphæra aërea istam circundante — alias *Mannheimr* aut *Mannheimar* (hominum mundus sive habitacula) dicta.

3) *Útgardar* hemisphærium inferius cum oris montanis exterioribus oceani, â giganteis dæmonibus ac monstris inhabitatis.

---

mam viresqve ejus optime adumbrari posſe crediderunt. Qvamqvam enim pinus, abies et juniperus in his locis perpetuo virescant, nulla tamen per hyemem incrementa capiunt." Cfr. Virgil. Aeneid. VI, 205 & sq.

Qvale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere novâ, qvod non sua seminat arbos,
Et *croceo* fetu teretes circumdare trunco;
Talis erat species *auri frondentis* opacâ
Ilice, sic leni crepitabat bractea vento

Ex hac vatis Romani descriptione, cum Jougio nostro, rite conjicere posſumus, qvod miraculosus ille ramus, qvi Aeneæ viam ad inferos, aliis vivis prohibitam, aperuit, nil aliud fuerit qvam ipsisſimum viscum, poeticâ luxuriâ glorificatum — et frutex simul ille qvi Balderi ad inferos migrationem effecit; (cfr. scriptum laudatum: *Den Nord-Sjællandske Almues Karakteristik* pag. 246). Persas veteres mythos habuisſe de tendiculâ, *Mistilteino* nostro persimili, monstrat celeberrimum Ferdusii poema in ejus relatione de Asfeudiare, principum excellentisſimo, Iranii populi spê et delectamento. Hic juvenis heros, Baldero nostro alioqvin simillimus, Deorum clementiâ id obtinuit, qvod corpus ejus armis omnis generis illæsibile fieret, excepto ramo qvodam arboris ad extremas oceani oras siitæ. Hoc mysterium peſſimi Desthanis (hic Lokio convenientis) consiliis & operâ fuit exploratum, ramus ille fatalis noctu ablatus ac ignis ope ita induratus, ut spiculum evaserit lethali violentiâ instructum. Sic cecidit populi Perso-Medico Balderus, ab amicis cum *obscurato Sole* comparatus & a cognatis & regni magnatibus accerbisſimo luctu deploratus, sed ipsius occisor, Hoedo igitur tali fato aſſimilandus, junioris fratris facinore occubuit. *(Schah Nameh, verdeutscht von Görres* II, 324, 327 sq.)

Vel etiam:

B. 1) Asgardia, sensu mythico-historico-geographico, dicebatur centralis telluris regio, cum monte primitivo Divorum (Caucaso utroqve) qvo cæla terris ê veterum opinione jungebantur, et in cujus vicinia humana eorum soboles primas sedes fixit, inde posterius in reliqvas terræ regiones, præcipue nostrum septentrionem, egressa.

2) Midgardia, zona sive regio orbis terrestris media ac temperata, Asgardiam circumdans, â veris hominibus (Caucasiæ stirpis) culta.

3) Utgardi, extremæ oceani oræ, at humano generi propter nimium frigus vel æstum inhabitabiles, sed dæmonum giganteorum propria habitacula,

Hæc omnia multis alibi illustrare tentavimus *). Hinc terra vel media (ac habitabilis) eius pars Francis priscis audiit *Middangard, Mittingart* vel *Mittelgart;* Alemannis: *Mittingard, Mittungart;* Anglo-Saxonibus *Middangeard;* Moeso-Gothis *Midiungards* — qvæ omnia certo modo correspondere videntur Persico *Miancardun, Miangerdun vel Mijangardun* **). Cfr. *Ásgardr, Mannheimr s. Jötunheimr, Útgardar* i.

Miþgards-ormr (Midgardsormr) o: serpens mundanus sive mundum cingens; vide *Jörmungandr* s.

Miþvitnir (Midvitnir) dæmon qvidam sive mythicum monstrum, cujus celebrem qvendam gnatum Odinus solus occiderat, priusqvam hic apud Söck-Mimerem, annosum gigantem, aliqvando moraretur, suum tamen verum nomen occultans, sed Svidurum & Svidrerem se appellans *Gr. M.* 49. Mythus huc pertinens olim sine dubio vatibus gentilibus fuit notissimus, sed jam in cæterum oblivioni penitus traditus. *Midvitnir* transferendum esse videtur lupus aut draco medii sive mediterraneus, aut etiam mulsum producens vel producere callens — sed vagis hisce conjecturis inhærere nolumus. Cfr. *Miödvitnir, Sökkmímir* i.

Miödvitnir (Miöþvitnir) unus Dvergorum sive Alforum primitivorum *VSpá* 11. Sensus nominis esse videtur mulsum (vel medonem) producens sive producere callens. Fuit forte in Alforum cultu ab illius poti coctoribus vel amatoribus præcipue adoratus. Cfr. *Miþvitnir* s. Etyma videas in v. *Miödr* (Gl. T. I, & II,) ac *Vitnir* (Gl. T. I,).

Mjölnir, Mjöllnir (o: contundens vel comminuens) fulminans Thori malleus; qvem antrorsum vibrans gigantum ingentem catervam cecidit *Hym. Qv.* 36, *Þr. Qv.* 31, 32. Vocatur vehemens sive fortissimus *AEg. Dr.* 58 & Hrungneris occisor 64 Desiderat Thorus expergiscens Mjölne-

*) Vid. transl. huius Eddæ Dan. IV, 259 (et loca alia ibi citata); *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 300-345, III, 1-178. Veterrimæ nominis radices, lingvis præcipuis Europæ ac Asiæ communes, ibi disqvirumtur pag. 116-118.

**) Vid. *Othmar Frank de Persidis lingva & Genio* 1809 (ad vocem Germanicam *Gards*); *Edda-Læren* l. c. III, 119.

rum suum Þr. *Qv.* 1, furtim eo spoliatus 2, a Thrymo Thursorum (gigantum) domino, qvæ ipsum octo milliaribus subter tellure absconderat, sed pro nullo pretio, Freyâ sola excepta, istum alicui traditurus 8. Hoc Lokius Thoro refert 11. Asarum de Mjölnero repetendo concilium 14 & sq. Nisi Thorus eum recuperaret, gigantes Asgardiam forent occupaturi 18. Thori Freyæ vestibus induti cum Lokio ad id negotium gerendum, expeditio in Jotunheimos 19 & sq. Cum nova nupta consecranda esset, jussit Thrymus Mjolnerem super sponsæ genua collocare, ut ille & ea rite in conjugium initiarentur (qvasi nuptiali face) 29. Modius & Magnius, Thori filii, Surti flammâ (mundum vastante) exstincta, Miölnerem obtinebunt & bellis finem facient *Vaf*Þr. *M.* 51. (cfr. Edd. jun. pag. 76). In Edda juniore Mjolner describitur ut gigantum terror, propter permultas eorundem propatrum & cognatorum cædes perpetratas (p. 26); varia Thori ejus ope effecta facinora describuntur (p. 45, 109) ubi inter fulgura & tonitrua, per longum spatium contra Hrungnerem gigantem projectus, hujus cranium comminuendo contundit. Relatio Skaldæ (p. 131), de Dvergis præcipua Deorum cimelia fabricantibus, recitata est supra in articulo *Draupnir* — sed speciale ejus de Mjolnere membrum hic communicabimus: "Sindrius (vel Eitrius), Draupnero prius perfecto ferrum ustrinæ immisit & (fratrem) Brockum inflare jussit; alioqvin opus formandum totum inutile fore asserens, si sufflatio intermitteretur. Tunc musca illi inter oculos se immittens, palpebrarum limbos vellicavit; sed cum sangvis, adeo ut cernere neqviret, oculis illaberetur, manu, qvam cellerime potuit, interea dum follis desideret (vel demitteretur) muscam e facie removit, eodemqve momento aderat faber, dicens propemodum inutile factum id esse, qvod lacunæ transversæ et præliminari fornacis injecerat, ex qva tamen malleum extraxit. — — Lokius postea Thoro hunc obtulit malleum, dicens eum adeo validum esse, ut illi, qvantum vellet, validos ictus, pro lubitu, qvibusvis rebus inferre, integrum esset; nec malleum in feriendo cessaturum (seu inutilem fieri), id qvoqve addens, qvod si projiceretur, nunqvam a re ferienda aberraturum, vel unqvam adeo longe avolare, qvin manum jaculatoris iterum repeteret; hunc etiam, si ita placeret, adeo parvum fieri posse, ut interulæ involutus portabilis foret. Interea id vitii erat malleo, qvod anterior capuli pars plus justo nonnihil esset brevior. Sensum vero Asarum eo exstitit, malleum harum insignium rerum esse præstantissimum, & armorum genus defensorium contra gigantes pruinosos (frigora efficientes) validissimum" Memorat insuper Edda junior vivificantem Miölneris vim (pag. 49) in relatione de capris Thori vespere (apud Thialfii parentes) mactatis, coctis & victui adhibitis, — sed proximo mane Miolnere consecratis (qvum is a Thoro super ossa pel-

libus indita vibraretur) & sic in vitam ac priscam formam revocatis. Huc forte pertinet ritus iste exeqvialis (pag. 66) cum Thorus Balderi accensum rogum malleo illo consecraret, ut nempe suo tempore mortuus reviviscere deberet. Confer Eddæ antiqvioris supra memoratam narrationem de nuptiarum consecratione, Mjölneris (vivificantis) ope peracta *). De vetustisſima vocabuli radice consulas Gl.

*) Hinc mallei gentilibus Scandinavis, uti Christianis postea crucis signum, sacerrimum fuit; vid. e. gr. Saga *Hákonar góda* Cap. 18 (*Hkr* l. c. I, 143). Thorus contra gigantes & malos dæmones homines ac eorum qvoqve, post mortem, corpora & animas defendere creditus est. Nil igitur mirum qvod duplicis istius mallei signum (qvod posterius cum crucis sancta nota coaluit) in cippis sepulchralibus runicis inscriptionibus insignitos, exsculptum adhuc sæpe inveniatur (qvamvis plurima talia gentilis ævi monumenta a primis Christianis destructa fuisſent). Vide disqvisitionem b. Abrahamsonii in Scriptis societ. lit. Scand. pro anno 1810. Observavit porro ingeniosisſimus noster *Kamla*, non pauca vetustisſimorum Daniæ sepulchrorum (qvæ giganteas cameras vulgo nominant) mallei simplicis formâ esſe prædita, ut Mjölneri imitarentur figuram, infernos genios terrificantem. Malleos lapideos (& interdum qvoqve succineos) in talibus sepulchris sæpisſimi invèntos, eidem usui destinatos fuisſe b. Sculo Thorlacius primus monstravit. Hinc tandem manifeste oria est superstitio plebis septentrionalis de chalybe & silice, lemures & malos dæmones fugantibus et alia ejusdem farraginis de malleo fabrili, furis oculum miraculose excutiente. Malleus Thori inter magicos characteres ab Islandis est receptus. Malleos æneos ut fulminis symbola in templis ethnicorum Scandinavorum servatos fuisſe his verbis Saxo testatur (Lib. XIII): "Idem postmodum orientis [balthici maris] partes pirâticâ pervagatus, cum speciosa domum spolia retulisſet, ideoqve se dignitatis incrementa accepturum speraret, pro gratia accusationem expertus est, culpatus a Rege, qvod in re Svetica prædam egisſet. Cujus operam valenter editam consimili probitatis genere æmulatus Magnus, inter cætera trophæorum suorum insignia inusitati ponderis *malleos*, qvos *Joviales* vocabant, apud insularum qvandam prisca virorum religione cultos in patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiqvitas tonitruorum causas usitatâ rerum similitudine comprehendere, malleos, qvibus cæli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat: aptisſime tantæ sonoritatis vim machinarum fabrilium specie imitandam existimans. Magnus vero Christianæ disciplinæ studio paganam perosus, et fanum cultu et Jovem insignibus spoliare sanctitatis loco habuit. Et adhuc qvidem eum Sveones perinde ac cælestium spoliorum raptorem sacrilegum autumant." Sax. Gram. Hist. Dan. ed. Stephan. p. 230; cfr. editoris notas pag. 89, 229. Lappones Thorum suum fulminatorem ad hodiernum fere tempus malleo instructum esſe credebant, unde ligneos malleos in delubris servatos ipsi sacrare soluerunt. — In veterrimis Indorum fabulis arma Deorum Miölneri non absimilia describuntur (& adhuc partim a pictoribus et sculptoribus repræsentantur) e. gr. Visnui, Sivæ et Indræ Tschakra, flammas emittens sed brevi tantum manubrio præditum, duplicis sæpe mallei formam gestans; Krishnæ Sudersana (semper ejaculatum ad eum rediens) p. p. — Adhuc apud Sinenses fulminis Deus ab incolis malleo gravisſimo tympsnum pulsare et tonitrua ita efficere fertur' diffracta autem ipsius mallei frusta in terram dejicere. Vidit Neuhofius ante illius Dei Luichenense templum duas colosſeas statuas, heroes repræsentantes, qvorum alter draconem immanisſimum victrici manu ferierat, alter autem nanum qvendam pedibus calcavit. *(Neuhof Descr. Sinæ* Cap. 7.) Thorus noster cum mundano dracone pugnans & Litum Dvergum pedibus calcitrans, ita sane effingi posſit, qvamvis ab illis heroibus verisimiliter sit diversus —

T. II. voce *Mala*, cum notâ inferius addita; hinc forte Latinorum *malleus* suam trahit originem. Cfr. porro Slavon. *Molnia* fulmen, Cambr. Br. *Melde*. it. Þórr i.

Miötvidr (*Miötviþr*) o: media sive centralis arbor — Ygdrasilli, & in specie ejus mediæ ac præcipuæ stirpis denominatio *VSpá* 2, 72 (obs. 4). (*Miöt* medium; *vidr* arbor).

Módi (*Móþi*) Thori filius *Hym. Qv.* 34. Is cum Magnio fratre prædicitur Mjölnerem (fulminantem patris malleum) post mundi hujus interitum obtenturus fore & bellis (Deorum ac dæmonum) finem ultimum facturus *Vafþr M.* 51 (cfr. Edd. jun. pag. 76). In epilogo Eddæ junioris famosissimo (pag. 90) dicuntur fratres illi ab Alio sive Vidare regna vel regiones petiisse. Nomen ipsius *animosum* sive etiam *vegetum* significare videtur, a notissima voce *Módr*, (*móþr*) animus (Dan. & Svec. *Mod* &c.) vid. Glosſ. T. I & II. Cfr. *Magni* s.

Módsognir (*Móþsognir*, aliis *Mótsognir*) o: vigorem sugens sive succum attrahens — primarius Dvergorum aut Alforum sive elementalium geniorum *VSpá* 10 (Obs. 20). A *τῳ módr* (*móþr*) succus, vigor *) & verbo *siúga* sugere (Dan. *sue*, Germ. *saugen*, Angl. *suck* &c.).

Móinn (grumosus, in ericeto &c. habitans) nomen Dvergi sive Alfi *VSpá* 14. (*Mói* fruticetum, ericetum, planities inculta sive sterilis Norveg. & Svec. *Mo*; Island. interdum *Mór*, Scot. *Mor*, *More*, Anglo-Sax. *Mor*). Cfr. *Móinn* i.

Móinn appellatio serpentis *Gr. M.* 24, H. Q. II. 42. Vide supra; it. Gl. T. II.

Mundilfari, *Mundilföri*, pater solis & lunæ *Vafþr M.* 23. (Obs. 26). Etymologia nominis a celeb. Thorkelino ingeniose deducta est a *τῳ Mundill*, *Mavndull* axis, verticillum & verbis *fara* (ire, moveri) *föra*, *færa* movere, q. d. qvi axe propria se circumgyrat, vel coelum ipsum in gyrum cogit. Cælum astrale mythice significare videtur & Græcorum Hyperioni manifeste insuper correspondet. Ut is qvoqve Diei (sive *Dagi*) propater eadem ratione dici potuit, seriores traditiones Dagum qvendam, Norvegicum principem

---

sed id magis probabile evadit, qvod is olim apud nostrates in similem modum fuerit effigiatus, præsertim cum paullo posterius duo borealium regnorum Sanctorum numero adscripti reges, S. Olaus & S. Ericus in medii ævi imaginibus, tam pictis qvam sculptis, easdem formas acqvisiisse reperiantur. Cfr. cl. Münteri *D. u. N. Kirchen-Gesch.* I, 16-18. Ad gentiles nostratium de Miölnere superstitiones referendæ videntur seqventes phrases, ac exclamationes qvæ Holsatis plebejis adhuc in usu sunt: *I de Hamer! Dat is verhamert!* (qvasi: *verdonnert*) *Dat di de Hamer! De Hamer kennt se all.* Chronica medii ævi Deum qvendam, qvem Jovem vocant, referunt in his regionibus cultum fuisse sub nomine *Hamoys* — numne *Hamarsás? Hamersays?* vel — *aus?* o: Asa sive Deus malleum gestans.

*) Qvo modo vox eadem (& aliæ similes) translate animum hominis sive ingenium (Angl. *Mood*) tandem significaverit veteribus, demonstrare conati sumus in scripto nostro *Eddalæreu og dens Oprindelse* IV, 110-112.

ab illo, ut heroe vere historico, prognatum esse jactaverunt. Cfr. *Dagr*, *Máni* s. *Sól* i.

Muninn (*Munin*) nomen corvi alterius Odiniani, qvi cum Hugino (animo) qvotidie terram pervolat, de cujus reditu Odinus tamen magis est sollicitus *Gr. M.* 20. (Obs. 13). Vid. *Hvgin* s. *Munin* manifeste idem est ac *Muni* (mens, præcipue memor) cum art. postpos. *Munin*, & memoriam animæ humanæ in hoc mytho allegorice significat. De vocis etymis et vocabulis in lingvis veterrimis Europæ ac Asiæ parallelis vel cognatis vide Gl. T. II. v. *Munr* (*Muni*), *Muna*, *Minni* & pl.*).

Muspell it. *Muspellsheimr* coelum sive mundus empyreus, summo cælo (lucis nempe beatissimæ, qvod *Ljósálfaheimr* dictum fuit) proximus — cujus incolæ, interdum dicti Muspelli filii, gentes sive cognati, in mundi nostri interitu ipsum flammis devastabunt. Hunc eorum adventum per (vastum aëris) mare qvidam fieri putabant *VSpá* 45, alii autem istos per opacam (forte etiam aëris) sylvam tunc fore eqvitaturos finxerunt *AEg. Dr.* 42. (cfr. *Freyr* s.).

Edda junior de empyreo hocce mundo seqventes nobis servavit vetustatis traditiones (pag. 5): "Primus omnium extitit in meridionali [& summa simul] plagâ mundus iste qvi *Muspell* dicitur, lucidus, calidus & flammans ac ardens; ideoqve impervius (vel inhabitabilis) omnibus advenis extraneis, qvi non sint ibi indigenæ. Nominatur *Surtur* qvi in fine (apice) ejus regionis residet & mundum universum (nostratium) igne tandem delebit" &c. (Vide *Surtr* i). Qvomodo tamen superior chaotici spatii pars, affluxu scintillarum & caloris ê Muspelliano coelo in prima creatione expanderetur & elevaretur vide *Ginnúnga-gap*, *Elivágar* s. Calor insuper inde emissus primam vitam Ymeri (sive primariam vim aut motionem organicam corpori mundano) præbuit (pag. 6. cfr. *Surtr*, *Ymir* i). Buris filii, nostri mundi creatores, coelo formato ac suffulto, præhenderunt scintillas vel candentes globulos ê mundo Muspelliano ejectos & sine certis motionis legibus vagantes, atqve in coelum, tam superne qvam inferne, ut cælum et terram illuminarent, imposuerunt (pag. 9, cfr. pag. 12, ubi sol illis globis sive luminibus annumeratur). Naglfarius, navis maxima, in Muspello esse perhibetur (pag. 48). In ultimo mundi interitu diffendetur coelum, unde Muspellenses adeqvitabunt, primus autem

*) Confer porro *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 337 & sq. 359 & sq. IV, 5, 109, 110, 194-195. Videntur Sclavi (Venedi & Borussi) Odini corvum (sive corvos) Rhetræ & Romovæ venerati fuisse sub nomine *Gest-Rab*. Id transfert Arndtius (in descr. idolorum musei Georgiani) *Odini corvus*, concedente certe boreali mythologia cum *Gestr (blindi)* unum sit ex illius Dei multis nominibus, *Rab* autem (vel *Rabe*) Germanice corvus (ut *Rafn* Scandinavice &c.); Mone (l. c. I, 213, 214) vertit eadem vocabula: famulus sive spiritus Odini. Cfr. Ingemann *Grundtræk* &c. pag. 21, 29.

Surtus, qvem ignis ardens præcedit et seqvitur; gladius illi est egregius, fulgorem sole clariorem emittens. His autem ineqvitantibus diffringetur pons Bifrasta (Iris nimirum). Illi in campum procedent bellicum (sive comitialem) — — & agmen suum seorsim ducunt adeo fulgens ac lucidum". (Pag. 72, cfr. *Bifröst* s). In seqventibus memoratur Freyeri cum Surto ultimum ac illi fatale certamen (pag. 73); — probabile igitur evadit, qvod veterum traditiones Muspellianos Surti satellites cum lucidis telluris (sive astrâlis ac aërei cæli) Alfis aut geniis simul ac simili eventu contendere crediderint. Cfr. Edd. jun. pag. 14, 41. De Muspello, flammeis ejus geniis & nominis incerta etymologia alibi prolixe disqvisiimus *).

Mýlinn (olim forte *Mýliþ*, *Mylid* qvum þ, *d*, & *nn* tum sæpe commutarentur) nomen lunæ poëticum, ipsi a Diis impositum *Alv. M.* 14; — incertæ sane significationis. Conferri forte meret nomen Mylitta Veneri (vel Lunæ?) ab Asſyriis vel Babyloniis (aut Chaldæis) datum, secundum Herodot. I, 131).

Mögþrasir (Mavgþrasir) a primis huius Eddæ editoribus pro mythico nomine habitum *Vaſþr. M.* 49. Nos vocabulum obsoletum esſe censuimus **).

N.

Nabbi, nomen Dvergi sive Alfi, qvi cum Daino socio aureum Freyæ verrem artificiose fabricatus est. *Hyndl. L.* 6. Cfr. *Freya*, *Gullinbursti* s.

Naglfari (m) aut *Naglfar* n. navis mythicæ, qvâ Muspelliani (empyrei genii) vehi dicuntur, qvum mundum nostrum aliqvando sint devastaturi, â Lokio gubernata, *VSpá* 44-45, cfr. Edd. jun. pag. 48 ubi Muspelliæ servari & maxima navium esſe perhibetur. Hæc porro adduntur pag. 71 (cum mundi exitium describatur): "Tunc qvoqve solvetur navigium *Naglfar*, qvod ex ungvibus hominum mortuorum est constructum, ideoqve cavendum est ne qvis, ungvibus non præcisis, moriatur, utpote qvod multum alioqvin materiam istius navis adauget, qvam Dii atqve homines sero volunt perfectum fieri. Ista autem in hoc oceano æstu aqvis innatat,

*) *Den ældre Edda* II, 5. IV, 262. *Eddalæren og dens Oprindelse* III, 184, 187 & sq. 201 & sq. 218 & sq. 233, 241-242. IV, 483 & sq. 518, 531.

**) Vide Translat. Dan. I, 123. Priorem hujus strophæ partem ita in ordinem redegimus: *Þriár mögþrasis meya falla yfir Þiódar Þorp* i. e.

Tres virgines (hominum) progeniem (generationem continuam) servantes
Se (cælo) demittunt
Super gentium habitacula —

qvum de Nornis summis sermo foret, posteriore strophæ parte hanc conjecturam valide firmante.

gubernatore gigante, qvi *Hrymur* appellatur." Gentili tantummodo plebeculæ nugatoriam hancce fabulam credibilem fuisse nemo non videbit, qvamvis similis superstitio de ungvibus abscindendis & certis cum ceremoniis condendis apud veterrimos Persas, Hebræos, Germanos & plures olim valuerit ac nondum in septentrione nostro penitus sit extincta. *Naglfari* forte verbotenus traducendum: claviger ɔ: clavatum navigium sive clavi formâ apparens, unde cometæ bene foret adaptandum; hæ stellæ mala cuncta portendere putabantur, & talis igitur generis fatalem illam navem fore veteres sunt opinati; — his concesſis, vocabuli etymologia non esſet qværenda in τω *Nögl*, *Navgl* (*Naglar*) de qvo Glosſ. T. II, sed in voce *Nagli* clavus (Dan. *Nagle*, Svec. & Germ. *Nagel*, Angl. *Nail* &c.) ac notisſimo illo *Fara* (ire, procedere &c.). *)

Nágrind in pl. *Nágrindur* (Defunctorum, cadaverum sive lemurum porta, clathrum, **) sepes sive vallum) *Sk. F.* 35, *AEg. Dr.* 64 it. *Fiölsv. M.* 27. Hoc vallum imam Niflheimi partem, proprie *Niflhel* dictam (ubi *Nástrandir* ɔ: cadaverum oræ Tartaro borealium sunt adscriptæ) ab Helheimo sive Erebo distinxisſe videtur. De etymis vocabuli vid. *Ndr* (*Ndrr*) & *Grind* in Glosſ. T. I, & II. Cfr. *Helgrind* s. *Valgrind*, *Naströnd* i.

Ndinn, *Ndin* Dvergi, Alfi sive elementalis genii nomen *VSpá* 11.

Ndir, lemures, spectra (subst. plur. vocis *Ndrr*, *Ndr* non autem "propinqvi" adj. ut verterunt interpretes) *Hr. G.* 25.

Ndl (acus) mater Lokii (Asici) ex qvorundam traditione, qvum alii eam Laufeyam appellent *Hr. G.* 16. Edda junior (pag. 32) duo hæcce nomina uni mulieri contigisſe refert. Cfr. *Laufey*, *Loki* s. & Glosſ. T. I.

Nanna, Balderi uxor, nominari videtur, cum ad illius moerorem ob futuras Balderi calamitates leniendum, Asæ certiora vel feliciora oracula ê mundo infero consultare conati sint *Hr. G.* 8 (cfr. obs. 32). In Edda juniore (pag. 31) pater ejus vocatur *Nefr* sive *Nepr* ***). Ipsius & Balderi (unicus, qvantum scimus) filius fuit Forsetus, judex omnium justisſimus. Sermones Bragiani (pag. 79). Nannam inter

*) Cfr. Translat. Dan. IV, 263. *Eddalæren* &c. IV, 493, 521-523. *Naglfari* (forte a cæli qvasi stellis clavata figurâ) unus fuit Noctis maritorum. Vide *Dagr* s. *Nótt* i. *Naglfari* tandem antiqvis poëtis gladii fuit denominatio.

**) Sive cancelli. Eadem denominatio invenitur in Codice relligioso Nasaræorum, qvi descriptionem eddicam Elivagarum, Niflheimi, Hvergelmeris &c. alioqvin ad ungvem exprimit. "Vidi *portam caliginis* & *cancellos* regionis Sinevis ut et aqvam nigram inter hos cancellos bullientem ac discurrentem" (Liber Adami, ed. Norberg. in Onomastico pag. 116; (Sinevis vocatur orci fluitantis profundum ibid. 114).

***) Huc forte adferenda sunt: Cambro-Brit. *Nef* coelum & Slavon. *Neba*, *Nebo*, Sanscr. *Naba* aër *Nibu* cfr. Enumeratur *Nepr* inter Odini filios in Skalda p. 211. &c. Cfr. cæleste Chaldæorum numen, *Nebo* appellatum. Saxo Nannam retulit esſe filiam Gevaris, Norvegici Regis (H. D. Lib. 3).

octo in convivio, Aegeri ab Asis parato congregatas Deas nominant. Videas cæterum de nobili ejus morte & altera in Helheimo vitâ art. *Baldur* s. Nomen *Nanna* Deabus vel nymphis variis adtribuitur a mythologia Græca et Indica; nostrum nihilominus non absurde deducendum erit a verbo *Nenna*, favere, amare, indulgere, de qvo Glosſ. T. I. De nomine ipso cfr. Gl. T. I. & III.

Nár (*Nárr*) Dvergi sive Alfi nomen *VSpá* 11. Vox ista alioqvin defunctum hominem sive ejus larvam aut spectrum significat, uti Alfi ipsi tam priscis qvam hodiernis temporibus â superstitiosa plebe cum manibus aut lemuribus sunt confusi — præsertim in Dania, Hibernia & Scotia.

Narfi } Lokii (Asici) filii. *Æg. Dr.* in
Nari } fine. Vide *Loki* s.

(Qvidam pro *Nari* habent *Vali*, qvod tamen verisimiliter pro minus adcurato est habendum).

Nástrandir (in num. sing. *Náströnd*) o: oræ cadaverum, defunctorum sive lemurum — abyssum Hvergelmerem cingentes, in imo Niflheimo sitæ; ibi carcer, rapidis (vel gravibus) fluctibus repletus, paratus est hominibus perjuris, sicariis & adulteris; hujus fores spectant boream versus, sed ædes ipsa contortis serpentum dorsis (sive serpentinis spinis) est contexta, veneni guttis per fenestras impluentibus, Nidhoggo simul dracone emortua cadavera sugente, sed lupo (aut lupis) corpora dilaniante *VSpá* 34, 35. His fere consona est descriptio Eddæ junioris (pag. 75): "In Nastrandis magnum est et malum (doloribus oppletum) palatium cujus fores boream spectant. Illud totum, in umbraculi fruticei modum, tergis serpentinis est contextum. Serpentum vero capita introrsum in domum vergunt, venena spirantia, adeo ut amnes venenosi per ædis longitudinem manent, qvos homines perjuri & sicarii (sive iniqvi homicidæ) vadunt" *). Cfr. *Hvergelmir*, *Náströnd*, *Niflheimr*.

Naudur (*Nauþr*) jam vulgo *Naud*, *Neyd*. Necessitas — (Ανάγκη) — videtur Deam allegoricam, fati summam directricem significare *VQ*. 3. Idem nomen acqvisiit litera runica ᚾ (N), qvæ ungvi incisa characteribus potionalibus adnumeratur B. I, 7. (Eadem runica litera veteribus Germanis sonuit *Nod*, *Not*, Anglo-Saxonibus *Neað*, *Neð*, *Nyð*). De voce ipsa videas Gloss. T. I & II; adde tamen Svec. *Nöd*, Scot. *Neide*. Conjecturas nostras de my-

*) Eadem Plato in Phædone docuit (vetustiorem Græcorum sive Asianorum doctrinam indubie secutus): "Qvi ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qvi videlicet *sacrilegia* multa & magna, vel *cædes iniqvas* vel alia horum similia perpetraverint, hos omnes conveniens sors mergit in Tartarum, unde nunqvam egrediuntur." Platonis ἀνίατον antiqvi nostri sermonis *óbótamenn* optime exprimit. Qvomodo Indorum *Naraka* nostræ mythologiæ Nastrandis convenerint monstravimus: *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 393 & sq.

thici illius nominis cum aliis Græcis ac AEgyptiacis cohærentiâ alibi proposuimus. Cfr. *Norn̈r*, *Urdur* i.

Navnn vid. *Nönn.*

Navrfi vid. *Nörfi.*

Naut nomen amnis terrestris ad Helam (sive orcum) defluentis *Gr. M.* 28. Videtur significare potatoriam, ut talem aqvam largiens, a verbo *Njóta* (*naut* &c.) de qvo Gloss. T. II.

Nidafiöll, *Nidafiavll* (*Niþafiöll*) o: montes tenebrarum (sive interluniorum); refertur ibi stare, septentrionem versus, palatium aureum Sindrii (Dvergi) generis *VSpá* 33. E montibus hisce (vel eorum speluncis) advolabit Nidhoggus draco, alis funera portans ibid. 59. Memorat Edda junior (pag. 76) ædem qvandam, auro rutilo factam, in illis montibus sitam, cui nomen *Sindri* imponit & bonorum ac bene moratorum hominum, in altera vita, habitaculis istam adnumerat. De etymis nominis vid. Gloss. T. I & II. *Nid.* Cfr. *Nidhöggr* i.

Nidhöggr (*Niþhavggr*) o: in tenebris densissimis mordens sive feriens vel etiam: interlunia (aut lunæ defectum) morsu suo efficiens*) — nomen teterrimi draconis, qvi damnatos homines in Nastrandensi Tartaro sugere sive dilaniare dicitur *VSpá* 34. Memoratur ut abyssi principalis dæmon, subter Ygdrasilli radice habitans & ab sciuro Ratatosko coelestis aqvilæ effata (sive producta) accipere dicitur *Gr. M.* 32. Is qvoqve Ygdrasillum sive mundanam arborem inferne arrodendo minuit ibid. 35. Describitur ut ater, fuscus sive obscurus (aut obscurans) sed simul tamen nitens aut coruscans draco, qvi aliqvando ê montibus tenebrarum (sive tenebrosis) adveniet & campum pervolans cadavera suis alis portabit, tandem vero (ut videtur) ipse submergendus sive perituras *VSpá* 59. His consentiunt veteres traditiones Eddæ juniori insertæ: mediam (vel præcipuam) Ygdrasilli radicem, super (in) Hvergelmerem sitam, Nidhoggus arrodendo terit (pag. 17); fert Ratatoskus sciurus inimicos sermones (cavillationes) inter Nidhoggum & (coelestem) aqvilam, in Ygdrasilli culmine sedentem (pag. 19). Innumeri serpentes apud Nidhoggum in Hvergelmere habitant (pag. 19). Is in hocce abysso, pessima in tartareis regionibus mansione, damnatos cruciare dicitur (pag. 76). De etymis nominis vide

*) Si hæc nominis etymologia cæteris sit præferenda, draco hisce manifeste ejusdem erit indolis ac *Fenrir*, *Skoll*, *Hati* & *Mánagarmr* qvi solem & Lunam perpetuo perseqvi a nostris & plurimis aliis populis olim putabantur. Ipsas igitur nocturnas vel brumales tenebras permultis significavit. Cfr. nostras de eo conjecturas supra in hujus operis T. III, pag. 12, 13, 36. *Den ældre Edda* I, XLIX, 64, 70, 260. Ipsum porro cum Persarum Arimane & similibus orientalis mythologiæ entibus nos comparavimus *Eddalæren og dens Opr.* I, 117, 213, 219, IV, 388 & sq. 403, 507, 609.

Gl. T. I & III. v. *Nid* ac T. II v. *Hauggva (höggva* ferire cet). Cfr. *Nidafjöll, Hvergemlir, Nástrandir, Niflheimr.*

Nidi (Niþi) Dvergus, Alfus sive elementalis dæmon, interlunia efficiens et ab ipsis nomen trahens. *VSpd* 11. De etymo consulas Gloss. T. I–III. v. *Nid.*

Niflheimur (nebularum aut umbrarum mundus); huc, sole oriente, septentrionem versus nox atra ac nebulosa aufugit *Hr. G.* 25. Edda junior multo plura de istius situ & natura, ut mundi noni & imi, nobis communicavit. De omnibus hisce videas articulos *Elivagar, Ginnúngagap, Hel, Hvergelmir, Nágrind, Nástrandir* s. *Niflhel* i. In cæterum lectorem ablegamus ad amplissimam Niflheimi descriptionem, alibi a nobis institutam *).

Niflhel (tenebrosa mors; orcus umbris repletus) ima Niflheimi & totius universi pars, ipsum Borealium Tartarum (*Hvergelmerem* & *Nastrandas*) continens; — illuc defuncti (mali) homines ex Helæ mundo (nostratium Erebo) moriuntur i. e. per alteram mortem, terræ ac coeli exitio completo, transferentur. Illuc etiam Vafthrudner gigas se venisse jactavit, cum novem cunctos mundos ipse explorasset. *Vaſþr. M.* 43. Odinus, inferni oracula de Balderi fatis sub alieno (Vegtami) nomine sciscitaturus, subtus (de coelis) in Niflheliam tetendit; *Vegt. Qv.* 6. — Eddæ junioris testimonio (pag. 4) docuerunt (Odini nomine) septentrionalium mystæ qvod mali homines (vel ipsorum post mortem animæ) ad Helam (Erebum) & inde in Niflheliam (Tartarum) sive nonum mundum relegandi forent, qvum e contrario boni & bene morati cum Odino in Vingolfio [Valhalla] & in Gimle (summo cælo) vita æterna sint fruituri. Gigantes etiam letho afflicti in Nifheliam decident, qvod luculenter Svadilfarii posfesforis celebri exemplo monstratur, qvem nimirum Thorus, primo Mjolneris ictu cranium contundens, illuc ablegavit (pag. 47). Cfr. *Niflheimr, Hel, Hvergelmir Nágrind, Náströnd.*

Nipingr, Nippingr nomen Dvergi sive Alfi *VSpd* 11. Videtur significare aut a) contrahentem a verbo *Hnippa (nippa) Hneppa* contrahere, curvare; cfr. Gloss. T. II. v. *Hnipna* (unde *Hnipinn* coarctatus, moestus) aut etiam b) concinnantem, adornantem ab adjectivo *Nipr* pulcher, concinnus.

Niördr Niörþr (Njördur) Deus aëris, marium sive aqvarum terrestrium, & navitarum simul eum colentium; — non tamen Asis est procreatus, qvamvis ipse, permultis præsit templis ac delubris **) *Vaſþr. M.* 38. Dicitur in Vanaheimo

*) Operis nuper citati IV, 206 sq. 272 sq. 323 & de nominis etymologia e lingvis veterrimis occidentis ac orientis 268 & sq. Cfr. Gloss. T. I. v. *Nifl* T. II. v. *Niflfarna, Niflvegr.*

**) *Hof* hic nimirum ædem sacram denotat, *havrgr* autem delubrum non tectum i. e. petreis molibus structum (qvorum multæ reliqviæ adhuc in nostro septentrione visuntur). Cfr. Gloss. T. II. v. *Havrgr (Hörgr).* In Septembri & Octobri (mensis Njordo sacrati spatio durante) celebrabant boreales veteres autumnale suum festum, unde September Anglo-Saxonibus audie-

creatus fuisse a numinibus elementalibus, sed Diis (Asis) postea obses traditus; — in temporum exitu ille nihilominus ad sapientes Vanos (aëreos atmosphæræ dæmones) rediturus prædicitur, ibid. 39. cfr. *Æg. Dr.* 34, 35. Is Noatunis (undecima coeli regione sive divina arce) ædes sibi exstruxit, et præterea vocatur hominum rex, sine ullo nævo (culpa sive damno) qvi (qvovis?) insigni (alte structo) delubro præest *Gr. M.* 16. cfr. *Þr. Qv.* 24. Vocatur Freyeri pater *Gr. M.* 42, *Sk. F.* introduct. cfr. 2, 38, 39, 41. *Æg. Dr.* 35 et Freyæ pater *Þr. Qv.* 24. sed illum â propria sorore, secundum Lokii opprobrium, susceperat *Æg. Dr.* 36. E contrario Freyerus Njordi & Skadeæ filius (forte tamen ut hujus privignus) a Skirnero nuncupatur *Sk. F.* 2 (et qvoqve, ut videtur, a Skadea ipsa ibid. 1). Hymeris puellæ (filiæ) indignisime Njordum olim tractaverunt *Æg. Dr.* 34 (cfr. *Hýmir* s.). Njordus cum uxore (Skadea) AEgeris convivio adfuit et ibi cum Lokio asperrime est altercatus *Æg. Dr.* introd. it. 33-36 incl. Njordus filium Freyerum animi ægritudine laborare cernens, Skirnerum ad illum, de rei causa sciscitaturum, ablegavit *Sk. F.* in introd. Novem Njordi filiæ, qvorum natu maxima Radveiga sed minima Kreppvara nuncupantur, dicuntur Runas (literas sive mysticos characteres) cornu cervino insculpsisse (seu inscripsisse) qvod postea ê tumulo (defuncti hominis) sapiens Vigdvalinus extulit, sed inscriptio ipsa, filio a patre, in somnio apparente, fuit explicata vel dilucidata (non autem procurata) *) *Sól L.* 78-79. cfr. *Krepprún* s. *Rádveig, Sólkatla* i.

Edda junior hæc de Niordo adfert: (pag. 27): "Tertius Asarum" (post Thorum et Balderum — Odino ipso excepto) "nomine Njordus habitat in coelo, ubi locus (regio) *Nóatún* appellatur. Hic cursum venti regit atqve mare ac ignem cohibet, qvapropter invocandus est in itineribus maritimis (vel navalibus) & in piscatu, ut hæc negotia cedant feliciter. Præterea locuples est **) et fortunatus, adeo ut fundos & bona mobilia, illis, qvi eum de his invocant, dare possit. Non eqvidem tamen Njordus ex Asarum genere est oriundus; nam in Vanaheimo est enutritus & a Vanis obses Diis traditus. Vani vero

bat *Halig Monad* o: mensis sacer sed September Svecis *Blod-månad (Blot-Månad)* mensis sangvineus vel sacrificialis &c. Colebatur porro Niordus religiosisime in qvovis Islandiæ (et verisimiliter etiam Norvegiæ) templo, ut infra amplius probabimus.

*) Uti verterunt interpretes, nescio qvibus rationibus adducti.

**) Hinc homines locupletes gentilibus Islandis audierunt: divites ut Njordus (*audigr sem Niördr*); vid. e. gr. *Vatnsdæla* ed. Werlauff. pag. 202. — Njordum, cum Freyero, Arinbiorno, Norvegico Herseri (sive baroni) opes largitum fuisse Egillus Skallagrimi cecinit (*Egla* pag. 672):

Enn Griót-Biörn
Gæddann hafa
Freyr oc Niördr
At fiár-afli.

pro eo illum qvi Hæner appellatur, acceperunt, et hoc pacto reconciliatio inter Deos et Vanos coaluit [cfr. *Hænir* s.]. Njordi uxor Skadea nuncupatur, filia Thiassii gigantis. Hæc habitaculum, qvod pater ejus olim incoluit, adamat, in montibus qvibusdam situm ubi Thrymheimus appellatur [cfr. *Þrymheimr*, *Skadi* i.]. Njordus e contrario mare vult accolere; qvapropter sic inter illos convenit, ut novem noctes Thrymheimo degerent, trinoctium autem Noatunis; qvo cum a locis montanis reversus esset Njordus, redux seqventia cecinit:

Tædiosa mihi sunt montana loca,
Ibi non diu permansi,
Noctes tantummodo novem;
Ululatus luporum
Mihi molestissimus apparebat
Si cum cantu olorum conferretur.

Tum Skadea (respondens) hæc canebat:

Minime dormire potui
In culcitris marinis
Ob garritum avium;
Qvippe mihi somnum excutit
E pelago revertens
Gavia qvovis mane. *)

Postea Skadea in montes rediit atqve in Thrymheimis habitavit." cfr. *Skadi* i. — — (Pag. 28): "Njordus in Noatunis postea duos genuit liberos Freyerum et Freyam" Njordus Skirnerum ad Freyerum delegat, ut ipsius iræ vel moestitiæ causam exploraret (pag. 40). Nominatur Njordus inter duodecim Asas judices, qvi convivio Aegeri in Asgardia parato adfuerunt (p. 79, in sermonibus Bragianis) — & postea symposio Aegeriano (in Skalda, pag. 129).

Skalda insuper has isti adtribuit poëticas denominationes: Curruum sive vehiculorum numen **); Vanorum cognatus (sive soboles); Vanus; pater Freyeri & Freyæ; numen dona pecuniaria largiens. Prologus Eddæ junioris (istâ sane recentior & multo vilior) perhibet (pag. 10) Saturnum in Italiam ex Creta profugum se Njordum appellasse, ut eo tutius Jovi perseqventi latuerit. ***) "Is ibi hominum primus indigenas arare vinumqve plantare docuit; terra autem ibi erat bona et cruda, unde qvoqve annona mox uberrima exstitit. Hac de causa incolæ eum principem suum elegerunt, ille vero hoc modo regni ibidem potitus est, multasqve urbes exstruxit."

Hæc certe aliqvantum mutuata (vel rectius inversa) sunt a traditionibus vel my-

*) Strophæ hæcce Saxoni Grammatico notæ fuerunt, sed ab isto (in hist. Dan. Lib. I. Ed. Steph. pag, 17, 18) Hadingo Daniæ Regi & Norvegicæ ipsius uxori adtributæ — ac versione, hisce ampliore, adornatæ.

**) *Vagnagu*þ significare potest *balænarum numen;* vid. *Skálda* pag. 219. Aliam lectionem Johannes Olavius Grunnavicensis retinuerat, nimirum *Vánga gu*þ o: camporum sive pratorum numen. Possibile tamen est qvod ambo hæcce originitus simpliciter unâ voce sonuerint *Vana-Gud* (Vanorum Deus, ex Vanaheimo ortus).

***) Nihilo minus solaris nostratium carminis latini translatores (str. 79) Njordum auctoris in Jovem vel Apollinem vertendo transformarunt.

this veterum borealium, qvi Deos in terris hisce regnasse voluerunt, qvæ præsertim in *Ynglinga Saga* pro vere historicis relationibus sunt acceptæ & explicatæ. Nominatur præterea in *Ynglínga-Saga* (cap. 4) Njordus dives & cum filio Freyero Asis obsidatu traditus fuisse refertur (cfr. *Hænir*, *Mímir* s.). Hi ambo deinde apud Asas Dii sive sacrificiorum antistites ab Odino sunt constituti, uti etiam (cap. 5) posterius in Svecia, cum Njordus in Noatunis (et alii alibi) optima ab isto nanscisceretur habitacula. Cap. 9 refert Njordum posterius Skadeam uxorem duxisse, qvæ tamen isti cohabitare noluit. Cap. 11 ita de Njordo agit: "Njordus de Noatunis (post Odini obitum) factus est Svionum [Svecorum] imperator & sacrificiorum antistes, hinc enim dominum [*Drottin*] vel Drottum suum appellabant Sviones, â qvibus census percepit, munere datos. Eo regnante pace & annonæ omnimoda ubertate felices adeo erant Sviones, ut crederent Njordum annonæ & divitiarum esse arbitrum. Ejus tempore mortui sunt Divorum pleriqve et post mortem cremati sed postea sacrificiis culti. Njordus morbo est defunctus sed ante mortem signaturâ Odini [lanceæ cuspide incisâ] se ipsi sacrari vel addici curavit. Hunc rogo crematum ingenti ad ejus sepulchrum luctu prosecuti sunt Sviones." Cap. 12 Njordus civium amore felix fuisse celebratur. *). Vetusta Svecorum chronica eum memorant sub nomine *Neort (Njort)* uti supra (pag. 368) in notâ monstravimus. Est locus ille desumtus e Registro Upsaliensi, primum a Benzelio & iterum a Fantio **) edito.

In Islandia ejus cultus maxime invaluit, ***) qvamvis solus vel primarius templis singulis insulæ illius præfuisse non reperiatur — sed juramenta per illum, Freyerum & omnipotentem Asam (Thorum vel Odinum) e legum præscriptis ibi præstari solebant. Vide *Freyr* s. (pag. 372). In festivis gentilium Norvegorum sacrificiis, pocula Njordi & filii ejus Freyeri, a principe convivii structore, consecrata (post Odini primarium) exhauri debebant ****). Hinc concludere possumus cultum illum Islandorum Norvegis et Svecis olim communem fuisse. Demonstravimus alibi locum *Nóatún* (navium locum, regionem sive stationem) olim si-

*) Vid. *Heimskringla* ed. Havn. Tom. I. ut et *Langfedgatal* Scr. r. D. T. I; in genealogia Arii multiscii, ejus schedis (Ed. Havn. pag. 76) affixâ, Njordus dicitur Rex Svionum (sive Svecorum) ac filius Ingvii, Turcarum Regis.

**) Scriptores Rerum Svec. (1818) I, 2 & alibi in seqventibus, secundum alias vetustas relationes (pag. 5, 14, 242).

***) Sic e. gr. Hallfredus Vandrædaskild, christianam relligionem amplexus, duabus cantilenis Njordi ac ejus liberorum, Freyeri & Freyæ, cultum solenniter (sed invitus tamen) abdicavit. Vid. *Saga Ol. Tr. S.* ed. Skalh. II, 110 (Havn. II, 53, 54).

****) *Saga Hák. góda* Cap. 16 (*Hkr.* I, 140).

gnificasse Libræ zodiacale signum vel solis domicilium & multa alia de numinis illius origine, significantia ac potestate disqvisiimus.*) Ab ejus nomine vetustissimum suum nomen traxit planta marina, latine dicta *spongia manus* (ob similitudinem cum manu humana) qvæ nempe adhuc in Islandia vocatur *Njardar-vöttur* (in insulis Færöensibus *Narra-vöttr*) i. e. manica Njordi (marini Dei). Cfr. *Freya*, *Freyr*, *Skadi*, *Vanaheimr*, *Ægir*. De nominis etymologia consule Glosſ. T. I. ubi Njördus cum Græcorum Nereo non iniqve comparatur.**)

Nodtún, habitaculum Njordi Dei cæleste (arcium sive regionum Diis duodecim adtributarum undecima) *Gr. M.* 16. *Þr. Qv.* 22. Mea sententiâ correspondet signo zodiacali sive domicilio solari qvod libra nobis dicitur. Vid. *Njördr* s.

Nordri (Boreas) Dvergus sive Alfus, inter primarios habitus. *VSpá* 11. Est certe unus eorum qvi cælum in qvatuor mundi plagis, Deorum creantium jussu, perpetuo sustentare dicuntur; Edd. jun. pag. 9. De etymo vide Glosſ. T. II, voce *Nordr*.

Nori nomen Dvergi sive Alfi, incertæ significationis *VSpá* 11.

Nornir (in sing. *Norn*) Parcæ mythologiæ borealis, Græcis ac Romanis simillímæ.***) Tres earum principales fuere, tot temporis formas sive species (præteritam, præsentem & futuram) indubie significantes. Hæ a cæleste Urdæ fonte, vel propinqvo palatio, sub Ygdrasillo sito, exeunt, *Urdur*, *Verandi* & *Skuld* indigenis nominibus præditæ; — istæ autem leges (mundi) posuere, vitam (omnium) elegere & hominibus fata prædicunt (vel constituunt) *VSpá* 17-18. *Vafþr. M.* 48-

*) *Den ældre Edda* I, 148, 230-235. *Edda-Læren og dens Oprindelse* III, 244, 262-297.

**) In lingvis veterrimis Asiæ ac Europæ multa circa hancce etymologiam colludere videntur. Νηρος Græce udum significat, Hebr. *Nahar* flumen, Indice *Nar*, *Nara*, *Nîr* aqva, (unde Bramæ & Visnui cognomina *Narajana*) Pers. *Nere* unda, *Neriman* aqvarius, homo aqvatilis. *Mone* Njördi nomen nutricium vel nutrientem patrem significare censet, verisimiliter a verbo *næra* (Dan. *nære*, Germ. *nähren* &c.) nutrire. *Gesch. des Heidenth. im nördl. Eur.* I, 573. cfr. Gl. Edd. ant. I, 632.

***) Sic Nornæ nostræ Saxoni semper audiunt Parcæ e. gr. Hist. Dan. Libr. 6, 7 & 8. Primo loco hæc nobis refert: "Mos erat antiqvis super futuris liberorum eventibus Parcarum oracula consultare. Qvo ritu Fridlevus (Danorum Rex) Olavi filii fortunam exploraturus, nuncupatis solenniter votis, Deorum ædes precabundus accedit, ubi introspecto sacello ternas sedes totidem nymphis occupari cognoscit. Qvarum prima, indulgentioris animi, liberalem puero formam uberamqve humani favoris copiam erogavit. Eidem secunda, beneficii loco, liberalitatis excellentiam condonavit. Tertia vero, protervioris ingenii invidentiorisqve studii fœmina, sororum indulgentiorum aspernata consensum, ideoqve earum donis officere cupiens, futuris pueri moribus parcimoniæ crimen affixit." — Simili modo tres Valæ (aut humanæ Nornæ) in variis Islandorum antiqvis relationibus fata puerorum recens natorum constituunt. Respiciunt alioqvin tales narrationes sive fabulæ ad triplicem illum principalium Nornarum numerum et triplex minorum genus.

49 (cfr. *Mögþrasir*). Sic qvum in Bralundo pepererat Borghilda, Danorum Regina, Helgium Hundingicidam, ad ejus ædem Nornæ (cælestes) noctu veniebant & infanti principi fata constituebant; jubebant ipsum ducem celeberrimum & imperatorum optimum fore; nerunt simul fortiter fatorum filamenta, aureum funem explicantes & medio lunæ atrio (coelestis cameræ centro) suffigentes; fibras tamen illius fili asſuebant orienti & occidenti, ut terminos statuerent futurarum principis ditionum. Una sororum *(nipt)* flexit boream versus eam *(nera)* nematis catenam *(festi)*, qvam semper durare jusſit. HQ. II, 2–4 (obs. 6–10). Cfr. S. II, α 14 de catenâ fatorum Sigurdi, omnes terras amplectente (sive forte rectius personante, e Gudmundi Magnæi versione; obs. 33). Monstrant Nornæ (mundi fata) *Hr. G.* I. Foedæ Nornæ Sigurdo & Brynhildæ longum (infaustorum amorum) dolorem decreverant S. III, 7. Infelix Norna Andvario Dvergo fataliter olim constituerat, ut in aqva semper (lupi piscis specie indutus) vadaret aut versaretur S. II, α 2. Memoratur Nornarum judicium, insipiente homuncione dignum, ut nempe aqvâ submersus periret, in tempestate remigans (vel rectius: iter marinum aut aqvaticum incipiens) S. II, β 11. Vivit nemo unicam vesperam ultra Nornarum decretum Ham. M. 29. Funebris lectus sive feretrum Nornarum sella vocari videtur, in qvâ defunctus homo per novem dies sedit (vel jacuit) *Sól. L.* 51 (obs. 71). Cladem heroum Nornæ partim efficere dicuntur H. Q. III, 19, cfr. *Hamd.* M. 27 obs. 96 cuius Disæ simili modo pro Nornis positæ videntur, cum homines, ambobus locis, propria facinora illarum instigationi vel decretis adtribuant, ut se ipsos excusarent). *) Ira Disarum (sive Nornarum) instantem mortem minatur *Gr. M.* 52. Gudruna Giukiana, vehementem Nornarum persecutionem sistere vel depellere cupiens, ad littus marinum accedebat, seipsam submersura, sed penitus frustra, qvum celsi fluctus eam sublimem vectarent ad aliam regionem, ut amplius nolens volens viveret *G. Hv.* 12. Lupi Nornarum (dirarum) canes appellari videntur, qvi mutuo insectari dicuntur (fratribus discordibus similes) Ham. M. 28. Felices sive tutrices Nornæ Diis ipsis adscribuntur (sin mundus iis subditus intelligi debeat) *Vegt. Qv.* 5. Hæ qvidem hominum, qvos protexerant, infortunium aut obitum (summæ Necessitatis decreto effectum) lugentes deflent *A.*

*) Odium ipsum in eundem modum heroes nostri interdum accusarunt. In eos igitur ad unguem qvadrat Homerica illa Agamemnonis excusatio:

— Εγω δ'ουκ ἀιτιος ειμι
Αλλα Ζευς και Μοῖρα και ηεροφοιτις Ερινυς,

Q. 16. *) Runæ Nornæ ungvi inscriptæ esse dicuntur B. I, 17 (cfr. *Naudur* s.). — Memorantur tria Nornarum (aut mythicarum aut etiam — et simul forte — terrestrium vel vere humanarum) genera, qvorum primum ortum fuit ex Asarum, secundum ex Alforum (lucidorum sive terrestrium) tertium ex Dvergorum (subterraneorum vel inferorum) stirpe procreatum, omnes tamen (hominibus) in rebus angustis dicuntur adesse, puerperas adjuvare vel matres a gnatis exsolvere S. II, β. 12, 13.

Edda junior veterum de Nornis doctrinam nobis ita communicat: (pag. 18, 20): "Multa sunt in coelo loca amoena, omnia divinis propugnaculis (vel defensione) munita. Sub fraxino Ygdrasillo ad dictum (Urdæ) fontem (in coelis situm) stat palatium perpulchrum (candidum aut nitidum) ex qvo tres prodeunt virgines, *Urdur*, *Verdandi* & *Skuld* nominatæ. Hæ virgines, qvas Nornas vocamus, hominum ætatem dispensant. — — Id memoriæ proditum est qvod istæ aqvam ex Urdensi fonte qvotidie hauriant, atqve unacum luto (pulveraceo et udo) qvod fontem circumjacet, fraxino superinfundant, ne scilicet rami ejus arescant vel putrescant. Est autem aqva illa adeo sancta ut res omnes, huic fonti immersæ, albescant instar membranulæ *skjall* (vernaculo sermone) dictæ, qvæ ovi putamini adhæret, ut testatur Valianum carmen (str. 17) cfr. *Ygdrasill*, *Urdur* i. "Pluvia inde — (de Ygdrasilli ramis) — in terram delabens vocatur vulgo *hundngs fall* (delapsio mellis) qvâ etiam apes aluntur. Adhæc in Urdæ fonte victitant (sive nutriuntur) cygni duo, a qvibus **) universum id avium

*) Hinc opinor ortam esse superstitionem, ubique fere in Europa vulgo acceptam, de mulieribus dæmonicis, qvæ certis familiis addictæ, appropinqvante obitu alicujus earum membri in visionibus plorantes apparere solent, dictæ in Germania *weisse Frauen*, in Scotia & Hibernia *Banshi*, *Benshi* &c.

**) Cygni igitur gentilibus Scandinavis fuere Noruarum (ut Græcis Apollinis Dianæ & Veneris — forte Uraniæ) vaticinantes aves (lucis & aqvarum coelestium proprii incolæ ac symbola); sic etiam Saxo noster (Hist. Dan. Lib. 6) seqventia refert de Danorum Rege, nuper ut Nornarum (sive Parcarum) pio cultore memorato: "Fridlevus noctu speculandi gratia castris egressus, cum inusitatum qvendam icti aëris sonum comminus percepisse, fixo gradu suspiciens *trium olorum* superne clangentium hoc aure carmen excepit:

Dum mare verrit Hythen rapidosqve intersecat æstus
Auro verna bibit et lactea pocla ligurit;
Optima conditio servi, cui rege creatus
Obseqvitur, temere mutatis sortibus heres.

Deniqve post ipsas alitum voces, lapsum ab alto cingulum literas carminis interpretes præferebat." Fabula Volundiana nobis repræsentat tres Valkyrias fata efficientes sive constituentes ac Nornis igitur persimiles, cygneis induviis inclusas ac volantes, — ut plura huc pertinentia taceamus. Cygnorum cantus dulcissimus in Islandia, Scotia & pluribus regionibus sæpissime auditur, qvod etiam nosmet, propria experientiâ edocti, attestari possumus. Addi-

genus est prognatum. — — Plures præterea Nornæ dantur, qvæ ad omnem infantem recens natum veniunt, ut ei ætatem prædeterminent. Dictæ Nornæ utiqve bonitate notæ sunt *), sed aliæ sunt e genere Alforum, tertii deniqve ordinis e genere Dvergorum. His auditis respondet Gangler: Si Nornæ fata regant hominum, utiqve ea inæqvaliter dispensant, cum qvidam feliciter et laute vivant; qvibusdam vero, qvô fruantur, parum sit concesſum, nec laudis multum obtineant. Aliis vita longa concesſa est, aliis brevis. His Har ipse ita respondit: Nornæ mites et bono genere oriundæ bonam prædestinant ætatem; sed qvando homines pesſimis premuntur casibus et infortuniis, malæ Nornæ in causa sunt."

Nornis hisce interdum tribuebantur alia nomina ut *Dís*, *Fylgia* **), *Hamíngia* (unde vox *Óhamíngia* fortuna sinistra sive adversa, verbotenus fere: infortunium) qvæ omnia suis locis supra illustravimus. Videntur Nornæ cum aliis Disis sive Deabus, circa primordium hyemis in magno iis sacrato festo cultæ fuisſe.

Vocabantur interdum tres Nornæ primariæ *Meyar*, *Mær* (pronuntia: *Mair*) ɔ: virgines, matronæ (antiqvisſimo sed jam obsoleto sensu). Hinc certum fere evadit qvod illæ eædem fuerint ac veterum Germanorum, Belgorum, Gallorum & pl. Deæ Mairæ, qvibus multas aras, imagines et inscriptiones olim sacratas fuisſe et ex parte adhuc existere scimus. His forte cognatæ Gr. Μοῖρα, Μαῖρα, Μαῖα, Indorum *Maya* ***) & pl., cfr. Glosſ. T. II, & III, v. *Meya*, *Mær* ut et recentiorum Germanorum & Britannorum *Maye*, *May* &c.

Obstetrices & fatidicas mulieres vere humanas in Septentrione olim Nornarum nomine interdum honoratas fuisſe, supra observavimus (T. II, pag. 56, 742). Hinc

---

mus testimonium qvod de re eadem adfert auritus testis, Fredericus Faber, doctus ornithologiæ cultor: *"Den Namen Musicus verdient dieser Schwan zu behalten; wenn er nämlich in kleinen Schaaren hoch in der Luft einherzieht, so lässt er seine wohlklingende melancholische Stimme wie fern her tönende Posaunen hören."* (*Gesch. der Vögel Islands* 1822, pag. 82). Cfr. *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 277, 289-291.

*) Vel bonâ fama ubique insignes. Hic autem Eddæ junioris auctor (sive librarius aliqvis eo serior) manifeste erravit, cum antiqvi poëtæ *áskungar* (e divino genere ortæ) putaret idem esſe ac aliam prosaicam *gódkunnigar* — qvæ tamen toto cælo inter se differunt. Vide Glosſ. T. II. v. *Askvngr*, ejusdem sensus ac *Godkvngr*, qvam lectionem inter veterrimas fuisſe, nos hinc non absurde conjicere posſumus.

**) Iis, qvæ supra de Fylgis sive geniis (aut masculini aut fæminini generis) disqvisiimus, addere jam posſum Scotorum huc pertinentes opiniones; putant enim talem genium hominem ut umbram seqvi, usqve ad ultimum ejus diem & ultra qvidem in ipsam sepulchralem foveam. Hic vulgo vocatur *Cowalker* sive comitans socius cujusvis hominis (*R. Kirk Secret Commonwealth* &c. 1691 pag. 3). Cfr. *Edda-Lœren* IV, 48, 49.

***) Sic e. gr. triplex Indorum *Maya* dividitur in tres qvalitates sive metaphysicas personas: 1) creantem nempe sive producentem, 2) conservantem & 3) destruentem.

talibus fœminis contigere denominationes, adhuc usitatæ, ut in Islandia *Norn*, in insulis Færoensibus, *Norn (Nodn)*, in Norvegia *Nodn (Naadn, Notn)**) *Norn* verisimiliter olim sonuit Anglosaxonibus *Neorchn*, *Neorhn*, unde Paradisi nomen *Neorchna-vang*, Nornarum campus, ager sive hortus; — Urdam simul cognoscebant sub nomine *Vyrd*, sed Nornas omnes (nobis etiam *Urdir)* collective appellabant *Vyrde*, *Vyrdas*, unde recentiorum Anglorum & Scotorum *Weird-Sisters* (in tragoediis Shakespearianis occurrentes). CumNornarum nomine & omine conferantur tandem Latinorum & Tuscorum: *Nona*, *Nortia*, *Morta*. De rebus hisce alibi amplius disqvisiimus, si lectori ista consulere placuerit. **) Cfr. *Dis*, *Fylgia*, *Hamingia*,***) *Valkyria*.

Nótt (Nox) tenebras vehens sive adferens, dicitur esse Nörvii filia *Vafþr. M.* 25. *Alv. M.* 29. De eqvis ejus currum trahentibus, vide *Hrimfaxi* s. ****) Varia ejus nomina apud Deos, Alfos, Gigantes & homines recensentur *Alv. M.* 30. Dicitur die vel sole oriente Niflheimum boream versus tendere *Hr. G.* 25. Salutatur & invocatur, cum Tellure filia (ut videtur) ac Dago sive die *****) a Brynhilda Sigurdo propinante & numinibus libante B. I, 3. Nocti Dii creatores nomen istius imposuere *VSpá* 6. Apud eam Idunna, in hemisphærio inferiore degens, detenta fuisse dicitur, iis tamen habitaculis minime delectata *Hr. G.* 7. Nox novis consiliis est adhibenda *Hr. G.* 22. (cfr. *þiódreyrir* i.). Nox autumnalis est valde variabilis sed noctis adventu

---

*) Hinc famosa Shetlandensium *Norna*, in fabula romanensi (illustrissimo, doctissimo & ingeniosissimo Waltero Scott vulgo imputatâ) *the Pirate* inscripta (edita 1822).

**) *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 14, 115-117, II, 127 sq., 199 sq., 245 sq., IV, 35-49, 95-102, 140-156, 186, 188-192. Priora plurima de Nornis recentiorum scripta vel commentaria ibidem annotavimus, sed præcipui inter ea titulus hic non est reticendus, clarissimi scilicet Graeteri mythologicæ disqvisitionis *Ueber die Nornen*, insertæ ipsius libro *Nordische Blumen* 1789, p. 41 90. Circa nominis etymon consulas Rybsii & Raskii conjecturas, insertas doctissimi Nyrupii *Wörterbuch der Skandinavischen Mythologie* pag. 65. Cl. *Mone Norn* deducit a verbo *næra* (nutrire) Dan. *nære*, Germ. *nähren* &c. *(Gesch. des Heidenthums* &c. I, 352). Olaus Tryggvinus, gentilem Norvegorum relligionem abolere conans, antiqvum qvoqve dogma de Nornis fata dirigentibus prohibuit; — vid. *Saga Ol. Tr. S.* Ed. Havn. II, 53.

***) De hujus vocabuli etymo *Hamr* consulas porro *Eddalæren* IV, 35, 38; est nempe Anglo-Sax. *Ham*, *Hama*, Holsatice *Hamen*, *Hamn* Lapp. *Hamo* &c., quibus tamen addendum hic notamus Svec. *Hamn*, umbra vel genius hominibus in visionibus apparens et eum sempe arctius subseqvi putata.

****) Ut atavi nostri Noctem fingebant nigri vel fusci (aut obscuri) coloris esse, sic Græci et Romani ei attribuerunt atras vestes & alas, — Caledonum autem Bardi nigrum capillitium ac vestium sed nebulosas alas.

*****) Haud aliter Byronius, nostri ævi celeberrimus poëta (Tragicos Græcos, ut videtur, secutus) heroes suos (e. gr. in Manfredi tragoedia) Tellurem matrem & radiosum Diem invocare facit.

is viator lætatur, qvi de viatico est securus *Háva M.* 74. Noctu cubili non exsurgendum, nisi explorátio sit instituenda aut necesitas urgeat ibid. 114.

Eddæ junioris mythicas de nocte relationes adhibuimus supra in art. *Dagr* *). E promisso, ibi facto, nostras circa allegorias illas lucubrationes hic communicamus: *Naglfari*, primus Noctis maritus, qvi nomen suum a clavis (qvasi clavatus incedens) trahere videtur, vel Hesperum stellam vel stelliferum ipsum coelum significare videtur, cum stellæ splendidis clavis non inepte assimilari possint. Eorum filius *Audur* vi vocis divitias sive opes designat, cum splendidum nempe astralis coeli thesaurum nocturnis spectatoribus offerat. Secundus *Onar* (ex ingeniosa translatorum conjecturâ) Græce Οναρ est reddendum; hoc enim vocabulum somnum & somnium significat, medio noctis tempore humanum genus occupantes. Propter foecundantem roris efficaciam & refrigerationem illam ac corroborationem, qvas nocturna qvies largitur, Onar iste cum Nocte sua uxore parentes terræ sive nutricii merito dici possunt.**) — Tertius Dellingus aut Lucifer rum stellam aut etiam rutilantem auroræ splendorem denotare potest; cfr. *Dellingr* s. ni) Idem mythus ad cosmogoniam veterrimam sic porro adplicandus esse videtur (cum Nox telluris mater sæpissime nostræ vetustatis vatibus audierit): 1) Naglfarius tum pro coelo astrali (Coelo sive Urano) est habendus, qvi cum primaria (sive chaotica) Nocte nil aliud genuit qvam filium *Audur* (o: Vacuum, aut stellarum splendidum chorum, — ê duplici hujus vocabuli notione). 2) Onar Noctis primariæ media periodus, somnus nempe consilians & somnium vivificum, universali matri copulatus, ê qvo conjugio Tellus ipsa orta est. Sic Græcorum Eros (Latinorum Amor) simili modo, in mythis ejusdem generis, cosmogonicam adqvisiit significationem. 3) Dellingus, solare lumen sive mundi diluculum, qvo prima & perfecta hujus dies vel illustratio progenerata evasit. De vocis etymologia vid. Glosſ. T. II. Cfr. *Nörfi* i.

Nýi novilunaris, nomen Alfi sive Dvergi talia naturæ phoenomena producentis vel dirigentis (& primi qvidem omnium subordinatorum, post Modsognerem, vigoris attractorem & Durinum somniferum) *VSpá* 11. De nominis etymo vid. Glosſ. T. I, v. *Ný* (novilunium) & T. II, v. *Nýr*, *Ný* (novus). Cfr. *Nýr* i.

---

*) Dicunt codices qvidam eqvos illos Noctem (currui insidentem) cum (pluribus) *beneficis* numinibus trahere. Sic Nox Græcis audiit *ευφρονη*.

**) Sic sæpe apud poëtas terra Noctis vel Onaris filia vocatur e. gr. in notis illis Hallfredi:

Átti einka dóttur
Ónars, vidi gróna.

o: Posſedit unicam filiam Onaris, sylvis consitam.

Nýr (novus) Dvergi sive Alfi nomen — (in lect. var. pro aliorum *Nár*) *VSpá* 11. Vide *Nýi* s.

Nyrádr (*Nyráþur*) s. nova consilia sive ipsum novilunium efficiens, producens vel dirigens, Dvergus sive Alfus ita nominatus *VSpá* 11. De etymis cfr. *Ný* s. & Gl. T. II, v. *Rád*, *Ráda*.*) Cfr. *Nótt* s.

Nýt (commoda, utilis, salubris) amnis terrestris, ad Helam sive Orcum tandem delabens *Gr. M.* 28. Etymum qværatur in Gl. T. I. v. *Nýtr*, *Nýt*, qvæ â verbo *Nióta* (frui &c.) in Gl. T. II.

Nönn (*Navnn*) amnis ejusdem naturæ & fati, *Gr. M.* 28. Significat forte indulgentem (largam) a verbo *Nenna* indulgere cæli. Cfr. *Nanna* s.

Nörfi, (*Nörfr*, *Nörvi*, *Niörvi*, *Navrvi*, *Narfi* cet.) Noctis pater.**) *Vaſþr. M.* 25. *Alv. M.* 29. *Hr. G.* 7. Dicitur in Edda juniore gigas fuisse, in Jotunheimis habitans, qvapropter dicta ejus filia nigra sive fusca (aut obscura) evasit, proprium genus colore suo prodens (p. 11). Atavi nostri fretum Herculeum vocavere *Nörfasund* vel *Niörfasund*, illud forte mythicum nomen respicientes, cum Nox et ejus titanius genitor in occidente qvotidie habitacula qværere videantur. Cfr. *Nótt* s. Varias de etymis conjecturas exhibet Gloss. T. I. v. *Navrvi*.

O.

Ódinn, (*Óðinn*, *Oþinn*) Latine variis modis Othin, Othinus, Odinus — primus et primarius inter Asas cælestes sive mundani nostri systematis Deos; — his locis in antiqviore Edda memoratur: Odinus Asarum est supremus *Gr. M.* 43. Odini (omnipatris) præpotentia celebratur *Hr. G.* 1 & summa ac æterna ipsius sapientia *Vaſþr. M.* 55. Dicitur fuisse Buris vel Boris hæres aut filius (*Burs arſþegi*) *Hyndl. L.* 28. Is cum duobus suis fratribus elevarunt (cælestes) orbes, et mundum universum creaverunt *VSpá* 4 & sq. Memoratur coeli & terræ formatio, a numinibus peracta, ex Ymeris, chaotici Titanis, corpore *Vaſþr. M.* 20–21, *Gr. M.* 40. Decantatur Odinus (in principio rerum) Runas (hic ideas) mentales sive ingeniosas constituens, incidens (formans) et meditans, ê liqvore isto qvi stil-

*) Cum primam Dvergorum classem *Novilunaris* incipiat sed alius concludat *Novilunium efficiens* sive *fieri curans* — sed numerus eorum aut efficiat 27 aut etiam (Regino & Radsvido additis) 29, (qvi qvidem dierum numeri mensi lunari varie conveniunt) iis Dvergis exceptis qvi in textu uncis sunt inclusi ut in recentioribus tantummodo notati — non absurdum erit, cum doctissimo Monio (l. c. I, 341) eos Dvergos, qvi hac strophâ continentur, pro noctibus unius (vel cujusvis) lunaris mensis accipere. Qvod Germani & Scandinavi veteres in novilunio cœli oracula vel consilia, de rebus magni momenti gerendis, qværere soliti fuerint, alias est notissimum.

**) Hinc Egillo Skallagrimi, in carmine *Sonar Torrek* dicitur *Niörfa nipt* (*Egla* Edit. Havniæ pag. 643).

laverat ex abscisso illius primarii Titanis capite; describitur porro, galeâ & nudo (ac flammeo) gladio armatus, in fastigio (coelestis) montis stans, Mimeris (hic transformati Imeris) capiti, veras literas & sermones indicanti, auscultans, ita qvidem ut sculptæ forent ideæ illæ (unde vera poësis & omnes Runæ sunt procreatæ) in clypeo fulgentis numinis (Solis nempe) & aliis coelestibus ac terrestribus phænomenis B. I, 15-19 *). Memoratur Asarum creantium ulterior mundana fabricatio *VSpá* 7 ac lætus deinde alearis (cum aureis orbibus seu latrunculis) ludus p. p. 8 **) (cfr. 54) — ut et Dvergorum vel Alforum (sive elementalium dæmonum) creatio, 9-14). Istâ perfecta creantur qvoqve homines primarii a tribus Asis (Boris filiis), qvi hic Odinus, Hæner & Lodur appellantur, 15, 16. Odinus iis (viro et fæminæ) animam dedit 16. Odinus ob Gullveigæ cædem (sive auri primam effodicationem & liqvationem ac seqventem ipsis pernoxium usum) iratus evadit, et telum in populos (terræ) jaculatus primas ciet bellicas cædes 22. Frigga fuit Odini primaria uxor *AEg. Dr.* 26. *VSpá* 48. (cfr. *Vafþr. M.* 1-4; *Sól L.* 77) et Balderus eorum optimus ac matri carissimus filius (vid. *Frigg, Hlódyn, Baldur* s). Nihilominus Thorus, Odini fortissimus gnatus, a Tellure ipsa editus dicitur *Þr. Qv.* 1. 32. (vid. *Þórr* i). — Rinda, Valii mater (et Odini amasia) memoratur *Vegt. Qv.* 16. Odinus ipse frustraneam aliqvam suam procationem describit. (Cfr. *Rindur* i.) *Háva M.* 96-101 ut et feliciores suos et Gunladæ amores, ac meri eximii (o: poëseos) ejus ope patratam acqvisitionem 105 - 111. (Vid. *Bölverkr, Gunnlöd, Odreyrir, Suttúngr*). Odinus in Gunladæ domicilio ab *oblivionis ardeâ*, hujus nempe pennis (sive alis) fuit impeditus (aut involutus) 13, & apud Fialarem immodice inebriatus 14 (cfr. *Fialar* s.). Mystica Odini mentio in capituli runici, ipsi adscripti, initio, ubi prima ejus (vel hominis ab eo inspirati sive vivificati) existentia, infantia, educatio & disciplina describi videntur *Háva M.* 141-144. (obs. 90-98). Odinus inter Asas primarius habetur Runarum (i. e. literarum) magister 146. Ejus de runicis sortilegiis et de sacrificiis præscripta, qvæ ipse ante populorum primordia inciderat (vel lege scriptâ jusserat) 147-148. Odinus ibi surrexit,

*) Cfr. nostrum in mysticas hasce strophas commentarium in Eddæ hujus II, 925-927, cujus conclusionem his addere liceat: "Poësis ipsa *Runis ingeniosis (imaginariis* sive *cordialibus* aut mentalibus) efficitur. Vates sonis depingit ideas, res coelestes & terrestres repræsentantes. Huc etiam referendum mirabile scriptoriæ artis inventum; cujus ope ideæ characteribus exprimuntur vel significantur. Nostro sublimiter canenti Dei poësis (ποίησις) est creatio rerum, vatis autem humani creationis verbis composita imitatio ac universi simul fida repræsentatio." Cfr. *Brimir (3), Heiddraupnir, Hodd-dropnir, Hodd-Mimir, Mimir* s.

**) In nostra ad hunc locum observatione conjecimus stellarum regulares cursus cum aleæ ludo, a coelestibus Diis exercito, comparatos fuisse. Cfr. translat. Dan. I, 34, 52, 56, 68. Simi-

qvo rursum venit 148 (obs. 107). Odini runica aut magica carmina, artificia vel miracula (qvæ etiam ipsius rite edoctus sacerdos efficere credebatur) 154–166 (obs. 108–124). Priscum Odini cum Lokio sodalitium et amicitia, sangvinis mutua commixtione firmata *Æg. Dr.* 9. (Cfr. *Loki* s). Largitur Odinus nobilibus & fidelibus suis filiis vel cultoribus ingenii sapientiam, eloqventiam, poeseos artem, virtutem, victoriam, opes et (navitis) secundos ventos; sic dedit Hermodo loricam & galeam sed Sigmundo ensem (præstantissimum) *). *Hyndl. L.* 3. Elegit (vel dedit) Odinus Valæ vaticinanti annulos & torqves, sermones sapientes ac ditantes & genios præsagientes, ut illa longe et late per qvemqve mundum videret *VSpá* 27. Odinus primarius est bellicæ victoriæ dator, qvamvis interdum Valkyrias eam impertiri sineret B. Q. 1. Punit Odinus Valkyriam Sigurdrifam ob idem munus prave administratum B. Q. 1, H. B. 7, 8. Opprobrat Lokius Odino qvod de præliorum eventu sive fortuna injuste vel inscite disposuerit, ignavis victoriam tribuens *Æg. Dr.* 22. Odinus in Gladsheimo, qvinta astralis coeli regione (urbe sive arce), unde Valhallæ introitus patet, qvotidie eligit (& accipit) viros armis cæsos *Gr. M.* 8. Cfr. *Valhöll* i. Odinus posfidet heroas sive principes, qvi in bellica strage occumbunt *Harb. L.* 23. Is qvotidie dimidiam stragem eligit vel accipit, sed Freya alteram partem 14. (cfr. *Freya* s). Odinus cum Saga Deâ in Sockvabecko ex aureis cantharis lætas haurit potiones 7. Vid. *Saga* i. Valkyriæ duæ isti potum (potatorium cornu) adferre solent *Gr. M.* 36. Is in Valhalla, armis gloriosus, vino solo vivit aut sustentatur 19. In Odini areis vel habitaculis Einheri (sive defuncti heroes) qvotidie [Thracico more] bellica agunt exercitia sive ludos, oblectationis causa, & postea inter Asas concordes convivium celebrant. *Vafþr. M.* 41 (cfr. *Einheriar* s). Odinus in Vingolfo Deorum, Dearum ac heroum epulas ut summus præses dirigit *Hr. G.* 18–20, 23. Odinus cum uxore Frigga ac multis Asis & Asyniis Aegeris convivio adest. *Æg. Dr.* in introd. Colloqvia ejus ibidem cum Lokio et aliis 9–10, 21–25. Colloqvium Odini cum Frigga, Vafthrudnerem visitaturi, & illius ad gigantis hujus habitacula profectio *Vafþr. M.* 1–5. Odini et Vafthrudneris in antiqvis (mythologiæ ac religionis) literis sive mysteriis verbale certamen, ubi ille tandem victor evadit, ut omnium æterne sapientisfimus 6–55. Cfr. *Gángrádr* s. Odinus multa obivit, multa est expertus & multa tentavit divi-

libus ideis latrunculorum ludi inventionem suam originem debuisfe, & ludum illum apud vetustisfimos Aegyptios, Persas, Indos & Seras talem habuisfe significantiam, posterius monstravit ingeniosisfimus *Villot*, in libro inscripto: *Origine astronomiqve du jeu des échechs, expliqvée par le calendrier égyptien. A Paris* 1825.

*) Vide historiam Volsungorum, in Rafnii translatione Danica, Cap. 6, 20 (pag. 8, 9, 40, 41).

narum (aut elementalium) virtutum (potestatum sive numinum) 3 (obs. 4). Eloqventiâ Odini, ipsi perutilis, in Suttungi (gigantis subterraneis) habitaculis exercita *Hàva M.* 105. Odinus sub rusticuli persona latens Geirrodum, juvenem (Gothorum) principem, naufragio ad exteras maris oras perculsum, educat et edocet ac deinde patrocinatur *Gr. M.* in introd. Is Geirrodum, ad regiam dignitatem illius ope evectum, sed a Frigga vituperatum et seductum, aliter personatus ac Grimnerem semet appellans visitat, sed ut magiæ suspectus crudeliter a rege excipitur, inter duos ignes sine ullâ refectione per octo noctes collocatus. Ab Agnare, Geirrodi filio, potu recreatus, carmen Grimnerianum ipsi benedicens cecinisse fertur, qvo recitato, inhospitalem ac ingratum (ex ejus sententiâ) tyrannum morti addicit. Vide *Grímnir* s. Odinus Geirrodo varia sua nomina (numero 52) recitat 45-49, 53 *). Odini ira mortalibus est maxime periculosa *Gr. M.* 50, 52, et giganteo qvoqve generi *Sk. F.* 33. Gentiles etiam homines Odini iram, in belli indictione hostibus imprecari solebant H. Q. I, 12. De Odino forte sub Harbardi nomine & larvâ latitante vid. *Harbardr* s. Odini regiones pro cælo verisimiliter ita dicuntur (ut ad Danicam Harbardiani carminis versionem monstrare tentavimus) *Harb. L.* 54. Odinus Heimdallum cum Bragio & Lokio ad Idunnæ, in subterraneis locis degentis, oracula de Balderi et mundi fatis consultanda emittit, sed in Lidskjálfa sermonibus procul remotorum nunciorum auscultat; *Hr. G.* 9-10. Hac expeditione frustratâ Odinus, in Deorum concilio, noctem ait adhibendam esse novis consiliis, et qvemcunqve præsentium ad talia indaganda exhortatur 22. Dii e convivio discedentes ei et Friggæ (reverenter) valedicunt 23. Odinus cum Frigga et aliis numinibus ab ominibus & oraculis, Balderi appropinqvans lethum præsagientibus, gravissimâ tristitiâ afficitur *Vegt. Qv.* 3. Consilio invento Frigga ab omnibus entibus exegit stipulationes & juramenta ne Balderum (minime qvidem) violarent 4, sed Odinus hanc exactionem defectu laborare suspicans, Sleipnere vectus ad inferos descendit 5-6. Immanis et cruentus orci canis ei occurrit, sed frustra carminum patri (seu summo incantationum magistro) allatrat 6, 7. Odinus ad altam Helæ domum provectus Valæ cujusdam (sive sagæ) tumulum ab oriente ostio eqvitat & ferali carmine ac magicis artibus, boream versus spectans, istam e mortuis suscitat 8-9. Vegtamum deinde se appellans cum spectro colloqvitur 10-18. Vala Odinum recognoscens et ab isto trium gigantum

*) Cfr. Edda junior l. c. pag. 24. Hæc Odini 52 nomina tot anni solaris hebdomades denotare opinamur, ut etiam suo loco, in calendarii nostratium gentilismi schemate demonstrare in proposito habemus.

(sive malorum dæmonum) mater *) appellata, ipsi & cunctis diis non sine irrisione futurum exitium imprecatur aut vaticinatur 18, 19. Mysteria, qvæ Odinus filio (Baldero) rogum ascensuro, in aurem susurravit, nulli mortali postea innotuerunt *Vafþr. M.* 55. **) De Odino forte sub Fiölsvinni nomine latitante, vid. *Fiölsviþr s.* Odinus etiam ab oreade sive antricola fæminâ est adorandus (sed præcipue tamen ab heroibus vel eorum gratia) | *Hyndl. L.* 1. Odinus cum Hænere et Lokio (mundum) ambiens ad Andvarii cataractam pervenit S. II. in introd.; — vid. *Andvari, Hreidmarr, Loki* s. Mansio Odini in Samseyâ (Samo Danica), parum honesta, ac aërea ejus itinera, magicis similia, isti a Lokio opprobrantur *Æg. Dr.* 24. ***) Odinus a Dago, patris cædem ulcisci cupiente, sacrificio colitur, & lanceam suam ad id facinus perpetrandum isti mutuasse fertur H. II. (T. II, pag. 104). Odinus igitur ut cædis inde exortæ auctor incusatur str. 32. Helgio Hundingicidæ; ita occiso, omnium imperium in Valhalla secum obtulisse fertur ibid. pag. 109. ****) Apparuit Odinus Sigurdo Fafnericidæ, promontorium qvoddam præternaviganti, semet Hnikarem (aut etiam Fengum ac Fiolnerem) appellans ac navem ejus ingressus, validam statim tempestatem tranqvillam reddidit et deinde heroem de bellicis aliqvot ominibus informavit S. II. α. 16–25. Meditabundus (sive metuendus) Asarum princeps Valam, solam sub Dio sedentem, aggreditur ejus

*) Qvod saga illa nulla alia fuerit qvam famosissima illa Angurbode (trium pessimorum & giganteorum qvidem monstrorum mater) verisimillimum evadit, eo qvoqve respectu, qvod Lokius, horum pater, in seqventi stropha expressis verbis ab illa memoretur. Cfr. *Angurbodi Loki* s.

**) Sic qvoqve Odinus, sub Gesti coeci nomine et persona, hanc ænigmatico certamine Heidreco, qvæstionem proposuisse fertur:

Hvat mælti Ódinn
Í eyra Baldri
Ádur hann vœri á bál borinn?
o: Qvid dixit Odinus
In aurem Baldero
Anteqvam in rogum (funebrem) portaretur?

Cui Rex iratus (inter alia) — Deum tandem ex ipsa qvæstione recognoscens:

Engi veit þau ord þin
Utan þú siálfr
o: Nemo ea tua verba scit
Nisi tumet ipse.

Hervarar Saga Cap. 15. Ed. Havn. p. 176 sq.

***) Verba hæcce *fórtu verþióð yfir* manifeste vertenda sunt: ibas *super* — non *per* — humanum genus.

****) Hæc fictio verisimiliter in herois illius laudem est excogitata, et epicedio ipsius ab hujus auctore inserta.

oculos inspiciens, istamqve simul (ut videtur) interrogat, cui qvæstioni prophetisſa respondet, fabulam de Odini oculo in Mimeris fonte abscondito recitans *VSpá* 25, 26. Deorum crepusculo sive mundi exitio appropinqvaturo Odinus Mimeris caput alloqvetur 62; (vid. *Mímir* s.). Ipse deinde cum lupo (Fenrere) certamen inibit et sic interibit *VSpá* 48. *Vaſþr. M.* 52, 53. Pauci provident porro longius qvam (tempus qvo) Odinus lupo congredietur *Hyndl L.* 40.

Valkyriæ vocantur Odini nymphæ, mulieres sive amicæ *VSpá* 28. Tredeçim eorum præstantisſimæ enumerantur, uti Odino & Einheris (heroibus) cornua potatoria ministrantes *Gr. M.* 36. De præstantisſimo ejus eqvo vid. *Sleipnir* i. De duobus ejus lupis vid. artt. *Géri, Freki* s.; — de duobus autem ipsius corvis *Hugin, Munin* s. & de accipitribus, illi etiam sacratis, art. *Hábrók* s. De Odini lancea vel hasta vid. *Gúngnir* s. *)

Eddæ junioris relationes illis sæpisſime conveniunt, & Odinum uti Deorum hujus mundi elementalium primum & præstantisſimum celebrant. Pag. 3: "Gylfius, sub Gangleri nomine peregrinans, divinam Valhallæ (sive Celsi aulæ) triadem ita prima vice interrogat: Qvis est omnium numinum supremus et natu maximus? cui qvæstioni *Hár* **) ita respondet: ille lingvâ nostra Omnipater (pater vel creator omnium rerum) nuncupatur, at in Asgardia vetere duodecim ei erant nomina; hæc nempe:

1) *Allfadir* (vel *Allſavdr, Alfödur*).
2) *Herran* sive *Herian.*
3) *Nikarr* vel *Hnikarr.*
4) *Nikuz* sive *Hnikudr* (aut *Nikadr*).
5) *Fiölnir.*
6) *Óski.*
7) *Ómi.*
8) *Biſliþi* sive *Biſlindi.*
9) *Sviþorr* vel *Sviþur.*
10) *Sviþrir.*
11) *Viþrir.*
12) *Jalg* sive *Jálkr.*"

(qvæ omnia in hoc glosſario suis locis explicare tentavimus). "Tunc qvæsiit Ganglerus: Ubi ille Deus est? qvid pollet? aut qvid egregiorum factorum operatus est? Har respondet: Is per omnia secula vivit et totum regnum suum gubernat, atqve omnia regit, tam magna qvam parva. Interlocutus est Jafnhar: is condidit coelum et terram & sphæras (aëreas regiones) et omnia qvæ illis continentur. Tum Thridius addit: maximum vero illud est qvod hominem creavit ac animam isti daret semper victuram sed nunqvam perituram, et ne qvidem, si corpus in pulverem usqve putrescat, vel in cineres vi ignis redigatur ***); sic etiam vivent

*) Cfr. porro de lancea vel hasta ut Odini inter gentiles Gothos & Scandinavos symbolo *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 16-17, 123.

**) Hoc nomen alioqvin ipsi Odino attribuitur; vid. *Hár, Jafnhár* s. *Valhöll.*

***) Putarunt qvidam dogma hocce christianam originem sapere, qvamvis innumeræ fere ethnicæ

omnes homines bene morati (probi sive relligiosi) atqve cum ipso manebunt in locis qvæ dicuntur *Gimle* aut *Vingólf;* sed homines mali devenient ad Helam & inde in Niflhelam, id est in mundum nonum. Qværit iterum Gangler: Qvid operatus est anteqvam coelum et terra conderentur? cui Har respondit: tunc apud Hrimthursos (Titanes pruinosos vel chaoticos) permansit." *) Seqvuntur relationes de chaotica confusione & prima mundi nostri creatione, qvas aliis articulis inseruimus, ut *Elivagar, Hverǥemlir, Niflheimr, Muspell, Surtr, Ymir.* De stirpe hujus Dei ex aliqva parte Jotnica (sive Titania) vid. art. *Bestla, Böl*þ*orn, Bur (Bör)* s. De Buris & Bestlæ (sive Belstæ) liberis Har ita loqvitur (pag. 7): "Hi conjuges tres genuerunt filios, qvorum unus erat nomine Odin, secundus Vili, tertius Ve; ego autem mihi persvasum habeo Odinum illum, cum fratribus suis rectorem esse coeli et terræ." **) Pergit Edda junior terræ nostræ propriam creationem & temporum primam dispositionem enarrans pag. 8–9 (vid. *Midgardr, Muspell, Ymir*) item hominum formationem ac vivificantem inspirationem pag. 10–11; (vid. *Askr, Embla* s.). Hæc omnia tribus illis Boris filiis debentur, ut suis locis uberius exposuimus. His finitis ita auctor de primis Odini & Deorum in præsente Mundo habitaculis loqvitur (pag. 10): "Posthæc in medio orbe urbem (sive regionem vallo munitam) sibi condiderunt qvæ Asgardia dicta est ***).

---

gentes id aperte docuerint ac pro certissimo haberent. Indorum inprimis monumenta iisdem fere loqvendi formulis utuntur; sic e. gr. *Bhagavat Dschita* (transl. Angl.) pag. 27. "Animam non disecat gladius, non ignis in cineres redigit, non aqva corrumpit, non ventus dissipat; est enim incorruptibilis, æternum vivens" &c. Sentierunt ita gentiles Persæ: "Anima a cælo edita corpus humanum vivere facit; homine vero mortuo corpus in pulverem redigitur sed anima eo redit, unde omnes bonæ cogitationes, nobilia opera vel verba veniunt." *(Bundehesch* pag. 92, *Jescht Sader* p. 110. — *Kleuker Zend-Avesta* 4, III, 90). Græcorum eodem fuit opinio, ut e. gr. videri potest e fragmento Euripidis (apud Plutarch. de consolat. ad Apoll.):

Jam sinite terræ gremio mortuos tegi.
Res unde qvæqve sumserat primordium
Eo recipitur. Spiritus cælo redit
Corpus terræ.

His etiam addenda varia Græcorum & Romanorum auctorum testimonia de occidentalis & borealis Europæ populis, ut Strabonis (lib. 4): "animas interitu expertes statuunt" Mela III. 2. "æternas esse animas" Amm. Marcell. XV, 9 "animas esse immortales" & pl. Cfr. Diogenem Laertium de Indis, Magis, Druidis & pl. (in prologo).

*) Hinc manifeste elucet, qvod de Christianorum summo Deo sermo minime fuerit.

**) Fratrum Odini cultus gliscente tempore, qvantum scimus, penitus fere delituit ut oblivioni traditus. Cfr. tamen articulos: *Hœnir, Lódr, Vili, Ve.*

***) Hic seriorum librariorum aliqvis inseruit verba hæcce, stylo & consistentiæ ipsius relationis penitus inconvenientia: "id [eam] vocamus Troiam;" hæc in codice Upsaliensi omnino desunt

Ibi Dii & eorum prosapiæ habitarunt, & multa inde, tam in aëre qvam in terra, eventa & res singulares contigerunt. Est in ea urbe locus qvi *Hlidskjálf* vocatur; ubi cum solium conscenderet Odinus, omnes mundos (oculis) perlustrare potuit, cernens omnes hominum actiones (sive mores) visaqve cuncta intellexit. Uxori ejus nomen erat Frigga Fiörgvini filia. Ab horum familia ea orta est prosapia qvam nos vocamus Asarum familias, qvæ etiam veterem illam Asgardiam et regna ei subjecta incoluerunt; est tota ista cognatio bono nomine insignis *). Idcirco Odinus *Allfavdr* (Omnipotens) jure vocari potest, qvod sit pater omnium Deorum atqve hominum [cfr. pag. 24] ac cunctarum rerum, qvæ ejus efficientiâ sunt productæ (vel perfectæ). Terra **) fuit ejus filia et uxor, ex qva primum condidit filium, qvi est Asarum Thorus [i. e. Asarum sive Deorum coetui annumerandus; cfr. Þórr i.]. In seqventibus (pag. 11) refertur Omnipater (Odinus) in Noctem & Diem præsentia eorum officia contulisse (vid. *Dagr*, *Nótt* s.). — Dii autem conjunctim ***) Soli & Lunæ istorum qvotidianum circuitum injunxisse (p. 12) ac coelestem pontem Bifrastam (sive Iridem) struxisse (pag. 13-14). Qvæstioni Gangleri: "qvid Omnipater, Asgardiâ exstructa, operatus fuisset?" Har ita respondet: "Principio rectores collocavit, jussitqve eos fata hominum secum judicando dispensare, atqve de ordinatione instituendæ urbis decernere. Hoc factum est in Idensi campo, in urbis medio sito. Primum deinde opus eorum fuit aulam istam exstruere, in qva duodecim eorum solia, præter Omnipatris proprium, sunt collocata" &c. (De his & cæteris cælestibus palatiis, a Diis exstructis, vid. articulos *Idavöllr*, *Gladsheimr* & pl.). Seqvitur (pag. 15-16) relatio de ætate Deorum aurea (cfr. *VSpá* 7, 8) & Dvergorum creationis perfectione (ibid. 9-14; cfr. *Gullveig*, *Heidur*, *Dvergar* s.).

In Ygdrasilli arboris, Deorum ad eandem fori (sive dicasterii) qvotidie celebrati, & aliarum huc pertinentium rerum descriptione, occurrunt ea de Mimeriano forte ac Odini oculo ibi abscondito, qvæ nos supra articulo *Mímir* inscripto inseruimus ****). Qvæstioni Gang-

---

& sine dubio ab auctore prologi & epilogi hujus Eddæ Trojanorum commentariorum, sunt interpolata. Cfr. *Asgardr* s.

*) Si nempe legamus *gódkunnug*; si autem *godkunnug* sensus fuerit: ob divinam nobilitatem nota; — hanc sensum certe adoptavit Resenius verba ista ita vertens; "in apotheosin relata," ac longe serius Nyerupius noster, magis distincte transferens: *"Det er Gudeslægten."*

**) Superius qvoqve (ut opinamur) mythico nomine Frigga vocata. Terra dici potest Odini filia ut ab eo creata sive procreata — sed de illorum conjugio cfr. *Frigg* s.

***) Vel etiam tantummodo Boris filii ut cæli & terræ creatores. Cfr. *V. Spá* 4-6.

****) Renhjelmum Svecum, in notis suis ad Olai Tryggvini ab eo editam Oddi monachi historiam 1691 jam illam fabulam (pag. 75) simili modo explicasse cernimus: "Unoculus apud Eddam

leri (pag. 23): "Qvi sunt Asæ in qvos jure credendum est? *). — Har respondit: sunt Asæ duodecem divinâ sua natura insignes [vel divinis honoribus afficiendi] — — — qvibus Jafnhar hæc addidit: Odinus Asarum est supremus ac natu maximus; is res universas gubernat & qvamvis reliqva numina sint potentia, ipsi tamen cuncta, ut liberi parenti suo, parent (et obtemperant). Frigga ejus uxor est" &c. Seqvuntur (pag. 24) varia Odini nomina, qvæ suis locis singula uberius explicamus. "Tunc dixit Ganglerus: Admodum multa vos illi nomina indidistis **), et lubenter fateor magnam haud dubie reqviri eruditionem, si qvis rationes et exempla noverit, qvinam casus vel occasiones qvodcunqve illorum nominum produxerint. Regesfit Har: magna qvidem sapientiâ opus est omnia ea distincte et accurate excutere, id tamen ut tibi paucisfime dicam, pleraqve ista nomina inde suam habent originem, qvod sicut multæ lingvarum dialecti in mundo existant, ita omnes gentes sibi necesfarium esfe existiment nomen ejus [varie immutatum] suo idiomati applicare, ob debitam adorationem et vota pro salute propria ipsi nuncupanda ***). Aliæ vero occasiones horum nominum in itineribus ejus contigerunt, qvæ deinde in traditiones historicas sunt relatæ; nec tu vir historiarum [sive mythorum] peritus [aut multiscius] dignus eris haberi, si ista in-

---

dicitur Odinus, qvalis sol est oculus mundi. Oculus alter in *Mimisbrunni* i. e. aqvâ, qvo descendere videtur, occulitur; oculum vero suum tum qvasi alterum accommodat nostris antipodibus, vel si mavis, hoc ipso alluditur ad id, qvod sol ultimis Borealibus dimidio tantum anni tempore visibilis est, altero autem perpetuas qvasi tenebras illi pati coguntur &c." Eodem modo (de Solis nempe in oceanum occasu) Gunnarus Pauli allegoricam illam fictionem illustravit (*Suhm krit. Hist. af Danm.* additam IV, 21) addens Mimeri inde accersitam sapientiam nocturnum tempus, ut meditationi aptisfimum indicare.

*) Vel etiam: qvos homines religioso cultu adorare debent.

**) Sic qvoqve Indorum Buddha sub variis formis & mille nominibus adoratur, testante vetere inscriptione Sanscritica, lapidi insculpta & Buddhagayæ 1785 inventa, translata a *Car. Wilkens (Asiat. Researches* I, 284: *"I adore thee, who art celebrated by a thousand names and under various forms as Booddha"*). Dsinæ sive Jainæ qvibusdam suis diis mille qvoqve nomina attribuunt (IX, 279); doctisfimo nostro Fuglsangio teste, in libro Tamulico, Tivagaram dicto et Visnuo et Sivæ 1008 nomina addicuntur. Conferantur epitheta hæcce ad varia Græcorum numina pertinentia: Ζευς πανομφαιος, Βακχος πολυωνιμος; addatur qvoqve AEgyptiorum Isis μυριονιμος. Muhamedani, polytheisticas relligiones detestantes, summo tamen Deo mille varia nomina adaptarunt. Odini nostri apud veteres poëtas occurrentia nomina ducenta fere enumerare posfemus.

***) His & plurimis de Odini naturâ et cultu relationibus cum Eddæ junioris prologo comparatis, id manifestum evadit qvod hujus auctor revera statuerit: gentiles nostros atavos Odinum ut coeli & terræ summum numen adorasfe, qvamvis ipse posterius, seculi præjudiciis & ethnicæ relligionis odio indulgens, eundem Odinum ut humanum tautummodo deceptorem describat.

gentia facinora aliis enarrare ignoraveris." De Odino sive Omnipatre (secundum pag. 32-36). Lokii liberos (Jormungandum nempe in Oceanum et Helam in Niflheimum, projiciente sed Fenreri vincula parante, supra suis locis tractavimus. — Pag. 37 Omnipater & Frigga (Jovi & Junoni apud Græco-Romanos non absimiles) erant summa numina conjugiorum, qvæ Lofnæ precibus, qvamvis gravisfima antea obstarent impedimenta, feliciter effici olim fuere credita (cfr. *Frigg*, s.). Pag. 39 dicitur Odinus Valkyrias (alioqvin in Valhalla ministrantes) ad qvamcunqve pugnam ablegare, ut certos viros ad moriendum destinent (ac victorias) moderentur. Pag. 41 seqvuntur variæ narrationes de Valhalla et rebus ad heroum ibi ab Odino, ut largisfimo hospite, exceptionem spectantibus, de ipsius lupis et corvis (pag. 42), capra Heidruna, cervo Eikthyrnere (pag. 43) qvotidiana Einherorum vita & delectamentis (pag. 44) et tandem de eqvo Odini Sleipnero (p. 45-47) — qvæ omnia suis locis alibi exposuimus. Qvæ de Odino in Balderiana fabula occurrunt, nos in ejus versione (ad articulum *Baldur* supra) adcurate recitavimus; — qvæ porro ad Balderi cædis ultionem spectant in artic. *Loki* sunt qværenda. Qvæ tandem in Deorum crepusculo sive mundi exitio Odino accident, hic non omittenda opinamur. Cunctis Deorum et mundi nostri hostibus in Vigrido campo congregatis (pag. 72): "surget in pedes Heimdallus et Gjalleum suum cornu vehementer inflans omnes Deos excitabit, qvi conventum statim agent. Tum Odinus ad fontem Mimeris eqvitabit atqve consilium pro semet et suis expetet et accipiet. Tum fraxinus Ygdrasill [mundus ipse] titubabit, nec erit ulla res in cælo aut terra timoris expers. Asæ vero et omnes Einheri armaturam induent et in campos proruent. Hos Odinus primus præcedet, aureâ galea et nitente loricâ conspicuus, hastam suam (sive frameam) tenens qvæ *Gúngnir* appellatur. Is contra Fenrerem lupum recta tendet, & a latere Thorum habebit, qvi tamen illi succurrere neqvit, cum satis habuerit laboris & curæ cum angve confligere Midgardensi — — — [Post Freyeri, Tyris & Thori cædes] lupus Odinum devorabit & hic isto fato peribit" (cfr. *Fenrir* s.).

In variis appendicibus Gylfianæ illusionis (ut principalis Eddæ junioris partis) Odinus porro memoratur. Sic in Bragianis sermonibus (pag. 79) describitur AEgeris sive Hleris in Asgardia exceptio ab Odino, ut hujus urbis & aulæ ibi sitæ domino; vid. *ÆEgir*, *Valhöll* i. In isto convivio narravit Bragius AEgeri (pag. 80): "qvomodo tres Asæ, Odinus, Lokius & Hœnerus domo proficiscerentur, per montes et deserta, ubi cibaria ægre suppetebant" &c. — de hisce eventis et eorum seqvelis consulas articulos *Idunn* s. *þiasfi*, *Skadi* i.

Relationem ipsius Bragii (l. c. p. 83-87) de prima poëseos origine & dono ejus artis hominibus ab Odino concesfo, hic

inserere non pænitebit. "Interrogabat AEger: Unde ars illa orta est, qvam vos poëticam vocatis? Respondit Bragius: Tale illius erat initium: Dii inimicitias cum populis, qvi Vani vocantur, diu aluerant, donec tandem inter se conventum pacificum indicarent; pacis vero ineundæ formam hoc modo inter se institucbant: accedebant utriqve ad vas qvoddam, cui sputa sua immiserunt, ne*) vero hoc pacis symbolum interiret, Dii anteqvam discederent hominem inde formarunt, qvi Qvaser (*Kvásir*) est vocatus. Hic adeo scientiæ plenus est, ut nemo ab illo id de re aliqvâ qværat, qvin resolvere possit. Is mundum, homines erudiendi et docendi causâ, late peragravit**). Cum tandem ad Dvergos qvosdam Fjalarem & Galarem, qvi eum ad convivium invitarunt, pervenerit, hi ambo illum secum ad singulare colloqvium sevocarunt, & ita trucidarunt. Sangvinem autem ejus profluentem duobus vasibus et uno lebete exceperunt; horum vasorum nomina sunt *Bodn* & *Són* sed lebetis *Ódreyrir*. Dvergi insuper melle sangvinem miscuerunt, unde mulsum tantæ efficaciæ exstitit, ut qvicunqve ex eo biberit poëta & (historicus præcipue) multiscius evadat. Asis Dvergi obitum Qvaseris annuntiantes eum præ nimia sapientiâ suffocatum esse retulerunt, qvia nemo adeo peritus ibidem adfuisset ut eum de rebus eruditis (sufficienter) interrogare valuerit. Posthæc contigit, ut dicti Dvergi Gigantem qvendam, nomine Gillingum ***) cum uxore ejus amice invitarent et illum deinde secum in mare (ad piscandum) remigare rogarent. Sed cum littora legerent Dvergi in brevia qvædam, ubi mare refringebatur, re-

*) Sic etiam sangvis miscebatur, inter permultos antiqvitatis populos & boreales qvoqve ipsos, a viris sodalitiam pactionem ineuntibus. Sputo credulæ veteres & adhuc qvædam feræ gentes attribuerunt vim qvandam sananiem & miraculosam. Si Qvaser, ut alibi conjecimus, cerevisiam ac alios inebriantes potus, vegetabilibus ortos, significet — observatu sane digna erit traditio historiæ Halfi (*Hálfs Saga* Cap. 1): "qvod Odinus, sub Kolli Norvegi cujusdam persona et nomine latens, sputum suum pro fermento substitueret, ut optimi generis cerevisia produceretur." Vid. *Rafns nord. Kæmpe-Hist.* III, 26. Mythi qvidam Indici dicunt Superbaniam sive Carticejam Deum matris sputo productum & summa sapientia præditum esse (*Wagner Ideen* &c. pag. 172).

**) Cfr. relationes veterum de Osiride AEgyptio mundum peragrante, frumenti ac vini culturam & cerevisiæ coctionem, præter alias artes ac scientias, homines ubiqve edocente, Musis qvoqve & cantoribus stipato. Illis conveniunt similes mythi Græci de Baccho sive Dionysio, qvi Zagreus a qvibusdam vocatur. Ambo cruenta morte olim periisse traduntur, Osiris nempe dolose a malis dæmonibus, sed Bacchus a Titanibus occisus ac dilaniatus. Hic accedit, Thracicus *Orpheus*, *Grajæ* poeseos pater, a rabidis mulieribus occisus & dilaniatus; caput ejus post mortem vaticinabatur (Mimeris simile) sed aliæ ejus reliqviæ musicam artem et hominibus et lusciniis communicarunt.

***) *Gillingr*; — Codex Upsaliensis ejus nomen scribit *Grillingr*. De rupe Gillingi (*Gillingshamar*) in Vestro-Gothia Sveciæ; vid. *Gautreks ok Hrólfs Saga* Cap. 1.

migarunt et naviculam inverterunt, ideoqve Gillingus, utpote natandi artis imperitus, suffocatus est. Dvergi autem naviculam erexerunt, atqve ad continentem revertebantur. Hunc ii casum viduæ narrabant, qvem ægerrime ferens alte lamentata est. Tum Fialar eam interrogat, numne doloris illi sit levamen, si mare, ubi perierat, inspiceret. Annuit illa, sed hic cum fratre Galare collocutus, jusſit eum ostium domus conscendere, et cum exiret, lapidem molarem in caput illius demittere, se enim clamorum mulieris et ploratûs pertæsum esſe, id qvod etiam actu exsecuti sunt. Hæc cum Gillingi filius, *) Suttungus gigas resciret, domo profectus Dvergos illos prehendit, et in scopulum qvendam maris, ubi aqva certis suis vicibus reflueret, deportavit. Hi Suttungum vitam sibi concedere supplicantes pro nece patris mulsum illud pretiosum offerunt, atqve hæc inter eos reconciliatio sancita est. Avexit ergo mulsum domum suam Suttungus & in loco, dicto *Hnitbiörg* **) servans ei custodiendo filiam præfecit Gunladam. — Hinc artem poëticam vocamus: *Sangvinem Qvaserianum; potum* seu *implementum Dvergorum* vel etiam *laticis aliqvod genus Odreireri, Bodnæ vel Sonæ adtributum* ut et *conditionem navalem* (aut *commeatum*, seu si mavelis *lytron*) *Dvergorum*, qvia mulsum illud ê scopulo vitæ eis adtulit redemtionem. Sic etiam dictam qvoqve artem *mulsum* vel *laticem Hnitbiorgorum* nuncupamus ***). Ad qvæ Aeger ita: obscurum mihi eqvidem videtur artem poëticam his insignire (et involvere) nominibus; sed qvomodo vos Asæ mulsi huius Suttungici compotes facti estis? — Bragius ita regesſit: Talis huic qvæstioni enucleandæ inservit narratio. Odinus, domo profectus, eo devenit, ubi servi novem mesſores foenum demeterent. Qværit hic an vellent ipsum acuere falces eorum. Iis affirmantibus ille cotem molliorem (vel subtilioris materiæ) e balteo suo detrahit, falcesqve exacuit, sed qvum eas longe, qvam antea, melius herbas succidere posſe vidisſent, an cos venalis esſet inqvirebant. Is autem ita æstimavit ut qvi emere vellet moderatum daret pretium, ****) singuli vero se emere velle ajentes, sibi vendere orabant. Tunc ille cotem in aërem sursum projecit, qvam cum omnes præhen-

*) E variante qvadam lectione Suttungi e fratre nepos.

**) *Hvítbiörg* Secundum Resenii editionem; cfr. notam nostram ad artic. *Gunnlöd* s.

***) Variis modis poësis, in aliarum gentium mythis, latici alias asſimilatur. Heliconis montis celeberrimi fontes, Aganippe & Hippocrene, (præter Castalium et plures) Musis a Græcis fuerunt sacrati, unde plures homines, ex iis bibentes, poetica ita arte sunt donati. De poesi, ut divino nectare, e Persarum opinione, exemplum memorabile infra adferemus.

****) *Skýldi gésa við hóf.* Sic Cod. Reg. & Vorm. alii autem *höſud sitt — — oc gáſu þeir við havſud sin* o: "Is (Odinus) respondit sese cotem capitis æstimare, si qvis emere vellet . . . Illi contra capita sua offerebant."

dere vellent, talis eos invasit furor, ut unus in alterius collum falcem adigeret. Odinus (inde) pernoctandi causâ ad gigantem qvendam pergit, cui Baugius [*Baugi*] nomen erat, fratrem Suttungi, qvi magno dispendio rem suam familiarem (vel pecuniarem) laborare qveritur, dicens servos suos novem periisse, nec sibi spem operariorum aliunde offerri. At Odinus coram illo se Bölverkum nominans, novem in se operarum laborem suscipere velle respondet; eâ tamen conditione, ut unico tantum ex mulso Suttungico haustu remuneraretur. Baugius nihil sibi juris aut potestatis in mulsum hoc esse asseveravit, Suttungum vero solum possidere velle; promisit tamen se cum Bölverko tentandi causa iturum, si mulso forte potiri possent. Bölverkus per æstatem novem præstitit operarum laborem, sed ineunte hyeme mercedem suam a Baugio poposcit. Tum ambo Suttungum adeunt, at Baugius fratri refert conditiones mercedis cum Bölverko contractas, sed ille præfracte denegans, ne qvidem guttulam unam concessit. Discedunt itaqve [rê infecta] Bölverkus vero Baugium alloqvitur: dolo et technis qvibusdam si forte mulso potiri possent, rem esse tentandam, qvibus dictis Baugius qvidem assentitur. Profert igitur terebram Bölverkus, cui Ratius [*Rati*] nomen erat, jussitqve] Baugium, si terebra valeret, saxum perforare. Hic ita qvidem fecit et paulo post saxum esse perforatum indicavit, at Bölverko foramen terebræ inflante, scobs contra illum foras resiliit; tum sensit Baugium se decipere velle, ac eum iterum perterebrare rogavit. Paruit Baugius terebrando, Bölverko vero iterum inflante: scobes introrsum evolarunt.

Tum Bölverkus in formam vermis mutatus foramen irrepsit; Baugius vero post eum terebram isti impingens, elapsum illum non attigit. Mox Bolverkus [propria forma resumtâ] eo processit, ubi erat Gunlada, cum qva per trinoctium concubuit; qvam ob rem et hæc illi, ut tres e mulso haustus biberet, permisit; in primo Odreirerem exsiccavit, in secundo Bodnam, in tertio autem Sonum inanivit, totumqve hoc pacto mulsum illud adeptus est. Qvo facto, in formam aqvilinam repente immutatus, motu, qvo potuit, pernicissimo avolavit. Suttungus vero, cum volantem conspiceret aqvilam, induvias qvoqve sibi applicavit aqvilinas, illumqve insecutus est. Ast Asæ Odinum advolantem cernentes, vasa sua in aream atrii aulæ exposuerunt, qvi cum intra Asgardiam volando veniret, mulsum in vasa evomuit; verum qvoniam Suttungus eum inseqvendo adeo propinqvus urgeret, partem mulsi retrorsum e tergo emisit, cujus tamen nulla habita est cura, qvisqvis vero, qvantum voluit, obtinuit; id nos poëtastrorum (seu fatuorum rhytmistarum) portionem dicimus *). Mulsum autem

*) "Id accipiunt fatui poetastri, a nobis *aqvilinum lutum* [*arnar leir*] appellatum." *Cod. Upsal.* Hæc denominatio in mythica Islandorum phraseologia sæpe usitatur.

Suttungianum Odinus Asis et omnibus qvi carmina componere noverint, dono dedit. Hinc ars poëtica nobis *acqvisitum* et *inventum Odini* ut et *potus* ac *donum ejus**) *Asarumqve potio* nuncupatur"**).

Seqvitur brevis Aegeris & Bragii discursus de variis poëseos regulis, qvi pro aliqva in Skaldam recentiorem introductione est habendus. Auctor Skaldæ deinde adserit (pag. 95) versum Arnoris Jarlaskáldi (Islandici seculi decimi et undecimi poetæ) in qvo poësis vocatur *æstuans Omnipatris mulsum* sive *potio*. Apellatur in alio Refi hemistrophio, cum alioqvin de Odino sermo sit: *helgt full hrafnaldr* ɔ: *sacrum poculum latice corvorum* [Odinianorum ɔ: animi ac memoriæ] *plenum* sive etiam: *sangvine* (Qvaseris) *plenum*. Ulfus Uggianus, gentilis vates, in carmine Husdrapa poësin videtur similiter appellare *hlaut heilags tafns* ɔ: sancti sacrificii sangvinem (qvæ qvidem locutio Qvaseris cædem ut sanctum qvoddam martyrium indicaret). Vocatur ista a Thor-

*) Persæ poësin cum nectare, mortalibus divinitus dato, comparant. Dicunt ita divum Khizzerum, sub senis humani forma, viridi togâ indutum, celeberrimo Hafizio, in loco sancto, apparuisse & poculum nectaris plenum porrexisse, qvo exhausto vates præstantissimus evaserit. (*Jones on the mystical poetry of the Persians and the Hindus, Asiat. Res.* III, 173).

**) Mythologicam hancce fabulam speciali disqvisitione illustrare conati sumus, ita inscripta: *Digterdrikken, en oldnordisk Mythe med tilhörende Forklaring*. Cfr. art. *Gunnlöd* s. Videas qvoqve nostram ad Havianum carmen introductiones & observationes (in hujus Eddæ edit. Havn. III, 63-64, carminis ipsius str. 13-14, 105-111 obs. 12-15, 60-73; translat. Dan. III, 74, 101, 107, 129-130, 146-147, 157, 160, IV 272-273). Similes ideas a Scotiæ priscæ poëtis esse adumbratas, discimus e doctissimi Roberti Jamieson collectione *Popular Ballads and Songs (Edinburgh* 1806) Vol. 2 ubi sex talia carmina hordeum (cythi præcipuam materiam) decantant ut varias allegoricas personas, nomine *John Barleycorn* vel *Allan a Maut*, qvorum sangvis (cerevisia nimirum) hominibus vires ac ingenium præbet &c. Vinum sæpissime cum sangvine variis modis fuisse comparatum, neminem latebit; Sic e. gr. AEgyptii id vocabant *sangvinem gigantum* — (teste Plutarcho in libro de Osiride & Iside) — uvis ipsis inclusum; Persæ vitem pullulasse referunt e *sangvine primarii tauri* Abudadi, ab Arimane occisi (ut in Zendicis libris legimus). Androcydes Philosophus Alexandro Magno scripsit vinum esse *sangvinem telluris* (Plin. H. N. XIV). Drusi tandem sive Dursi (montis Libani & Curdestaniæ incolæ) vinum vocant *sangvinem Jesu Christi* & in conviviis suis largos calices, eo repletos, cum summa reverentia ebibunt. (*Hyde de relig. vet. Pers. Ed.* 2. pag. 520). Postremo addimus verba doctiss. Kanne ipsissima: "*Als die Zwerge Qvaser getödtet, sammelten sie sein Blut in den Kessel Odrüder* [*Odrærer*] *und vermischten es mit Honig. Daraus entstand der Dichtertrank d. h. der berauschende, begeisternde Wein.*" Et paullo prius: "*Nun war Sitta — die Gemahlinn des Weinerfinders Rama — aus dem Topfe gebohren, in welchem der Bramen Blut gesammelt war . . . . und eben so stellt alles die isländische Mythe zusammen.*" (*Indische Mythologie* pag. 297-298). Indica illa fabula (e *Ramajana*, epico carmine extracta apud *Polier, Mythol. des Ind.* I. 304-306) narrat Ravanam gigantem, Taprobanæ tyrannum, Brahmanorum sangvinem, tributi loco effusum, dolio sive lebete servasse, ac in terra defodisse; eo posterius effosso, *Sita* virgo, sancto illo sangvine orta, inde apparuit.

valdo Blandoskaldo mulsum filii Buris, Burii gnati (pag. 98) sed hemistrophium Eyvindi Skaldaspilleris manifeste alludit ad fabulam illam de Odino, strenue volante ac potum prædictum ex atri gigantis profundis vallibus (sive antris) auferente. Auctor Skaldæ multo plura exempla adfert (pag. 98–101) e vetustisſimis et ethnicis simul poëtarum carminibus, ubi tales ac aliæ poeseos mythicæ appellationes occurrerunt, ut Einaris Skalaglam (de Qvaseris sangvine & Bodnæ fluxu); Egilli Skallagrimi filii (de Odini mulso ac sonora Odreyreris undâ); Eyvindi Skaldaspilleris (de Gillingi lytro et lebetis Odiniani latice); Eilifi Gudrunidis (de Soni undis); Volusteini (de Odini invento & potu); Ormi Steindoridis (de ejusdem acqvisitione ac Dvergorum potione); Ulfi Uggiani (de Odini dono ac sinus mentalis latice); Glumi Geiriani (de numinum provocatoris potatione sive convivio) p. p. — Ipsas Odini denominationes, illis mixtas, inferius disqviremus. His rite est addenda stropha Bragii prisci (sive annosi pag. 175) qvâ se ipsum, ut verum poetam, appellat Odini dono beatum ac ejus pocillatorem p. p.

Fabulam de eqvitatu Odini, Sleipnero per mare & aëra vecti, in Jotunheimum ac ejus expeditionis seqvelis (e sermonibus Bragianis desumtam — pag. 106–112) supra adtulimus in artic. *Hrungnir*. Memorat porro Skalda (pag. 129) AEgeris convivium, Odino et Asis post tres menses ab illius ex Asgardiâ discesſu, magnifice paratum (cſr. *Loki* s. *AEgir* i). Odinus, Thorus et Freyerus inter Asas summum judicium in Lokii ac Dvergorum lite administrant & optima ab istis cimelia accipiunt, ut suis locis supra narravimus (pag. 132). Odinus cum Lokio et Hænero mundum universum perlustrat &c. vid. *Hreidmarr* s.

Nomina Odini præcipua variis locis in Eddâ juniore *) & Skalda ei annexa sunt recitata, qvorum multa simul in antiqviore nostra continentur & qvæ igitur suis locis nosmet in hoc glosſario explicare tentavimus. His excipias epitheta ista & cognomina qvæ illi attribuuntur in poëticis rerum variarum denominationibus, (pag. 93) hujus nimirum tenoris secundum Codicem Upsaliensem **): "Odinus rite vocari potest pater Thori, Balderi***) — et aliorum ejus liberorum; Vir [amplectens — sive defensor aut maritus] Friggæ, Jardæ [Telluris], Gunladæ, Rindæ****); posſesſor Valhallæ; rector (sive dominus) Deorum, Asgardiæ, Lidskjal-

*) Ea præsertim (pag. 24) qvæ Odinus ipse ut sibi propria in carmine Grimneriano enumerat.

**) Hæc Odini appellationum collectio in aliis nobis servatis Eddæ junioris codicibus deest.

***) Hic additur: eþa *Bezlu* ɔ: vel Bezlæ aut Belstæ — forsitan propter pravam explicationem carminis *Hávamál* strophæ 143 ambiguarum dictionum — nisi nomen illud librarii mendo hic irrepserit.

****) *Yngl. Saga*, Cap. 9 Odinum refert porro, Skadeam, qvæ Niordum ut primum marium de-

fæ, Sleipneris, hastæ (frameæ o: Gungneris), *) victoriæ, bellicæ stragis; creator coeli, terræ, solis; vetustus sive priscus Gothus; **) Deus numinum (naturæ ligamina tenentium vel servantium i. e. Deorum complicum) ***); numen vecturarum vel onerum, navibus aut vehiculis impositorum ****); numen suspensorum (vel omnium pendentium i. e. aërearum rerum); *****) belli, victoriæ et originitus forte qvaliscunqve demisſionis Deus;" vid. *Sigtýr* i. Seqvuntur varia horum & aliorum Odini nominum e veterrimis carminibus desumta (pag. 95–100); cfr. porro pag. 159–163.

Versus memoriales, Skaldæ inserti (pag. 211) enumerant Odini filios qvi ita nominantur: 1) *Baldur* (ê Friggâ, primaria uxore) 2) Þórr (Thorus) & verisimiliter 3) *Meili* [ê Jarda sive Tellure, proprie sic dicta] 4) *Vidar* (e Grida oreade) 5) *Nepr* (sive *Neſr*, Nannæ pater) 6) *Voli* [*Vali*] 7) *Hermódr* 8) *Heimdallr* [alioqvin Vanis annumeratus] qvi omnes ut mythici Dii in Eddis occurrunt. 9) *Hildólfr* [cfr. *Harb. L.* 7]. 10) *Itreksjód* 11) *Öli* vel *Ali*, alias (ni fallor) jam penitus ignoti. 12) *Yngvi-Freyr* (aliis *Yngvi*) inter Sveciæ primarios Regis sive hierarchas habitus, (alias Njordi filius dictus; vid. *Freyr* s.) 13) *Sígi* (vel *Siggi*), in prologo hujus Eddæ memoratus ut primus Franconiæ Rex et Volsungorum propater; cfr. *Vols. S.* Cap. 1 & 2 ubi Hunniæ regnum sibi acqvisiisſe fertur. 14) *Skiöldr* (Skjoldus) primus Daniæ Rex, unde Skjoldungorum hodiedum feliciter regnantium) familiare nomen). 15) *Semingr* vel *Sæmingr*, Norvegiæ satrapa & principum ejus regni atavus, secundum prologum Eddæ pag. 15 & Yngl. S. Cap. 9 ac stropham Carminis Haleygiatal (Eyvindo

---

seruerat, in Mannheimis uxorem duxisſe, allegata in ejus rei testimonium Eyvindi Skaldaspilleri cantilenâ.

*) Verba seqventia, qvæ sensu fere carent: *óskmaga einhvers*, sine dubio legenda: *óskmeya, einherja* o: Valkyriarum, Einherorum (sive defunctorum heroum).

**) *Aldinn Gautr* qvod idem putavit esſe celeb. Raskius ut *allda gautr* (*Vegt. Qv.* 6). Cfr. tamen Skaldam pag. 195 & Lexicon hocce s. in articc. *Gautr* et *Aldagautr*. Est alioqvin nota cantilena Snorronis Sturlæi ingeniosa sed aspera, in Gautum, Regis Norvegiæ Haconis Haconidis consiliarium, cum primo ipsius nominis posſesſore, Odino nimirum comparatum. Inserta est Skaldæ pag. 333 ut et Heimskringlæ V, 200 (cum uberiore explicatione VI, 216 addita).

***) *Hapta guþ*; vid. Lexicon hocce in vocab. *Hapt*, *Bönd* s.

****) *Farmagvþ*; vid. *Farmatýr* s.

*****) *Hánga guþ*; vid. *Hángatýr* s. Omnia coeli lumina (sol, luna et stellæ) ex amplisſimo illo mundi lacunari qvasi pendere videntur. Idem qvoqve de atmosphæræ meteoris, ut nubibus & pl. est dicendum. Prima vocis notione cum antiqvitatis relligione in oblivionem adductâ, de suspensis tantum cadaveribus (qvæ etiam interdum Odino fuerunt sacrificata) intelligi cæpit, cfr. *Yngl. S.* Cap. 7 ubi Odinus Svecorum hierarcha *hánga drottinn* (suspensorum dominus) vocatus fuisſe fertur; a Refo poëta is appellatur *hánga goþ*, a Vigaglumo *hánga týr* (Skaldâ pag. 95). Huc etiam pertinent *gálgagramr* et plura ejusdem generis.

Skaldaspilleri auctore) ibi recitatam, qvæ qvidem Semingum illum Odini & Skadeæ filium fuisse perhibet. Observavit doctissimus Raskius alliterationis regulis rite adhibitis, unum saltem versiculum aut lineam illis deesse, qvæ etiam conjectura validissime firmatur exscripto Eddæ junioris, a Johanne Olavio Grunnavicensi e variis codicibus compilato, ubi ultima strophæ linea, illic desiderata, hos Odini filios memorat: 16) *Hödur*, *) 17) *Bragi* (de qvibus ambobus supra satis egimus). Seqvuntur varia Thori Dei nomina, qvæ ex parte Resenianæ editionis auctor varios alios Odini filios designare putavit, & perperam igitur iis adtribuit **). Iis addit prologus Eddæ (pag. 14) 18) *Vegdeg*, qvem orientalis Saxoniæ potentem Regem fuisse adserit, Anglo-Saxonicas, ut videtur, relationes secutus ***). His rite ex aliis antiqvitatis traditionibus adnumerandus est: ****) 19) *Sigur-Lami*, qvem historia Hervoriana ab Odino patre Gardariciæ (Rusfiæ hodiernæ principali parti) præfectum fuisse tradit & Heidam qvidem, Gylfii (Sveciæ) Regis filiam, in connubio habuisse *****) ac inclytæ stirpis conditorem evasisse.

Est per se manifestum qvod prædictorum Odini filiorum octo illi primi, et verisimiliter qvoqve tres aut qvatuor proxime seqventes, Hödo porro et Bragio addito, antiqvissimæ ac genuinæ nostratium mythologiæ sint adscribendi, reliqvi autem habendi sint pro veris hominibus, variorum borealium regnorum ac gentium fundatoribus, qvi ut plurimi Gothorum proceres divinâ stirpe se jactaverunt editos esse, vel â gratis subditis aut posteritate tali honore sunt adfecti. Sic et pluribus forsitan modis mythologia antiqvissima cum historicis est confusa genealogiis ac relationibus — qvæ circumstantia etiam medii ævi christianis auctoribus ma-

*) Eum editio Reseniana omittit sed false ejus loco Handurum qvendam sive Handerem inserit.

**) Sunt nimirum seqventia: *Asabragur*, *Ennilangr*, *Eindridi*, *Biörn* (Resen. *Bior*), *Hlórridi* (vel *Hlódridi*, Resen. *Hlódide*), *Hardveor*, *Sönnúngur*, *Vingþór* (Resen. *Vinþór* &c.), *Rymr*. Simili errore deceptus Suhmius hæc novem nomina variis Odini filiis adscribit (*om Odin og den hed. Gudelære* pag. 131). Illos tamen in hac asfertione secuti sunt seriores qvidam auctores e. gr. *Möinichen* (in lexico suo mythologiæ borealis danico pag. 323).

***) Sic qvoqve de alio *Beldeg* qvem Balderum nostratium putat & Vestphaliam posfedisse refert, Vetustæ Anglo-Saxonum genealogiæ Reges eorum et duces ab Odino & variis ejus filiis deduxerunt. Vid. Suhmii Tabulas genealogicas ad ipsius Historiam Danicam, Torfæi Seriem Regum Daniæ pag. 153 & *Mone Gesch. des Heidenth. im nördl. Eur.* I, 115-117.

****) Qvod etiam fecit illustrisf. Suhmius l. c. pag. 132; Andvarius autem ab eo ibidem nominatus non fuit Odini aed Oini filius; de alio Nario vel Narfio Magi Comitis nimis recenti ac â proposito fictitiæ historiæ vix ulla fidea est habenda.

*****) *Hervarar Saga* ed. Havn. pag. 8. His plures e variis veterum traditionibus addi posfent e. gr. Frogerus, qvi a Saxone Odini filius fuisse dicitur; Gautus (Rex Ostrogothiæ Svecicæ) in *Herrauds Saga*, fabulosa sane sed forte tamen ex recentioribus vulgi ejus regionis traditionibus conflata & pl. Cfr. *Müller Sagabibliothek* II, 601.

xime arrisit, cum ipsos Scandinavorum Deos, similibus rationibus inducti, mortalibus tantummodo hominibus adnumerare cæperint, easdem qvoqve (ex Euhemeri principio) opiniones de Diis græco-romanæ mythologiæ adoptantes. Talium commentorum insigne specimen habemus in Eddæ junioris prologo, istâ sine dubio longe recentiore — qvamvis auctor non inepte de gentilium theologiæ origine ac earum de summo cæli Dei opinionibus (pag. 2) ita primo commentatus sit: "Procedente tempore .... res eo devenit ut homines [veri] Dei nomen obliviscerentur, adeo ut in plurimis mundi locis vix ullus exstaret, qvi creatoris sui aliqvam distinctam haberet notitiam. Nihilominus Deus terrena illis dedit beneficia, opes et felicitatem, qvibus in mundo fruituri essent, eoqve modo sapientiam attribuit ut res totius orbis, nec non omnia aëris et terræ visibilia intelligere valerent." [Seqvitur disqvisitio de Telluris, ut magnæ matris, relligioso cultu, qvam supra, in articulo *Jörd*, translatam communicavimus]. Pergit prologi auctor: "Hoc præterea a majoribus, a multis rite computatis seculis, *) observatum perceperant, cursum inæqvalem esse siderum, qvem alia longiore, alia breviore temporis intervallo conficerent. His de rebus suspicati sunt aliqvem esse cælestium orbium ac astrorum directorem, qvi ad propriam voluntatem cursum eorundem moderaretur, qviqve procul dubio præpotens ac validus esset. Porro ratiocinabantur, eundem, siqvidem elementa regeret, prius illum qvam sidera exstitisse. Id qvoqve perspexerunt, si cursum ille dirigeret astrorum, qvod is etiam gubernaret lumen solis, cæli pluvias ac terræ proventus et fructus qvi ex iis oriuntur; idem qvoqve de aëris ventis et maris æstu [ut illi parentibus] statuebant. Ignorarunt qvidem ubi regnum ejus (seu residentia propria) esset, credebant tamen illum cuncta terrestria et aërea, nec non omnia, qvæ ad cælum, astra, mare [aqvas] & tempestatem spectant dirigere. Verum ut hæc eo facilius [ad posteros] tradi et memoriæ infigi possent, nomina [ipsi] inter se [diversa] indiderunt. At hic cultus (sive relligio) multis deinde modis mutatus est, prout gentes segregarentur et lingvæ dividerentur."

Qvod auctor noster, ita conjiciens, ad Odini inter boreales populos, ut summi Dei cultum proximum habuerit respectum, optime illucescet ex huius loci comparatione cum aliis ipsius junioris Eddæ e. gr. pag. 3, 7, 10, 11, 93 & pl., sed præsertim pag. 23, 24, qvæ supra communicavimus. Nihilominus prologi illius concinnator, sui seculi præjudiciis obtemperans, relligionis numina cum eorum flaminibus commutavit. Gentilium nostrorum atavorum vetustissimæ traditiones primum eorum ortum ex Asgardia terrestri,

*) Vel verbotenus: postqvam computati fuissent multoties centeni hyemes (vel anni).

qvæ Asiæ parti certe responduit, asseverabant; — inde priscæ eorum mythologiæ fundamenta deducenda esse, neminem latere potuit. Introducto longe posterius christiano cultu, hic novas illarum traditionum petebat explicationes, ne priscæ relligionis inveterata dogmata recentioribus obstarent. Cum poëtæ ac eruditiores utriusqve sexus homines, præcipue in Islandiâ, civili libertate fruente, mythos eddicos memoriâ amplecti ac tenere pergerent, monachi vel sacerdotes plurimi (perdocto illo Sæmundo ac paucis aliis excepto) pericula talis ethnicismi ita ab animis avertere studebant ut antiqva mythologia acciperetur pro historicis relationibus, tunc inter exteros de Troia, Asiæ priscæ inclytissima urbe, & heroum inde egressorum rebus gestis maxime celebratis. Hanc hypothesin prologus ille eddicis fabulis adaptare conans, ne veterum nostratium Diis, ut veris numinibus, fides ulla indulgeretur, nostram simul mythologiam cum Græco-Romana singulari qvodam nexu cognatam esse multis demonstrare studuit. Hæc ex ejus latiloqventi deductione (pag. 6 & sq.) nobis extrahere liceat: "In Asia, optima et amœnissima mundi parte, cujus populi formositate, robore, sapientiâ et omni scientiæ genere præ aliis sunt nobilitati et celebrati, exstructum fuit diversorium omnium, qvæ unqvam condita fuerunt, inclytissimum. Urbs hæcce Troia fuit appellata *) in ea terra sita qvam nos Turciam vocamus, omnium urbium magnificentissima, utpote qvæ artificiis variis, magnis cum impensis comparatis ac opibus aliis abundavit. Regna eo spectabant duodecim, a singulis regulis gubernata, qvorum unus erat Rex supremus. **) Hi principes universis hominibus, qvi in orbe unqvam extiterunt, cunctis qvalitatibus generosis antecellebant. Nec dubio ea res est obnoxia, consentiunt enim omnes, qvi de his narraverunt, historici. Hinc omnes borealis (mundi) plagæ magnates (vel primores) genealogias suas referunt, ***) at-

*) Hic Upsaliensis codicis librarius non satis mire Romam pro Troia substituere tentavit! Saxo simili modo Byzantium pro Asgardia posuit, Constantinopolis præclaram celebritatem respiciens.

**) Pergunt codices jam supersitites: Þar voro í borginni tólf höfuttúngur o: erant in urbe ipsa [sive regno] duodecim lingvæ capitales; Raskius pro ultima voce restituere mavult *höfdingiar*, qvæ etiam emendatio seqventibus textus verbis optime congruere videtur.

***) Romanos veteres a Troianis suam deduxisse originem notissimum est, — in chronicis medii ævi idem fecisse invenimus ejus temporis Britannos, Francos & plures Europæ gentes, qvibus Dani etiam, ab exteris auctoribus (seculi 10, 11 & 12mi) adduntur. Plurima loca huc pertinentia collegit doctissimus noster *Vedel Simonsen (Udsigt over National-Historiens ældste og mærkeligste Perioder 1 D. 2 Hefte* pag. 11 & sq.) qvi illam qvoqve censuit hypothesin (qvum de Scandinaviæ Gothicis aut Asicis incolis sermo sit) historicis fundamentis non esse destituiam. Ferunt qvoqve veteres traditiones Telephum, Mysiæ (sive Moesiæ — a Getis habitatæ) Priami Regis Troiani filiam Astyochen in matrimonio habuisse. Cfr. porro cl. *Münter Dänem. und Norveg. Kirchen-Geschichte* I, 120. *Geijer Svearikes Häfder* I, 395, 417

qve principes illius urbis inter numina locant, sed in primis ipsum Priamum pro Vodeno sive Odino ponunt, nec id mirum haberi potest, qvoniam Priamus a Saturno erat genere oriundus, qvem septentrio ipsum fuisse Deum per longa tempora crediderat." Seqvuntur varia e mythologiâ Græco-Romana excerpta pag. 7-10, ita tamen explicata, qvod Saturnus homo fuisset Cretensis, fortitudine, formositate & sapientia ac magica arte insignis; ad principalem dignitatem evecto felicitas & abundantia temporum, illis ejus qvalitatibus additæ, divinum ei procuravere honorem, ut semet ipse cæli et omnium rerum gubernatorem dixisset ac nuncupasset. Saturnus nihilominus hoc imperium inter filios dividens, cælum assignavit Jovi, qvem nos Thorem (sive Thorum) vocamus *), Neptuno autem terram & Plutoni infernum. Jupiter cælesti regno non contentus, terrestre inprimis affectavit & patrem igitur bello persecutus in suam potestatem redegit. Saturnus postea ab illo castratus, fugâ vitam servavit & Italiæ omnifariam culturam ac abundantiam adtulit, ibi Niordum se appellans; cfr. *Niördr* s. Inseritur porro (pag. 10) genealogia Priami, a Dardano Jovis filio deducta; Troianorum fortitudo, imprimis Hectoris, elevatur summis laudibus (pag. 11), ut etiam illorum, institutiones et jura, qvas Romani, eorum soboles, imitati fuisse feruntur. "Tanta vero hujus gentis hominibus insedebat virtus, ut multis postea seculis, qvum Pompejus Romanus expeditionem militarem in orientem duxit, ac Odinus ergo peregre ex Asia huc in septentrionem profugit, hic tunc sibi suisqve illorum nomina imposuerit, dixeritqve Priamum Odini, reginam vero ejus Friggæ nomina gesisse, â qvo (scilicet Friggæ) nomine, regnum [Phrygia] ubi urbs erat, nuncupatum fuit." **) Seqvitur relatio de Troe, qvem nos Thorem sive Thorum vocamus, Priami

& sq. *Estrup Bidrag til Normandiets Culturhistorie* pag. 44-45. — Dardanos (ut Troiani sæpe sunt nominati) in Moesia ad Danubium (uti alioqvin Getas vel Gothos) res suas constituisse refert Plinius (III, 2) ils Moesos, Thraces & pl. ibi mixtos aut vicinos esse perhibens. Dardanos cum Thracibus & Geticis variis populis in istis locis habitantibus, ac contra Romanos bella gerentibus, *Livius* & *Polybius memorant*; vid. *Sheringham* de origine Anglorum pag. 116 & sq. Ovidius suo tempore Moesiæ lingvam ex Getica & Græca illi admixta compositam ait, qvod etiam nos edocent lingvæ Moesogothicæ monumenta.

*) His assentiunt clericorum Anglo-Saxonicorum commentarii e. gr. homilia ex Mscrto a Sheringhamo allegata (pag. 311) de Saturno, homine (Cretense) patre Jovis, qvem gentes nonnullæ Thorum vocant, a Danis divino cultu adoratum &c. Vid. Þór i.

**) Hæ cum vetustarum Francorum traditionum tenore aliqvam produnt similitudinem. Prosper Aqvitanus (anno Christi 463 fatis defunctus) narrat Francos borealis Germaniæ, Daniæ proximos vicinos, Priamum qvendam, Gratiani Cæsaris temporibus, Regem habuisse, qvum nostratium antiqvissima monumenta Francorum principes ab Odino vel aliis Asis originem habuisse ferant. Fredegarus Scholasticus (mortuus 658) refert dimidiam profugorum Troianorum partem, Friges a proprii regis nomine appellatam, Asiâ peragrata Danubii et Euxini ma-

ê filiâ nepote, Thraciam, sive ê nostratium idiomate Thrudheimum, adqvirente. Is Sybillâ sive Sifa uxore ductâ propater evasit amplisſimæ stirpis, cujus genealogia (pag. 12) ex exteris, verisimiliter Anglo-Saxonicis, auctoribus excerpta) *) sic exhibetur:

Tros (Thor) — *Sybilla* (Sifa)

|

Loride, [al. *Loricha; Hlóriþi*] patri similis [ingenui nostratium Thori alioqvin cognomen].

|

Henrede [al. *Eredei*, verisimiliter *Eindredi*, *Einridi*, *Endridi*, aliud Asa-Thori eddicorum nominum].

|

Vingeþór [aperte nil aliud qvam tertium illud *Vingþór*].

|

Vingener [ɔ: *Vingnir*, qvartum Dei agnomen].

|

Moda [nostrum *Modi*, Thori filius].

|

Magi [Eddarum *Magni*, alter Thori filiorum].

|

Cesphet vel *Setsmeg*, *Seseph* [*Seskef*, *Sescef*] (nostratibus alioqvin, ni fallor, ignotus).

|

Bedvig al. *Bedui*.

|

Atra, "qvem nos dicimus *Annan*" [forte *Anar* sive *Onar*, a Skaldis Jardæ sive Terræ pater vocatus].

|

Iturman al. *Trinan*.

|

Heremod vel *Eremod*, *Heremóts* (qvem Edda appellat Odini filium).

|

Skialdun al. *Skialdin*, *Scealdua* "qvem nos Skioldum vocamus" (alter Odini filiorum).

|

Biaf, *Beaf* "a nobis *Biar* appellatus" Upsal. Cod. *Bavr* (*Bör*) — (forte pro *Sciaf*, ASax. *Sccaf*, ex cl. Raskii conjecturâ **)

---

ris oras occupasse. Inde posterius multi ejusdem gentis; Francorum nomine asſumto, sedes tandem ad Rhenum fluvium fixerunt — quum relicti alii Turcarum (vel Turchorum) nomen ceperint. Plura huc pertinentia videantur apud cl. *Vedel-Simonsen* l. c. pag. 13 & sq. it. *Grimm Dänische Heldenlieder* pag. 433-437. Cfr. *Suhm om Odin* &c. pag. 79-80.

*) Cfr. ex. gr. Genealogiam e variis Anglosaxonicis scriptis (præcipue Chronico Saxonico) a Langebeckio compositam l. c. I, 7 &c. ut et aliam Ethelredi apud Sheringhamum (de Anglorum gentis origine) pag. 427 qvæ Angliæ regum stemma deduxit a — — — *Bealdag* (*Bældæg*), cujus pater *Woden*, qvi fuit filius *Frithuvald* vel *Fredewald* qvi & *Freolf*. Inter hujus propatres nominantur *Geta* (*Jat*), *Beav*, *Celdva* vel *Sceldva*, *Heremod*, *Itermod*, *Hathra* (*Atra*), *Beadvig*. — Prima illa nomina in Eddæ prologo recitata Anglosaxonicam certe sapiunt scribendi rationem, unde id probabile ducimus, qvod ingenua Thori, ut mythici Dei, aguomina, ab extero homine, pro variorum illius posterorum propriis nominibus sint accepta. Inde tandem iterum illa in mythicam nostratium auctorum, serioris ævi, historiam vel historica commenta irrepserunt.

**) Hactenus ad hanc genealogiam respondet alia (Haraldi pulchricomi) e Codice Flateyensi — ad calcem Eddæ junioris editionis Raskianæ impresſa (pag. 368), cujus variantes lectiones præscriptis nominibus addidimus. Hæc tamen post *Beafum* omittit nostri *Jat* sed addit post

Jat, [*Eat*, *Geat*, *Geata*] *).

Gudólfr [*Godulfr*].

Finnur [*Finn*] (ex Codicis Upsaliensis intercalatione, occurrit qvoqve in *Langfedgatali*).

Fiarleif (Upsal. *Friálafr*), *Langf.* t. *Frealaf* "qvem nos vocamus" *Fridleif*.

Godolfum seqventia: "Ejus filius fuit *Burri* qvem nos vocamus *Finn*; huius filius *Friálafur*, qvem nos dicimus *Bors*; eius filius *Vóden* qvem nos vocamus *Odinn*; is fuit Turcarum Rex." Cum hac iterum comparandum est aliud stemma (ibid. pag. 366 — Haraldi ab Odino) ita incipiens: "*Borri* Rex qvidam appellatus est qvi Tyrklandiæ [Turkestaniæ, Turcarum terræ] olim præfuit. Ejus filius erat *Burr*, qvi fuit pater Odini, Asarum Regis, patris Freyeri, patris Niordi, patris Freyeri [secundi — qvi alias *Yngvi Freyr?*] patris Fiölneris" &c. qvæ ad tenorem historiæ Ynglingicæ exprimuntur. Prologo Eddæ e maxima parte convenit genealogia Haraldi pulchricomi, nota sub nomine *Langfedgatal*, impresla apud *Langebeck* (script. rer. Dan. med. ævi) I, 2 & sq. ubi Frealafi filius dicitur "Voden, nostratibus Oden," his additis: "Ab eo descenderunt plurimæ Regum stirpes in mundi septentrionali plaga. Erat ille Rex Turcarum. Fugit à Romanis aqvilonem versus."

*) Hic Geata, verisimiliter Gothorum meridionalium *Gavt* vel *Gapt*, nostratium *Gautr*, i. e. Odinus ipse, a Nennio dicitur vocatus fuisle "filius Dei" (ab aliis Deus ipse) et primus propater fuisle fratrum celeberrimorum Hengsti & Horsæ, Saxonicorum Britanniæ victorum. Cfr. Bedæ Histor. eccles. I, 15 & Wilhelmum Malmesburiensem qvi hos fratres a Vodano, multorum regiorum stemmatum auctore, genus derivasle adserunt, per filium ipsius Vittam aut Vithar [nostrum *Viturgils* — vel potius *Vidar?*]. Ab illa genealogia in multis differt alia Nennii, (auctoris sec. 7mi) ita qvidem concinnata (Hist. Brit. Cap. 28 apud Gale: Script. hist. Angl. I, 105):

Geata "(qvi fuit, ut aiunt, filius Dei)"
|
Folepald
|
Fuin [*Finn*]
|
Fredulf
|
Frealf
|
Vuoden
|
Guicta
|
Gugta
|
Gutgils [alioqvin nomen Scandicum *Godgils* sive *Godgisl*]
|
Hengist. *Horsa.*

Reges primi Angliæ britannicæ.

Ethelredus posteriores Anglosaxonicos Reges vocat *nepotes Vuoddani*, sed Vilhelmus Malmesburienses *abnepotes Vodeni*, Re is (ex amborum testimonio) pro Deo culti (de qvo momento inferius plura).

Vóþinn (Vodanus) "qvem nos appellamus *Oþinn* (Odinum).

Fuit Odinus vir sapientiâ ac omnibus naturæ et artis dotibus celeberrimus. Uxor ejus vocabatur Frigida, qvam nos tamen Friggam appellamus. Ambo artem præsagiendi futura callebant. Odinus, per eam scientiam, nomen suum in boreali mundi plaga celebrandum atqve super omnes reges honorandum fore cognovit. Hac de causa cupiditatem concepit iter e Turcia suscipere, adduxitqve secum magnam copiarum multitudinem, juvenes & senes, viros et fæminas, qvi res complures pretiosisſimas secum avexerunt. Ubicunqve vero per terras profecti sunt, egregia qvævis magna de iis narrabantur, ut similiores qvidem Diis qvam hominibus viderentur. Hi non prius substiterunt, qvam in borealem illam regionem, qvæ jam Saxonia appellatur, devenirent. Ibidem Odinus diu est commoratus, et multa ejus terræ loca in suam posſesſionem redegit; tresqve deinde filios, conservandæ regionis causa, reliqvit. Horum unus Vegdeggus nomine, rex erat potens, qvi Saxoniæ orientali dominabatur; hujus filius erat Viturgils, pater Pictæ (sive Rittæ) pater Heingesti, alter autem Sigar, pater Svebdeggi qvem nos Svipdagum nuncupamus. Alius Odini filius nominabatur Beldegg, qvem nos Balderum appellamus; is posſedit regionem eam qvæ jam Vestfalia vocatur. Ejus filius fuit Brandus, e. f. Friodigar qvem nos Frodium dicimus; e. f. Freovit, e. f. Yvigg, e. f. Gevis, qvem nos appellamus Gave *). Tertius deniqve Odini filius nominatus est Siggius (*Siggi*); ejus filius Verir sive Rerir **). Hi ambo, nepotum suorum atavi, terræ dominabantur qvæ nunc Francia [*Frackland*] vocatur, atqve inde stemma Volsungorum, ita dictorum, est oriundum. Ab his autem omnibus stirpes amplæ et multæ descendunt. — His peractis Odinus ulterius pergit boream versus atqve in terram devenit qvam Reidgothiam (*Reidgotaland*) ***) nuncuparunt, ubi qvicqvid ei placebat in ejus posſesſionem cesſit. Huic terræ filium suum, qvi Skioldus nominatur, præfecit, cujus filius Fridleifus fuit. Hinc derivata est prosapia, qvæ Skioldungi appellantur, Reges videlicet Daniæ;

*) Cfr. Anglosaxonicæ Regum Genealogiæ: *Gevis, Frevine, Freodgar, Brand, Bealdag, Woden* &c.

**) Rectisſime forte, e Raskii conjectura *Velsi* sive *Völsi* Volsungorum propater, in carmine Anglosaxonico de Skioldungis (sive Scyldingis) pag. 68 (transl. Dan. pag. 81, 279) nominatus.

***) Terram [continentem] Gothorum eqvitantium. Nomen idem Skalda explicat (in appellationibus virorum) pag. 195, ut supra nos observavimus ad. artic. *Gautr* in observatione. Ambæ illæ divisiones (o: terræ a Gothicæ originis hominibus inhabitatæ) olim forte uno nomine *Gotnaland* sunt nuncupatæ, qvod revera occurrit *Gr. M.* 2. Cfr. alioqvin Glosſ. T. I. ad hanc vocem ut et T. II, ind. nom. propr. in artt. *Godþiód, Gotar, Gotnar, Gotnescr.* His jam addendum qvod doctisſ. *Grimm* nuper monstraverit vocabulum *Guthiuda* apud meridionales Gothos nostro *Godthiód* (sive *Godþiód*) adcurate convenire.

nobis autem Jutia (sive Jotlandia; *Jótland*) audit terra ista qvæ tunc Reidgothia fuit appellata *). Porro ulterius se in boream contulit, eo ubi nunc *Svíþiöd* **) i. e. Svecia vocitatur. Ibi tunc Rex qvidam nomine Gylfius *(Gylfi)* imperavit. Cui cum adventus indicaretur Asianorum, qvi Asæ nuncupabantur, obviam illis processit, ultroqve Odino tantum potentiæ in regno suo, qvantum ipse vellet sibi sumere, sponte obtulit. Ceterum adeo exoptata Asianorum profectionem comitabantur tempora, ut ubicunqve terrarum commorarentur, pax et annonæ ubertas vigerent, qvorum bonorum omnes eos esse auctores crediderunt. Et enim id cuncti potentiores cernebant viri, qvod illi omnibus aliis, qvos antea vidisfent, tam qvoad formositatem, qvam sapientiam (præcellendo scilicet) essent disfimiles. Terram hanc Odinus floridam esse et fertilem animadvertit, ibiqve elegit urbi locum, qvæ nunc vocatur Sigtuna *(Sigtún)* ***). In hac urbe duodecim constituit principes (vel magnates), ad similitudinem rerum ante Troianarum, qvi jura ordinarent & judicia exercerent in eum modum, cui Turcæ assveti fuerant. Postea ad septentriones propius pergit, donec eum exciperet oceanus, qvem omnes terras cingere putabant. Is ibi filio suo, Semingo dicto, regnum destinabat ubi nunc Norvegia vocatur. Ab hoc Semingo genus suum numerant reges Norvegici, ut et comites ac alii magnates, qvod etiam in Halogianorum recensu monstratur. At filium suum Yngvium apud se detinuit Odinus, qvi post eum Sveciæ Rex evasit, ac auctor simul amplisfimæ Ynglingorum familiæ. Ex indigenis ibi Asiani uxores sibi vel filiis suis delegerunt; hæc stemmata per breve tempus adeo multiplicabantur, ut per Saxoniam et inde per cunctas boreæ regiones dispergerentur & Asianorum illorum lingva propria per has omnes terras propagaretur. Hoc etiam a nominibus atavorum eorundem concludi potest, qvod scilicet illâ isti lingvæ adhæserint, at Asiani ipsam secum transtulisfent in boreales hasce regiones, Norvegiam nimirum, Sveciam, Daniam et Saxoniam. Non tamen in Anglia desunt vetusta (qvædam) tractuum et oppidorum nomina, qvæ ab aliâ, qvam hâcce lingvâ istis sunt indita." Hic finit prologus junioris Eddæ, sed liber ipse orditur, ista de Gylfio, Sveciæ Rege, narratiuncula, qvam articulo *Géfion* supra nos inserui-

*) Hæc aliter in Originibus Norvegicis (in codice Flateyensi) qvæ Lofdium et ejus posteros, inter qvos Eylimius, Reidgothiæ Reges fuisse tradit. Cfr. Edd. ant. II, 34, 124, 869.

**) Fertur etiam Svecia Skaldæ l. c. dicta fuisse *Svíþiód* [*Svidþiód*, *Svíþþiód*] ab alio Odini agnomine [*Svidr*, *Svíþr*] q. v.

***) Hæc intercalat Codex Wormianus: "Id ex ejusdem nomine [*Sigi?*] erat deductum. Hic ille regiam sibi adserebat potestatem, Njordusqve nomine proprio vocari voluit. Hinc est, qvod in libris historicis inveniatur, Njordum fuisse nomine regum Svecorum primum, nam Odinus illic fuit rex magnificentisfimus."

mus. Seqvitur Gylfiana illusio; cujus primam introductionem sectioni de Valhalla suo loco intercalare in proposito habemus.

In antiqviore Edda nihil illarum Trojanarum fictionum occurrit, et idem certe de ingenuo ipso junioris textu fateri cogimur ad epilogum usqve illusionis Gylfianæ (pag. 78): "Asæ considentes et inter se consultantes collocuti sunt, et hanc jam [Gylfio] prolatam narrationem totam revolvunt, adlataqve superius nomina hominibus et locis ibi [in Svecia?] præsentibus adaptant, eum scilicet in finem, ut procursu temporis nemo dubitaret Asas esse ipsissimos solos ac eosdem, qvos hæ narrationes indigitant, ac qvibus hæc nomina imposita fuerant. Tunc ibi dictus fuit . . . Thorus, qvi revera Thor Asicus (sive Asiaticus) [*Ása-þór*]; antiqvus enim ille Thorus est (fuit) currum (fulminantem) agens [*Öku-þór*]. Huic autem assignata sunt prægrandia illa gesta, qvæ Hector in Troia patravit. Sed qvicqvid de Ulyxe memoriæ traderent Turcæ, hic Lokii nomine sunt convelata, nam hi hostes ejus erant infensissimi." In sermonibus Bragianis nulla facitur exterarum harum rerum vel commentationum mentio, nisi in libelli istius (et totius simul prosaicæ Eddæ) epilogo, qvi singulari suo tenore commentatoris propositi finem aperte indigitat, his ejus ipsissimis verbis: "Hæc autem poëtis juvenibus dicta sunto, qvi phrases poëticas cupiunt addiscere, sibiqve appellationibus antiqvis copiam verborum comparare, nec non carmina obscura rite intelligere, — ut librum huncce eruditionis et oblectationis causa sibi reddant familiarem. Monendum qvoqve est has traditiones (seu narrationes) non adeo esse negligendas vel mendacii coarguendas, ut e poësi veteri locutiones eximantur, qvas summi poëtæ hactenus sibi displicere non fecerunt. *Interea tamen homines Christiani in numina non credant ethnica*, nec aliter fidem narrationibus hisce adstruere vel adhibere debent, qvam in libri hujus prooemio monitum est de causis et occasionibus, cur et qvomodo genus humanum a vera fide aberraverit, — sicut et postea relatum est de Turcis, qvomodo scilicet homines Asiani, qvi Asæ appellantur, *falsiloqviis suis historias de rebus in Troja gestis inverterint*, eum videlicet in finem, ut populus harum terrarum indigena eos postea numina fuisse crederet. Priamus [qvidem] Troiæ Rex, totius Turcarum exercitus fuit princeps, ejusqve filii universi nobilissimi duces. Palatium illud egregium qvod Asæ *Brimis sal* vel *biórsal* appellaverunt, aulam significavit Regis Priami *). Sed qvod prolixam de crepusculo Deorum

*) Commenta hæcce satis perverse spectant ad obscura Valiani carminis dicta (str. 33):

— — — *Biórsalr jötuns*
Sá er Brimir heitir

et Eddæ junioris verba (pag. 75) *í Þeim sal er Brimir heitir* &c. Vid. artic. *Brimir* s.

condiderint narrationem, bellum innuit Troianum". Seqvitur inepta *Ökuthoris* et *Ectoris* vel *Hectoris* ac similes aliæ comparationes, qvas supra ad articulum *Jörmungandr* translatas communicavimus, his qvoqve in fine additis: "Elenus iste ab Asis Alius (*Ali* i. e. *Vali*) nuncupatur. Dicunt enim eum fratrem suum ultum fuisse, ipsumqve mortuis omnibus Diis supervixisse, etiam exstincto incendio, qvod Asgardiam et universas Deorum opes consumserat. Pyrrhum vero lupo Fenreri æqvipararunt, qvi Odino necem intulit; sed hic Pyrrhus eorum qvidem sententiâ lupus vere dici potuit, qvum nec parceret asylis, siqvidem Regem ante ipsius Thori [Jovis] aram in fano percuteret *). Verum Modius et Magnius, filii Öko-Thori redierunt, ut terras ab Alio [Valio] vel [et] Vidare reposcerent et recuperarent. Hic autem idem est ac AEneas, qvi a Troia profugus, multa deinde præclara edidit facinora. Traditum qvoqve est filios Hectoris, in Phrygiam delatos, regnum illud occupantes Helenum expulisse". **).

An nulla veritas lateat in illis de Troianæ gentis posteris in septentrionem nostrum, per regiones ponto Euxino vicinas immigratis, non hic ulterius disqvirere licet; adnoto tantum eam docti inter coævos patriæ historicos viri conjecturam qvod Turcarum illud nomen in prologo Eddæ a Teucris sit corruptum, ***) qvamvis Asia minor, auctoris tempore, a Turcis fuerit possessa, et suo qvoqve tempore Turcia præcipue appellata. Certe a pluribus medii ævi septentrionalibus scriptoribus memoratur Turcarum & Asarum (vel Asianorum) antiqvissima in Scandinaviam immigratio (Troianis tamen hic non ullo verbo memoratis). Præcipua huc pertinentia loca his inserere non pro superfluo ducimus. Illis traditionibus tenore suo proximâ videtur esse seqvens Rimbeglæ narratio: ****) "Omnes relationes in lingva boreali [sive Norvegicâ] qvibus veritas subest, tum exordium ca-

*) Hic certe auctor noster respexit juridicam sacrilegi inter veteres boreales denominationem: *Vargr i veum* o: pro lupo in sanctuario sive asylo etiam habendus. Vide Glosf. T. II, v. *Vargr*; cfr. *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 21-23, 134-136.

**) Hæc sua ultima (ut videtur) verba commentans ille intercalator applicari voluit ad relationes eddicas (*VSpá* 55) de Hödo et Baldero Deorum sedes recepturis.

***) *Vedel Simonsen*, *Udsigt* &c. l. c. pag. 138-159 qvi etiam Asgardiæ illas ac Troiæ & plures similes commutationes historice explicare tentavit. Auctor sectionis Skaldæ de figuris rhetoricis (pag. 308) sic tandem Odinum et ejus comites ut meros homines memorat, qvi qvidem locus prologi ac epilogi Eddæ junioris scriptori suarum commentationum ex aliqva parte ansam dedisse videtur: "— — ars poëtica, qvam Odinus et alii Asiani huc boream versus advexerunt, qvando plagam mundi septentrionalem incolendo accesserunt, docueruntqve populum suâ vernacula lingvâ, qvem ad modum illi instituerant et perdidiscerent in ipsa Asia, ubi scilicet summa elegantia, opulentia atqve eruditio mundi viguit."

****) *Rymbegla, sive rudimentum computi ecclesiastici et annalis veterum Islandorum* &c.

piunt, cum Turcæ et Asiani septentrionem inhabitare cæperint. Qvare pro certo statuitur, lingvam illam, qvam Norræ-nam dicimus, una cum illis huc in septentrionem venisse, qvæ lingva in Saxonia, Dania, Svecia, Norvegia et aliquanta Angliæ parte exstitit vernacula. Princeps populi huius fuit Odinus Thori filius [*Þórs son*] *); is multos habuit filios. Multi ab Odino genus suum deducunt. Is filios terris suis præfecit ac principes creavit. Uni filiorum ejus fuit Skioldi nomen, qvi regionem illam occupavit, qvæ nunc audit Dania, verum tunc temporis hæ regiones, in qvibus Asiani sedes posuere, salutabantur *Godlönd* (terræ Divorum vel Diis subjectæ aut parentes) populus autem *God-jód* (liberi sive proles Deorum) **). Inter Skioldum & Ing-Freyerem fratrem ejus, qvi regnum qvod jam Svecia vocatur condidit, fines sunt constituti. Odinus et ejus filii erant viri sapientissimi et artium magicarum periti [proprie: multiscii] pulchri adspectu et validi corporis robore. Exstiterunt qvoqve in eo genere multi alii excellentissimi viri, variâ perfectione ornati, qvorum aliqvem [& nonnullos illorum] sibi [sacrificiis] colendum, in qvo fiduciam, collocarent, Ethnici elegerunt ac Deum suum salutarunt." Varia posterius de Troianis ac eorum posteris (Priamo, Antenore & pl.) referuntur (pag. 402–407) sine ulla eorum cum Asis (sive Asianis) comparatione vel combinatione.

Eddis ipsis magis conveniunt Historiæ Ynglingicæ vetustissimæ relationes, qvamvis illius auctor mythicas nostratium traditiones historicæ narrationi adaptare continuo sit periclitatus. Opinor sane ipsum usum fuisse antiqvissimis relationibus, in hisce terris indigenis, de populi Asiani, e regionibus Caucasiis ac Tanai & ponto Euxino olim vicinis, ad balthici maris oras & ulterius in Gotho-Joticas hasce terras, qvi qvidem simul Odini ac aliorum Divorum Asarum relligiosum cultum huc advexerit, hierarchiâ orientali & variis ejus institutionibus hic qvoqve constituta ac per longum temporis spatium deinde

Havn. 1780; 4 pag. 316 ut et fragmentum membranaceum vetus apud *Langebeck*, *Script. rer. Dan. med. ævi* II, 34-35.

*) Sic qvoqve prologus Eddæ Thorum (sub Troïs et variis aliis Deo huic inter nostrates olim attributis nominibus) Odini atavis annumerat.

**) Ejusdem fere sensus ac ambarum Eddarum *GodÞiód*, *Godthiód* (Gothorum meridionalium *Guthiuda*) ut nuper nos observavimus. — Thiodolfo ipsi Hvinensi (seculi 9ni poetæ) illas denominationes familiares fuisse, elucere videtur ex appellatione *God-konúngr* (divinæ genis rex) qvam ipse in Ynglingico suo carmine attribuit Ingialdo Sveciæ Regi (Yngl. S. Cap. 44). Ingialdus Ynglingorum (qvi Diis editi credebantur) in Svecia regnantium, ultimus fuit, sed posteriores Sveciæ monarchiæ nihilominus divinum idem genus jactabant. Vid. e. gr. *Saga Ol. helga* Cap. 96 (*Hkr.* II, 137) ubi Sveciæ Uplandicæ (sive Upsalensis) regum familia (sec. 11mi) "ab ipsis diis edita" appellatur ab homine Sveco, qvi insuper "Deos longo tempore eam suam prosapiam curiose servavisse" observavit.

exercitâ. Geographicâ Tanaidis fluvii ac vicinarum regionum adumbratione absolutâ, ita inter alia hæc primum refert (Cap. 2): "Ad orientem Tanai *) in Asia confinis regio dicta fuit *Ásaland* sive *Ásaheimr* **) (Asarum terra vel habitacula) caput autem (sive metropolin) regionis vocarunt Asgardiam (*Ásgard*). In ea urbe is principatum gessit, qvi Odinus fuit vocatus ***), locus ibi erat amplus, sacrificiis celebratus. Ibi id moris erat, ut duodecim essent templorum (vel templi) summi antistites, ****) illiqve simul et sacrificiorum arbitri et juris dicendi. *Díar* (Dii) hi vocabantur sive *Drottnar* *****) (domini) qvos officiis colere atqve venerari, totius erat populi. In bello perqvam strenuus arma longe lateqve circumtulit Odinus ac multa regna suæ fecit ditionis. Erat adeo victoriosus, ut qvovis in prælio prospera uteretur fortunâ; qva re factum est, ut sibi persvaderent ejus milites, propriam ejus, qvoties pugnaret, esse victoriam. Erat id ei moris, suos in prælia aut ad alia negotia mittenti, ut manibus capiti ejus impositis †), fausta qvævis illis ominaretur; hoc facto sibi prosperum pollicitabatur successum. Sic qvoqve mos erat ejus militibus, ut ubicunqve locorum, terra marive, periculis objiciebantur, ejus invocarent nomen, qvo facto, cum optatum

*) In textu *Tanaqvisl*; hic forte rectius *Tanaqvislir* (sive *Vanaqvislir* secundum Cap. 1) i. e. regioni inter Tanain & Vardanem sitæ.

**) Multa septentrionis loca e vetustissima mythologia nomina accepisse neminem latebit. Sic in Thelemarchia Norvegiæ adhuc duo tractus vocantur *Aasheim* & *Maunheim* (*Wille Sillejords Beskriv.* 1786, pag. 16). Hic qvoqve *Udgaard* reperitur ut e Lundii Tellemarchiæ descriptione discimus; 1785 (pag. 187).

***) Verba hæcce, adcurate expressa, mihi videntur involvere talem sententiam, qvod summus urbis princeps Odinus (semper) appellari soleret, ut titulo qvodam, ejus dignitati convenienti; sic adhuc Tibetanorum & vicinarum gentium hierarchæ perpetuo vocantur *Dalai Lama*, *Bogdo Lama* &c. ut alia permulta taceamus exempla. Latina Havniensis editionis versio (I, 6) periodum illam ita brevius vertit: "in urbe principatum gessit Odinus" & sic qvoqve aliæ Danicæ. Cfr. prologum Eddæ junioris (pag. II, 12) ubi plures vel multi etiam potentes principes Odini nomen et gesta sibi arrogasse innuuntur (si obscura ea auctoris dictio in hunc modum rite debeat explicari).

****) *Hof-Godar* (in Islandia etiam simpliciter *Godar*). Vox *Godi*, *Gudi* (in gen. & acc. sing. *Goda*) est Moeso-Goth. *Gudja* et præterea convenire videtur veteris Perso-Pehlevicæ dialecti *Khoda* princeps &c. qvæ vox etiam in hodierna Persia & India oppidorum consulibus vel præfectis adtribuitur (ut *Ket-Khoda* &c.). Oppida plurima Indiæ alioqvin a concilio 12 virorum ad hodiernum usqve diem dirigi solent. Cfr. Glosl. T. II, v. *God* (ubi vocis illius, a Moesogothis qvoqve receptæ, etymon in Islandica & Persica lingva eadem significantiâ gaudere luculenter monstratur).

*****) De voce *Díar* (asiaticæ qvoqve originis) vid. Gl. T. I, ut et II, in vocab. *Dis*, *Tir*, *Tivar* & pl.; — cfr. T. I, & II, v. *Drottinn*.

†) De obscuro hocce (ut videtur) loco, cum textûs vocabulum *bianak* respexeris, satis commentati sumus ad carmen *Hávamál*, str. 161, obs. 120.

auxilium semper præsto esse videretur, eum præsentem ut tutelarem Deum venerati sunt. Petiit sæpe regiones adeo remotas ut multo sannos itineri daret. (Cap. 3). Odino erant duo fratres, alter dictus *Ve* alter *Vilir*. Hi eo absente, imperio præfuere *) — — — (Cap. 5). Ab euro-aqvilone, libanotum versus, perpetuum magnorum montium porrigitur jugum,**) qvo Svionia [Scythia] magna ab aliis distingvitur regionibus. Ad australe dicti jugi latus posita regio haud longe abest a Tyrklandia [Turcarum regione; Turkestania] ubi amplisſimas habebat Odinus posſesſiones. Illo tempore late per orbem arma circumtulere imperatores Romanorum, omnes gentes sub jugum mittentes; cujus belli tumultui ut se subducerent, posſesſiones suas deseruere principum multi. Odinus autem, qvâ erat divinandi solertia multarumqve rerum scientia instructus, cognitum habebat suam prosapiam orbem septentrionalem esſe habitaturam. Fratres igitur suos *Ve* atqve *Vile* ***) Asgardiæ præfecit; ipse autem omnibus Diis (antistitibus sacrorum summis) et alia ingenti virorum [vel etiam hominum] turbâ comitatus, primum occidentem versus in Gardericiam (Rusſiam) est profectus, deinde ad austrum in Saxoniam. Plurimi ei fuere ſilii. Multas per Saxoniam occupavit regiones; hisce tuendis ſilios præfecit. Flexo deinde boream versus ad mare itinere, sedem sibi elegit in insula qvadam, qvi locus jam dicitur *Ódinsey* (Odini insula; hodie Odense) in Fionia. Hinc misit Gefionam qvandam boream versus, novam qvæsitum terras." [Relatio seqvens de origine Sælandiæ ubi Skioldus, Odini ſilius, postea regnavit, Lethræ residens &c. videatur in artic. *Gefión* s.] — "Odinus au-

*) De eorum cum Frigga conversatione &c. vid. *Frigg* s.; de contentis capitis qvarti cfr. *Hœnir, Mimir, Niördr, Vanir, Freya, Freyr.*

**) Hæc descriptio bene qvadrare videtur in maxima illa montana juga, qvæ jam Altaica & Mussarica dicuntur, Kaschgariam (Casarum — sive Asarum? regionem) & Turkestaniam (Turcarum primitivorum terram) e magna parte cingunt & a Scythia Tatarica distingvunt. Moses Chorenensis Turchiam suam inter fluvium Rha (Etel sive Volgam) ac Imaum montem & Zenæ (Sinæ sive Sericæ) fines collocavit. Rerum Byzantinarum plures scriptores Turcas in Caucaso, jam proprie sic dicto collocant, sed hi a Plinio & Mela (I, 21) in regionibus Tanaidi & Mæotidi vicinis positi fuerant. In Turkestania illa propria olim variis temporibus certabant vel florebant relligiones Turanicæ, Iranicæ (Perso-Medicæ) et Indicæ (præcipue ea, qvæ Buddhistica vocatur, et jam a multis, non sine probabilibus argumentis, Odinianæ cognata esſe putatur). Illæ qvoqve montanæ regiones humanæ nostræ stirpis ac in specie gentium earum qvas doctisſ. Klaprothius Indo-Gothicas vocat, prima patria fuisſe videntur. Hinc gentes Alanicæ in Caucasias valles egresſæ, inde postea per Asiam & Europam longæ lateqve sunt diffusæ, Asarum nomen olim in boreali Europa usitantes, sed partim adhuc in ipso Caucaso retinentes. Cfr. *Ásgardr, Áss (Ás)* s.

***) In textu *Vila* (acc. casu) — qvod eddicæ onomatologiæ optime convenit, qvamvis hujus *Vili* prius ab auctore *Vilir* fuerit nominatus.

tem, certior factus, terras ad orientem [in Svecia] positas, qvas tenebat Gylfius, bonæ esse frugis, illuc profectus, foedus cum eo pepigit; sensit enim Gylfius non satis sibi esse virium, ad Asis resistendum. Mutuas vires, in magicis imposturis atqve præstigiis, sæpe experti sunt Odinus et Gylfius, Asis semper superioribus *). Sedem sibi elegit Odinus, ad lacum qvi *Lögur* [Mæler] dicitur, *in eo qvidem loco* qvi nunc vetustior Sigtuna (*forno Sigtún*) vocatur, exstructo ibi templo ingenti, sacrificiisqve (aut relligioso cultu) ad morem Asarum institutis. Suæ possessionis fecit totum tractum, qvem Sigtunas (*Sigtúnir*) fecit nominari. Habitandas etiam sedes assignavit templorum antistitibus. In Noatuno habitavit Njordus, Freyerus Upsalis, in Himinbjargis Heimdallus, Thorus in Thrudvangia, in Breidablico Balderus. Omnibus habitacula dedit optima **). — (Cap. 6). Asicum hunc Odinum, unacum Diis terras septentrionales ingressum, artes ibi inchoasse aliosqve docuisse, qvas longo postea tempore exercuerunt homines, pro vero est proditum. Omnium longe præstantissimus his in rebus erat Odinus, ab eo didicere (cæteri) omnes artes; is enim præ cæteris eas omnes calluit." — — [Describuntur in seqventibus maxima ejus formositas sed inimicis tamen torvissima facies; atqve varia ejus magica artificia ***), pro divinis miraculis habita. Laudantur porro summa ejus eloqventia et artis poëticæ peritia, qvapropter is et sacerdotes ei subordinati *carminum artifices* sunt nuncupati; qvæ qvidem ars in terris borealibus suam iis debet originem]. — (Cap. 7). "Hisce eximiæ virtutis artibus longe lateqve ejus incla-

*) Hic forte aliqvis habitus est respectus ad contenta primæ-junioris Eddæ partis, qvæ *Gylfaginning* ɔ: Illusio Gylfiana [ut Gylfio ab Asis facta] inscribitur.

**) *Omnia hæcce loca, e mea sententia,* ut *Deorum habitacula in coelo fuerant posita.* Sic e gr. *Sigtún* significat: lentæ demissionis [astrorum] campum (sive campos); *Uppsalir*, atria sive domicilia superiora; *Himinbjörg* cælestes montes, rupes vel excelsa; Þrúdvángr Thrudæ aut roboris ɔ: fulminis campos ɔ: aëra &c. Cfr. *Nóatún, Niördr* s. Nihilominus nomina illa terrestribus locis addici potuerunt & partim sunt addicta.

***) Sic e. gr. exuvias sæpe mutavit Odinus, jacente corpore ut sopito aut mortuo, cum ipse [Jovis instar] factus avis, aut fera, aut piscis, aut serpens, momento temporis ad remotissimas ferebatur regiones; potuit verbis solis ignem exstinguere, mare tranqvillum reddere, ventos pro lubitu mutare (vel dirigere) &c., hostes occæcare, surdos vel perterritos reddere, sed arma eorum hebetare, suos autem milites furore afficere & invincibili fortitudine beare; mortuos e sepulchris exciere; corvos duos, loqvelam edoctos, orbe pervolato, de eventis aliorum mundorum (vel regionum) percontari, (cfr. *Hugin, Munin* s); fata hominum & res eventuras explorare; terram, rupes ac tumulos carminibus recludere ac thesauros ibi conditos et antea cognitos abstollere &c. Cfr. notas nostras ad carmen *Havámál* (vel sectionem ejus qvæ runica vulgo dicitur) str. 150-161 (observ. 110-120) qvas ex aliqvâ parte fontem fuisse Ynglingorum historiæ auctoris ibidem demonstravimus. De duobus magicæ illius artis generibus *Galdr* & *Seid*, cfr. Glosſ. Eddæ antiqv. T. I, pag. 509, 653, II, pag. 634, 776.

ruit nomen; hinc timor injectus ejus hostibus, amicis autem fiducia, tam virium illius atque potentiæ, qvam ejus ipsius. Plerasqve vero artes docuit sacrorum antistites; hi omni in sapientia, artisqve magicæ scientia ei erant proximi. Ad multos tamen alios magna ejus scientiæ pars emanavit; qvare longe lateqve serpsit ista ars magica, diuque permansit. Cæterum Odinum atque duodecim illos antistites sacrificiis litabant homines, eos titulo Deorum dignati, divinoqve cultu diu prosecuti. Ab Odini nomine deductum est proprium illud virile, *Audon* (sive *Audun*) *) dictum, qvod filiis suis homines dedere. — (Cap. 8). In terris suæ ditionis sanxit Odinus leges, qvæ apud Asas antea fuerant sancitæ. Sancivit, ut rogis cremarentur omnes mortui, utqve cum illis bona eorum rogis inferrentur, promittens, fore, ut qvæ opes (cuique) addebantur in rogo, iis comitatus aditurus esset Valhallam, fructurus etiam, qvæcunqve ipse terræ mandasset dona. Cineres autem in mare projicere (jussit) aut terrâ obruere; sed eminentioris dignitatis virtutisqve virorum in memoriam, tumulos struere; illisqve omnibus, qvi facinore qvodam erant præclari, cippos erigere, *Bautasteina* **) dictos; qvi mos diu postea permansit. Festiva sacrificia sub hyemem (anni cuiusvis) jussit institui, pro felicis anni adventu; his proxima, media in hyeme, pro annonæ felicitate & ubere gleba, tertia, sub æstatem ***) pro victoriâ obtinenda ****). Per totam Sve-

*) Apud Longobardos, Regi adtributum, *Audoinus* istud nomen scriptum reperitur.

**) Vide Glosf. T. III, voce *Bautasteinar* (ubi varias nostras de orientali vocabuli origine conjecturas proposuimus). Troianis, Græcis ac aliis plurimis antiqvitatis populis eundem morem communem fuisse, alioqvin est notissimum.

***) Vel forte etiam: æstivo tempore. Qvartum certe universale festum circa mediam æstatem (vel æstivi solstitii tempus) celebratum fuit, uti istud adhuc in omnibus septentrionis terris celebratur. Id autem sub dio agi solebat.

****) *Þat var sigurblót*, verbotenus: id erat victoriale sacrificium (sive sacrum festum) — originitus verisimiliter: in memoriam annuæ Deorum (cælestium) victoriæ ex naturæ hyemalibus hostibus reportatæ. Cfr. *Saga Hákonar góda* Cap. 16 (*Hkr.* I. c. I, 139) de ritu sacrificiali in talibus cunctis Norvegorum gentilium festis: "Convivii structor princeps pocula debebat consecrare cibumqve qvi ad sacrificia adhibebatur omnem. Primum Odino sacrum exhauriendum erat poculum pro victoria Regi impetranda regniqve felicitate; posthoc alterum Njordi Freyeriqve in honorem pro felici annona atqvo (interna) pace; qvo facto multis usu erat receptum poculum (Bragii) libare, *Bragafull* dictum." [His addit versio latina verba, qvæ in textu non inveniuntur: "in memoriam heroum atqve principum, in bello cæsorum," qvæ etiam adposita danica versio exprimit]. Cfr. *Saga Ol. helga* Cap. 123 (*Hkr.* II, 182) ubi mediæ hyemis festum in Jolense (christianum), vernum autem in paschatis festum postremo conversum refertur. Leges primæ christianorum Norvegorum mandaverunt in ipso earum primordio, qvod cunctæ illæ preces "pro annonâ, pace regni & Regis incolumitate, Christo soli addicerentur." Leges eædem prisca sacrificia in publica christianorum symposia (vel convivia) mutarunt, qvæ Christo & Mariæ pro annona (aut felicitate) et pace solenniter consecrari deberent. Cfr.

ciam pro qvovis naso [capite] nummus [vel nummulus] censualis solvebatur Odino, ut omnem hostilem vim ingruentem armis propulsaret, sacrificiaqve pro annonæ anniqve felicitate curaret. — — (Cap. 9): Sveciam hanc [in Europa sitam] vocarunt [Asæ] Mannheimos (hominum habitacula) sed magnam illam Sveciam [Scythiam] Godheimos [Deorum habitacula]. Ex Godheimis narrata de rebus ibi gestis retulere plurima, mirandaqve multa. (Cap. 10): Morbo in Svecia defunctus est Odinus, qvi morti vicinus corpus suum mucrone hastæ fecit notari, attribuens sibi omnes armis cæsos [vel signatos] homines; jam se dixit ad Godheimum [Deorum mundum] profecturum, ut suos ibi hilaris exciperet amicos *). Hinc sibi persvaserunt Sveci illum, ad veterem [priscam] Asgardiam reducem, ibi æterna frui vita; qvocirca cultus Odini de integro est renovatus, novaqve ei nuncupata vota. Sæpe visus est Svionibus apparere, ante gravia exorta bella, specie hinc qvosdam victoria donantis, illinc alios ad suam aulam invitantis; in utramqve partem visa est ista conditio felix. Post mortem Odinus impositus est rogo, atqve pompâ eximia crematus. Persvasum erat illis, qvo altius in aëra adscendebat fumus (pyræ), eo splendidiorem in coelis futuram ejus conditionem, cuius erat rogus, tantoqve eum ditiorem fore, qvo plures cum eo cremarentur divitiæ **)."

Freya, *Freyr*, *Niördr* s. Thoro qvoqve olim convivia sacrata & pocula libata esse alibi in historiis Norvegicis memoratur, ut infra suo loco probabimus.

*) Cecinit qvoqve Egillus Skallagrimi de filio suo, armis non cæso, sed maris undis submerso:

Þat man ec enn	Id porro recordor
Er upp um höf	Qvod sursum tolleret
I Godheim	[Filium] in Godheimum
Gauta spialli &c.	Gothorum amicus &c.

Eigla, ed. Havn. pag. 636.

**) De Ynglingorum historia ingeniosissime egit celeberrimus noster P. E. Müller in disqvisitione sua de Snorronis fontibus et auctoritate, ad calcem Historiæ Regum Norvegicorum Tomi VI, Hafniæ 1826 (Danice prius editâ in scriptis reg. societat. scient. Hafn.). Ejus de mythicis illius libri relationibus, qvæ simul in Eddis leguntur judicium, hic inserere liceat (e l. c. pag. 249): "De earum fontibus pretioqve historico incerti esse non posfumus, qvicqvid enim hic historice repræsentatum legimus, in Eddis ceu mythum poëticum reperimus. Cum ergo prisci poëtæ, qvorum carmina supersunt, pleriqve ante Snorronem vixerint: cum mythica horum eventuum repræsentatio majoris, qvam historica, antiqvitatis haud inficianda habeat indicia: cumqve negari neqveat, Asos in vetere septentrione ceu Deos fuisse cultos; sumere cogimur, qvod ratio Asorum naturam spectandi, in Eddis obvia, primitiva sit, derivata contra ea, qvam Snorro [hic] adoptavit. Non patitur hicce locus, ut de mythologia boreali disqviramus, sed satis habebimus observare, probatum nunc esse sollicito rei examine, qvod Asi, ut pleriqve aliorum populorum Dii, origine credendi sint non historicæ fuisse personæ, sed personificata naturæ numina, qvorum pleræqve res gestæ symbolicum habeant significatum: Hunc rei intuitum, qvem seriorum temporum scrutationes induxerunt, suum facere Snorro non poterat. Debebat Deos veteres vel ut diabolos sistere, vel ut homines."

Continuationem harum de Diis Sveciæ primis regnatoribus consulas in articulis *Niördr*, *Freyr*, *Freya* *).

Ex aliis huc referendis traditionibus, his eæ sunt similes, qvæ in fabulosa ac corrupta sed antiqva tamen narratione de Sörlio ac Hilda et Hiadningis continentur **), hæ nimirum: "Ex oriente Vanaqvislæ [Tanaidis vel regionis inter istud flumen & fluvium Vardanem sitæ] in Asia terra dicta fuit *Ásaland* sive *Ásaheimr*; populus ibi habitans Asæ vocabatur sed capitalem urbem Asgardiam appellabant. Odinus rex hujus regni vocabatur; locus ibi erat amplus sacrificiis celebratus. Odinus Njordum et Freyerum sacrificiorum antistites constituit. Filia Njordi, Freya nomine, Odinum seqvebatur ac ejus fuit amasia [sive concubina]." Præcipua alia ejus traditionis contenta inseruimus articulis *Brísingamen* & *Hildur* s. In alio ejusdem historiæ loco servatur traditio vetus de hominibus ex orientalibus terris ortis, qvi Norvegiam inhabitarunt, postqvam gigantes omnes, ut primi incolæ, perierant.

Primordium Historiæ Hervorianæ ***) origines Scandinavicas, e veterrima qvoqve mythologia historice demonstrare tentavit. "In libris antiqvis memoriæ proditum reperitur, terras versus boream in Gandvikia [albo mari] sitas Jotunheimos ****) fuisse appellatas, sed versus austrum *Ýmisland* *****) hos inter et Halogiam; verum anteqvam Turcæ et Asiani in septentrionem demigraverunt, regio-

*) Conferatur porro vetus hæcce traditio, Ynglingorum historiæ inserta, Cap. 15: Post patris Fiölneri obitum regnum (Sveciæ) capessivit Svegderus. Votum ille nuncupavit de Godheimo, priscoqve illo Odino qværendo. Duodecim viris comitatus late per orbem vagabatur, delatusqve in Tyrklandiam [Turciam vel Turkestaniam] et in Svioniam [Scythiam] magnam plurimos ibi reperit sangviuis nexu sibi junctos. Huic peregrinationi qvinqve annos impendit, reduxqve in Sveciam domi aliqvamdiu mansit. — — — Iterum, Godheimum qvæsitum, peregre profectus est Svegderus. [Seqvitur traditio de Dvergo aliqvo, in rupe qvadam habitante, qvi Svegderum illuc invitavit, si cum Odino colloqvi vellet — qvum autem ipse intraverat, statim rupes claudebatur, Svegdero non rediente. Vid. Hkr, I, 18-19, cfr. VI, 4 (ubi translatio postremæ Thiodolfi huc pertinentis strophæ pars ita corrigitur, qvod lapis iste non fuerit Odino sed genio alicui epichtonio sive infernali proprius]. Non raro hodiedum Indi relligiosi sacros Deorum montes, qvi pro eorum habitaculis habentur, visitare cupientes, niveas ac petreas Imai regiones peragrantes, in rupium vel glaciei fissuris pereunt, impossibilis rei periculum facientes (*Ward View of the history &c. of the Hindus* II, 321).

**) *Saga Olafs. Tryggvasonar*, Ed. Skalh. II, 49. Havn. II, 183. Appendix Eddæ jun. ed. Rask. pag. 354.

***) *Hervarar Saga ok Heidreks Konúngs*. Ed. Havn. Cap. 1, 2. (*Hervarar þáttr hinn gamli*).

****) *Jötunheimar* e plurimis lectionibus. Principalis textus impressi recensio habet *Álfheimar*, qvod manifeste est erroneum, si seqventia respexeris.

*****) Hic Finmarkia sive Lapponia Norvegica (interdum qvoqve Jotunheimus in mythico-historicis traditionibus) ita appellatur, qvum Lappones nempe Jotnorum sive gigantum nomine sint indicati.

nes boreales gigantes et semigigantes inhabitaverunt. Tunc temporis magna fiebat mixtura gentium; gigantes ê Mannheimis uxores duxere, at eo nonnulli filias elocavere. In Jotunheimis Godmundus Rex [vel princeps] salutatur, cuius habitaculum Grundia [*Grund*], provincia vero *Glæsisvellir* appellatur. Fuit idololatriis [sive ethnicis sacris] admodum deditus, vir potens et sapiens. Is et omnes sui ad tantam senectutem pervenerunt, ut multis hominum aliorum ætatibus superstites forent, et pagani credebant in ejus regno esse locum dictum *Óddinsakur* [i. e. ager vel sedes immortalitatis], qvi vero omni homini eo venienti adeo est saluber, ut æger sanitati restituatur, senex repuerescat, nemini mori contingat.*) Relatum est post mortem Godmundi homines eum coluisse et Deum suum appellasse. Alfheimi tunc dicebantur tractus omnes inter Gautelfam [Gothorum Albim] et Raumelfam [Raumorum sive Romsdalensium Albim, in Norvegia] ubi Alfus rex regnabat, cujus filia Alfhilda, omni muliere adspectu pulcherior, ut populus qvoqve omnis Alfheimensis cætero omni coætaneo formosior fuit. **) — — Starcaderus heros Alfhildam abreptam domum secum abduxit, cum virginis pater Thorum [Deum] invocavit, qvi etiam Deus raptorem ad cataractem qvendam percusit. — — Hoc eodem tempore ex oriente venerunt Asiani et Turcæ, ac in terris septentrionalibus sedes posuerunt. Dux eorum Odi-

*) De Godmundo hocce aut Gudmundo (Saxonis Guthmundo) ac Elysio in ipsius regionibus sita, ex opinione veterrimorum borealium, præcipue Finnorum (vel Lapponum) et Norvegorum iis maxime vicinorum — nec non Gudmundi illius (ut videtur) clandestino inter Norvegos cultu ad seculum usqve 18mum perdurante, ac aliis huc pertinentibus prolixe egimus in opere nostro *Eddalæren og dens Oprindelse* III, 139 & sq. IV, 27, 233 & sq. 269-297. Rex Daniæ Gormo littora illa glacialis maris mythis celebrata petiit (e relatione Saxonis Hist. Dan. Lib. 8) his primum meditationibus adactus: "cum probabilibus qvorundam argumentis animos immortales esse compertum haberet, qvasnam sedes esset exuto membris spiritu petiturus, aut qvid præmii propensa numinum veneratio mereretur, cogitatione secum varia disqvirebat" &c. Cfr. porro *P. E. Müller critisk Undersögelse* pag. 138-146.

**) Hic certe auctorem regionem geographicam cum mythica vetustiori Alfheimis nempe (coelesti vel subterranea, e vario mythorum tenore) confusisse opinor. Alfi lucidi Eddarum ut omnium formosissimi describuntur, et idem qvoqve adhuc valet in variorum populorum priscis et hodiernis traditionibus de Alforum (sive geniorum aut dæmonum) summa pulchritudine. Vid. *Álfar* s.; it. *Eddalæren* II, 44, 47, III, 301, 311, 328 &c. cfr. IV, 250, 251, 310. *Irische Elfenmührchen, übersetzt von den Brüdern Grimm. Leipzig* 1826. *Einleit.* LXIX. Nos tamen minime denegamus terrestres regiones (ut Asgardiam, Alfheimos & pl.) a coelestibus vel mythicis sua nomina accepisse; varia huc pertinentia exempla allata sunt in doctissimi nostri Sandalii Cosmogoniæ antiqvitatis primis lineis I, 4. Sic qvoqve jam in Islandia inveniuntur, ut locorum propria nomina, non tantummodo α) gentilia ut: *Ásgardr, Midgardr, Valhöll, Godaborg*, &c. sed etiam β) *Paradis, Viti* et alia similia, e relligiosa Christianorum cosmologia sumta.

nus nomine multos habuit filios, qvi omnes in viros magnos et potentes evaserunt. Erat uni filiorum ejus nomen *Sigurlami*, cui Odinus regnum tradidit qvod hodie *Gardariki* [Rusfia] vocatur; is magnus ibi terrarum princeps factus est, omnium hominum aspectu simul pulcherrimus. Sigurlamius Heidam filiam Gylfii Regis [Sveciæ] in matrimonio habuit; hi filium sustulerunt, nomine *Svafurlami*. Sigurlamius occubuit in pugna, qvam cum Thiasfio gigante habuit. Svafurlamius ei in regno succesfit" &c. *).

Nolimus plures his fere consonas relationes adferre e nimis seris ac fabulosis Islandorum narrationibus, ut Saga *Sturlaugs Starfsama*, *Herraudar ok Bósa* et aliis ejus generis.

Præter vetustisfima illa borealis ethnicismi carmina ac traditiones & serioris ævi Islandicos auctores, Daniæ veteris historiographi minime hic sunt prætereundi. Inter eos præsertim Saxo Grammaticus varia de Odino memorabilia profert, ipsum promiscue memorans 1) ut Deum gentilium præcipuum, ac Danorum in specie 2) ut malum dæmonem 3) ut publicæ relligionis antistitem & qvidem hierarcham, regia simul potestate gaudentem 4) ut magum vel fascinatorem & deceptorem vere humanum, divinos honores usurpantem aut α) in Byzantio (Thraciæ metropoli in Asiæ confiniis & Euxini ponti vicinia sita) aut β) in Upsalia Sveciæ. Variarum harum relationum specimina hic nos ita colligimus: **) Qvum Balderus, Othini filius, Nannam, Gevari Norvegici regis filiam ambiret, hæc illi ipsa (inter alia) responsa dedit: "nuptiis Deum mortali sociari non posfe, qvod ingens naturæ discrimen copulæ commercium tollat; sed et superos interdum pacta rescindere solitos subitoqve vinculum disjici, qvod impares contraxisfent. — — — Ad ultimum, supernis terrestria non jugari, qvæ tanto originis intervallo discors rerum natura secreverit, qvod a divinæ luculentia majestatis infinitum distet humana mortalitas." Bello hinc exorto (inter Balderum & Hotherum): "Hominibus adversus Deos certatum crederes. Nam Baldero Othinus ac Thoro sacraqve Deûm agmina propugnabant. Divinis humanisqve viribus permixtum aspiceres bellum. — — Divi, clavâ Thori defecti, subitam dedere fugam. Inimicum opinioni esfet, nisi fidem antiqvitas faceret Deos ab hominibus superari." Addit tamen christianus auctor: "Deos potius opinative qvam naturaliter dicimus. Talibus namqve, non naturâ, sed gentium more, divinitatis vocabulum damus." (III, 41 & sq.). "Thor Deus Othino genitus vulgari sententia perhibetur" (VI, 103). Othinus Deus, qvamvis

*) Seqvitur vetus traditio de Svafurlamio Dvergos duos, rupis incolas, Durinum & Dvalinum ad fabricationem gladii, Tyrfingi dicti coërcente, ac Thiasfium posterius eodem occidente &c.

**) Loca, mox citanda, desumta sunt e Saxonis Grammatici Historiâ Danica, edit. Stephanii, Soræ 1644 sol. Numerus romanus auctoris librum sed arabicus llius ieditionis paginam indicat.

mortalibus apparens, in humanam formam transmutatus, ita certe describitur in historia Hadingi: "Spoliatum nutrice *) grandævus forte qvidam, altero orbus oculo **), solitarium miseratus, Lisero cuidam piratæ solenni pactionis jure conciliat. Siqvidem icturi fœdus veteres vestigia sua mutui sangvinis aspersione perfundere consveverant, amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi ***). Qvo pacto Liserus et Hadingus, arctissimis societatis vinculis colligati Lokero Curetum tyranno ****) bellum denunciant. Qvibus superatis fugientem Hadingum prædictus senex ad penates suos eqvo devehendum curavit, ibiqve svavissimæ cujusdam potionis beneficio *****) recreatum vegetiori corporis firmitate constaturum prædixit. Cuius augurii monitum carmine probavit. — Et cum dicto

*) Harthgrepa nimirum, filiâ gigantis Vagnhofti. Hunc doctiss. Geyerus (*Sv. Rikes Häfder* p. 273) dicit esse Islandis ignotum, ejus nomen a vocabulis *Vagn* et *höft* p. p. derivare tentans ac Jotnorum sive gigantum numen significare opinans. Invenitur nihilominus gigas ille in Skalda impressa (Raskii edit. p. 211) ibi dictus *Vagnhöfdi* (*Vagnhofdi* — unde illud Vagnhoftus) inter gigantes celebriores enumeratus; hinc nominis vera etymologia satis perspicua evadit. Vagnofti apud Saxonem consors Haphlius in iisdem strophis occurrit, Skaldæ *Hafli* (sive Hafjius) dictus pag. 109). Islandi præterea matrem illus Harthgrepam noverunt sub nomine *Harþgreip*, docente Skaldâ, pag. 210.

**) Ita Othinus sæpe mortalibus apparuit. Vide ex. gr. *Vols. Sag.* Cap. 6, 51. *Saga Hrólfs Kraka* Cap. 46; *Saga Ol. K. Tryggvas.* Ed. Havn. II, 138. Ed. Skalh. II, 228. (de alio exemplo) cfr. Hkr. I, 268.

***) Hunc veterum borealium morem adcurate describit Edda nostra *B.* II, 17 (de heroibus humanis)

Non recordaris
Cum vos sangvinem in vestigia
Ambo misistis

Cfr. *ÆEg. Dr.* 9, (de Odino & Lokio):

Meministi ne
Cum nos primordio temporum
Sangvinem nostrum miscuimus una &c.

(Vid. *Loki* s.). Hinc verisimiliter Odinus hujus ritus primus auctor creditus est, & sic non mirum, si ei interdum, inter homines peracto, ipse adesse putaretur, ut a jurantibus in sacrum rei testimonium vocatus.

****) Ingeniose laudatus Gejerus (l. c. I, 429) Lokerum hunc Eddarum Lokium significare conjecit. Hoc eo magis probabile, qvo Curetes (i. e. Churlandi) hic nominentur; hi Finnicis i. e. Jotnicis annumerati fuerunt gentibus, qvæ Lokii ac gigantum subjecti & cultores sed Asarum hostes habebantur. Sic (*Hkr.* II, 104) Thorgnyr Svecus publice jactavit Ericum Eymundinum, priscum Upsalensium Regem "suo imperio armis subjecisse Finlandiam, Kyrialiam [Careliam] Esthoniam atqve Churlandiam, nec non plures late ad orientem sitas regiones [*vida um austrlönd*]." Rex ille, sine dubio, a suis laudabatur ut Thorum Deum imitans, de qvo sæpe in Eddis dictum: *Þórr fór í austrveg at berja tröll* &c.

*****) Vino forte sive mulso Odiniano, hic non tantummodo allegoricæ naturæ.

relatum eqvo juvenem pristino loco restituit. Tunc Hadingus amiculi ejus rimas, sub qvo trepidus delitebat, per summam rerum admirationem visus perspicuitate trajiciens, animadvertit eqvinis freta patere vestigiis, prohibitusqve rei inconcesſæ captare conspectum, plenos stuporis oculos a terribili itinerum suorum contemplatione deflexit" (I, 12). Cum posterius "Hadingus clasſe Norvagiam præteriret, animadvertit in litore senem crebro amiculi motu appellendi navigii monitus afferentem. Qvem repugnantibus sociis damnosumqve profectionis diverticulum affirmantibus, nave susceptum, centuriandi exercitus autorem habuit*), in ordinanda agminum ratione curiosius attendere solitum ut prima per dyadem phalanx, ac per tetradem secunda constaret, tertia vero ogdoadis adjectione succresceret, semperqve priorem inseqvens duplicitatis augmento transcenderet. Idem qvoqve funditorum alas in extremam aciem concedere jusſit, eisqve sagittariorum ordines sociavit. Ita digestis in cuneum catervis**), ipse post bellatorum terga consistens, ac folliculo, qvem cervici impensum habebat, balistam extrahens (qvæ primum exilis visa, mox cornu tensiore prominuit) denos nervo calamos adaptavit, qvi vegetiore jactu pariter in hostem detorti, totidem numero vulnera confixerunt, tunc Biarmenses arma artibus permutantes carminibus in nimbos solvêre cælum, lætamqve aëris faciem tristi imbrium aspergine confuderunt. E contrario senex obortam imbrium molem obvia nube pellebat, madoremqve pluviæ nubilo castigabat objectu***) Victorem Hadingum dimisſus senex, non vi hostili sed voluntario mortis generé consumendum****) prædixit, clarisqve bellis obscura ac longinqvis finitima præponere vetuit." (I, 17).

Haldanus, Danicus princeps, Guritha regia virgine potitus, "qvum eam sterilitatis vitio obnoxiam animadverteret, — — conciliandæ ei fæcunditatis gratia Upsalam petit; responsoqve monitus, suscitandæ sobolis causâ, fraternis primum manibus parentare, postqvam oraculo paruit optatæ rei solatium impetravit. Siqvidem filium ex Guritha suscepit, cui Haraldo vocabulum aptavit . . . . Qvi cum eximiæ formæ, præcipuæqve magnitudinis esſet, coævisqve robore et staturâ præstaret, tantam Othini, cuius oracnlo editus videbatur, indulgentiam exper-

*) Adſert Edda nostra fabulam de Odino & Sigurdo Fafnericida, hnic simillimam, qvam supra memorayimus.

**) Vide Stephanii ad hunc locum observationes, pag. 55-57. Confer tamen alias infra ad aliam Saxonis de Othino ac Haraldo Hildetanno narrationem.

***) Odini nomen *Vidrir* tempestatis effectorem sive dominum significat. Cfr. *Háva M.* 157 & *Ynngl. S.* Cap. 7.

****) "Hadingus suspendio sè, vulgo inspectante, cousumpsit" l. c. I, 19. Hoc mortis genus Othino, qvi suspensorum (vel potius pendulorum omnium) numen audiit, præ cæteris placere, a multis olim credebatur.

tus fuerat, ut integritatis ejus habitus ferro qvasſari non posſet. Qvo evenit, ut vulnifica aliis tela ad læsionem ei infligendam inhabilia redderentur *), Nec præmii inops beneficium fuit. Animas qvippe ei, qvas ferro corporibus ejecisſet, pollicitus proditur. — — — — Posthæc Haraldus Lethram occupat, distractumqve Daniæ regnum in pristinum corpus reformat. Deinde in prælio contra Norvegos, inermis ac regiis duntaxat insignibus ornatus, cætus anteibat armigeros, expeditamqve pugnandi copiam ferventioribus belli periculis objectabat. Directa namqve in eum spicula, ac si retusi acuminis esſent, nocuo casſabantur effectu**). Sic ingentem ab hostibus victoriam reportavit. Interea Rex Sveonum, Ingo, proferendi imperii gratia Danis bellum denunciat. Cujns eventum Haraldo oraculis explorari cupienti, senex præcipuæ magnitudinis, sed orbus oculo, obvius extitit, qvi hispido etiam amiculo ***) circumactus Othinum se dici, bellorumqve usu callere testatus, utilisſimum ei centuriandi in acie exercitus documentum porrexit. Jusſit igitur ut terrestribus bellum copiis editurus, universam aciem in tres turmas divideret, qvarum unamqvamqve vicenarii ratione densaret, medium vero viginti virorum numero reliqvis porrectiorem extenderet, qvam etiam, in coni sive pyramidis acumen digerens, alarum recesſus utrinqve secus discretis

*) Cfr. Odini ipsius effata ac promisſa in Haviano carmine str. 151, 153, 159:

Acies telorum hebeto
Meis adversariis,
Nec valent illis arma neqve machinæ.
Si video misſum infenso animo
Spiculum per aciem vadere,
Id non adeo valide volat,
Qvin egomet cohibeam,
Si modo id oculis adspiciam.
Si debeo ad pugnam
Deducere veteres amicos
Clypeis succino [vento spirante?];
Ii cum potentia eunt
Salvi ad pugnam
Salvi ex pugnâ,
Salvi undiqve commeant.

Cfr. *Yngl. S.* Cap. 2, 6, 7 — necnon ipsius de strenuis Odini militibus (vel cultoribus) verba: "Sine loricis rabidi incedebant ac obvios qvosqve sternebant, ipsi nec igni nec ferro patentes."

**) Fragmentum mythico-historicum, *Sögubrot* dictum, refert Haraldum hanc ab armis immunitatem acqvisiise ope sacrificii, ab amicis in ejus gratiam celebrati; *Rafns nordiske Kæmpehistorier* III, 139.

***) Tali vesti (dicta *Lodi*, ut etiam in vetustisſimis Rusſorum chronicis occurrit) indutus Odinus Grimnerem visitavit; *Gr. M.* str. 1.

ambagibus obliqvaret. Cujuslibet vero turbæ seriem hac ratione contexeret, ut a duobus frons inchoans conseqventibus locis unitatis duntaxat incrementa reciperet, et qvidem in secunda linea tres, in tertia qvatuor, eodemqve modo posterius ordinandos, habita congressione statueret; sicqve conseqventes gradus idem proportionis tenor instrueret, donec conjunctionis extremitas alas æqvaret: cornu vero qvodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Post has item turbas instructos jaculis juventutem admittat; a cujus tergo grandævorum cohortem adhibeat, qvæ labantes sociorum vires veteranâ qvadam virtute firmaret. Deinde funditorum alas gnarus locorum supputator annecteret, qvi post sodalium agmina consistentes, eminus hostem tormentis incesserent. Post qvos cujuslibet ætatis aut ordinis homines absqve conditionis æstimatione passim adsciscerent. Cæterum postremam aciem ternis, ad instar primæ, cornibus interstinctam, similiqve graduum proportione digestam explicaret. Cujus tergum, superiori conjunctum agmini, ipsum aversæ frontis obstaculo tueretur. At si navale forte prælium incidisset, partem classis secerneret, qvæ eo propositos inchoante conflictus, multivolâ rates hosticas reflexione circundaret. His disciplinæ militaris rationibus instructus*) Ingonem Olavumqve bellum parantes, anticipatis apud Svetiam rebus, oppressit." (VII, 137–139). Seqvuntur relationes de amplissimis regnis ac regionibus ab Haraldo subactis & maris ipsius ab eo usurpata dominatione "qvippe qvondam in Danorum republica

*) Ab Odino ipso, ut e prædictis apparet. Hic Deus nimirum vocabatur *Herfadir*, *Heriafadir* (exercituum pater) & multis aliis similibus ad bellum vel victoriam spectantibus nominibus. Is præterea omnis rationis & scientiæ primus auctor et dator esse putabatur. Sic regulæ hæce vel aliæ similes, verisimiliter olim sunt inclusæ carmini alicui (vel potius variis) Odini nomine composito, qvas autem Hadingo, Haraldo Hildetanno & Sigurdo Fafnericidæ (aut talibus a se dilectis heroibus vel cognatis) communicasse fictus est. In Edda nostra servantur paucæ strophæ ex ejus generis cantilenâ (S. II. *a.* 20-25) ubi Odinus inter alia hæc effatur:

Ii victoriam obtinent
Qvi videre possunt,
Ad gladiorum ludum promti,
Aut aciem cuneatam instruunt.

Audiit acies, ita constructa, atavis nostris *Svinfylking* o: porcinæ aut aprinæ formæ adaptata. Tale peditum agmen Romani qvoqve *porcinum caput* appellabant. Germanis vetustissimis usitatum fuit, docente Tacito (de morib. Germ. C. 6): "Acies per cuneos componitur." Antiqvissimæ Indorum leges, Menuo (sive Manuo) adscriptæ & divinæ originis habitæ, Regi mandant (VII, 186) aciem militarem "ad modum cunei acuminati vel apri formam" instruere. — De aciei ipsius hic a Saxone descripta forma cfr. Laurenbergii explicationem in notis Stephanii pag. 163-164, sed præcipue tamen viri docti ac rei militaris gnari ingeniosum commentarium: *F. H. Jahn almindelig Udsigt over Nordens Krigs-Historie (Kjöbenh.* 1825) pag. 280-295.

dividuum terræ & pelagi imperium fuit". "Haraldi" — grandævi jam senis — "Bruno qvidam omnium [diu] consiliorum unice particeps ac conscius habebatur. Huic ipse et Ringo" — Sveciæ Rex ac Haraldi e sorore nepos — "qvotics secretiore nuncio opus habebant, mandata credere consveverant. Qvem familiaritatis gradum educationis & crepundiorum consortione adeptus fuerat. Qvo fluminis cujusdam aqvis inter assiduos profectionum labores absumpto, Othinus ejus nomine & habitu subornatus, insidiosæ legationis curâ arctissimam regum concordiam labefactavit*), tantaqve inimicitias serentis fallacia fuit, ut amicitiâ ac necessitudine vinctis mutuum odii rigorem ingeneraret, qvod absqve bello satiari non videretur (l. c.). Denunciatis itaqve inimicitiis, colligendis belli instrumentis septem anni cessêre. Sunt qvi Haraldum non livoris impulsu aut regni æmulatione, sed industrio qvodam spontaneoqve conatu clandestinas exitu causas qvæsivisse testantur. Qvum enim ob senectam severitatemqve civibus etiam onustus existeret, ferrum morbi cruciatibus anteponens spirituni in acie qvam lectulo deponere præoptavit**), consentaneum præteritæ vitæ operibus exitum habiturus ***). Itaqve qvo mortem suam clariorem efficeret, inferosqve comitatior peteret, complures fati consortes adsciscere gestiebat, futuræ cladis materiam ultronea belli instructione molitus. His ergo de causis tam propriæ, qvam alienæ necis aviditate correptus, ut par utrobiqve strages incideret, pares utrinqve copias instauravit, aliqvanto fortius Ringoni robur applicans, qvem victorem superesse maluerat" (VII, 139-143).

Seqventis relationis fons a Saxone indicatur, ejus hisce ipsissimis verbis: "Historiam belli Svetici Starcatherus, qvi et ejusdem prælii præcipuum columen erat, primus Danico digessit eloqvio, memoriæ magis qvam literis traditam ****). Cujus seriem ab ipso, pro more patrio vul-

*) Mythus hicce notus fuit Snorroni Sturlæo, qvi Gautum Jonæum, Haconis grandævi, Norvegiæ Regis, consiliarum, odia inter eum & Skulium Ducem, ejus socerum, struentem, comparavit cum Gauto [i. e. Odino vid. *Gauti* s.] ipsius cognomine, qvi bellum inter Ringonem & Hildetannum civerat (*Hkr.* V, 200; VI, 215-216). Cfr. fragmentum mythico-historicum de nonnullis Daniæ regibus (*Sögubrot* dictum), Danice translatum, l. c. III, 145, ubi Haraldi vicarius & consiliarius Bruno vocatur, sed obscure cum Odino confundi videtur p. 147. Invenitur etiam hoc nomen dupliciter inter Dei hujus multa Scaldica, ut infra monstrabimus.

**) E permultorum veterum Scandinaviæ heroum opinione. Huic relationi consentit *Sögubrot* l. c, III, 143. Leges vetustissimæ Indorum Regi cuivis, morbo insanabili laboranti, mortem bellicam qværere mandant et viros in pugna cadentes beatos prædicant.

***) Fuit qvoqve Haraldus "Othini oraculo editus" ut auctor ipse monstraverat et jam morte, Deo gratâ, ad ejus habitacula transferri cupiit. Cfr. *P. E. Müller critisk Undersögelse* &c. pag. 109-110. *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 6, 125-126.

****) Eloqvium istud poëticum fuisse, secundum Islandorum vel veterum Scandinavorum regulas

gariter editam digestamqve, Latialiter complecti statuens, inprimis præstantissimos utriusqve partis proceres recensebo". (VIII. 143). Exordium pugnæ Bravallensis poëtice describitur, in similem modum ac in Eddis Deorum crepusculum sive ultima pugna, ut Müllerus noster observavit & infra suo loco adferemus (in artic. *Ragnarökkur*). — — "At Haraldus, cum defectam lumine senectam ageret, triste suorum murmur exaudiens, intellexit superiorem hostibus arrisisse fortunam. Igitur ut erat falcato curru vectus, Brunonem aurigæ per insidias officio fungentem, qvalem Ringo in centurianda acie tenorem habuerit, cognoscere jussit.

---

compositum, ipsa adhuc Saxonis enumeratio luculenter monstrat. En aliqvot hujus rei exempla, textui restituta: "Haraldi milites:

Belgi [Beli] ok Beigadr
Barri ok Toli [Toki]
Hákon [Haki] Höggvinkinni
Heidur oc Visna . . .
Búi Bramason,
Brattur Jóti [Irski]
Orunr Enski,
Ubbi Frisi,
Ari eineygi,
Álfr, Goti,
Dalr Digri,
Dúkr Vindverski,
Tolkar, Ymir,
Toki af Jómi,
Grimar [Grimur] ok Grensli,
Geir, Livigur,
Hami, Hángeir,
Humbli, Bjarti,
Hár ok Herleifr
Med Hodbroddi
Ringonis milites:
Gotar, Hildir,
Gautr Álfs nidji,
Styrr hinn Sterki,
Steinn af Væni,
Gérdir snari,
Grimir [Glúmur] Vermski,
Saxi, Flettir
Ok Salgautur,
Þórdr hnipni,
Þrándr Nast.
Grundar, Oddi,
Grindir, Tofi,
Högni spaki
Hrókr jarpi,
Reidar Haukr,
Rólfr kvennski,
Hringr Adilsson,
Haraldr or Þotni,
Þórólfr digri,
Þengill háfi
Birfill bleiki,
Borgar ok Skumbar,
Þorleifr þrái,
Þorkell gautski,
Þrándr þrændski,
Þoki mærski,
Hrafn inn hvíti,
Hasvar, Bjarni,
Bligr krúknefr,
Biörn or Sogni,
Finnur fyrdski,
Fálu-Bersi,
Árbakr, Keklukarl [Kekkia Karl],
Krókur frá Akri,
Gudfastr, Gumi
Af Gislamörk;
Ingi, Óli,
Olver, Fólki
Ok Sigmundr
Or Sigtunum,
Holti ok Hendill.
Hólmar, Leifi,
Rögnvaldr girdski
Rádbards nidr" &c.

Qvi paulum soluto in risum vultu, corniculatâ illum acie præliatum respondit. Qvo audito Rex trepidare animo cæpit, ac per summam admirationem percontari, qvo Ringo talem ordinandi agminis doctrinam auctore contraxerit, maxime cum Othinus disciplinæ hujus traditor ac repertor exstiterit, nec ab ipso qvispiam præter se novum hoc rei bellicæ documentum perceperit*). Ad qvod silente Brunone, subiit Regem Othinum hunc esse, olimqve familiare sibi numen inpræsentiarum dandæ vel subtrahendæ opis gratia versiformi corporis habitu tegi. Cui mox supplicari obnixius cæpit, uti *Danis, qvibus ante clementer affuerit*, supremam qvoqve victoriam tribuat, complementumqve beneficii origini exæqvaret: eidem se prostratorum manes muneris loco dedicaturum pollicitus. At Bruno nihil obsecrantis precibus motus, repente excussum curru Regem arietavit in terram, ereptamqve cadenti clavam in ipsius caput detorsit, proprioqve eum gestamine interfecit **). — — Armistitio deinde a Ringone promulgato, hic Ha-

---

Hic Radbardus nominatur in carmine Eddico, *Hyndluliód* str. 26 & *Sögubrot* l. c. III, 133 eum Gardariciæ (sive Ruthenicæ, ut Saxo ait) præfuisse tradit. Plurimi illorum nominantur in isto fragmento cujus variantes lectione supra uncis inclusimus. Inde porro plures Saxonis heroes lingvæ vernaculæ restitui possunt. Præterea recognoscuntur apud Saxonem phrases qvædam, vetustissimis boreæ carminibus familiares e. gr. *Freys áttúngr, Freys afspring* (Frö Dei necessarii; iidem ad Frö Deum generis sui principium referebant) &c. Metrum carminis adhuc Islandis vulgo dicitur *Starkadarlag* (Starcatheri melodia) ita qvoqve in Skalda vocatum (l. c. pag. 268) ubi ipsius specimen adhibetur. Dahlmannus (in sua ad vetustam Daniæ historiam introductione, *Forschungen* &c. I, 209) observavit inter Haraldi auxiliares nominari athletam qvendam *Dahar* [*Dagur*] cognomento *Grenski*, qvod ille Grönlandicum interpretatur, et traditionis authentiæ idcirco contradicit. Miror virum doctissimum ita rationicinari, qvum certissimum sit vocem *Grenski* vel *Grænski* nunqvam de Grönlandiæ, polaris terræ, incolis usitatum fuisse, sed de viris è Grönlandia *(Grönland, Grænland)* ipsius Norvegiæ regione oriundis (ut notissimo illo Haraldo *Grænski* vel *Grenski*, Olavi Sancti patre). Opinatur porro Dahlmannus (ut Torfæus & pl.) Islandos (Thylenses i. e. *Þylir, Þilir, Þelir*, e mea sententia, non Tylenses, in Saxonis præfatione nominatos) ibidem occurrisse, qvod paullo obscurius momentum Müllerus & Gejerus illustrare tentaverunt. In Thelemarchia adhuc reperiuntur loca *Skier* & *Midsund* (unde forte illud *Midfrithi* pro *Midfyrdi* ejusdem fere notionis). Lacus ibidem situs *Maarsiö (Mársær)* Marem illum rufum in memoriam revocat. Ad orientem veteris Thelemarchiæ ei vicina fuit *Skógabygd* (olim *Skógafylki*) unde facile formari potuit Saxonis *scahafyrchi*. Mülleri sententiæ favet sinus *Midfjördr (Midfjord)* in Finmarchia situs.

*) *Sögubrot* l. c. III, 147, ubi qvæstio Haraldi & Brunonis responsum Saxonis relationi conveniunt. Rex tamen illis hæcce addit: "Odinum mihi etiam hac vice victoriam indulgere rogo. Si iste hanc precationem non exaudit, nec Danos, jam ut anteâ, victores evadere sinit, tunc me in pugna cum toto meo exercitu cadere faciat, at omnes meos in morte comites Odino ipsi dedico."

**) Fragmentum illud (III, 155) huic qvoqve narrationi assentit. In similem modum Odinus Sig-

raldi exeqvias ita celebravit: "Tandem cum corpore reperta clavâ Haraldi manibus parentandum ratus, eqvum, qvem insidebat, regio applicatum currui aureis qve subselliis decenter instratum, ejus titulis dedicavit. Unde vota nuncupat, adjiciitqve precem, uti Haraldus eo vectore usus, fati consortes ad tartara antecederet, atqve apud præstitem Orci Plutonem sociis hostibusqve placidas expeteret sedes*). Deinde rogum exstruit, Danis inauratam Regis sui puppim in flammæ fomentum conjicere jussis. Cumqve superjectum ignis cadaver absumeret, moerentes circuire proceres, impensiusqve cunctos hortari cæpit, uti arma, aurum & qvodcunqve opimum esset, liberaliter in nutrimentum rogi, sub tanti taliterqve apud omnes meriti Regis veneratione transmitterent. Cineres qvoqve perusti corporis urnæ contraditos Lethram perferri, ibiqve cum eqvo & armis, regio more, funerari præcepit. Tali parentationis curâ **) justis avunculo persolutis, Danorum sibi favorem conciliavit, odiumqve hostium ad gratiam perflexit". (VIII, 146-147) ***).

Eventus pugnæ Jarmerici Regis contra hostes suos periculosæ, cum venefica qvædam subito occæcaverat ipsius milites, in se ipsos deinde arma convertentes, ita describitur: "Eo tumultu superveniens Othinus, mediosqve præliantium globos appetens, *Danis, qvos paterna pietate semper coluerat*, ademptum præstigiis visum superâ virtute restituit. Hellesponticos vero corpora adversum tela carminibus durare solitos, crebro silice converberandos esse perdocuit" (VIII, 157) ****).

---

mundi senis, antea ab eo dilecti & servati, gladium frangit, ut hostili ictu eo citius cæderetur. *Vols. S.* Cap. 20. De causis horum eventorum vide *Eddalæren* IV, 8, 9, 127. Cfr. *Müller Sagabibl.* II, 48.

*) Latina illa "Tartara — Orcus — Pluto" certe pro Valhalla & Othino sunt substituta. Ita qvoqve *Sögubrot* l. c. III, 155. "Ringo propinqvi sui Haraldi Regis funus lavare fecit, ac exeqvias ipsi, pristino more, decenter curare. Cadaver ejus impositum fuit currui, qvo in prælio usus fuerat. Amplo tumulo deinde exstructo, Haraldum Regem eo curru, cum eodem eqvo qvi istum in pugna vexerat, in tumulum ferri curavit; eqvo occiso Ringo propria subsellia imponi jussit, ista Haraldo donans, eumqve rogans, pro suo lubitu ad Valhallam eqvitare, aut curru illo istuc vehi."

**) Ut Odini (sive ipsius relligionis) legibus conveniente. Vide *Yngl. Saga* Cap. 8; Eddæ antiqv. II, 235 (cfr. 233) 240-243, 258 & nostras iis locis adjectas notas 931-934.

***) Saxonis de Bravallensi prælio relationis doctam & ingeniosam analysin exposuit cl. P. E. Müllar: *Critisk Unders.* &c. pag. 111 &c. sq. Variis momentis in Saxonis relatione eatenus convenit Edda antiqvior, ut Haraldum Hildetannum inter "heroes Diis consecratos" primo loco memoret (*Hyndl. L.* str. 26).

****) Jarmericum Saxonis e Gothico Ermerico vel Ermanarico confusum esse ac narrationem qvoqve eddicam (de Jörmunreco) illi partim convenire, monstravimus in notis ad Eddam antiqviorem II, 956-963. *Volsunga Saga* (Cap. 51, *Rafn* l. c. II, 148) virum senescentem, uno tantum oculo præditum, illud consilium dedisse refert (qvod in cæterum veterem indicat super-

Exempla jam allata Odinum Danis potisſime favisſe docent. Norvegi etiam, Saxone teste, ejus benevolentiam sunt experti. "Frogerus — " Norvagiæ Rex — " geminâ admodum sorte conspicuus, qvod non minus armis qvam opibus illustris regiam ditionem athletico decoraret officio, tantumqve gymnicis palmis, qvantum dignitatis ornamentis polleret. Hic, ut qvidam ferunt, Othino patre natus, a Diis immortalibus beneficium præstare rogatis, muneris loco obtinuit, non ab alio vinci, qvam qvi certaminis tempore subjectum pedibus ejus pulverem manu convellere potuisſet. Qvem Frothio tanta a Superis firmitate donatum comperiens, duelli postulatione sollicitat, Deorum indulgentiam fallaciâ tentaturus" (IV, 66).

Bodvarus Biarco Rolvonis (sive Rolfi Krakii) miles, Regis & sodalium exitium prævidens, Odinum in Valhalla certe memoravit, qvum Saxo tamen ejus verba sic latine reddiderit:

Illustres obeunt proceres. En maxime Rolvo!
Magnates cecidere tui, pia stemmata cesſant.
Non humile obscurumve genus, non funera plebis
Pluto rapit vilesqve animas; sed fata potentum
Implicat et claris complet Phlegetonta figuris *).

Posterius, Hjaltonis socii asperis incitamentis fervescens Bödvarus Biarco, fortissimus ille septentrionis athleta, Odino tandem victoriæ datori, ob gravem prælii exitum iratus, in rei vindictam armis ipsum aggredi cupit, Homericorum heroum famosisſimo more. En poeseos a Saxone translatæ fragmina:

Et nunc ille ubi sit qvi vulgo dicitur Othin,
Armipotens uno semper contentus ocello **).

---

stitionem de silice, Thoro sacro, vim dæmoniacam profuganiem, qva ratione atavi nostri fortasſis arma silicea magni habuerunt, & defunctis viris, tumulis conditis, apposueruni). Cfr. siliceas Örvaroddi sagittas qvæ solæ fascinatores, alioqvin illæsibiles, sternere potuerunt; *Örvarodds Saga*, (Rask *Sýnishorn* &c. pag. 116). Saxone teste (VIII, 165) Thorkillus in vastæ speluncæ aditu, extusum silicibus ignem, opportunum contra dæmones tutamentum, accendi jusſit. Videas in cæterum *P. E. Müller Saga-Bibliothek* II, 82-92; *critisk Undersögelse* pag. 122-130.

*) Cfr. *Harbards Liód* 23:

Odin posſidet nobiles (Comites)
Qvi in belli strage occumbunt
At Thorus servile genus,

et multa alia Eddarum loca. Videas cæterum *Eddal. og dens Opr.* IV, 13-20, 229-233, 293-297. Pro Phlegetonte textus certe posuerat Giallam vel Leiptram, illi respondentia mythica flumina. Grimo Norvegus apud Saxonem (VII, 140) simili modo de Stygio Plutone se recepturo loqvitur.

**) E multorum nempe opinione, de hujus fictionis origine et indole vide art. *Mimir* s. Cfr.

Dic mihi Ruta! precor nsqvam si conspicis illum.
Ad hæc Ruta:
Adde oculum propius & nostras prospice chelas*)
Ante sacraturus victrici lumina signo**)
Si vis præsentem tuto cognoscere Martem.
Tum Biarco:
Si potero horrendum Friggæ spectare maritum***)
Qvantumcunqve albo clypeo sit tectus et altum
Flectat eqvum, Lethrâ neqvaqvam sospes abibit.
Fas est belligerum bello prosternere divum.****)
Mittimus varia Saxonis loca, ubi Odinus

Saxonis & aliorum nuper indicatas relationes de tali Odini forma, cum mortalibus appareret, qvam tamen non semper gestasſe alioqvin pro certisſimo habemus, cum in Eddis ipsis (sola illo de Mimeris fonte episode excepta) nullibi memoretur.

*) Pro more superstitiosorum Islandorum & pl. qvi spectra se videre posſe opinantur, qvum *chelæ* (Plinii auctoritate) *brachia*, hic autem proprie in latus reflexa denotent. Sic ingeniose difficilem hunc locum explicarunt Stephanius & Br. Svenonius (in notis l. c. p. 80-81). Scotos hodiernos similes fovere superstitiones novimus. In historia *Örvar-Oddi (Örvarodds-Saga* Raskii Chrestomathia Islandica pag. 115) idem narratur de heroe illo tres fascinatores, aliis invisibiles, sub Hakii brachio conspiciente.

**) I. e. Thori malleo (omnes malos ac visum humanum obscurantes dæmones propellente) observante cl. Müllero: *Critisk Undersögelsə af Danmarks Sagnhistorie* pag. 55. Cfr. *Miölnir* s.

***) Saxonis hisce strophis varie convenit seqvens Thiodolfi Hvinensis hemistrophium, in Skalda (pag. 96) nobis servatum:

Valr lá þar á sandi	ɔ: Strages in arena jacuit prostrata
Vitinum eineygja	Speculatori unoculo
Friggiar fadmbyggvi —	Friggæ amplexu gaudenti —
Fögnndum dáð slikri.	Illo facinore nos lætabamur.

Thiodolfum Cælum ipsum ac Tellurem ejus conjugem, sub mythicis iis personis, poëtice indicare, nemo non videbit.

****) In historia Islandica Rolfi Krakii (Cap. 39) fertur Rolvo (sive Rolfus) Daniæ Rex Upsaliam cum suis satellitibus tendens, apud villicum qvendam, nomine *Hrani*, in diversis duabus villis pernoctasſe, qvi variis (per frigus, ignem & sitem) tentaminibus ejus milites examinavit & imbecilles qvosqve domum reverti jusſit. Revenienti feliciter Regi (Cap. 46), è periculoso illo itinere, Hranius amice gladium & loricam dono obtulit, qvæ Rolvo nihilominus repudiavit, Hranio ob illam causam non mediocriter irascente. Bodvarus Biarko, postea in via gressum sistens, ita exclamavit: "Nimis sero fatui utile consilium capiunt, ut mihi ipsi jam accidit. Vereor nos imprudenter egisſe & victoriam ipsam repudiasſe." Rex Rolfus, his dictis annuens, addidit se suspicari, "qvod vir ille unoculus Odinus ipse fuerit." Jusſit igitur comites "secum ad istum celeriter reverti, ut ejus rei certi evas erint." Qvum autem ad locum illius habitaculi, ita facientes, venirent, nec villa nec villicus ibi cerni potuerunt. Tum Rex indignatus dixit: "ipsum amplius qværere nil juvat, cum malus" (sive "nobis infestus") dæmon sit." Bodvarus denuo Regi id consilium dabat, qvod bella amplius non gereret, sed in

sub Jovis, Martis vel Plutonis peregrinis nominibus ambigue latere videtur — sed revertimur ad plura auctoris dicta, ex corruptis vetustatis mythis composita, illi tamen Deo primum inter ethnicismi numina locum adscribentia: Hadingi tempore "cum Othinus qvidam, Europâ tota, falso [Saxoni] divinitatis titulo censeretur, apud Upsalam tamen crebriorem diversandi usum habebat,*) eamqve sive ob incolarum inertiam sive locorum amœnitatem singulari qvâdam habitationis consvetudine dignabatur. Cujus numen septentrionis Reges propensiore cultu proseqvi cupientes, effigiem ipsius aureo complexi simulacro statuam suæ dignationis indicem cum religionis simulatione Byzantium transmiserunt **) cuius etiam brachiorum lineamenta confertisſimo armillarum pondere perstringebant. ***)

pace domi sederet. Cui Rolvo respondebat "fatum hominum vitam decernere, sed non malum illum spiritum." Hinc Biarconis furibundi, et ad ultimum mortis periculum redacti (Cap. 51) in Odinum minæ & contumeliæ, qvæ in historia illa prosaica ita exprimuntur: "E cunctis mundi plagis potentes ac egregii milites congregantur, qvibus resistere nobis erit imposſibile; — sed Odinum tamen inter eos cernere neqveo, qvamvis dubio careat malum illum ac perfidum dæmonem nostrum invisibilem esſe adversarium; si qvis mihi eum monstrare potuerit, ego sane ipsum contundam, muris vilisſimi instar — — — qvis enim asperius, qvam ego, odium animo fovere posſit, qvi dominum suum sic tractatum videret!" Manifestum evadit qvod historiæ illius auctor ad manum habuerit carmen vetustisſimum *Biarkamál*, a Bodvare Biarcone compositum (vel potius ejus gesta & fata celebrans) qvum respiciamus fragmentum illius adhuc ineditum, in certis Skaldæ manuscriptæ exemplaribus servatum, easdem, qvas jam memoravimus, Biarconis minas continens. Addamus porro ipsum Saxonis testimonium: "Hanc maxime exhortationum seriem idcirco metrica ratione compegerim, qvod eorundem sententiarum intellectus *Danici* cujusdam *carminis* compendio digestus, a *complurib*us *antiqvitatis peritis memoriter usurpatur*" (II, 38). Cfr. *Müller: Critisk Undersögelse* &c. pag. 31 (in nota) ac ejusdem *Saga-Bibliothek* II, 509, 511, 515-518. Qvædam aliæ strophæ carminis *Bjarkamál* servantur *Hkr.* l. c. II, 347-348, VI, 109 (qvum Thormodus poëta, ingruente Stiklastadensi prælio, id ejus primordium alta voce recitasſet) et in Skalda (Raskii editione pag. 154) qvum multæ poëticæ auri denominationes ibidem occurretint.

*) Upsalæ fuit Odini primarium in septentrione templum. Refert Saxo Starcatherum ibidem cum filiis *Frö* (Freyeri) septennio feriatum ab his tandem ad Haconem Daniæ tyrannum se contulisſe "qvod apud Upsalam, sacrificiorum tempore, constitutus effæminatos corporum motus scenicosqve mimorum plausus ac mollia nolarum crepitacula fastidiret. — — Ne lasciviæ qvidem spectator esſe sustinuit" (VI, 104). Hinc patet festivas illas ceremonias Indicis ac Buddhisticis hodiernis non absimiles fuisſe. Cfr. *Hkr.* II, 136.

**) Byzantium hic certe pro Asgardia ponitur; an veteri poëtæ sonuerit *Býss ása* (qvod Germanis *ansa* aut aliqvid tale) in medio linqvere cogimus. Urbs illa, (nostratibus *Mikligardr*) Saxonis tempore celeberrima ac Asici populi (vel ejus optimatum) patriæ vicina, ab auctore faciliter cum Asgardia *(Ásgardr)* commutari potuit, cum alii, ut supra monstravimus, Troiam præferrent. Sic Saxo, ut Snorro, duplicem Odino (in Europa et Asia) sedem aut domicilium adscribit. Non tamen est reticendum Saxoni ac aliis coævis scriptoribus Rusſiam sæpe Græciam audire, sed Bothnicum sinum Hellespontum, uti infra uberius ostendemus.

***) Sic etiam idola sua gentiles Scandinavi exornare solebant, secundum islandicas narrationes.

Ille tanta sua celebritate gavisus, mittentium caritatem cupide exosculatus est. Cujus conjunx Frigga, qvo cultior progredi posset, ascitis fabris, aurum statuæ detrahendum curavit. Qvibus Othinus suspendio consumtis, statuam in crepidine collocavit, qvam etiam mirâ artis industriâ ad humanos tactus vocalem reddidit. *) At nihilominus Frigga, cultus sui nitorem divinis mariti honoribus anteponens, uni familiarium se stupro subjecit, cujus ingenio simulacrum demolita, aurum publicæ superstitioni consecratum ad privati luxus instrumentum convertit. **) Nec pensi duxit impudicitiam sectari, qvo promptius avaritiâ frueretur. Hoc loco qvid aliud adjecerim, qvam tale numen hac conjuge dignum extitisse? Tanto qvondam errore mortalium ludificabantur ingenia. Igitur Othinus, gemina uxoris injuria lacessitus, haud levius imaginis suæ qvam tori læsione dolebat. Duplici itaqve ruboris irritamento perstrictus, plenum ingenui pudoris exilium carpsit, eoqve se contracti dedecoris sordes aboliturum putavit. ***) Cujus secessu Mitothin qvidam, præstigiis celeber, perinde ac cælesti beneficio vegetatus, occasionem et ipse fingendæ divinitatis arripuit barbarasqve mentes, novis erroris tenebris circumfusas, præstigiarum famâ ad ceremonias suo nomini persolvendas adduxit. Hic Deorum iram aut numinum violationem confusis permixtisqve sacris expiari negabat, ideoqve eis vota communiter nuncupari prohibebat, discreta superum cuiqve libamenta constituens. Qvi cum Othino redeunte, relicta præstigiarum ope, latendi gratia Pheoniam ****) accessisset, concursu incolarum occiditur. Cujus extincti qvoqve flagitia patuere: siqvidem busto suo propinqvantes repentino mortis genere consumebat, tantasqve post fata pestes edidit, ut pene tetriora mortis qvam vitæ monumenta dedisse videretur, perinde ac necis suæ pœnas a noxiis exacturus. Qvo malo obfusi incolæ egestum tumulo corpus capite spoliant, acuto pectus stipite transfigentes: id genti remedio fuit. Post hæc Othinus conjugis fato pristinæ claritatis opinione recuperata, ac veluti expiata divinitatis infamiâ, ab exilio regressus, cunctos qvi per absentiam suam cælestium honorum titu-

*) Cfr. *Yngl. S.* Cap. 4 de Odino defuncti Mimeris capiti loqvelam donante.

**) Cfr. mythicam aliam, sed similiter (ut puto) à christiano librario corruptam, narrationem islandicam, de Freya (illic Othini concubina dicta) pro aurei torqvis sive monilis præmio a Dvergis pluribus voluntarie stupratâ. Vid. *Brisingamen, Freya, Hildur* s.

***) Itinera Odini multifaria ac longinqva memorantur in utraqve Edda; e. gr. *Vafþr. M.* 1 & sq. 44 & sq. 54. *Gr. M.* 46-47 &c. Edda jun. pag. 25, 80, 83, 107, 135 (ubi totum mundum explorasse dicitur) p. p. Cfr. *Yngl. Saga* Cap. 2, 3, 4, *Æg. Dr.* str. 26. & artic. *Frigg.* s.

****) Fioniam — vel forte potius Finniam [Phenniam]? Adamus Bremensis e contrario Fioniam appellat insulam Finne.

los gesserant, tanqvam alienos deponere coëgit, subortosqve magorum coetus, *veluti tenebras qvasdam superveniente numinis sui fulgore discussit.* Nec solum eos deponendæ divinitatis, verum etiam deserendæ patriæ imperio constrinxit, *merito terris extrudendos ratus, qvi se coelis tam neqviter ingerebant"* *) (I, 12-13).

"Othinus, qvamqvam *Deorum præcipuus* haberetur, divinos tamen et haruspices, cæterosqve qvos exqvisitis præscientiæ studiis vigere compererat, super exeqvenda filii (Balderi) ultione solicitat, plenumqve enim humanæ opis indiga est imperfecta divinitas. Cui Rostiophus Phinnicus **) alium ex Rinda Ruthenorum Regis filia ***) suscitandum prædixit, qvi fraternæ cladis pœnas exigere debeat. Deos siqvidem consortis sui ultionem orituri fratris officio destinasse. Hoc audito Othinus os pileo, ne cultu proderetur, obnubens ****) prædictum Regem stipendia meriturus accedit. A qvo magister militum effectus, recepto exercitu, pulcherrimam ex hostibus victoriam retulit. Qvem

*) An Mitothinus ille pro mythica mere personâ aut etiam pro vere historico Mago vel hierarcha sit sumendus, decernere saltem neqvimus. Nobis hic in mentem venit Cæli verni vel æstivi et autumnalis vel hiemalis perpetua ac alternativa contentio, qvæ mythicæ tali aut ænigmaticæ fabulæ facile ansam dedisse potuit. Confer vulgi agrestis in pluribus terris mimicas æstatis & hiemis repræsentationes, qvæ hibernos dæmones occidi vel profugari faciunt: sic pertica vel arbor majalis forsitan est habenda pro stipite illo, qvi cæsi Mitothini pectus tandem feliciter transfixit. Cfr. *den ældre Edda* II, 89-90, 135-136. it. *Olai Magn. Gent. Sept. Hist.* XV, 2, 3. de ritu fugandi hyemis & receptione æstatis.

**) Cfr, varia carminum eddicorum loca de Asis sive Diis ad concilium vocatis, ac haruspicia et oracula consultantibus, e. gr. *Hým. Qv.* 1, *Hr. G.* 2-22, *Vegt. Qv.* 1-5, 6-19. Rostiophus ille, qvi hic dicitur Finnicus, nominatur in Edda antiqviore (*Hyndlu L.* 30): *Hrossþiófr, Rossþiófr* (Latine Rostiophus) et e frigidorum (sive frigidæ zonæ) gigantibus prognatus esse fertur. His ipsis in Skalda qvoqve annumeratur (pag. 212). Gigantes in Finnia (vel Lapponia) ex atavorum nostrorum opinione habitasse, et Finnos, gigantum cultores, eorum nomine interdum insignitos fuisse, alias est notissimum.

***) Rinda memoratur in Eddis ambabus ut mater Valii Dei, qvi Balderi cædem ultus fuisse dicitur. Vide de ea articulum *Rindur* i., qvo in cæterum probatum iri opinamur, qvod Dea ista Tellurem mythice significet. Nihilominus minime id pro impossibili est habendum, qvod Saxoni cantilenæ aliqvæ, nobis ignotæ, ad manus fuerint, qvæ Odini & Rindæ amores gentili more decantassent, et qvamvis allegorice compositæ ab historico nostro nimis jejune sint explicatæ.

****) Idem sæpe de Odino in mythis & fabulis Islandicis refertur. Fuit igitur unum ejus nominum *Sidhöttr* ɔ: demisso pileo instructus i. e. pileo caput obnubens. Exempla talis ejus apparitionis inter homines consulas e. gr. in *Vols. Saga* Cap. 6, *Hkr.* I, 268, *Saga Ol. Tr. S.* ed. Havn. II, 138, *Þátr Styrbjarnar Svíakappa* mscr. & alibi. De prima mythi origine vid. *Sidhöttr* i. Qvum Odinus sæpe mortalibus apparere, sed oculos sive intuitum divinum facile ab hominibus cognosci, olim creditum fuerit, illa persona pluribus ejus nominibus respondens (ut *Grímnir, Grímur* & pl.) ipsi tali occasione necessaria habebatur.

Rex, ob pugnam strenue editam, in primum amicitiæ gradum adscivit, haud parcius donis qvam honoribus cultum. Idem post parvulum temporis intervallum, solus hostium acies in fugam propulit, mirificæqve cladis auctor pariter ac nuncius rediit. Admirationi omnibus erat, qvod tanta de innumeris strages unius accipi viribus potuisset. Qvibus meritis fretus Othinus tacite Regem amoris sui conscium facit. Cuius benignisime favore recreatus, dum a puella osculum peteret, alapam recepit. Nec eum aut contumeliæ deformitas, aut injuriæ dolor, proposito depulit. Postero siqvidem anno, ne qvod avide orsus erat ignominiose desereret, peregrina veste sumpta, Regis contubernium repetit. Neqve enim facile ab occurrentibus dignosci poterat, cum veras oris notas falsus sqvalor abstergerat, veterem habitum nova furaretur illuvies. Rosterum se vocitari *) fabriliumqve rerum opificio callere perhibuit. Itaqve multiplices rerum formas speciosisimis æris lineamentis complexus, adeo professionem artificio commendavit, ut recepto a Rege magni ponderis auro, matronarum ornamenta procudere juberetur. Igitur complura fæminini cultus insignia fabricatus, tandem armillam cæteris operosius expolitam, annulosqve complures pari studio decusatos puellæ præbuit **). Sed nullis flecti meritis indignatio potest. Qvem Rinda basium sibi porrigere cupientem, colapho percusit. — — — At Othinus, nihil amantium studiis perseverantiæ robore efficacius expertus, qvanqvam geminæ repulsæ ignominiâ affectus fuisset, tertio Regem, priori specie confusa, perfectisimam rei militaris industriam profeslus accesit.... Ita præstigiarum peritis versili vultu varios habitus præ se ferendi promptisima qvondam potestas incesserat. Qvippe præter naturalem corporis speciem cujuslibet ætatis statum simulare callebant. Igitur senex ***), jocundum professionis suæ spectaculum editurus, inter promptisimos insolentius obeqvitare solebat. Nec eo qvidem officii genere puellæ rigor inflecti potuit..... Qvam cum discesurus osculo petere vellet, ita ab ea propulsus est, ut

*) Nomen *Róstarr* sive *Rostar* pugnacem sive belligerum significat, ab eddico-poëtico vocabulo *rosta* (pugna) derivandum. *Rosta* insuper (et originitus qvidem) significavit procellam, primitivi Odini naturæ arctius conveniens, unde illud *Rostar* (uti *Vidrir* & pl.) talem ejus simul indolem sive potestatem indicare potuit.

**) Othinus (ut animi dator & sapientisimum omnium numen) artium in genere primarius Deus sive doctor olim fuit habitus. Cfr. relationes carminis Valiani (str. 7-8) de Asis (et qvidem præsertim Odino ac ejus fratribus) qvomodo fornaces posuerunt, pretiosa fabricarunt, forcipes ac alia fabrilia instrumenta fecerunt, auri abundantiâ fruentes; it. Edd. jun. pag. 14-15, *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 87-89, 92-93 & sq.

***) Odinus sæpisime sub senis forma apparere solebat, et ob eam causam a Saxone ita memoratur, qvamvis relationis tenor illum hic sub juvenili specie incesisse indicet. Ipse gentilibus poëtis interdum *Ungr* sive Juvenis celebratus est.

mentum terræ nutabundus impingeret. Qvam protinus cortice carminibus adnotato contingens, lymphanti similem reddidit,*) receptam toties injuriam modesto ultionis genere insecutus. — Adhuc tamen propositum exeqvi non cunctatus (qvippe spem ejus fiducia majestatis inflaverat) puellari veste sumptâ, qvarto Regem viator indefesſus **) petivit. A qvo receptus, non modo sedulum se, sed etiam importunum exhibuit. Qvi qvod muliebriter propemodum cultus esſet, a plerisqve fæmina credebatur. Cæterum se vocabulo Vecham ***) arte medicam testabatur; profesſionem qvoqve promtisſimis commendabat officiis. ****) Tandem in reginæ famulitium adscitus, puellæ pedisſeqvam egit. . . . . Medicus tandem, adversâ virginis valetudine usus, mutato curationis officio, prius ad exercendæ libidinis qvam pellendæ febris negocium procurrit." Hinc ortus filius ille, Bo dictus, qvi Balderi cædis vindictam posterius perfecisſe fertur *****). — "At Dii, qvibus præcipua apud Byzantium sedes habebatur, Othinum variis majestatis detrimentis divinitatis gloriam maculasse cernentes, collegio suo submovendum duxerunt. Nec solum primatu ejectum, sed etiam domestico honore cultuqve spoliatum, proscribendum curabant; satius existimantes probrosi antistitis potentiam subrui, qvam publicæ religionis habitum profanari, ne vel ipsi alieno crimini im-

*) Vid. *Háva M.* str. 135 & sq. de Runarum & carminum (ab Odino inventorum) mirificis viribus, ut et *Yngl. S.* Cap. 6, 7. Cfr. *Vegt. Qv.* 9, *Sk. F.* 32, 36, it. *Saga Egils Skallagr. S.* edit. Havn. pag. 587 & sq.

**) Cfr. *Vaſþr. M.* str. 8. *Gángrádr ek hetti* & sq. it. 46 *Fiöld ec fór* &c.

***) *Vigga* vulgo adhuc in Islandia dicitur pro nomine proprio muliebri *Vigdís* i. e. cædium Dea, Bellona (Valkyria).

****) *Yngl. S.* Cap. 7. "Artem maximæ virtutis calluit Odinus, *seid* dictam; . . . . hac etiam sensum aut vires his demere illis addere, potios erat. Hæc cum exercenda sunt veneficia, eo immanitatis proceditur, ut ab eis, utpote sibi probrosis, abhorruerint viri, qvare fœminis, templorum antistitis, hæc ars est tradita." Cfr. Edd. antiqv. II, 776, ac *ÆEg. Dr.* str. 32 ubi Lokius blasphemans Freyam veneficam compellat it. *Hyndlæ* consona fere dicta. Mulieres apud veteres Scandinavos medicam artem sæpisſime exercuisſe, alioqvin est notisſimum. — Magicæ actiones, in mulierum fatidicarum modum gestæ, Odino a Lokio opprobrantur *ÆEg. dr.* 24. Jupiter ipse, Deas, nymphas vel humanas mulieres simili modo ambiens, omnes fere formas suscepit, fœminină qvoqve non aspernată. Nos alioqvin illam traditionem, qvâ Saxo sic usus fuit, allusisſe putamus ad *qvatuor anni formas* sive tempora, qvibus peractis sterilis terra cæli amplexu fœcunda redditur.

*****) Hic exitus illius Odini procationis, qvæ alioqvin memorari videtur in carmine *Háva M.* str. 95-102, ibidem ignoratur, fragmento ita finiente:

Contumeliam qvamlibet
Adferre mihi studuit
Elegans illa puella,
Neqve ego qvidqvam ejus mulieris obtinui.

plicati, insontes nocentis crimine punirentur. Videbant enim apud eos, qvos ad deferendos sibi divinitatis honores illexerant, vulgato majoris Dei ludibrio, obseqvium contemptu, religionem rubore mutari, sacra pro sacrilegio duci, statas solennesqve cerimonias puerilium deliramentorum loco censeri. Mors præ oculis, metus in armis erat et in omnium caput unius culpam recidere putares. Hunc itaqve, ne publicam religionem exulare cogeret, exilio mulctantes, Ollerum qvemdam non solum in regni sed etiam in divinitatis insulas subrogavere, tanqvam deos ac reges creare in æqvo positum foret. Qvem licet perfunctorie flaminem creavisſent, integro rerum honore donabant, ne alieni officii procurator, sed legitimus dignitatis adverteretur esſe succesſor. Et ne qvid amplitudinis deesſet *Othini qvoqve ei nomen imponunt**) vocabuli favore invidiam novitatis exclusuri. Qvo denis ferme annis divini senatus magistratum gerente, tandem Othinus, diis atrocitatem exilii miserantibus, satis jam graves pænas dedisſe visus, sqvaloris deformitatem pristino habitu permutavit. Jam enim superioris infamiæ notam medii temporis intervallum exederat. Extitere tamen qvi ipsum recuperandæ dignitatis aditu indignum censerent, qvod scenicis artibus et muliebris officii susceptione teterrimum divini nominis opprobrium edidisſet. Sunt qvi asſerant eum qvosdam Deorum adulando, qvosdam præmiis permulcendo, amisſæ majestatis fortunam pecuniâ emercatum fuisſe, et ad honores, qvibus jam primum defunctus fuerat, ingentis summæ precio reditum comparasſe. **) Qvos si qvanti emerit rogas, illos consule, qvi qvanti divinitas veneat, didicerunt. Igitur Ollerus ab Othino Byzantio pulsus, in Svetiam concesſit: ubi veluti *novo* qvodam *orbe****) opinionis suæ monumenta restaurare connisus, a Danis interfectus est. Fama est illum adeo præstigiarum usum calluisſe, ut ad trajicienda maria osſe, qvod diris carminibus obsignavisſet, navigii loco uteretur, nec eo segnius qvam remigio præjecta aqvarum obstacula superaret.****) At Othinus, recuperatis divinitatis insignibus tanto opinionis fulgore cunctis terrarum partibus enitebat, ut eum perinde *ut redditum mundo lumen* †) omnes gentes amplecterentur, *nec ullus locus or-*

*) Cfr. Snorronis ante observata (*Yngl. S.* Cap. 2): *höfdingi sá er Ódinn var kalladr* in Asgardia vel Asia propria, Caucaso et ponto Euxino vicina — hic apud Saxonem in Byzantio.

**) Müllerus ingeniose conjecit auri qvasdam poeticas denominationes ut lytron Asarum p. p. illi fictioni ansam dedisſe. *Crit. Undersög.* &c. pag. 9.

***) Cfr. verba Adami Bremensis in libro (de situ Daniæ): "Transeuntibus insulas Danorum *alter mundus* aperitur in Sveoniam vel Nordmanniam, qvæ sunt duo latisſima aqvilonis regna, et *nostro orbi* adhuc fere incognita."

****) Qvomodo mythus hicce in Ullerum, Deum in Eddis celebratum, optime qvadret suo loco monstrabimus in artic. *Ullr* i. Cfr. *P. E. Müller Critisk Undersögelse* &c. pag. 39.

†) Hæc forte verisſima mythicæ hujus narrationis explicatio — si de cælestis vel solaris luminis

bis extaret, qvi numinis ejus potentiæ non pareret. *) Qvi cum filium Boum, qvem ex Rinda sustulerat, bellici laboris studiosum cognosceret, accersitum fraternæ cladis memorem esse jubet, potius a Balderi interfectoribus ultionem exacturum, qvam armis innoxios oppressurum, qvod aptior ac salubrior pugna competeret, ubi pium belli locum justa vindictæ licentia tribuisset" (I, 44-46).

Qvamvis Saxo noster, vetustissima carmina pro suo more interpretans, nolens volens Odino ac aliis prisci septentrionis numinibus **), divina nomina attribuere interdum coactus fuerit, proprias adsidue opiniones & commenta interpolat, ac sic qvoqve in historiæ sua initio earum fundamenta sistit:

"Ne publicæ existimationi contraria, aut veri fidem excedentia, fidenter adstruere videar, nosse operæ pretium est duplex qvondam Mathematicorum genus ***) inauditi generis miracula discretis exercuisse præstigiis. Horum primi fuere monstruosi generis viri, qvos *Gigantes* antiqvitas nominavit ****), humanæ magnitudinis habitum eximia corporum granditate vincentes. Secundi post hos, primam physiculandi solertiam obtinentes, artem possedere Pythonicam. Qvi qvantum superioribus habitu cessere corporeo, tantum vivaci mentis ingenio præstiterunt. *Hos inter gigantesqve de rerum summa bellis certabatur adsidue* †), qvoad *Magi* victores giganteum genus subigerent, sibiqve non solum regnandi jus, verum etiam *divinitatis opinionem* conscisce-rent. Horum utriqve, per summam ludificandorum oculorum peritiam, *proprios alienosqve vultus variis rerum imaginibus adumbrare callebant, illicibusqve formis obscurare conspectus* ††). Tertii vero generis homines, ex alterna superiorum" [i. e. Gigantum & Magorum sive Asarum] "copula pullulantes, auctorum suorum naturæ, *corporum magnitudine*, nec *artium exercitio* †††) respondebant. His tamen apud delusas

ac ejus supremi numinis annuo ad terras reditu sermo primo auctori fuerit. Nihilominus narratio ipsa historicis momentis ac factis posterius interspersa fuisse potest, qvæ nostro tempore ab illis discerni neqveunt; vetustissima carmina vel traditiones ejus fundamenta esse pro indubio habemus.

*) Confer ea qvæ supra e præfatione Eddæ junioris (pag. 4) et libro ipso (pag. 25) adtulimus, de Odini numine ab omnibus terræ populis culto, nomine tamen pro variorum idiomatum peculiari indole mutato.

**) Cfr. porro articulos *Baldur*, *Freyr*, *Frigg* s. *Þórr*, *Ullr* i.

***) I. e. præstigiatorum. Vide doctam Stephanii notam l. c. pag. 41-42.

****) Nostratibus audierunt *Þusar*, *Hrimþursar*, *Jötnar*, *Risar*, *Tröll* p. p.

†) Hoc de Asarum & Gigantum mythico ac perpetuo certamine "de rerum (mundanarum) summa" adcurate dici potuit. Posterius fabula ista historicis eventis est adaptata.

††) Cfr. titulum, initium & conclusionem primæ Eddæ junioris partis, qvæ *Gylfaginning* sive illusio Gylfiana vocatur — nec non *Yngl. S.* Cap. 5, 6, 7.

†††) Cfr. *Yngl. S.* Cap. 7 de Othini "eximiæ virtutis artibus, "qvas ipse sacrificiorum antistites edocuit" &c.

præstigiis mentes divinitatis accesſit opinio. Nec mirandum, si prodigialibus eorum portentis adducta barbaries in adulterinæ religionis cultum concesserit; *cum Latinorum qvoqve prudentiam pellexerit talium qvorundam divinis honoribus celebrata mortalitas.**) Hæc idcirco tetigerim, ne cum præstigia portentave perscripsero, lectoris incredula refragetur opinio"**) (1, 9–10).

Qvantum & qvaliter hæc Danici auctoris narratio, e mythicis ac historicis traditionibus composita, Islandicis illis medii ævi, qvas ante recensuimus, conveniat, nulla protinus demonstratione egebit. Restat nobis unica modo Saxonis huc spectans relatio, ubi mythus vetustus, Islandis qvoqve notus, ipsius de priscæ boreæ relligionis et huic proprii calendarii opinionem provocavit. Occurrit ista in Starcatheri historia, ad tenorem vetustorum carminum, qvæ Saxo ad manus habuit, ab eo exaratâ:

"Olim qvidam magicæ artis imbuti, Thor videlicet ***) et Othinus aliiqve complures, mirandâ præstigiorum machinatione callentes, obtentis simplicium animis, *divinitatis sibi fastigium arrogare cæperunt.* Qvippe Norvegiam, Svetiam ac Daniam, vanisſima credulitatis laqveis circumventas, ad cultus sibi pendendi studium concitantes, præcipuo ludificationis suæ contagio resperserunt. Adeo namqve fallaciæ eorum effectus percrebuit, ut in ipsis cæteri qvandam *numinum potentiam* venerantes, eosqve *deos* vel deorum *complices* ****) autumantes, veneficiorum auctoribus solennia vota dependerent & errori sacrilego *respectum sacris debitum* exhiberent. Qvo evenit ut *legitima feriarum series apud nos earundem nominibus censeatur* *****); cum ipsis Latinorum

---

*) Saxonem qvoqve de mythologiæ Græco-Romanæ numinum vera natura easdem ac de nostratium opiniones fovisse, Euhemeri qvidem commentis convenientes, hinc aperte illucescit.

**) Qvo modo hæcce Saxonis præliminaris excusatio appropinqvet ei, qvem auctor prologi Eddæ junioris isti præfixit, nemo non attentioris animi lector facile percipiet. Unicum discrimen in eo versatur, qvod Danus ille tantummodo vereatur suorum popularium *incredulitatem*, sed Islandus contra concivium *nimiam credulitatem*, qvum gentiles Dii iis magis familiares mansisſent.

***) De qvo prius sermo Saxoni fuerat. Vid. *Þór* i.

****) Nostratibus *bönd, bavnd (band); höft, havpt (hapt)* &c. ut suis locis observavimus — ut vincula rerum sive totius naturæ, a Diis procreatæ ac conservatæ.

*****) Sic etiam apud Danos ac reliqvos Scandinavos hodie, uti olim apud Norvegos & Islandos; audiit enim ipsis olim: ut jam: Danis, Norvegis & Svecis:

Dies Solis,	*Sunnudagr,*	*Söndag.*
— Lunæ,	*Mánadagr,*	*Mandag*, Svec. *Måndag.*
— Martis,	*Tirsdagr, Tisdagr,*	*Tirsdag*, Svec. *Tisdag.*
— Mercurii,	*Odinsdagr,*	*Onsdag.*
— Jovis,	*Þórsdagr,*	*Torsdag.*

veteres, sive a Deorum suorum vocabulis, sive a septeno planetarum numero, nuncupationem singulatim adaptasse noscantur. Eos tamen, qvi a nostris colebantur, non esse qvos Romanorum vetustissimi Jovem Mercuriumqve dixere, vel qvibus Græcia Latiumqve plenum superstitionis obseqvium exsolverunt, ex ipsa liqvido feriarum appellatione colligitur. Ea enim, qvi apud nostros Thori vel Othini dies dicitur, apud illos Jovis vel Mercurii feria nuncupatur. Si ergo Thor Jovem, Othinum Mercurium, juxta designatæ interpretationis distinctionem accipimus, manente nostrorum assertione, Jovem Mercurii filium extitisse convincitur, apud qvos Thor Othino genitus vulgari sententia perhibetur *). Cum ergo Latini, contrario opinionis tenore, Mercurium Jove editum asseverent, restat constante eorum affirmatione Thor alium qvam Jovem, Othinum qvoqve Mercurio

---

Dies Veneris,	*Friádagr*, or (*Freádagr Freydagr*).	*Fredag.*
— Saturni,	*Laugardagr* (olim ut videtur *Loga-* vel *Lokadagr*)	*Löverdag*, *Lördag*, (Svec. *Lögerdag*, *Lördag*.

Plurima hæcce nomina nostratibus cum Anglo-Saxonibus, Batavis, ac aliis Germanis & pl. communia fuerunt & adhuc manent. Planetæ ipsi illis nominibus a veteribus Scandinavis fuerunt appellati, ut docet *Rimbegla* pag. 112, qvæ denominationes asiaticam sed non latinam originem indubie sapiunt. In Islandia præsul christianus Jonas Ögmundinus (ut in vita ejus, nondum typis mandata, legimus) anno Domini 1107 prohibuit singulis hebdomadis diebus, ex ethnico priscorum more, addicere vocabula, a *sapientium gentilium virorum* (sic enim Asas repræsentare studuit) *nominibus* sumpta, sed eorum loco restituit alia numero dierum correspondentia, ut *þridiudagr*, *midvikudagr*, *fimtudagr*; Frejæ diem a jejunio *(föstudag)* denominari maluit, sed reliqvos priscis nominibus (ut ex ejus sententiâ idololatriam non prodentia) signari concessit. Plures medii ævi britannici auctores Saxones ferias suorum Deorum appellationibus fornasse referunt, e. gr. Guilielmus Malmesburiensis, Matthæus Vestmonasteriensis & Galfredus Monomuthensis; hic refert Hengestum, gentilem Saxonum ducem, Britanniæ Regem Vortigernum docuisse dierum ab illius Diis sumta nomina e. gr. *Wodensati* & pl. His conveniunt Islandorum *Breta sögur* (inter membr. Manuscr. A. M. No. 544) exhibens vetustissimam illam traditionem, qvod "Danici ac Saxonici Reges diebus Deorum nomina imposuerint, ut eo officiosius omnia, homines ac annos servarent et bearent" — Germanos ait Tacitus Mercurio [Odino] certis diebus litasse (Cap. 9). Concilium Liptinense (de anno 743) prohibuit, inter alias gentiles superstitiones, art. 8 "sacra Mercurii & Jovis" ac art. 20 "ferias qvas faciunt Jovi vel Mercurio" i. e. Thoro vel Othino sive Vodano, qvum Thuringi, qvibus edicta illa data, nunqvam latinos vel græcos Deos coluerint. In medii ævi & serioribus monumentis dies Mercurii Anglo-Saxonibus dicitur ita *Vodnesdæg*, Germanis *Wodenstag*, *Wodanstag*, *Godanstag*, Batavis sive Belgis *Woensdag* (uti Jutis nostris vulgo *Voensdag*, *Vonsdag*, pro reliqvorum Danorum *Onsdag*) Anglis *Wednesday* &c.:

*) Hæc Saxonis verba distinctam priscorum numinum memoriam inter Danos ejus temporibus non abolitam fuisse, indicare videntur.

sentiamus extitisse diversum. Sunt qvi dicant deos, qvos nostri coluere, cum iis qvos Græcia vel Latium celebrabat solum participasse vocabulum, sed istos tanqvam majestate suppares, ab illis cultum cum nomine mutuatos fuisse. Et hæc super Danicæ vetustatis numinibus disseruisse sufficiat. Qvæ ideo paulisper a me in commune deducta sunt, ut legentibus liqvidum fiat, *qvibus patria nostra ritibus paganâ superstitione paruerit.* Nunc propositi diverticulum repetam. Tradunt veteres Starcatherum, cujus supra memini, in Vicari Norvagiensium Regis jugulo, deorum favori facinorum suorum principia dedicasse: cujus rei tenor tali qvorundam assertione contexitur. Volens qvondam Othinus Vicarum funesto interire supplicio, cum id aperte exeqvi nollet, Starcatherum inusitata prius granditate conspicuum, non solum animi fortitudine sed etiam condendorum carminum peritiâ illustravit, *) qvo promptiore ejus operâ ad peragendum Regis exitium uteretur. Hanc qvippe eum dignatiqui suæ gratiam relaturum sperabat. Qvem etiam ob hoc ternis ætatis humanæ curriculis donavit, ut in his totidem execrabilium operum auctor evaderet **). Adeo illi conseqventi flagitio vitæ tempora prorogenda constituit. Qvi mox Vicarum adiens, inqve ejus aliqvandiu contubernia diversatus, insidias obseqvio texit. Tandem piraticum cum eo opus ingreditur. Cumque qvodam in loco diutinâ tempestatum sævitiâ vexarentur, ita ventis navigationem frustrantibus ***) ut majorem anni partem qvieti tribuerent, deos humano sangvine propitiandos duxerunt. Itaqve conjectis in urnam sortibus, regiæ necis victimam deposci contigit. Tunc Starcatherus facto ex viminibus laqveo Regem implicuit, pœnæ speciem, duntaxat exiguo temporis momento daturum. Sed nodi rigor suum jus exeqvens, supremum pendentis halitum rapuit. Cui Starcathe-

*) Hic Odinus, a Saxone, ex ejus fontium testimonio, *animi dotes* ac *poeseos artem* hominibus largiens describitur — Eddis ambabus & aliis Islandorum monumentis egregie rem eandem confirmantibus, uti supra prolixe monstravimus.

**) Cfr. Ynglingorum historiæ (Cap. 29) mythicam relationem de Anio Sveonum Rege, qvi variis vicibus Othino (vitæ & necis domino) novem filios pro longæva vitâ, vulgarem hominum ætatem longe superante, sacrificasse fertur. Gesta qvædam Starcatheri grandævi illius historiæ ibidem breviter inserta memorantur. Traditionem istam Rudbeckius, in Atlanticâ sua, astronomice explicare tentavit. — Fabulæ veteres nostratium de Diis (Othino vel Thore) scelera mandantibus, e sectarum diversarum, (uti hodie Sivæ & Visnui Indicarum) qvæ unum illorum alteri præponebant, mutuo odio partim ortæ fuisse videntur, nisi christianæ mutationes aliqvid iis atrocitatis posterius addiderint. Islandicæ fabulæ Odinum & Thorum Starcatheri fata constituisse referunt, qvum egregio qvovis Odini dono Thorus scelus aliqvid vel infortunium affixerit. Cfr. observationes mox seqventes.

***) Aëris & ventorum summum numen, igitur *Vidrir* appellatus, Odinus olim habitus est. Sic ipsum illas tempestates produxisse auctori fabulæ placuit.

rus adhuc palpitanti ferro spiritus reliqvias evulsit, cumqve remedium afferre deberet, perfidiam detexit. Neqve enim illa mihi recensenda videtur opinio, qvæ viminum mollitiem, subitis solidatam complexibus, ferrei morem laqvei peregisse commemorat" (VI, 103-104) *).

Saxonis hasce, de Othino & aliis gentilium Scandinavorum numinibus, mythologis certe pretiosisfimas relationes non ab eo ipso esse effictas aut compositas, (cum theologi christiani, de illorum naturâ, ævo proprias opiniones excipias) his satis probasse speramus, qvod etiam alioqvin doctisfimi nostri Mülleri, circa alias auctoris illius asfertiones, criticis investigationibus egregie præstitum fuerat **). Qvamvis non omnes (sed plurimæ tamen) Saxonis traditiones Islandicis monumentis qvæ jam habemus conveniant, hoc sane olim fuisse potuit, cum permulta eddica vel boreali mythologiæ propria carmina dudum sint deperdita, & prosaica insuper earum paraphrases historicis commentariis auctæ e. gr. *Skjöldunga Saga* i. e. Skioldungorum historia, qvæ si nobis adfuerit, magis distincte res illas vetustisfimas explicare tentaremus.

Memoratur porro Othinus a serioribus qvibus Danicarum rerum medii ævi chronographis, e. gr. *Chronico Erici Regis* (ita dicto) in enumeratione Regum Daniæ:

"*Frithlæf*, hujus successor *Othen. Othen.* Iste morte subitanea, prope locum, qvi nunc *Othens* dicitur, interiit, ibiqve sepultus est ***). Hic magnus incantator et Magus erat, ita qvod ab omnibus circa nationibus pro Deo colebatur, unde et Græci ****) imaginem ejus auream a Danis sibi pro magno munere misfam, cum reverentia maxima susceperunt. Huic

*) Variæ Islandorum relationes agunt de Vicaro Rege & hoc Starcatheri facinore. *Hülfs Saga* Cap. 1. Vicarum, nondum natum, â matre Odino ex voto deditum sive sacratum asserit, qvapropter Deus illum stato tempore ad sua habitacula revocasse creditus est. Vide *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 8-9, 127; *Gautreks oc Hrólfs Saga* pag. 33 & sq. ubi arundo, Starcathero ab Odino data, Vicarem tangens, in ferream hastam subito mutata, ipsum transfodisse refertur, cum laqveus ex iliis vitulinis confectus in vimineum ac fortisfimum qvidem repente simul transformaretur. Cfr. *Suhm om Odin* &c. pag. 53-54, *Müller Saga-Bibliothek* II, 580-581, ejusd. *Crit. Undersög.* pag. 79-81, 83-84, 88-90.

**) In scripto ejus de Saxonis fontibus tractante, hic sæpius laudato. Cfr. tamen (præter Suhmii opera) plura his de rebus eruditorum recentiorum scripta, præsertim *Dahlmanni Einleitung in die Geschichte von Alt-Dänemark* (in ejusd. *Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte*, 1822 I, 151 & sq.) et *Gejer Svearikes Häfder* 1825 I, 246 & sq. Edidit etiam *Chr. Niemeyer: Sagen, betreffend Othin, dessen Geschlecht, und das Asenthum überhaupt, nach den Ueberlieferungen Saxo des Grammatikers*, *Erfurt* 1821 (insertas qvoqve scripto periodico *die Vorzeit* IV B. III St.); sed hæc collectio, per se nimis defecta et sine sufficiente Eddicæ mythologiæ cognitione exarata, Saxonis libros tantummodo I, & III, vel relationes istius de Frigga, Mitothino, Baldero, Ollero & Rinda tractavit.

***) Hic aperte de Saxonis Mit-Othino sermo est.

****) Saxo de Byzantio loqvitur (qvod in Thracia ac posteriore Græcia situm). Ruthenos aut Russos

succesſit filius ejus *Balder*, a qvo *Baldersund* dicitur mare Balticum, pro eo qvod ibi pugnavit *). Huic succesſit *Hother*, qvi eum occidit. — — Occisus est a *Boyo* [*Saxonis Boo*] Rege Sveciæ, qvi etiam post eum regnavit. Huic succesſit *Rorik* filius ejus."

His partim convenit *Chronicon Petri Olai* (minoritæ Roskildensis) his nimirum verbis **): "*Frithleff*, qvi recepit filiam Rolvonis uxorem & occidit Haconem et regnavit pro eo. Hunc *Fridleiv* non ponit Saxo & in multis discordat a chronicâ ista.

Othæn (Othinus). Hic magus erat in *Kogelspeel oc den sorte Konst* [præstigiis & nigrâ arte] & qvoqve per totam Europam pro Deo colebatur; morte subitanea mortuus est circa *Othens* & ibi sepultus. De hoc loqvitur satis Saxo, non tamen dicit eum Regem. Ad honorem istius *Othen* Dani, postqvam fecerant eum Regem, denominaverunt unum diem in hebdomada, scil. *Othensdag*. Hic sepultus est in colle circa amnem, ubi jam fundata est civitas *Othinia* vel *Othenia* ***), sic enim scribi debet, qvia sic scribitur in libris antiqvis & in Saxone.

(sive Gardariciæ aut Gardarum incolas) medio ævo Latine sæpe Græcos vocatos fuisse, alibi monstravimus, cum voces *Girskir* (Rutheni) & *Griskir*, *Grickir* (Græci) maximam inter se similitudinem habuerint, ac scriptorum qvoqve tempore eandem christianæ relligionis confessionem, qvæ Græca vocatur, profiterentur (*Eddalæren og dens Oprindelse* III, 51-54, 94-95). In Rutheniæ vicinia Hellespontum (corruptum a veteri boreali *Alabotnar*, *Kyriálabotnar*) Saxo interdum posuit; ei vicinæ fuerunt *Ása sýslor* (Asarum regiones) & Reidgothorum primariæ terræ cum emporio ipsorum principali ad Dunam sito, qvod Asgardiæ nomen adoptare potuit, a Saxone in Byzantium versum & cum Thracico illo ac prisca Asiæ Asgardiâ confusum. Præterea vulgaris via, e magna parte aqvatica, in Græciam per Rutheniam (sive Gardariciam) duxit, unde id evenit, qvod terræ hæce confunderentur ac pro iisdem interdum sumerentur. Cfr. porro Pauli Longobardi infra citatam asſertionem de Odino (sive Vodano) e Græciâ [vel Thracia] primum veniente.

*) "Saxo solum de *portu Balderi* & de scaturigine, a Baldero nomen trahente, loqvitur pag. 41; cfr. Hvitfeld p. 8; Gram. Not. ad Meurs. p. 24." Hæc e *Langebeck. Script. rer. Dan.* I, 152. Translatio Danica illius Chronici per I. P. W., edita Havniæ 1729, 8, periodos hic allatas penitus omittit.

**) Apud *Langebeck* l. c. I, 82. Prius Auctor de Hadingo loqvens, hæc addiderat (pag. 79:) "Sub isto Saxo mentionem facit de Othino, Deo falso."

***) Hic Othini tumulus, auctoris tempore, apud Othiniam verisimiliter ab incolis est monstratus. In insula Samsöe (vel Samo Danica) adhuc reperitur nomen loci *Onsberg* (olim *Othensberg*, *Othensberghe*), i. Othini collis aut monticulus, ut alius *Odensberga* in Scania (Linn. Skåuska Resa p. 83). In Svecia plures inveniuntur tumuli vel sepulchra Odino adhuc adtributa e. gr. apud *Asagård* in Smolandia (*Siöborg Nomenclatur* pag. 46); in Ostro-Gothia apud *Odensfors* (Odini cataractam; *Wallman* in *Idunna* IX, 88); in Vestro-Gothia tumulus *Odenskulla* (non procul a Falcopinga); in Oelandia insula *Odensflisa* cum ingentibus duobus petris (*Linnæi Reise nach Oeland* &c. pag. 176). Minime dubitamus, cum Siöborgio & Wallmano, qvod loca ista (qvæ adhuc partim majalibus populi ludis celebrantur) olim Othini cultui ac sacri-

Hic Othinus vel Othenus per totam Europam falso Deus credebatur" &c. [Cætera momenta e Saxone manifeste sunt contracta]. "*Balther* filius *Othen*, a qvo dicitur mare Balticum, fuit Rex in Syalandia. Hic electus est Rex a Syalandicis, qvem Höther occidit & in *Baldersbrynd* vel *Balderssundh* demersit *) a qvo Baldero nomen sortitus est. *Höther* . . . habuit bellum cum Diis, sc. *Odin*, *Baldher* & *Toor*, circa Roskildiam, *hoss* [apud] *Baldhersbrynd*, ubi multi gigantes & multi alii corruerunt de exercitu Deorum & ipsi Dii turpiter fugerunt." Qvæ auctor iste de Othino Deo in Haraldi Hildetanni historia retulit, e Saxone indubie sunt excerpta. "*Hotthero* succesfit *Roricus* filius ejus." Auctor nuper laudatus in plurimis Saxonem est secutus, sed alia qvoqve historica scripta ad manum habuit ac inter ea istud, vernacula lingvâ exaratum, qvod is vocare videtur: *Chronicon vulgare* sed nobis jam audit: *den Danske Riimkrönike* **). Hæc Hotherum [*Höther*] Daniæ Regem, ita loqvi facit (pag. 21):

Tha ieg skullæ Danmarks rige ſforsee
ſſul threerskæ wor ther kemper tree,
Then enæ hed otthen, then anden toor,
then trediæ baldher, en kempe stoor.
The sade the hade guddoms macht
ſſul lith gaff iegh dog ther paa acht,
For kogelspyl, the ſſore meth,
tha wille the sydhæ i koningens stedh
Hoss Roskyldhe holt ieg met them kry
thær styrthæ saa mangen kæmpæ udy:
Theres folk slog ieg hoss baldersbrund ***)
och gaff them ther theres dözens wund.
The flydhe ther selff full skammeleg,
iegh meen the hade ey guddom i seg.

---

ficiis fuerint destinata. Gliscente tempore superstitio vulgaris in iis vidit Odini sepulchra, ut plebeji de illo Ostrogothico thesaurorum defosſorum qvæsitores ita admonere solent: *Wet du ikke at här ligger Förſten Oden?* o: scisne Odinum principem hic sepultum esſe? (*Wallman om Striden på Samsö* l. c.). Indi etiam multos Buddhæ tumulos monstrant.

*) Hæc fabula non multum abludit ab eo Eddæ junioris mytho, qvi Balderum, ab Hoedero occisum, suæ navi Hringhorno impositum, mari traditum fuisſe innuit, ut manifeste refertur in *Yngl. S.* Cap. 27 de Hakio, et in carmine Scyldingiano de Scyldo (sive Skioldo), Daniæ Rege (ac alio Odini filio e nostratium relatione) ed. Thorkelini pag. 5-6. De fonte *Baldersbrynd* aliam Saxo traditionem servavit, ut scaturigine a Baldero victore in sitientium ejus militum solatium provocata — suo loco a nobis lectori communicata; hanc jam putamus gentilibus olim ita fuisſe familiarem, cum Balderi dei gratiæ salubres fontes, qvæ ejus festo visitabantur, suam originem vel medicam virtutem debuisſe crederentur. In his & multis aliis Chronicon vulgare (sive rhytmicum) a Saxone discrepare, e Petri Olai et Grundtvigii observatione, minime erit denegandum.

**) Primum edita est a Gotfredo Ghemen Havniæ 1495 (vel etiam paullo prius) ac deinde ab eo et aliis variis vicibus. Nona ac præstantisſima editio diligenti Molbechii curæ debita, prodiit Hafniæ 1825, qvam etiam in seqventibus allegabimus.

***) *Brund* Isl. *Brunnr* fons; recentioribus Danis *Brynd*, *Brönd*.

Siden slo ieg balder i balders
swndh
Och sænethe hanum ther nether til
grwndh . . .

Nihilominus apud hunc auctorem in Regum serie Hotherum Balderus ita seqvitur (pag. 22):

Baldher.

Siælanzfaer, the ædeligæ men
them tacker ieg alle hwer oc en
The menthe so aff alt there acht
ath ieg hade noghet guddoms macht
Thi hwlde the meg ffor en forman
och koning att bliffue i theres land.
Tha otthen) koning hau fick theth*
spurth
att the hade meg tijl koning giorth
Tha slog han meg i baldhers
swndh
oc sænctæ meg ther neder tijl grwndh.
Ther aff fick först thet swndh sit naffn
thet siær ieg eder, ther gaar aff saffn.

Hunc in rhytmico illo chronico *Otthen* ipse, sive *Othinus*, ut Rex Daniæ seqvitur (pag. 22-23):

I kogelspeell wor jeg saa klog
*och i de sorte konsters bog**)*
Ath ieg giordhe mange behændelig
ting
thi wor ieg wydhe werdhen omkring.
Icke aldeles i thesfæ nörræ landh
men saavel i rom och i greker land,
Thi sende meg grekeren et beleth aff
gwld,
att ieg skullæ ware them troo och
*hwld ***)*
Theth giorde iegh tijl meth konsten
saa,
at nar som folket tog ther aa
Tha talede theth och gaff them swor
*som anneth folk, ther lewende wor****)*
Ther danskæ sowet ieg war saa wijs,
och sodan fick aff fremede land prijs,
Tha giorde the meg heder och gaffn,
the gaffue megh krone och koninge
naffn
Och neffnde en dag i wghen aff meg
och kalle den otthensdag, hwer wid seg.
Sithen bleff ieg slaffuen i hill i fyen
myn guddom hialp meg ey eth gryn.
Jeg lades i en höw ther hoss en aa,
som odens stad han mwnne nw staa.

Huic proximum auctor noster inter Daniæ Reges ponit Roricum, Odini filium, (pag. 24):

Rörich otthen sön.

Jegh haffuer formærcht at mögel macht
hwn bliffuer ey lengæ ved en pacht

---

*) Necesse videtur, si nuper scripta aspiciamus, *otthen* illud perperam pro *hotther* a librario substitutum esse.

**) Hæc verba Petria Olai fontem aperte satis indicant.

***) E Saxonis relatione aurea hæc statua â boreæ principibus Byzantium missa dicitur; hic contra Græci Odino boream versus (ut videtur) illam misisse referuntur.

****) Similia tradit amplissima Olai Tryggvini historia de idolis scandinavicis, Deos gentilium repræsentantibus e. gr. Ed. Havn. I, 295, 302, II, 73, cfr. 138, 181-183.

Theth fick iek at se then same thijdh
*tha o t t h e n**) *myn fadher bleff slawen*
i strijdh
Swenskæ och tydeskæ, som hanum
gawe skath,
the fwldhe meg fra so offuer brath.
Thydeskæ fik ieg bestrydh i gen
Meth wbbe hyn sterke, myn gode wen,
Jegh döde aff sot oc ey aff slagh,
so gyk myn siste leffnetz dagh.

Tertium a Rorico Regem, Amlethum nempe (cujus nomen Shakespeariana musa immortalitate donavit) introducit, Deos suos in propriæ narrationis testimonium invocantem (pag. 35):

— so worde megh hwldh
Thoor myn gudh oc o t t h e n meth
i hweryæ stund oc hweryæ stæth.

Frogerum Norvegum: a Saxone Othini filium appellatum, rhytmista ille ita memorat (pag. 47):

Hans gwdh wor hannum saa bliidh
ath inghen kunne hannum slaa i
strijdh &c.

Chronicorum horum Othinus non is est de qvo Saxo in Balderi historia loqvitur, sed falsus ille, qvi in ejus historia Mitothin appellatur. Qvantum Saxonis & reliqvorum regiæ series his inter se discrepant, inferius breviter monstrabimus **) — Danorum veterum de Odino scriptis ita yaledicentes.

Auctores *Sveorum* Odinum e maxima parte tantummodo repræsentant ut gentilem Deum sive idolum saltem, ab eorum majoribus adoratum. Plurimi inter illos medii ævi historici spreverunt vernacula monumenta, exteros ac latinos auctores ecclesiastici ordinis in primis consulentes, præsertim Saxonem Grammaticum & Adamum Bremensem (circa annum 1070 scribentem) ***) cujus verba de Vodano sive Odino Upsalæ culto hic igitur statim adferemus: "Nobilisfimum illa [Sveonum] gens templum habet qvod *Ubsola* dicitur, non longe positum a *Sigtona* [Sigtuna] civitate vel *Birca*. In hoc templo, qvod totum ex auro paratum est ****), statuas trium Deorum ve-

---

*) Qvamvis eadem de Othino (tam Rege qvam numine) dici posfint, hic ac in titulo illud *Otthen* in *Hotther* iterum rite corrigendum opinamur.

**)

Saxo.	*Chronicon Erici R.*	*Chron. rhytmicum.*	*Chron. Petri Olai.*
Rolvo,	*Frithlæf,*	*Frydlæff,*	*Frithlæff.*
Hother (cum Baldero de regno & sponsâ certans, ipse a Boo occisus).	*Othen,*	*Hötther,*	*Othæn.*
	Balder,	*Baldher,*	*Balther.*
	Hother,	*Otthen,*	*Höther.*
	Boyo,	*Rörich,*	*Röricus* (filius Hötheri).
Röricus, Hotheri filius.	*Rörik,* (Boyonis filius).	*(Otthen söñ).*	

***) *Adami Bremensis Historia ecclesiastica, Helmstadi* 1670 Lib. 4 pag. 152.

****) I. e. auro undiqve ornatum. Addit vetus scholiasta qvod catena aurea totum templum ac ejus

neratur populus *). *Wodan* i. e. fortior [hic numero & potestate secundus] **) bella regit, hominumqve ministrat virtutem ***) contra inimicos .... Wodanem sculpunt armatum, sicut nostri Martem facere solent. Si bellum imminet, Wodani idolo immolant." Sequitur relatio de festo Svecorum enneatico ac universali, Upsalæ celebrato ****), ab aliis auctoribus Danis qvoqve ac Lethræ fanis adscripto *****).

Ericus Olai (circa annum 1460 florens) †). Adamum in descriptione templi Upsalensis ac idolorum ibidem cultorum partim est secutus, sed varia tamen aliter exponit. Memorat templum ut "mirificum, multa ambitione constructum auroqve tectum, in qvo trium Deorum erectæ imagines habebantur, qvorum hæc erant nomina: *Thor, Oden* & *Frigga* ††), collateraliter qvidem in tricliniis collocati .... Hos tres Deos Svecorum popu-

---

fastigium cinxerit. Dicitur Valhalla a poëtis Scandinaviæ vetustissimis aureis scutis tecta fuisse; sic omnia sacro Buddhistarum asianorum luxui conveniunt.

*) De *Thoro* sive *Thore* vid. art. *Þórr* i.; de Friccone *Freyr* s.

**) Eddæ Thorum describunt ut Deorum fortissimum, non tamen proprie potentissimum, qvamvis varia ejus epitheta id innuere videantur & ipsius sectarii contrariæ faverint opinioni. Puto revera Odinum in Upsaliensi templo primam sedem occupasse, Thorum ejus primum filium secundam & Fricconem (sive Freyerum) tertiam; exteri spectatores facile concludere potuerunt qvod Thori (Jovem ex eorum sententia repræsentantis) media inter illos sedes maximam ejus dignitatem indicaret; in cæterum probe est observanda ejusdem auctoris (St. Ansgarii biographo convcniens) relatio: "Sveones si qvando præliantes in angustia positi sint *ex multitudine Deorum*, qvos colunt, *unum* in auxilium invocant; ei post victoriam deinceps sunt devoti, illumqve cæteris anteponunt." Sic è duobus principibus, de Svcciæ imperio certantibus, (Erico & Styrbiorno), alterum Odino (magis victorioso) sed alterum Thoro vota fecisse & sacrificia obtulisse legimus.

***) Sic qvoqve *animum* et *ingenium*, bellatoribus maxime necessaria.

****) Vide *Eddalæren og dens Oprindelse* III, 207, 213. Ejus festi ratio verisimiliter eadem fuit ac apud Græcos, ut nimirum post elapsos menses 99, cyclus lunarium ac solarium annorum periodicus & ad harmoniam redactus concluderetur, pleiadum qvoqve ortui, certæ lunæ phasi correspondenti, adaptatus. Vid. cl. *K. O. Müller die Dorier* I, 100, 330. Et Græcis et Scandinavis gentilibus novenarius numerus sacerrimus fuit.

*****) Addit postremo auctor: "Cæterum næniæ, qvæ in ejusmodi ritibus libatoriis fieri solent, multiplices sunt et inhonestæ, ideoqve melius reticendæ." Cfr. Saxonis prius memoratam relationem de scenicis Upsalensium festorum ritibus.

†) *Erici Olai Historia Svecorum Gothorumqve, a Johanne Loccenio iterum edita.* Holm. 1654 pag. 1-2.

††) De qvâ inferius: "Tertium numen erat Frigga, qvam pro fertilitate & abundantia frugum & fructuum terræ, hominum jumentorumqve honorabant & assidue venerabantur, præcipue autem feria sexta, a qvâ dies illa vulgo vocatur *Friggedagh*. Singulis porro horum trium deputati fuerunt in suo ordine sacerdotes, qvi oblationes & sacrificia populi præsentarent & continue servirent in ritu & sacrificiis hujus templi." Huic eatenus consentit Johannes Magni (l, 9) "Simulacrum Friggæ, tertio loco positum, ut amorum gratiarumqve; ita pulchritudinis, deli-

lus mirâ affectione venerabatur, sed diversâ ratione singulos . . .. *Othinum* pro danda & conservanda eis pace & vitâ tranqvilla colebant Sveci. Qvando erant contra hostes pugnaturi, eum pro victoria invocabant, qvartam feriam ei pro libaminis tempore deputantes, a qvo dicta est dies illa *Odensdagh*."

His consentit vetus Sveciæ chronicon lingva vernaculâ prosaice conscriptum *) ac Erico illo fere contemporaneum, ut et aliud rhytmicum, minus vulgo dictum**), qvod ita incipit:

Gamble Upsala war konungasäthe...
Och skedte thet alt för dy
Att afgudhar vore i Upsala by.
*Ett förgyldt mönster****) *på Domkyrkiebärg war*
I Upsala ther nya Domkyrkian star,
Ther dyrkades Affgudhom threm
Thor gudh var högster aff them....
Odhan och Frigga hvar vedh hans sijdha,
Sadana Gudhar kunne Svenske män lijda....
Odhens dagh fick af Othen nampn,
I Tornering och Stridh the hedrade han.
Hvar nyonde alr skulle Konunger kalla
Aff sijno Rijke Menniskior alla
Til Upsala att dyrka Frygg, Odhan och Thor,
Ther matte ey fattes lijten eller stoor.

Illos proxime, ut Sveciæ historiographus, seqvitur Johannes Magni, qvi fontibus hic memoratis & insuper (ut videtur) pluribus jam ignotis aut deperditis usus fuit: "Cingebant Thoronis latera alii duo Dii, Othinus et Frigga, qvorum simulacra, perinde ac comparium Deorum majestas exigere videbatur, utrinqve collocata fuerunt. Othini siqvidem statua a dextris posita Martem ipsum *aureis armis fulgentem expresfit* ****).... Cujus præsidium Gothi adversus omnem bellorum impetum sufficere credentes, ipsum incredibili veneratione prosecuti, diem Mercurii in eius honorem æterna commemoratione consacraverunt .... De-

---

tiarum, nuptiarum et voluptatum omnium Dea credebatur. Et ob id tantum, apud Gothos, qvantum Venus apud Romanos venerata, diem Veneris usqve ad nostram ætatem sibi consecratum habet, certasqve stellas in cælo majoribus nostris colum & fusum Friggæ nominatas accepimus. Præterea pingebatur gladio & arcu armata;" (cfr. *Gr. M.* 14, Edda jun. pag. 28). Videmus hos auctores, pro Friccone (sive Freyero) Adami, substituisse Friggam Deam, cum Freja alia confusam, (qvamvis illæ Deæ antiqvissimo tempore pro una ac eadem forsitan sint habitæ sed posterius divisæ). Vid. *Freyr*, *Freya*, *Frigg* s. Friggam & Freyam Upsalis cultas fuisse putamus, sed in delubro sive sacello Deabus proprio, qvod *Disarsalr* audiit; vid. *Yngl. Saga* Cap. 33 *(Hkr.* l. c. I, 42).

*) *Then gamble swenske crönica* Script. rer. Svec. Tom. I, sect. I, pag. 242.

**) Ibidem pag. 252. Cfr. *Nyerup Wörterbuch der Skand. Mythol. Einleit.* pag. 4-5.

***) In chronico illo prosaico hoc ita exprimitur: *Ther war alt förgylt;* in cæteris qvoqve hujus periodi momentis maxima amborum convenientia cernitur.

****) Loqvitur etiam Edda junior de Odini aurea galeâ et fulgida lorica e. gr. pag. 72.

mum complures maximi Thoronis aut Othini filii existimati, divinis honoribus a seducto populo donabantur, ac publico digni libamine censebantur." Plura, qvæ hic auctor de Othino exhibet, e Saxone desumta esse videntur e. gr. de Haraldo Hildetanno "idolo Othino preces afferente" et de Dei apparitione: "Erat is profecto malus dæmon ex antro inferni avolans"; occisor Haraldi, "qvem Saxo Othinum vocat" hic "insignis proditor Danus" appellatur; Jarmerus Rex Othini Dæmonis, cujus præsidio et instructioni crediderat, imprecabatur auxilium; "aderatque vocatus Othinus & Jarmerum in re bellica instruxit" &c. *).

Olaus Magni fratri Johanni in plurimis consentit, et præcipue qvidem in ipsius de tribus majoribus Gothorum Diis relatione; Odinus noster isti tamen semper *Odhen* scribitur **).

Auctor tertius his contemporaneus, *Olaus Petri*, easdem secutus est relationes, sed Deum *Oden* eundem ac Germanorum *Wodhen* esse putavit; contradicit igitur Danicis chronicis, qvæ illum voluerunt fuisse magum qvendam in Svecia habitantem. Memorat porro Svecicorum chronicorum relationes de istius ut bellici Dei adoratione, sed conjicit Svecos eum coluisse divitiarum obtinendarum gratiâ, connivente vulgari proverbio: qvod Odeno ii serviant, qvi magnas opes continuo congerunt ***).

---

*) *Joh. Magni Historia* l. c. VIII, 1, 6, 22.

**) *Olai Magni Historia de gentibus septentrionalibus &c. Romæ* 1555 fol. III, 3.

***) *Att "the tiena Odenom" som många penningar och rykedomar samman slagga. Olai Petri Svenska Chrönica. Script. rerum Svecic.* Tom. I, sect. 2. pag. 221. Opinio illa firmis fundamentis non destituitur; vid. e. gr. *Yngl. S.* Cap. 7. "Othino cogniti erant thesauri omnes qvos condidit terra, eiqve carmina percepta, qvorum ope recludebatur ei terra et montes, et lapides et tumuli, qvorum incolas [dæmones metalla defendentes] solis verbis ligaverat ingressus qvæcunqve voluit abstulit." Cfr. *Hynd. L.* str. 2-3.

Oremus exercituum [populorum] patrem
Favorem suum nobis exhibere;
Ille dat et reddit
Aurum dignis; — —
Dat filiis victoriam
At aliis pecuniam &c.

Variis Islandorum historicis monumentis (præter Snorronis, junioris Eddæ et aliorum supra allatas relationes) Odini vetustus in Svecia cultus probatur: e. gr. cantilenis Sigvati Norvegi, de itinere ejus per Gothiam svecicam (anno 1019) cum ethnici incolæ homini illo christiano, propter festiva sacrificia (hyeme incipiente) tum celebrata, hospitationem in eorum domiciliis denegarunt:

Gackattu inn qvad eckia
Armi drengr! enn lengra,
Hrædunz ec vid Ódins,
Erum heidnir vér, reidi.

Ne procedas intro, dixit fæmina!
Miser tu vir! hincce ulterius;
Metuo ego (igitur sævi) Odini
Iram, nam ethnici sumus.

His subjungimus asfertionem auctoris externi, Alberici de tribus fontibus (*des trois fontaines* in Campania Galliæ) qvi circa annum 1241 scripsit *): "*Woden*, qvi Mercurius dictus et in *Gothlandia* insula habitavit, qvæ est in illo mari mediterraneo, qvod inter Daciam et Poloniam situm vergit ad orientalem septentrionem; ibi in illa insula dabat *responsa*, qvasi divinus. Unde legitur in Historia Longobardorum qvod cum Ybor et Agyon primi duces eorum ad istum Woden venisfent, prædixit eis qvod fortunati esfe deberent, et ita qvasi Deus habitus est, licet etiam post incarnationem Christi extiterit" **). Wodanus iste

Rýgr qvaz inni eiga, Foeda mulier, qvæ foras me expulit,
Óþeck sú er mér hneckti E sua villa, lupi instar,
Álfablót, sem úlfi, Dixit se intus Alfis (geniis)
Ótvin úr bœ sinum. Sacrificium peragere.

(*Hkr.* I. c. II, 125, VI, 85). Cfr. *Álfr* s. — Relatio de Styrbiorne Svecorum heroe (inserta historiæ Olai Sancti manuscriptæ) narrat Ericum victoriosum, Svecorum Regem, ante medium seculi decimi, cum Styrbiorne robusto Firisvallis dimicaturum, pro victoriâ obtinenda Odino in ejus templo noctu vota fecisse, qvum etiam Deus ei appareret pileo demisso tectus, arundineam ipsi hastam præbens, qvam super copias Styrbjorni jactare jussit, hac formulâ adhibitâ: Odinus vos omnes possidet (*Odinn á ydur alla*). Dicto facto, Styrbjorni exercitus occæcatus & deinde variis modis cæsus ac letho datus fuisse refertur. Simili modo Gisfur, Reid-Gothorum heros, Hunnorum (sive Slavorum) hostiles copias Odino sacravit, hâc formulâ adhibitâ:

Felmtr er ydar fylkir, Perterritus est rex vester,
Feigr er ydar visir, Dux vester moribundus,
Gnæfr er ydar gunnfáni, Vexillum vestrum caducum,
Gramr er ydr Ódinn. — Iratus vobis Odinus.
Enn býd ek ydr Iterum vos provoco
Orustu . . . . Ad prælium . . . .
Oc láti sva Faciatqve Odinus
Odinn flein flúga Sic misfile (meum) volitare
Sem ek fyrimæli. Uti jam impreeor.

Hervarar Saga ed. Havn. pag. 208 (lectionibus ac versione nunc tamen â nobis emendatis). Eandem ceremoniam observavit Steindor Eyrensis, magnas Islandicus, seculo 10mo hostium cohortem aggressurus. (*Eyrbyggia Saga*, ed. Thorkelini pag. 228.) Cfr. cognomina Odini: *Geirtyr*, *Geiradrottinn* & *Gúngnir* s. De Odino in cantilenis Svecis occurrente, supra egimus.

*) Editum est chronicon Alberici a Leibnitzio in istius *accessionibus historicis*, mihi adhuc inaccessis. Locum citatum exscripsi e *Langebeckii script. rer. sept.* I, 8 ubi jam laudatus auctor se istud ex Alberici T. I, pag. 187 (collatum cum pag. 23) excerpsisse testatur.

**) Odinum in insula Gothlandia antiqvitus cultum fuisse, minime erit dubitandum. Emporium ejus olim celeberrimum *Wisby* a fano gentili (*Ve, Vi*) nomen suum accepit. (Cfr. *Ve* infra). "*I þana tima war blotan i Wi*" (relatio vetustissima de priscis Gothlandiæ rebus in legum insulæ appendice; edit. Schildener 1818 pag. 110). Hic etiam mons qvidam appellatur *Thorsborg*, præruptus satis, sed alius ejusdem nomiuis, ac lacu et variis specubus insignis invenitur

ab eodem auctore dicitur propater fuisse multorum regiorum stemmatum inter *Saxones* & *Anglos*.

Ambæ gentes jam nominatæ in ipsa hodierna Dania (Jutia nempe & Anglia Cimbrica) ac regionibus ei proximis *) olim habitantes, hanc suam originem, etiam post Christianismum receptum ac sub Anglo-Saxonum nomine in Britannia reunitæ, lubenter agnoscebant, omnium suorum Regum prosapias deducentes a Vodeno illo, pristino gentis Rege vel numine. Sic celeberrimus Beda (seculo septimo florens) de Saxonibus, primis Angliæ occupatoribus, loqvitur: "Duces eorum fuisse perhibentur primi duo fratres Hengist et Horsa . . . Erant autem filii Victogilsi, cujus pater Vitta, cujus pater **) *Voden*, de cujus stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit." Hanc eandem relationem ac genealogiam exhibet chronicon Saxonicum (ad annum 449), his insuper additis: "A *Wodeno* originem ducebat omne nostrum genus regale itemqve Suth-hymbrorum ***). Septentrionalem traditionis illius originem adcuratius monstrat Ethelverdus, scriptor Anglus decimi seculi, his nempe verbis: — "*Vuothen*, qvi et Rex multitudinis Barbarorum. In tanta enim seductione oppressi aqvilonares increduli, ut [eum] sicut dominum [al. ut Deum] colant usqve, in hodiernum diem, videlicet *Dani, Northmanni* & *Svevi* [*Svevi*]" et alibi de Regibus Anglosaxonicis: "qvorum genus usqve ad generalissimum ascendit, id est ad *Vuothen*. . . . Qvem post infanda dignitate ut Deum honoran-

---

in vicina Oelandia; ibi Thori Dei cultus olim verisimiliter fuit celebratus. Hic etiam (in Oelandia nempe) situs est pagus *Veborm* (prope loca *Veby*, *Dödevi* & *Vialfwar*) cum petra granite, humana industriâ politâ, dicta *Odensten* (petra Odini) in qvâ secundum vulgarem traditionem milites ethnici, bellum aggressuri, gladios suos polire solebant; sic ara Thori svecica apud biographum Sti. Ansgarii & Adamum Bremensem audit *Thorstan* (sive *Thorsten*, *Thors stein*). In eadem insula est præterea locus dictus *Odensflisa*, qvi vulgo pro sepulchro Odini ibidem habetur. Vid. *Wallman*, in *Idunna* l. c. IX, 112-114. Gothlandiæ opposita sunt Gothiæ Svecicæ litora septentrionem versus, sed a meridie et oriente vetustissimæ Gothorum in Europa terræ, olim *Reidgotaland* (sive eqvestris aut continens Gotblandia vel Gothia appellata).

*) Hanc ob causam mythica Danorum historia perhibet *Dan* & *Angul* fratres fuisse, sed Daniam a Dano et Angliam ab Angulo (vel potius Anglis Cimbricis ejus posteris) nomina cepisse (Saxo Hist. Dan. I, 1).

**) Rectius: propater; Odinus humani generis fuit primarius auctor sed nihilominus veteres boreæ Reges & principes se specialiter ejus ingenuos filios vel posteros jactare solebant. — Poëtis certe ita dici potuerunt, ut græci Reges Jovis filii; — de hujus rei rationibus cfr. *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 345-346, ii. II, 59, 103 & sq.

***) *Bedæ Histor. ecclesiast.* I, 26, *Chronicon Saxon.* pag. 13. Ibidem qvoqve expressis verbis Britanniæ victores Saxones, Angli et Jutæ fuisse referuntur.

tes, sacrificium obtulerunt pagani, victoriæ causa sive virtutis" *). Wilhelmus Malmisburiensis (seculo duodecimo scribens) similia ita exprimit, de Regibus Anglo-Saxonum agens: — "Antiqvisfimi illius *Woden*, de qvo omnium pene barbararum gentium regium genus lineam trahit, qvemqve gens Anglorum Deum esse delirantes ei qvartam diem septimanæ et sextam uxori ejus Freæ perpetuo ad hoc tempus consecraverunt sacrilegio" **). Ailredus sive Aelredus, ejusdem seculi auctor, huic sic consentit: "A *Sem* [*Sceaf?*] genealogia ducitur usqve ad *Voden*, qvi tantæ auctoritatis fuit apud suos, ut feriam qvartam, qvam Romani gentiles diem Mercurii appellabant, eius nomine consecrarent, qvæ consvetudo ab Anglis hodieqve servatur, vocant enim eundem diem *Vodnesdei* id est *diem Voden*" ***). Ordericus Vitalis, in Anglia natus (circa annum 1075) eadem fere retulerat, hæc tamen de Vodeno addens: "Hic magnæ sublimitatis inter suos et potentiæ fuit" ****).

Vodeni hujus (sive Odini) cultum in Anglia Britannica floruisse minime erit dubitandum; memorabilis porro relatio de libris ad istum pertinentibus, ac Saxonicam qvasi Eddam continentibus, â clericis medii ævi christianis (plerumqve omnia talia destruere solitis) nobis fortuito est servata *****). Regnante Ethelredo secundo Angliæ Rege, circa annum 980, Ealdredus abbas monasterii Sancti Albani †), vicinum fundum "veteris civitatis *Verlamacestre*" (olim Verolamii) diruit, evertit & implevit vel explanavit, tegulas vero integras & lapides, qvas invenit, aptas ad ædificia, seponens ad fabricam novæ ecclesiæ reservavit; propter qvod terram in profunditate evertit, ut lapideas structuras inveniret. Qvod

*) *Chronicon Ethelverdi* apud *Twysden: Scriptores Anglici post Bedam* pag. 833. *Savile Script. Angl.* fol. 474-75, 76.

**) *Wilh. Sommerset. Malmesbur. de gestis Reg. Angl.* Lib. I, Cap. 1. Cfr. *Matth. Westmonaster. Flores histor.* pag. 81-82 (ad annum 449).

***) *Ailred. abb. Rievall.* apud *Twysden* l. c. pag. 351.

****) *Orderici Vitalis hist. eccl.* Lib. IV, apud *du Chesne collect. script. Normann.*

*****) *Vitæ viginti trium abbatum sancti Albani*, qvæ vulgo attribuuntur Matthæo Parisiensi (qvi seculo 13^mo floruit) sed vix ab eo sunt conscriptæ, ultimâ continuatione sive ipsâ conclusione exceptâ. In præfatiuncula auctor sive collector testatur se usum esse antiqviorum "gestorum scriptorum inspectatione" qva etiam eum in seqvente narratione, internis veritatis criteriis conspicuâ (si forte miraculosam vel penitus subitaneam codicis annullationem exceperis) fructum fuisse opinamur. Nos has pagellas excerpsimus ex *Additamentis operum Matthæi Parisiensis, ed. W. Wats, Parisiis* 1644 fol. pag. 25-26. Huius relationis præcipua momenta Germanice translata sunt a celeberrimo Graetero in scripto periodico *Idunna und Hermode* 1816 No. 20 pag. 77 sub titulo: "*Ein heidnischer Pallast der Alt-Sachsen, unter der Erde gefunden, nebst einem Buche von Odin.*" Nimis brevem Cambdenus illius exhibuit anglicam epitomen.

†) Primordium hujus articuli ita sonat: "*Ealdredus* Abbas. Iste antiqvas scripturas subterraneas veteris civitatis, qvæ Vverlamcestre dicebatur, perscrutatus, evertit omnia & implevit" &c.

cum fecisſent fosſores, iuxta ripam asſeres qvernos cum clavis infixis, pice navali delinitos (qvales solent esſe in carinis) invenerunt, nec non & qvædam navalia armamenta, utpote anchoras rubigine semirosas & remos abiegnos" *).... Ealdredo in mediis hisce negotiis defuncto, succesſit Eadmarus abbas, qvi antecesſoris labores strenue continuavit. "Cum ejus fosſores" [circa annum 980] "muros et abscondita terræ rimarentur, in medio civitatis antiqvæ cuiusdam magni palatii fundamenta diruerunt, et cum tantorum vestigia ædificiorum admirarentur, invenerunt in cuiusdam muri concavo depositо, qvasi almariolo, cum qvibusdam minoribus libris et rotulis, *cuiusdam codicis ignotum volumen*, qvod parum fuit ex tam longæva mora demolitum; *cuius nec litera nec idioma alicui tunc invento cognitum præ antiqvitate fuerat*, venustæ tamen formæ & manifestæ literæ fuerat. Qvarum epigrammata et tituli *aureis literis* fulserunt redimiti **). Asſeres qverni, ligamina serica, pristinam in magna parte fortitudinem & decorem retinuerunt. De cuius libri notitia cum multum longe latiqve fuerat diligenter inqvisitum, tandem unum senem jam decrepitum invenenerunt sacerdotem, nomine *Unvonam*, qvi imbutus diversorum idiomatum lingvis ac literis, legit distincte et aperte scripta libri prænominati. Similiter qvæ *in aliis codicibus* in eodem almariolo et in eodem habitaculo repertis legit indubitantes et exposuit expresſe. Erat enim *litera* qvalis scribi solet *tempore qvo cives Varlamecestram inhabitabant* et idioma *antiqvorum Britonum, qvo tunc temporis utebantur* ***). *Aliqva tamen in Latino;* sed his non opus erant: in primo autem libro, scilicet maiori, cuius prius fecimus mentionem, scriptam invenit Historiam de sancto Albano, Anglorum protomartyre ****). Qvam ecclesia, diebus

*) Hæc inseruimus, ut lectoribus eo facilius innotescat hic de gentili Anglo-Saxonum ævi reliqviis sermonem esſe. Cambdeni etiam tempore (sec. 16) in Verulamii ruderibus lateres coctiles, anchoræ et nummi reperiri solebant.

**) Codices aureis literis ornatos olim in borealium gentilium templis servatos fuisſe, monstrare videtur vetus inscriptio anglo-saxonica, addita Codici aureo ita dicto, novum testamentum latinum continenti, jam in bibliotheca regia Holmiense servato. Donator Aelfredus dux (sive *aldormon*) & Verburg ejus contubernalis, istâ testante, librum illum auro puro emerant in templo ethnico *(æt hæðnum herge)* ne sacer ille liber diutius in ethnicismo versaretur *(lencg in dære hæðenesſe vunaden)* qvapropter pii illi homines librum sacrum inde redemerunt & templo christiano donarunt. Vid. cl. Raskii *Angelsaksisk Sproglære* pag. 166-167 & *M. O. Celsii Hist. biblioth. reg. Holm.* pag. 179 & sq.

***) Ethnici Anglo-Saxones, indigenis Britannis forte mixti, hic indubie intelligi debent, ut e seqventibus patebit.

****) Hic sub imperatore Diocletiano, circa annum 293, martyrii supplicium pasſus fuisſe fertur. Offa secundus, Rex Merciæ, in ejus honorem fundavit monasterium Sancti Albani, qvod deinde oppido vicino, *Sanct Albans* in comitatu Hertfordiæ, suum nomen communicavit. Verola-

hodiernis, recitat legendo .... In *aliis vero libris pasſim inventis* reperit lector prædictus *invocationes et ritus idololatrarum civium Varlamcestrensium* *). In qvibus comperit, qvod specialiter Phoebum *Deum solis* invocarunt et coluerunt; qvod perpendi potest per historiam sancti Albani, si eam sedulus lector intelligat**); — secundario vero Mercurium, *Vvoden* Anglice appellatum: qvo qvartus dies septimanæ intitulatur, Deum videlicet mercatorum: qvia cives et compatriotæ, propter navigium civitatis et commodum loci situm, per unam diætam tantum a Londoniis distantem, fere omnes negotiatores et institores fuerunt ***). *Abiectis igitur et combustis libris, in qvibus commenta diaboli continebantur*, solus ille liber, in qvo historia sancti Albani continebatur, in thesauro carisſime reponebatur. Et sicut prædictus presbyter *illum antiqvo Anglico vel Britannico idiomate conscriptum*, in qvo peritus exstitit, legerat, Abbas iste Eadmarus, per prudentiores fratrum in conventu fecit fideliter ac diligenter exponi, & plenius in publico prædicando edoceri. Cum autem conscripta historia *in Latino*, pluribus ut iam dictum est, innotuisſet, exemplar primitivum ac originale (qvod mirum est dictu) irrestaurabiliter in pulverem subito reductum, cecidit annullatum." ****)

---

mium, olim hic situm Gildæ tempore (sec. 6) a Saxonibus fuerat occupatum. Saxonicis temporibus id dictum fuisſe *Verlamacestre* sive *Varlingacestre* hic et alibi discimus, (cfr. *Bedæ hist. eccl.* I, 7) est autem in bellis Anglo-Saxonum internis penitus vastatum ac destructum. Vid. *Cambden Britanniam* ed. 2. I, 350, cfr. *Allgem. Weltgesch.* XVI, 92.

*) Odino sive Vodeno has invocationes & ritus sacratas fuisſe e seqventibus patet, sed tales jam nos posſedimus, aut memoratas vidimus in Haviano Carmine.

**) Numne pro "*Phoebum*" legendum *Freium (Froeum* vel *Freyerum)?* Ambobus (ut solaribus Diis) eqvus sacer fuit; animal hocce conspicitur ut unica figura in nummo veteris Verulamii, apud Cambden, Britann. ed. 2, I, 351. In aliis britannicis nummis eqvus vel aper, Frejero etiam sacer, repræsentantur.

***) Hæc primo aspectu in verum illum Romanorum Mercurium qvadrare videntur sed nihilominus idem cultus à nostratibus Odino fuit exhibitus. Hic vocatur *Farmatýr* ɔ: vecturarum numen; *Hlébfreyr*, maris Deus sive dominus &c. Qvod opes et pecuniam suis cultoribus dedisſet, priscam opinionem fuisſe satis probavimus, sed legitur præterea in *Hyndluliód* str. 3tia:

"Ventos ferentes dat negotiatoribus"

— uti etiam nautas in tempestatis et oceani periculis optime servare potuit. Flokius Islandiam, ignotam fere, indagaturus corvis (Odino sacris) sacrificium obtulit (*Landnama* ed. Havn. pag. 7); Islandi gentiles, e Norvegia christiana fugam meditantes, ut ventis ferentibus aditi salvi patriam reviderent, Odino vota fecerunt (*Saga Ol. Tr. S.* Ed. Skalh. II, 86).

****) Seqvitur auctoris relatio de ampliore Eadmeri investigatione in ruderibus "civitatis Verolamii" ubi "fosſores invenerunt urceos et amphoras opere fictili & tornatili, vasa vitrea, pulverem mortuorum continentia" [in ipsa Scandinavia non. perraro nostris diebus inventa] "fana semiruta, altaria subversa et idola, & numismatum diversa genera qvibus utebantur — *qvæ omnia, ex præcepto abbatis, sunt comminuta!*"

Vodanum sive Ódinum in templis gentilium Anglosaxonum cultum fuisse hinc patere censemus, multis præterea aliis rationibus fulti. Ampla ii habuerunt templa cum septis variis, ut ultima ista Northumbriæ, in loco dicto *Godmundingaham*, qvæ gentilis pontifex, a christiano conversus, *Coifi* dictus, ipse destruere cæpit *); alia eorum templa, qvæ bene essent constructa, Gregorius Magnus in christiana commutari jusfit & sacrificiorum gentilium, in illis celebratorum, loco, convivia religiosa novi cultus confesforum simul instituit **). — Priscos gentilismi Deos ita memoravit sermo sacerdotis Anglosaxonici, de Anti-Christo vaticinans: "Tunc Diabolus elevabit se ipsum super omnes illos, qvos ethnici homines dixerunt qvod Dii esfent, ethnico ritu. Qvalis erat Hercules ille gigas et Apollo, qvem illi præclarum Deum finxerunt; *Thor* item et *Oden (Þor eac Oðen)* qvos ethnici homines magnopere celebrant (vel colunt") ***).

Cum Saxonibus (Danis mixtis), in continente habitantibus, ille Vodeni cultus in

*) *Venerab. Bedæ Hist. eccles.* II, 13. Nomen fani hujus in memoriam revocat Gothorum varios Godheimos, fanis celebribus sacratos (in Gothlandia, Vestrogothia & Bornholmia). *Goðmund* Anglosaxonibus literaliter sonuit: Dei munimen sive tutela; *Godmundingaham*: divinorum tutorum domicilium. "Primus pontificum Regis Edvini" *Coifi* dictus fuit, qvi titulus certe corresponduit Britannico *Coibhi*, qvo nempe Druidarum princeps insignitus fuisse fertur, & forte etiam veteri nostratium *Háfi* o: excelsus, sublimis, qvæ denominatio Odino ipsi attributa fuit, qvamvis eam suspicemur summo cuiqve ejus pontifici contigisse. Sic veteres et cælum et delubrum videntur appellasse *Háfahöll* vel *Hávahavll* q. v.

**) Memorabilis Gregorii Magni epistola ad Mellitum, abbatem Britannum, legitur apud Bedam l. c. I, 30 ingentem Anglosaxonici (seculi sexti) cultus cum scandinavico gentili similitudinem prodens: "Diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi, videlicet qvod *fana idolorum* destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa qvævis in eis sunt idola destruantur, aqva benedicta fiat in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliqviæ ponantur. Qvia si fana eadem bene constructa suut, necesse est ut a *cultu dæmonum* in obseqvia *veri Dei* debeant commutari, ut dum *gens ipsa* eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat & Deum verum cognoscens ac adorans *ad loca, qvæ consvevit, familiarius concurrat.* Et *qvia boves* solent in *sacrificio dæmonum* multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqva solennitas immutari. Ut die dedicationis vel natalitiis sanctorum Martyrum, qvorum illic reliqviæ ponuntur, *tabernacula* sibi *circa easdem ecclesias* qvæ ex *fanis* commutatæ sunt, de *ramis arborum* faciant, & *religiosis conviviis* solennitatem celebrent, *nec diabolo jam animalia immolent* sed *ad laudem Dei* in esu suo *animalia occidant* & donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis *aliqva exterius gaudia* reservantur, ad *interiora gaudia* consentire facilius valeant" &c.

***) *Sermo anglosaxonicus*, ad calcem Lexici Lye-Manningiani, Tom. II^di. Addimus tandem e *glossis Aelfrici* Anglo-Saxonicis, ante annum millesimum conscriptis: "*Altanus VODEN*, qvæ vox saxonica Vodanum sive Mercurium significat" (Gloss. med. & inf. Lat. I, 189). Altanus mea sententia idem est ac *Hár, Háfi* (altus) qvæ ambo nomina Odino scandinavico attribuuntur. Cfr. Thorlac. Obs. ant. bor. III, 53.

Angliam certe migravit, qvem tamen eorum conterranei, in primaria patria remanentes, diutius observabant. In archivo Goslariensi legitur votiva oratio ethnicorum Saxonum, in bello contra Carolum Magnum, præpotentem eorum terrarum invasorem, concinnata, verisimiliter qvidem post crudelisſimam Verdenianam lanienam (A. Chr. 782) ubi 4500 (vel etiam 5400) eorum a Francis sunt necati. Tunc Saxones, ad ultimum redacti, pro victoria obtinenda *Vodano* humanas ê captivis hostias (qvas etiam Carolus suo Deo obtulisse videbatur) voto promisisſe feruntur*). Famosſimus Crodo, de cujus existentia doctorum sententiæ magnopere discrepant, a Vodano illo vix fuit diversus, sed verisimiliter ab uno aut altero ipsius epitheto formatus, qvæ jam in medio linqvimus**). Multo certius illius rei indicium præbet famosa illa gentilismi abrenunciatio, qvam Thuringis Saxonibus vicinis, anno salutis 743 præscripserat concilium Liptinense, certâ qvadam formula qvæ nobis adhuc superest, lingvâ illius temporis Germanis vernacula conscripta, cum proselyti christiani *Thunaeri* (Thori) et *Wodeni* (sive *Vuodeni*) cultum expressis verbis illâ abjurare tenerentur***). — Crematıoni ſunerum, qvæ Odinianis in borea nostro institutis annumeratur, ita adhærebant

*) Tenor istius orationis, (forsitan ab originario non parum immutatus) se ita habet: "*Helli krotti Wudana! ilp oks un osken pana Witekind ok kelta of den aiskena Karel; vi den slaktenera; ik kif ti in ur un two scapa un tat rof. Ik slakte ti all fanka up tinen iliken Artisberka* ɔ: Sancte magne Vodane! libera nos & nostrum dominum (vel ducem) Witekindum atqve Keltam [et athletas aut heroes?] a foedisſimo illo Carolo. Væ isti mactatori! Dabo tibi urum unum, oves duss atqve spolia, mactaboqve tibi captivos omnes in sacro tuo (monte) Artisberka." Vid. *Roeszig Alterth. der Deutschen* p. 187. — *Münter Kirchen G. von D. u. N.* I, 86. *Mone* l. c. II, 61-62.

**) Fertur Crodo Hartesburgi in vicinia Meliboci montis cultus, sub tali effigie: homo senex et spissa barbâ præditus, laxa ac qvasi motitante veste indutus; sinistra manu rotam tenebat, in dextra autem vas floribus & fructibus repletum, nudis pedibus percæ pisci insistens. Odino certe sive Vodano allegorica hæcce imago, ê veterum superstitione, optime adaptari potuit, ut mundano numini; senis barbati forma Odino sæpe contigit; rota solis, anni & temporis ac festi etiam Jolensis (cujus pater Odinus dicebatur) apud veteres borealeſ notisſimum fuit symbolum; flores & fruges Coeli clementiâ enutriuntur et telluri, illi subditæ, sunt propriæ; piscis mare ac aqvas indubie significat. Vestem laxam ac motitantem aëris fluctuantem indolem indicasſe præterea suspicamur. In aureo Tunderiense cornu taurus repræsentabatur, humano ac barbato qvidem capite insignis, pisci insistens, præter multas alias allegoricas repræsentationes. Non igitur mirum si gentiles medii ævi Germani tales adamasſent. Occurrit primum Crodo in chronico picturato, Bothoni adscripto, cujus relationum authentiæ plures longe recentiores scriptores contradixerunt, vix tamen evidentibus argumentis fulti, cum illius fontes nobis inaccesſabiles maneant, sed mera denegatio non sit absoluta rei improbatæ refutatio. Vid. Leibnitii Script. rer. Brunsvic. III, 286.

***) Abrenunciationis ista formula (in Coleti coll. consil. VIII, 278) ita (abbreviate) sonat: "*Ek forsacho diabole end allum diabol-geldo end allum diabolis nuercum end uuordum, Thu-*

gentiles Saxones, ut sangvinariæ Caroli magni leges istum eorum ritum capitis supplicio mulctarent *). Qvidam Diabolum sub *Tibilini* nomine a Saxonibus olim cultum fuisse referunt; rectius hic Tibilenus Noricorum erat principalis Deus (sec. 2 vel 3^tio^); hoc nomen formatum esse videtur a boreali nostro *Tviblindi*, qvod inter celebriora Odini (a Christianis pro Diabolo habiti) cognomina recensetur **).

Concilium Liptinense (nuper allegatum) ante medium seculi octavi Thuringis inter alias ethnicas superstitiones et ritus (artic. 8) prohibebat *sacra Jovis vel Mercurii* & (artic. 20) *ferias qvas fecerunt Jovi vel Mercurio*. Qvum Thuringi Græco-Romanos illos Deos nunqvam coluerint, et formula prædictâ, Germanice conscripta, *Thunaer* & *Vuoden* (sive Thorus & Odinus nostratium) Dii illarum gentium lingva vernaculâ nominentur, certissimum erit Vodanum illic latine Mercurium audiisse medii ævi clericis, antiqviorem classicorum morem circa tales divinorum nominum translationes seqventibus ***).

Frisios, Saxonum ab altera parte vicinos Vodánum sub nomine *Weda* coluisse, veteres innuunt traditiones, habenturqve asfertata oculatorum testium, qvi semet ejus virilem statuam, in templo christiano sanctæ Mariæ Ultrajecti servatam vidisse narrant. Describitur enim ut cristata galeâ ornatus et chlamyde vestitus, pectus clypeo tegens, sed in dorso (vel humeris) alis instructus. Hunc Deum alii a Frisiis Danicis (ducatus Slesvicensis) cultum fuisse opinantur ut e. gr. in pago Eyderstedt et insula Sylt dicta ****). Etrus-

naer ende Uuodan (Woden) ende Saxnote end allum them unholdum the hira genotas sint." o: Abrenuntio diabolo et omnibus diaboli congregationibus [sive conviviis aut sacrificiis] Thunaero et Vodeno et Saxonum consortio [aut sacrificialibus epulis] et omnibus maleficis [sive malis dæmonibus] qvi eorum sodalitio tenentur." Ita transfero vocabulum *Saxnote*, lectione non mutata, cum alii (e. gr. cl. *A. W. Schlegel Ind. Bibl.* I, 256) legant *saxmote*, eodem fere sensu emergente. *Not* illum correspondere puto voci eidem in Islandicâ & Anglosaxonico idiomate usum & comessationem significanti; hinc illud hic expressum *genotas* (recent. *Genossen*) in vetere sermone Scand. *nautar*, unde vetus illud Gothlandicum *sudnautar* (sodales communi lebete utentes) qvod de sacrificiorum gentilium participibus usitatur (prave tamen in impressis legum Gothlandicarum libris *supnaucar* expressum). Alii in illo *Saxnote* viderunt alium Saxonicum Odinum; vid. *Suhm om Odin* pag. 55. *Mone* l. c. II, 150. *Nyerup* l. c. p. 82. *Ihre Gloss. Sv. G. ad v. Note.*

*) "Si qvis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flammâ consumi fecit et ossa ejus ad cineres redigerit, capite punietur" *Baluz. Capitularia Reg. Franc.* I, 253.

**) Vid. *Fabricii Origin. Saxon.* Lib. I pag. 61 sed præsertim *Tertulliani Apologet.* Cap. 24.

***) Vide (l. c.) indiculum superstitionum & paganiarum, in concilio Liptinense, prohibitarum. Cfr. *Falkenstein Ant. Nordgavienses* pag. 270 & sq.

****) *Arnkiel Cimbr. Heyd. Relig.* I, 112, 252 (secundum *Heinrici Walteri Chron. Fres.* I, 8 & *Joh. Meyeri* mappas chorographicas) cfr. *Suhm om Odin* pag. 59. Walterus ille cum Wedæ idolo aliud muliebre se conspexisse testatur, qvæ qvidem ethnica Dea una manu aliqvot sa-

corum & Græcorum veterrimorum numina, ut alis prædita sunt repræsentata, qvæ etiam Diis coeli, sive aëris optime convenisse videntur.

Apud *Svevos* sive *Svavos* Germaniæ priscus Vodani cultus hisce veteribus testimoniis probatur. Abbas Bobiensis in Italiæ Longobardica ditione, *Jonas* nomine, institutoris sui ac in illo officio antecesſoris, Sancti *Columbani* (qvi in dicto loco anno salutis 615 decesſit) vitam descripsit, et in isto scripto hanc nobis narrationem reliqvit, iter magistri ac ejus sociorum ad Brigantiam describens *): "Deinde perveniunt ad locum**), qvem peragrans vir Dei non suis placere animis ait, sed tamen ob fidem in eis ferendam inibi paullisper moraturum se spopondit. Sunt enim inibi vicinæ gentes Svevorum. Qvo cum moraretur et inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos sacrificium profanum litare velle, vasqve magnum, qvod vulgo Cupam vocant***) qvod viginti et sex modios amplius minusve capiebat, cerevisia plenum, in medio habebant positum. Ad qvod vir Dei accesſit et sciscitatur, qvid de illo fieri vellent. Illi ajunt Deo suo *Wodano*, qvem Mercurium vocant alii, se velle litare****). Ille pestiferum opus audiens vas eminus sufflat, miroqve modo vas cum fragore disſolvitur et in frusta dividitur, visqve rapida cum fragore cerevisiæ prorumpit; manifeste qve datur intelligi, dia-

---

gittas, altera autem spicarum fascem gestavit. Hæc in Freyam (qvæ Frisiis Freda audiisſe videtur) optime qvadrant, qvamvis dictus auctor idolo illo Fostæ sive Fosetæ nomen attribuat corruptâ verisimiliter monstrantium traditione seductus. Cfr. *Forseti* s. Vidit insuper ibidem ingens coruu, qvo ethnici ad idolorum festivum cultum populum convocasſe tradebantur. Repertæ sunt in boreæ nostri variis sepulchralibus tumulis & qvoqve in paludosis locis aliqvot grandes æneæ tubæ, qvæ in museis Havniensibus monstrantur & forte eidem usui olim inservierunt.

*) *Mabillon Acta Sanctorum ordinis Benedictini* II, 26. *Duchesne Script. Franc.* I, 555.

**) Nempe in locum, qvi *Tusconia* dicebatur in capite lacus Tigurini, uti ex Walafrido Strabone in vita sancti Galli memoratur.

***) Latine etiam *Cupa*; Germanis hodie *Kufe*, *Kübel*; Islandis autem (illi voci consonanter) *Kúpa* &c.

****) Exacte in veterum Scandinavorum modum. Sic Islandi gentiles, e Norvegorum christianorum portu fugam meditantes, Odino id votum fecerunt, qvod tria Salda (duodecim congios vel triginti sex modiolos) cerevisiæ litaturi esſent, si in Islandiam salvi redierint (*Saga Ol. Tr. S.* ed Havn. II, 16). Legimus ibidem (I, 280) morem ethnicorum Norvegorum (vel in genere Scandinavorum) eum fuisſe, qvod Odino cerevisiam litarent aut sacrarent, sed Asis vel Diis pocula dedicarent. Odinum heroibus in Valhalla optimam cerevisiam largiri vulgo à proavis nostris credebatur, Agathias circa illa tempora (seculo sexto) florens, dicit Alemannos gentiles (Svevis mixtos vel vicinos) eqvos præcipue suis numinibus immolasſe, qvod etiam Scandinavis in moribus fuit.

bolum in eo vase fuisse occultatum, qvi per profanum litatorem caperet animos sacrificantium" *).

Svevos hos aut Alemannos tria præsertim idola (Svecorum Upsaliensum more) coluisse, apparet e relatione Walafridi Strabonis (scriptoris seculi noni) in vita Sancti Galli, qvi ante medium seculi septimi ethnicismi reliqvias apud eos, christianâ relligione olim imbutos, destruere tentavit; "Egressi (Brigantiæ) de navicula, oratorium in honorem sanctæ Aureliæ constructum adierunt . . Repererunt autem in templo tres imagines æreas deauratas, parieti affixas, qvas populus, dimisso sacri altaris cultu, adorabat, et oblatis sacrificiis dicere consvevit: *isti sunt dii veteres et antiqvi hujus loci tutores*, qvorum solatio et nos et nostra perdurant usqve in præsens." Wodanum unum horum idolorum fuisse, ex antecedentibus verisimillimum evadit.

De *Longobardis* & *Vandalis*, (nationibus Gotho-Germanis) Odinum adorantibus, P. Warnefridus (auctor seculi octavi) hanc mythicam fabulam nobis conservavit **): "Egressi e Scandinavia Vinili ***), cum Ibor & Ayone ducibus, in regionem qvæ appellatur Scoringa****) venientes, Ambri & Assi*****) Vandalorum duces, vicinas qvasqve provincias bello premebant. Hi jam multis elati victoriis nuncios ad Vinilos mitterunt, ut aut tributa Vandalis persolverent aut se ad belli certamina præpararent . . . . Refert hoc loco †) antiqvitas ridiculam fabulam, qvod accedentes Vandali ad *Wodan* victoriam de Vinilis postulaverint, illeqve responderit: se illis victoriam daturum, qvos primum oriente sole conspexisset ††); tunc accessise Gambaram [matronam] ad *Fream*, uxorem *Wodan*, et Vinilis victoriam postulasse, Freamqve consilium dedisse, ut Vinilorum mulieres, solutos crines erga faciem ad barbæ similitudinem componerent, maneqve primo cum viris adessent, seseqve a Wodan videndas pariter,

*) Vetus acholiasta, qvi Vodanum certe ut belli numen cognovit, hanc illi loco observationem adjecit: "qvi (Deus) apud eos (Svevos) *Vuotant* vocatur, Latini autem Martem illum appellant."

**) *De gestis Longobardorum* Lib. I cap. 7. 8, 9, *(Hug. Grotii Script. hist. Goth.* pag. 749-750).

***) Forte Vendili *(Vendlir)* incolæ pagi Jutiæ borealis, olim dicti *Vendill*, *Vendil-sýsla* (vel *Vandils-ve*; vid. Edd. ant. II, 107, 893) hodie *Vendsyssel*. Cfr. carminis Scyldingiani *Vendla leod* (ed. Thorkelin. pag. 8, 268).

****) Regio incerti situs in Germania boreali verisimiliter qværenda.

*****) An hic Vandalorum duces Asæ dicuntur, a nostratium *Ass*? Ejusdem forte originis sunt isti Asspitti, qvi cap. 11 & 12 laudati libri memorantur.

†) Indubie fere in antiqvis Longobardorum carminibus, qvæ auctor hic secutus est; cfr. conclusionem capitis tredecimi.

††) Ut sol ipse Vodani esset oculus, qvod certe qvorundam in nostro septentrione olim fuit opinio.

é regione, qva ille per fenestram *) orientem versus, erat solitus adspicere, collocarent: atqve ita factum fuisse. Qvas cum Wodan conspiceret, oriente sole dixisse: Qvi sunt isti Longobardi **)? Tunc Fream subjunxisse, ut qvibus nomen tribuerat victoriam condonaret ***) sicqve Vinilis Wodan victoriam concesisse ****). — — — *Wodan* sane, qvem adjecta litera *Godan* [vel *Guodan*] dixerunt, ipse est, qvi apud Romanos *Mercurius* dicitur et ab universis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur; qvi non circa hæc tempora, sed longe anterius, nec in Germania sed in Græcia fuisse perhibetur" *****).

Leuticii populus erat Venedicus sive Slavonicus, Germaniæ partem medio ævo inhabitans; eos refert auctor qvidam Normannicus prisca Scandinavorum numina seculo undecimo coluisse, qvod tamen forsitan de hominibus Danicæ originis, famosisisimis nempe Jomensibus, Jomsburgensibus sive Jomsvikingis, erit intelligendum. Circa annum 970 Palnatokius magnas Danus e patria exulans, sed in Cambria Britanniæ amplam ditionem possidens, a Rege Venedorum Burislao provinciam *Jumne* (nostratibus *Jóm, á Jómi)* feudalitio partim (ut videtur) jure nactus est †). Ille ibi oppidum ac portum struxit ac vallis fortisimis munivit, qvæ nova civitas *Jómsborg* fuit appellata. Danorum hic congregatorum, rem piraticam erga hostiles gentes exercentium, summus princeps Palnatokius factus est, cui postea Sigvaldus Danus successit qvi Svenonem Haraldinum, Daniæ regem, captivum in suam potestatem redegit. Bellum Jomsvikingorum paulo posterius cum regni Norvegici usurpatore, Hacone potente (sive divite) dicto, inter celeberrima septentrionalis historiæ merito habetur, qvamvis illi ibidem hostium prægrandi multitudine vincerentur. Canutus magnus, Daniæ Rex, Venedici regni partem ac Jomsburgum ipsum armis subegit et suæ ditioni addidit, anno 1019 ††). Novæ huic sui regni parti Rex ille filium

*) Hic verisimiliter primo auctori de specula Odini universali, Lidskialfâ dicta, sermo fuit.

**) i. e. (homines) longis barbis præditi.

***) Nempe é more veterrimo Scandinavorum, qvi nominis impositioni donum aliqvod egregium, *nasnfesti* dictum, addere solebant.

****) Ut summus apud priscos boreales victoriæ donator. Addit tamen prudenter satis auctor christianus: "Hæc risu digna sunt et pro nihilo habenda. Victoria enim non potestati est adtributa hominum, sed é coelo potius ministratur." Hanc eandem opinionem atavi nostri de Odino suo nihilominus foverant.

*****) Pauli Varnefridi tempore Thracia certe Græciæ adnumerabatur, sed inde procesfere Getæ vel Gothi, variis temporibus, boream & occidentem versus.

†) Alii Haraldum Gormi filium Daniæ Regem primum Jomsburgi conditorem (circa eadem tempora) esse malunt. Vide cl. *Vedel Simonsen Histor. Undersögelse om Jomsborg* (1813) pag. 69 & sq. & *Langebeck. Script. rer. Dan.* I, 51.

††) Vid. *Suhms crit. Hist. af Danmark* III, 516. *Gebhardi allgem. Weltgesch.* XXXII, 428.

Svenonem (ex Alfivâ prognatum) præfecit, qvi etiam Jomsburgi resedit, usqve ad annum circiter 1030, cum Sveno e patris mandato inde decesſit, ut regnum Norvegiæ gubernandum susciperet *). Posthac e contrario Rex Norvegiæ, Magnus Olavius, Daniæ regnum obtinuit, qvâ occasione datâ Jomsburgenses illi circa annum 1044 obseqvium ei et obedientiam renuntiabant. Rex igitur ingenti exercitu & copiis navalibus instructus, Jomsburgumqve aggresſus, oppidi munimenta expugnavit & urbem ipsam destruxit. Multi incolarum fugam ceperunt, sed Venedis, Magni hostibus adunati, postea Svenonem Estrithidem, qvi paullo anterius Regis danici nomen assumerat, contra illum ipsius rivalem adjuvarunt. De istâ Magni Regis expeditione Arnorus Jarlaskald poëma confecit, cujus aliqvot strophæ nobis supersunt, qvæ qvidem expreſsis verbis Jomsburgenses ejus temporis "ethnicæ relligioni addictos fuiſse" testantur**). Non mirum, qvod isti postea adhæsisſent partibus Svenonis, qvi etiam socer evasit Godescalchi, Venedorum Regis. Circa annum 1066 hic a rebellibus subditis occisus est, sed regnum ejus occupebatur a Crucone, Rugianorum principe. Jomenses, ejus vicinos, Danorum progeniem & Svenonis veteres amicos, hanc mutationem præ cæteris ægre tuliſse ac igitur ejus tutelam & vexilla petiisſe, est probabile, idqve simul, qvod hi præcipue in seqvente relatione ab Orderico Vitali Leuticii (ut Leuticiæ sive Venedici regni incolæ) sint appellati, ***) præcipue cum alii auctores Jomenses ipsos Leuticiis annumerent. Auctor ille, de magna Svenonis Daniæ Regis in Angliam, circa annum 1068 parata expeditione agens, hæc inter alia

*) *Heimskr.* ed. Havn. II, 383.

**) Ibidem III, 29-30 (cfr. VI, 134):

Skiöldúngr fórtv um opiód eldi,
Audit var þá flotnum dauda,
Hæstan kindut hlenna þrýstir!
Hyriar lióma sudr at J ó m i;
Hvergi þordi hallir varda
H e i d i t fólk i virki breido,
Budlúngr! unnut b o r g a r - m ö n n u m
Biörtum eldi stalldræp hiörto.

***) Hanc epitomen certæ Jomsburgensium periodi historiæ hic adumbrare sum conatus, qvum sufficiens ejus descriptio apud illorum speciales historiographos desideretur. Jomsburgum (sive Jumne, Jumneta, Vineta ac Julinum qvoqve e nostra sententia dictum) illo tempore inter maximas septentrionis urbes habita est. Islandici scriptores fortisſimæ ejus ac portus ei proprii munimenta laudant, et posteriore tempore ingens emporium fuisſe referunt, sed Adamus Bremensis sic de ejus florentisſimo statu loqvitur: "Nobilisſima (apud Leuticios)" civitas *Jumne* celeberrimam barbaris & Græcis [Rusſis], qvi in circuitu, præstat stationem. De cujus præconio urbis, qvia magna qvædam et vix credibilia recitantur, volupe arbitror pauca inserere,

profert*): "Leutecia qvoqve pro Anglicis opibus auxiliares turmas mittebat. In ea populosisſima natio consistebat, qvæ gentilitatis adhuc errore detenta verum Deum nesciebat, sed ignorantiæ muscipulis illaqveata *Guodeuen* **), *Thurum* [*Thorum*] *Freamqve* aliosqve falsos Deos, immo dæmones colebat. Hæc gens terrâ mariqve prælіari perita erat, qvam Svenus cum Rege suo sæpe vicerat, suæqve ditioni subegerat" ***). Hic locus memorabiliter probat ultimam danicæ, in exteris terris habitantis gentis, Odiniani gentilismi confesſionem.

Leuticii ingenui sive *Venedi* (nobis *Vindi* ac *Vendi*) Odinum præterea sub duobus nominibus vel personis, ut a) *Othini* b) *Wodhæ*, sive *Vodæ* coluisſe feruntur, qvorum etiam metallicæ effigies, talibus runicis inscriptionibus signatæ, inter multas alias Prillwitziæ (in Rhetræ priscæ ruderibus vel vicinia) ultimis seculi 17^mi^ temporibus sunt inventæ, et adhuc servantur in Museo magni Ducis Meklenburgiæ Strelitziano, qvod Georgium dicitur. Hic nimirum monstrantur 1) *Othin* sive Odinus, (inscriptione testante Romovæ & Rhetræ cultus) vir nudus cum leonis capite; hasta præterea (Gungner nempe) & humanum aliud caput (forte Mimeris?) ipsi adtribuuntur ****) 2) *Voda*, ut videtur, senis barbati capite insignis, qvi tamen aliud monstrosum in occipite gestat; duo angves ei insuper adhærere videntur. Inscriptionem vel titulum idoli Arendtius nobis ita communicat: *Voda godebu Zirnitra-Rhetra i. e. Odinus*, e *septentrione, (?), magiâ potens, Rhetræ cultus* *****). Alia Vodæ effigies (Odini magis conveniens) loricâ, clypeo & elevato gladio instructa repræsentatur †); sic igitur non mirum qvod vocabu-

digna relatu. Est sane maxima omnium, qvam Europa claudit, civitatum, qvam incolunt Slavi, cum aliis gentibus, Græcis ac barbaris. Nam et advenæ Saxones parem cohabitandi legem acceperunt; si tamen Christianitatis cultum vel titulum, ibi morantes, non publicaverint. Omnes enim adhuc [circa annum 1072] paganicis ritibus aberrant, cæterum moribus aut hospitalitate nulla gens honestior aut benignior poterit inveniri. Urbs illa, mercibus omnium septentrionalium nationum locuples, nihil non habet jucundi aut rari." *Ad. Brem. Hist. eccles.* I, 12. *(Lindenbrog. Script. Germ. sept. ed. Fabric.* p. 19).

*) *Orderici Vitalis Hist. eccles.* Lib. 4 *(du Chesne script. hist. Norman.* pag. 513).

**) I. e. *Guoden* (additâ litera, e Pauli Warnefridi scriptione) pro *Vuoden*, *Woden*.

***) Hæc certe alludunt ad priora Svenonis cum Magno de provincia Jomensi (& Dania ipsa) bella, nec non illius militares expeditiones, qvibus totum Leuticiorum regnum ipsius genero, Godeschalco, vindicabatur. Hoc autem jam trucidato, non alii Leuticii, qvam ejus profugæ clientes vel fideliores subditi aut amici, Svenonem, reliqvorum Leuticiorum hostem, adjuvare potuerunt.

****) *Arendt Grossherzoglich-Strelitzisches Georgium Nordslavischer Gottheiten* (1820) No. 3. Cfr. *Mone Gesch. des Heid.* &c. I, 213. *Ingemann Grundtræk til en Nord-Slavisk og Vendisk Gudelære* (1824) pag. 21.

*****) *Arendt* l. c. No. 4, cfr. *Mone* & *Ingemann* l. c.

†) *Masch gottesdienstliche Alterthümer der Obotriten* pag. 63, 64, 80.

lum *Woda* (unde recentiorum *Woiwoda*) priscis Slavis (Rusſis & Chroatis) ducem significaret bellicum. Odini corvum Arendtius insuper recognovit in tali idolo (vel paterâ sacrificiali ei sacrata) inscripto *Gestrab*, qvod is interpretatur: *Odini corvus* (sive famulus). Borealis noster Odinus sub Gesti cæci nomine qvondam in Reidgothia (a Slavicis vel Vendicis populis posterius occupata) apparuisse fertur, et qvidem miraculose in accipitrem commutatus. Ipsum Radegastum, summum borealium Slavorum deum, corvum in capite gestantem, Arendtius e duobus septentrionis numinibus, Odino et Tyre, ortum esse putavit*). Vodani cultum apud veteres Slavos reperiri, immortalis Russorum historiographus minime dicit esse mirandum, cum Slavi a veterrimis temporibus Gothorum fuisſent vicini in variis Europæ (ac forte etiam Asiæ) regionibus**), cui observationi hæc ejusdem generis est addenda, qvod Slavici sive Venedici populi terras olim a Gotho-Germanicis populis posſesſas occupasſent & inhabitasſent. Sic incertum erit, an a Sclavis an a Gotho-Germanis proprie orta sit memorabilis illa plebis Meklenburgicæ superstitio de *Voda* sive *Vodano*, qvæ ad nostra usqve tempora permansit***). His accedunt boreales traditiones, antea relatæ, de Odini per Rusſiam expeditione ac regno (hierarchico) ibidem fundato p. p.

Veterum *Borusſorum*, *Lithuanorum* & *Livonum* (vel seriorum *Lettorum*) ethnica relligio multimodam cum nostra Scandinavica similitudinem prodidit; — sic suos habuit tres summos sive majores Deos, duodecim minores &c. — sed hic tantummodo memorare possumus illorum populorum traditiones de Deo sive heroico hierarcha *Waide-Wut* vel *Vide-Vut*, qvod nomen qvidam interpretantur Sapientem vel summa sapientiâ præditum****), alii autem Vidarum (Vidivario-

*) *Arendt* l. c. No. 4. Cfr. *Mone* l. c. I, 200, 213-214. *Ingemann* l. c. pag. 11-13. *Kayſarow Slavische Mythologie* p. 13. *Hervarar-Saga* ed. Havn. pag. 126 & sq.

**) *Karamsin Geschichte des Russischen Reichs, übers. von Hauenschild* I, 70.

***) Putarunt nempe Meklenburgenses rustici Vodam sive Vodenum cum ingente comitatu aëreas noctu venationes exercere. Offerebant igitur illius numinis eqvis spicarum manipulum, hac orationis formula additâ:

Wode! Wode!
Hohl deinen Roſſen nu Voder [ɔ: *Futter*],
Nie Distel und Dorn!
Aechter Jahr, bäter Korn!

Cerevisia, qvæ ei similiter offerebatur, vocata fuit *Wodelbier*. Ille Wodeni comitatus vulgo in Germania dicitur: *Wodens Heer* vel *Grodens Heer* (ɔ: Odini exercitus). *Frank altes und neues Meklenburg* 1753, I, 57. *Büsching wöchentl. Nachr.* 1816, I, 16.

****) A *Waidiu* scientia, sapientia — in eundem modum ut *Odinn* in lingva Scandinavica sed *Buddhak* in Indica lingvâ similis significationis etymis gaudere videntur.

rum aut Vitarum vel Gothorum) Vutam sive Vodam *) aut Odinum. Referunt Lettorum chronica *Vide-Vutum* in illas terras venisse ex orientali Alania, Caucasia ac Persidi vicinâ regione, qvam illi vocarunt *Astra-Semme* vel *Austra-Semme*, Borussi etiam *Asro-chiemi* [nostratium *Âsa-heimr*] qvæ Lettorum mythica terra, populi origo, interdum tamen (ut Asgardia nostra) cum coelo ipso confunditur. Videvutus in illis Guttonum (vel Gothorum) balthicis oris novam condidit rempublicam, terras inter duodecim suos filios (mythicæ nostræ historiæ duodecim Asas) distribuens. Is qvoqve amplam ibidem hierarchiam fundavit ac relligionem certis institutis firmavit, populum simul docens varias artes, ut e. gr. optimi medonis sive hydromelis coctionem. Se ipsum tandem publice rogo imponi ac cremari fecit, a Lettis postea ut summus minorum gentium Deus publice cultus **). Ista relligionis ac historicarum traditionum cum Scandinavicis similitudo alii tali ansam dedit, ut Waidevutus nimirum e nostro Septentrione ad Borusſiam vel Livoniam venisſet ***); magis mihi arridet nostratium relatio de Odiniani populi priore in illas terras, primam nempe balthicam Gothiam vel nostram Reid-Gothiam adventu. Hujus incolæ Odinum etiam intente coluerunt ****). Hic Taciti & Ptolomæi temporibus Guttones vel Gothones floruerant; hic Ermanarici Gothicum regnum seculo qvarto nostræ æræ viguit & hinc etiam sexto seqvente Vistulæ accolæ Theodorico, Ostro-Gothorum in Italia Regi, cognationis causâ amplam electri qvantitatem dono obtulerunt *****).

Sic igitur non mirum si hi australes balthici & in genere omnes meridionales *Gothi* Odinianæ relligioni fuerint addicti, sed nomina ipsorum ethnicorum numiuum specialia jam diu sunt perdita. Scimus nihilominus Gothos illos Deos suos aut semideos *Anses* vocasse, qvæ deno-

*) Sic Jutæ nostri vel Jotæ (aut originitus Gothi) Vitæ interdum ab Anglicis scriptoribus nominantur. Pars Borusſiæ (hodierna Samlandia) ad Vistulam usqve olim dicebatur *Vitland*. Idem nomen exprimit Lettorum ad Dynam fluvium sitorum *Vid-Semme*, qvi etiam populus illa olim gentilitiâ denominatione gavisus est. Hic qvoqve veteres Gothorum regiones. Hæc omnia ingeniose ac docte monstravit cl. Rask in scripto: *Ottars og Ulfstens korte Reisebemærkninger* (1816) pag. 55, 122-127. In Rhætico-Romanica lingva *Vut* adhuc sonat idolum, Deum falsum (ut *But* in hodiernis orientalium lingvis) *Mone* l. c. II, 175.

**) Vid. *Merkel die Vorzeit Liflands* (2 Ausg. 1807) pag. 28, 38, 51, 53-57, 106, 139.

***) Vid. *Mone Gesch. des Heidenth.* I, 94.

****) Vid. e. gr. *Hervarar Saga* l. c. pag. 96, 100, 102, 127-128, 178, 208.

*****) De Gothica vel Alanica Leticæ relligionis origine ac aliis huc pertinentibus prolixe egimus *Eddalæren og dens Oprindelse*, tomo nimirum tertio, & alibi.

minatio nostro *Áss* &c. optime respondet*). Sic de iis Jornandes**). "Gothi" (Domitiani tempore cum Romanis depugnantes) "magna potiti per loca victoria, jam proceres suos, qvasi qvi fortunâ vincebant, non puros homines, sed semideos, id est Anses vocavere." In seqventibus auctorum eorum genealogiam percurrit, ita qvidem incipiens: "Horum ergo (ut ipsi suis fabulis ***) ferunt) primus fuit *Gapt*" i. e. *Gavt*, nostratium *Gavtr*, nempe Odinus ipse, universæ Gothorum gentis propater, qvi etiam Anglosaxonum *Geat*, *Geata*, Deus vel Dei filius, ut in præcedentibus monstravimus****). Tria præcipua fuisse Gothorum idola, monstrare videtur columna Theodosiana, Constantinopoli existens *****). Gentilem Moesogothorum relligionem nostræ convenisse probant porro non perpauca amborum populorum lingvis communia vocabula, qvæ ex altera parte fortuito tantum in reliqviis Ulphilæ biblicæ versionis reperiuntur†).

Getas Gothorum fuisse *atavos*, jam pro satis certo habemus, hosqve igitur illorum paullulum mutati nominis in terris iisdem ac alienis propagatores vocare possumus. *Getas athanizantes* sive immortitalitatem animarum statuentes Herodotus ut Thracum fortissimos ac probissimos celebrat. Divinum qvendam pro-

*) Moeso-Goth. *Anz* idem est ac Isl. *Áss* trabs (columna, mons &c.) Hinc alias derivanda sunt varia nomina Gotho-Germanorum hominum propria, pro variis lingvarum dialectis ut a) veterum Germanorum *Ansgar*, *Ansbrand*, *Anshelm* (it. *Azo*, *Azeling* & pl.) b) Scandinavorum *Ásgeir*, *Ásbrandr*, *Ásbiörn*, *Áskell*, *Áslákr* &c. c) Anglosaxonum *Osvald*, *Osulf*, *Osbern*, *Oslac*, *Osric*, *Osred*, *Osvine* & pl. d) Recentiorum Danorum *Esbern*, *Eskild* (qvæ rectius scriberentur *AEsbern*, *AEskild)* &c. Cfr. porro veterum Alanorum *Aspar*, Gepidarum *Asvad*, Pers. *Asp* p. p.

**) *De rebus Geticis* Cap. 13. *(Grotii Script. Hist. Goth.* p. 629).

***) Hic sine dubio mythicis traditionibus sive veteri Gothorum relligioni originem debentibus.

****) Vide supra in artic. *Gautr.* Easdem fere de his rebus opiniones fovet cl. *Geyer*; vide ipsius *Svearikes Häfdar* I, 287-289.

*****) Vid. *Banduri Imperium orientale* II, 545, Tab. IX.

†) E. gr. Moeso-Goth. *Guda*, *Guths* Scand. *God*, *Gud* &c. numen, Deus; MG. *Gudja* sacerdos Scand. *Godi (Gudi)* unde *Gydja* fæmin.; MG. *Gudjinassus* sacerdotium, Scand. *Godord* &c. M. G. *Bandvo* forte q. d. Scand. *Bandve* divinum sive sacrum signum; M. G. *Frauja* dominus cfr. *Freyr*, *Freya*, *Hús-Freya*; MG. *Gudhus* templum, lararium Scand. *Gudhús*, *Godhús*, *Godahús*; MG. *Sauds* sacrificium, Isl. *Seydr* sacrificium magicum & verisimiliter olim qvoqve: communis sacrificialis focus vel ignis. MG. *Blotinassus* sacrificium vel sacrificialis cultus, Isl. *Blót*, *Blótskapr*; MG. *Midjungards* mundus, Scand. *Midgardr*; MG. *Mannaseths* terra inhabitata, Scand. *Mannheimr (Mannasetr)*; MG. *Fairguni* mons, *Fairhwus (Fairgvus)* mundus, terra: cfr. Scand. *Fiavrgyn* tellus (mythico-poëticum); MG. *Hlethra* tabernaculum, cfr. Dan. *Hleidra (Hlethra) Lethra*; M. G. *Ragineis* princeps, Scand. *Regin* deus, princeps; MG. *Saivala* anima, Scand. *Sála* (lege *Saulu*); MG. *skapan* creare Scand. *skapa*; MG. *Viko* series, ordo: hinc Scand. *Vika* hebdomas (Germ. *Woche* &c.). MG. *Runa* mysterium Scand. *Rún*, *Rúnir (Rúna)*.

phetam, *Zamolxin* (aut *Zalmoxin*) vel *Gebeleizin* illius doctrinæ auctorem Getæ nominarunt; is Odini more, istos fatis functos ad æterna sua domicilia invitavit, animarum simul immortalitatem docens. Per tres insuper annos in specu (sive tumulo) subterraneo vixerat, ut simile qvoddam de Freyero Svecorum Deo in Ynglingorum historia creditum esse refertur *). Strabo memorat veteres traditiones: "hunc Zamolxin initio *sacerdotem* creatum *ejus qvi præcipue colitur apud Getas Dei*, deinde nomen Dei eum accepisse & loco qvodam antroso, qvi aliis esset inaccessus, se abdidisse vitamqve ibi egisse raro cum externis, rege et famulis exceptis, qvi sibi qvam ante multo audentiores dicto subditos sentiret, edicta scilicet sua consilio Deorum promulganti. *Is mos ad nostram usqve duravit ætatem*, semper aliqvo reperto, qvi ita esset animatus ut *regi á consiliis esset et a Getis Deus nominaretur*" **). Montem qvoqve putaverunt sacrum, itaqve appellabant. . . . . Atqve adeo, qvando Byrebistas Getis præfuit, in qvem jam Divus Cæsar adornabat expeditionem, Decenæus (Δεκαινευς) eo honore fungebatur. Qvin & per manus tradit ab animalibus abstinendi consvetudo Pythagoræa a Zamolxi instituta permansit" ***). Pergit auctor præclaras Boerebistæ victorias & novi ac qvidem amplissimi Getarum imperii fundationem breviter enarrans, his in fine additis: "Celtas Thracibus & Illyriis permixtos evastavit. Usus est autem opera Cenei [Κενεου] præstigiatoris hominis, qvi et per Aegyptum vagatus didicerat qvasdam divinationes, ex qvibus Deorum responsa simulabat ac parum abfuit, qvin pro Deo haberetur, sicuti de Zamolxi narravimus" ****). Deceneus & Ceneus auctoris nostri e ædem verisimiliter sunt personæ, qvapropter illam particulam *De*

*) Vide Herodoti histor. Lib. 4. Cap. 95, 96. Hellanicus, in Etymolog. magno s. v. Ζάμολξις dicit istum Getis in Thraciâ habitantibus initia (mysteriorum) monstravisse, ad qvæ igitur illa relatio proprie forte pertinuit. Vid. *Creuzer Symb. u. Myth.* ed. 2, II, 298-301.

**) Ut nostratium *Áss, Godi* & pl. Confer Tacitum de Germanis Cap. 7. "Ceterum neqve animadvertere, neqve vincire, ne verberare qvidem *nisi sacerdotibus* permissum; non qvasi in poenam nec ducis jussu, *sed velut Deo imperante*, qvem adesse bellantibus credunt" [Odino scilicet sive Vodano, qvi Tacito, Romanorum more, alias Mercurius audit]. Similem potestatem Druidæ, Magi, Brachmanes & plures sacerdotum ordines in suos exercuere sectatores.

***) Hæc consvetudo Indicam originem sapere videtur & idem certe de humana Deorum incarnatione, hominum abstinentiâ ab animalium carne, ac de ipsa metempsychosi (Thracum parti creditâ) opinari cogimur. Vini prohibitio a Decenæo tentata his erit annumeranda. Eddis testantibus Odinus solus in Valhalla vinum bibit, qvamvis poëtæ nostratium gentiles festivis occasionibus id ibidem Einheris propinatum fuisse finxerint. Anne Buddhæ Indici nomen *Shama, Sama* in illo Zamolxis lateat, aliis disqvirendum linqvimus. *Samothes* qvidam a certis Celticarum antiqvitatum scrutatoribus pro primo gentis monarcha ac sapiente legifero habetur.

****) *Strabonis Geograph.* Lib. 7, *Edit. Paris* 1620 pag. 297, 303.

(vel *Di*) Deum aut Divum indicasse puto, qvasi dixeris: *divinus Ceneus**). Alio loco auctor laudatus Zamolxin & Dicenæum comparat cum Minoe â Jove in spelunca edocto, Achaicaro Bosporanis vaticinante & Mose Hebræis divinitus imperante p. p.**).

Continuavit Jornandes***) Herodoti & Strabonis relationes. "Dehinc regnante in Gothis Sitalco Boroista, Diceneus venit in Gothiam, qvo tempore Romanorum Sylla potitus est principatu, qvem Diceneum suscipiens Boroista, dedit ei pene regiam potestatem; cuius consilio Gothi Germanorum terras (qvas nunc Franci obtinent) depopulati sunt. Cæsar vero. . . . . Gothos crebro tentans neqviit subigere. . . . Gothi suo regno incolumes perseverant." Hoc auctor Regis obedientiæ erga Dicenæum adscribit, "qvi philosophiam Gothos instruxit . . . ethicam eos erudivit . . . physicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, qvas usqve nunc conscriptas *bellagines* nuncupant****). Logicam instruens, eos rationis supra cæteras gentes fecit exper-

*) Jornandes eum semper Diceneum appellat. Cfr. Glosſ. Edd. ant. Tom. I, v. *Diar*, *Disïr*, *Tivar (Tivi)* T. II, v. *Dis*, *Tir* p. p. Jornandi (Cap. 10 l. c. p. 625) veterrimi Gothorum cacerdotes (Alexandri magni tempore) audiunt *Pii*, numne rectius *Dii*, nostratium *Diar* (Dii) (cum runica litera þ romanæ P sit simillima)? Illi cum citharis & vestibus candidis (Druidis similes) paternis Diis voce supplici modulabantur. Alio loco (Cap. 11, p. 627) Gothicum *Tiar* (nostratium *Tivar*, *Diar*) Jornandes latine pileatos vertere videtur, cum pilei etiam *tiaræ* vocitentur. Tertio loco (Cap. 5, p. 617) "ex generosis Pileatis Getis (vel Gothis) *et reges* et *sacerdotes* ordinabantur." Aspurgianorum (ad Pontum Euxinum) Reges summos simul fuisse sacerdotes, è monetis eorum discimus. Illos Asis nostris humanis fuisse cognatos alibi monstravimus.

**) Strabo l. c. Lib. 7, pag. 762.

***) L. c. Cap. 11 pag. 626. Textus tamen Grotio aliter sonat, e codice, ut puto, depravato, qvam critice emendare tentavi; ille enim ita scribit: "D. r. i. G. Sitalco, Boroista Diceneus venit in Gothiam, q. t. R. S. p. e. p. qvem Diceneus suscipiens Boroista d. e. p. r. p. &c." Si has lectiones seqvamur, Boroista sive Borebystis Rex (Strabonis) idem fieret ac Diceneus ejus sacerdos; is tum regiam fere potestatem dedisset Syllæ Romano, cujus consilio Gothi Germanorum terras invasissent &c. qvæ omnia et contextui et veræ historiæ admodum oppugnarent. Uno tantum commate paullulum traducto et una literâ (s in m) mutatâ sensus, ut puto, primitivus auctoris rite est restitutus.

****) Contulerunt alii eam vocem cum Svecico *Býlag* (q. d. Scand. *býlavg*, *býlaga* &c) o: pagorum leges. Hinc Islandorum *Búalög* (leges colonorum sive oeconomicæ) qvæ adhuc apud eos usu valent. Cum illis auctoribus conferri meret Diodorus Siculus Lib. 2. ed. Wesſel. p. 91 (cfr. 95): "Apud Getas Zamolzis communem Vestam legum auctorem suarum finxisse perhibetur." Hanc Vestam doctissimus noster *Vedel Simonsen* pro Terrâ matre accepit (qvæ etiam Zamolxin per tres annos peculiari hospitio foverat) *Nordens förste Beboelse* &c. (1813) pag. 33. Sic Vesta ista nulla alia qvam Græcorum Γη πρωτομαντις, qvæ sic iterum respondet nostratium Friggæ & Gefionæ, qvæ mundi & hominum fata perspecta habent. *Orlavg* (fata) & *lavg* (leges) sunt voces & ideæ arcte cognatæ in vetere Scandinavorum sermone. Cfr. *Frigg*. *Gefión* s.

tos; Practicen ostendens in bonis actibus conversari svasit: Theoricen demonstrans signorum duodecim & per ea planetarum cursus, omnemqve astronomiam contemplari edocuit & qvomodo lunaris orbis augmentum sustinet aut patitur detrimentum edixit: . . . . . vel qvibus signis in cæli polo vergentes aut revergentes CCCXLIIII stellæ ab ortu in occasum præcipites ruant *), exposuit — — — Hæc et alia multa Diceneus Gothis sua peritiâ tradens, mirabilis apud eos invenitur; ut non solum mediocribus, imo et Regibus, imperaret. Elegit namqve ex eis tunc nobilisſimos prudentiores viros, qvos theologiam instruens, numina qvædam & sacella venerari svasit fecitqve sacerdotes, nomen illis Pileatorum contradens, ut reor, qvia opertis capitibus *tiaris*, qvos pileos alio nomine nuncupamus, litabant: reliqvam vero gentem *capillatos* dicere jusſit, qvod nomen Gothi pro magno suscipientes adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur **). Decedente vero Diceneo pene pari veneratione habuere Comosicum, qvia nec impar erat solertia. Hic etenim *et rex illis et pontifex* ob suam peritiam habebatur & in sua justitia populos judicabat" ***).

Excerpsi relationes hasce ut fragmenta nostrorum gentilium atavorum, qvæ in Eddis servantur, doctrinæ, cum illis Gothicis conferri possent; fuerunt enim olim sine dubio sacerdotibus Scandinavicis illæ scientiæ propriæ, qvamvis eas isti, Druidarum more, carminibus sæpe intellectu difficilibus incluserint. Probatur præterea illis traditionibus, qvod Scandinavicæ theocratiæ sive hierarchiæ divino-humanæ origines partim apud Getas sive Gothos sint qværendæ.

Restat autem brevis disqvisitio de præstantisſimis Getarum vel Gothorum Diis. Is, qvem Strabo priori loco ita memorat, verisimiliter a Græcis fuit *Hermes*, sed a Latinis *Mercurius* vocatus. Getæ et Thraces olim unam effecerunt gentem, ut plures antiqvi ac recentiores auctores probarunt; Thracum autem primarium Deum ita nobis indicavit Herodotus ****): "Reges Thracum præcipue colunt Hermetem (vel Mercurium), qvi illorum generis primus auctor fuisſe fertur, et per qvem solummodo jurare solent." Eodem modo omnes Scandinavorum ac Anglo-Saxonicorum principum genealogiæ Odinum vel Vodanum Deum pro eorum agnoverunt propatre, qvapropter etiam in festi-

*) Numne rectius CCCLXIIII, pro dierum numero in anno gentilium Scandinavorum vulgari? Cfr. *Den ældre Edda* I, 143.

**) Cfr. observationem nostram de Pileatis præcedentem. Hic iterum suspicor Jornandem veterum illarum cantilenarum vocabulum prave interpretatum esſe; fuit forte originitus simile nostro *kappalýdr (kappalidi)* German. *Kampfleute*, qvæ viros pugnaces vel militares significant.

***) Jornandes l. c. Cap. 11, pag. 626-627.

****) Histor. Lib. 5, Cap. 7.

vis conviviis illi fuit publice libatum, in Regis præsentis salutem et victoriam. Hic igitur ille Deus, qvem Paulus Warnefridus vocavit Vodanum vel Mercurium, qvi olim in Græcia (i. e. Thracia, tunc Græciæ parte) fuisse perhibetur *). Observatu forte dignum est qvod Odini agnomeu *Herian* (& pl.) Hermeti sit simile; qvid Thracici illius Dei ingenuum nomen fuerit, incertum est; si autem Odinus aut aliqvid tale Thracibus audierit **), Græci id facile referre potuerunt ad Mercurii epitheta ὅδιος, εὐόδιος vel alia.

Jam Thraces & Getas liqvet Germanicis populis cognatos fuisse — et sic qvoqve rite intelligimus illa Taciti: "Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis qvoqve hostiis litare fas habent. Martem concessis animalibus placant" ***). Mercurius ille Germanorum verisimiliter is fuit qvi homicidii publici (i. e. legibus poenalibus mandati) ceremoniâ a Semnonibus Svevicis ****) colebatur stato tempore (ɔ: comitiarum annuo) in silva "auguriis patrum et prisca formidine sacra" ubi omnes ejusdem sangvinis populi legationes coibant *****). "Est et alia" (pergit Tacitus) "luco reverentia. Nemo nisi *vinculo ligatus* ingreditur †) ut minor & potestatem numinis præ se ferens; si forte prolapsus est adtolli et insurgere haud licitum; per humum evolvuntur; eoqve omnis superstitio respicit, tamqvam *inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subjecta atqve parentia.*" Hic Vodanus (sive Odinus) eodem modo in Eddis adcurate descriptus (a Svevis etiam, ut supra narravimus, longe posterius cultus) sine dubio indicatur, ut sancti illius

*) An gens Thracica, Odomantes dicta, a simili aliqvo Dei nomine suum traxerit, æqve incertum nobis linqvitur. — Odrysii (alia Thraciæ natio) a primo Rege, post mortem ut Deo culto, nomen illud accepisse feruntur. (*Allgem. Welt-Geschichte, Supplementen* IV, *Th.* 2te *Abth.* pag. 6).

**) Cfr. *Suhm om de nordiske Folks Oprindelse* pag. 240 & sq.

***) Taciti Germania Cap. 9. Hercules ibidem memoratus ac Svevica Isis Thracum Marti & Dianæ (apud Herodotum V, 7) correspondere videntur. Qvomodo humanum illud sacrificium intelligendum sit, mox monstrare tentabimus.

****) "Vetustissimos se nobilissimosqve Svevorum *Semnones* memorant. Fides antiqvitatis religione firmatur" &c. Tac. Germ. Cap. 39. Cfr. Celtarum *Semnotheos*, Indorum *Semnos* (vel *Samanæos*) Scytharum *Semnia* i. e. loca sancta &c.

*****) Taciti *legationes* sunt Scandinavorum *nemndir* i. e. certus numerus virorum a qvovis pago sive provincia deputatorum, qvi in comitiis publicis jus administrarent. Humanum illud sacrificium nil aliud fuit qvam hominis scelerati judicatum supplicium — qvod nos adhuc *institiæ* sive *reipublicæ sacrificium* interdum appellamus, & sacerdote etiam adhibito (ut morientem relligiose consoletur ac animam ejus Deo dedicet) fieri curamus.

†) Hic ut puto respectus aliqvis habitus sit ad vincula sive ligamina sacra (*Vebönd* dicta) qvæ comitiorum locum (simul sacrificiis destinatum) in Scandinavia cingere solebant. Dii ipsi præterea *vincula* (naturæ) dicebantur ut suis locis monstravimus; vid. *Bönd, Havpt* s.

loci summus auctor ac tutor. Idem de eo Deo dicendum est qvem ex ejusdem auctoris testimonio (Cap. 7) Germani "bellantibus adesse crediderunt." In ipsius partim honorem "effigies & signa qvædam, detracta lucis, in prælium ferebant." Sic gentiles Dani corvi, Odino, sacri effigiem pro sacerrimo vexillo gestare solebant *). Alio Taciti scripto Mercurius ille Germanorum nobis bellicus Deus fuisse monstratur, nam "diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere Hermunduri" **). Sic etiam Scandinavi duos præcipue bellicos Deos, sub Odini & Tyris personis, olim coluerunt. Cfr. *Týr* i. — Cum Cæsar, qvi Mercurium a Gallis Deorum maxime cultum narraverat, Germanos eum ignoscere dixerit ***) Græcum certe vel Romanum numen respexit. Revertamur â Germanis ad Thracum & Getarum vicinos, ac illorum, fortasse cognatos, *Scythas* Herodoti, qvos hicce historiæ pater ****) Apollinem refert coluisse sub nomine *Oitosyr* sive (ex Hesychii lectione *Goitosyr* *****) qvæ posterior denominatio Scandinavorum aliam *Gautatyr* (lege *Göitatýr* ↄ: Gothorum Deus) Odino attributam in memoriam facillime revocat. Qvæ de *Budinis Scythicis*, ut Buddæ, Vodani sive Odini cultoribus et nostræ gentis fundatorum propatribus, Græcis qvidem mixtis, plures recentiores auctores prolixe tractaverunt, non hic repetere vacat.

Nonnulli docti hujus ævi scriptores, præcipue Ritterus, clarissimus ille inter Germanos Geographus, putant Odinum, Vodanum, Vodam sive Buddam olim in *Græcia* ipsa cultum fuisse, unde permulta heroum ac semideorum nomina ut *Butes*, *Buta*, *Butu*. *Bodo* &c. sint deducenda, qvem tamen cultum ex India per Caucasias & Ponticas regiones ortum opinantur †). Hæc alias nobis in hisce

---

*) Ad dies usqve Canuti Magni. Vid. e. gr. *Encomium Emmæ*, apud *du Chesne Script. rer. Normann.* pag. 169.

**) *Taciti Annales* XII, 57.

***) Cæsar de bello Gallico VI, 17, 21. Græcæ in Gallia coloniæ incolæ Hermetis effigiem rite finxere. Tusci vel Etrusci Italiæ Mercurium repræsentarunt barbatum, loricatum ac galeatum, ut nostrates Odinum; — illius nomen *Turms* borealem simul magis qvam Græcam vel Italicam originem sapere videtur. Huic observationi convenit vocabulum Etruscum *AEsar*, Deum significans, Hesychio in plurali Αἰσοι, nostratium τῶ *AEsir* ↄ: Dii — (lege *Aisir*) optime respondens.

****) *Herodoti histor.* IV, 59. Martis, â Scythis culti, illis vernaculum nomen Herodotus reticet.

*****) Γοιτόσυρον τον Ἀπόλλωνα Σκυθαι. Cfr. *Jamiesonii Hermes Scythicus* pag. 107.

†) Videatur præsertim Ritteri scriptum: *Die Vorhalle Europäischer Völkergeschichten vor Herodotus um den Kaukasus und an den Gestaden des Pontus* 1820, cum magnâ auctoris Geographia comparatum; it. *F. C. Baur Symbolik und Mythologie* 2 *Th.* 1 *Abth.* (1825) p. 93 & sq. (ubi Buddha Indicus Zeus Græcorum evasisse censetur).

rebus doctioribus viris dijudicanda linqvimus. Ille et plures præterea Asarum (ut numinum) divinum nomen in permultis Græciæ nominibus propriis ac lingvæ vocabulis reperiri statuunt*). His accedunt Græca nomina Diis variis attributa, qvæ *Odini* convenire conjiciuntur, ut *Aidoneus* (*Αιδωνευς*), *Adonis* (*Adon*) — sed is præcipue qvi in Orphicis hymnis celebratur**) — & pl. Nihilominus Odini in nostra mythologia descriptio Jovi Græco optime convenit, ut alio loco partim monstravimus ***). Hinc pleniſsima inter Jovis Græca vel Romana & Odini borealia agnomina aut epitheta convenientia, qvam in seqventibus disqvirere non pro superfluo ducimus.

Gr. *Πατηρ*, *προπατηρ*, *γενετης*, *γενεθλιος*, *παντογενεθλιος* ****); Italis Pater, Genitor, Genetæus; Scandinavis (de Odino): *Alfaðir*, *Alldafaðir*, *Heriafaðir* p. p. Anglo-Saxonice *Fæðer* *****).

Παγκρατης †), *παντα κραινων*, *ἀναξ ἀνάκτων*; — Omnipotens, Arbitrator, Rex, Regnator, Rector &c.; — *Almáttkr*,

*) E. gr. *Etymologische Versuche für Alterthums-Wiſsenschaft und Sprachkunde von L. F. Heyd* 1824.

**) Thracicam Orphei e veterum testimonio originem hic in mentem revocare cogimur. Orphicus vates, ut nostri Odinum, decantat:

— — *αμβροτον ἄγνον Ἀδωνα*
Ἀρχην τήδε περας, το γαρ επλετο πασι μεγιστον &c.

***) *Eddalœren og dens Oprindelse* I, 343 & sq. Adonidis mythum a Syris vel Phoeniciis Græcos accepisſe alias est verisimillimum; sic qvoqve plures docti viri illud Adon idem esſe ac Hebræorum Adonai statuerunt. Alii Odinum cum Phrygum Attine & pl. comparavere; e. gr. doctisſ. Hallenberg (de nomine Dei *Gud* 1796) pag. 69: "Orientis summum numen *Attin*, *Atthin*, *Attis*, *Atys*, *Aty*, *Adonis*, *Adon*, *Adonai* fuit septentrionis summum numen, cujus nomen in antiqvis svecicis & islandicis, anglo-saxonicis & medii ævi scriptoribus occurrit *Attin*, *Oden* vel *Othin*, *Hoden*, *Woden*, *Wodan*, *Woddan*, *Guoden*, *Ghodan*, *Godan*, *Goodo*, *Gote*."

****) Cfr. Scytharum *Παππαῖος*, Bithyn. *Παππας*, unde notisſimum illud recentioris ac nostri ævi *Papa* (in denominatione summi Romanæ relligionis Pontificis, isl. *Páfi*). *Papa* (isl. *Pápi*) insuper pro *patre* à totius fere Europæ puerulis usitatur.

*****) Hæc et plura Anglo-Saxonica Dei vocabula inveniuntur in Carmine Scyldingico, a cl. Thorkelino primum edito, ubi de gentilium borealium summo numine sermo originitus fuerat. Edda junior Odinum appellat patrem ac dominum Deorum & hominum (vide s. pag. 540 lin. 15, ubi *omnipater* pro *omnipotens* legendum est). Sic qvoqve Homero Zeus (Iliad. Ψ, v. 12 & sq.) *πατηρ ὅς δε θεοῖσι και ανθρωποισιν ἀνασσει* &c. Cfr. Orphei Hymn. *αρχη παντων*, et Arati: *εκ Διος αρχωμενθα* &c. Uranus sive Coelus Orpheo similiter audit *κοσμοπατωρ*; *παγγενετωρ*; *αρχη παντων παντων και τελευτη* &c.

†) Ejusdem notionis ac Novi Testamenti *παντοκρατωρ* ut summi Dei nomen (II Corinth. 6, 18 et alibi).

Allvalldr (alldar), Rögnudr, Rögnir, Harri, Gramr, Lavndúngr, Veratýr. Anglo-Saxon. *Alvealdor* *).

Ὄλβιος, μακαρτατος; Sigtýr, Siggautr, Niótr (cfr. *Hr. G.* 17 in fine).

Ὕπατος, ὕπερτατος, ὕψιστος, μεγιστος; Altus, Altisſimus, Supremus, Maximus; *Hárr, Háſi*, Gods-jadar &c.**).

Τριτος; Þridi, Þridji ***).

Κορυφαῖος; επιστατηριος, στησιος, επιστησιος; Tigillus, Stator, Stabilitor; *Áss, Þórr*; cfr. *Hjarrandi, Gods-jadar* it. *ὕπατος* s.

Αἰθριος, ἀιθέριος, ἠέριος, ἠέροφεγγης; Aether, Aethereus &c. *Háſi* it. *Biſi* aëreus, a voce *Bif* aër, unde forte *Biflindi* ɔ: aëreo baltheo (terram) cingens.

Χθονιος ****), *καταχθονιος, γαιήοχος, κονιος*; *Jardar-gvd, Folldar-drottinn.*

Ἄκριος, ἔρημησιος; *Fjall-geigudr.*

Κεραυνιος, αργικεραυνιος, τερπικεραυνος, βρονταῖος, ἀστραπαῖος, φλογοεῖς, πυριβρομος, καταιβατης, ὕετιος, ἰκμαῖος, νεφεληγερέτης, κελαινεφης, ομβριος, ἀφησιος, καθαρσιος; — Fulgur, Fulgens, Fulgurator, Fulminator, Tonitrualis, Uvidus (Udus), Humidus, Pluvius, Frigidus; *Þundr, Bileygr, Báleygr, Svidr, Vidrmimir*, (& *Vetmimir*), *Vidurr, Vidrir, Hvedrúngr (Vedrúngr), Údr, Yrúngr, Hialldrgod* p. p. *****).

---

*) Zeus *δικαῖοπολος* primus jura dabat coelicolis & terricolis; sic qvoqve Odinus ut primus nostratium legifer celebratur. Ut ad Jovis et Olympi normas Græcorum ac Romanorum principes aulam suam & institutiones ordinavere, idem de Scandinavis, Odinum ac Asgardiam sive Valhallam respicientibus, dici potest; hoc posterius optime monstravit cl. Geyer *Svea Rikes Häfdar* I, 300.

**) Orpheo Uranus aut Coelus *πανὑπερτατος* dicitur.

***) Vid. cl. F. G. Welcker: *Die Aeschylische Trilogie Prometheus* &c. pag. 101. Variis modis et Jovi et Odino agnomen hocce attribui potuit, erat enim uterqve duorum fratrum frater. Jupiter similiter genealogico ordine tertius fuit ab Urano ut Odinus a Burio. Cfr. *Þridi* i.

****) Agnomen hocce Orpheus Urano aut Coelo imponit ut Telluris domino vel marito.

*****) I. e. uingoris numen; sic Zeus etiam ningorem emisit: Pausan. VIII, 53; Horatii Carm. I, 2:

Jam satis terris nivis atqve diræ
Grandinis misit pater — —

Cfr. III, 10:

— — positas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter.

Hebrei vates de summo Deo paullo aliter cecinere; vid. e. gr. Psalm. CXLVII, 16-17:

Edit nivem suam, sicut lanam;
Pruinam qvasi cinerem dispergit;
Dejicit gelu suum tanqvam frusta.
Coram frigore ejus qvis consistat?

Multis locis vetus testamentum Jehovam ut tempestatis, fulminis & pluviæ dominum ac effectorem celebrat e. gr. l. c. v. 8: "Obtegit cælos densis nubibus, comparat terræ pluviam" &c. Cfr. Jobi XXXVIII, 22-38.

Ὑψιβρεμετης, ἐπιβρεμετης, ερεγδουπος, γερυόνης; Tonans, Altitonans; — *Ómi, Ymr, Hróptr, Jálfadr.*

Παγκρυφος, σκοτινας; — Arcanus; *Grimarr, Grímr, Grímnir, Brúnn, Blindr, Géstr blindi* &c. *).

Επινευων Jardlútr.

Αιθενευς Αιθίοψ; Svidr, Svidudr, Svidrir p. p.

Αφικτωρ, Επιβημιος (cfr. Redux) *Atridr.* Aversus; *Fráriðr.*

Ἀλιτηριος, αυξητης, αμφιθαλης; Alumnus, Stabilitor; *Þrórr, Hagyrkr* & pl.

Ἀρωτριος, επικαρπιος; Sator, Aratrius (it. Frugifer); *Sádr, Sigdir* **).

Ενανεμιος, ***) *ὀυριος, Ζ. εν θαλασσῃ;* Marinus; *Hléfreyr, Farmatýr* p. p. e. gr. *Kialarr* ɔ: navium numen (qvum nomen istud deducatur a voce *Kiavlr* navis, carina).

Πλουσιος, κτησιος; Dives; *Audun, Gollnir* ****) & pl.

Αγοραῖος; cfr. *Farmagod* & pl.

Γαμηλιος; Nuptialis, Sponsor; *Frumverr (Friggiar)* &c. cfr. *γαμηλος s.*

Ξενιος, χαρμων; Hospes, Hospitalis, Dapalis, Convivalis; *Jólnir, Jólfadir,* (cfr. *Valfadir, Valhöll*).

Σωτηρ, σωτηριος, σαωτης; Servator, Conservator, Custos, Salvator; *Gautr, Allda-Gautr* &c. *****).

Μειλίχιος, φίλιος, ἠπιος, ἀριστος, επιδοτης; Almus, Aeqvus, Bonus, Optimus, Opitulator; *Þeckr, Þidr, Óski, Angantýr, Gagnrádr, Hagyrkr* †).

Πιστιος, Fidius; cfr. *Tryggr* (in *τω Sigtryggr*).

Ἀλαστωρ, πικος (πικρος), τυραννος, στυγιος; Ultor, Malus, Sævus, Stygius. *Helblindi, Bölverkr* ††), *Yggr, Hriódr.*

---

*) Zeus interdum coecus olim repræsentabatur secundum Vossium *de origine & progressu idololatriæ* IX, 17.

**) Sic Damoetas (Virg. Eclog. III, 60-61):

Ab Jove principium, Musæ, Jovis omnia plena;
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

Cfr. mythum nostrum de Odino ut Baugii operario &c. Odinus, ut summus aëris & tempestatis Deus annonæ etiam à multis præsidere credebatur; id e. gr. aperte monstrant *Yngl. S.* Cap. 47, & *Hervar. S.* Cap. 11. Huc spectat superstitio rusticorum Meklenburgensium & pl. cum Wodeno ultimos camporum vel agrorum fruges sacrificare solerent.

***) Dicitur forte Horatio (Od. I, 3) "ventorum pater" qvum idem poëta decantet (salubres) "Jovis auras" (Carmen seculare v. 32).

****) Aurea Homero sunt Jovis indumenta et Eddæ qvoqve juniori Odini lorica ac galea.

*****) Uranus aut Coelus Orpheo audit *φυλαξ παντων* sive Custos omnium (Hymn. 4 ed. Hermanni). Invocatur Jupiter ab Horatio (Od. I, 12) ut "gentis humanæ pater atqve custos." Cfr. *Alldafadir, Alldagautr.*

††) Græce etiam *ωδιν* (vel *οδιν*) ut suo loco observavimus.

†) Omnia fere bona et animi dotes Odino homines debebant ex ejus cultorum sententiâ; — sic

Ὀβριμοθυμος; Magnanimus; *Hvatmódr.*

Φριπωδης; Ferus, Metuendus; *Geigudr, Yggingr.*

Ἀρειος, στρατιος, νικηφορος, μαρνας*), τροπαιος, παλαμναιος, ανικητος, φυξιος; Imperator, Militaris, Pugnans, Propugnator, Depulsor, Prædator, Victor, Invictus **); *Herfadir, Hergautr, Herian, Herteitr, Gunnarr, Jórundr, Drepsvarpr, Hrammi, Hnikarr, Sigr-höfundr, Sigþrór* &c. *Anglo-Sax. Sigervittig goð* p. p.

Ὁπλοσμιος, ἁγιοχος, λαβραδευς, χρυσαορευς; *Hjálmberi, Geirtýr, Geiradrottinn, (hrottatýr);* cfr. *Geirlodnir, Gollúngr.*

Σθενιος; *þrúdr, þrúdnir.*

Μαιμακτης ***), βαρυμηνης; Ferus, Sævus; *Ólgr, þrasarr;* qvibusdam insuper *Ódinn* furibundus explicatur ****).

Ὁμαγυριος; *Haptabeidir.*

Λυκαιος; *Skollvalldr, (egandi úlfa), úlfsbagi.*

Μηχανευς; *Hagyrkr, Ofnir, Vafudr, Göndlir.*

Inventor; *Fengr.*

Prodigialis; *Fimbultýr.*

Λαφυστιος; *Svolnir (Svolgnir), Gapþrosnir, Ginarr.*

Μανδραγορας; *Svafnir.*

Απατήνωρ (deceptor hominum); *Glapsvidr, Ginnir, Viflingr;* cfr. *Gunnblindi, Herblindi* & pl.

Παις, Παιδιος, Τελειος; Puer, Crescens, Juvenis, Adultus; *Úngr* (cfr. *Pausan.* V, 22, 24 & *Havamál* str. 141–144).

Πογωνιτης (barbatus); *Sidskéggr, Sidgrani, Harbardr, Jálkr.*

Διολομορφος; *Fiölnir, Svipall*****).

---

e. gr. iis ille dedit *virtutem ac opes (Hyndl. L.* 3). Ita qvoqve Callimachus (hymn. I, v. 96) Jovem invocat

— διδυο δ' αρετην τε και ολβον.

*) Si Græcum vocis etymon; fertur autem Zeus sub eo nomine a Syris Gazæ cultus fuisse.

**) Zeus in famosissimo cum Titanibus & gigantibus (i. e. naturæ chaoticis ac tumultuosis viribus) victor tandem evasit. Idem de Odino adcurate valet. Zeus Callimacho ob illa facinora dicitur πηλογονων ελατηρ i. e. lutigenarum (terrigenarum) expulsor.

***) Hinc, e vetere traditione, qvintus Atheniensium mensis, circa hyemis initium, vocatus fuit Μαιμακτηριων.

****) Fuit certe Odinus furentium Berserkorum patronus. Cfr. *Eddalæren* I, 360-363, it. cl. *A. W. Schlegel Indische Bibliothek* I, 254.

*****) Διολομορφης, παναιολος Coelus etiam Orpheo audiit. Alia similia exempla in præcedentibus adtulimus. Conveniunt autem illi Varronis: "Cælum Jupiter intelligitur," et Ennii:

Aspice hos
Sublime candens
Qvod invocant
Omues Jovem.

Hinc qvoqve variæ loqvendi formæ: sub Dio; sub Jove frigido aut malo &c. *Aër* summus Deus audiit Anaximeni sed AEther Euripidi et Stoicis, ut cætera huc pertinentia taceamus. Aliis Ju-

Ολυμπιος, *Ιδαῖος* (*ουρανιος*); Rex Olympi qvi et Idæ præest; cfr. *Ásgards harri*, *Hlidskiálfar-gramr* *) &c.

Πανελλήνιος, *Ἑλλήνιος*; cfr. *Gauta-Týr*, *Gautaspialli*, *Gautr* &c. ut totius Gothici populi numen, primum Sigtunis, posterius Upsalæ præcipue cultum.

Patriis nominibus ambo a poëtis sunt insigniti; Jupiter nempe *Κρονιων*, *Κρονιδης*, *Saturnius*; Odinus *Burar-bur* &c.

Accedunt variæ Jovis ac ejus veræ indolis descriptiones, qvæ Odini nominibus optime conveniunt. Sic Jupiter, ex Arati, Virgilii & veterum philosophorum testimonio *universum* (sive omnia mundana) *permeavit* et Plutarcho igitur audiit *νῶς εμιγμενος πασι*. Hæ Odini qvalitates exprimuntur primario ipsius nomine *Óðinn* sive *Ódinn* **) & alio rariore *Gángrádr* q. v.

Αμβᾶλιος dictus fuit Jupiter, qvum vitam humanam prolongare crederetur. Cfr. Horat. Od. II, 17. Idem de Odino, ut vitæ ac necis domino, sentiere gentiles nostri atavi, ut lucide monstrant *Yngl. S.* Cap. 29; *þáttr Styrbiarnar sterka* &c. Uti Romani Jovem diem ultimum tribuere crediderunt (Horat. Od. I, 11) sic qvoqve Odino Scandinavi veteres eandem addixere potestatem, ut multis alibi probavimus.

Brúni (superciliosus) Odinus a poëtis appellatur. Jupiter ab Horatio (Homerum imitante) dicitur: "cuncta supercilio movens" (Carm. III, 1).

Odinus nostratibus (sed insolite satis) appellatur *Vagnarunni* ***). Similes denominationes (Thoro magis convenientes) Jovi faciliter imponi posſent; vid. e. gr. Iliad. V, Pausan. V, 23. Hinc Horatio Jupiter audit: Olympum gravi curro qvatiens (Od. I, 12 — cfr. I, 34 et Callimachi hymn. in Jov. v. 67).

Vocabatur Odinus *Arnhöfdi* (aqvilino capite præditus, sive etiam: aqvilarum præses) nec non *Ari hinn gamli*; prisca sive vetusta aqvila, cum in hujus formam aliqvando se transmutaret. Similis fabula narrabatur de Jove Asteriam ambiente (Ovid. Metam. VI, 108). Odino aqvilæ

---

piter dictus fuit *φυσικος* (physicus) qvem etiam, e Theonis testimonio, pro aëre interpretabantur.

*) E Lidskialfa (ut Zeus *ὕφιζυγος*) totum mundum & omnia in eo evenientia perspicere Odinus credebatur. Sic etiam Zeus Græcis dictus fuit *πανδερκης*, *πανοπτης*. Oculus Jovis (ut Odini unus e multorum sententia) vocabatur eadem ratione *παντα ἰδων Διος οφταλμος*, qvi autem originitus sol ipse, qvem *Jovis oculum* antiqvitas appellavit (teste Macrobio Saturnaliorum I, 21). AEgyptii porro solem vocabant Osiridis vel Hori — Persæ Ormuzdi (vel Oromazdis) — Indi Visnuvi — & Scandinavi Odini oculum (vid. *Mimir* s.). Audit adhuc nostris poëtis *oculus cæli* &c. Lidskialfæ nostræ convenisſe videntur Pythagoreorum mythicæ denominationes: *Ζανος πυργος* & *Διος φυλακη*.

**) Vid. *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 334-338.

***) A poëta gentilium elegantisſimo, Egillo Skallagrimi filio; vid. *Egla* ed. Havn. p. 640.

a poëtis adtribuebantur *), qvod tamen multo magis de Jove innotuit. Aqvila in monetis ut ejus symbolum sæpisfime occurrit, ac interdum tantummodo aqvilinum caput, ut in nummo Eleatico, repræsentato in celeberrimi nostri Broendstedii itinere Græco (1826), Lib. I. pag. 112**).

Asiam, proprie sic dictam, & posterius illum veteris mundi notisfimum trientem, plures docti viri jam ab Asis, in prisco borea notis, nomen traxisfe opinantur, uti antea monuimus. Simili modo hi & alii Odini, Vodani, Vodæ sive Buddhæ cultum putant communem fuisfe veterrimis Persis, Bactris, Indis, Seris ac Scythis orientalibus & forte etiam Arabibus ac Aegyptiis, qvæ omnia jam in medio linqvere cogimur, sed de probabili aliqvo tali inter orientales ac boreales gentes & relligiones nexu alibi prolixe disqvisiimus, qvibus plura hic addemus ***). Annotamus præliminariter, qvod Buddhæ indico adhuc addicatur illa hebdomadis dies, qvam Romani Mercurio sed Gotho-Germani ac Scandinavi Vodano sive Odino sacraverant, adsonantia insuper (et, ut videtur cognata) Dei celebrati inter multas Asiæ gentes nomina insuper adjicientes:

Sic de Arabum solari aut primo cælesti Deo, Sole (sive Baccho Græco-Romanorum), Ausonius loqvitur ****):

Dionysum Indi existimant
Arabica gens *Adoneum* —

Stephanus Byzantinus, e testimonio Uranii, arabicarum rerum scriptoris, Obodem fert a veteribus Persis & Arabibus cultum fuisfe, qvem tamen narraverint Regem terrestrem fuisfe, sepultum apud Nabathæorum urbem Obodam, ejus nomine insignitam. Tertullianus eum Dusarem dictum fuisfe ait; — id tamen pro verisimili habemus, qvod ille *Obod* sit Persarum *Abad* (de qvo inferius agemus) sed Arabum, in Corane et alibi, sæpe memoratus *Vodda*, *Vodd* vel *Vudda*, *Vudd*, *Vad* &c. qvi forte idem est ac celeberrimus ille Asiatarum *Budd*, *Budda*, *Buddhah*, qvod pro eo certiore existimamus, qvo Indi mercatores (iis temporibus Buddæ sectatores) Arabiam sæpisfime visitarent & freqventer inhabitarent *****).

*) Vid. e. gr. cantilenam Havardi claudi (*Skálda* pag. 95).

**) Ut duo corvi Odino peculiariter adtribuebantur, sic etiam Jovi erectæ sunt duo auratæ aqvilæ, in culmine montis Lycæi in Arcadia, antiqvitus Græcis sacerrimi (Pausan. VIII, 38).

***) *Eddalæren og dens Oprindelse*, in cujus scripti tomi qvarti præfatione (pag. V-VI) præcipua istius loca, qvæ de Buddhisticæ relligionis cum vetere Odinianæ verisimili nexu agunt, sunt indicata, qvibus tamen addenda IV, 474, 478-479, 512-515, 534-535, 541-542. Præter cl. Ritteri laudatum scriptum duo docti Sveci has de illis rebus disfertationes publici juris fecerunt, *Palmblad* nimirum *de Buddha* & *Wodan*, Upsaliæ 1822, 4. & *Joh. H. Wallman om Odin och Budha*, Holmiæ 1824, 8. (qvæ mihi jam primum auctoris beneficio innotuit).

****) Epigrammatum XXIX v. 6. Cfr. Strabonis Lib. 16 & Theophr. hist. plant. IX, 4.

*****) Steph. Byzant. in voce *"Οβοδα*; Tertullian ad Nat. II, 8. Voddam Arabes sub humana effigie coluisfe feruntur. Vid. *Hyde de rellig. vet. Pers.* ed. 2, pag. 130. *Wil. Jones on the Arabs*

Abadem, magnum *Abad* sive *Bad* ajunt Desfatiri sectatores hujus relligiosi codicis primum esse auctorem ac mundi primum hominem, monarcham & divinum prophetam. Huic tredecim minores Abades sive regii prophetæ certâ serie succesferunt *). Opinantur qvidam *Abadem* sive *Badem* istum eundem esse ac Babyloniorum & plurium *Baal*, Indorum *Maha-Bali*, alii autem *Buddham* ipsum aut vetustisfimorum Buddhistarum celeberrimum Regem **), e Bactrâ sive *Balk-Bamian* oriundum. Bactriam doctisfimus *v. Hammer* censuit Medo-Persici regni & relligionis fuisse incunabula, & Maha-Badem illum (unde recentius Persicum *Mo-Bed*) pro Buddha ipso habendum, cujus cultum veterrimi Persæ adoptarent, qvi tamen posterius a Zoroastre fuerit reformatus. Restauratæ hujus relligionis confesfores vocabantur *Asa-Degan* (q. d. *Asa-þegnar*) i. e. liberi homines ***). In Bactrâ adhuc reperiuntur, (e multorum doctorum virorum opinione) buddhisticæ idololatriæ & antiqvæ habitationis varia freqventia monumenta, qvamvis montanæ illæ regiones jam fere sint pro meris desertis habendæ. Alii primariæ Persarum ac Indorum relligionis fundatorem vocant Persice *Bud-Asp*, qvi Sabæismum docuisse & seipsum mediatorem inter Deum & homines appellasse perhibetur ****). Persæ qvidam præterea planetam Mercurium sive ejus genium Buddham appellant, ac superstitiose eum venerantur *****).

In Bactria ac vicinis regionibus Buddæ cultum antiqvisfimum esse nos docent variorum ecclesiæ patrum testimonia. Cle-

(As. Rer. II, 8-9). *Oboda* Rex, qvem Strabo Lib. 16mo memorat, illo certe fuit multo recentior; sic principes Indici nostris qvoqve temporibus usitant Deorum nomina ut *Krishna*, *Rama* &c. Idem de antiqvis Babyloniorum Regibus est statuendum. An Arabum regio *Vedan*, *Vadan* sive *Vodana* Voddæ illi suum nomen debuerit, alii dijudicent.

*) *The Desfatir, or sacred Writings of the ancient Persian Prophets* &c. Vol. I-II. *Bombay* 1818. De authentiâ ejus libri adhuc variant doctorum sententiæ. Cfr. *Eddalæren* I, 209-215.

**) Videatur e. gr. dissertatio auctoris anonymi critica: *Religion, Mythologie und Philosophie der Hindus (Hermes* XXIV, 317; 1824). Memorabilis alias est locus Hesychii, qvo Mercurii stella dicitur apud Babylonios Seches fuisse appellata (*Σεχες ὁ Ἑρμου ἀστηρ. Βαβυλωνιοι*) *Secha* enim sive *Schekia*, *Shaca* &c. est nomen vulgatisfimum Buddhæ, cui illa stella ab Indis & vicinis gentibus sacratur. An illi apud Babylonias & Scythas dicatum fuerit festum *Σακεῖα* vel *Σακεα* (Persis etiam commune) jam non liqvet.

***) *v. Hammer über alt-persische Relligions-Geschichte: Wiener Jahrbücher der Literatur* 1820.

****) Secundum arabicas Massudi relationes; vide *Kleuker Zendavesta im Kleinen* I, 44, 46.

*****) Vid. *Hindu Pantheon* Tab. 88 (pag. 284) ubi Buddha planeta repræsentatur viridi vestitu, clavâ & loto albi ac cærulei coloris instructus; phiala sive poculum ei est appositum cum rosario sive linea globulorum precatoriorum. Is ex Indorum traditione omnes callebat scientias ac mysteria (*mantram* i. e. Runas) Diis alioqvin et ipsis gigantibus proprias. Astrologia in Corano prohibitur, eo certe multo vetustior, sed nihilominus ab Arabibus, Persis, Turcis et aliis Muhamedanis intentisfime exercetur; fuit olim Aegyptiis et Chaldæis accepta, et hodie qvidem (ab antiqvisfimis temporibus) Indis, Tataris, Sinensibus, Japanensibus & aliis ethni-

mens Alexandrinus, qvi varia Asiæ regna peragraverat, & inter eruditisſimos seculi 2di & 3tii viros merito numeratur, nobis retulit multos Indorum Buttam (*Βῦττα*) ac ejus (relligionis) præcepta seqvi, et illum, propter insignem virtutem ut Deum venerari*). Sanctus Hieronymus Gymnosophistas Indicos eundem Buddham dicit agnoscere pro dogmatum iis propriorum fundatore, perhibentes ipsum e virginis latere fuisſe editum **). Buddhistæ illi veteres sive eorum sacerdotes alio loco a Clemente vocantur *σεμνοι*, & in modum hujus sectæ hodiernorum sacerdotum ê magna parte describuntur, dicti venerari pyramides, sub qvibus Dei alicujus ossa esſent sepulta &c. ***). Hi alias olim audierunt *σαμαναῖου* sive Samanæi, (verisimiliter a nomine Buddhæ *Sama*, *Saman* vel *Samana*) & sunt adhuc Sinensibus vel Seris noti sub nomine *Sammeng*, *Sjamen*, unde ipsorum ac qvarundam Indicarum sectarum, ut et multarum Tataricarum & Finnicarum gentium magi sive sacrificuli *Schamanes* vel *Sjamanes* vulgo nuncupantur. Megasthenes, Alexandri Magni tempore vivens & varia nobis de vetustisſimis Indorum

---

cis Asiæ ac Americæ etiam qvibusdam populis. Persarum præstantisſimi poëtæ planetarum cultum relligiose celebrarunt (*As. Res.* II, 303). Hinc verisimile evadit, qvod genius ille, qvi *viridi vestitu & poculo instructus* Hafizio nectar divinum & simul poeseos scientiam præbuit, qvem prophetam *Khizr* vel *Khizzer* appellant scriptores Arabes, secundum priscas Persarum opiniones revera fuerit Budda ille sive Mercurius planetes, Aegyptiorum primarius *ἱερογραμματευς*, qvem Arabes adhuc ut calamo scriptoris utentem depingunt ac *scribam cæli et temporis*, fati ordinatorem, et scientiarum ac scripturæ præsidem &c. appellant (*Fundgruben des Orients* I, 7). Vetustisſimi Persæ, in uno septem Ecbatanæ murorum, Mercurio colorem *cæruleum* dedicarunt (Hoeck Monum. vet. Pers. & Med. pag. 150), qvi etiam in loto, Buddhæ indico attributo, conspicitur. Veteres Scandinavi et *viridem* et *cæruleum* colorem Odino attribuerunt (*Snga Ol. Tr. S.* Ed. Scalholt. II, 138) et *cæruleum* præcipue (Edd. antiqv. I, 38) vel cæruleum et album, striis alternantem (*Hardarsaga* Cap. 14 pag. 87 impr.). Mercurii vel Wuddæ cultu inter Arabes prohibito, ac Muhamede certo modo in illius locum relato, prophetæ huic color viridis sacrabatur, qvem etiam ejus tantummodo posteris in vestitu gestare licet.

*) *Clem. Alexandrini Stromatum* Lib. I.

**) *Hieronymus contra Jovinianum.* Lib. I. "Apud Gymnosophistas Indiæ qvasi per manus hujus opinionis auctoritas traditur, qvod Buddham principem dogmatis eorum e latere suo virgo generarit." Opera S. Hieronymi edid. *Martinlay*, Parisiis 1706, Fol. IV, 186. Mire convenit vetusta hæcce relatio cum Sinensium hodiernæ qvoqve narrationi: qvod *Moye*, *Foi* mater, e dextero suo latere nascentem eum edidisſet (*Almindel. Hist.. o. R. t. L. o. V.* IX, 101, 114). Pater ejus hic etiam Rex Indicus fuisſe fertur. Multi Buddhistæ Buddham divini (sive solaris etiam) luminis radio in matris utero productum esſe fingunt. Cfr. *Asiat. Res.* X, 27.

***) Strom. Lib. 3. Pyramides veteribus Indis sacræ fuerunt & plurima eorum templa adhuc fere pyramidali forma gaudent. In multis Buddhistarum templis servatur os qvoddam Buddhæ Dei, interdum sub tumulo pyramidali sepultum, ut ejus sacerdotes perhibent. Vid. e. gr. inscriptionem veterem de templi Indici conservatione: *As. Res.* II, 384.

relligionibus linqvens, in duas clasles præcipuas eorum sophistas dividit, in Brachmanes nempe & Germanos *) — i. e. Sermanos, Samanos, Samanæos Bardesanis**) et aliorum. Hosce enim Samæanæos in Bactra vixisse et Clemens Alexandrinus et Cyrillus manifeste declarant***). Qvod autem e Bactriana & jugis Caucasi Indici, ad vicinas amplisſimas regiones ac regna, Buddhistica relligio ante multa secula sit propagata, plures docti viri ex orientalium scriptorum testimonio jam dudum monstravere.

Ab Indis vetustisſimis (longe ante Alexandri Magni tempora) celebrabatur *Budyas* Rex, Dionysii Dei temporibus florens & regiæ stirpis propater ****). Eodem modo Buddha Deus in vetere diplomate Sanscritico celebratur ut certi regii inter Indos Carnaticos stemmatis auctor *****). E recentiorum scriptorum & multorum monumentorum testimonio in plurimis regionibus Indiæ intra Gangem Budda Deus olim cultus fuit, sed ejus relligio & ipsius sectatores inde posterius sunt a Brachmanis ejecti ac in æternum relegati. Remanet tamen secta numerosa in qvibusdam Indiæ locis, meridionalibus præcipue, necnon in provinciis Marwar & Guzerat, cujus membra *Jainæ*, *Jinæ* sive *Dsinæ* vocantur. Hi a Brachmanis (antiqvis Puranis asſentientibus) vulgo Buddhistis adnumerantur, et saltem etiam pro eorum reliqviis sunt habendi, qvamvis ipsum Buddhæ nomen non aperte profiteantur. Colunt autem ejus loco heroem qvendam ac divinum doctorem, qvem *Jinam* appellant, Buddhæ gestis ac doctrinâ simillimum, et plures qvoqve ejusdem nominis †). In vetustis Brach-

*) Ex horum numero fuerunt Hylobii, qvorum reliqviæ hodiedum in India inveniuntur, vulgo dicti Fakires vel Saniasi, cum Odinianis Berserkis aut Gymnetis interdum non inepte comparandi. Vide cæterum Megasthenis relationes apud Strabonem Lib. 15; confer *Görres Asiat. Mythen-Geschichte* I, 136 & sq., ubi sectarum illarum Indicarum summa antiqvitas veterum scriptorum testimoniis optime est probata.

**) Apud *Eusebium de præpar. evangel.* L. 6. Sic et *Sramana* et *Samana* inter Buddhæ indica agnomina occurrunt.

***) *Clem. Al. Strom.* L. 1. *Cyrillus contra Julianum* L. 4. p. 9. ed. Basil. *Baur* l. c. pag. 61, 224 (et alibi) conjicit Samanam sive Buddham eundem fuisse ac Punicum illud numen qvod *Bel Samen* dicebatur, forte etiam ac Aegyptiorum *Sem*, *Som* vel *Sam*, veterum Italorum *Semo* &c.

****) *Arrhiani Hist. Indica ed. Frid. Schmieder* 1798 Cap. 8. (pag. 48). Genealogias Odini vel Vodeni, Vuoddani &c. eddicas & Anglosaxonicas Wallmannus cum Buddhæ Indicis docte ac ingeniose comparavit (*om Odin och Budda* pag. 22-25, 37-40, 45-46).

*****) *A royal grant of land in Carnata; Asiat. Res.* III, 40 & sq.

†) De *Jinâ*, ut Buddhæ synonymo, vid. *As Res.* IX, 303. Est præterea *Jina* vel *Jinna* (qvod *triumphans* explicatur) unum ex iis nominibus qvæ Buddhæ a Ceylonensibus ejus cultoribus imponuntur, (*Davy Account of Ceylon*, p. 213). Jainæ, è contrario, Jinam suum interdum Gautamam (ut Buddha alioqvin salutatur) appellare solent (*Asiat. Research.* IX, 43). Qvidam continentis Indiæ scriptores dicunt Jinam fuisse Buddhæ patrem, alii autem hunc

manum inscriptionibus, libris & formulis Buddha nihilominus celebratur. Sic e. gr. tabula lapidea, Buddhagayæ inventa, Anno Christi 951 exarata*) vocat Buddham *supremum spiritum* et *universale numen; dominum ac posfesforem rerum omnium, custodem mundi, mali dæmonis destructorem, mille nominibus et mille formis insignem.* Celebratur porro *Buddha* ibidem ut *Deus Vishnu* (aut ejus portio) *incarnatus* (vel mundo apparens); ut *Trivikrama*, qvi tribus tantummodo pasfibus mundum universum transgrediebatur; — et tres qvoqve divinitatis personas, *Brahmam, Vishnu* et *Mahesam (Sivam)* in se ipso complectens. Lamina argentea, in spelunca prope oppidum *Islamabad* inventa, continet inscriptionem, anno 904 sculptam, qvæ *Sacyam* Indicum principem, Visnuvi characteristica rotâ in manibus signatum, celebrat ut Buddham ipsum, coelitus in matris uterum descensum, ac posterius divinitatis culmen adqvirentem, cum Brahma et Indra Dii ei supplices ministrabant. Aenea tertia, inventa prope *Gorakhpur*, summis laudibus evehit Sivam, Brahmam & Vishnu, sed nihilominus principem humanum ac virtuosum comparat cum Sugatâ (Buddhâ) vel Bodhisatvâ, propter amabiles ejus qvalitates**). Non aliter vetustisfima Indorum carmina. Sic in poëmate celebri, *Gita Govinda* dicto, Jayadeva Vishnuum ita alloqvitur: "O Kesava! corpus Buddhæ asfumens! Sis victoriosus o Heri! dominus universi." Aliud inclytum carmen, *Bhagavat* nimirum, loqvitur de Vishnuo (incarnato), apparente sub formâ Buddhæ, Jinæ filii, in provincia Cicata (Ayodhiæ vicinâ) ***). Permulta insuper artis antiqvisfimæ monumenta priscum Buddhæ in India propriâ, ac intensisfimum qvidem cultum luculenter hodiedum testantur, præsertim in subterraneis et partim fere incomparabilibus delubris ac atriis, in locis Ellora, Elephanta (indigenis Gharipur)****), Salsette, Carli, Nasik, Juner &c. Plurimæ in speciosis illis caveis sculpturæ monstrant Buddhæ cultum Visnuvicæ relligioni olim in Indiâ arcte junctum fuisfe. Sic igitur non mirum, qvod Vishnu ipse ab hodierni ævi Brachmanis prænuncietur, sub Buddhæ nomine, in ultimis diebus huc adventurus. Is præterea a sua secta pro summo nostri mundi

---

ab illo esfe prognatum. (*Moor Hindu Pantheon* pag. 235; cfr. *Erskine observations on the remains of Bouddhists in India; Transact. of the lit. Soc. of Bombay* 1823, III, 496 & sq.)

*) *Translation of a Sanscrit-Inscription, copied from a stone at Booddhagaya, by Mr. Wilmot* 1785, *translated by Charles Wilkins* Esq. (*As. Res.* I, 284-287).

**) Vid. *Asiat. Researches* II, 383, IX, 407, 412.

***) Hic sita est *Buddhagaya*, ubi insignis illa inscriptio est inventa. Cfr. *Moor* l. c. pag. 234-235; videas cæterum cl. Erskine: *on the Buddh, acknowledged by the Brahmans* l. c. pag. 528 & sq.

****) Q. d. prisco Scandinavorum sermone *Gardaborg (Gardburg)* &c. Cfr. *Eddalæren og dens*

numine habetur & cum Odino igitur est comparandus*). Buddha qvoqve simile interdum nomen gestat, Adin nimirum sive *Ådin* **) (*Odin*), qvæ denominatio an sit mere fortuita, jam in medio linqvere cogimur. His accedit formula liturgica, qvæ Mahrattis usitatur solennis Durgæ festi decimo die, qvum Brachmanes eorum bona Regi publice expetunt "qvæ Buddha nobis [hominibus] indulget ê terrâ matre"***). Hic certe alluditur ad tale Coeli ac Telluris sacrum connubium, qvod Græci ac Romani de Jove ac Junone, nostrates de Odino & Friggâ, symbolice finxerunt.

Tantâ inter Odinum nostrum et Indorum Buddham convenientiâ probata****), nos ista hujus sanscritica agnomina, nobis nota, qvæ borealis illius numinis præcipue respondent, enumerare tentamus:

Buddhah mens, spiritus, intelligentia [Nostratibus *Óðinn*].

(Eandem sententiam invehunt: *Mahatma*, magnus sive sanctissimus spiritus; *Maharschi*, spiritus magnus ac intelligentissimus).

Dshivaga, (*Givaga*) vivificator, sator [*Vspá* str. 16; *Sádr*].

Visjuantara, altissimus, omnes superans — [*Hár*, *Hásí* &c.].

Devati-deva, Deus Deorum, [*Rögnudr* p. p.]

Vibhuh dominus universalis, [*Allvalldr*].

Vinayagi, magnus dominus; *Brabhu* dominus, rector &c. [*Rägnir*, *Harri*, & pl.].

Logagil mundi victor; *Bhagavanra* victor, potens, beatus; *Vidjagi*, invic-

---

Oprindelse III, 37, 39, 74, 77, 81-82, 112-113, de aliis similibus veterum Indiæ urbium ac principalium fanorum nominibus. De Buddhisticis illis monumentis vid. *Erskine* l. c. pag. 517 & sq.; *Religion, Mythologie und Philosophie der alten Hindus*, *Hermes* XXIV, 293 & sq. De Vaishnavis aut Visnuvitis ut Buddhæ cultoribus cfr. *Moor* l. c. pag. 14 (et alibi).

*) Sic qvoqve multa Vishnuvi agnomina Buddhæ indici, Jovis Græci & Odini nostri epithetis conveniunt e. gr. Universi dominus, gubernator, protector; victor malorum dæmonum; primus mas (aut maritus); subtilis aëris Deus; aërem & nubes colligens; omnia lustrans vel circumspiciens &c. — Secunda Brachmanum secta, Sivam (Visnuo arcte junctum) pro summo Deo colens ei addicit similia nomina, et plura qvoqve, qvæ Jovialibus & Odinianis etiam adnumerantur; e. gr. firmamenti vel coeli dominus, sator, generator, flammeus, fulminans, destructor, occisor, pluviam ciens, udus, (humidus), metuendus, montium dominus, larvarum dux &c.

**) *Remarks on the names of the Cabirian deities* (*Asiat. Res.* V, 299).

***) *Malcolm on the institution and ceremonies of the Hindoo festival of the Dusrah*; — *Transact. of the lit. Soc. of Bombay* (1823) III, 81.

****) Plures huc pertinentes circumstantias demonstrare possem, si spatium libri id permitteret. Sic e. gr. Saxo de Odini albo eqvo loqvitur, qvalem simul Japanenses Buddhæ (ut Indi qvoqve Vishnuo) attribuunt &c.

tus, victor clarisſimus. [*Sigtýr*, *Sigfadir*, *Hnikar* &c.].

Virah, heros, [*Herian* &c.]

Sarvadjna omniscius; *Narottamah* omnium (vel hominum) sapientisſimus; [*Visastr vera*, *Vaſþr. M.* 55].

Munindra cogitatorum sive contemplatorum præses; *Agueda* contemplator; [*Gautr*, *Yggr*, *Hróptatýr*. Cfr. *Hyndlu L.* str. 3. it. *Huginn*, *Muninn* s.].

Shastamuni præceptor [*Háva M.* str. 113 & sq. 145-46 & sq.] it. castigator, censor, judex [*VSpá* 21-22 &c.].

Sarvadharmahuara legum auctor [ut Odinus in septentrione]*).

Aarhada venerabilis, qvasi senex barbatus [*Síðskeggr*, *Síðgrani*, *Jálkr* & pl.].

Sugatah bene procedens, celer viator. *Gángrádr*, *Gángleri* & pl.

Tathagatha, veniens. [*Atridr*; cfr. *Vaſþr. M.* 6, 8, 43].

Shákia, fraudulentus, præstigiator. [*Ginnir*, *Bölverkr* &c.].

Advayadi disertus; in loqvendo sibi non æqvalem habens; [*Yngl. S.* Cap. 6; *Vaſþr. M.* str. 55; *Hyndl. L.* str. 3].

Djuamutaghoschah, vox tonitrualis [*Ymr*, *Ómi* &c.].

Aghna igneus, radians; [*Báleygr* & pl.].

Mali niger, perustus, cinereus; [cfr. *Svidr*, *Svidrir* & pl.].

Adgirasa parens solis — [ut Odinus solis creator p.p.].

Shricanna lucem ferens [ut Odinus in mundi creatione &c.].

Sarvarthasida divitiarum potens, collector & custos; [*Audunn*, *Gollnir*, *Gollúngr* p.p.].

Shudodana nitidus, elegans, formosus; [*Þeckr* &c.] **).

Accedunt qvoqve patronymica qvædam: ut *Sudodhani*, *Mayas Devi-suta* & pl. ***).

His Buddhæ agnominibus vel sono vel sensu conveniunt varia, qvæ adhuc ab

---

*) "In eo omnes Indorum sectæ conveniunt, qvod Buddha primus fuerit legum sanctor, pristinæ humanitatis institutor, sexqve scientias docuerit: 1) Astronomiam. 2) Astrologiam. 3) Moralia. 4) Religiosos ritus. 5) Medicinam. 6) Jura & faciendorum normam." — Hæc eadem omnia a gentilibus Scandinavis, Odinianæ religioni addictis, de ejus principe numine referebantur, qvæ tamen hic amplius demonstrare pro superfluo ducimus.

**) Hæ Buddhæ denominationes desumtæ sunt è Paulini *Amarasinhâ* & *Systemate Brahmanico* nec non e cl. *Abel Remusat Recueil necesſaire de mots Sanskrits, Tangutains, Mandchous, Mongols* & *Chinois (Fundgruben des Orients* IV, 187 & sq.). Nominibus illis Sanscriticis & multo pluribus (numero 170) Buddhæ ab ejus sectatoribus adscriptis, addita est versio variorum dictorum idiomatum; — hic Buddhæ Sinensis nomen *Fo* indigenis audire luculentisſime monstratur.

***) *Moor Hindu Pantheon* pag. 234. Qvædam traditiones Buddham vocant Tschandræ (Luni) alii *Brahisputi* filium &c.

ejus Ceylonicis cultoribus usitantur, — (præter alia multa) e. gr. hæcce seqventia: *Angirasſa* dulcis. — ejusdem fere notionis ac nostrum *Angantýr* (de Odino dictum); *Jina* triumphans (victor); *Rajaté-Rajá* Rex Regum &c.*). Alia conveniunt illis qvæ Brachmanes Sivæ addicere solent e. gr. *Maha-Deva* (magnus Deus Scand. *Megin-Tívi* vel *Magn-Tívi*) *Mahesa* (magnus Dominus, Sanscr. *Mahesa Maha-Isha* q. d. Scand. *Magn-Áss* &c.) p. p.

Buddhah præterea ab Indis qvibusdam habetur pro Sole ipso sive solari Deo (vel summo nostri coeli numine) tunc *Surya Buddhah* appellatus. Ita ei contingunt multa Solis agnomina, qvæ mensibus singulis aut eorum tutelaribus Diis alias attribuuntur, Odini ac Jovis epithetis ad ungvem convenientia, exempli gratiâ hæcce Spiritus, Coeli pater, astrorum princeps et custos, Rex ætheris, igneus, fulgurans, fulminans &c. Sic Indorum Buddhah, ut anni ac ejus mensium numen, Odino simillimus evadit; illi insuper signum geminorum zodiacale ac mensis ad illud pertinens ab Indis specialiter addicitur **), *angvis* symbolo vel figurâ alioqvin indicatum.

Inscriptiones veteres sanscriticæ Buddham præterea vocant: *sapientem divini luminis propaginem.* In illis cæterum isti attribuuntur nomina, sub qvibus is jam cognoscitur a gentibns indicis extra Gangem, Ceylonensibus, Tibetanis, Tataris, Sinensibus & Japanensibus: e. gr. *Godama (Gotama, Gautama); Sacya (Shakia, Shaka, Saca* ***), *Xaca); Thacur (Thicca); Bodhi-Satva* (Siamensibus *Pouti-Sat*, Birmanis *Buddha-Satva*, Tibetanis *Boddi-Sado* vel *Poti-Sato)* &c.****).

Vocatur præsertim *Buddhah* (ut in Sanscritico sermone scribitur) jam vulgo ab Indis *Bhoud, Buddh, Baout* vel *Bhuden, Buden, Puden, Bodh* p. p. In

*) *Davy Account of the interior of Ceylon* (1821) pag. 243. Buddhæ non minus qvam 12000 aghomina Ceylonenses sacerdotes adtribuere ibidem perhibentur. — Unum Buddhæ inter Sinenses nominum videtur esſe *You-loefat* (nostrum *Jólſadir* sono imitans) sub qvo illis Deus sapientiæ celebratur; *Asiat. Researches* VI, 261.

**) Ibid. pag. 241 Tab. 69; *Müller Glauben, Wiſſen und Kunst der alten Hindus* 1 Th. (in tabulâ pag. 544 affixâ).

***) Numne, ut Georgi etiam conjecit, veterum Babyloniorum *Saca, Saches*, Hesychio *Σεχες*, i. e. ex ejus interpretatione, *Mercurius?*, Cfr, gentilitium Sacarum nomen, qvod Indo-Scythis olim contigisſe videtur, it. *As. Res.* XI, 55 64.

****) Dhermæ nomine Buddha etiam ab Japanesis & Sinensibus salutatur. Illud *Bodhi-Satva* dicitur alioqvin de aliis numinibus. Cfr. appellationem *Woden-Sati* qvam Galfredus Monomuthensis veteres Saxones (â Sacis, ut qvidam volunt, oriundos) diei Mercurii attribuisſe refert. — Alioqvin Indica *Satva, Sat* & *Thacur, Thicca* respondere videntur agnominibus Odini *Þeckur (Theccur)* & *Sádr*. — Cfr. Saxonum gentilium *Sater*, qvi ab iis pro Deo cultus esſe putatur; vid. *Arnkiel Cimbr. Heyden Religion* I, 106; *Vulpius Hand-Wörterbuch der Mythologie deutschen u. a. Völker* 1826 pag. 279.

sacris scriptis interdum appellatur *Dherma* sive *Dherma-Raja*, qvo docti qvidam viri Hermetis Græci vel AEgyptiaci nomen indicari suspicantur*). Licet his non asſentiamur, minime tamen erit denegandum, qvod Buddha sive Dherma ab Indis dicatur fuisſe Maiæ filius, ut idem qvoqve de Hermete sive Mercurio narratur **) — et qvod præterea dies Mercurii Buddhæ illi, sive planetæ ejusdem nominis, inter Indos intra et extra Gangem sit sacratus, qvod etiam de Odino sive Vodano inter Gotho-Germanicas Europæ gentes valere supra monstravimus.

Sic dies Mercurii appellatur:

In lingva Sanscritica: (obsoleta, sed Brachmanis sacrâ) nec non multis recentioribus: *Buddhahvar*,

lingvâ Pali sive Bali (Buddhistis sacra: *Van Pout*,

— Malabarica: *Buden-kirumei*,

— Birmanica: *Buddhahu*.

lingvâ Ceylonica sive Singalensi: *Bodadah* vel *Buddadina* ***).

Planetam qvoqve, qvem nos Mercurium vocamus, Indi similiter Buddham vel Budham appellant ****) — cui etiam veteres Scandinavi Odini nomen addixerunt. Dicunt Brahmanes Deum illum planetarem omnes scientias (et Deorum & hominum) perſecte calluisſe ac magiæ etiam peritum fuisſe. Eadem fere de Hermete & Heriane, sive nostro Odino, in mythicis fabulis narrantur.

Buddhæ cultus proprie jam floret in imperio Birmanorum (regna *Ava*, *Pegu*, *Arracan*, *Asam* & pl. hucusqve continente, cum pars hujus imperii Britannis jam cedatur). Hic ille plurimum *Godama* sive *Gotama* appellatur. In regno *Siam* præcipue noscitur sub nominibus *Pout* et *Samana-Codam* *****); a Tunkinesis colitur ut *Fo* vel *Buddha*, a Cochin-Chinesis *But* vel *Thicca* vocatus;

*) Ex. gr. *F. C. Baur: Symbolik und Mythologie* 2 Th. 1 Abth. pag. 35 & sq. 45 & sq. ac alibi.

**) Indorum *Maia*, *Maha-Maia* eadem certe originitus fuit ac Phrygum et Arcadum *Μᾶ Μαῖα* sive Romanorum *Magna Mater*. Sarmatæ talem Deam adorarunt ad Mæotis paludem ut *Μαῖητιν* matrem &c. Vocabulum *μαῖα* Græcis audiit mater, nutrix p. p. Cfr. *Norn* s.

***) Alio qvoqve nomine *Savumma-dina* i. e. venti dies, qvum mundus, vi venti sive spirantis numinis, eo die fuerit creatus. Vid. *Knox Historic. Descript. of Ceylon*. Ed. 2. 1817 pag. 225. Hæc traditio relligioni Buddisticæ, Tibetanæ & veteri qvoqve Scandinavicæ optime convenire videtur.

****) *Budha* planeta jam a Brachmanis interdum distingvi videtur a Buddhâ Deo vel sancto heroe, sed nihilominus nos (cum doctisſimo Abel-Remusat: *Mélanges Asiatiqves* 1825, I, 308-309) ambos ejusdem originis fuisſe opinamur. Leo (*sinha*) unum est e præcipuis Sacyæ sive Buddhæ agnominibus, sed animal qvoqve hocce planetari Budhæ peculiariter est adtributum (*Ward View* &c. II, 73 vel sq.). Arcus porro ut planetæ hujus symbolum pingitur (l. c. II, 47) sed Buddha incarnatus (e veteris inscriptionis testimonio) immanem arcum pro sponsa obtinendâ tetendisſe fertur (*Moor Hindu Pantheon*, pag. 227).

*****) Hæc nomina nobis in memoriam revocant alia Odini Germanica: *Godan*, *Guden* & pl. unde

adoratur qvoqve in *Cambodia* et vicinis regionibus. Per totam igitur Indiam extra Gangem Buddhistica relligio in summo honore habetur, ipsis monarchis & plurimis eorum subditis familiaris.

Ex insulis maris Indici *Ceylon* sive Taprobane eidem relligioni maxime est addicta, qvum hunc scilicet ritum terræ illius imperatores seqverentur, usqve ad eorum potestatis abolitionem & universalem insulæ ante paucos annos per britannica arma acqvisitionem. Vocatur hic *Buddha*, *Budhu*, *Gautamah* vel *Gotameh* aut etiam *Gauda (Goda)* *). Permultæ veteres traditiones vel legendæ habentur de ejus in insulam ex India extra Gangem adventu et bello divinis viribus gesto contra gigantes et malos dæmones anterius ibidem habitantes, ac ejus in res omnifarias transformationibus & miraculosis itineribus, qvæ borealis nostri Odini non sunt absimilia **).

Appellatur Buddha præterea a Ceylonensibus *Saman* (alioqvin *Sama*) i. e Sanctisſimus (optimus maximus) — unde ipsum Samanæorum vel Schâmanum nomen deducendum esſe videtur ***).

In insula *Java* Buddhæ cultus olim floruit, ab Indis ex continente venientibus illuc invectus, ut multa relicta monumenta testantur. Ibi Sivæ relligio cum Buddhistica amice mixta fuisſe videtur, qvamvis istæ hodie inter se mimime conveniant. Jamdudum Islamismus ab indigenis Javanensibus est receptus, sed indicæ illæ sectæ penitus oppresſæ vel ejectæ.

Japanenses multi veteri illi relligioni sunt addicti, ejus principale numen *Buds*, *Buth* sive *Amida* appellantes. Hujus sectæ sacerdotes vestimenta iis similia, qvæ idolum tegent, gestare solent. Idem de pluribus Buddhistarum sectis est dicendum.

Sinenses sive *Seræ* e magua parte eundem Deum venerantur, sed nomine *Fo*

Vestphalis ejus dies dictus est *Godenstag*. Accedit hisce vox antiqvisſima, Deum inter plurimos Asiæ et Europæ populos designans: Sanscr. *Coda*, Pers. *Choda*, *Chuda*, *Ghuda*, Curd. *Chudi*, Afg. *Chudai*, Goth. Germ. *God*, *Gott*, Isl. Dan. *Gud* &c.

*) *Philalethes History of Ceylon* pag. 197. Cfr. nomen regni prisci Indo-Bengalensis *Gauda-Desa* (terra Gaudæ) cujus imperatori nomen erat *Buddha Sinta*. Hic fuit sita civitas Indorum sanctisſima *Benares* sive *Vanarasi*, secundum qvosdam scriptores locus nativitatis Buddhæ Dei. Ante annos abhinc octingentos hujus regni principes illum coluerunt. De Buddhæ in Ceylonia peractis facinoribus vid. *As. Res.* VII, 49 & sq. 417. *Philalethes History of Ceylon* (1817) p. 195 & sq. 205 & sq. *Davy Account of Ceylon* p. 212 & sq.

**) Notæ sunt *Ramajanæ* (jam a cl. *A. W. Schlegel* editi), epici Indorum carminis relationes de Visnuvi Dei rebus gestis contra gigantes Ceylonenses. Certe in insulis (Java & Ceylon) amborum horum Deorum priscum cultum mixtum ac invicem compositum fuisſe comperimus. Idem testantur varia monumenta Indicæ artis ibi adhuc existentia ac veteres inscriptiones in lapidibus vel æneis tabulis sculptæ.

***) *Joinville on the religion* &c. *of Ceylon*. *As. Res.* VII, 398.

istum insigniunt. Putant qvidam eum a Buddha diversum esse, sed contrarium perfecte discimus e recensu agnominum ambobus convenientium supra laudato, et e biographiâ illius Sinensium numinis, qvæ præcipuis momentis optime convenit aliorum Buddhistorum legendis. Dicitur *Fo* in India natus, sed mater eius *Moye (Maya)*; perhibetur ipse eadem ac Buddha miracula fecisse &c. Aliud ejus nomen *Sche-ki-a* vel *Schaka* indicum est, & ab reliqvis Buddhistis sæpissime usitatum; ut plura ejus rei clarissima indicia taceamus. Videtur cæterum idem esse ac Deus *Omito* *) (Japanensium *Amida*), qvi tamen a qvibusdam illo anterior fuisse vel prius mundo apparuisse putatur.

Eadem relligio in omnes Sinæ vicinas regiones emanavit, ut *Coream*, *Turkestaniam* (regna *Choten*, *Caschmir*, *Ygur* vel *Uigur* ac pl.) in *Buchariam* sive *Bucharam* (ubi Muhamedanismus eam posterius ex magna parte suppresit), in *Tatariam magnam* (Mandshuorum ac Mongolorum) per immensa viarum spatia. In regionibus *Butan* & *Tibet* (*Bhot* vel *Bod* sermoni proprio dictâ) **) ac regno indico *Nepal* ***) sedes acqvisiit sanctissimas, ubi plures homines, qvasi immortales & incarnati Dii (per emanationem aut metempsychosin qvandam sive animarum transmigrationem) jam intense coluntur & adorantur sub titulis perennibus *Dalai Lama*, *Bogdo Lama*, *Chutuktu* &. pl. uti eundem de Sveco-Gothicis hierarchis (sub Odini & pluribus nominibus celebratis) casum accidisse conjecimus. Ab illis populis Buddha præcipue colitur sub nomine *Schigemuni*, *Shaka muni* &c. Olim in Captschakia suo tempore cultus iste floruit, sed adhuc etiam est receptus a Kalmukis & pluribus gentibus qvi Rusfico sceptro parent.

Buddhismus certe varias suas habuit periodos ac sectas, et per universalem qvamdam reformationem in hodiernum statum redactus esse videtur. Putatur primâ sua specie floruisse apud Tataricas gentes, Lamaicam confesionem jam profitentes, non forte multum diversus â Schamanismo, qvi ad ultimos hosce dies apud eas et Sinenses ipsos penitus eradicari neqviit ****). Sinenses Schamanes

---

*) Cfr. nomen Odini eddicum *Omi* sive *Ómi*. Vocabulum *Om* (aut *Aom*) ab Indis Brachmanicis & omnibus Buddhistis pro sanctissimo habetur.

**) Vel etiam *Bodestan (Buddhistan, Butan, Botan)* Bodæ sive Dei regio. Vid. cl. *Malte Brun Précis de la Geographie universelle* Ed. 2. III, 518.

***) Hic Buddha dicitur *Sambhu* i. e. autocrator; vi propriâ vel per se ipsum existens (qvi alioqvin titulus Sivæ â Brachmanibus attribuitur). *Kirkpatrick Account of Nepal* (1811) pag. 159.

****) Sic e. gr. annis 1819 & 1820 Lama qvidam (dictus *Mergen Van*) contra Schamanes, inter Mongolos Sinæ subditos & vicinas gentes habitantes, accerrimam persecutionem excitavit. (*Timkowski Reise nach China durch die Mongoley* III, 309).

appellant *Schameng* vel *Sham-meng*, Buddhistis tamen annumeratos *). Foi cultores ab exteris scriptoribus sæpisſime qvoqve Schamanes appellantur. Vox ipsa *(Schaman, Saman)* in sacra Buddhistarum lingvâ, qvæ *Pali* dicitur, sacerdotem ejus relligionis denotat; est etiam Japanensibus ac aliis usitata **). Scriptores Malabarici referunt Shamanes (*Sarmanes* Clem. Alexandrini) olim Indiæ propriæ imperasſe, divisos in duas sectas *Budderguenl* & *Shammanergeul* vocatas, qvæ cum Brahmanos eradicare tentarent ab iis ſuerunt devictæ & in Indiam extra Gangem propulsæ***). Hinc et e Tibeto illa relligio ad gentes Asiæ orientales, boreales & caurinas (qvæ barbaris sive semiferis vulgo adnumerantur) est propagata, qvam ob causam earum sacrificuli sive præstigiatores vulgo Schamanes appellantur, & relligio ipsa, in permultas ac plerumqve irregulares sectas divisa, cultus Schamanicus. Inter ejus sectatores Tungusi numerantur, in Sibiria & partim qvoqve in Mongoliâ Sinensi habitantes, qvorum Rusſica pars hodiedum summum Deum *Boa* nominat sed ventum etiam invocat sub nomine *Odin*****); hinc verisimile videtur istos simul asiatici ac scandinavici ethnicismi (sive Buddhismi) reliqvias fovere. Qvod gentiles Scandinavi Lapponum aut Grönlandorum indigenarum sacerdotes sive magos appellasſent Schemanos, concludendum est e verbis Erici Rufi, Groenlandiæ Norvego-Islandici indagatoris (seculo decimo durante) qvi christiano sacerdoti (qvem primum viderat) eandem appellationem adtribuit, verisimiliter propter ornatum sacrum & ceremonias rituales, qvæ apud

*) *Livre des recompenses et des peines, traduit du Chinois, avec des notes & des eclaircisſemens par Abel Remusat*, pag. 62. Hi Schamanes illis borealibus, qvi populos feros adhuc in extremo septentrione fascinationibus deludunt, eruditiores esſe videntur.

**) *Allgemeine Welt-Geschichte* XXXI, 408-410. Paulini Musei Borg. Cod. MSS. pag. 17.

***) Ejusdem operis XXIII, 672 (secundum *Ziegenbalg* & *la Croze)*. Cfr. cl. *Malte Brun Précis de la Geographie universelle* Ed. 2, III, 577, ubi vetustisſimas Indiæ relligiones in Schamanismum, Lamaismum & Bramanismum divisit; it. *Bastholm om de ældste Folks rel. og phi los. Men.* pag. 390 &c. ubi omnes Buddhistæ Schamanis Indicis adnumerantur, nomine in India ipsa usitato illis sic imposito; dicitur qvoqve relligio illa inde ad Tungusos, Ostiacos & Samojedas emanasſe (pag. 403).

****) Qvi apud Scandinavos olim ac proprie fuit aëris & venti Deus, uti alibi monstravimus. Vide cæterum de Tungusorum illâ relligione *Georgi Reisebemerkungen im Rusſischen Reich: St. Petersburg* 1775 I, 268, 275. Alii magorum Schamanicorum denominationem Buræticam *Bo* putant ê Buddhæ nomine depravatam esſe; *Allgem. Welt-Gesch.* XXXI, 409. Certisſimum præterea est qvod plures Schamanicæ gentes Deum Thor (Thorem sive Thorum) a Scandinavis gentilibus cultum, adhuc præcipue venerentur, ut suo loco monstrabimus. Prolixe de Odino, ut Schamanicæ suæ relligionis in borea nostro fundatore, tractavit clarisſimus Münterus: *Dänemarks und Norwegens Kirchen-Geschichte* I, 70 & sq. 81 & sq.

Christianos catholicos & Buddhistas insigni similitudine gaudere a multis scriptoribus sunt observatæ *).

Si Schamanes in Groenlandiâ, Americæ vicina, ita invenerimus, non adeo mirum evadet: Buddhæ, Odini aut Vodani cultores in illâ qvoqve mundi parte resedisse. *Votanum* Mexicanorum (sive magis proprie Chiapanorum) eundem cum illo vetustisſimo Asiæ et Europæ Deo ac incarnato heroe fuisſe suspicati sumus **) & jam eandem opinionem doctrinæ fere omnifariæ hodierni ævi coryphæum, *Alexandrum Humboldt*, prius accepisſe ac adumbrasſe comperimus. Qvum in opere nostro de vetere Scandinavorum relligione Americanas traditiones præterire statuerimus, pretiosſima Humboldtii opera, illud elaborantes, non consuluimus; Videramus autem nuper fortuito veteres Hispanicas relationes de Votano qvodam a Chiapanis (Mexicani regne gente) maxime culto ut Deo ac primario heroe, reipublicæ, relligionis ac calendarii statore, ex oriente adveniente, unde nos illam conjecturam proposuimus, ea simul observatione additâ, qvod monumenta qvædam Mexicana cum Indo - Buddhisticis certam proderent similitudinem. Laudatus Humboldtius prius tamen (me tum nesciente) ulterius probaverat Votani illus· mexicanum cultum, eâ observatione additâ, qvod pentas dierum, in calendario Chiapanorum statuta, certum habeat diem (et primam qvidem) qvi Votano illi fuit sacratus ac ejus no-

*) *Hkr.* ed. Havn. I, 304: *Þat er hann (Leifr) hefdi flutt Skrælingjar til Grænlands; Þat var prestrinn. Ol. Tryggvas. Saga* ed. Scalh. I, 247 habet simpliciter *Skræling* sive *Skrælingr*. *Sk.* jam â Svecis et multis Norvegis pronunciatur ut *Sch*.

**) *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 209, secundum Antonii del Rio & Pauli Cabreræ relationes de ruderibus urbis *Huehuetlapallan* & ejus primis structoribus, ex anglica Berthoudii editione (1822) Votani thesaurus (ita dictus) ab ethnicismi temporibus clam servabatur in ædificio lapideo, dicto *spelunca tenebrarum*, sito in loco *Tacoalaya*, provincia *Soconusco*, ab insigni qvadam muliere & certo virorum indigenarum numero, qvi annuatim ad has excubias eligebantur. Tandem præsul Hispanus, *Don Franciscus Nunez de la Vega*, sacrarium illud antiqvitatis indagavit, ac res totas ibi inventas in foro Huequetanensi (anno 1691), ut execrandas idololatriæ reliqvias, publice comburi fecit. Constabant autem ex urnis argillaceis, qvorum opercula insignita fuerunt imaginibus Deorum Mexicanorum, qvi alias in calendario occurrerant, idolis e viridi lapide factis ac aliis figuris gentilismum sapientibus &c. Lusitani in India simili furore Buddhistici cultus monumenta perseqvebantur, ex universali fere christianorum sacerdotum more, qvem etiam Odiniani ævi idola in nostro septentrione sunt experta. Dicebatur olim Votanus ille (secundum ejus pagi traditiones) â Deo ab oriente emissus fuisſe ut terras Americæ certis populis vel principibus distribueret; monstrabatur qvoqve ejus (ut ferebant) propria scriptura, hieroglyphis & characteribus lingvæ Tzendalicæ elaborata. Familia qvædam Teopizkæ, circa initium seculi 18^vi, originem suam ab eo deduxit, *Vega* illo testante, qvi ipsum *Votanum* tertium mexicani calendarii heroem (sive idolum) fuisſe retulit.

mine insignitus, ut eundem casum inter Asianos & Europæos circa medium hebdomadis diem, Buddhæ & Odino aut Vodano sacratum, certisſime noveramus.

Hic Americanorum Votanus (e Cabreræ explicatione in operis Huehuetlapallan Tabula IV & V^ta^ repræsentatus) avem & angvem ut symbolica sua attributa gestat, præter alia aëris ac venti emblemata*). Is|se præterea (ex antiqvis traditionibus) *angvem* appellavit; sic qvoqve Odinus noster angvem se ipsum nuncupabat, ut etiam Indico Buddhæ angvis fuit sacratus, et sæpe etiam in antiqvis monumentis ut ejus ac signi zodiacalis ei proprii emblema vel symbolum reperitur**).

Elucet ex antea relatis Votanem eundem fuisſe ac illum aëris Deum (alias dictum *Qvezalcoatl* ↄ: angvis pennis viridibus præditus) qvem Mexicani dixerunt olim fuisſe incarnatum, ut aurei seculi clementisſimum et divitisſimum principem ac summum sacerdotem, doctorem, prophetam et sapientisſimum legiferum, sub cujus regimine humanum genus omnifaria felicitate fuisſet beatum***).

Tres illos Europæ, Asiæ & Americæ Deos unam ac eandem habuisse originem, verisimile tandem apparet ê pari vel simili nominum significantia & sono; sic enim:

1) *Ódinn* (*Vódinn* &c. ê dialectica va-

*) Votani vetustum symbolum, in pretioso smaragdo avem angve circumdatam repræsentans, a monacho qvodam Dominicanorum ordinis, Benito Fernandez (e Cabreræ testimonio) reperiebatur apud Mixtecenses, qvi id relligiose venerabantur. Hispani qvidam monacho illi aliqvot imperialium millia pro isto idolo offerebant, qvod tamen abnuebat, sed ipse in majorem Dei honorem publice symbolum illud smaragdinum concusſit & in pulverem redegit. Sic & similiter perierunt plurima novi orbis pretiosisſima monumenta. — Aves (& præcipue variis modis accipitrem, aqvilam ac corvum) Odino, aëris & venti numini, sacratas fuisſe scimus. Sic qvoqve Buddha Indorum, planetam Mercurium indicans, aqvilâ vehi fingitur (*Moor Hindu Pantheon* pag. 285). Tab. 88, As. Res. II, 303, Fig. d.

**) Vid. e. gr. *Asiatic Researches* II, 303, Tomi IX^ni^. Tabulam æneam ad pag. 274 et ejusdem Tomi pag. 307 & 309 ubi *falco* (sive accipiter) & *serpens* inter variorum Jinarum (sive Buddharum) attributa enumerantur; it. *Moor Hindu Pantheon* Tab. 70 Fig. 4, Tab. 75 Fig. 3, Tab. 76 (ubi inferior idoli pars in serpentem penitus desinit). Cfr. *Ward* l. c. II. 390, *N. Müller* l. c. I, 544 (in Tab.).

***) *Clavigeri Geschichte von Mexico, aus dem Italienischen* &c. (1789) I, 350 & sq. E testimonio episcopi Hispani, (Franc. Nun. de la Vega) Votanus Chiapanorum primus ex universali diluvio servatus, ædem construxit maximam ut homines per eam in cælum adscendere posſent, sed isti, illo opere frustrato, in mundum totum dispergebantur, qvum Votanus, summo numine, *Teotl* (θεος) dicto, ita mandante, terras *Anahuac* inhabitare cæpit. *Humboldt Vues de Cordilleres & Monumens des peuples indigenes de l'Amerique* I. 382. Cfr. *Clavigeri* l. c. I, 164-165, 342, 364, 412. Deus ille, qvi Buddhæ similis formam manuum & pedum suorum petris impresſam reliqvit, a Siguenza Hispano cum Sancto Thoma apostolo magis improprie fuit comparatus.

riatione) *) olim certe combinatum fuit cum voce substantiva *Ódr*, *Ódur* a) mens, ratio b) poësis c) intelligentia, scientia; *Ódinn* igitur explicari potest: a) insigni mente & intellectu præditus b) mens universalis **).

2) *Buddhah* (*Bodda, Boda, Bod, Wod* &c.) asiaticarum nationum, Raskio derivatur a subst. Sanscritico *Buddhih* ratio, intelligentia, sapientia, qvod forte iterum, ex Augusti Wilhelmi Schlegelii observatione, derivandum est a voce *Budh* evigilare, consipere, reminisci. Buddhah igitur a philologis sanscriticis vertitur a) mens, spiritus, intelligentia b) insigni mente & intelligentiâ præditus. Buddhistæ ipsi Dei illius nomen eodem modo explicant, id deducentes a voce lingvæ Pali: *Bodie* (sive *Bodih*) o: sapientia &c. ***).

3) *Votan* Mexicanorum *cor* Tzendalice denotat, unde Deus ipse a suis cultoribus *cor populi* vocabatur, & cordis figurâ emblematice vel hieroglyphice in monumentis (e. gr. in picturis & chrystallinis pyramidibus) indicabatur ****). Cor a multis populis pro animæ ac mentis sede fuit acceptum, unde ipsa vocabulorum cohærentia & communis interdum significantia facile perspiciuntur †).

Uti plurimi historiæ Scandinavicæ scriptores ac scrutatores plures Odinos acceperunt, ita etiam Indi, Tatari &c. plures Buddhas statuunt & Americani plures Votanos, et omnes qvidem successorio ordine. Phænomenon hocce, inter cunctas hasce gentes, partim certe ortum est ex opinionibus de Deo, humanam speciem, terrestrem vitam et ærumnam suscipiente ac partim etiam ex aliis de variis mundi ævis et periodis traditionibus & sententiis ††).

Odini vel Vodani europæi & Votani mexicani cultus a Christianismo devictus disparuit, remanet autem Buddhæ asiatici cultus, eâ confesſorum freqven-

*) Sic e. gr. Sælandi & plures Dani hodierno tempore dicunt *Onsdag* (pro *Odinsdag*) sed Jutæ vulgares *Vonsdag*, *Voensdag*, Belgæ *Woensdag* &c. Permultis vocibus, qvæ Scandinavis in O incipiunt, inter Germanos W est præmittendum, ut Isl. Dan. &c. *Ord* Germ. *Wort* Angl. *Word* &c. Aliæ Scandinavis ipsis sonuerunt dupliciter ut *Ód*, *Vód* (vox Odini nomini admodum cognata).

**) Plura de etymologia nominis Odini disqvisiimus: *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 334-338, 359-363, 366-368.

***) *Davy account of the interior of Ceylon* (1821) pag. 205.

****) *Huehuetlapallan, die grosse Urstadt Americas* &c. *Meiningen* 1823 pag. 55 cfr. pag. 33, 123.

†) Cfr. *Eddalæren* &c. IV, 109 & sq. it. Utsteini verba (*Háifs-Saga* Cap. 6):

Ek hefi hjarta	Est mihi cor
Hardt í brjósti	In pectore durum (firmum),
Siz mér í æsko	Id mihi juveni (infanti)
Ódinn framdi.	Indulsit Odinus.

††) Omnes Buddhisticæ relligionis sectæ Buddam ferunt fuisse summum mundi deum, sub humana specie in terrra nostra natum ac vitâ functum. Is, qvi hodie colitur, æras varias (sua nati-

tiâ, ut hi inter omnes mundi relligiones numerosisſimi eſſe cenſeantur *). Minime igitur miremur istam qvoqve inter antiqvisſimas ac latisſime promulgatas eſſe. Maximi sane momenti est in historiâ orbis nostri universali, & idcirco nos non pœnitebit pagellas hasce ei dedicasſe. Cogimur tamen, sine ulteriore Buddhismi perscrutatione (qvum nec tempus nec spatium vacent) ad Odinianam Scandinavorum relligionem citisſime reverti.

Hæc Odini agnomina occurrunt iu Edda antiqviore, suis qvidem locis in dictionario hocce explicata:

Aldafadir (Aldafödur),
Alda-Gautr,
Alfadir (Alfödr),
Angantyr,
Atridr,
Báleygr,
Biſlindi, Biſlyndi **)
Bileygr,
Bölverkr,
Farmatyr ***)
Fengr,
Fimbultýr,
Fiölnir,
Fiölsvidr,
Gagnrádr ****),
Galdurs-fadir *****)
Gángleri
Gángrádr,
Gautr,
Glapsvidr,
Grímir,
Grímnir,
Grímr,
Göndlir,
Háfi, Hávi,

vitate aut morte) apud varios Asiæ populos fundasſe fertur sic e. gr. apud Siamenses, Javanenses et Ceylonenses anno 542 vel 544 ante Christum natum, Tibetanos autem 959 & Sinenses 1027 vel 1036.

*) Vid. e. gr. *Dubois: Moeurs, institutions et cérémonies des peuples d'Inde* (1825) I, 137. Has de Votano disqvisitiones verbis illustrisſimi Alexandri Humboldtii concludimus (l. c. I, 383): *Nous avons déja fixé plus haut l'attention de nos lecteurs sur ce Votan ou Wodan américain, qui paroît de la même famille avec les Wods ou Odins des Goths & les peuples d'origine celtique. Comme d'après les savantes recherches de Sir William Jones Odin et Boudha sont probablement une même personne. Il est curieux de voir les noms de Boudvar, Wodansdag (Wednesday) et Votan designer dans l'Inde, en Scandinavie et au Mexique le jour d'une petite periode.*

**) Prioris nostra versio est tantummodo lectioni *Biſlyndi* adcommodata; aliam *Biſlindi* in Jovis ac Odini nominum comparatione explicare tentavimus.

***) Cum observamus Odini nomina *Farmatýr, Farmagud, Hléfreyr, Hléfródr* & plura, a multis nautarum gentilium eum cultum fuisſe constat. Sic non mirum Ermoldum Nigellum (Danos gentiles magnâ clasſe ad Rhenum loca vectos cautantem) ita de Danis ac eo cecinisſe:

Pro Deo Neptunus erat

— nisi Niordus hoc nomine indicetur. Vid. *Langebeck Script. rer. Dan.* I, 399.

****) Lectiones variantes promunt: *Gagnrádr* vel *Gángrádr.*

*****) Incantationum (sive originitus cantus, musices ac carminum pater). *Vegt. Qv.* str. 7.

Hángatyr,
Hár),*
*Harbardr***),*
Helblindi,
Herfadir,
Heriafadir,
Herian,
Herteitr,
Hjálmberi,
Hnikar,
Hnikudr,
Hroptatyr,
Hroptr, (Hróptr),
Jafnhár,
*Jálkr****),
Kjalar,
Ofnir,
Ómi,
Óski,
Rögnir (Ravgnir),
Sadr sive *Sádr,*
Sanngétall,
Sídgrani,
Sídhöttr,
Sídskéggr,
Sigfadir (Sigfödr),
Sigtyr,
Skilfingr,
Svafnir (Svofnir),
Svidr,
Svidrir,
Svipall,
Udr, Údr,
Vafudr,
Vakr,
Valfadir,
Vegtamr,
Veratýr,
Vidrir,
Vidurr,
Yggiúngr,
Yggr,
Þeckr,
Þridi (Þridji)
Þrór,
Þudr,
Þundr.

His addamus seqventia ex Edda juniore

---

*) Multa vocabula, Deo a variis orientis gentibus attributa, huic sonô conveniunt, e. gr. Pers. *Hur, Hoor, Chor* (de Sole) Ind. *Ha, Hara* (de Shiva) *Hari, Heri* (de Vishnuo) &c. Cfr. *Herian* s. *Harbardr, Háfi.* Conferri porro merent: Græco-latinum *Heros,* Lat. *herus* (dominus Germ. *Herr,* Scand. *Hari, Herra)* hinc lat. *hera,* it. "Ηρη *(Here)* de regina Deorum Junone &c. Deo, ut omnium entium summo, Alti sive Altisfimi epitheta plurimæ gentes addixerunt e. gr. Græci "υπατος, "υψιστος &c.

**) Addas articulo antecedenti eam observationem, qvod *Harbasp* inter Persica Dei nomina recenseatur; *Hyde de rell. vet. Pers.* Ed. 2. pag. 175.

***) Uti suo loco monstravimus vocabulum *Jálkr* (accusativo casu pronunciatum *Jaulk* vel *Yaulk)* eqvum etiam significat. Huc forte adferendum qvod Arabes veteres idolum *Jauk* vel *Yauk* sub eqvina formâ repræsentasfent; *Hyde* l. c. pag. 130. Idololatriam Indicam arabicæ admixtam fuisfe, pro certo habemus. Idcirco id qvidem notandum, qvod *Jina* (sive *Buddha),* Jainarum numen, interdum eqvi figura indicetur; *Colebrooke observations on the Jains. Asiat. Res.* IX, 305.

et variis Scaldorum reliqviis *) sumta:

Alldinn Gautr (vide supra pag. 548).

Allrâdr — ac sæpius:

Allvaldr, rebus universis imperans; *allvaldr aldar*, summus humani generis dominus.

Almáttkr (*áss*) omnipotens (Deus); in formulâ jurisjurandi veterum Islandorum, — qvod autem mox de Odino, mox de Thoro (â diversarum sectarum membris) dicendum fuisse videtur.

Ari hinn gamli, antiqva aqvila, cum tali forma appareret, gigantem Suttungum fugiens.

Arnhöfdi, capite aqvilino præditus, (ejusdem originis).

Áss, *Ás* (Asa) — Deus. — *κατ' εξοχήν* **).

Audunn a) Dives (Dis); opulentus b) vastator (ê qvorundam opinione). Usitatur adhuc in Islandia pro nomine proprio virili.

Bestlu sonr, filius Bestlæ vel Belstæ.

Biblindi, apes occæcans vel:

Býblindi, pagos, oppida vel habitationes obscurans.

Bifi a) movens b) aëreus ***), c) marinus.

Blindr cæcus, obscurus; cfr. *Géstr blindi*, *Helblindi*, *Herblindi*, *Gunnblindi*, *Tviblindi*.

Brandr, alioqvin a) torris, b) gladius ****), c) rostrum navale. Hic forte: *crematus* (in rogo) vel: *ignem emittens*. Est etiam adhuc in Islandia nomen viro proprium.

Brúni superciliosus (cfr. supra Saxonis et aliorum relationes de Odino sub Brunonis specie et nomine apparente) — ac seqvens qvoqve nomen:

Brúnn ater, furvus, fuscus, obscurus *****).

Borz-nidr, *Burar-bör*, *Burs arfbegi* } Boris sive Buris filius aut hæres.

Draugadrottinn, larvarum vel spectrorum dominus.

Drepsvarpr, lethaliter jaciens.

---

*) In diversis vetustis poematibus ac singulis cantilenis (insertis narrationibus vetustis, tam impressis qvam ineditis).

**) Vox ista alioqvin est interpretanda a) mons b) montis culmen (q. d. coryphæus c) ædis culmen d) trabs (columna, columen). Parallela in lingva Thracica et Moesogothica vocabula supra indigitavimus.

***) Cfr. *Bifindi* s. Odinum antiqvisfimis septentrionalibus aeris ac auræ summum numen fuisse alibi demonstravimus; is homini *spiritum* dedit et recepit, ac illius respirationem, vitæ perpetuum comitem, ita ipse direxit. Sic igitur non mirum, qvod gentiles Scandinavi, ut ex *Ol. Tr. S. S.* ed. Scalh. I, 219 concludere posfumus, cæsorum hostium, Odino ob victoriam ex iis reportatam dedicatorum pulmonem, respirationis instrumentum, ei specialiter obtulerint. Legimus præterea in vetustis Islandorum manuscriptis, qvod pulmo ex hominis membris olim fuisset Odino sacer, uti idem nos de Mercurio exterorum scimus, qvamvis hæc ad plauetarem (sive astrologicam) superstitionem præcipue pertinere videantur.

****) Martem sive belli summum Deum sub gladii aut acinacis figurâ Scythæ olim coluisse feruntur.

*****) Dicitur etiam de tempestate e. gr. in nota illa cantilena:

Ennibrattr, frontem arduam (sive altam) gestans.

Eyludr (sive *Eylúdr*) incertæ significationis; forte festinans — ut cognatum German. *eilen* (Dan. *ile* &c.)*).

Farmagud, numen vecturarum.

Farmavgnvdr, iter (aëreum) accelerans.

Fastridr, celeriter vel strenue eqvitans sive movens aut procedens.

Fiallgeigudr, terror montanus, sive montes obliqvo cursu pervadens aut invadens.

Folldardrottin, terræ dominus aut numen.

Forni, senex, priscus**).

Fornólfr, antiqvus (antiqvisſimus) Alfus sive Genius — vel (e var. lect.) *Fornölvir*, annosam cerevisiam promens.

Fráridr, discedens (cfr. *Atridr* s. *Fastridr*)***).

Friggiar frumver, *Friggiar fadmbyggvi* } Vid. *Frigg* s.

Gálga-gramr, *Gálgavalldr* } vid. *Hángatýr*.

Gángráðr (vid. supra — sub v. *Gagnráðr*).

Gapþrosnir (verisimiliter i. q. *Gapþrosknir*, ɔ: hiatum sive speluncam chaoticam *Ginnúnga-Gap* implens aut firmamentum cingens).

Gauta-spialli Gothos alloqvens (docens aut exhortans) vel etiam Gothorum confabulator sive amicus. Cfr. *Gautr* s.

Gautatýr, Gothorum Deus (Herodoti & Hesychii *Goitosyr*).

Gauti, Gothus****).

Geigudr a) Obliqvo cursu incedens b) terrorem incutiens.

Geira-drottinn, lancearum, hastarum sive framearum dominus aut director,

Geirlodnir, frameam continue sive firmiter tenens.

Geirtýr, Deus hastâ sive frameâ instructus *****).

Geirölnir, frameas nutriens sive inundans.

Géstumblindi hospitibus coecus aut obscurus; rectius (ut puto) *Géstr blindi* (Gestus aut hospes coecus). Vid. *Hervarar-Saga* l. c. Cap. 15. Cfr. *Gunnblindi* i.

Gimnir†) a) igneus, splendens vel b) Gemmis abundans.

Ginar, hians (spatiosus); de Cælo.

Báro brandaríri
Brún vedr at Sigtúnum.

*) Si præferas lectionem *Eylúdr*, tubam aut cameram denotasſet insularem vel insulas circundantem.

**) Cfr. *Saga Olafs Tryggvasonar* Ed. Skalh. II, 229 ubi Odinus, sub humana specie apparens, hoc nomen usitasſe fertur; occurrit tamen in antiqviore cantilenâ, *Knytlinga Saga* Cap. 14 & alibi.

***) Ventus viatori contrarius vel Deus illum dirigens vocari potuit *Atridr*, sed ipsum seqvens vel potius anteiens *Fráridr*.

****) Cfr. Buddhæ asiatica nomina *Gauda*, *Gautama* &c.

*****) Confer ea, qvæ supra adtulimus, de framea ut Odini attributo vel symbolo &c.

†) Idem fere ac alius *Gimir*, Skaldæ inter poëtica cæli nomina. Cfr. *Gimli* s.

Ginnir illusor (ê variante lectione *Grímnir*, de qvo supra satis tractavimus).

Gisfur, Gisfor, Gizurr, Gizr ignotæ significationis *).

Gods-jadarr, Divinitatis sive numinum margo, coryphæus aut summus apex.

Gollnir, *Gollorr*, *Gollúngr* } Hæc tria nomina auri productionem, possessionem sive exhibitionem indicant **).

Grani (*Síd-Grani*; in fabulâ Starchateri, sic verisimiliter â librario christiano immutata, *Hrofshârs-Grani*), i. e. barbatus sive labiosus, vel etiam crinitus aut radians — nisi deduci debeat â Scotorum sive Caledonum *Grian (Greine)* Sol. ***) Cfr. *Sídgrani*, *Sídskéggr*.

Gunnarr, *Gunnar* bellicosus, pugnax (Cfr. Onomasticon Edd. antiqv. T. II, it. *Gunnr* s.).

Gunnblindi, prœliaris occœcator; cfr. *Helblindi, Herblindi, Géstumblindi* p. p.

Hagyrkr 1) operator dexter, commodus vel utilis 2) in specie: elegans poëta.

Haptabeidir, Numinum provocator vel imperator.

Hapta-gud, numinum numen.

Hengikjöptr, ore (sive barbitio) pendulo aut demisso prœditus. Cfr. *Sídgrani Sidskéggr*.

Herblindi, populorum sive exercituum occœcator. Cfr. *Gunnblindi* s.

Hergautr, copiarum conservator, curator, protector.

Hertýr, exercituum Deus.

Hialdrgod, ningoris, procellæ sive sementis rarioris (transl. pugnæ) numen.

Hjarrandi, Hjarandi, axi sive polo inhærens aut gaudens. Ejusdem originis

---

*) Fuit olim nomen proprium virile, adhuc etiam Islandis usitatum. Dicitur etiam proverbialiter de viro qvovis ostentatore sive magna moliente. Confer fabulosos plures orientis heroes (qvoad nomen fere consonum) ut Arabum et Persarum *Khisr*, *Khizer*, Mongolorum *Ghessur*, *Gessur*, Indorum *Gisnu* (victor — ut Dei Vishnui agnomen) p. p.

**) Is dat et solvit
Meritis aurum
ut Freya Hyndlam docuit. Cfr. auream Deorum ætatem, Odini auro radiantem galeam ac loricam, splendorem Valhallæ; illius in reconditos thesauros dominium &c.

***) Cfr. *Grani* (rectius forte *Gráni*) in onomastico T. II. Hic noster Granus (sive Granius) idem forte fuit ac variorum Europæ populorum Apollo Grannus sive *Γραννος*. Crater speciosus æneus, ei dedicatus, a viro Romano, Aemilio Constante, ipsius templi præfecto, inventus est in Weatmannia Sveciæ 1818. Cl. *Hallenberg*, in doctissima de hocce cimelio disqvisitione, monstravit Grannum cultum fuisse apud Alemannos (circa a. Chr. 229), Germanos alios, Dacos, Italos, Gallos et Scotos. Observavit seqventia huc pertinentia vocabula: in latinitate medii ævi *Grana* sonuit crinis discriminatus (jam Svecis *grenad hår*); *Granones, Grani* in legibus medii ævi indicant mystacem vel barbam discriminatam &c., Isl. *Granir*, in leg. Scan. *Grane*, Belg. *Graan*. Apollo a Syris, Siculis & pl. barbatus est repræsentatus. Ara, Apollini Granno dedicata, reperta est in vicinia Edinoburgi (*Transact. of the Soc. of Ant. of Scotland*, Vol. I, Part. I, 1818 pag. 164). *Hu* ut coeli & solis Deus a Britannis (Cambricis) *Grannawr* fuit appellatus.

est vox antiqva *Hjarastjarna*, stella polaris *).

Hléfreyr maris dominus aut Deus; navitis malaciam indulgens, vel *Hlæfreyr*, mitis aut jucundus tutor &c.

Hléfródr, *Hlæfródr*, maris peritus i. e. nautis viam monstrans sive docens.

Hlidskjálfar-gramr, Rex Lidskialfæ præsidens.

Hlidskjálfs-harri, Lidskjalfæ dominus.

Hrafnagud, corvorum numen; Deus (aëris) corvos sibi adsciscens**).

Hrafnfreistadr, corvorum tentator sive examinator.

Hrammi, *Hrami*, raptor; pedibus ungulatis (sub aqvilæ specie) præditus. Alludit forte ad vim tempestatis, cælitus emisſæ.

Hrani; sic Odinus ipse, Rolfum Krakium excipiens, se nuncupari dixit.

Hrjódr consternens, diruens, devastans. Invenitur alioqvin in Skalda inter cæli poëtica nomina.

Hrosshárs-Grani, vid. *Grani* s.

Hrostahilmir, cerevisiæ princeps vel auctor aut protector.

Hvatmódr, animo audaci impetuosus.

Hvedrúngr (q. d. *Vedrúngr*) i. e. tempestatis effector. Alioqvin occurrit ut gigantis agnomeu sive vocabulum.

Jálfadr, obscuræ significationis, forte idem ac *Jálmadr* strepens aut streporem efficiens.

Jardar-gud terræ numen sive Deus — (ut Coelus Telluris maritus).

Jólfadir, Jolensis festi (solstitii hiberni aut anni solaris) pater ***); cfr. *Alldafadir* s.

Jólnir, ejusdem fere significationis, vel etiam conviviorum festivorum præses, unde qvoqve dii conjunctim *Jólnar* (in plurali numero) appellantur.

Jórundr, *Jörundr*, pugnas adamans (a *Jóra* prælium &c.) vel etiam, ê lectione variante: *Jörmunr*, qvod vertendum videtur: Telluris amator sive amasius ****).

Lángbardr, a) longo clypeo sive hastâ (vel, ut alii volunt, barbâ aut securi) præditus b) forte etiam Longobardus *κατ' εξοχην*, ut illud *Gautr* (Gothus) per nationalem cultum aut fictionem.

---

*) Cfr. Glosſ. Edd. ant. T. III, in voce *Hjarar*.

**) Vide *Hugin*, *Munin* s. Corvus Odini ipsius emblema vel signum evasit, a Danis qvoqve gentilibus in regni vexillo repræsentatus. Corvi præterea sagacitas adhuc ab Islandis & Norvegis magnopere laudatur.

***) Sic etiam hasta (verisimiliter Gungner, Odino propria) vocatur *Jólsmidi* i. e. opificium tempore Jolense (vel ejus gratiâ) fabricatum. Numne hic originitus alludatur ad solarem radium aut ignita cæli arma, qvæ solis calore produci fingebantur? Illo nomine præterea insigniri potuerunt hastæ calendares, qvæ baculi runici vulgo appellantur.

****) *Jörmunr* illud, si rite ita legendum, comparandum foret cum Germanorum *Ermen*, *Irmen* &c. si Deus qvisqvam sic fuisſet nuncupatus. Cfr. *Jörmungrund* s. Nomen *Jörundr* hodiedum in Islandia pro proprio virili usurpatur.

Lavndúngr, Löndúngr, terras sive regiones amplectens vel obiens (de Coelo ita apparente dictum).

Mimsvinr, Mimeris amicus. Vid. *Mimir* s.

Nikar, verisimiliter idem ac *Hnikar* s.

Njótr, fruens (forte: sacrificiis vel mulso Suttungiano, nisi etiam ad varios ejus amores agnomen illud certum habeat respectum).

Ólgr, æstuans, tumidus; legunt alii *ölgr* inebriatus — qvæ ambo epitheta ad ejus circa potos exhilarantes efficaciam ac in conviviis præsidium alludere videntur.

Ragnadr, Rögnudr, numinum princeps.

Rúnhöfdi, Runarum (scripturæ et arcanarum scientiarum) auctor.

Sigarr, Sigar victor (alioqvin nomen virile, celebri vetustatis Regi proprium).

Sigautr (vel *Siggautr*) a) semper Gothus aut felix G. sive b) assidue vel feliciter servans aut c) observans *).

Sigdir falcem gestans (qvâ instructus Baugio serviit & sic messorum patronus evasit) **).

Sigmundr, Victoriam aut felicitatem tenens sive indulgens ***).

Sigr-höfundr, victoriæ aut felicitatis auctor.

*) Cfr. Buddhæ agnomen *Sugata* ipsi ab ejus cultoribus attributum.

**) Odiniani cultus reliqvias partim prodere videntur variæ ceremoniæ a messoribus in messis fine peragi solitæ, in Dania, Germania ac alibi, e. gr. memorabiles illæ qvæ descriptæ sunt a Carolo libero Baroni de Münchhausen, in Gräteri *Bragur* VI, 21 & sq. Usitabantur ad dies usqve nostros in Schaumburgiæ Westphaliensi comitatu (olim a Cheruscis & Angrivariis inhabitato). Ultimo messis die messores falces erigunt ac cotibus ter ternos ictus illis injiciunt; libant præterea numini cuidam ignoto, liqvoris potati reliqvias in terram effundentes, pileos vibrantes vel in aëra sursum projicentes ac alta voce exclamantes: *Woold, Woold, Woold.* Mulieres interea panis frusta e corbibus agro immittebant. Messores domum tendentes cantilenam huic occasioni antiqvitus destinatam canunt, qvæ ita incipit.

Woold! Woold! Woold!
Häven-Hüne weit wat schüht,
Jümm hei dal van Häven süht,
Vulle Kruken un Sangen hät hei
Up en Holte wäst mannigerley;
Hei is nig barn un wärt nig oold,
Woold! Woold! Woold!

o: — Gigas [sive heros, deaster] cælestis noscit (qvævis) eventa,
Semper is è coelo (terras) despectat,
Plenos crateres & mergetes is habet,
In sylva (vel monte) permultæ species crescunt,
Ille nec infans [vel natus] est, nec senescet;
Woold! Woold! Woold!

Si hi ritus negligantur, proximo anno nec foenisecium nec frugum perceptio feliciter eventuræ creduntur.

***) Conferatur Gallorum *Segemon*, qvod Martis apud eos nomen fuisse fertur (sed *Sigiami* apud

Sigrunnr, triumphator (vel etiam felix cursor).

Sigtryggr, fidus victoriæ amicus (vel donator) *).

Sigþrórr, victor validus sive victoriam fortiter efficiens.

Skollvaldr, a) luporum dominus b) in sublimi versans vel versari faciens.

Svidudr adurens; cfr. *Svidr*, *Svidrir* s.

Svolnir, *Svölnir*, obscuræ significationis; forte q. d. *Svolgnir* deglutiens, avide hauriens.

Tveggi, duplex vel secundus; cfr. *þridi* s.

Tvíblindi, bis cæcus vel duplici modo cæcutiens aut occæcans. Alludit forte ad Solem & Lunam ut Coeli oculos, qvibus Odinus ita sæpe destitui videtur — vel etiam ad duplicem ejus (nocturnam & hiemalem) occæcationem **).

Úlfsbagi, lupi (Fenreris) adversarius.

Ungr, juvenis (crescens, adultus).

Vagna-runni, curros agens vel cursare faciens.

Valgautr a) e cælo vel etiam b) stragem observans aut servans.

Valþavgnir stragem accipiens.

Vetmímir, *Vedr-Mímir* — &:
Vidr-Mímir humoris & tempestatis auctor

Víflingr, confundens, illudens.

Vilia bródir / *Vilis bródir* } frater Vilii.

Vingnir, incertæ significationis; forte tamen q. d. *Vængnir* alatus vel taliter aëra pervolans.

Ymr, altisonus, streperus ***).

Yrúngr, pluvius, pluens.

þídr, *þýdr*, mitis, lenis, tepidus.

þrasarr, contentiosus; tumultuosus.

þroptr, incertæ significationis.

þrúdr, fortis, validus.

Præter nomina illa, ex ipsis poëtarum gentilium cantilenis desumta, plura sunt a viris doctis notata, qvæ me non invenisse recordor ****). Alia videntur Odino esse imposita ab hominibus christianis, qvi in illo tantum viderunt malum dæmonem, cædes ac bella cientem, et ita in somniis apparentem, cum talia prænunciaret eventa *****). Sic qvoqve in Norvegia, ducentis post gentilismi abolitionem annis (1208) Odinus sub proprio nomine ita apparuisse fertur: "Faber aliqvis fer-

---

Birmanos) nec non Tibetanorum & Mongolorum *Sjigemuni (Schigemuni)*, qvo Buddha certe insignitur. — Inter Scandinavos *Sigmundr* evasit nomen viris proprium, uti etiam Germanorum *Sigmund (Siegmund*, Sigismundus) &c.

*) Nomen etiam viris proprium, e. g. ab Ostmannorum (sive Scandinavorum) in Hiberniam ingressorum principibus usitatum.

**) Cfr. tamen ea qvæ supra de Noricorum Tibileno adtulimus.

***) *Imr* alibi occurrit ut gigantis vocabulum.

****) Ex. gr. à viro doctissimo, Johanne Olavio Hypnonesiensi, in Glossario operis: *Om Nordens gamle Digtekunst*, hæcce duo *Svegdir*, *AEski*.

*****) Ex. gr. in *Sturlúnga-Saga* variis locis: *Faraldr* (pestifer); *Vigúlfr* (lupus cædium); *Kárr* (tempestuosus) p. p.

rarius (Thordus Vellir nominatus) Nesiæ *) habitabat. Accidit ante festum Jolense, ut vespere vir accederet eqvitans, qvi hospitium sibi, soleam eqvo suo fabricandam, expeteret. Promisit homo id se facturum, surrexitqve longe ante lucem, ferrum cusurus. Qværit faber: ubi priore eras nocte? Medaldaliæ, respondit hospes, ea autem in Thelemarkia septentrionali sita erat. Qvæsivit porro faber ubi (proxime) præcedente fuerit nocte; in Jardalia, inqvit ille, in parte Rygefylkiæ aqvilonari. Tum faber: tu vero, inqvit, egregie mendax es, nam tantum viæ nemo uno die emetiri potest. Perrexit ille cudere, verum opus non ex voto succesfit, atqve ut nunqvam antea sibi accidisse fatebatur. Subjecit hospes: ipsi operi suum eventum relinqve; tum solea longe major, qvam qvalem antea viderat, evasit. Eqvo inducta perbene qvadrabat; sicqve illum calceabant. Tu vero, ait hospes, vecors et insipidus vir es, qvi de nulla re me qværas. Qvid ergo hominis es, regerit faber, unde venis et qvo tendis? Respondit ille: a septentrionalibus partibus veni, sed in Norvegia **) diu sum moratus, jamqve ad orientalia in Sveciam pergo; longo tempore navalia feci itinera, at nunc aliqvamdiu eqvitando adsvescam. Qværit Faber: ubinam pernoctare cogitas? Ille regesfit: in orientali Sparmarkiæ parte. Tum colonus: tu vero non segniter mentiris, nam istam viam vix septem diebus eqvitando absolves. Eqvum inscendenti hospiti dixit faber: at qvis es? Num qvid, inqvit ille, de Odino inaudivisti? Fando certe relata de eo qvædam accepi, respondit rusticus. Hic ergo, inqvit hospes, eum videbis; siqve verbis meis diffidis, attende, qvando eqvum meum supra septum impello. Eqvus saltu resumto calcaribus ab insessore stimulatus, per septum transfiliit, ita ut, licet septem ulnarum altitudinem hoc haberet, tamen ne minimum qvidem tangeretur, nec amplius ille, qvi ita in aërem evanuit, fabro adparuit. Deinqve Rex Sorqverus Rexqve Ericus ***) Lenri post qvatriduum manus conseruerunt" ****).

Circa eadem tempora Islandi Christiani Odinum accipiebant pro malo dæmone,

*) In promontorio *Nesiar* olim dicto, ad ostium sinus qvi hodie *Skeensfjord* appellatur. Villa fabri *Pislir* (sive *Fisle)* nuncupatur.

**) Ubi nempe bella civilia diu grassata fuerant.

***) De regno Sveciæ contendentes.

****) Hkr. l. c. IV, 360, 416, *Saga Inga Bárdarsonar* Cap. 20, collata Clausenii (ex alio vetusto codice) Danica versione. Odinum olim in Norvegia cultum fuisse monstrat inter alia *Þáttr Finns oc Sveins (Saga Ol. Tr. S.* ed. Havn. II, 154) ubi Sveno, templi antistes, Odinum, in eo inter plura idola repræsentatum, victoriæ præesse filium diligenter edocet; postea hic in Dania christiana se ut alios Norvegos in Thorum & Odinum, multis facinoribus claros, credere profitebatur (ibid. p. 156). Cfr. porro de symposiis Odino in Norvegia sacratis Ed. Scalh. I, 58. In Raumericia Norvegiæ, anno 1331, ingens prædium retinuit antiqvissimum nomen *Odenshof* o: i. e. Odini templum, ut in diplomatibus legimus.

perversa consilia et impia proposita humanos animos inflante. Sic qvoqve iniqvos et fraudulentos homines cum Odino comparabant, e. gr. Gisfurum Comitem, qvi primus insulam Norvegiæ Regibus vi ac dolis subjecit, Odini insuper agnomen, ut sibi proprium, gestantem *). Exemplum simile, ejusdem periodi, nos supra de Snorronis Sturlæi in Gautum Norvegum acri epigrammate adtulimus. Ob easdem causas Thorbjarga, Pauli sacerdotis Reikholtensis uxor (anno 1180) Sturlam Hvammensem, illius adversarium, altero oculo cultello demere tentavit, his verbis adhibitis: "Cur te non simillimum redderem ei, cui tumet simillimus evadere studes, Ódino nimirum ?" **). Gliscente tempore Ódini nomen pro diaboli ipsius in Islandia usitari cæpit, unde phrases hæce, adhuc plebejis in usu: *Far til Ódins* ***) o: eas ad Tartara! *Ódinn egi þig!* o: O te accipiat! qvæ olim contrariam invexere sententiam. Correspondent iis aliæ e. gr. *hvaða Ódins látum!* (de tumultu insolente dicta) &c. Avis qvædam Norvegica et Islandica, (tringa minima vel phaleropus cinereus) inqvietæ indolis, lacubus innatare solita, adhuc vocatur Danice *Odensfugl, Odenshane,* Islandice *Ódinshani* o: Odini avis aut gallus gallinaceus ****).

---

*) Sic de eo cecinit Sturla Thordi filius (*Sturlúnga-Saga*, ed. societ. liter. Island. I, 297):

Rauf vid randastýfi,
Rétt innik þat, svinnan
Allt, því at oss hefir vælta
Ódinn, þat er hét gódo.
o: Erga honestum virum
Optima cuncta læsit promissa,
(Veritati congruentia refero)
Nam Odinus nos decepit.

**) *Sturlúnga-Saga* l. c. I, 101.

***) In qvibusdam etiam Sveciæ provinciis: *Far till Oden* — e testimonio cl. Geijeri, *Svea-Rikes Häfdar* I, 267.

****) Dr. Gislaus Brynjulphi, nostrarum antiqvitatum peritissimus, reperit in vetusta inter Arnæ-Magnæanas membrana (No. 234 in 12) magicam exsecrationem Islandica lingva conscriptam, ubi gentilis superstitio christianæ miscetur. Invocantur nempe Thor & Odin, Frigga & Freya unacum Enoch & Helia, Christo & Maria, ut tesserarum ludum oranti feliciter evadere faciant — addito in fine hemistrophio, ethnicæ, sine dubio, originis:

At þú Fiölnir!
Falla látir
þat er ec kasta kann.
o: Ut tu Fjölner (Odine)!
(Jactum eum) cadere cures
Qvem (felicissimum) jacire potuero.

In cantilenis Færoensibus, qvæ partim de Eddæ heroibus agunt ac adhuc ab incolis illarum insularum canuntur, Odinus appellatur *Euan;* e. gr. in unâ, qvæ de Alfi (sive Halfi), celeberrimi piratarum Norvegorum ducis, incendiaria cæde agit. Eventa eadem (in *Hálfs-Saga* Islandorum relata) celebrantur in cantilenâ Svecica medii ævi, ubi *Odin* invocatur & *Asa-Grim* præterea salutatur, uti nos (ad artic. *Grímnr*) supra observavimus *).

Venationes Odini ac Asarum vel Einherorum, ad qvas HQv. II, 37 **) aperte alludit, non sunt hodierno Sveciæ vulgo ignotæ; putat enim Odinum, Novembri ac Decembri durante, nocturno tempore venatorum per aërem ducere catervas, cum sonum qvendam, venatico ululatui non absimilem, edere solent aves certæ maritimæ, meridionalia climata eo tempore petentes. Plebejl, illa opinione adducti, hoc phænomenon nominant *Odins Jagt*, qvam etiam in Germania Mecklenburgensi vulgo ad nostros usqve dies creditam fuisse supra notavimus. Ea occasione olim Sveci dicere solebant: *Odin far förbi* (jam Odinus prætervehitur)***). Nocturnam hanc Asarum eqvitationem rustici Norvegici adhuc appellant *Aaskereja*, veteri, ut puto, sermone *Ásgodreid, (godreid)* i. e. Asarum divinum eqvitatum, qvi jam a malis dæmonibus effici creditur****).

In Orcadibus, jam Britannico sceptro subjectis, ac insula qvidem *Shapinshay*, adhuc monstratur atra Odini petra *(the black stone of Odin)* insignis foramine, cui incolarum qvidam superstisiosi manus junctas immittere solent, juramenti loco, cum solenne aliqvod ac mutuum

*) Videas cæterum *Svensk Literatur-Tidning* 1819 pag. 671-672.

**) Osfianus variis locis memorat aut describit venationes heroum Valhallensium aut Odinianorum (Odinum appellans *Cruth-Loda* sed Valhallam Lodensem aulam, Macphersonio *Hall of Loda)* ut in nostris ad illum commentariis deducere tentavimus.

***) Geijer l. c. I, 268 secundum Loccenii Antt. Svec. Cap. 3, & Nilsfon *Faun Scand.* II, 106, ubi vocabulum explicatur *Asernes Färd* i. e. iter sive procesfio Asarum.

****) Vid. *Wille Beskr. over Sillejords Præstegj.* p. 252. Putantur hi olim fuisfe mali homines, qvi peccatorum pœnis ita afficiuntur, candentibus ferris onerati &c. Anteriore formâ sunt aspectu grandes ac speciosi (ut Dani idem de Alforum puellis referunt), non autem posteriore. Pro primariâ inter eos habetur matrona qvædam dicta *Guro*, cognomine *Rysfe-rova* (a caudâ longa) qvam eam gestare fabulantur. Est forte eadem persona ac spectrum Scotorum, vulgo *Gyre Carling* appellatum. De apparitione Gudrunæ Giukii filiæ (eddicæ heroinæ) miraculose eqvitantis, è visione puellæ Islandicæ anno 1255, curiosam narrationem exhibet *Sturlúnga-Saga* l. c. III, 252 & sq. Omnes tales procesfiones in Norvegia, Svecia & Germania præcipue circa vel ante festivum Jolense tempus spectari solent. Ejusdem farinæ sunt superstitiosæ eæ dæmonum venationes qvæ in Dania dicuntur: *den vilde Jagt, Gröns Jagt, Volmars-Jagt* p. p., in Germania *die wilde Jagd*, in Anglia venatio Arthuri &c. Has et plures populares traditiones (ex Gallia et Helvetia) notavit Thiele noster: *Danske Folkesagn* I 188, II, 145.

pactum (e. gr. matrimoniale) ineunt & tale promissum Odinianum vocatur *).

Multa etiam in nostro septentrione loca Odini nomen adhuc retinent, ut ex aliqva parte supra notavimus. Addimus hæcce, qvæ in Dania vetere, medio ævo durante, usitata fuisse novimus: *Othenshylle*; *Wodenskulde* (unde posterius *Onsild*, *Vonsild*); *Othenslöf*, postea *Onslev*; *Odensberke*, *Odenbul*, *Othensele* **) (cui respondet *Ódinssalr* in prisca Norvegia); in Scania, veteris Daniæ parte, inveniebantur *Othensvara*, *Othenströ*, *Othinsherred* ***). In Norvegia (præter supra memorata *Ódins-Salr* & *Odenshof*) olim nominabatur regio qvædam (in meridionali regni parte) *Ódinsey* (*Hkr.* IV, 348) qvod nomen etiam retinuit in diplomate anni 1472; seculo 17^mo^ idem locus dicebatur *Onsö* et hodie qvoqve (in vicinia oppidi *Fredrikstad*) ita appellatur. In Svecia & Gothia adhuc nominantur *Odensala*, *Odensberg*, *Odensbacka*, *Odenskulla*, *Odensvi* ****), *Odensaker*, *Odensflisa*, *Odenshög*, *Odenskrubba*, *Odenskirka*, *Odensö*, *Odensjö*, *Odensfors*, *Odenskälla*, præter plura; in Livonia ac vicinis regionibus *Odensholm*, *Odenpoa* & pl. in Finlandia *Odensaari*, in Germania *Odenheim*, *Odenwald*, *Odenberg* *****) p. p.; in Anglia olim *Wodnesdike* p. p. De ipsius numinis nomine cfr. porro Gloss. Tom. I & II sub voce *Óðinn* vel *Ódinn* (*Óðinn*).

De prisca Odini significantia ut directore anni solaris ac singulorum ejus mensium & hebdomadum, sed in specie zodiacalis illius signi, qvod aries nobis audit ac mensis ei proprii, verno æqvinoctio incipientis, alibi disqvisiimus †). Hic in Islandia olim dictus fuit *Ódins-mánudur* (Odini mensis) sed jam vulgo (post christianismum introductum) *Ein-Mánudr* (o. mensis unus, solus aut unicus, forte præstantisfimus) uti vocabulum unus Rusfis adhuc *Odin* dicitur sed Islandis

*) *Promise of Odin, a promise of marriage or particular sort of contract, accounted very sacred by some of the inhabitants of Orkney, the contracting parties joining hands through an orifice in the black stone of Odin. Jamieson Scott. Dict' in v. Odin.* Cfr. *Gazetteer of Scotland* ad v. *Shapinsay.*

**) *Langebeck Script. rer. Dan.* T. VII, *(Kong Waldemars Jordebog* sive recensus fundorum Daniæ, regnante Valdemaro).

***) *Suhm om Odin* p. 52.

****) o: Odini sanctuarium sive templum. Loca ejus nominis (Othiniæ Danorum olim etiam proprii), reperiuntur adhuc in variis Sveciæ provinciis e. gr. *Westmanland*, *Småland & Öland.*

*****) Mons *Gudensberg* in Hasfia olim dictus fuit *Wudenesberc*, *Wuodenesberg.* In ejus vicinia ante plures annos inventi sunt aliqvot aurei nummi, ignotæ originis, qvi vulgo *Iridis patellæ* appellantur. Cfr. *Mone* l. c. II, 154 & sq.

†) Cfr. supra hunc art. ut et artic. *Alfödvr*, *Gladsheimr* p. p. it. *Den ældre Edda* I, 148 & sq., 155 & sq., 206-210. *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 338 & sq. III, 243 & sq. Attinis phrygicum festum ipso verno æqvinoctio olim fuit celebratum. Tunc ejus simulacrum ex pinu suspendebatur. Cfr. *Háva M.* 141.

Einn, Ein &c. Ultimus ejus mensis et ultimus totius hujus semestris dies, sed primus epactarum & primus anni solaris (post solstitium hibernum) dies Odino, secundum priscum Islandiæ calendarium, semper fuerunt sacrati. Hodie et in Svecia et in India Odini vel Buddhæ dies pro infelice habetur; forsitan propter numinis, olim culti, relligiosam abominationem, populo a primis novi cultus fundatoribus inditam.

Ódr (Óþurr, Ódur) maritus Freyæ, qvæ ejus virgo (amasia aut uxor) dicitur *VSpá* 23. De eo ita agit Edda junior (l. c. pag. 37); "Freya (inter Asynias) Friggæ est dignitate proxima. Nupsit autem viro qvi Odur appellatur; horum filia Hnossa adeo nitida est, ut de ejus nomine res nitidæ et pretiosæ *(hnosfir)* sint vocitatæ. Odur peregre per longas vias profectus est, Freya vero remanens luget, ac ejus lacrymæ auro rutilante constant. Freyæ multa nomina sunt indita; id autem in causa est, qvod varia sibi nomina, Odurum inter gentes ignotas perqvirens, adplicaverit." In *Skálda* (pag. 109) Freya dicitur Oduri uxor *(kona Ódz)*; porro in cantilenâ Einaris Skuliani (pag. 134) ipsa Oduri cubilis amica particeps appellatur. De auri denominatione, ut Freyæ lacrymis, ibidem amplius disqviritur. *Ynglinga-Saga*, qvæ Eddarum relationes boreali historiæ continue adaptare tentat, ita (Cap. 13) refert de Freya, ut sacrorum ac regni post Odini mortem in Sveciâ antistite: "Freya erat ingenii admodum versatilis. Odur dictus est ejus maritus, filiæ autem *Hnoss* et *Gersémi*, qvare earum nomen referunt res pretiosisfimæ." Guthormus Sindrius, gentilis Norvegiæ poëta, circa medium seculi decimi, Freyam ut Oduri uxorem carmine celebravit*).

Plures mythologi Odurum (sive Ódum) cum Adonide, Freyam cum Venere comparaverunt**), qvæ certe non omni ratione destituta videntur. Unum Freyæ nominum nostratibus olim *Sýr* audiit, multis ab orientalibus populis Veneri inditorum nominum non absimile***); sic igitur hæc Ciceronis dicta observatu digna evadunt: "Qvarta (Venus) *Syria* Tyroqve concepta, qvæ *Astarte* vocatur; qvam *Adonidi* nupsisfe proditum est"****). Ejus ob Adonidis carisfimi ut Isidis ob Osiridis lethum acerrimus fletus (qvi pro annuo Telluris ob Solis abitum moerore vulgo explicatur) mythologis est notisfi-

*) Vid. *Hkr.* ed. Havn. I, 16, 151-152, VI, 25.

**) In primis *Rudbeckius, Atlant.* II, 406 et alibi. Cfr. *Kanne Allgem. Mythol.* pag. 171.

***) Venus planeta Aegyptiis ac pl. *Surot* audiisfe fertur, at vox *Sairi* in eorum lingva concubitum denotasfe *(Jablonsky Panth. Aegypt.* III, 208. *Hermann Handb. d. Mythol.* III, 90). Arabibus *Zuhra* vel *Zorah* dicitur. Indorum coelestis Venus, Lakshmi vulgo dicta, alio nomine *Sri* (vel *Siri)* insignitur. Plura supra suo loco adtulimus.

****) *Cicero de natura Deorum*, III, 23. Cfr. *Macrob. Sat.* I, 71. Græcis audiit Ἀσταρτης.

mus. Syrorum ac Phoeniciorum Astarten ab accolis Ponti Euxini & Mæotidis paludis (unde nostri Gothici propatres boream petiere) sub Astaræ nomine cultam fuisse, jam ê celeberrimi Koehleri lucubrationibus pro certo habemus. Freya nostra *Ástardis* (Runice Astartis) ɔ: i. e. amoris dea aptisſime appellari potuit, eodem sensu ac *Ástargod* (amorum numen) qvod qvidam Skaldæ codices manuscripti expresſis literis adserunt. Hinc etiam verisimiliter Saxonum *Ostar*, Anglosaxonum *Eastra* et alia similia Deæ ejusdem aut saltem cognatisſimæ nomina *). Vocatur autem Freya præterea *Vanadis* & sub eo nomine a Tanaidis accolis præcipue culta fuisſe fertur a nostris auctoribus, ut ipsa dicta Astarte, qvæ porro eadem certe fuit ac Persarum, Chaldæorum & Bactrianorum *Anaitis, Anais* sive *Aphrodite Tanais* **).

Nomen *Ódr* variis modis e lingvæ veteris borealium indole explicari potest, unde etiam plures ejusdem mythi interpretationes sunt desumtæ, hæ nimirum 1) *Ódr* s. olim significabat rationem, intellectum; sic qvidam Freyam, ut amoris Deam, rationis esſe expertem sed eam tamen qværere ac ejus absentiam lugere conjiciunt. 2) *Ódr* adj. insanum, furentem vel rabidum denotat, ut alii amorem describunt, ac Freyam ei nuptam et istius rabiem sollicite qværere ajunt***) — ut cætera taceamus. Nostram de Oduro ut Sole sed ****) Freya ut Lunâ illum qvæsitante sententiam supra adumbrare tentavimus in artic. *Freya* *****).

Ódreyrir (Ódrerir, Ódhrærir, Óþrærir) lebes sive amplum vas, continens pretiosum merum, cujus potu hausto, miris carminibus simul instructus, auctor capituli runici — (e mea sententiâ aut infans Odinus aut ejus humanus mysta vel sacerdos) cæpit efflorescere, multiscius esſe, crescere ac se bene habere — ut verbum ex verbo ac factum ex facto sibi adqvireret, Runas aut literas et scientias mysticas simul rite discens ac ediscens; *Hávæ*

*) De rebus hisce uberius supra, in artic. *Freya*, commentati sumus. Addimus tantummodo qvod mos ille antiqvisſimus, qvo ova paschalia vicisſim donantur, vel saltem solenniter distribuuntur aut comeduntur, ovo ut Veneris ac Freyæ non inepto symbolo primam suam originem debere videatur. Astarte Phoeniciis etiam audiit Astroarche (Herodian. V, 6).

**) Clemens Alexandrinus (Protrept. Sect. 5) refert ex Berosi Antiqvitatibus Chaldaicis, qvod Rex Artaxerxes, filius Darii Ochi, statuas Aphrodites Tanaidis in Babylone, Susa, Ecbatana, Perside, Bactra, Damasco & Sarde erexisſet, ut a populo relligiose colerentur.

***) *Mone Gesch. des nord. Heidenth.* I, 402.

****) Orphici hymni (præsertim 55tus) Adonidem pro Sole accipiunt. Is qvoqve ibi vocatur δαιφρονοτιμος, ut idem certe nomen Oduro nostro summo jure est attribuendum. Cfr. hymn. 54 (de Venere eum diligente).

*****) Cfr. Eddæ antiqvioris versionem Danicam I, 226-227.

M. 143-145 & sq. *). Odinus in terras mortalibus habitabiles sustulit Odrererem (e periculosa sua ad Suttungi subterraneas caveas expeditione reversus) *Hdv. M.* 108 (cfr. 106, 111). Asis futurorum insciis ac fata explorare cupientibus obstat potentior Urda (Norna sive Parca principalis) ad Odrereris, sapientiæ lebetis, custodiam constituta *Hr. G.* 2.

Qvæ de Odrerere, ut lebete sive vase, cum duobos aliis (Bodna & Sona sive sono) mulsum poesëos continente, ac de Odino, Suttungum gigantem et ejus filiam Gunladam visitante exhausto, Edda junior et Skalda ei adfixa continent, nos supra exhibuimus in artic. *Gunnlöd* & *Ódinn.*

Nomen ipsum, pro variis scriptionis modis, varie erit explicandum. Si nimirum legas 1) *Ódreyrir, (Ódreirir)* significabit aut α) ingenium, aut etiam β) eum, qvi carmen sive poësin ligatem coarctat vel colligit (aut continet) — si autem 2) *Odrærir;* erit ingenii vel poeseos motor aut excitator. Vas secundum eidem usui inserviens dicebatur *Bodn* i. e. annuntians, invitans aut undans, tertium autem *Són* i. e. sonus (cantus). Allegorica illa fictione *inspiratio*, ipsa *poësis* at ejus *recitatio* non ambigue distingvuntur**). His non sunt absimiles mythicæ Britannorum propriorum de Dea Ceridwen (Gunladæ respondente) ac ejus lebete fabulæ, qvibus etiam addendum, qvod Bardorum discipuli, vino ac mulso adhibito, sacris eorum mysteriis initiarentur.

Ofnir (textor sive angvis) nomen Odini *Gr. M.* 53. Vocabulum istud deducendum esse videtur a verbo *vefa (óf, ofinn* &c.) texere ***). Occurrit ut angvis mythici denominatio *Gr. M.* 34 (et alias poëtice

*) Neophyti hujus suspensio ex arbore, vulneratio, jejunium, potus ex Odreyrere (vase vel cantharo) haustus & seqvens disciplina, alludere partim videntur ad tentamen illud qvod pueri vel adolescentes inter multas gentes olim sustinere solebant, prius qvam in virorum classem vel coetum reciperentur. Hæc ceremonia certo modo pro secunda nativitate vel regeneratione qvâdam est habenda, et cum primo igitur partu mystice sive symbolice comparanda. Sic Brachmanes, disciplinâ sui ordinis absolutâ, se *regeneratos* appellant. Omnes fere Americæ populi adolescentes & qvoslibet candidatos (et ducalis et sacerdotalis aut propheticæ dignitatis) gravissimis tentant vexationibus, ut suspensione ex arbore, plagis & vulneribus, jejuniis & potus inebriantis haustu, præter aliam adhibitam disciplinam. Puer, in virorum coetum recipiendus, hoc tentamine absoluto, vitam puerilem anteactam penitus oblivisci sed omnia et plura jam ex novo discere tenetur, uti nihil antea scivisset. Potus ille cum letheo haustu aptissime potest comparari & simul cum illo qvi in mysteriis (apud Aegyptios, Persas, Græcos & Romanos usitatis) neophyto initiando propinabatur, ut alias similes circumstantias taceamus.

**) Ingeniosam hanece observationem in primis debemus Dno. Torfio Johannæo, Præposito ac parocho Breidabolstadensi in Islandia; Cfr. Eddæ ant. vers. Dan. IV, 270.

***) Cfr. tamen Gr. *οφις* angvis, & mythicum illum Ophionem, qvi e Zoegæ & pl. opinione coelum originitus allegorice significavit. Orphicæ cosmogoniæ norunt primitivos qvosdam dra-

qvemvis angvem denotat (e. gr. in *Skálda* p. 180) *). Agnomen illud Odini verisimiliter respicit ad vim ejus creantem ac vivificantem, Is præterea (ut in Suttungica fabula supra relatum est) in angvem se mutavit, ut vas & potum poëseos & sapientiæ ex abysso hominibus adferret **). Hinc forte orta est ingens illa serpentum veneratio, qvam in septentrione olim floruisse cernimus. Non igitur mirum qvod ex Odino, summo divitiarum datore, angvis formâ et nomine conspicuo, alii serpentes, aurum effodientes, congerentes & custodientes, a mythicis populi fabulis fingerentur. Cfr. *Fafnir, Fofnir* s., qvod proprie *Fé-Ofnir* i. e. qvi aurum qvasi texendo congerit (ut recentiores Islandorum fabulæ de serpentibus, auro continue crescenti incubantibus, referunt). De angvium aut draconum figuris in permultis aureis bracteis, sæpe runicis literis signatis ac Odini interdum (ut videtur) effigiem gestantibus, plura supra loco citato adtulimus. Hæc forte proprie pertinent ad illud Odini agnomen *Ofnir*, sed aliæ serpentum figuræ, qvæ in cippis runicis borealium inveniuntur, originitus ad aliud ejus epitheton *Svafnir*, angvem similiter denotans, de qvo infra suo loco uberius disqviremus Veteris nostratium de serpentibus superstitionis adhuc non perpauca vestigia remanent. Coloni qvidam Norvegiæ ad nostra usqve tempora certo modo coluerunt natricem torqvatam, iis *Bue-Orm* audientem; hoc angvis genus in ovilibus fovebant, ut pecori sanitatem indulgeret. De alio, *Hvidorm*, (*Hvitorm* sive *Qvitorm*) dicto, tradunt carnes ipsius coctas ac manducatas homini sapientiam communicare, præter multas alias de angvinarum reliqviarum medicis virtutibus. Sic e. gr. angvis cutis (sive exuviæ) puerperis adplicatur, ut partu faciliore fruantur ***). Easdem opiniones fovet vulgus Svecicum hodierni ævi. Serpens qvidam major ab iis dicitur *Lindorm* (Isl. *Lindormr*, Danice *Lindorm*, German. *Lindwurm* &c.) ac interdum qvoqve *Hvitorm* (idem igitur ac ille Norvegicus); sub tiliis ac sacris qvibusdam qvercubus, qvæ hyeme folia retinent, habitare putatur. Tales arbores (*Boträd* collective vocatas) Genii ac Lares (*Elfvar och Tomtar*) magnopere diligunt; eæ insuper ab hominibus in summa reverentia habentur. Angves isti, hominibus occurrentes, iis salutem ac occultiores de naturæ viribus

---

cones, ut mundi principia. His forte cognatus fuit Aegyptiorum Agathodæmon, e qvo iterum Ophitarum hæresis orta fuisse videtur.

*) Codex Eddæ junioris regius addit duo angvis vocabula, qvæ Odino alias attribuuntur, *Svafnir* & *Grimr*.

**) Confer angvium figuras in cippis runicis repræsentatas & sæpe inscriptionibus (interdum etiam poëticis) ornatas.

***) *Ströms Beskr. over Söndmör* I, 192, *Pontoppidan Norske Naturhistorie* II, 39.

scientias præbere creduntur. Unus talis, Linnei tempore, membranam suam dedit rustico adolescenti, qvi istam ollæ aqvâ repletæ indidit, & jusculo hocce panem saturavit, qvo manducata sapiens evasit, medicinam deinde feliciter exercuit & miracula qvoqve edere credebatur*). De serpentum cultu apud Aegyptios, Babylonios & Indos antiqvisſimos, Ceitas, Sarmatas, Lithuanos, Livones & pl. hic non disqvirere vacat. Cfr. *Svafnir* i.

Óinn Dvergus sive Alfus qvidam e Dvalini cætu *VSpá* 14 (var.)**). Pater Andvarii Dvergi ita nominatur S, II α. 2. Vid. *Andvari* s. Cfr. Onomasticon Edd. ant. T. II.

Ókólnir (vel *Ókólni, Ocolne*) ɔ: locus frigorum expers, ubi triclinium Titanis (vel Titanum aut Jotnorum) situm esſe fertur *VSpá* 33. Cfr. *Brímir* s.

Ómi (sonorus) agnomen Odini *Gr. M.* 48. *Hr. G.* 22. Occurrit in Edda juniore (pag. 3) ut septimum inter illius Dei in vetere Asgardia duodecim præcipua nomina. Id inter mensium mythico-allegoricas denominationes cancri zodiacali signo addicendum putamus, ut alibi demonstrare tentavimus***). Vocabulum *Ómr* alioqvin sonum denotat. Cfr. Gloss. Edd. ant. T. I. ut et T. II. v. *Ómun* (*Óman*). Cfr. *Óski* i.

Ónarr (*Ónar*) Dvergus sive Alfus e coetu Modsogneri (aliis *Anarr*) *VSpá* 11. Cfr. art. *Nótt* s.

Óri (tumultuosus, delirans) Dvergus aut Alfus ex eodem coetu *VSpá* 11. Dæmon qvidam aut genius eroticæ indolis *Fiölsv. M.* 36. (*Órar* pl. m. denotat deliramenta, jocos tumultuosos vel lascivos; hinc *Svefn-Órar* ɔ: phantasmata somniorum; cfr. *örr, ör* (*ær*) insanus, delirans in Gl. T. II, cognatum τω *örr, ör,* (ibid.) juvenis, adolescens cet.

Óski (*Ósci*) ɔ: Optatus, Optabilis aut vota (hominum) exaudiens — Odini agnomen *Gr. M.* 48. Fuit alias sextum e duodecim illis nominibus, qvæ ei in vetere Asgardia contigere, secundum Eddam juniorem (l. c. pag. 3). Denotat e nostra opinione Geminorum zodiacale signum, vel mensem ei respondentem. Cfr. *Ómi*

*) *Linnei Vest-Götha Resa* pag. 100; *Svenska Folkvisor utgifne af Geijer och Afzelius* III, 114, 121. Norvegicæ istæ ac Svecicæ superstitiones optime conveniunt eddicis illis de angvis corde manducato, ut homini sapientiam ac avium loqvelæ intellectum donante. Vid. *Faſner* s. Cl. *von der Hagen* doctisſime monstravit vetustisſimas Græcorum traditiones, illis simillimas, de Democrito, Melampo & Apolline Thyaneo, qvi apud Arabes draconis corde vel hepate manducato avium sermones intelligere didicit. *(Edda-Lieder von den Niebelungen, Berlin* 1814, pag. 35).

**) Mendo librarii *Volsunga-Sagæ* (qvi pro *Óinn* scripserat *Ódinn)* illusus celeb. Suhmius Andvarium Odini filiis adnumerat *(Om Odin og den hed. Gudelære* pag. 132).

***) *Den ældre Edda* I, 157-158. An vetustisſimum hocce Odini nomen originitus convenisſet Persarum *Oman (Omanes), Hom,* aut Indorum *Om* &c. aliis dijudicandum linqvimus.

s. Etymon facile reperitur in notisſimo Islandico *Ósk* (votum) Dan. *Önske*, German. *Wunsch*, Angl. *Wish* &c. Vide Gl. T. II, v. *Óskmey*.

Óskopnir (Óscopnir) insula vel campus ubi ultimum Surti ac Asarum prælium perficietur S. II, *β*. 15. Vocatur aliis *Vígridr* (i.). Vocabulum illud aut est explicandum: *α*) nondum creatus ab *ó* privativo & *skapa* creare &c. aut *β*) fugam non permittens; excursus prohibens aut sistens (a verbo *skopa*, subito cedere; in curriculum se immittere).

Otr (Otvrr, Otur) proprie lutra (m.) hic autem Dvergus qvidam in lutram voluntarie transformatus & sic ab Asis qvibusdam occisus S. II, *α*. Vid. *Hreidmarr* s. ac Onomasticon Eddæ antiqv. T. II. De vocabulo ipso consule Glosſ. T. II.

Óttarr (Óttar) princeps humanus, Freyæ patrocinio beatus H. L. 6 & sq. Vid. *Freya*, *Hyndla* s.

P.

P literâ incipientia nomina propria in onomastico eddico non exsistunt. Ea simul in alphabeto antiqvisſimo runico desideratur.

Q.

Q litera runico abecedario rite non inclusa habetur, & in veteri borealium sermone pro eadem certe ac Græca *K* est habenda.

R.

Rádgrid (Ráþgríd) una Valkyriarum Einheris in Valhalla ministrantium *Gr. M.* 36. Ad verbum sonat a) potestatis aviditas, aut etiam b) consulte furens (vel bella gerens) a *τω rád (ráþ)* imperium, consilium & *grid* æstus animi, impetus continuus p. p.

Rádsvidr (Ráþsviþr, Rádsvinnur) ɔ: consilio pollens aut consulte agens, Dvergus aut Alfus e coetu Modsogneris ultimus *VSpá* 11. Vid. Gl. Edd. antiqv. T. II, sub vv. *Rád* & *Svinnr* (*Sviþr*).

Rádveig (*Ráþveig* ɔ: consiliatrix) filia Niordi, natu maxima (inter octo alias runicas literas cornu cervino, ut videtur, inscribentes) *Sól. L.* 79. Alii eam vocant *Baugvör* q. v.

Ragnarök (Ragna-ravc) Deorum (elementalium) disſolutio, excidium aut ultima fata — vel etiam numinum crepuscula

VSpá 40, ac sic qvoqve in Edda juniore singulari casu *Ragna-ravckvr* sive *röckvr* semper nuncupatur, ut etiam in Edda nostra *Æg. Dr.* 39. Eventum hocce, futurorum maximum, cum calamitatibus id præcesſuris Vala sive borealis Sibylla prophetice describit *VSpá* str. 36-51, qvæ hic repetere nolumus, cum pleraqve aliis articulis *) lectoribus communicemus.

Hic loca seqventia e continua Eddæ junioris relatione adferemus (l. c. pag. 70 & sq.). Har Ganglero Lokii pesſima fata referens, hanc narrationem ita claudit: "Is autem ad crepusculum Deorum *(til ragnaravckvrs)* ligatus jacebit. Tum Ganglerus: Qvænam sunt relationes, res exhibentes insolitas de crepusculo Deorum? hujus enim ego mentionem antea nunqvam audivi. Har regesſit: multa et magna de illo sunt narranda, qvorum hæc sunt prima: Veniet hyems dicta *Fimbulvetur*" . . . [de qvo & aliis mundani exitii præludiis nos suo loco egimus]. Tum id qvoqve continget cujus magna videbitur novitas; lupus enim solem devorabit [vid. *Fenrir* s.], qvod homines magnum esse malum censebunt, alter vero lunam demet, et eximium qvoqve adferet incommodum. E cælo stellæ disparebunt. Tum illud etiam erit novi, qvod terra cum saxis adeo tota contremiscat, ut arbores e terra evellantur, rupes corruant, compedes omnes [aut carceres] diffringantur et vincula disrumpantur. Tunc lupus Fenrer solutus vagabitur, et oceanus terras inundabit, qvia angvis Midgardensis, furore correptus giganteo [immodico] continentem invadet. Similiter etiam *Naglfar*, navis ita dicta, solvetur [de qvo suo loco superius] . . . Hæc autem in isto oceani æstu aqvis innatabit, gubernatore gigante qvi Hrymus appellatur. Lupus vero Fenrer diducto grasſabitur rostro, cujus pars inferior terram tangit, superior autem ad coelum usqve extendetur; latiusqve hians rostrum distenderet suum, si modo spatium adesset amplius; sic etiam ex oculis et naribus ejus ignis emicat. Angvis simul Midgardensis venena tantopere spirat, ut aërem et aqvas iis perspergat, hic enim admodum terribilis latus lupi claudet. Porro in his fragoribus diſſindetur coelum, unde Muspelliani adeqvitabunt, qvorum primus se infert Surtus, qvem ignis ardens præcedit et seqvitur. Gladius ei est egregius, fulgorem sole clariorem emittens. Illis autem ineqvitantibus diffringetur pons Bifrasta, ut supra dictum est. Ii in campum procedent, cui Vigridus nomen est, ubi etiam lupus Fenrer et angvis Midgardensis comparent. Adest qvoqve Lokius ibidem, necnon Hrymus, qvem omnes Hrimthursi (pruinosi gigantes) comitabuntur, sed Lokium omnes Helæ socii (amici aut subditi) stipabunt. At Muspelliani agmen suum, admodum fulgens et lucidum, seorsim ducent — sed campus

*) Iis præsertim qvi inscribuntur *Fimbulvetr, Fenrir, Jörmungandr, Járnvidr, Garmr, Fialar, Hel, Surtr, Naglfar, Loki, Freyr, Heimdallr, Ódinn, Þór.*

Vigridus centum qvaqvaversus Rastas [miliaria] extenditur. Hæ dum aguntur novellæ surget in pedes Heimdallus et tubam suam (aut cornu) dictam *Giallarhorn*, vehementer inflabit omnes excitans Deos, qvi conventum statim agent. Tum Odinus ad fontem Mimeris eqvitabit, atqve consilium pro semet et suis militibus expetet et accipiet. Hoc ipso tempore fraxinus Ygdrasill titubabit, nec ulla res, sive cælestis sive terrestris, tunc erit timoris expers. Asæ vero [et omnes Einheri armaturam induent et in campos procedent. Hos Odinus primus præcedet, aurea galeâ et nitida loricâ conspicuus, frameam Gungnerem tenens. Is adversus lupum Fenrerem recta tendet; Thor vero alterum ejus stipat latus, qvi tamen illi succurrere haud potest, qvoniam satis habet laboris et curæ cum angve confligere Midgardensi. Freyr cum Surto dimicabit, qvi ambo acre comittent duellum, priusqvam Freyr occumbat. Causa vero necis ejus est, qvod destitutus sit gladio illo egregio, qvem Skirnero olim dederat. — Tunc qvoqve ê vinculis solutus furit canis Garmus, qvi ante antrum Gnipense religatus fuerat, qvæ bestia perniciosisfima cum Tyre confliget, unusqve alterum perimet. Thorus qvidem, qvod angvem Midgardensem debellaverit, celebrabitur; sed passus ab eo novem digresfus, mortuus corruet, et id qvidem ob venenum, qvo angvis illum afflando insperserat. Odinum lupus devorat, hoc enim illum fati genus manebit. Qvo tamen facto procedet Vidar, qvi altero pede inferiorem rostri lupini partem insistendo premit et altera manu rostrum lupi superius prehendit et rictum ejus adeo diducit, ut inde moriatur lupus . . . . [De calceo miraculoso, hunc pedem tegente vid. *Vidar* i]. Lokius cum Heimdallo dimicabit, qvi mutuis peribunt cædibus. His peractis ignem super orbem terrarum injiciet Surtus, totumqve mundum comburet. . . . . Tunc interrogavit Ganglerus: Qvid toto mundo exusto ac omnibus Diis et Einheris, universisqve populis emortuis, reliqvum supererit, qvum tamen vos antea dixistis, qvemcunqve hominem in aliqvo mundo per omnia secula esfe victurum. Respondet Thridius: multæ tum mansiones bonæ erunt, multæ etiam malæ. Optimum tunc erit in coelo degere . . . [Vid articc. *Gimli*, *Brîmir*, *Okólnir*, *Nidafiöll*, *Sindri*, *Hvergemlir*, *Náströnd*]. Tum Ganglerus: Num tunc temporis ulla numina supervivent? et num tunc aliqvid terræ aut cæli exstabit? Respondet Har; emerget e mari fundus terræ viridis et amoenus; agri sine satione fructum ferent. Vidar et Valius ita vixerunt, ut incendium Surtinum illos neqvicqvam nocuerit, campumqve inhabitabunt Idensem ubi qvondam fuerat Asgardia sita [Vid. *Vali*, *Vidar*, *Idavöllr*]. Illuc qvoqve filii Thori Modius & Magnins venient, Miölnerem secum habentes. Mox etiam Balderus ê regno Helæ adveniet. Tunc omnes una [Æsæ] consiten-

tes colloqventur, ac pristina sua colloqvia et dicta commemorabunt. Sermocinabuntur qvoqve de rebus priore seculo gestis, utpote qvæ de angve Midgardensi & lupo Fenrere acciderant. Tunc etiam ibidem in gramine tabulæ [sive orbes lusorii] aureæ, qvas Asæ qvondam posſederant, reperientur. Ita enim traditum est. . . . . Ast in loco, ubi sylva Hoddmimeris appellatur, incendio ingruente Surtiano, duo se abscondent homines, qvæ Lifa & Liſthraser nominantur, qvi roribus vescentur matutinis. De his ambobus tanta derivabitur progenies, ut totus mundus incolis denuo repleatur. . . . Cæterum id tibi mirum sine dubio videbitur, qvod Sol, anteqvam a lupo devoretur, filiam, se ipsa haud minus splendidam, pepererat, qvæ etiam maternas calcabit semitas. . . . . Jam vero, si ulterius qværere posſis, nescio unde id tibi veniat; neminem enim temporum eventa ultra ante dicta altius retro enarrare vel retexere audivi. Fruere his igitur, qvem ad modum accepisti, memoriæqve infixisti."

Pars relationis jam recitatæ auditorem (vel lectorem) ablegat ad carmen Vafhrudnerianum *(Vaſþrúdnis-mál)* ac gigantis celeberrimi ei incerta vaticinantia dicta. Is qvoqve vocabulum *Ragnarauo* moribundus profert (str. 55). Vala qvædam (vel prophetisſa) ab Odino, sub Vegtami nomine, e mortuis in Helæ mundo excitata ac ei vehementer irata, Lokii e vinculis liberationem et perniciosam numinum disſolutionem (sive crepusculum) solenniter prædicit *(Vegt. Qv.* str. 19). — Simili modo Hyndla oreas, Freyæ infensa, eadem eventa animo præsagiente commemorat *H. L.* 28-40. Divinationes Asarum et tristes meditationes de futuro mundi interitu pulchre describuntur in carmine *Hr. G.* 1-5. Variis pluribus Eddæ antiqvioris locis ad terribilem eam catastrophen alluditur e. gr. *Æg. Dr.* 39, 41, 42, 59, 64, S. II, *β*, 14-15 et *H. Q.* III, 38-39, ubi ancilla reginæ viduæ spectra eqvitantia vespere cernens mundi extrema ingruere suspicatur. Regina Glaumvara, maritum iter periculosum incepturum sistere tentans, ei refert somnium suum de mythico illo evento A. M. 21 *).

Memoratur porro Deorum crepusculum diversis aliis in Edda juniore locis e. gr. pag. 5, 14, 30, 36 & 41. Auctor famosi epilogi hujus libri eventa illa pro Troiæ (ut terrestris Asgardiæ) excidio inepte satis explicare tentavit (l. c. pag 88 & sq.; cfr. supra pag. 484). De Hiadningorum nocturno bello vetusta carmina id ad mundi illud exitium *(til Ragnarave-*

*) Erit alias ad hunc locum observandum, qvod vocabulum *Ragna ravc* et Deorum et principum interitum significet, unde somnii, e reginæ opinione, monitoria significantia facile perspicitur. Cfr. Glosſ. T. I, in explicatione (duarum) vocum *Ravk.*

kurs) duraturum esse perhibuerunt, utSkaldæ testimonium docet (pag. 165). Vid. *Hildur* s. — Confer porro artice. *Fenrir, Muspell, Surtr, Nidhöggr* & pl. *)

Exsistit apud Saxonem Grammaticum insignis locus, qvem historicus hicce excerpserat e carmine Starcatheri antiqvissimo de prælio famosſimo Bravallensi, qvod vates ille (ex cl. P. E. Mülleri conjecturâ) sic cum ultimo mundi exitio comparavit: — "Credentes repente terris ingruere coelum, sylvas camposqve subsidere, misceri omnia, antiqvum rediisſe chaos, *divina pariter et humana tumultuosa tempestate confundi, cunctaqve simul in perniciem trahi*" **). Minime erit denegandum qvod descriptio hæcce Valiani carminis tenori ad ungvem conveniat.

Monstravimus supra (in artic. *Fenrir)* Eyvindo Skaldaspilleri (poëtæ Norvego gentili Sec. 10^mi) hunc mythum cognitum fuisſe. Inde qvoqve recentiores plures boreæ vates varias petiere metaphoras & poëticas ſiguras, e. gr. Norvegus qvidam Orcadensis circa annum 1065:

Biört verdr sól at sortna,
Söckr folld í mar döckvan,
Brestr erſidi Austra,
Allr brunar siárr med ſiavllum
Ádr enn &c.

i. e. Lucidus profecto sol nigrescet,
In oceanum nigricantem terra demergetur,
Onus Austrii [coelum] disrumpetur,
Totum æstuabit mare ad montium cacumina
Priusqvam &c. ***).

His conveniunt varia recentiora, ut Snorronis Sturlæi ****) & pl. Imitatus est etiam aperte vaticinium Valæ Gunlogus monachus Thingeyrensis (circa ſinem sec. 12^mi) mundi ultima tempora describens in elegante translatione islandica Vaticinii Merliniani (de ſatis magnæ Britanniæ) adhuc penitus ineditâ *****).

---

*) Continuam borealium de mundi exitio & renovatione doctrinæ expositionem, collatam cum aliorum antiqvitatis populorum traditionibus, adumbrare conati sumus: *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 480-535.

**) *Saxonis Grammatici Hist. Dan.* Lib. 8. Ed. Steph. p. 146. *P. E. Müller critisk Undersögelse af Danm. og Norges Sagnhistorie* pag. 112.

***) *Orkneylnga-Saga* sive historia Orcadensium Hafniæ 1780 4. p. 90.

****) In conclusione clavis metricæ, *Snorra Edda* &c. ed. Raskii pag. 269.

*****) Sunt autem duæ ac distinctæ hujus vaticinii translationes Islandicæ. Prioris originale compositum videtur fuisſe eo tempore, qvum Danici Reges Angliæ imperarunt (sec. 10mo & 11^mo) hoc enim & mundo simul (ut videtur) universo, propter eorum libidinosam et luxuriosam vitam exitium totale præsagit. Hæc partim translator Islandus ita reddidit:

Verdr á folldo,	Surgent in terra
Qvad enn frödi halr,	(Vir sapiens dixit)
Styriöld micil	Bella longinqva,
Stórar óghlr,	Diri terrores,

Sunt forte vetusta illa Britannorum carmina in aliis antiqvioribus fundata, qvæ secundum gentilium Celtarum opiniones decantarunt futurum mundi exitium, mu-

Vig oc vélar
Vargöld, heröld,
Hrim í hverskonar
Hlörto lida.

Cædes & fraudes,
Ferina ætas, militaris ætas —
Occupabit qvævis
Corda pruina.

Verst er í heimi.
Veit-at sun favdvr,
Slíta þvi sifium
Sva synir vid fedra . . . .
Mvn id hvíta silfvr
Hölldom granda
Oc gvll göra
Gumna blinda . . . .

(AEvum) pesſimum ingruet mundo,
Pater filium non cognoscet,
Discindent igitur adfinitates,
Sic (qvoqve) nati erga patres . . . .
Candens argentum
Hominibus nocebit
Et aurum viros
Occæcabit . . . .

Lifir en Danska
Drótt at holldi,
Görir ei vid sér
Öllð á móti;
Þvi munú en tignu
Tídmörk himins
Liósi sína
Frá lýd snúa.

Vivet (aulicorum) Danica gens
Voluptuose,
Non se ipsam continebit (moderabit)
Populum offendens;
Coeli igitur gloriosa
Signa, tempus indicantia,
Avertent a gente
Proprium lumen.

Enn grund eptir þat
Gróda hafnar
Né skúr ofan
Úr skýum kémr;
Sól oc Máni
Sialf annan veg
Fara fagrskavput
Enn þau fyrr hafi.

Sed postea tellus
Infructuosa reddetur,
Nec e supernis nubibus
Pluvia demittetur.
Ipse Sol ac Luna
Formosissimi adspectu,
Vias eligent alias,
Priscas deserentes.

Oc þa hlýrni
Oc heidar stiavrnor
Má-marca þvi
Moldar hvergi,
Sumar fara avfgar,
Sumar annan veg
Af hinni gömlo
Göngo sinni.

Et tum in telluris pulvere
Nullibi licebit
Observare coelum
Vel serenas stellas;
Retrogradientur aliqvæ,
Aliæ aliter errabunt
A diu solito
Suo cursu.

Sumar sækiaz at
Enn svmar finnaz,

Qvædam inter se contendent
Sed aliæ congregabuntur

tuâ elementorum pugnâ evasurum, qvas etiam (in libro qvarto) Strabo breviter commemoravit. Qvod autem Britannorum ethnicorum relligio in multis articulis Scandinavicæ fuerit persimilis, nec per se mirum & nec etiam dubitandum. Solis, Telluris et reliqvorum meliorum naturæ numinum qvotennis e poëtarum fictione mors, perniciosus Sirii calor cum tenebris, frigore & hibernis tempestatibus postea regnantibus, prototypum effecerunt *Deorum crepusculi*, ut *annum mundanum* ad *anni solaris* exemplum a vatibus et philosophis olim compositum esse, alibi satis copiose monstravimus. Cfr. porro Gl. T. III. v. *Ravc.*

Rán, uxor Aegeris, Titanis sive gigantei dæmonis, qvi Oceano præfuit, in profundo maris abysso habitans. Ista Lokio miraculosum suum rete mutuavit, ut Andvarium Dvergum, in lupum piscem transformatum, eo illaqveare posset S. II, α.*). Rinda (Tellus) Ranæ**) (Borealium Thetidi) id consilium dedisse fertur: "qvod omnia post humeros rejiceret & se ipsum duceret." Sic qvoqve undas sive fluctus maris qvotidie agere cernimus, se ipsas ducentes & omnia vi immissa, qvasi sibi infesta rejicientes, G. G. 6. Homines naufragi Ranæ ab oreadibus (vel giganteis tempestatum furiis) donari dicuntur HQ. I, 18. Qvum Aegeris filia (unda æstuosa) classem heroum Danicorum, qvibus Rex Helgius Hundingicida præfuit, in vehementissima tempestate subvertere conaretur, Sigruna

Bregda liósi	Amittent (omnes) lumen
Oc litom fögrom;	Et splendentes colores;
Berlaz vindar	Pugnabunt venti
Þau ero vedr mikil	Vehementissimo impetu
Oc hlióm göra	Ac strepitum ciebunt
Medal himintúngla.	Inter coelestes sphæras.
Geysar geimi,	Grassabitur oceanus
Gengr hann vpp í lopt;	Aërem superiorem petens;
Slict er ógurligt	Horrorem hoc incutiet
Ita börnom;	Hominum soboli;
Slict er ógurligt	Hæc sane sunt horrenda
Vpp at telia;	Enumeratu;
Man en forna fold	Tellus vetusta in
At fyrnom verda.	Deserta mutabitur.

Videntur certe Islandicæ illæ vaticiniorum Merliniauorum recensiones in multis discedere ab iis, qvæ Galfredus (sive Godofredus) Monomuthensis (vel etiam, ante eum, Alanus ab Insulis) latine vertit; ista autem hic explicare, hujus operis scopus et spatium prohibent.

*) Cfr. *Volsúnga Saga* Cap. 23. Lokius qvoqve ex junioris Eddæ tenore (ut fraudum ac technarum summus artifex) retis primus fuit inventor, sed propriâ ista machinatione nihilominus periit. Vid. s. in art. *Loki.* E contrario Skalda, Andvarii fabulam (p. 136) breviter enarrans, illam de Ranæ rete, Lokio mutuato, relationem reticet. Plura de isto mox adferemus.

**) Non *Ranio*, ut ait latinus interpres Groæ cantionis; id enim lingvæ genio directe oppugnat.

Valkyria, cælitus advolans, illos servavit, ac naves Ranæ manibus fortiter eripuit H. II. 25-27; Cfr. HQ. III (pag. 97). De ea ita agit Skalda (pag. 129) convivium Aegeris famosisſimum memorans: "Uxor Aegeris Rana nominatur. Sunt novem eorum filiæ, omnes undarum ac tempestatum nomina gestantes; (vid. *Aeger* i). In symposio illo indagaverunt Asæ, qvod Rana posſederet istud rete, qvo homines omnes, mare freqventantes, illaqvearet" [rectius ut puto: illaqveare conaretur]. Ibidem id observatur, qvod aurum (qvo Aeger facis aut candelæ loco aulam suam illuminavit) ignis, lux sive splendor Ranæ (maris dominæ) poëtis sæpe diceretur. Alio loco (pag. 124) in maris poeticis denominationibus appellatur Oceanus ipse Ranæ maritus, sed mare tamen illius Deæ regnum sive regio. Cfr. porro pag. 185 ubi æqvor vocatur Ranæ via, ut etiam in vetere qvâdam cantilena *Ránheimr* i. e. Ranæ mundus*).

Vates vetustisſimi septentrionis, ipsi marinas expeditiones adamantes, Ranam sæpisſime decantarunt. Sic e. gr. Refus (vid. Skaldæ pag. 125):

Enn siá-gnípu sleipnir
Slítur úrdrifinn hvítrar
Ránar raudum steini
Runnit bríóst or munni

o: Sed egregius fluctuum eqvus [navis]
Udore aspersus eripit pectus
Rubro colore tinctum
Ex Ranæ rictu (hiante)**).

Hic et alibi monstrosa satis a poëtis depingitur Rana, ipsam maris violentiam & voracitatem allegorice repræsentans. Similis indolis erant novem ejus filiæ, qvas Frithiofus, gentilis Norvegiæ heros & poëta, e periculis tempestatum liberatus, memoravit ut "Ranæ virgines, qvæ æqvoris eqvum (navem) fatigaverant." Is nihilominus, ipso naufragio imminente, præsagiit se brevi Ranæ lectum in oceani abysso ascensurum fore & aliâ tali occasione grandem annulum aureum disſecuit & segmenta inter socios divisit, his simul verbis additis: "Jam ita res nostræ aguntur, qvod verisimile fiat, nostrorum aliqvos Ranam esſe visitaturos. Cum illuc veniemus, fortes & decoros nos esſe oportet:

Sit cernendum aurum
Advenas adornans
In Ranæ mediis atriis;
Id decet honestos athletas"***).

In Aegeris & Ranæ aula larga convivia celebrabantur, ut alibi discimus. Hinc

*) *Orkneyinga Saga* Ed. Havn. pag. 282. Sic *Ránheimr* & *Helheimr* fuerunt ampla regna mundi subterranei, qvarum reginæ, Rana & Hela, defunctos hospitio exceperunt, ambæ qvidam giganteo generi (mortem & caliginem adamanti) adscriptæ.

**) Hic prosaicus vocabulorum ordo: *Enn úrdrifinn siágnípu sleipnir slítr bríóst, runnit raudum steini, or hvítrar Ránar munni. Siágnípa* (maris cacumen) altum fluctum indicat. Tales undas Marcus Skeggii in sua qvadam cantilena vocat *hranna hvíta-gnípur* (alba fluctuum sive æstus marini cacumina).

***) Vid. *Fridþiófs-Saga* edita a Bioernero Islandice, Svecice & Latine, sed a Raſne nostro nu-

ethnicæ antiqvitatis credula opinio de læta naufragorum emortuorum exceptione in illo submarino palatio. Talem autem iis accidisse putabant, qvum viderentur spectra defunctorum navitarum ad funebre epulum relictis amicis apparere*). Alii, & præsertim, ut videtur, post Christianismum in universo septentrione receptum ac firmatum, illam apud Ranam mansionem pro teterrimâ habuerunt. Sic Sneglu-Hallius Islandus, vecturâ transmarina indigens, ac mercatores ad eam renunciandam persvadere tentans, somnium horribile finxit de spectro hominis undis submersi, ipsi marinum illud iter incepturo apparente et lamentabili voce canente cantilenam, ejus (inter alia) tenoris: qvod is nuper naufragio marino perierit at jam in Ranæ domiciliis hospitare cogeretur, sed tristi lecto, algâ strato ac tecto ibi frueretur p. p. **). Anterius Egillus Skallagrimi, celebris gentilis Islandiæ athleta & vates, filii suffocati clademdeplorans, Ranam ejus facinoris vehementer incusavit, sed natum amissum nihilominus ab Odino in Godheimum sive Deorum cælestia habitacula elevatum celebravit***).

Finni ac Lappones a proavis nostris gigantum soboli aut sane cultoribus adnumerabantur, unde id intellectu facile evadit, qvod illorum numina nostratibus pro giganteis haberentur dæmoniis. Inter ea unus fuit Hler sive Aeger (Oceanus, frater Kari sive Cauri i. e. venti & Logii i. e. ignis) qvi nostris scriptoribus Finnorum primi principes audiunt****). Sic etiam Rana a Finnorum poëtis decantatur ex istorum priscâ relligione, sub nomine *Rauni* (Septentrionalium illi *Rán* ad ungvem conveniente, cum *Raun* rite pronuntiari debeat). Hæc inter eos fuit uxor Dei Ucconis, (aut Taranis) cælum & mare specialiter gubernantis. Qvum ista irasceretur diræ tempestates telluri immittebantur. Careli in primis eam coluerunt, sed Sveci posterius ejus nomen in Ragnil (sive Ragnild) mutarunt, Thori (Finnici, ut puto) uxorem eam appellantes *****). Apud Lappones Norvegicos ei convenit

per Danice translata Cap. 6 & 7. Conferri meret celeberrimi Svecorum Tegnéri longe recentissima illarum cantilenarum paraphrasis in elegantissimo ejus poëmate *Frithiofs-Saga* (brevi temporis spatio multoties in varias peregrinas lingvas translato), carmine qvidem decimo.

*) Vid. e. gr. *Eyrbyggia-Saga* a cl. Thorkelino edita, pag. 274 (de visionibus Frodaensibus in Islandia).

**) *Þáttr af Sneglu-Halla*; duas adhuc ineditas vetustas narrationes, illo titulo insignitas, critice exscripsi ac latinitati donavi; ambarum illarum versiones danicæ, me auctore, impressæ sunt in scriptis Societatis literariæ Scandinavicæ (1820) & Societatis pro scriptis veteris literaturæ Borealium edendis (1827).

***) *Egils Skallagr. S. Saga* edit. Havn. pag. 622 & sq.

****) Vide appendicem Skaldæ l. c. pag. 357 & sq. 369 & sq.

*****) *Ganander und Petersen Finnische Mythologie* pag. 19. *Gabrielis Arctopolitani Disf. hist. de orig. ac rell. Finnorum* p. 35, 39. *Rühs Finland* p. 23, 24.

Rana sive *Rana-Neida*, qvæ Dei filia & cælestis Dea esse, ac telluri præterea fertilitatem, sed fœminis pulchritudinem donasse ferebatur, a qvibusdam tamen virgo sive nympha viridis appellata*).

Christianismo in ipsa Scandinavia corroborato Ranæ nomen e vulgi recentiore superstitione disparuit, sed ipsa nihilominus illic mutatis nominibus celebratur. Sic Islandis vulgo audit *Hafgýgia* ut olim Norvegis *Margýgur* **) (lamia marina sive maris gigantea nympha) — Danis autem & Norvegis *Havfrue* sed Svecis *Hafsfru* i e. domina maris. Omnes hæ gentes istam navitas perseqvi ac sæpe capere vel occidere ferunt, sed Sveci etiam ipsam manes demersorum hospitio excipere, nisi corpora telluri restitui (ac in coemeteriis ecclesiæ sacratis sepeliri) possent. Multæ de ea, sub nomine jam indicato, traditiones in regnis borealibus cursitant ut e, gr. beneficia hominibus distribuente, aut eos illudente ac vexante; iis qvoqve (mala sæpissime) vaticinante p. p. Dicitur æstivo tempore pecora marina (boves & vaccas) in litore pascere, sed interdum qvietem capere, comam flavam ac largissimam aureo pectine discriminans; hyemis frigore dominante piscatorum ardentes pyras caloris gratiâ præterea visitare putatur. Cæteras septentrionalium populorum superstitiosas opiniones de Rana ac aliis marinis dæmonibus alibi prolixe exposuimus ***).

Rana in Eddæ junioris editione Reseniana Asyniis (sive Asicis Deabus) perperam adnumeratur. Id tamen verum est, qvod versus qvidam vetusti memoriales, certis Skaldæ ineditis codicibus inserti, illam post omnes Asynias, qvasi in additamento, cum Thruda Thori filia nominent. Nomen *Rán* (Danice *Ran*, Svec. *Rån*) rapinam adhuc significat, ut Rana certe naufragos homines & demersas opes rapere putabatur. An Anglo-Saxonicum *Hron* (unda, æqvor) et Britannorum veterum *Arawn (A-rawn)*, maris numen, cum illo sint cognatæ originis, alii me doctiores dijudicent. Cfr. Onomasticon Eddæ ant. T. II. v. *Rán* & articulos *Hlésey (Hlér)*, *Ægir*.

Randgríd, (scutorum furia sive clypeis sæva) una Valkyriarum, qvæ Einheris potum ministrare solent. *Gr. M.* 36. Cfr. Gl. T. I. Ranngrida humana mulier, filia Guttormi a Reine, magnatis Norve-

*) Vid. præter scripta nuper laudata, *Jessen om Lappernes hedenske Religion* (pag. 63); *Kildal om Lappernes Troe*, in scriptis Societ. lit. Scand. pro 1807.

**) *Konúngs Skuggsiá sive Speculum regale* pag. 166, 169, 170.

***) *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 239-259, 302-317. Mythi certi exterarum nationum ibidem porro cum nostris comparantur, qvibus forte hæc sunt addenda: Dicunt Indi serpentum infernalium reginam, iguem subterraneum e suo pectore emittentem, Samudræ Oceani Deo filiam peperisse, dictam *Rama-Devi* (sive *Rama Dea*); alias ista *gemma maris* appellatur, nam ibi sæpissime latere solet (*Asiat. Researches* V, 247). Ea vel alia, *Rembha* dicta, ex marina spuma creata fuisse perhibetur (*As. Res.* I, 251, *Moor Hindu Pantheon* pag. 152).

gici, seculo 11mo nata, illud nomen proprie gestasse videtur. Cfr. *Rádgríd, Reginleif.*

Ratatöskr (Ratatavskr) Ratatoskr, sciurus mythicus, qvi per fraxinum Ygdrasillum curret, aqvilæ (in apice arboris) sedentis verba (vel hic forte rectius: producta) deorsum feret et Nidhoggo inferno (draconi) dicet (aut adferet) *Gr. M.* 32. Idem fere in Edda prosaica (pag. 19) refertur, qvod nempe sciurus ille per fraxinum sursum ac deorsum currat, verba invidiosa (sive odiosa aut hostilia) inter aqvilam & Nidhoggum transportet. De physico hujus fabulæ explicationis tentamine, vid. *Yggdrasill* i. Circa etymon (mihi non plane liqvidum) cfr. Glosf. T. I. it. T. II. v. *Rata.*

Rati (penetrans vel viam callens aut inveniens) Odini terebra, qva Suttungi subterraneam cavernam petens, usus est ad terram (aut saxum) penetrandam vel perfodiendam, ut serpentis adscititiâ forma instructus, per foramen terebrâ effectum, dictæ cavernæ irrepere posset. *Hâva M.* 107, Edda jun. pag. 86. Vid. *Gunnlöd Ódinn* s. Etymon vocis certe qværendum est in verbo *rata*, permeare, transire (de qvo Gl. T. I. II). E meâ sententia est Ratius (allegorice) nihil aliud qvam *solaris radius*, qvo coeli numen utitur ad tellurem penetrandam, ut aërius calor & luminea vis ipsam fæcundet ad seminum acceptionem & fructificationem.

Ravgnir vid. *Rögnir.*

Rdþ &c. vid. *Rád.*

Regin (in pl. *Regin, Ravgn, Rögn* *) gen. pl. *ragna* dat. *ravgnum*, numen (proprie ut puto elementale) occurrit præcipue de Diis asicis; est verisimiliter explicandum: potestas (*δυναμις*), cognatum verbo *roga* niti, moliri, ferre. *Regin* qvo-

*) Ut etiam in cantilena poetæ gentilis, Einaris Skalaglam, de Hakone Norvegiæ principe in carmine *Vellecla* dicta:

Rammaukin qved ec rikt
Ravgn Hakonar magna
o: Robore valida numina aio
Haconis imperium roborare.

Paullo anterius Deos eosdem poëta *god* appellaverat, at alio loco eorum vires sive potestatem Duci faventem *Ás-megin Hkr.* ed. Havn. I, 204, 220 VI, 41, 48. Vox *Regin* (jam pronuntiata *Rejin* (vel *Reyin*) scribitur *Rajin* (vel *Rayin)* in cantilenis vetustis Færoensium, a doctisfimo nostro Lyngbye editis. Numina in Islandia culta *Regin* vocata fuisfe elucet e voce *Regin-naglar* i. e. Deorum sive divini clavi, qvi columnis templorum principalibus fuerunt incusi; *Eyrbyggia-Saga*, Ed. Thorkelini pag. 10. Tales clavos Romani templo Jovis Capitolini incudisfe feruntur *(Liv.* VII, 3', cfr. VIII, 18). Cl. Münterus hunc morem Etruscum originitus fuisfe adserit *(D. und N. Kirch. Gesch.* I, 127). Qvod autem Islandi simul elementalia vel physica numina *Regin* vocaverint, monstrat (inter alia) nomen *Ragnahellir* o: Deorum spelunca), adtributum cavernæ ingenti in occidentali insulæ parte *(Egg. Olafsens Reise giennem Island* I, 281). Pulcherrima veteris Groenlandiæ regio Scandinavis audiit *Ragnafjördr* i. e. Deorum sinus, e doctisfimi nostri Wormskioldii observatione.

qve veteribus audiit pluvia (pro nostratium *Regn*). Plurali numero sæpisſime occurrit, ut (de Boris tribus filiis & forte pluribus) *VSp.* 6, 9, 21, 23; hic nimirum statuunt ac ordinant tempora diei & anni ac Dvergorum sive minorum elementalium geniorum creationem; conveniunt tandem ad cædem Heidæ sive Gullveigæ dijudicandam & Freyæ raptorem ac aëris corruptorem indagandum. *Vaſþr. M.* 39 Niordum qvoqve in Vanaheimo (telluris atmosphærâ, ut ipsius futuro imperio) creavisſe observantur (sed vocabulum idem nihilominus in ejusdem carminis str. 13, 14, 26 pluvias aut imbres frugiferos denotare videtur). De numinibus sive elementicis naturæ potestatibus (in mundi excidio disſolvendis aut morituris) vocabulum iterum capitur str. 27. 40, 44, 47, 52. Dicuntur Valaskialfam, coelestem arcem Valii Dei (aut solis in signo aqvarii) texisſe argento (i. e. aëre sereno & glaciali) *Gr. M.* 6. Solis eqvis refrigerium paraverunt (Asæ simul appellati) str. 37. Midgardum creavisſe referuntur post Ymeris cædem peractam str. 40. Illis locis sæpe nominantur *blíd regin* *) (placida sive clementia aut benevola numina) & sic etiam Asæ congregati *holl regin* ɔ: alma, fida vel salutem indulgentia *ÆEg. Dr.* 4; Sine ullo epitheto ita nominantur *Vegt. Qv.* 3. Futura numinum disſolutio memoratur *ÆEg. Dr.* str. 41. Isto titulo Bragius & Lokius insigniuntur *Hr. G.* 10 (cfr. str. 19. var. g. & str. 25. qvamvis hic de Einheris *raknar* ɔ: eqvites dictis, sermonem esſe opinemur). Nominantur, genitivo casu, *Ragna*, Dii aut principes (illorum titulos sæpe ambientes) *Háva M.* 145. De voce ipsa cfr. art. *Ragnaravk, Ginregin, Upregin* it. Gl. T. I & II v. *Regin* ac porro T. II. v. *Ragna, Reginkvngr, Reginþíng* T. III v. *Regindómr, Reginkvnnr.* In Skalda (p. 176) hic titulus Diis adtribuitur, in Haustlanga qvoqve (pag. 111, 121) sæpius obvius. Voces qvædam Islandicæ, adhuc usitatæ luculenter monstrant primam vocis in elementalia numina qvadrantem significationem e. gr. *Reginfiall* mons altisſimus (i. e. coelestis, deorum sedes); **) *Reginhaf* vastum mare (Njordi & aliorum marinorum numinum habitaculum); *Regindiúp* immensa profunditas (eâdem certe ratione ortum) & pl. ***). Hinc multa vetusta Scandinavorum pro-

*) A Lokio contumelias fundente Freya, e meâ sententia, ironice (ac singulari casu) salutatur *sí do-blíd regin* (numen miti sive alliciente latere vel corpore præditum; aut etiam, ad proprium latus viros blande invitans) *ÆEg. Dr.* 32. Huc certe alludit acre irati Niordi responsum str. 33.

**) Sic plures in Islandia alti & speciosi montes adhuc retinent nomen ethnicum *Godaborg* (Deorum urbs sive arx) ejusdem notionis ac *Ásgardr* & pl.

***) Hinc etiam vocabulum *Regingriót*, in carmine juniori Eddæ inserto, dicto *Gróttosaungr*; oreas Frodio (sive Frothoni) Daniæ Regi irata, isti ita minatur (l. c. pag. 149):

Mvnatto halda
Hleidrar stóli,

pria nomina, ut ipsum *Regin* (pro germanico tamen habitum); *Reginleif* (de qvo infra); *Ragnar* (etiam inter Gothos meridionales, Longobardos & Hunnos usitatum, Francis qvoqve *Raganar, Ragnachar* vel *Ragnahar*); *Ragna* fæminin. olim freqventer occurrens; *Ragnhildur* fæm. (Franc. *Ragnachild*) ɔ: divina bellona; *Ragnfridr* masc. (pax divina; German. *Reginfrid*, pax deorum); *Ragnfridr* fæmin. (divina pulchritudine ornata); *Ragnheidur* fæmin. (divina serenitate vel opulentiâ prædita); *Rögnvaldr* (divinus princeps sive deorum gratiâ potens) &c. Accedunt Germanica *Reginbert (Raginbert)*, *Reginward* (contracte *Reinward*), *Reginhard* (contr. *Reinhard*) &c. Cfr. nomen urbis Germanicæ *Regensburg**) atqve plura localia ut *Regensberg, Regenstein* & alia**).

Regin, Reginn (potens sive pluvialis) nomen Dvergi vel genii elementalis e coetu Modsogneris *VSpá* 10.

Regin, Reginn, filius Hreidmaris, e Dvergorum sive dæmonum genere oriundus, nutritius Sigurdi; Fafnericidæ; pertinet cæterum ad heroicas borealis gentilismi fabulas, qvæ in hoc lexico omittuntur, qvum proprium nullum cum Deorum aut dæmonum eventis vel rebus gestis nexum habeant. Vid. tamen art. *Fofnir, Hreidmarr* s. & Onomasticon T. II.

Reginleif, (ɔ: Diis cara) una Valkyriarum, qvæ Einheris sive heroïbus Valhallæ

Raudom hringom
Né regingrióti.
I. e. Non diu es fructurus
Lethræ regio solio
Rubentibus (aureis) annulis
Nec divinis (vel principalibus) petris.

i. e. aris sive sacris petris, qvæ adhuc in multis ruinis delubrorum Danicornm conspiciuntur.

*) A qvibusdam medii ævi scriptoribus, Buschingio observante, Hieropolis appellata; vid. *Graeteri Odina und Teutona* I, 384-385.

**) Antiqvum illud *Ragn (Ravgn)* ɔ: numen, tandem in Svecia hodierna pro dæmonio qvovis & præsertim de Diabolo usitatur, ut in vulgari jurandi formulâ: *ta me Raggen!* Ejusdem originis est verbum Islandicum *ragna*, solenniter maledicere, alicui Deorum vindictam imprecari vel etiam Diis devovere aut dicare aliqvid; unde iterum subst. *Ragn* imprecatio, diræ. Lettis vel Livonibus *Raggana*, Lithuanis *Raggaina* jam denotat (malos) dæmones (sed olim verisimiliter Deos aut bonos genios). *Ragini* adhuc vocantur Mongolorum & Kalmukorum principales Deæ, secundum Bergmannum (*Wanderungen* &c. III, 49). An titulus sacerdotum Buddhisticorum (inter Birmanos & pl.) *Rahan* nimirum, illi voci sit cognatus, alii dijudicent. Inter vocabula græca hæc forte, qvoad etymologiam, nostris *Ragn, Regin, Rögn* sunt cognata: ῥαγος vis impetus, ῥαια sanitas, robur, ῥοω roburo; cfr. porro Isl. *roga* moliri, viribus collectis niti; *regiaz, reigiaz* rigescere, fastuose se gerere & pl. Huc porro pertinent Celt. *Rhey* princeps, dominus, qvod iterum cognatum Latinis *Rex, Regina, Regnum* &c. forte etiam Ind. *Roy, Raja* & pl. Cfr. Introductionem nostram ad carmen Rigianum & art. *Rígr* i.

potum ministrare solent *Gr. M.* 36. Occurrit olim ut nomen mulieris Norvegicæ proprium (in Orcadibus qvoqve et Islandia). Cfr. Gloss. T. I. A *τω Regin* q. v. & adj. obsol. *leifr* carus (Germ. *lieb*, Belg. *leev* &c. cognatum *τω*. Angl. *Love*, amor &c.; vid. Glosſ. T. II. ad v. *Liúfr*, *Leifniselldar*).

Rennandi (fluens) nomen amnis coelestis, sive Deorum circulos (aut regiones) permeantis *Gr. M.* 27. Cfr. Gl. T. I. De etymo ipso vid. Gl. T. I & II v. *Renn*, *Renna*.

Rigr, (*Rigur* & olim forte etiam *Rigor*, propter freqventem commutationem literarum u & o); sub hoc nomine in carminis *Rigsmál* brevi prosaica introductione dicitur Heimdallus Asa, ê perantiqvis traditionibus, iter suum ad oram qvandam maritimam perrexisse et successive ad plura variæ conditionis hominum habitacula venisse et in iis pernoctasse. Refertur similiter in carmine seqvente (sed jam conclusione carente) qvomodo Rigus ille sive Heimdallus ex aliqva parte diversorum (in borea nostro) ordinum procreator evasisset, qvamvis qvisqve eorum veros alios homines pro primis suis parentibus recognoscat. Sic primum Rigus, Asa, celeber (aut multiscius), robustus ac alacer, venit ad domum parvam, inhabitatam a conjugibus vilioris notæ; qvibus *Ái* & *Edda* (atavus & proavia) nomina; ibi hospitio receptus is iis consilia dedit, inter maritum & uxorem deinde in medio lecto nocturnâ qviete fructus. Postqvam ibi deinceps per tres noctes continuas moratus fuerat, is discesſit per mediam viam (vel semitam) *). Post novem menses Edda peperit infantem tetrum & cute nigricantem, qvi lustrali aqvâ conspersus *Thrælis* (servi) nomen acqvisiit, ac labori isti convenienti adsvetus **) adolevit. *Thyam* (ancillam) uxorem nactus ex ea liberos genuit***), variis similibus nominibus insignitos, unde Servorum prosapiæ ortæ sunt *R. M.* 1–13. Cantatur deinde similis Rigi pernoctatio apud conjuges alios, qvorum conditio in liberorum colonorum modum ****) describitur; hi dicebantur *Afi* & *Amma* (Avus ac Avia) domum ipsi posſidentes.

*) Edda dicitur usa fuisse vetulari apice (sive calatho) forte propter egenam conditionem, qvæ lautiores fæminas vestitu imitari vetabat. Panis hospiti datus glebosa vel grumosa fuit placenta, cum jusculo catillo indito & carne vitulina elixatâ, ferculorum optimo, qvæ igitur inter priscos Scandinavos non fuit præstantioribus cibariis adnumerata.

**) Is nimirum, in pueritiâ (ut videtur) philyras nexuit, onera paravit & virgas vel cremia qvotidie domum tulit. Confer notam mox seqventem

***) Filii (adulti) aggeres vel sepes construxerunt, agros oblimarunt, circa sues occupabantur, capras custodiverunt et cespites (partim igni nutriendo destinatos) effodierunt. Hæc igitur servilia opera. Cfr. notam proxime præcedentem.

****) Vir asciabat materiam jugi textorii. Erat ei barba decenter formata et itidem a fronte capilli. Habuit indusium adstrictum. Arca (sive theca) in pavimento stetit. Uxor colum flectebat brachia extendit & fila in pannum præparavit. Gestabat capite flexile peplum, amictorium

Res eædem ac antea, ibi eveniebant; filius autemrufus & rubicundus *Karl* (sive Carolus, proprie vir aut colonus) in ethnico baptismo fuit appellatus. Is in rusticis educatus operibus puellam ambiit paris conditionis, qvæ *Snör* (agilis) nuncupabatur, tunicam e pellibus (vel pilis) caprinis factam gestantem *). Hæc ei nupta ac claves (promtuarios) servans multos peperit liberos, hic enumeratos, e qvibus etiam prosapiæ (liberorum) colonorum suam ducunt originem str. 14-22 **). Inde Rigus per rectas vias venit ad ædem, cujus ostium meridiem spectabat; janua qvoqve annulo fuit ornata, sed domus intus pavimento strato. Hic conjuges elegantes, *Fadir (Pater)* et *Módir (Mater)* dicti, arma tantum ac ornamenta curantes ***), eum lauto hospitio exceperunt. Alia eodem ac anterius procedebant modo, ista circumstantiâ excepta, qvod de nocturno Rigi lecto nil auditori vel lectori communicetur. Post novem menses Mater filium peperit, albido (sive flavo) capillitio, acutis oculis ac sereno vultu insignem, qvi serico involutus solitis ceremoniis *Jarli* (Ducis sive comitis) nomen obtinuit. Is puer exercitio militari, venatui, natatui ac eqvitandi arti operam dedit. Tunc e luco (saltu) Rigus incedens Runas (literas et scientias occultas) Jarlum docuit eiqve suum (Rigi) nomen indidit, filium proprium hunc simul profitens, qvem hæreditarios fundos & antiqvas (rusticorum) habitationes nobilium possessorio jure obtinere jussit. Jarlus postea in peregrina ac magis boreali (ut videtur) regione bella

---

in pectus demissum, focale circa collum, globulos in humeris. — Hæc domestica rusticorum liberorum conditio. Confer duas notas mox seqventes.

*) *Karl* increscens ac optime vigens didicit boves domare, aratrum fabricari, domos ædificare, horrea struere, plaustra facere et aratrum agere. Hæc proprie liberi coloni opera. Confer notam præcedentem & seqventem.

**) Ea consedit sub lino (aut nuptiali velo) aut etiam linteo texendo vel suendo. Conjuges ipsi cohabitantes annulos commutarunt, lodices instraverunt et rem domesticam instituerunt, qvam etiam tenentes suæ sorti adqvieverunt. Confer notas duas antecedentes. De jure clavium, uxori concesso inter boreales nostros atavos, pauca adtulimus in carminis introductione. Hoc qvoqve inter Græcos & Romanos olim valuit.

***) Ambo conjuges, necessariis operis non adstricti, digitis interdum invicem ludebant. Vir tamen alioqvin arcum intendit & manubria telis parabat. Hera (ejus vel propria) brachia qvandoqve inspiciens, linteum lævigabat et manicas (tales) firmiores reddebat. Instauravit cæterum apicem capitis (vel calanticam), gestans lunulam in pectore, syrma demissum, cæruleum (vel tali colore partim ornatum) indusium; describitur porro mulieris superciliium (sive frons), pectus ac collum, ut purissima nive candidiora & lucidiora. Mater (cum marito) hospitem excipiens sumsit mappam variegatam ex albo lino et eâ mensam instravit. Istam operiens proposuit panes tenues tritico albicantes ac abacos plenos argento ornatos; in patinâ carnes ferinas, lardum & assatas aves; vinum in cantharo, cum calicibus (metallis pretiosis) obductis. Sic compotabant & colloqvebantur ad vesperam usqve.

gesſit et terras sibi subjecit, octodecim largiores, villas propriæ oeconomiæ addicens. Is tamen hac opulentia avarus non reddebatur, sed metalla nobiliora, eqvos et alias res pretiosas omnibus (fere subditis) largiter præbuit. Viri illustres curro vecti Rigi gratiâ ambiebant Herseris (liberi domini sive baronis), aulam propriam posſidentis, candidam & egregiam filiam, *Ernam* (vegetam) dictam et teneram zonam gestantem. Hæc ei nupta sub lino incesſit. Conjuges deinde cohabitarunt, suis rebus adqvieverunt, prosapias adauxerunt et vita læti fruebantur. Filii multi (ingenuis vel nobilibus nominibus insigniti) in prima fere pueritia, ludos addiscebant, ac aleam qvoqve et natatum; adolescentes posterius eqvos domarunt et arma curarunt ac exercuerunt. Konus tamen (proprie *Konr*), eorum natu minimus, præcipue calluit Runas, per ævum & ætatem duraturas, atqve ulterius didicerat homines (e periculis) servare, acies hebetare & mare æstuosum sedare. Didicit porro avium clangorem intelligere (i. e. auspicia, e priscorum sacerdotum more), incendia restingvere (qvæ potestas adhuc â superstitione vulgari Regibus & principibus addicitur), moderare ac sopire (violentos animos) & curas deprimere. Octo virorum robur et alacritatem is præterea obtinuit. Konus cum Rigo Jarlo (duce sive comite) Runis (arcanis scientiis) concertavit et variis technis usus peritior evasit; tunc ei (patris dono) contigit Rigus (dives ac potens) justo titulo appellari *). Kono juveni per paludes & sylvas eqvi-

*) Vocabulum *Rigr* (Gen. *Rígs*), pro principali titulo sumtum, convenit Scoto-Gaelico *Righ* Rex. Ambæ hæc voces iterum sunt cognatæ, ut vetustisſimum Celtarum *Rix (Rigs)*, sæpe principum nominibus propriis additum, luculenter monstrat. His porro conveniunt α) Cambro-Britann. & Armor. *Rhi*, Gall. *Roy*, *Roi*, Hispan. *Re*, Lusitan. *Rey* β) vet. Scand. *Regin (Rögn, Ravgn)* princeps p. p. Anglo-Sax. *Regin*, *Regn*, Moeso-Goth. *Reiks*, Borusſ. & Lith. *Reikis*, *Rioke* γ) Ind. *Raja*, *Raya*, *Roy*, *Ragia*. Cfr. Arab. *Rajis*, *Reis*, Hebr. *Rak* & pl. Aliud hujus juvenis nomen *Konr*, *(Conr* acc. *Con)* vir, princeps, respondet AS. *Cyn* princeps, dominus, Cambro-Britann. *Cun*, *Cuniad* Caucasio-Osſet. And. Tatar. &c. *Chan*, *Kan*, Chunsag. *Chana* p. p. Hinc vet. Scand. *Konúngr*, *Kóngr*, *Kúngr* Rex, Dan. *Konning*, *Konge*, *Kong*, Svec. *Konung*, *Kung*; vet. Franc. *Cuning*, recent. German. *König*, Belg. *Koning*, *Koninк*; Anglo-Saxon. *Cyning*, *Cyng*, Angl. *King*; Finn. *Kuningas*, Lapp. *Gonagas*; cfr. Chines. *King*, *Kiun*. Cfr. celeberr. Graeteri programma: *Ueber das Alter uud den Ursprung des teutschen Königstitels (Odina und Teutona* I, 151 & sq.) it. Glosſ. Eddæ antiqv. T. I. & II, v. *Drottinn* T. II, v. *Konr* & *þiódan* (qvæ omnia, cum dialectica variatione, populis Gotho-Germanicis olim fuerunt usitata). Alioqvin nostrum *Konr* audiit a) filius, proles ut Gr, *γονος*, Indo-Tamul. *Kon* b) vir, ut Caucas. Leshg. *Chun*, Indo-Taynay, *Kon* & pl. Derivatur autem a nostro *Kyn*, Dan. *Kjön*, Angl. *Kin*, *Kind*, MGoth. *Kuni*, Alam. *Chunni*, vet. Germ. *Kunne*, Anglo-Sax. *Cyn*, *Cynn*, *Cynne*, CBrit. *Cenedl*, Finn. *Cunda*, Lat. genus, Gr. *γενος*, *γονος*, *γονη*, *γεννα*, Pers. *Gun*, *Kunn*, Sanscr. *Kunam* &c. Circa primum etymum confer. Pers. Curd. *Chun* sanguis, Chin. *Ken* radix, *Chi* stirps, ramus, *Kiuen* familia. Ut Konus ille sacerdotalem doctrinam didicit, sic istam olim principali dignitati junctam fuisſe

tanti et aves venanti cornix qvædam, in ramo solitaria sedens, talem vitam principem juvenem non decere docuit, sed militares potius expeditiones. Indicavit ei præterea Danum & Danpum (Danorum ac sarmato - germanicorum Gothorum principes) possidere egregias aulas (vel arces) et avitos fundos, illius (Koni) præstantiores — qvi etiam bene noverint navigio vehi ac prælia gerere. . . . Hic desinit elegantisſimi & pretiosisſimi illius poëmatis fragmentum, qvod nos in introductione ei præmisſa amplius illustrare tentavimus. Tractavit certe carminis jam deperdita conclusio de prima origine regiæ dignitatis (qvæ vulgo insignitur illius Koni nomine: *Konr*, *Konr ungr*, *Konungr* &c.) & Danici qvoqve imperii, qvæ etiam in Ynglínga-Saga Cap. 20, breviter memorantur *). Agit qvoqve carmen hocce de tribus vel qvatuor in Scandinavia hominum ordinibus (principali, nobili, libero & servili) & diversis simul tribus gentibus (qvæ nempe rudes & semiferi aborigines, recentiores coloni advenæ et tandem peregrini bellatores, illos cæteros armis subjugantes) qvas nostras opiniones suo loco exposuimus, additis notis philologicis de origine nominum (vel titulorum) *Rígr*, *Konr* & pl. & vocabulorum *Adal*, *Ódal* (nobilitas, allodium); vasallitium *(veitsla)* & aliorum.

Nomina allegorica cæterarum, in nostro carmine occurentium personarum, diversis hominum ordinibus convenientia, in illius indice vel peculiari onomastico (alphabetice disposito) illustravimus, schemate illarum genealogico insuper addito; in hujus introductione comparationem tandem qvandam instituimus inter has & plures gentilium borealium traditiones de mundi ac humani generis origine, tribus amborum procreatoribus, duodenis fratribus contribulibus cujusvis illius ordinis & aliis huc pertinentibus Cfr. *Heimdallr* s.

Rin (Rhenus); alioqvin flumen Germaniæ celeberrimum, adnumeratur fluviis cælestibus, vel Deorum circulos aut regiones permeantibus *Gr. M.* 27 in mythis Niflungorum (qvi cæterum ut heroicis

---

scimus. Hinc Lettis (Gothicæ partim originis) sacerdos appellatur *Kunigs*, sed princeps (forte posterius) *Kunigaikstis*.

*) *Hkr.* ed. Havn. I, 24. Hic tamen Rigus, qvi primus Danica lingva Rex fuit salutatus, dicitur fuisſe pater Danpi — qvi iterum genuit Danum regem, magnificum cognomine, a qvo Dania suum nomen obtinuit, — et Drottæ reginæ svecicæ, Domaris uxoris. Aliæ traditiones, nostris magis convenientes & carminis introductioni insertæ, Rigum magnatem dicunt Danam, filiam Danpri domini Danpstadensis (in Gothiâ trans balthicum mare sita, Reidgothia nobis vulgo audiente) uxorem duxisſe, qvi deinde Regis titulum acqvisiit & Danum filium hæredem reliqvit, a qvo Daniæ regnum & incolæ nomen sumserint &c. Loco citato conjecturas alias de Berico, Gothorum meridionalium principe, et Erico secundum qvasdam relationes Sveciæ primo Rege, ut eodem ac nostro Rigo sive Rico, explicare ac probare tentavimus.

Scandinavorum & Germanorum traditionibus addicendi, & in Onomastico T. II. Eddæ antiqvioris indicati non proprie in hoc Lexico tractantur) hic fluvius maxime celebratur, ut vetustisſimâ relligione sacratus. Vocatur enim *Áskunn* o: Asis vel Diis uotus sive familiaris, aut etiam divinus (divino cultu insignis) AQ. 28 (ubi amnis ista sive fluvialis Dea simul appellatur *svinn* i. e. sciens, multiscia, sapiens) cfr. ibid. Obs. 102, 103, & Gl. T. II. v. *Áskvnn*. De Rheno a Germanis adorato consulatur Tacitus, Annal. V, 17, qvi porro cultus a Romanis fuit receptus e variarum veterum inscriptionum testimonio (ut etiam similis in grandes fluvios relligio Scandinavis, Scythis, Græcis, Persis, Indis, Aegyptiis & aliis communis fuit, cum illis nempe coelestis adscriberetur fons & origo) *). Sic qvoqve in Edda nostra memorantur aqvæ sanctæ coelo vel coelestibus montibus defluentes HQ. II, 1. Ad Rheni fluenta Sigurdus Fafnericida apud Hialprecum (Hilpericum sive Chilpericum) Regem educabatur, & in illis gladium Gramum, a Regino fabricatum, primum tentavit S. II α (pag. 160). A meridie Rheni ipse heros decessit B. II, 11. In montanis regionibus, Rheno vicinis, Niflungi (Gunnar & Hognins, Sigurdi adfines & percussores) imperio fruebantur AQ. 18. Ii thesaurum Fafnerianum vel raptum Sigurdi aurum Rheno immergi curaverunt AQ. 28-29. Hæc ac alia Sigurdi et Niflungorum fata et res gestæ ordine continuo enarrantur in Skalda (pag. 138 & sq.), sed amplius tamen in sæpius laudata Volsunga-Saga (qvæ pro variorum, partim deperditorum, eddicorum carminum metaphrasi sive epitome rite est habenda, ut alibi probavimus). Hic (Cap. 33, 35) Giukius Gudrunæ, Sigurdi uxoris, pater regno e meridie Rheni sito præfuisſe fertur, cui is cum adfinibus postea imperavit (cfr. S. III, 18). In Rheno lavationem sumentes **) Gudruna & Brynhilda (prior Sigurdi amasia) acerrima contendebant lite

*) Vide *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 199-231, 245-248, 254-262; IV, 250-253, 256-258, 309-311, 316, 543-544.

**) Hic mos Coloniæ ad Rhenum diu â fæminis fuit usitatus qvovis Sancti Johannis festo die, ut anno seqvente nullis gravarentur infortuniis. Hoc observavit Aldenbruck, ut relligiosi fluminis cultus probabiles reliqvias (vid. *Mone* l. c. II, 357). Summa ejus consvetudinis antiqvitas facile elucet e loco citato Volsunga-Sagæ, collatæ cum Eddis ambabus — nam Gudrunæ illa ac Brynhildæ lavatio accidit brevi ante cædem Sigurdi (vel Sigfridi), qvæ autem (teste carmine Germanorum Nibelungico) in ipso solstitii æstivi (ethnico sane) festo peracta fuit (l. c. v. 2955) et qvidem in sylvatica Rheni orâ (v. 2953, 3721 & sq., cfr. B. II, 11) ad limpidum fontem, dum securus aqvam refrigerantem hauriret (cfr. G. I. II. 4-11, B. II, 6 ac hujus carminis prosaicam conclusionem nec non *Vilkina S.* Cap. 323 qvæ rivum qvendam pro fonte illo commemorat). Cl. Mone Sigfridum & Balderum mythice cognatos esſe conjecit. Idcirco hic est observatu dignum qvod Balderus (in borea nostro è mea sententiâ solstitio æstivo cultus, ut isto tempore fraudulenter occisus) fontes refrigerantes è terrâ provocasſe feratur, ipse

(Cap. 37), qvæ Sigurdi ac postea Niflungorum lethalis exitii causa exstitit. Putant nostrates aurum Rheni metallum (*Rínar-málmr* &c.) poëtis audiisse, propter thesauri Niflungiani in illo fluvio demersionem; fuit autem iste thesaurus anterius ab ipsis possessoribus in rhenano tractu servatus, ac sic minime per meram prolepsin Gunnar, illis opibus inhians, de Rheni metallo loqvitur, S. III, 16. Cfr. VQ. 13 (obs. 24) ubi Volundus Niduduo, Nericiano principi, aurum (ut inqvit) sibi proprium ab illo expetenti, respondet: suam terram a Rheni montibus (aurum producentibus vel servantibus) longe remotam esse. Vera auri illius denominationis origo verisimiliter qværenda est in auro Rheni fluminali (ex arenâ ac luto collecto) ac forte etiam aurifodinis ei olim vicinis. Nomen *Rín* Scandinavice expressum, respondet veteri *Hrin* (forte etiam *Rhin*, in carmine Nibelungico

---

qvoqve postremo in mari (vel lacu) submersus. Hinc sancti Johannis (olim solstitii æstivi vel media æstatis) vespera sive die sylvatici fontes in Scandinavia freqventantur, ad morbos curandos vel avertendos & sic etiam in Islandia thermæ naturales, aut fontes ac rivi calidi a popularibus visitantur (in primis a fœminis) lavacri sumendi gratiâ. Alii insulæ incolæ eadem nocte rore campestri lavari solent, ut morbi corporis miraculose sanentur; originitus forte ob superstitionem de Friggæ ac aliarum Dearum lacrymis, in Balderi fatalem obitum, tunc coelitus stillantibus. Eadem nocte vulgus Svecicum lavacris utitur (ut e. gr. in *Odensiö* Odini lacu, in Smolandia) vid. *Sjöborg Nomenclatur* &c. pag. 61. Circa idem tempus olim mulieres Romanæ celebrabant *matralia* (festum) in honorem Deæ Matutæ, Græcis Ino & Leucothea audientis, qvæ mari submersa ab Ovidio *numen pelagi* salutatur (Fast. VI, 543; ut *lux* revera *matutina* solstitio illo in oceanum demergi videtur, cum ipso solari numine). Paullo post incidit festum Pieridum (Musarum), qvæ nymphis fontinalibus partim sunt adnumerandæ. — Ex extremo oriente talia festa orta esse videnrur, cum e. gr. Persæ eodem tempore (ut Richardson & Morier nobis explicarunt) festo *Mihrgan* dicto (solstitii æstivi), fontes relligiose freqventassent, ut jam etiam moris est apud Indos Buddhæ relligioni addictos e. gr. Ceylonenses, qvi e maximo ac sacro insulæ fluvio *Mahavelle-Ganga* dicta tum aqvam sumunt, qvæ in templis per totum seqventem annum servetur &c. Isidis, Cybelis, Matutæ, Herthæ, Anaitidis & Gangæ cultoribus sacra lavacra communia fuerunt; hinc Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, Scandinavorum, Persarum & Indorum baptismus ac sacræ initiationes aqvâ lustrica perfectæ. Non igitur mirum, qvod Christiani mediæ illi æstatis periodo Johannis Baptistæ festum addixerint, festi ethnici, tum abolendi, loco aliud similis indolis vel rationis substituentes. De igni sacro (ut solis vel solaris luminis symbolo) eodem festo olim (et adhuc qvoqve in balthici maris et thracici bospori oris) a Persis, Germanis, Scandinavis & pl. accenso, alibi tractavimus (ut e. gr. in introductione & notis ad Valianum carmen). *Aqva* & *ignis* a vetustis gentibus pro primis hujus nostri & futuri qvoqve (vel regenerandi) mundi causis sunt habitæ, ac omni insuper generationi propriæ. Sic qvoqve spiritualis hominis regenerationis & lustrationis symbola tandem evaserunt, ut baptismus primus christianorum φως et φωτισμα iis audiit et tædis vel cereis ardentibus adhibitis perficiebatur, ut lavatio sordem peccaminis absorbens sed animæ puræ visui lucem adferens &c. Cfr. *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 199-266.

Rin unde, recent. German. *Rhein)*. Doctisſ. *Mone* etymon putat celticæ originis esſe; vix dubio caret nomen illud cognatum esſe Germ. *rinnen* fluere, Moeso-Goth. *rinnan*, Anglosax. *rennan*, vet. Scand. *renna*, qvæ tamen omnia simul currendi notionem invehunt*). Hinc etiam Anglosax. *Rin, Rine* cursus aqvæ, torrens, hodie qvoqve Scotice *Rin* **); cfr. Græc. ῥεω fluo, cum impetu feror. His certe est cognatum Pers. *ruiden* ***) unde *ab ruan* aqva fluens (cfr. Isl. *á rennandi* amnis fluens &c.).

Rindur, (Rindvr, Rindr) Diva Odino in ædibus occidentalibus (vel hibernis, ê variante lectione) filium peperit, qvi Valius dictus Hoederum deinde percusſit, ut Balderi cædem ulcisceretur *Vegt. Qv.* 16. Nominatur ut terra ipsa *Hr. G.* 23 ****). Consilium ejus Ranæ (Oceani dominæ) datum commemoratur G. G. 6 (vid. *Rdn* s.). Edda junior (pag. 31) Rindam memorat ut Valii matrem & alio loco (pag. 39) Asyniis sive Asicis aut superioribus Deabus adnumeratur; cfr. Skálda (pag. 105 & 212). Rinda porro nominatur ut Odini amasia, qvam igneo impetu per nubilum aërem interdum petere solet, a Cormaco gentili poëta (ibid. pag. 96, 176; cfr. *Yggr.* i.). Odini erga Rindam (diu) frustraneus ambitus videtur describi *Hávamál* 95–102, si hæ strophæ comparentur cum relatione Saxonis de simili illius procatione in hist. Dan. Lib. 3, ubi tamen Rindam pro Regis Ruthenici (sive Rusſici) filiâ accepit. Vid. *Ódinn* s. Vocabulum *Rindi* sive *Rinde* adhuc in Islandia orientali de terræ qvâdam arenosâ & infæcunda parte sumitur *****). Est igitur, ut puto, Rinda mythica pro Tellure hiberna & sæpisſime infæcunda capienda, donec ista (vere apropinqvante) filium Odino (coeli

*) Verbum hocce recentioribus Germanorum, Danorum & Svecorum lingvis in duo diversa separatum est: a) Germ. *rennen*, Dan. *rende*, Svec. *ränna*, *renna*, currere & b) Germ. *rinnen*, Dan. *rinde*, Svec. *rinna* manare, fluere; Angl. *run*, (vet. Scot. *rin*) ambas retinuit notiones.

**) Cfr. dictionem *Rinarmál* (Rheni sermo) de aqvarum fremitu vel murmure, aut sermone humano cum eo comparando adhuc usitatam.

***) Lingva prisca Scandinavica *d* et *n* duplex sæpe commutat e. gr. *Fidr* & *Finnr*. Sic pro Pers. *ruiden* dicere potuerunt *ruinnen* (unde Germ. *rinnen* &c.).

****) Opinamur Gudmundum Magnæum (doctum philologum sed mythorum sæpisſime minus aptum interpretem) in amborum horum locorum mythologica explicatione errasſe. Nos posterioris strophæ primordium duplici modo ita enodare tentavimus, nimirum a) *Rindar födrlardr rann med röstum fenris valla módur* ɔ: Rindæ (telluris) nutritor (vel nutrimentum; vis alimentaria ɔ: sol) percucurrit oceani profunda flumina vel b) *Fenris módr födrlardr rann med röstum Rindar valla* ɔ: Fenreris nutritor (aut nutrimentum, ɔ: Luna sive *Týr* noster Lunus) fesſus occidit ad flumina (oceani) terram cingentia. Videas omnino versionis nostræ Danicæ II, 227, 237-238.

*****) *Ol. Olavius oeconomisk Reise gjennem Island* II, 638. Cfr. Norveg. *Rinde* de campi oblongo colle vel protuberantiâ dictum.

domino) parit, Valium nempe, qvem nos aqvarii signo præfuisse opinamur. Cfr. Gloss. T. I. it. *Ódinn* s. *Vali* i. et *Frigg. Gunnlöd, Sif.*

Rudur (Ruþur) nomen amnis allegoricum G. G. 6. (Obs. 8). Est verisimiliter vertendum: ruens, sternens (o: impetuosa) a verbo *rydia*, ruere, sternere, (unde Dan. *rydde*, Svec. *rödja*, Germ. *rütten* in *zer-rütten*). Cfr. tamen Pers. *ruiden* fluere & pl. it. art. *Rín* s.

Rögnir (Ravgnir) Deus (qvidam) principalis, ut aliorum dux. Sic vocatur Heimdallus, qvem Bragius & Loptus (vel Lokius) seqvebantur, in expeditione ad mundum inferum, ut Idunnam ibi detentam de fatis mundi futuris examinarent Hr. G. 10. Aut Odinus aut Thorus illo nomine sive titulo indicatur, ubi de cælesti Dei rheda sive vehiculo sermo est, cum Runæ (sive characteres) mentales (aut imaginariæ) illi rotæ incisæ esse dicantur B. I, 15 (cfr. nostras huc pertinentes observationes in expositione carminum hujus Eddæ heroicorum T. II, pag. 925-926). Incertum mihi apparet an vocabulum notet Regem aut Deum (cui ob principis felicem ê periculis reditum solenniter libandum foret) AQ, 35. Monui tamen sæpius Deorum titulos vel nomina a vetustatis poëtis Regibus interdum fuisse adplicatos. Est alias *Rögnir* Odini præsertim agnomen, ut Deorum principis, sed interdum tamen in Thorum (â sectâ qvâdam ita cultum) est translatum e. gr. in Thorsdrapa (ed. S. Thorlacii str. 3. pag. 18, 65). De etymo cfr. *Ragnaravk, Regin* s.

Röska, Ravskva, non expresfis verbis nominatur, sed ita tamen memoratur: *Hym. Qv.* 38 (cum antea de claudicatione alterius caprorum, qvi Thori currum trahunt, sermo fuerat). "Vos vero audistis (qvisqve enim theologorum*) id plenius intelligere vel enarrare potest) qvodnam ille (Thorus) ab antricolâ **) pretium acceperit, is enim damnum illatum ambobus suis liberis rependit." Hæc verba seqvente junioris Eddæ fabulâ optime illustrantur (l. c. pag. 49): "Thorus, (Jotunheimos vel boreales aut orientales gigantum regiones petens) aliqvando rhedâ sua & capris vectus proficiscebatur, comite Asa eo qvi Lokius nuncupatur. Vespere ingruente ad colonum qvendam divertit, ibiqve nocturnam sibi parat mansionem, atqve utrumqve caprum suum mactabat, qvi postqvam excoriati essent, lebeti sunt adportati. Iis autem elixatis Thorus ad coenatum cum socio (Lokio) considet et patremfamilias, cum uxore et liberis, ad coenam hanc secum invitat. Filius coloni nominabatur Thialfius, sed filia Röskva. — Posuit autem Thorus pelles caprinas paulo remotius extra focum, jusfitqve colonum & do-

*) In originali: *Godmálvgra.* Hinc elucet carmen illud a gentili doctore neophytis (sacerdotalis forte ordinis) olim fuisse recitatum vel recitari solitum.

**) Vel *rectius*: colono in saxetis (aut aspreto) habitante.

mesticos ejus in pelles caprinas osfa projicere*). At Thialfius, in manibus tenens coxendicem capri, cultro ei incisuram impresfit et medullæ extrahendæ causa confregit. Thorus ibidem per noctem commoratus primo sublucano tempore surrexit et vestes induit. Mox malleo Miœlnere arrepto et elevato pelles caprinas consecravit. Qvo facto confestim ambo capri in pedes qvidem surrexerunt**), sed alter eorum, pede altero posteriore, jam claudicabat. Qvo conspectu Thorus rusticum vel domesticos ejus, qvod osfa non recte (vel prudenter) tractasfent, incusavit, animadvertens coxendicis os confractum esfe. Non opus est multis verbis; nam qvilibet probe intelliget, qvantum rusticus expavesceret, videns Thorum supercilia infra oculos demittentem, putavit enim semet, coram tantillo eo, qvanto patebat oculorum, soloqve ejus intuitu collapsurum esfe; cui id etiam accesfit, qvod Thorus manus ita manubrio mallei adstringeret, ut condyli albescerent. At colonus, ut par erat, cum domesticis operose clamavit, pacemqve implorantes, omnia sua in satisfactionem offerebant. Qvorum pavore perspecto, iracundiam Thorus demittit, et animo placatior factus est; sed in pignus reconciliationis liberos rustici, Thialfium scilicet ac Roskvam recepit, qvi illi igitur ad serviendum debito jure obnoxii facti sunt, eumqve deinde semper seqvuntur." Memorantur postea ambo in descriptione expeditionis Thori Utgardensis, ut ipsum fide comitati. Hinc in Skalda (pag. 101) Thorus herus Roskvæ nominatur. Fuit porro mythus ille variis ethnicæ antiqvitatis poëtis notus. Sic c. gr. Eilifus (l. c.) Thialfium, Thorum præliando adjuvantem, vocat Roskvæ fratrem. Nomen nymphæ hujus sive semideæ (qvæ verisimiliter phænomenon aliqvod, tempestatem tonitrualem comitans, olim allegorice indicavit) derivandum est ab adj. *Ravskr, Röskr*

*) Integra nimirum vel non fracta. Huc forte referendus est mos seqvens Lapponum Finmarkiæ (Thori gentilium cultorum) sacris epulis adhibitus. "Cor p. p. immolati animalis (ut Diis dedicata) a sacrificulo secernebantur. Reliqvis immolati animalis partibus in loco, sacrificiis hujus modi faciendis consecrato, coctis & ab invitatis convivis more solito consumptis, *omnia ac singula osfa* unacum particulis separatis, qvarum modo facta est mentio, *studiose collegerunt*, in cista qvadam ex cortice betulino, ad instar vulgaris loculi constructa, *naturali suo ordine reponenda*, in qvo statu pro vero tandem & ab omni parte perfecto sacrificio, Lapponice *Damengaren* nuncupato, habita sunt atqve usitatis ritibus solenniter sepulta." *Jesfen de vetere Finn. & Lapp. Norv. rellig.* pag. 46). Lappones Svecici numini pelles animalium immolatorum sacrare solebant. (*Två Berättelser om Lapp. Omvändelse* &c. pag. 50). Causam illius moris ita Lapponum qvidam Noaida (ethnicus sacerdos) explicavit: "vulgo inter Lappones credebatur, immolato animali non carnem duntaxat & vitam a Deo reddi, sed in statum qvoqve, pristino longe præstantiorem, postea restitui &c." *Jesfen* l. c. p. 53). Apud Judæos agni paschalis osfa non frangebantur (secundum præceptum divinum; Exodi XII, 46. Num. IX, 12.; cfr. Ev. Joh. XIX, 36).

**) Cfr. art. *Miölnir* s. (de nuptiarum ac exeqviarum eo peractâ consecratione p. p.).

(fæm. *Ravsk*) vegetus, strenuus, alacer Dan. & Svec. *Rask*, Germ. *Rasch*, Angl. *Rash* &c. Cfr. Lappon. *Raskkim* audeo; Pers *Rask* animi ardor (Dan. *Raskhed*) & pl.

S.

Sadr, Saþr, Sadur vel *Sádr, Sáþr, Sádur* occurrit ut Nomen Odini *Gr. M.* 46. — Si priores lectiones seqvamur nomen *Sadr, Saþr*, idem est ac *sannr*, cujus tamen notionis duo olim habuimus vocabula, nimirum a) adjective: verus, justus, hic forte verax, veridicus vel etiam æqvus, firmus. Dan. *sand*, Svec. *saun*, Scot. *sooth*, AS. *soð*, MG. *sunjeins*, Arab. *sadik*, Sanscr. *satia*, cfr. Lat. *sanus* b) substantive; veritas, æqvitas, firmitas, recentioribus Islandis *Sannleikr (Sannindi)*, Dan. *Sandhed*, Svec. *Sanning*, Angl. *Sooth*, Scot. *Soith*, AS. *Soð Soðlice*, MG. *Sunja*, Pers. Arab. *Sadak*. Cfr. Pers. *San* lex, ratio, Pers. Arab. *Shadot* testimonium. Huic vocabuli scriptioni vel notioni conveniunt Sanscrit. *Satia* & Hebr. *Sjaddai (el Schaddai)* qvæ ambo summo Deo (ut omnium verisſimo aut veracisſimo et veritatis patri) adtribuuntur. Huc porro pertinere videtur veterum Aegyptiorum *Saté*, veritas vel veritatis ac justitiæ Dea, inferorum simul regina, tribunali defunctorum præsidens. Si posteriorem lectionem præferas (vel illi ut aliam inter Odini nomina dictionem addas) *Sádr* derivari debet a voce *Sád* semen (q. d. Lat. *satum*) Dan. *Sæd*, Svec. *Säd*, Alem. *Sat*, Germ. *Saat*, AS. *Sed*, Angl. *Seed*, Belg. *Zaad*, *Saët*, Slav. *Schito (Sjito)*, Caucasio-Chunsag. & Dsar. *Tsched*, Curd. *Dshitei*, Pers. *Dsaw*, *Dsew* (hordeum) Gr. ζεῖα, ζεα far, (Cauc. Oss. *Sad*) frumenti genus, σιτος frumentum — qvod iterum nobis â verbo *sá* (*sái*, sero, in perf. obsol. *séri*) Dan. *saa*, Svec. *så*, Germ. *säen*, Angl. *sow*, AS. *savan*, MG. *saian*, Lat. obsol. *sere*, (a præs. *seo*). Hinc Vocabulum *Sádr (Sádur, Sáðor)* Latine *Sator*, qvod etiam Odino, ut supra docuimus, summo jure adtribui potest. Saturnus Italorum (qvem Dionysius Halicarnasſensis Celtis sive Germanis adscribit) eandem radicem sibi adscivisſe videtur. Feruntur qvoqve veteres Saxones Deum aliqvem coluisſe sub nomine *Sater, Seatar* vel *Satar*, a qvo etiam apud eos dies Saturni *Saterdag* dictum fuisſe volunt, sed hæc jam in medio sunt linqvenda. Cfr. *Roeszig deutsche Alterthümer* p. 172.

Saga (Sága) Dea in Söcqvabecko (cœlesti palatio) undis frigidis supra (vel circum) insonantibus tecto aut circumdato, qvotidie (vel per totos dies) cum Odino læta potat ex aureis vasibus *Gr. M.* 7. Edda junior, in enumeratione Asyniarum (pag. 36) eam secundo loco memorat, dicens ejus habitaculum magnam urbem sive arcem esſe. Annumeratur Asyniis (post

solarem Deam) in versibus memorialibus, Skaldæ (pag. 212) insertis. Illius Deæ habitaculum, poëtæ qvartum inter cælestes arces, urbes aut regiones numero, e nostrâ sententiâ responduit piscium zodiacali signo ac mensi ad id pertinenti (qvi circa 19 Febr. incipere sed æqvinoctio vernali die circiter 21 Martii concludi solet). Flumen illud cum Urdæ fonte, cælestium aqvarum primaria matrice, ac simul cum Græcorum cælesti Eridano, Aegyptiorum cælesti Nilo, Persarum Ardui-Sur, Indorum Gangi & multis talibus aliis est comparandum. "Nornæ monstrant. Omnipater agit (vel efficit)" in alio nostræ Eddæ poëmate dicitur. Odinus, qvamvis summa sapientiâ præditus, Nornarum non minus qvam Zeus Moerarum informatione eguit. Nornis certe cognata putabatur præsagiens ac enarrans illa *Saga* (i. e. loqvens vel referens) ad aqvas cælestes habitans. Ea cum Odino compotat e limpido ævi ac ætheris fonte et aureis vasibus aut phialis. Hæ forte alludunt ad solis e mari, iterum fluctuanti, jam splendidum ortum. Notat enim alioqvin Urdæ fons vernarum ac aëriarum aqvarum, tellurem foecundantium, ætheream (e priscorum hominum sententiâ) scaturiginem. Tunc in boreali climate hibernæ nives ac glacies solvuntur; tunc mare liberum oris alliditur, sonant fluentorum refrigerantes undæ, glaciei catenis penitus fractis vel in profundo submersis. Hinc illud cælestis palatii nomen *Söcqvabeckr* i. e. torrens (glaciem) submergens (q. d. Danice *Synkebæk* vel *Siunkebæk*). Respondet autem *piscium* inter gentes meridionales zodiacali signo (cui famosum illud Tentyræ ægyptiacum monumentum rivum sive fontem fluctuantem adponit). Temporis periodo, ei congruâ, hiems nostra finitur, ipso qvidem verno æqvinoctio incidente. Dicunt proverbialiter rustici Danici, qvod sanctus Petrus vel sanctus Matthias (olim ævo catholico culti) illo mense durante aqvis injiciat calidum lapidem, qvo glacies maris, fluminum ac lacuum solvatur. Hæc fabula olim certe valuit de Thoro, fulminante Deo, ut brontia vel ceraunia emittente. Celebrabat autem ethnicismo durante totus Sveciæ populus hoc ipso mense festum maxime solenne, dictum *Góeblót* i. e. sacrificium Goæ, (filiæ Thorrii sive Thori, â qvo mensis proxime præcedens suum nomen traxerat) in honorem ejus ac aliarum Disarum (Dearum & nympharum) unde festum illud interdum appellabatur *Disaþing* (Disarum judicium sive conventus). Tunc Upsaliæ Reges vel principes Sveciæ cum aliis regni optimatibus conveniebant ad sacrificia communia facienda & jura dicenda; agebantur simul nundinæ maxime freqventatæ, qvæ adhuc ibidem aguntur, nomine antiqvissimo *Disting* (Divæ comitia) hodie qvoqve insignitæ. Tunc certe, qvovis vespere post comitia peracta, inter pocula sonuere vatum lyræ ac cantiones illæ heroicæ, qvæ primam sæpissime efficiebant historiam, in principum ac optimatum

atriis, ad eorum & populi congregati delectationem. Odini in Svecia justus succesfor perpetuus gentis Rex ac pontifex maximus, Upsaliæ residens, olim habitus fuit. Sic non absurde terrestres principes Deorum cælestium aulicos mores (ut ê poësi ac traditionibus eos didicerant) imitari studuerunt. Goa Dea a Finnis vel Lapponibus Sveciæ propinqvis adhuc similiter Kuova appellatur, cum mense isti sacrato *). Hæc tamen Eddæ sub Goæ nomine incognita, ab illa *Saga* salutatur. *Saga* vulgo pro historiæ musâ sumitur, vocabuli valore, ipsam historiam sive narrationem denotans. Huc certe ea circumstantia est adferenda, qvod lingva prisca Scandinavorum aqvarum sonitum ac murmura sæpius cum humano sermone comparaverit e, gr. in dictione *Rínarmál* (de qvo consulas art. *Rín* s.). Tales cataractarum & rivorum sonos (aures hominis solitarii delectantes & qvietæ meditationi ac libero phantasiæ lusui faventes) gentiles nostri atavi habuerunt pro divinâ Naiadum vel aqvaticorum numinum voce, a cataractis igitur ac torrentibus oracula sumentes; observavit qvoqve vulgus rurale Islandicum, ad nostros usqve dies, qvod varius cataractarum sonus (aut gravior, aut levior) futuram aëreæ temperaturæ vel tempestatis ipsius variationem præsagiat. Talia naturalia vaticinia homines ethnici, naturæ potestates ut numina metaphysica colentes, ad alia qvoqve eventa lubenter extendebant. Sic e. gr. Islandiæ & alii superstitiosi homines maris ac fluviorum fremitum futuram nautarum vel viatorum aqvaticam mortem præsagire opinantur. Naias ita diversis undarum sonis vaticinans nomen *Saga* facile obtinere potuit. Ei certe cognata fuit Idunna nostra, ut suo loco satis copiose monstravimus. Ambæ hæ Deæ rivis vel fontibus melodicis adqviescebant & sonis similibus vatum humanorum pectora divinam sermonis ac poesëos facundiam inspirarunt. Sunt igitur non inepte cum Græcorum Castalidibus, Romanorum Egeria ac pluribus ejus generis canoris vel sapientibus nymphis comparandæ. Recentiores septentrionalium (præsertim Norvegorum et Svecorum) su-

*) Hïc etiam Scandinavis olim vulgari nomine audiit *Góe*, *Góa* vel *Gó* (qvam ultimam variationem doctisfimus noster Werlauff in vetere Danici cippi runicâ inscriptione indagavit); Islandis qvoqve hodie *Góa*, Norvegis *Giöe*, Svecis *Göie*, Lapponibus Svecicis *Kuova*. Cfr. *Wörm Monum. Dan.* pag. 18 qvæ Deabus Svecicis Goam adnumerant. Eodem certe tempore *Góa* nostra festo peculiari celebrabatur ac Græcorum *χοαι* (Februario mense) in memoriam *magni* (Deucalionis) *diluvii* & honorem defunctorum (qvibus Odinus præest & qvorum apud nostrates memoria ab ipsa Saga servatur); huc verisimiliter spectat figura muliebris, qvæ in Calendario vetusto Romano (in Grævii Thes. Antt. ad VIII, 97) mensem Februarium (vel potius Deam Februam) repræsentat, aqvam urnâ effundens; piscis adpositus & anser qvoqve (ut aqvatica avis) easdem ideas exprimunt. Junoni præterea (Februæ qvoqve nomine gaudenti) mensis iste sacratus fuit; (Jovis sociæ, ut Saga borealis Odini fuisse fingitur, mensem eundem dirigens).

perstitiones (gentili ævo orte) de dæmoniis ad cataractas & torrentes habitantibus, qvæ musicam artem optime exercent & homines interdum docere dignantur, alibi satis copiose tractavimus*). Observamus tantummodo qvod universa fere gentilitas maris ac aqvarum numinibus sapientiam, poesëos & vaticinandi artes adscripserint ut Græci e. gr. Proteo, Parcis, Musis, Sirenis & pl. Scandinavi autem Mimeri, Nornis, Sagæ, Idunnæ, et geniis ac nymphis aqvaticis, vel in ipso oceano vel continentis fluentis habitantibus. Cfr. Glosfaria T. I & II, ubi vox hæcce, variis dialecticis immutationibus adhibitis, lingvis Gotho-Germanicis, Persicis ac pluribus communis esfe monstratur, it. *Ódinn*, *Nornir*, *Idunn*, *Urdur*, *Mímir* **).

Salgofnir nomen (forte proprium) galli Valhallensis, qvi beatam (Valhallæ) gentem (sive incolas) qvovis mane cantu suo e somno excitare solet H. Q. III, 47. Memoratur aut nominatur ut aurea cristâ præditus, ac Einheros (vel heroes) ad ultimam pugnam excitaturus prædicitur. *V Spá* 39 (Obs. 65). Cfr. *Fialar*, *Gullinkambi*, *Hel*, *Valhöll*.

Sanngétall (ɔ: veritatem indagans) nomen Odini adscititum *Gr. M.* 46 a voce *Sannr*, *Sadr*, de qvâ suo loco supra, & verbo. *géta* a) adqvirere b) conjicere (de ænigmatis vel rei occultæ significantia) &c. Cfr. Gl. T. I & II. v. *Géta*.

Síd (*Síþ*) profunda vel demisfa, amnis cælestis vel Deorum regiones permeans *Gr. M.* 27. De nominis etymologiâ vid. Gl. T. I.

Sídgrani (*Síþgrani*) nomen Odini (patris Thori, ex hujus dicto) *Alv. M.* 6. Ejusdem notionis ac *Sídskeggr* i. (i. e. demissâ vel longa barba præditus) ***). De etymis vid. Gloss. T, I. v. *Síd* & T. II v. *Gravn*, *Granir*. Cfr. annotationem nostram in nomen *Grani*, art. *Ódinn* s. it. *Harbardr* s. *Sídskéggr* i.

Sídhöttr (*Síþhávttr*) ɔ: demisfo pileo præditus vel promisfo cucullo tectus; nomen Odini adscititium *Gr. M.* 46. Ab adj. *sídr* & subst. *Höttr*, *Havttr*, Dan. & Angl. *Hat*, Svec. *Hatt*, Germ. *Hut* &c. (recent. Isl. *Hattr*, de pileis virorum; qvum *havttr* tantummodo de mulierum capitio usurpetur). Cfr. *Ódinn* s.

Sídskéggr (*Síþskéggr*) longa barbâ ornatus, Odini nomen adscititium *Gr. M.* 46. Cfr.

*) *Eddalæren* og *dens Oprindelse* IV, 254-258, 307, 312, 316: cfr. II, 199 & sq.. 240 & sq.

**) Cfr. porro versionem hujus Eddæ Danicam I, 148, 170, 203-205. Latinis vocabulum Saga mulierem denotavit multisciam vel sacrorum peritam; cfr. sagire, præsagire & pl. Sic etiam *saga* nostratibus oraculi præsagitionem significasfe videtur.

***) Odinus sub tali formâ adparens hibernum forte cæli numen præcipue repræsentavit, ut exteri piloso illi ac barbato Serapidi eandem functionem adscribunt. — Alii Solis Deo crines pulchros & promisfos addicunt, ut e. gr. incolæ insularum australis oceani. Hinc qvoqve Græci Apollinis agnomina *ἀκειροκόμης*, *ἀκερσεκόμης* & pl., ac latina: intonsus, crinitus, pulchricomus &c. Apollo Asfyrius ingentem barbam gestare fingebatur.

Sídgrani s. Adj. *Sídr* demisſus & subst. *Skégg* barba, Dan. *Skæg*, *Skjæg*, Svec. *Skägg*, Caucas. Abass. *Sheke*, Tscherk. *Shake*, *Dsake*. Cfr. Angl. *Shag* pili longi & densi. — Cfr. *Sídgrani*, *Harbardr*, *Ódinn* s.

Sif (incertæ significationis) uxor Thori; convivio ab Aegero Asis parato adfuit. *Aeg. Dr.* introd. Inter stropham 53 & 54 Sifa, secundum tenorem Submiani codicis, medum Lokio in argenteo (sive glaciali aut glaciei figuris simili opificio ornato) calice propinavit, & Lokium amica admonitione sedare tentavit (55) sed responsi loco acre scomma recepit (56). Alii codices (e mea sententia perperam) Beylam pro Sifa habent*). Vocatur Thor Sifæ maritus *Hym. Qv.* 3, 34. *Þryms Qv.* 24. *Hyndl. L.* 39 **). Harbardus Sifam adulterii incusat *Harb. L.* 46 (cfr. 29-31). Edda junior (proprie sic dicta (pag. 31) innuit Sifam esſe Thori uxorem & Ulleri matrem. Eâ vel Skaldâ referente (pag. 107), Hrungner gigas, in Asgardia nimio mero inebriatus, omnia numina, Freya & Sifa exceptâ (qvas domum secum foret abducturus) interimere minabatur. Docetur ibidem (pag. 101 & 119) Sifa appellanda esſe uxor Thori, erga Jarnsaxam (ipsius concubinam) æmula; mater Ulleri & Thrudæ (Thori filiæ), Dea pulcherrimâ comâ ornata. cfr. Eysteini gentilis poëtæ, cantilenam (pag. 101) ***). Interfuit Aegeris convivio (pag. 129). In auri denominationibus hæc de ea (pag. 130-132) fabula refertur: "Cur aurum vocatur capillamentum (vel caliendrum) Sifæ? — Lokius Laufeyæ filius, irridendi causa, (vel fraudulentiæ propriæ indulgens) totam comam Sifæ detonderat. Qvod cum resciscèret Thorus, Lokium comprehendit, unum qvodqve os illi verberando confracturus, qvapropter Lokius jurejurando se obligavit ab Alfis atris Sifæ tale comparaturum caliendrum, qvod comæ instar naturalis cresceret. Deinde Lokius ad Dvergos qvosdam ivit, qvi filii Ivaldi dicuntur . . . Hi tale fabricarunt capillamentum . . . Lokius reversus Thoro dedit istud caliendrum . . . qvod simul ac capiti Sifæ adplicaretur, statim cum cute coalescere probavit" ****). Uti Edda junior, in enumeratione Asyniarum, Sifam omittit, sic

*) Cfr. versionem Danicam II, 301, 316. In codice Regio nomen Deæ Lokio propinantis, penitus vacat.

**) Rationes hujus translationis exposuimus ad versionem nostram præsentis Eddæ Danicam III, 21, 34.

***) Sic etiam Gretterus robustus Thorum ut Sifæ maritum memorat. *Grettis Saga* ed. Hol. Cap. 54, pag. 128 ubi *verds* (pretii) prave pro *vers* (mariti) est positum.

****) Hunc mythum optime illustravit beatus noster & immortalis Sculo Theodori Thorlacius: *om Thor og hans Hammer*, *Scand. Mus.* 1802 IV, 54-62. — Ibi Sifa (multis rationibus adlatis) pro Tellure sumitur, ejus coma pro herbis & floribus, qvas Lokius (ignis nocivi dæmon (consumit, sed a Thoro tonitruali deo, Telluris marito) in subterraneis regionibus a Dvergis

eundem qvoqve casum accidere cernimus in versibus illis memorialibus, qvi Skaldæ (pag. 211–212) sunt inserti. Hinc concludere posſumus qvod Sifa revera eadem sit ac Tellus (sive *Jörd*, Jarda, Jerda, Erda, Herda, Hertha) qvæ in Skaldæ (pag. 220) versibus memorialibus, qvi istius Deæ nomina recensent, expresſis verbis *Sif* inter alia nuncupatur. Alio loco (adhuc inedito) codex qvidam manuscriptus cerevisiæ vel inebriantis cujusvis potionis phialam appellat vocabulo *Sif*, cum hæc Dea edat frumentum ac plantas, qvæ talem potum promunt, (cfr. *AEg. Dr.* l. c.). Prologus Eddæ junioris, alii certe auctori qvam ipsum opus adscribendus, ita (pag. 12) fabulatur "Tros, qvi nobis Thor (vel Thorus) audiit, filius Munonis vel Mennonis (Memnonis) Trojæ Regis, Thraciæ regnum nactus, mundi regiones peragravit ac multa facinora gessit. In septentrionali mundi parte vidit prophetisſam qvandam (vel fæminam vatem)*) qvæ nobis *Sif* audit, sed alias Sibil [Sibylla vel Cybele?] dicitur, ac eam sibi matrimonio junxit. Nemo Sifæ (paternum aut maternum) genus indicare vel recitare potest; omnium mulierum fuit pulcherrima & comam auro (splendore) simillimam gestavit." (Seqvitur enumeratio horum conjugum posterorum qvæ ex exteris certe scriptis est composita, ut supra monstravimus in art. *Odinn*). Statua Sifæ Deæ spectabatur in templo Norvegico Haconi Hladensi principi & Gudbrando Dalensi proprio, (sec. 10^mo), ut docet *Nidla* Cap. 78. Sifa (vel Siva, qvum vocis pronuntiatio huic posteriori scriptioni faveat) culta fuit a Germanis & Venedis vel Slavis ac porro (ut qvidam volunt) ab Herulis, sub nomine Siva vel Siba. Repræsentabatur ea sub figura mulieris, comâ pulcherrima & largisſima prædita ac serto floreo coronata, una manu aureum pomum **) sed alterâ racemum ac viride folium gestans ***). Ita Sivam dictarum gentium Tellurem frugiferam symbolice indicasſe, nullo dubio carebit. Colebatur præcipue Ratzeburgi, in prisca Polaborum regione. Inventa

(dæmonibus epichtoniis) nova (seqventis veris) vegetabilia (calore ac occultis naturæ viribus) producta expetere &c. Cfr. *Mone Gesch. der Nord-Europ. Heidenthums*, I, 405, 415, 420. *Stuhr Abh. über nord. Alterth.* p. 98, 101.

*) Alioqvin Frigga & Gefiona, qvæ manifeste sub variis personis Tellurem similiter mythice repræsentant, vaticinia callere perhibentur, in eundem modum ac Græcorum *Γη πρωτομαντις*.

**) Pomum adhuc Persice *Sib* adpellatur.

***) Vid. *Arnkiel Cimbrische Heyden-Religion* I, 120 cum annexa imaginis Sivæ delineatione (qvæ etiam a Schedio, Montfaucon & Kaysarow est communicata ac novisſime in Vulpii *Handwörterbuch der deutschen Völker &c.* 1826 Tab. III, Fig. 1. Cfr. porro *Banier Mythologie des fables* T. 5. L. 7. C. 6 & *Falckenstein Antt. Nordgav.* T. I, C. 3. §. 16). Hæc descriptio ac delineatio primum (e nostrâ opinione) invenitur in Bothonis (ut dicunt) Chronico Saxonico (Leibnitz Scr. Brunsv. III, 339) Memoratur autem Siva ab Helmoldo in *Chron. Slav.* L. 1. C. 52 §. 2 ut Dea Polaborum.

est etiam imago ejus in Rhetræ ruinis, uvam manu tenens sed capite hominem (ut videtur) dormientem portans*). Hoc alludere opinor ad Tellurem hominis matrem, qvi istum peperit, nutrit & tandem eum defunctum (vel qvasi dormientem) recipiet, unde Scandinavis gentilibus hæc dictio fuit familiaris: *at falla í modur ætt* o: stirpi (sive generi) maternæ accidere i. e. mori, sepeliri. Alii istam Sivæ additam figuram pro simiâ tantum ceperunt,**) illam simul pro vitæ ac foecunditatis Dea accipientes. Venedicæ hujus Deæ nomen qvidam interpretes *vitam* sed alii *virginem* explicant. Nostrum *Sif* (A. S. *Sib, Sibbe*) aperte notat cognationem (Germ. *Sippschaft* &c.) nexum vel stirpem (genealogicam); hinc Sculo Thorlacius ingeniose conjecit per eam Tellurem omnium terrestrium entium primam stirpem ac matricem intelligi debere. Cfr. Gl. T. I. v. *Sif*, *Sifiadr*, T. II. *Sifiar*, & pl. Dea *Siva* (vel *Shivâ*) ab Indis Brahmanicis ad hunc usqve diem ut Dei Sivæ (qvi Thoro in multis respondet) vera conjunx adoratur***).

Sigfödvr (Sigfavdur, Sigfadir) nomen Odini adscititium *Gr. M.* 46. *AEgr. Dr.* 59, *VSpâ* 50. Denotare potest a) victoriæ b) vel belli et c) felicitatis patrem. Puto tamen hic respici primam notionem vocis *Sig*, adhuc qvoqve usitatam, nempe occasum segnem sive lentam demissionem ****) i. e. astrorum cælestium, cujus pater vel auctor Odinus ut Coelus ipse dici potnit *****). Alioqvin vox *Sig, Sigr* a) (qvamvis prior vocula vel variatio interdum de bello usitetur) est Dan. *Sejer*, victoria Svec. *Seger*, German. *Sieg*, Aleman. *Sigo*, *Sigor*, Anglo-Sax. *Sige*, *Sigor*. Cfr. Sanscr. *Sigi victor*. b) Pers. *Sohiki (Sjiki)* cædes, it. funde sive pro-

*) *Masch gottesdienstliche Alterthümer der Obotriten* pag. 52. *Allgem. Weltgesch.* LI, 243.

**) Ex. gr. *Arendt Grossherz. Strelitz. Georgium Nord-Slav. Gottheiten*, sub No. 7. Is etiam in Siebâ (qvam Rostochii cultam fuisse perhibet) Thori nostri uxorem recognovit. Plurima de Venedica illa Siva diligenter collegit ac tractavit Ingemannus noster (celeberrimis Daniæ poëtis adnumerandus) in ingenioso ejus scripto: *Grundtræk til en Nordslavisk og Vendisk Gudelære* (1824, 4. pag. 15-17). Is eam ut vitæ ac amoris Deam interpretatur. Cfr. porro *Kaysarow Slav. Mythol.* p. 92, 95. *Karamsin Rusf. Gesch.* I, 59. Hic etiam (pag. 72) *Ziva* ut vitæ Deus (numen?) cultus fuisse adseritur. *Mone* l. c. I, 176, 180. Qvum cor pro vitæ fonte certo modo habeatur, id forte hic notari meret qvod *Sziv* Ungarica lingvâ cor significet. Hoc certe cum nostro *Sefi* (animus), *Sifr*, *Sifiar* &c. est comparandum.

***) *Blaqviere on the sangvinary chapter of Calica Purana*, *Asiat. Res.* V, 380.

****) Anglo-Saxonica *Sig*, *Sige* similiter significant cursum, declinationem, occasum. Cfr. *Stgtoptir* i. (ejnsdem notionis ac *Sigtún*) qvæ de cælo olim dicta fuisse videntur.

*****) Phantasia poëtarum ac aliorum ex astris se invicem perseqventibus finxit qvoqve cælestem pugnam inter astrales genios (dæmones vel heroes) qvæ forte qvotidiano Valhallensium prælio vel potius militari exercitio, suam dedit originem. Cfr. *Einheriar* s., *Valhöll* i. Hæc omnia ab Odino, ut summo nostri coeli ac coelestium numine, disponi aut dirigi credebantur. Cfr. vers. Edd. antiqv. Dan. II, 317.

fliga exercitum. Cfr. Gr. σευω cieo, agito; σειω moveo, qvatio. c) Sanscr. *Sri (Siri)* felicitas. — Verbum vetus Scandinav. *siga* (in præs. act. *sig*) est lat. sidere, labi, lente demitti aut defluere, Anglo-Sax. & Moeso-Goth. *sigan*, Belg. *siigen*, Lett. *ssikku;* hinc Dan. *segne*, Svec. *segna* & pl. Cfr. Gl. T. I. v. *Sigi* & II v. *Siga*. Cfr. *Sigtívi*, *Sigtýr* (& alia mox seqventia).

Sigrdrif, *Sigurdrif*, *Sigurdrifa* (i. e. victoriam arcens aut propellans vel etiam — ac originitus forte — nix aut procella victrix). Sic vocabatur Valkyria qvædam, qvæ postea sub Brynhildæ nomine famosisfima evasisfe fertur. Sigurdus Fafnericida, celeberrimus Scando-Germanicæ antiqvitatis heros, post immanis illius draconis cædem, ascendit eqvo Hindarfiall (cervæ montem)*) et cursum intendit in Franconiam austrum versus. Vidit autem in monte magnum lumen, ad instar ignis flagrantis, unde fulgor in coelum emicuit. Qvo cum adveniret vidit vallum (rotundum) clypeis constructum (vel etiam testudinatam arcem aut ædem) et vexillum supereminens in medio erectum. Sigurdus intravit vallum (vel arcem) et conspexit hominem ibi cubantem ac dormientem, sed universâ militari armaturâ instructum. Primum galeam capiti ejus exemit; tum vidit mulierem esfe. Lorica erat immota, ceu corpori adcreta esfet. Tunc exsecuit gladio Gramo inde superne ab cervicali apertura loricam usqve ad imum; itidem manicas ambas ad manus usqve. Deinde exuit eam lorica; ea autem evigilans et in cubili adsurgens, viso Sigurdo interrogavit: qvid loricam secuerit, cur ita evigilaret et qvis ei tristes calamitates (vel potius pallida aut fusca vincula vel corporis involucra) abstulerit. Sigurdus proprium nomen ei indicavit. Illa responduit: se diuturno somno, ex Odini mandato oppresfam fuisfe. Sigurdus adsidens rogavit eam nomen illius; ea tum cepit cornu plenum medo et dedit ei potionem memorialem (vel potius salutatoriam aut amatoriam) hac memorabili imprecatione addita:

"Salve dies!
Salvete diei filii!**)
Salve Nox et nata! ***)
Placidis oculis
Adspicite nos itidem
Et date sedentibus felicitatem! ****)

*) Vid. Onomasticon Eddæ antiqvioris T. II. De situ hujus montis inferius plura adferemus.

**) I. e. radii solis, vel Alfi (aut genii) lucidi eos producere aut dirigere crediti.

***) Hic noctis filia, Tellus nimirum, intelligi videtur, sed hæc qvoqve posterius invocatur. Vox *Nipt*, qvæ nata hic explicatur, alioqvin cognatam vel sororem indicat. Qvæ autem Dea pro noctis sorore est habenda, nisi ea qvæ *Fiörgyn* vocatur & Friggæ vel frugiferæ telluris Deæ mater interdum appellatur? vid. *Fiörgyn* s.

****) Hic vox *sigr* (de qvâ supra ad vocem *Sigfödr* egimus) hac aperte significatione gaudet.

Salvete Asæ (Dii)!
Salvete Asyniæ (Deæ)!
Salva sit polychresta Tellus!
Facundiam et sapientiam date
Nobis duobus illustribus
Et medicas manus dum vivimus!"

Jam primum illa nomen suum Sigurdrifa esse adserit, et se Valkyriæ qvoqve (sive Bellonæ aut amazonis) munere fungi. Narravit autem duos Reges dimicasse, qvorum uni nomen erat *Hiálm-gunnar* (Gunnar sive miles galeatus); summo huic sed senescenti bellatori Odinus victoriam promiserat; alter autem dicebatur Agnar (Hoedæ, Hadæ sive Adæ frater) qvem (sacrificantem) nullum numen accipere (vel exaudire) dignabatur *). Sigurdrifa (pergit illa) dejecit Gunnarem in acie, sed Odinus eam spinâ sive acu soporifera **) percussit in ejus facti vindictam, et jussit, ne unqvam postea in acie victoriâ potiretur, sed decrevit ut [humano viro] nuptum daretur. At ego (inqvit) ei dixi, qvod voto me contra obstringerem, cum nemine inire nuptias, qvi metuere posset. Sigurdus respondens orat, ut se doceat philosophiam (vel occultiorem scientiam) qvando qvidem eventa undiqve mundorum sciret, Sigurdrifa cecinit:

Potionem tibi offero
Heros bellicose!
Vi medicatam
Et ingente gloriâ,
Repleta est poësi
Et medicinâ,
Faustis cantionibus
Et jucundis sermonibus.

Seqvitur magica Sigurdrifæ doctrina Sigurdo communicata, de variis Runarum (vel occultiorum scientiarum) generibus, qvæ varia moralia consilia seqvuntur. Horum ultimum eo tendit: ut malum semper observet Sigurdus, qvorsum id sit evasurum; innuit se tandem longam vitam ei scire destinatam (si nimirum Runas memoratas rite calleret ac ethicis illis regulis obtemperaret) — at validas (aliorum) fraudes, calumnias ac disfidias ipsius felicitate obstare qveritur. Omnia præcedentia continentur in B. Q. I, alias dicta *Sigurdrífo-mál* & prosaica ejus in-

*) Verterunt interpretes: qvem, qvicqvid exstitit fœminini sexus, repudiabat. Cfr. vers. Dan. IV, 43 (notâ 7).

**) Hæc soporifera spina a celeberr. *v. d. Hagen* merito comparatur cum simili Hermetis virgâ; cfr. Odyss. Lib. 24 in initio. Apud nostrates talis mythica virga nocturno dæmoni adtribuitur (Hr. G. 13) ac ita describitur: "Accedit ab oriente, ex Elivagis (extremo oceano) spinea virga, impulsu (vel jactu) gigantis perfrigidi (aut pruinosi), qvâ Dainus (soporifer vel animi deliqvia efficiens) omnes super almam tellurem (Midgardiam) populos qvavis nocte ferire solet." In superstitione recentiore similis acus sive virga, homines sopiens, Magis sive veneficis adtribuitur ac Islandis audit *Svefnþorn*, Danis *Sövnpryn* &c. Cfr. vers. Dan. II, 235-236 it. *Dáinn* a. *Volsúnga Saga* Cap. 29 (qvo fabulæ istius epitome continetur) acum illam capiti Sigurdrifæ incisam fuisse narrat.

troductione. Præter ingentem lacunam in præstantisſimo Eddæ antiqvioris codice, qvi in regia Haſniensi bibliotheca servatur, prosaicum habetur hoc papyraceorum qvorundam librorum additamentum, ab editoribus omisſum: "Inqvit Sigurdus: nullus homo te sapientiâ superat. Juro me te uxorem ſore ducturum, nam tu meo optime places ingenio. Responduit illa: te certe eligam e viris omnibus, si eligendi talis facultas mihi indulgeretur. Hæc (promisſa) jurejurando invicem confirmarunt." *) Alias in Edda antiqviore his locis Sigurdrifæ nostræ ſacitur mentio: In vaticinio Griperiano (sive S. Q. I, 15-18) prædicitur illud Sigurdi montanum iter, **) magici virginis somni disſolutio, ac Runarum salubrium seqvens recitatio, heroi â gratâ doctrice præstita — at amores eorum aut sponsalia promisſa penitus a vate reticentur, qvamvis similia certe de Sigurdo et Brynhilda, ut posteriora eventa, multis præsagiat. Mythica alia aqvilarum prophetia (post Faſneri cædem edita) sic de nostra Sigurdriſâ cantaverat (S. II, *β*. 42-44):

Aedes est in celso
Cervæ monte,
Tota exterius
Igni circumdata,

*) Exhibetur nihilominus locus hicce in editione Holmiensi, ita expresſus: *Sigurþr mælti: engi ſinz þér vitrari madr* oc *þess sver ec at þic scal ec helzt ega, þótt ec kiósi vm alla menn,* oc *þetta bundo þau eidum med sér.* Cfr. vers. Dan. IV, 53. Huic versioni et Holmiensi Raskii editioni est insuper addita relatio Volsunga-Sagæ de infaustis Sigurdi & Brynhildæ (olim Sigurdrifæ) amoribus, qvæ qvidem e maximâ parte ex vetustis cantilenis jam alioqvin deperditis est desumta. Vereor tamen, ne fragmentum illud (in Volsunga-Saga de Brynhilda, non Sigurdrifa, qvod nomen ea narratio ignorat, relatum) hic a librario vel recitatore aliqvo perperam sit insertum, ac Valkyria illa igitur cum virgine vere humana confusa. Edda junior nihilominus (pag. 139) refert Sigurdum in monte qvodam invenisſe ædem, ac in ea mulierem, galeâ ac loricâ indutam; is loricam ita disſecuit ut ipsa evigilaret, se Hildam vocans. "Ea, appellatur Brynhilda & fuit Valkyria. Sigurdus inde eqvitavit" &c.

**) De locis illis in Germania sitis multa præcipue collegit celebr. v. d. Hagen in ejus introductione & annotationibus ad ipsius: *Eddalieder von den Nibelungen, Berlin* 1814, ut: *Gnitaheidi* pag. XLI, 14 (obs. 3) & *Hindarfiall* pag. 52. Extrahuntur ibidem loca memorabilia diplomatum duorum (de annis 1043 & 1221): "in medium montem Veltberc ("jam *Feldberg*, Hasſiæ") ad eum lapidem qvi vulgo dicitur lectulus Brunihildæ." Inveniuntur ad eandem rupem (qvæ ad poëma Gerningii: *die Heilqvellen des Taunus* 1814, 4. delineata habetur) rudera vetusta murorum, ut etiam vulgi circumhabitantis superstitiosæ traditiones de igne nocturno ibidem flagrante, ac umbrâ sive formâ Brunhildæ in eo visâ, adhuc fabulantur. Cfr. Onomasticon noatrum ad Edd. antiqv. T. II, v. *Gnitaheidi*, *Hindarfiall*. His jam addendum qvod varians dictio, qvæ cantilenis heroicis Faeroensium, a celeb. *Lyngbye* editis (*Færöiske Qvæder, Kbhavn.* 1822 pag. 128) irrepsit, nimirum *Hildarfiall*, pro originaria ac ingenua non improbabiliter sit habenda. *Gnitaheidi* in iisdem carminibus vocatur *Glitrahaji* ↄ: mons sive tesqva elevata, splendoris vel splendentium rerum, qvod etiam nomen mythi contentis optime convenit.

Eam periti
Viri [genii] concinnarunt
E non obscuro
Aeqvoris splendore [auro].

Nóvi in monte
Qvod bellandi gnara*) dormiat,
Et super volitat
Flammea tiliæ noxa;
Yggus (Odinus) spinâ punxerat
Pallæ (vel pelli ɔ: ursinæ) incumbentem
Mulierem, viros
Qvæ tollere cupiebat.

Poteris vir adspicere
Virginem sub galea
Eam qvæ a prælio [cæde]
Vingskornere [caballo] vecta fuerat;
Non licet Sigurdrifæ
Somnum rumpere
Regum soboli,
Ex decreto Parcarum.

Hæc (a priore discrepans) oraculi aqvilini explicatio vetat heroi Valkyriæ (ab Odino punitæ) poenalem somnum rumpere, ne ipse ut prohibiti facinoris reus fatis infaustis semet devoveret. Sic originitus Sigurdrifam Valkyriam a Brynhilda Budlii filia diversam fuisse opinamur, sed ambas postea a poëtis confusas e. gr. H. B. 6-9:

Curavit induvias nostras**)
Animosus Rex
Octo sororum
Sub arborem ferri;
Eram hyemes [annos] XII nata,
Si tibi scire lubido est.
Cum ego juveni Régi
Juramenta dedi.

Me adpellarunt omnes
In Hlymdalis***)
Hildam sub galeâ ****)
Qvicunqve me novit;
Tunc feci senem
In Gothica regione*****)
Hialm-Gunnarem proxime
Helam adire;
Indulsi victoriam adolescenti
Adæ fratri,
Tunc mihi ob istud Odinus
Nimium iratus evasit.

*) *Fólcvitr;* vel etiam sapientiâ præstans.

**) "*Hamir* pennatæ sive alatæ induviæ qvibus belligeræ Odini virgines usæ sunt". *(Johan. Olav. Hypnones.)*. Has verisimiliter Sigurdus (Brynhildam e vatis narratione ambiens) sub arbore qvadam defodiit, ne iis amplius (terras pervolantes) uterentur, cfr. *Völ. Qv.* in primordio. Alii eas alatis eqvis insidentes repræsentasse videntur e. gr. S. II, *β*. 44, H. I, 26, 28, H. II. 15-17, 27, 50, H. III, pag. 90, 94, 97.

***) ɔ: Sonoris vallibus — Heimeris, Brynhildæ nutritii habitaculo.

****) Vel galeatam (it. *Bryn-hildur*: Hildam loricatam). Soror ejus vocabatur (e contrario) *Beckhildvr* ɔ: Hilda scamno (vel sedi) ac muliebribus operis adsveta. Vid. Vols. S. C. 32.

*****) Vel Deorum aut divina regione i. e. in terrâ inhabitatâ a populo Deos colente, & a principibus, Diis editis, gubernato. Ex his igitur fuit Hialm-Gunnar ille, ob eam forte causam ab Odino protectus. Cfr. Onomasticon T. II, v. *Goðþióð.*

Is me clypeis circumclusit
In Skatii luco
Rubris et candidis,
Orbes *) me adtigerunt;
Eum jusſit rumpere
Meum soporem
Qvi nuspiam terrarum
Timere posſet.

Fecit circa ædem meam
Qvâ meridiem spectabat
Celsum flagrare
Hostem omnis ligni;
Eum jusſit unum virum
Eqvo transire,
Qvi mihi portaret aurum
Qvod sub Fafnere jacuit.

Seqvitur relatio de Sigurdo istud facinus perficiente, ac seqventibus eventis, qvæ in Volsunga-Saga (ac partim qvoqve in Skalda pag. 159 & sq.) amplius enarrantur (Cap. 36 & sq.). De priori etymo nominis (in runicis qvoqve Sveciæ cippis occurrentis) vid. *Sigfödr* s. Alia *Drif, Drífa* vulgo significat procellam, vehementem tempestatem, turbinem, nimbum (nivis aut pluviæ) p. p. a verbo *drífa* arcere, pellere, propellere, ruere &c. Dan. *drive*, Svec. *drifva (drifa)*, AS. *drifan*, Angl. *drive*, M. Goth. *draiban*, Germ. *treiben*, Gr. τριβειν. Cfr. Lat. tribulare & pl.

Sigrlinn (Sigurlinn) o: victoriæ aut felicitatis fons, filia Svafneri, Svavorum vel Svevorum **) Regis, formosisſima, postea Hiorvardo, Norvegico Regi nupta ac mater Helgii Haddingici H. III. Nomine dicti Hiorvardi Atlius (vel Attalus), nobilis juvenis, eam ambierat sed matrimonium ita petitum, è Franmaris, Svevici Comitis, consilio, illi fuit denegatum (T. II, pag. 27). Atlius ille, domum reversus, adstitit luco cuidam, avis autem qvædam sedit in ramis arboris supra caput ejus, atqve audierat, qvod ejus comites mulierum venustisſimas censebant eas (qvatuor), qvas Hiorvardus Rex in conjugio habebat. Avis garriit, Atlius autem auscultavit his illius dictis:

Vidisti Sigurlinnam
Svafneris gnatam
Puellam formosisſimam,
In jucundo domicilio?
Tamen lepidæ sunt

*) Forte magicis inscriptionibus signati. Cfr. Skalda l. c. pag. 160. — Potest tamen hic sensus verbis inesſe: orbes scutorum (qvæ vallum aut arcem *Skialdborg* dictam) effecerunt, se in vicem adtigerunt. Primæ conjecturæ favere videtur hæc stropha è cantilenis heroicis Faeroensium (l. c. pag. 140 str. 33, cfr. 31, 32) excerpta:

Ikkji maattu Dvörganir
Burtur vi Runun bera o:
Non potuerunt Dvergi (dæmones)
Runas illas auferre (vel sustollere).

**) Vid. onomasticon nostrum ad Eddæ antiqv. II, 891-892 v. *Svafa, Svafar, Svafnir, Svavaland*; lege *Svava* &c.

Ex hominum sententiâ,
Hiorvardi uxores,
Apud Glaseris lucum *)
Atlius regesfit:
An tu cum Atlio
Idmundi filio
Avis multiscio animo prædita!
Plura loqvi voles?
Avis canens responduit;
Volam, si me princeps
Adorare velit,
Et eligere mihi liceat, qvod lubet
E regio domicilio.
Dixit Atlius:
Ne eligas Hiorvardum,
Neqve ejus filios,
Neqve illas venustas
Principis virgines
Neqve uxores eas
Qvas Rex posfidet,
Paciscamur integre inter nos
Is est amicorum character.
Avis cecinit:
Fanum ego eligam,
Delubra **) multa,
Cornubus auratas vaccas ***)
E Regis oeconomia,
Si ei Sigurlinna
In sinu dormit
Et incoacta
Cum Rege vivit." ****)

Postea Rex ipse cum Atlio illo Sveviam tetendit. In itinere isto, qvum nocturnam sibi paraverint mansionem apud amnem aliqvem, Atlius, excubias agens, hunc transiit. Ibi reprehendit ædem qvan-

*) Nomen loci, ubi Hiorvardus habitavit, fuit *Glasis-lundr.* Eâdem igitur appellatione gaudet lucus *Glasir* (i. e. splendens, splendidus). De hoc ita agit Skalda (pag. 130): "In Asgardia, ante fores Valhallæ stat lucus qvidam, *Glæser* nuncupatus; sunt autem cunctæ ejus frondes auri instar rutilantes, ut hic in (antiqvo) carmine dicitur:

Stat Glaser ornatus
Aureis frondibus
Ante Sigtyris (Odini) atria.

Ea sylva (sive arbor) splendidisfima est (vel maxime speciosa) inter Deos & homines." Ita qvoqve dictum est in vetustisfimo Biarkiano carmine *(Biárkamál en forno)* adscripto Bodvari Biarkoni, Rolfi Krakii athletæ:

Gramr hinn giöflazti
Gladdi hird sina . . . .
Glasis glóbarri,
o: Rex ille munificentisfimus
Aulicos lætos reddidit . . . .
Glaseris splendidis frondibus.

(Ibi etiam reperiuntur multæ aliæ auri poëticæ denominationes, qvarum propria origo in Eddis ambabus explicatur).

**) Vel etiam: aras aut idola.

***) E more Græcorum, Indorum & pl. qvi etiam tauris, festivis occasionibus vulgo donatis, nostris qvoqve diebus in Europa fuit adhibitus.

****) Addit relatio nostra, è vetustâ rhapsodiâ desumta: "Hoc evenit ante iter Atlii."

dam, in cujus fastigio avis magna sedit et eam custodiit (vel servavit), sed jam tamen obdormiverat. Atlius avem, usqve ad neccm, jaculo spiculabatur, invenit autem in domu illa Sigurlinnam Regis gnatam et Alofam Franmaris filiam, ac eas secum abduxit. Franmar Comes formam (sive induvias) aqvilæ susceperat et vi fascini virgines defenderat ab hostili exercitu — interemerat enim Rex qvidam, Hrodmar nomine, (alter) Sigurlinnæ procus, Svevorum Regem, sed regionem diripuerat atqve exusferat. Hiorvardus Sigurlinnam in conjugium obtinuit, sed Atlius Alofam. Hiorvardi & Sigurlinnæ filius fuit Helgius dictus *Haddingia Skaþi* ↄ: Haddingorum nocivus hostis aut etiam — *Skati* ↄ: — heros (nisi duo athletæ diversis illis nominibus sint gavisi); iste ac Svava, ejus amasia, renati fuisse dicuntur (ac is qvidem ipse antea renatus, ut qvidam ex H. Q. III prosaici appendicis verbis conclusere). In carmine Nibelungorum Germanico duæ occurrunt fæminæ nomine *Sigelint* vel *Sigelind* insignitæ; una earum fuit Sigismundi regina & Sigfridi (nostratium Sigurdi) mater, altera autem Naias qvædam vel nympha aqvatica, qvæ Hageno (aut nostro Haugnio vel Hognio) apparuisse fingitur. De priore nominis etymo vide *Sigfödr* s. — posterius autem *Linn*, *Lind* prisco Scandinavorum sermone sonuit fons, scaturigo, aqva; Scot. *Lin*, *Lyn*; Cornubice *Lin*, *Llun*, Cambro-Brit. *Llynn*, Gaël-Scot. *Linne*, Hibern. *Lin*., AS. *Hlynna (Lynna)*, Gr. λιμνη p. p. Cfr. Finn. *Laine* fluctus &c. it. porro Glosf. T. II. v. *Linn*.

Sigrún, Hognii Regis Sveo-Gothici filia, sed Valkyriis nihilominus adnumerata, qvæ earum more aëra et æqvora pereqvitavit. Fuit etiam Svava (Helgii Haddingici amasia) regenerata (cfr. *Sigurlinn* s.). Venit ad naves Helgii Hundingicidæ, juvenis Daniæ Regis, in Brunavogis cum classe sua stationem tenentis; primum eorum colloqvium recitatur H. III, 4–12. Hodbroddus, Granmaris (vicini) Regis filius, Sigrunam a patre, ipsâ invitâ, in Regum comitiis sponsam sibi procuraverat. Ea autem istud resciscens eqvitavit cum Valkyriarum (nympharum bellatricum) comitatu per aëra & æqvora ad Helgium investigandum. Incidit Sigruna in eum apud *Logafiöll* (flammæ montes), qvum cædibus fatigatus, Hundingianis hostibus prostratis, sub aqvilæ petrâ *(Arasteino)* resedit. Sigruna accurrens collum herois amplectebatur ac ipsum osculata se eum amare declaravit & illius auxilium contra Hodbroddum, ut procum violentum ac sibi exosum postulavit. Helgius Sigrunam sibi desponsavit ac se ei contra Hodbroddum opitulaturum innuit. H. III pag. 94, 95, str. 13–16. Helgius deinde ingentem navalem exercitum collegit. Ad Frecasteinum tetenderunt, sed mari in tempestatem periculosam inciderunt. Tunc fulgura eis superveniebant & radii in naves coruscabant. Cernebant novem Valkyrias aëra pereqvitare & Sigrunam inter eas recognoscebant. Tempestas deinde

decrevit et incolumes isti ad terram appulerunt, (ibid. pag. 97). Prælium brevi agebatur; qvo Hodbroddus occubuit; eum morientem Sigruna, stragem permeans, alloqvitur (pag. 97, 98 str. 18). Postea Helgii conventu lætabatur, sed mox tamen patris ac fratris bellica morte ac sponsi (Nornas adcusantis) de iis eventis relatione contristata evasit pag. 99, 100 str. 19–21.

Hæc plurima paullo aliter in alio vetustatis carmine referuntur. Helgio victoriâ ex Hundingianis potito, sub aqvilæ petrâ sedente jubar ê *flammæ montibus* coruscavit, et ex isto splendore fulgura micabant. Iverunt tunc per coeli plagas (virgines Valkyriæ) galeis tectæ; loricæ ipsarum erant cruore adspersæ sed radii ab hastis lucebant. Heros Helgius, inter strepentia arma, nymphas illas australes interrogabat, numne istâ nocte cum militibus (victoriosis) domum petere vellent. Hognii filia (Sigruna) eqvo insidens scutorum crepitum sedavit, regesſit sibi ac reliqvis sociabus alia negotia eſſe gerenda, qvam merum cum viro (vel viris) haurire. Seqvitur Hodbroddi incusatio ac auxilii contra eum petitio, qvod etiam Helgius respondens virgini promittit. H. Q. II, 14–19. Ingente maritima expeditione paratâ, clasſis Helgii navigans â terribili Aegeri familiâ (undis et procellis) vehementisſime fuit persecuta, qvum maximo ingruente periculo Sigruna ex alto heroes ac eorum naves, alioqvin mox perituras, intrepida servavit; sic tota clasſis, hostilis Ranæ manibus fortiter erepta, solo incolumis adducebatur (str. 20–28). Prælio acerrimo ad Frecasteinum (lupi petram) peracto, ac Helgio Hundingicidâ victoriâ beato, "venerunt e cælo deorsum tegere callentes (vel galeis adsvetæ Valkyriæ) qvæ principem tuebantur;" Tunc altivola ac vulnera remedians Sigruna ex intimo pectore heroi congratulabatur, ut præclarâ victoriâ, eximiâ sponsâ ac propriis ditionibus feliciter fruituro (str. 49–52).

Priore hocce carmine, hic desinente, Helgii ac Sigrunæ seqventia at magis sinistra fata non memorantur, sed in secundo illo enarrantur. Helgius Sigrunam uxorem duxit ac (ad Sevanos montes habitans) ex ea genuit filios (qvibus Saxo Grammaticus celeberrimum Daniæ Regem, Rolfum vel Rolvonem Krakium adnumerat). Dagus Hognii filius ac Sigrunæ frater, patris cædem ulcisci cupiens, pro tali vindicta perficienda Odino sacrificium obtulit. Deus nuper memoratus Dago lanceam (vel frameam) suam mutuavit. Dagus Helgium socerum cuum ad *compedum lucum* frameâ illa perfodit (H. Q. III, pag. 104). Is postea sorori optimi mariti cædem indicat (str. 28). Illa contra, vehementisſima simul tristitiâ ac irâ affecta, diras in homicidam profert imprecationes, memorans varia hujus Helgio præstita juramenta (per vel ad candidam aut fulgentem fulguris — vel fluvii infernalis Leipturis — aqvas ac irrigantem vel perfrigidam æqvoris petram) str. 29–31.

Dagus Odinum (disfidias cientem) mali illius principalem auctorem esse regerit & damni amplissimam resarcitionem sorori viduæ ac ejus filiis offert (str. 32-33). Moerens Sigruna lamentatione tantummodo & amissi herois summis laudibus respondet, hæc inter alia, declamans: "Non tam fortunata sedebo apud Sevanos montes, nec mane, nec noctu, ut vitâ me delectem, nisi super populum jubar regis vibretur; currat huc sub illo duce bellicus eqvus, aureo capistro adsvetus, et imperatorem læta recipere potuero." — — — (str. 34-36). Tumulus Helgii funeri exstructus fuit, sed cum ipse in Valhallam venit Odinus ei omnium secum [hujus cælestis aulæ rerum] imperium obtulit, qvo Helgius fructus Hundingo hosti servilia opera mandavit (ibid. pag. 109, str. 37). — Ancilla Sigrunæ, vesperi tumulum Helgii præteriens, vidit Helgium cum multis viris illuc eqvitare. (De visione hacce vide artic. *Ragnaravckr s.*). Hæc ita Sigrunæ retulit: "Exito Sigruna! . . . si cum populi principe cupis convenire. Reclusus est tumulus; Helgius advenit. Sangvinant (ejus) vulnera; orat te stillantem eorum liqvorem sistere." Sigruna ad Helgium in tumulum ingrediebatur, ac summum suum gaudium, ob hunc eorum congressum indicans, hæc porro cecinit:

Malo osculari
Regem exanimem
Prius qvam tu cruentam
Loricam exuas; —
Crinis tuus Helgi! est
Lethali sudore tumidus,
Totus est princeps
Pluviâ stragum circumfusus,
Manus udæ frigidæqve
Hognii genero;
Qvomodo mala hæcce Rex!
Tibi levare qveo?

Respondit Helgius Sigrunam solam in causa esse maximi ejus doloris & horrendæ formæ, qvum ista, qvovis vespere, effundere soleret crudeles lacrymas, qvarum qvævis ipsius (Helgii) pectus superincideret cruenta, præfrigida ac moerore turgida, et id qvidem intra penetraret*). Profitetur Helgius porro se et socios (alioqvin), qvamvis vitam terrestrem ac ditiones amiserint, mera pretiosa (felices) bibere, ita ut nemo eos næniis deplorare deberet. Sigruna in tumulo recluso lectum (conjugalem) stravit, ac ei declaravit: se jam in ejus, ut olim in vivi herois amplexu obdormiscere velle. Hoc facto, Helgius suam ejus rei lætam admirationem decantat, at mox adesse dicit tempus eqvitandi per rutilas (Bifrastæ vel auroræ orientis) vias, qvi volaticus callis pallido eqvo esset calcandus, donec is venerit ad regio-

*) Hæc prima, qvam in borea nostro invenimus, origo ejus superstitionis: qvod viventium lacrymæ, defunctorum desiderio effusæ, hos summo dolore afficerent. Plura ejus exempla (et alia de exteris gentibus) proposuimus: *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 450-453.

nem sitam ex occidente aërii pontis, anteqvam aulicus (Valhallæ) gallus gentem victricem excitaverit. Deinde Helgius et ejus socii, eqvis vecti, iter suum persecuti sunt, sed mulieres domum iverunt. Altero vespere Sigruna ancillam in tumulo excubias agere jusſit. Nocte autem irruente, cum ancilla ad tumulum venerat, ea reversa Sigmundi filium (Helgium) ex Odini ædibus jamtum non advenisſe perhibuit, et neqvidem reventurum esſe, reginam porro a spectrorum nocturna conversatione abhortari conans (str. 38-49). Appendix carminis prosaicus (pag. 115-116) id ita supplet: "Sigruna, dolore et desiderio adflicta, brevi ê vita discesſit. Opinio fuit antiqvitatis: qvod homines regenerarentur; jam autem ista pro anili errore habetur. Dicuntur Helgius & Sigruna regenerati fuisſe. Tunc is vocabatur *Helgius Haddíngia-skadi* sed illa *Kara*, Haldanis filia, ut in Kareo carmine [jam deperdito] refertur, et hæcce etiam fuit Valkyria (sive bellica nympha)" *). *Volsúnga-Saga* (Cap. 6, 7) prioris eddici de Helgii Hundingicidæ ac Sigrunæ amoribus carminis contenta qvædam lectori communicat, sed supernaturalia pleraqve delere conatur; sic ea e. gr. Sigrunam ut Valkyriam ignorat, at ipsam, cum ingente comitatu, Helgii clasſi, in naufragii periculo versanti, ê continente advenientem, commodum portum indicasſe narrat.

De priore nominis etymo vid. *Sigfödr* s.; est alterum notisſimum illud *Rún* mysterium, litera runica vel aliqvis talis cujuscunqve generis character (Venantii Fortunati Runa &c.). Hinc etiam varia alia nomina ut *Godrún* (divina litera aut dei mysterium); *Rúnálfr (Runólfr)* genius mysticus vel literalis &c. German. (Rudolf, Rudolphus) & pl. De vocabulo ipso sat superqve actum est in Glosſar. Edd. antiqv. T. II, & III, (cfr. etiam T. I, v. *Rúnom*). **)

Sigtífar, Sigtívar (in sing. *Sigtífi* &c.) bellici, victoriosi aut felices &c. Dii; sic Asæ nominantur. *Hr. G.* 8., *VSpá* 40. Dicuntur autem *Sigtífa synir*, *Æg. dr.* 1 & 2, qvod forte idem est ac Odini filii, ***) cum hic Deus, (alioqvin *Sigtýr*) *Sigtífi* rite vocari qveat; cfr. tamen str. 3 & *Gr. M.* 41, ubi iidem Dii *Ása synir sa-*

*) Cfr. de illa (Pythagoreis, Brachmanibus ac pl. communi) metempsycheos opinione *Eddalæren* IV, 28-35, 138-139. Qvod autem specialem hancce regenerationem adtinet, memorari ea videtur in historia Hromundi Greipiani (Bioerneri *Kämpedåter* inclusâ) Cap, 6 & 7. Cfr. celeberr. *v. d. Hagen Eddalieder von den Niebelungen (Berlin* 1814) p. XXX. in introduct. it. *Verbesſer. und Zusätze* ad pag. VI, VII,

**) Cfr. disqvisitionem nostram de vera Runarum origine, in Eddæ antiqv. versione Dan. III, 75-96, cfr. 165, 166.

***) Tunc heroes honoris causa ita vocabantur. Christianismo introducto inter scommata contumeliosa habebatur glosſa *Herians son* (Herianis sive Odini filius) ac sic etiam in legibus Sveciæ Dalensibus sub pæna graviore prohibetur. Cfr. *Herian* s.

lutantur. Heroes vel milites humani illo titulo honorantur S. II, *β*. 24; an de ipso nomine *Sigtífar* idem valeat *A*. Q. 30 magis incertum erit; cfr. obs. 112 ad eundem locum, ut et *Sigtýr*, *Tívar* i. *Sigfödr* s.

Sigtoptir, *Sigtoftir*; *VSpá* 55, proprie *Hropts sigtoptir* i. e. Hropti sive Odini beatæ ædes vel potius areæ domicilii, habitacula, prata aut regiones. *Sigtoptir* de coelo dici potest, propter labentia astra, ac similiter *Sigtún*, unde sacra Odiniani cultus metropolis suam traxit denominationem. Inde relligionis primaria sedes transportata fuit ad alium Sveciæ locum, qvi etiam dicebatur *Upsalir* ɔ: ædes supernæ, atria supera, qvæ qvidem appellatio cælo & cælestibus Deorum palatiis rite adtribui potest. De primo etymo vocis vid. *Sigfödr* s. Aliud *Topt*, *Toft* est Dan. & Svec. *Tomt* &c.

*Sigtýr**) a) belli b) victoriæ c) felicitatis et originitus forte d) coelestis astrorum rotationis Deus ɔ: Odinus. Hinc *Sigtýsberg* mons, petra, ara aut elevatum sanctuarium illius Dei A. Q. 31 (obs. 118). Originitus ipsum coelum ut summi Dei (Urani aut Solis) mythicum montem denotare potuit: Hunc qvoqve sensum dicta strophæ verba præ se ferunt:

Eida opt vm svarda
Oc ár of nefnda
At solinni svdr-havllo
Oc at Sigtýs bergi,
Hulqvi hvíl-bediar
Oc at hríngi Ullar.

Ita translata:

Juramenta sæpe jurata
Atqve olim [vel mane] solenniter verbis concepta
Per (vel ad) solem â meridie vergentem, **)
Et Sigtyris montem (aut rupem) ***)
Per cavitatem (cameram) cubilis [Solis]
Et circulum (vel annulum) Ulleri [horizontem].

(Cfr. translat. Dan. IV, 150, 151).

A variis borealis antiqvitatis gentilibus poëtis nomen illud Odino attribuitur e. gr. Glumo Geiriano (Skálda pag. 95) ubi Deus ille marinâ tempestate obvolutus processisse fingitur. Videtur porro adhuc superesse in vocabulo Norvegiæ vulgo usitato *Sigturs-Rod* (Sigtyris radix), qvo nimirum insignitur herba qvædam, alioqvin *Salomonis sigillum* appellata sed botanicis *Convallaria polygonata*; alia ejus danica nomina *Værkurt*, *Beenværkurt* vetustam indicant opinionem de salubri ejus circa dolores corporis, ac ossium præcipue, potestate, qvæ antiqvissimo tempore Diis gentilium certe fuit adtributa. Non igitur mirum, qvod medio ævo durante planta eadem nomen aliud,

*) Ejusdem notionis ut *Sigrgod (Sigurgod)* qvo certe Odinus in cantilena qvâdam Knytlinga-Sagæ insignitur; is qvoqve igitur priscorum Anglo-Saxonum *sigervittig* goð &c.

**) Vel etiam: ad meridiem sive austrum versus vergentem. Cfr. Glosſ. T. II, v. *Sudr-hallr*.

***) Divinam arcem — verterunt interpretes.

recentiori ac peregrinæ magiæ debitum, adqvisierit.*) De nominis etymologia vid. *Sig-födr* s. & *Týr* i. Cfr. *Ódinn* s.

Sigvrþr (Sigurdr) dictus *Fafnirsbani* (Fafnericida) heros & princeps Scandinavicæ ac Germanicæ antiqvitati communis; fuit vir mere humanus & Diis aut dæmoniis eddicis id circo non est adnumerandus, qvamvis qvædam ejus eventa ac gesta, per se nimis fabulosa, cum antiqvisſima nostra mythologia ac ipsorum numinum historia sint connexa. Hæc ex maxima parte relata sunt in articulis *Faſnir*, *Hreidmar*, *Sigurdrif*, *Ódinn*.**) Nomine ante memorato in Edda juniore & Volsúnga-Saga gaudet heros ille, sed in Vilkina-Saga vocatur *Sigurdr Sveinn* (ac interdum *Sigfrödr*, *Sigfridr*) & in cantilenis Danicis medii ævi *Sigurd Svend* at Færoensium *Siurur*. Germanis audit *Sigfrit*, *Sigfrid*, *Siegfried*, *Seyfried*, in carmine Nibelungico ac posterius in fabulis vulgaribus plebis rusticæ maxime celebratus. Pertinet ad heroes illos, qvi secundum græcorum & orientalium populorum mythicas narrationes immanes dracones occiderunt, ipsi pro viris pulcherrimis ac fortisſimis habiti, at plerumqve tamen malorum hominum insidiis succumbentes & letho tandem infelici consumti.***) Id igitur vero non evadet absimile, qvod relatio ista de Sigurdo vel Sigfrido illo originitus fuerit ejusdem indolis ac varii gentium asiaticarum ac aegyptiacarum antiqvisſimi mythi vel *ιεροι λογοι* (figuris allegoricis involuti) de solaris genii (nt coeli fortisſimi herois), summa pulchritudine ac fortitudine prædiți, annuo bello contra inferni ac tenebrarum draconem, et illustri inde reportato triumpho, qvamvis victor ipse malorum abysſi dæmonum venenosis fraudibus vitali tandem vigore spoliatur. Hæc vera talium fictionum sententia ê mythis de diis ipsis agentibus clarius interdum elucere solet****). Herois illius in vetere Scandinavia nomen *Sig-urdur* bellicam ac victoriosam vitam primâ syllaba, sed fatale lethum duabus posterioribus indicare potest, ipsius igitur fatum satis laconice ac simul characteristice significans. Plura de nomine isto & ejus exteris parallelis egimus in onomastico ad Eddæ antiqvioris T. II, ubi etiam cuncta ejus poëmatum loca, qvæ Sigurdi nostri gesta describunt vel decantant, diligenter enumeravimus. Cfr. porro horum carminum a nobis elaboratam expositionem, ordine chronologico observato & notis illustratam, qvæ eidem operis volumini (pag. 915-967) inserta habetur*****).

*) Cfr. *Viborgs systematiske Plantenavne, Kb havn.* 1793, 8. v. *Sigturs rod.*

**) Relata est ibi apparitio Odini (sub Hnikaris nomine) Sigurdo militaria omina enodantis &c. Cfr. *Volsúnga-Saga* Cap. 25 (transl. Dan. C. 26) & *Nornagésts þáttr: Saga, Ol. Tr. S.* ed. Scalh. II, 137-139. De Odino, Sigurdo eqvum Granium eligente, vid. *Sleipnir* i.

***) Hoc revera dicendum de Græcorum Hercule, Perseo, Theseo, Jasone, Persarum Rusthane, Indorum Krishna & pl.

****) Ut e. gr. nostris de Baldero & Freyero, AEgyptiacis de Osiride & pl.

*****) De rebus hisce alioqvin varii doctisſimi viri multa disqvisierunt e. gr. *P. E. Müller Saga-Bi-*

Sigyn, *Sigun* (per metathesin qvibusdam *Signý*) uxor Lokii; "hunc cum Asæ captum [& supra tres petras dorso jacentem] vinxerant, Skadea angvem adtulit et suspendit supra faciem ejus, at inde cadebat venenum. Adsedit autem Sigyna, uxor Lokii et pelvi suscepit venenum, atqve ubi oppleta erat pelvis, id extulit foras; interea autem cadebat venenum in Lokium. Tum ille tam vehementi corporis agitatione corripiebatur, ut inde tota terra contremisceret. Id hodie appellatur *terræ motus*". Aeg. Dr. in conclusione. Eadem Sigynæ dolorosæ fida sesfio (vel mariti â malo imminente defensio) memoratur *VSpá* 82.

Edda junior (pag. 32) Sigynam nominat ut uxorem Lokii & ex eo matrem Narii vel [et] Narfii. Vid. *Loki* s. Sermones Bragiani (pag. 79) Sigynam collocant inter Asynias sive Asicas Deas in convivio Asgardensi, (qvo Aeger accipiebatur), congregatas. De ultimis ipsius, Lokii ac eorum filii (vel filiorum) infortunatis fatis, ex hujus Eddæ relatione, vid. artic. *Loki* s. In denominationibus poëticis (pag. 106) Lokius Sigynæ maritus appellatur. Versus memoriales (pag. 212) Asyniis eam adnumerant.

Memorarunt qvoqve gentiles poëtæ Sigynam nostram e. gr. Thiodolfus Hvinensis (seculo nono in Norvegia florens) cui Lokius audit: sarcina brachiorum Sigynæ *(farmr Sigyniar arma)* *),

Siguna (ni fallor) in Germanorum medii ævi romanensibus fabulis ac poëmatibus celebratur ut fidisfima uxor aut amasia, sed humana tantummodo, et longe alio viro vel amatore gaudens. E contrario Lappones ethnici Norvegiæ nomen ipsum ignorant, sed Sigynam tamen, in fabulis suis mythicis, ut *vincti diaboli uxorem* celebrare videntur**).

Etyma nominis hujus incerta sunt & id igitur variis modis, qvæ meras tantum conjecturas admittunt, explicari potest.

Silfrintoppr (argenteâ vel argenti instar splendente capronâ ornatus) unus eqvorum Asis sive Diis propriorum *Gr. M.* 30. A *Silfr* argentum & *Toppr* cir-

---

bliothek II, 33-145, 206-214, (cfr. 256 & sq.) 316-430. *Mone Einleitung in das Nibelungenlied, v. d. Hagen* locis citatis &c. Locus memorabilis vetusti codicis Nibelungicis carminis ita alludere videtur ad Sigfridi mythorum cum Othiniano Germanorum cultu priscam cohærentiam:

Von dem selben Brunnen da Sivrit wart erschlagen
Sult ir dio rehten mære von mir hören sagen,
Vor dem Otenwalde ein dorf lit Otenheim
Da vliusfet noch der brunne; des ist zweifel dahein.

Vid. celeb. *Grimm deutsche Wälder* 1813, 10 H. pag. 180. Cfr. Observationes nostras ad art. *Rin* s.

*) Vid. *S. Thorlacii Obs. ant. bor. Spec.* VI, 38-39, 60.

**) *Leems Beskrivelse over Finmarken* pag. 471.

rus, villus, caprona. (Vox *Silfr* indubie prodit originem asiaticam; est autem Dan. *Sölv*, Svec. *Silfver*, Germ. *Silber*, Angl. *Silver*, AS. *Silver*, *Seolfor*, Moeso-Goth. *Silubr*, Lapp. *Silb*, Curd. *Sif*, Pers. *Zib*, *Sim* et pl. Vocabulum *Toppr* est Dan. *Top*, Svec. *Topp*, Germ. *Zopf* &c.).

Sindri (scintillans, emicans vel etiam: scorias ferri producens) nomen generale (ut videtur) Dvergorum, proprie sic dictorum, qvi rupes inhabitant, ac pretiosos lapides & metalla produxisse aut fabricasse putantur. Sic *Sindraætt* (petræa prosapia) tribum talium dæmonum significat *VSpá* 33, ubi ædes ampla ab iis possessa vel inhabitata dicitur stetisse ad septentrionem, in Nidinis (sive tenebrarum aut sonorarum aqvarum) montibus, ex auro qvidem fabricata vel exstructa. De ista æde ita agit Edda junior (pag. 75): "Post mundi interitum multæ erunt bonæ sed multæ qvoqve malæ mansiones . . . ædes (inter alias, ut Brimerum & Gimle) bona (vel jucunda) stat in montibus Nidinis, dicta *Sindri* (scintillans) e rutilo auro exstructa; in ædibus hisce habitabunt boni homines & bene morati." Vereor autem ne pro *hominibus* hic rite Dvergi sint ponendi. Horum aliqvis primarius in Skalda (pag. 131 & sq.) proprio nomine *Sindri* appellatur. Cfr. *Draupnir*, *Eitr* s. Alioqvin silex lapis, ut scintillans, poetice *sindri* vocatur. Vox *Sindr* Islandis notat scorias ferri, (qvæ sub ictu mallei qvasi per scintillas emittuntur) Dan. *Sinner*, Svec. *Sinder*, Germ. *Sinter*; hinc qvoqve Angl. *Cinders* & pl. Latinorum porro scintilla (Gr. σπινθηρ) nostro videtur esse cognatum; sic etiam Isl. *sindra* latinis est scintillare &c. Cfr. *Brímir* s. *)

Sindur (scintillans vel scorias emittens) una novem gigantearum Heimdalli matrum *Hyndl. L.* 34. Vid. *Heimdallr*, *Sindri* s.

Sinir unus eqvorum, qvæ Asis aut Diis sunt proprii. *Gr. M.* 30. Ita scriptum "nervosum" significaret; opinor autem scribendum esse *Sýnir* i. e. speciosus, splendidus. Cfr. *Silfrintoppi* s. & pl.

Sinmara (è mea sententia, non *Sinmör*, ut voluerunt interpretes) furia gigantea allegoricæ originis *Fiölsv. M.* 27–31. Verterunt interpretes: *nervis illustris;* est autem nomen illud nostrâ opinione interpretandum: nervosa (vel nervos afficiens) nocturna furia, a *Sin* nervus (Dan. *Sene*, Svec. *Sena*, Germ. *Sehne*, *Senne*, AS. *Sin*, *Sina*, Angl. *Sinew*, Finn. *Suoni*, Lapp. *Suodn*, Gr. ἶς (ἶνα) ἴνιον & *Mara* furia nocturna, homines premendo vexans (Anglo-Saxon. *Mære*, Svec. *Mara*, Dan. *Mare*, recent. Germ. *Nacht-Mär*, Belg. *Nacht-Maer*, Angl. *Night-Mare*,

*) E collatione Eddæ junioris et Valiani Carminis tres distincti paradisi (vel beata habitacula) variis entibus post mundi interitum destinati esse videntur ut 1) *Gimli*, piis hominibus 2) *Brímir* melioribus gigantibus (ut eorum fæminæ in Dearum coetum interdum sunt receptæ) & 3) *Sindri* Dvergis bonæ vel probæ indolis. Omnia ista nomina ad ignis (clari) nomina et splendorem alludunt.

Gall. *Cauche-Mar* &c.). *) *Sinmara* ista erotico et allegorico, sed partim obscuris ac obscœnis ænigmatibus repleto carmine audit *föl gígur*, lurida gigas vel etiam: apertura (sæpe de foveis vulgaribus & crateribus qvoqve vulcaniis dictum). Cætera hic forte melius sunt reticenda sed facile tamen enodanda ê carminis contextu, qvi prioribus ejus interpretibus hic non fuit intelligibilis. **)

Skadi vid. *Skaþi*.

Skafidr, Scafidr ɔ: a) radens, scalpens b) res minutas per auras dispergens c) ningorem volutans. Dvergus, Alfus sive genius elementaris *VSpá* 14 (a verbo *skafa*, Dan. *skave*, Germ. *schaben*, AS. *scavan*, Angl. *shave*, Lat. *scabere*, Pers. *schaviden*, *safiden* &c).

Skaþi, Skadi, Scadi, filia Thiasfii, gigantis prævalidi, casta tamen aut serena *(sktr)* inter Deos nympha vel sponsa evasit, & prisca patris domicilia, Thrymheimum nempe, inhabitat *Gr. M.* 11. Memoratur, ut Niordi uxor, cum eo de Freyero (hujus filio, suo privigno) colloqvens *Sk. F.* introd. it. str. 1. Dicitur cum marito Niordo adfuisfe Aegeris convivio *ÆEg. Dr.* in introd. Ea ibidem Lokio acerbe minatur, vindictam paternæ cædis adpetens str. 50, 52. Lokius contra se sævisfimum Thiasfii hostem fuisfe profitetur at Skadeam tamen secum concubuisfe jactat 51, 53. Lokio a Diis vincto Skadea angvem adtulit et suspendit supra faciem ipsius, in qvam inde venenum destillavit; ibid. in conclusione.

Edda junior (pag. 82) refert "Skadeam filiam fuisfe Thiasfii gigantis in Jotunheimis habitantis, qvæ post ipsius cædem â Diis perfectam, galeam, loricam & reliqvam armaturam induit & Asgardiam petiit, ut patris dilecti moliretur ultionem. Asæ ei offerebant transactionem & damni resarcitionem, id in primis concedentes ut ista sibi maritum ex Asis eligeret, eâ tamen conditione, ut pedibus tantum, non vero aliis membris visis, hæc fieret electio. Tum pedes alicujus viri conspexit egregie pulchros, hæc prolocuta: Hunc mihi eligo; pauca enim Baldero sunt deformia. Erravit nihilominus, nam hic erat Niordus de Noatunis. Id qvoqve reconciliationis conditionibus inseruerat, ut Asæ aliqvid tale ludicrum efficerent qvod risum ipsi moveret. Tum Lokius vinculum cepit, cujus unum finem capræ cujusdam barbulæ, alterum vero testiculis suis alligavit. Ita invicem adstricti ambo, nunc huc nunc illuc ferebantur & præ dolore alto clamore ejularent, donec Lokius, se ita adstrictum, in genua Skadeæ advolveret, qvod et ipsi demum risum movit. Hoc facto, reconciliatio (completa) inter Asas et eam est peracta. Ceterum ferunt Odinum qvoqve, emendandæ majorem in modum culpæ causa,

*) Cfr. Versionem antiqvioris Eddæ Danicam III, 52-53, 62. Carmen illud mysticum partim ad macrocosmi sed partim etiam ad microcosmi physicos amores alludere videtur.

**) Videas de *Mara* illa *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 216-218, 280-286.

in gratiam Skadeæ oculos Thiasfii in cælum conjecisse et duas ex illis stellas condidisse." Cfr. *piasfi* i.

Qvæ de ipso Niordi & Skadeæ matrimonio narrat Edda junior (pag. 27, 28) allata sunt ad artic. *Niördr* s. Dicitur porro Skadea ad montana in Thrymheimo habitacula rediisse, ac ibi mansisse. "Ista autem xylosoleis freqventer vehitur, arcum exercet et feras jaculatur. Nominatur igitur xylosolearum sive asserum cursoriorum Dea aut numen." Occurrit inter Asynias, qvæ convivio Aegeris adfuerant (pag. 129). — Supplicium Lokii Skadea hic (pag. 70) adauxisse fertur, in eundem fere modum, qvem nos ex antiqviore Eddâ adtulimus.

Legitur in Skaldâ (pag. 122) hemistrophium Bragii, vetustissimi poëtæ, celebrans Deum illum "qvi in amplam ventorum pelvem [cæli cameram] super hominum multitudinis sedes, projecit xylosolearum Deæ patris oculos." *) Aliud, auctore Thordo Siareci filio (seculo decimo & undecimo florente) "elegantem inter Deos sponsam Vano (Niordo) non adqvievisse" testatur. **)

Vates recentiores mythos de Skadea agentes borealium terrarum antiqvissimæ historiæ adaptarunt, dicentes Odinum ex ea in Mannheimis filios multos genuisse, e qvorum posteritate Hladarum Norvegiæ potentissimi Jarli (comites aut duces) fuerint. Hinc Caput nonum Ynglinga-Sagæ. ***) "Duxit Niordus conjugem, Skade dictam. Hæc ejus conjugio pertæsa Odino postea nupsit, multosqve hi genuerunt filios, qvorum unus erat Semingus. De isto cecinit Eyvindus Skaldaspiller eam, qvæ seqvitur, cantilenam:

Istum bellatorem
Tributa ferentem
Genuit Asarum cognatus
Cum muliere giganteâ,
Cum illi ambo
In Mannheimis (ɔ: hominum regione)
Virorum amicus
Et Skadea habitarunt,
Et cum de montibus orta
Asserum cursoriorum ****) Dea

*) *Hinn er varp á vída*
Vinda Avndvrdisar
Yfir manna siót margra
Mundlaug favdvr augum.

**) *Nama snotur una*
Godbrúdur Vani.
Ita Skadea videtur appellata fuisse propter liberam inter Deos proprii sponsi electionem.

***) *Heimskringla* I, 13-14, VI, 3.

****) Vel xylosolearum; ad qvam vocem ita doctissimus Schoeningius: "Cogimur hic voce hybrida uti, qvâ significari volumus asfulas longiores ligneas, qvibus pedes vestiunt, qvi sub septentrione habitant homines, montes locaqve, qvæ altior tegit nix, transgressuri. Has, detracta phocis aut aliâ ejusmodi pilosa pelle vestitas *Avndur* [Norveg. *Aander, Aandre*] nudas *Skidi* [Dan. *Skier*] vocant." Vocabulum illud *Andrar* verisimiliter est derivandum ab Island. *an-*

Filios multos
Ex Odino suscepit.

Ad Semingum genus suum retulit suamqve recensuit genealogiam Hacon Jarlus, dictus *riki* (dives sive potens). Hanc (recens dictam) Sveciam vocarunt Mannheimos" &c.

Vereor sane, ne Volsunga-Sagæ *Skadi*, persona ejusdem capite primo celebrata, qvamvis vir ibidem salutetur, originitus pro Dea nostra sit habenda. Ejus enim servus (sive cultor?) fuit qvidam *Bredi*, "qvi feras per regiones nive tectas agitando omnibus antecelluit & idcirco, propter invidiosam superbiam a Sigio, qvi Odini filius ferebatur, fuit occisus." Tota *Volsunga-Saga* ex antiqvis poëmatibus indubie saltim est excerpta vel composita, at auctor nihilominus interdum suum prave intellexit prototypum, ut ex eddicis, qvæ jam supersunt, carminibus, facile probare posſumus.

Thrymheimum, cælestem (secundum Grimnerianum carmen) regionem, pro tauri zodiacali signo, at ipsam Skadeam pro ejus, ac mensis isti respondentis numine accipi debere, alibi demonstrare sumus conati. *) Thiasſius gigas, Rimthursis sive immanibus frigoris dæmonibus annumerandus, ut plures ejus consangvinei, hiemem borealem ac ejus tempestates mythice repræsentat. Hic Idunnæ superbus raptor Asgardiam sive cælum æthereum ipsum (verno tempore) ê Jotunheimis audet violenter aggredi, at intra ejus terminos a Thoro fulminis Deo trucidatur (cfr. *Idunn* s., *þiasſi* i.) et grandi incendio sive funebri rogo ibidem consumitur. Skadea, Thiasſii relicta filia ac hæres, prima æstivi semestris festâ die (circa diem Aprilis vigesimum, qvum sol in tauri signum **) intrat) novum accipit dominium, et *vernas tempestates*, frigidæ satis in septentrione indolis, in montanis freqventisſimas regionibus gubernat. Ob patris cædem irata Diis æthereis sive æstivis armata bellum minatur, sed brevi cum iis pacem init, Niordo, atmosphæræ, liberi maris ac terrenarum aqvarum mitiori Deo nupta, at minus tamen amat marina litora, qvam altos montes, qvi nivibus adhuc tecti, venatoria ac cursoria promunt delectamenta. Sic certe pro venatorum peculiari Dea est habita, montanas regiones adamante. Plura huc pertinentia loco citato adtulimus.

Non vero erit absimile qvod plures Skadeani cultus reliqviæ adhuc in borea indagari qveant. Sic e. gr. avis pica, Danis *Skade*, Svecis *Skata* audit ut olim

dra ire, vadere, Franc. *andan*, Ital. *andare* &c. Cfr. Dan. *vandre*, Germ. *wandern*, Angl. *wander* &c. Hinc illud Skadeæ agnomen *Aundurdis* vel *Andradis*. An cum ea aliqvid commune habuerit veterum Britannorum (partim Belgicæ vel Germanico-Scandicæ originis) *Andraste* vel *Andate* Dea, alii dijudicent.

*) Ad Eddæ hujus versionem Danicam I, 148, 210-212.

**) *Oculus tauri* inter astra grandiora est conspicuus, ac Thiasſii (tauri raptoris) oculos, in stellas transformatos, facile in memoriam revocat. Cfr. *þiasſi* i.

forte illi sacrata ac ejus nomine honorata *), qvum Deæ interdum avis formâ indutæ mortalibus apparere putarentur, ut Athene-Minerva inter ipsos Græcos. Certe avis illa adhuc a plebejis borealium regnorum pro magica et mirabiliter multiscia habetur, ac interdum ab iis metuitur vel veneratur, qvod postremum tamen potisſime magis ac sagis proprium esſe dicitur. Superstitiosus picî cultus, apud Græcos ac Romanos ad verni temporis reditum similiter (ut videtur) alludens, antiqvariis notior est, an autem cum boreali picæ veneratione cohæreat, magis est ambiguum.

Plurima vel omnia nostræ gentilitatis festa ad annuas naturæ revolutiones respexerunt, mythis qvoqve relligiosis ex deorum & dæmonum historiâ adaptata. Sic illud talium festorum, qvod ob verni vel æstivi temporis reditum adhuc in terris borealibus celebratur **), olim semper *rogo flammante* in qvovis pago insigne habebatur; hic ut puto ethnicismo durante, incendium Thiasſii fatale, eodem tempore flagrasſe putatum, significavit vel repræsentavit, qvam etiam fabulam ut Deorum ac gigantum, (posterius autem ut *æstatis* & *hiemis*) ***) mutuum proelium a sacerdotibus vel aliis actam fuisſe, non vero erit absimile, qvum similes christianæ æræ populares ritus consideremus. Seqvebatur autem Skadeæ cum diis reconciliatio, qvum ipsa sibi ex iis sponsum eligeret, ac *sponsalia* igitur celebrarentur. Hic idem mos ad nostra etiam tempora inter rusticos Danicos in hisce ludis perduravit ****). Scurrile illud

*) Vid. e. gr. cl. *Arndt Reise in Schweden* I, 49 ubi Svecorum plebejorum de picis superstitio adcurate describitur; putant illi e. gr. qvod Valborgæ (sive Valpurgæ) vespere sagæ dictarum avium formas suscipere solebat. Festum illud (ex ethnico in Christianum transformatum) olim verisimiliter fuit Skadeæ sacrum, ut infra demonstrare conabimur. — Nocte illâ porro maxime lupi (olim Odino) & feles (olim Freyæ) sacri ut animalia dæmonica a plebe Svecica metuuntur, ac cruce cretatâ in januis domuum delineatâ potisſime fugari creduntur. (Ibid. I, 235). Cfr. *Linnæi Skånska Resa* p. 8, 10, de pyris illâ festa nocte in Scania & Uplandia accensis p. p. De Valborgæ festo in Dania seculo 17mo celebrato plura mox adferemus; cfr. qvoqve *Thiele: Danske Folkesagn* I, 145 & sq.

**) Jam in plurimis Europæ regionibus die primo Maji, in Finnia die 23 Aprilis, in Norvegia circa diem 14 in Islandia autem semper eo Thori (sive Jovis) die qvi inter 19 & 25 ejusdem mensis incidit. In insula nuper dicta id solenniter celebratur (satis inproprie) dictum *prima* æstatis dies *(Sumardagr inn fyrsti)* qvum nix tunc interdum eam terram tegat vel infestet.

***) Vid. e. gr. de Svecicis sec. 15 majalibus ludis Olai Magni hist. gent. Sept. XIV, 2, 3. (De ritu fugandi hyemis et receptione æstatis).

****) Inter Danos seculi 17mi optime est descriptus in manuscriptis Davidis Monradii & Georgii Sorterup, qvæ in regiâ Hafniensi bibliotheca servantur. Ut Skadea illo tempore qvondam visitabat Valhallam, qvæ *Valborg* simul appellari potuit, sic festum illud in Dania (ac Germania) celebrabatur in vesperâ, qvæ sanctæ alicui Valborgæ christiano ævo consecrata evasit Tunc *rogus ingens*, (dictus *Gade-Ild)* in colle sive tumulo pagi altisſimo accendebatur; is inter rusticos juvenis, qvi longisſimam incendio obtulit perticam, ad summam inter eos eve-

Lokii spectaculum partim prodit physicam originem (qvum ipse ad revertentem igneæ naturæ calorem at capra illa ad fulminis ac similia flammea meteora alludat) at partim etiam insulsos plebis jocos, tum non raro exercitos, indicare videtur. Festum illud pro antiqvisſimo certe est habendum, nam eodem tempore die 20^me^ vel 21^mo^ Aprilis Itali celebrabant sua *Palilia*, rogis flammantibus in eundem modum insignia. Varii ritus et superstitiones iis adhibiti borealibus ad ungvem convenerunt. Dea, a rusticis Romanis tum præcipue honorata, Pales appellabatur*). Tunc ei taurus sacrificabatur ad cineres redactus**). Isto tempore urbis Romæ natalia Jovis fulmine initiata, ut in Septentrione coelestis urbis Asgardiæ ac terrenæ simul Midgardiæ liberatio, Thori fulmine perfecta, celebrabantur; tunc Romanis observabatur Palilicium sidus, serenitatem tum adducere putatum (ut astrales Thiasſii oculi in *serenæ* ejus filiæ festo); tunc puppes navalibus exibant (ut Niordi, marini Dei, sponsalia aut nuptiæ cum terrenâ vel montana Skadea in septentrione memorabantur); homines & pecora (ut in Germania ac Scandinavia) qvi istum ignem transſiliebant vel ejus tactu lustrabantur, seqventi anno ab infortuniis servari putabantur &c.***).

---

hebatur dignitatem, novo titulo *Gade-Basſe* salutatus, at sponsa ea inter virgines, qvam is sibi (joci gratia) elegit, appellabatur *Gadinde*. Reliqvi juvenes ejus exemplum seqvuntur, at earum sponsæ, similiter electæ, vocitantur *Gadelam*. Omnes junctim instituunt convivale sodalitium, dictum *Gadelamsgilde*, choreis circa majalem arborem tunc primum erectam lætisſimis celebratum. Tales ludi mense seqvente durante, qvavis Solis diei vesperâ olim celebrari solebant. An istud *Gade* corruptum sit e nomine *Skade*, in medio linqvere cogimur. De igne isto multæ fovebantur superstitiones; sic e. gr. credebant rustici, qvod pecora, illam flammam videntia, seqvente anno a morbis & infortuniis servarentur &c.

*) Nomen istud in memoriam revocat vocabulum nostratium *Bál* pyra, incendium (Dan. *Baal*, Svec. *Bål*, vet. Angl. *Bale*, Scot. *Bail*, AS. *Bæle*, Finn. *Palo* &c.). Festum istud adhuc a Scotis montanis celebratum ab iis vocatur *Beal-tein*. Pyra illa symbolum fuit solis ad terram redientis caloris & porro suo nomine respicere videtur ad mythica solis aut solaris æstus numina, qvibus certe e. gr. adnumerandi sunt nostratium *Baldur*, Celtarum *Beles*, *Beal*, Orientalium *Baal* ac Romanorum illa *Pales* qvæ Varroni Deus masculus audiit. Vid. Servium in Georg. Libr. III.

**) *Taurus asſatus* in Thiasſii, patris Skadeæ (*tauri* signo imperantis) mythica historia maximi fuit momenti. Vid. *Þiasſi* i.

***) Videantur præsertim Ovidii Fasti IV, 720 & sq. Ibi porro rogus ille paliliorum, Romæ primus, Remo funebris evasisſe dicitur, ut Thiasſio nostcr in septentrione. Alioqvin Romani qvidam magnam illam Palin pro ipsa Vesta sumebant (ut Servius l. c.) qvod per se non improbabile, ut ignis relligiose cultus & urbis Palilii adscripta primordia docent. Numne igitur *Palatium* ab ejus nomine deducendum, ac ipsum Romanorum *Palladium*, hoc fatale Romani imperii pignus (non in Palladis sed Vestæ templo servatum) originitus *Paladium* dictum? Sic autem Pales ac Pallas pro una ac eadem Dea forent habendæ, ut Panathenæa (minora) Atheniensium & Palilia Romanorum eodem tempore celebrari soluerunt. Est autem

Vocabulum *Skadi* Islandis jam damnum tantummodo notat, sed originitus certe significavit minutionem, attenuationem; a verbo perantiqvo ac jam obsoleto *Skâ* (Gr. σχαω) secare, lædere, minuere. Hoc de verna sive qvavis etiam vehementiore tempestate dici potuit ut nives ac glaciem et res qvoqve alias diminuente &c. *).

Skeidbrimir, Sceidbrimir (ignis celeriter currens vel igneo cursu procedens), unus inter eqvos Deorum *Gr. M.* 30 A *Skeid* cursus & *Brimi* s. *Brimir* ignis, Cfr. Gloss. T. I.

Skidbladnir, Skiþbladnir m., navium optima, qvam Ivaldi filii (Dvergi) in temporum primordio almo Niordi filio, Freyero, sunt fabricati *Gr. M.* 42. Dicitur qvoqve inter navigia præstantisfimum esse; ibid. 43. Har sive Odinus ipse hanc strophan in Eddâ juniore (pag. 45) Ganglero recitat, qvod posterius (pag. 48) seqventi colloqvio occasionem promit: Qværitans iterum Ganglerus Harem sic affatur: Qvid de Skidbladnere est narrandum, cum sit navium optima? Datur ne navis pariter egregia ac ampla qvam ea est? Respondet Har: Skidbladner navium profecto est præstantisfima et eximia arte elaborata, sed *Naglfar* earum est capacisfima. Skidbladnerem Dvergi qvidam, Ivaldi filii, moliti sunt, ac Freyero hocce navigium dederunt. Tantæ autem istud est capacitatis, ut omnes Asæ vel etiam armaturâ universa ac bellico apparatu additâ, in eo satis loci habere qveant. Cæterum velo subvectato, qvocunqve sit eundum, vento gaudet secundo et ferenti. Hæc navis multis eqvidem constat rebus, et tanta arte est constructa, ut cum marinis itineribus non sit adhibenda, instar mappæ convolvi et in (viri) perulâ asfervari posfit. Qvô audito in hæc verba solvitur Ganglerus: Præstans eqvidem hæc navis Skidbladner est, interim tamen procul dubio multum magiæ (vel ad verbum: multifariæ scientiæ aut artis) adplicatum fuit huic operi, priusqvam id ita absolveretur."

Skalda pluribus (pag. 130, 132) ita memorat Skidbladneri fabricationem |a Dvergis illis, qvi ibidem paullo antea Alfi sive genii obscuri aut atri *(Svartdlfar)* fuerant nominati: "Ivit Lokius ad Dvergos qvosdam, qvi filii Ivaldi dicuntur; hi fecerunt (novum) Sifæ caliendrum, navem Skidbladnerem et lanceam Gungnerem. . . . Lokio posterius (Asgardiæ)

casta, serena & armipotens Minerva eatenus cum Skadea nostra comparanda. Cfr. observationem mox seqventem.

*) Simili modo Cicero de natura Deorum II, 26: "Minerva qvæ vel *minueret* vel *minaretur*." Cfr. observationis proxime præcedentis conclusionem. Ut Minervæ ululæ, vultures & cornices sacræ habebantur, sic etiam Skadeæ picam fuisfe opinamur. — Ut Minerva Athenis pro urbis vel gentis conditrice habebatur, Romæ autem Pales magna mater dicebatur — sic etiam Norvegiæ gentilis principes Skadeam ut divam suam genitricem *eodem anni tempore* coluisfe videntur. Tandem Skadea, ut *montana venatrix*, Dianæ partes suscepit.

istas res pretiosisſimas proferente Asæ in tribunalia sua (vel judiciales sellas) semet ad sedendum collocaverant; concluso enim vel decreto (de variarum illorum ac aliorum cimeliorum præstantia) Odini, Thori et Freyeri standum esſe, ab utraqve parte sancte stipulatum fuit. . . . . Tunc Lokius Freyero dedit Skidbladnerem . . . . istam navem adserens subvectato velo, qvocunqve navigandum esſet, ventum sortiri secundum, at nihilominus, qvoties allubesceret, mappæ instar complicari atqve in sacculo (vel interulâ) recondi posſe. (Asæ tandem malleo Thori, Mioelnero, præmium excellentiæ adjudicabant). In denominationibus poëticis (pag. 104) Freyerus Skidbladneris posſesſor appellatur. Auctor Ynglinga-Sagæ (Cap. 7) his verbis nihilominus Odino idem navigium adtribuit: "Erat illi navis, Skidbladner dicta, qvâ per vasta maria vehebatur et qvæ panni (vel mappæ) instar convolvi potuit."

Nostra sententiâ mythus hicce ita est explicandus: Freyerus inter nostrates pro solis Deo fuit receptus, ut suo loco monstravimus; Asæ reliqvi stellis insignioribus (planetis præcipue) interdum repræsentabantur. Aëre vaporibus obscurato nubilum coeli tegmen, vento ferente prorsum agitatum, operosæ vatis phantasiæ apparuit ut Solis ac Deorum vectoria ratis, qvæ tamen pro eorum libito mappæ instar convolvi ac subito disparere posſet, hominibus prorsus invisibilis. Gentium priscarum (ut hodie, Groenlandorum & plurium), coriacea navigia poeticæ tali fictioni ansam facile dederunt. Dvergi in genere, ac illi in specie qvi Skidbladnerem fabricarunt, pro occultis at activis sane naturæ virtutibus sunt habendi, qvod reliqva eorum ab eddicis mythis celebrata artificia luculenter probant (vid. *Draupnir, Gullinbursti, Gúngnir, Miölnir*, Sif it. *Eitr, Ivaldi, Ivaldr* & pl.).

Nomen *Skidbladnir* compositum est a voce *Skid* schidia, tabella cet. et *Blad* folium, palmula, lamina — et innuere videtur navigium istud ê multis similibus particulis fuisſe compositum. Si legere liceret *Skibladnir* (vel *Skýbladnir*) o: nubilis aut nubilosis foliis compactus, phycisi illius ænigmatis verus sensus clarius certe emergeret.

Freyerum apud nostrates ut Jolensis festi (ac hiberni solstitii) principalem Deum vel dominum olim cultum fuisſe, nos supra probavisſe putamus. Ipsum qvoqve, eadem ratione adducti, gentilibus vel superstitiosis Lapponibus (Norvegiæ & Sveciæ vicinis) sub nomine *Jauloherro* (jolensis dominus) innotuisse censemus. Is tempore jam memorato certis ceremoniis a suis sectatoribus colitur, qvi qvidem ei *navigiorum simulacra* vel parvulas *naves* crucibus notatas ac sangvine rangiferorum illinatas, sacrificare et arboribus suspendere solent *). Qvod mos hicce ad Freyeri vel solaris Dei (hiberni solstitii tempore

*) *Högström Efterretninger om Lapland* l. c. pag. 511.

renati vel revenientis) mythicum navigium alludat, non adeo est improbabile. Aegyptios solari suo Deo *ΦΡΗ* vel *Fre, Frei* dicto (et aliis qvoqve cælestibus Diis) navigium adtribuisse, est notissimum. Græci porro Helio (vel Soli) suo addixerunt ratis aliqvod genus (varie ut scyphum vel phialam auream aut alatum torum repræsentatum) qvô iste per vasta oceani æqvora nocturno tempore ad superiores auras tute veheretur. Cfr. *Freyr* s.

Skilfingr (qvasfans, tremefaciens) nomen adscititium Odini *Gr. M.* 53. â verbo *skélfa*, qvasfare, terrere &c. Cfr. Glosf. T. I. (Alia ratione gentilitio tali nomine fruebantur posteri Skelferi, antiqvi Norvegici Regis *Hyndl. L.* 10, 15 obs. 20). Edda junior (pag. 193) eos ait in orientalibus (ad balticum mare sitis) regionibus habitare, at Norvegicam Skelferi originem, ab aliis relatam, penitus reticet. Nihilominus, in fragmine carminis ibidem (pag. 194) Rex Norvegiæ (Haraldus Sigurdinus) Skilfingus salutatur.

Skinfaxi, (jubare jubatus; semper splendente aut lucente jubâ præditus) eqvus mythicus serenum Diem super humanum genus trahens, ac inter Reidgothos (Gothos in continente habitantes)*) pro optimo habitus; *Vafþr.* M. II, 12. Diei ortus ita describitur *Hr. G.* 24:

Dellingi gnatus
Eqvum iucitavit
Abunde ornatum
Gemmis radiosis;
Manni per Mannheimum**)
Micat juba
Diem***) rhedâ vectum
Traxit caballus.

Edda junior (pag. 11) memorat illum Diei eqvum "cujus juba totus aêr et terra illuminantur," at Skalda (pag. 180) duos ei videtur adtribuere eqvos, qvorum unus *Gladr* (i. e. clarus, serenus, lætus) alter autem *Skinfaxi* (ut supra) fuerit idpellatus. Radices vocabuli sunt *Skin* splendor (Dan. *Skin*, Svec. *Sken*, Germ. *Schein*, AS. *Scine*, Angl. *Shine*, &c.) & *Fax* juba. Vid. *Hrimfaxi* s.

Skirnir (Serenator) Freyeri pediseqvus sive scutiger, de qvo carmen inscriptum: Iter Skirneri****) multis agit. Primum ipsius cum Niordo, Skadea & Freyere colloqvia memorantur; introd. it. str. 1-4 (ubi Skirner iis inter alia Freyerum ut suum dominum salutat) at hic respondens illum

*) Sensu latiore Scandinavi cuncti ac omnes magis meridionales Gothicæ originis populi hic certe indicantur.

**) I. e. hominum habitacula (vel tellurem cultam aut inhabitatam).

***) Aut etiam Solem, qvi appellatione hic occurrente vulgo insigniri solet (*leikr* vel *leika Dvalins*) at dies oriens (præter Solem) Dvergis vel atris Alfis perniciosus aatis evadere potuit.

****) Unicum hoc inter Eddica carmina in Græcam lingvam eleganter (1811) est translatum ac editum a celeberrimo Graetero, sub hocce titulo: *Ποίημα Ἐδδικον Σκιρνερου Ὁδοιπορία ἢ ὅ θεος φρεῖρ μνηστήρ. Ἐκ τυ πρωτοτυπυ της Γερμανικης διαλεκτυ εις τὴν τυ Ὁμηρυ διαλεκτον μεταφρασθέν* &c.

ut juvenem adloqvitur. Skirner contra summam a Freyero confidentiam poscit, propter priscum eorum in prima pueritia contubernium vel sodalitium; str. 5. Freyerus tum se confitetur virginem giganteam (lucidam illam Gerdam in Gymeri maxime boreali regione) contra Asarum ac Alforum voluntatem adamare (6, 7). Skirner (se Freyeri gratia procationis periculosum iter suscepturum innuens) petit ab isto eqvum intelligentiâ præditum *(vísan mar)*, qvi per obscuram (polum borealem) cingentem flammam ipsum ferre valeret, atqve eum gladium, qvi sua sponte adversus giganteum genus vibraretur (8). Hæc dona Freyr Skirnero tradit; id tamen de gladio addens, qvod animosum posceret posfesforem sive actorem (9). Ipso itinere incepturo, Skirner ita suum alloqvitur caballum: "Tenebricosum est foris; tempus dico instare nobis eundi per uvidos montes, super Thursorum gentem; ambo iter perficiemus aut nos etiam ambos capiet prævalidus ille gigas" (10). Skirnerus deinde in Jotunheimos ad Gymisgardos [Utgardorum partem] pervectus est; ibi canes erant rabidi, ligatiqve ante ostium ligneæ sepis qvæ exedram (ædem sive atrium) Gerdæ circumdabat. Ille eqvo accesfit, qva custos pecoris, omnes vias simul custodiens (vel observans) in tumulo sedit, ac eum rogabat: ut tutam sibi viam, per Gymeri] canes, ad Gerdæ mansionem monstraret (11) qvod autem pastor infeste denegat, illum aut propinqvæ morti devotum, aut reverâ defunctum (propter audaciam inauditam) esfe concludens (12). Skirner contra viatorem, omni animi impetu itineri incumbentem, lamentationes minime decere innuit *) at vitæ suæ spatium fatali decreto firmiter esfe constitutum (13). Audi Gerda tam gravem sonitum, Skirneri eqvitatu effectum, ut terra moveretur et universæ Gymeris ædes tremerent (14). Indicat ei ancilla virum foris adesfe, jam a manni dorso degresfum et eqvum gramen carpere facientem (15). Ancillæ contra Gerda mandat: ut illum roget intrare in ejus atrium, ac merum medum (ibi) bibere — qvamvis is forte ipsius (Gerdæ) fratris **) interfector exstiterit (16).

Alloqvitur Gerda Skirnerum, eumqve interrogat: qvis is esfet ex Alfis, Asarum filiis aut sapientibus Vanis, ac cur iste infestum (aut vehementem) ignem transiisfet ad ejus habitacula visenda (17). Skirnerus se ad gentes nominatas pertinere negat — sed undecim aurea poma Gerdæ offert tanqvam amoris præmia, ut Freyerum nimirum sibi ad convictum (vel cohabitationem) gratisfimum esfe declaret (18-19). Hanc oblationem ac roga-

*) Vel etiam (secundum priores versiones): "virum, qvi paratus est interire."
**) Belii vel Beli gigantis nimirum, ut putamus. Vid. artt. *Beli, Freyr* s. Gerda hic de Skirnero ut Freyeri mandatario vel socio loqvi videtur.

tionem Gerda penitus abnuit (20). Tum Skirnerus ei offert annulum (Draupnerem) cum juvene Odini filio (Baldero) crematum (vel ustum), qvô octo annuli, ejusdem ponderis, qvâqve nona nocte destillare solerent (21). At Gerda eum simul renuit, aurum sibi apud patrem Gymerum non deesse profitens (22). Tunc ei iratus Skirnerus gladio tenui ac polito (vel magicis sermonibus aut literis adornato), acriter minatur, nisi Freyero suos indulgeret amores (23). Gerda se coactam nunqvam fore declarat, at Gymerem cum Skirnero pugnaturum prædicit (24). Skirnerus contra acutum suum gladium grandævo qvoqve illi giganti fatalem fore asserit — se autem domitoria vel divinâ virgâ virginem pulsare minatur, magicis insuper additis literis aut characteribus (sculptis vel incisis) qvæ omnia acerrimas ei calamitates adducere possent (26-36). His diris exsecrationibus commota Gerda tandem Skirnero calicem pruinosum (aut candidum vel argenteum) vetusto medo plenum propinat — qvamvis antea Vanigenam (Freyerum) se nunqvam probe dilecturum fore cogitavisset (37). Skirnero responsum magis distinctum urgente, id qvoqve Gerda reddit, ac sic igitur Skirnero, domum reverso, optimas Freyero novitates adferre contigit (40-42).

Eddæ prosaicæ amplissima relatio de Skirnero hic supra est inserta; vide artt. *Freyr* & *Gérdur**). Alio loco (pag. 34 hæc leguntur: "Asæ metuebant, ne lupum (Fenrerem) vinculis comprimere possent, qvâpropter universi pater (juvenem) Skirnerum, nuntium Freyeri, ad Dvergos qvosdam in mundum deorsum obscurorum Alforum *(Svartâlfaheim)* ablegavit & vinculum fieri curavit qvod Gleipner nuncupatur. . . . . Qvum ligula ista adferretur gratias legato impense dederunt bonas" &c. (vid. *Fenrir* s.). Nomen *Skírnir* vertendum erit: serenans, declarans, illustrans (qvod solaris Dei ministro bene convenit, a verbo *skíra*, serenare, purificare &c. qvod iterum ab adj. *skírr (skír)* purus, clarus, serenus **) qvod autem epitheton ipsi Freyero contingit *Grímn. M.* 11, sed alioqvin Skadeæ, veris Deæ, ut suo loco monstravimus. Sic qvoqve sol vocatur *skírleitt god* (numen serena formâ vel sereno vultu præditum) *Gr. M.* (non *Þrymsqv.* ut habet Gl. T. I, 39). Vox *Skírnir* ætherem ipsum sine ullâ allegoria denotat *Sól. L.* 51 (var. f.).

Skoll vid. *Sköll.*

Skrýmir, Skrýmnir, Scrýmir gigas fictitius qvi viaticum Thoro offerens, id sacco inclusum asperis loris tam fortiter vinxerat, ut Thorus ea solvere neqvierit ac ergo

*) Cfr. qvoqve Eddæ antiqvioris Versionem Danicam II, 165-206 ubi totius hujus mythi primam significantiam multis explicare tentavimus.

**) Dan. *skjær* (ut Islandis recentioribus *skjœr)* Germ. *schier*, Angl. *sheer*, AS. *scir*, *scire*, Moeso-Goth. *skir*, Pers. *schid*, Caucas. Tschetsch. *ssirli*, Zend. *zrirao*, Sanscr. *cir* &c. Cfr. porro Glosf. T. I, & II.

sanus esurire cogeretur, qvod Lokius ei exprobrat *Æg. Dr.* 63. Ad eandem de Scrymere fabulam alludunt *Harb. L.* 25 & *Æg. Dr.* 61 ubi Harbardus & Lokius Thoro probri loco id objiciunt, qvod in chirotheca vel istius pollicari tegillo aliqvando incurvus cubavisset. Sub illo nomine revera latuit Lokius Utgardensis, ut pluribus monstrabimus in art. *Þórr* i.

Skuld, Skulld (o: debita, necesse eventura sive futura) tertia (præter Urdam & Verdanden) trium principalium Nornarum, qvam (vel qvas) in tabulâ (sive scuto) hieroglyphorum vel scripturarum (aut inscriptionum) magistri sculpserunt*) *VSpá* 18 (cfr. *Nornir s.*). Ejus nomine denotatur ipsa necessitas (vel futurus ex ipsius prædestinatione eventus) G. G. 4. Edda junior (pag. 39) eam celebrat ut Nornarum natu minimam sed simul tamen ut Valkyriarum unam. Vid. *Valkyria* i. Vocabulum hocce respondet Svec. *Skuld*, Dan. *Skyld*, Germ. *Schuld*, *Schulde*, AS. *Scyld*, *Scylde*, Moeso-Goth. *Skula* & Lit. *Skola*. A verbo *skulu, skula (skal)* debere Dan. *skulle*, Angl. *should*, Germ. *sollen* &c. Cfr. artic. mox seqventem.

Skuld, Skulld Valkyriarum una, (ac primo qvidem numero) scutum sive clypeum tenens, ac cum reliqvis sororibus e remotis advectis, ad Godthiodam (Deorum sive Gothorum gentem) eqvitare parata fuisse dicitur *VSpá* 28. Ea secundum Eddam juniorem â Norna Skulda non fuit diversa. An ab ista (aut una vel altera illarum) suum nomen receperit pagus *Skullelöv* in Sælandia, nos pro incerto habemus. Nomen *Skuld* usurpavit mala Rolfi Krakii soror (ex muliere Alfica prognata) qvæ ipsius exitii primaria causa evasit, Nornas ac Alfos (sive infesta bonis hominibus dæmonia) magicis operationibus in sui subsidium provocans. Cfr. articulum proxime præcedentem.

Skögul, Skavgul Valkyriarum una, qvæ cum reliqvis sororibus (secunda numero) ad Godthiodam eqvitatura memoratur *VSpá* 28. Occurrit ut tertia numero, at secnnda earum, qvæ Einheris (sive heroibus). Valhallensibus potum ministrare solent *Gr. M.* 36. Sola Valkyriarum (pro reliqvis simul) nominatur, ut ex amplo Odini cratere ad mensas (Vingolfensis aulæ) Deorum singulis (potatoriis) cornibus medum distribuens vel infundens *Hr. G.* 19. In principio epicedii Haconis boni, Norvegiæ regis, ab Eyvindo Skaldaspillero (gentili poetâ) concinnato, dicitur Odinus emisisse Valkyrias duas, Skogulam et Gondulam, ut Reges in prælio casuros eligerent at illum præcipue ad Valhallam ac Odini ipsius convictum invitarent. Ea ibidem alio nomine appellatur *Geir-Skögul* (hastâ instructa vel hastas dirigens) *Skavgul* videtur vertendum esse "promi-

*) Veteres boreales ligneis tabulis pro chartis usi sunt, ut multa exempla docent. Hic sermo est de antiqvo dogmate, isto modo posteris tradito.

nula", a verbo *skaga* prominere. Permulta belli ac armorum poëticæ denominationes Skogulæ nomini suam debent originem ut *Sköglar vedr, dynr* &c. Cfr. *Göndul* s. *Valkyria* i.

Sköll, Skavll (forte rectius *Skoll*) lupus mythicus, qvi solem continue seqvi vel perseqvi dicitur *Gr. M.* 39. Forte a verbo *skolla* hærere, pendere (vid. Gl. T. II). Et diabolus et vulpes adhuc in Islandia *Skolli* dicuntur*). Cfr. *Fenrir, Hati* s. *Sól* i.

Sleipnir eqvus omnium præstantissimus *Gr. M.* 43. Est a Lokio & Svadilfaro progeneratus *Hyndl. L.* 36. Erat Odino proprius, qvi sellam ei imposuit ad Niflheimum (vel nebulosas Helæ sive mortis mundos) eqvitaturus. *Vegt. Qv.* 6. In habenis (vel dentibus) Sleipneri Runæ (sive literæ aut characteres) ingeniosæ incisæ sunt, e Mimeris (sive Mimeriani capitis) dicto B. 2. 1, 15.

Edda junior hæc de Sleipnere collegit: Dicitur iste (pag. 18) primus ac optimus esse inter Asarum eqvos, et Odino proprius: Hoc qvoqve ab Hare docente in sermonibus Deorum ipsorum (pag. 45 — ac carmine qvidem Grimneriano allegato) dictum esse perhibetur. Ista asfertio ansam dedit huic Gangleri qvæstioni? "Qvis eqvum illum Sleipnerum possidet, aut qvid de eo memorabile est referendum? Har ita respondet: Non eqvidem ullam habes Sleipneri notitiam, nec causas illas noscis accidentales [ex qvibus elucescit] qvo modo is sit oriundus; id tamen, sine dubio, tibi relatu esse dignum videbitur. Circa prima civitatis Deorum initia, sed tamen Midgardo condito et Valhallâ exstructa, contigit fabrum qvendam eo advenire, qvi Asis obtulit operam suam castrum [vallum sive propugnaculum] sesqvianni spatio**) semet esse exstructurum, et qvidem adeo validum, ut urbs ipsa securis et immunis foret ab invasionibus gigantum saxeorum et pruinosorum [*Bergrisa oc Hrimþursa*], si forte illi aliqvando Midgardum intrarent, mercedis vero loco Freyam sibi deputavit, cui etiam Solem & Lunam addere placuit***). Tum Asæ seorsim colloqventes deliberarunt; concilio vero peracto hoc pactum cum fabro ineunt, eumqve petita sua obtenturum esse polliciti sunt, si modo unius hiemis spatio castel-

*) Nomen mythici hujus lupi Kanne cognatum fuisse putabat Gr. Σκύλλα (monstrum aliud mythicum significanti) Hebr. *Sgal* (animal lupo ac cani simul simile) p. p. (*Allgem. Mythol.* pag. 129).

**) His forte alluditur ad famosissimam illam hyemem, dictam *Fimbulvetur*, qvi per sesqvinnum duratura ac tellurem vastatura perhibetur. Hic tamen sermo est de mythica illa hieme â Diis olim amota, at ultimis mundi temporibus ii talem aliam removere neqviebunt.

***) Plures recentiores Norvegorum & Svecorum fabulæ (huic antiqvæ ac aliis talibus superstructæ) de Sole et Luna gigantibus promissis, ut templorum christianorum ædificationis mercede, at dæmoniis illis a sanctis viris illusis & interemtis — memoravimus supra ad artic. *Freya*.

lum absolvere posset; primo autem æstatis die si aliqvid operis infectum remaneret, mercede privandum esse, nec auxilio ullius hominis ad opus suum uti licere. Verum cum hi conditiones has illi indicarent, rogavit, ut permitterent se ab eqvo suo adjuvari, qvi *Svadilfari* nominabatur; id qvod, sed svasu & consilio Lokii, concessum fuit. Prima igitur hyemis die munimentum instruendum inchoavit, noctu saxa eqvo semper advehens. Id Asæ primum valde sunt admirati, qvam grandia saxa eqvus ille traheret, duploqve majorem ipso fabro laborem operisqve molem eqvus sustinuit, pactio autem inter eos sancita multis qvidem juramentis et firmis testibus erat corroborata; nam Gigantes inter Asas sine data pacis stipulatione minime sibi alioqvin securam spondebant mansionem, et qvidem in primis qvando Thorus domum rediret, qvi tunc temporis in orientem, ad depugnandos malos genios *(tröll)* profectus erat. Cæterum hyeme ad exitum vergente ædificatio castelli ad finem operis multum properavit, eratqve id jamdudum adeo editum et firmiter compactum, ut ne qvidem violenter frangendo tentari succederet. Sed cum tres tantum ad æstatem superessent dies, ad portam usqve castelli opus propemodum perductum fuit. Tum dii in sedilia sua deliberatoria consultaturi se collocarunt, unusqve alterum qvæsivit, qvinam ejus consilii auctor fuisset, ut Freya in mundos giganteos nuptum daretur? et qvinam coelum ac aërem adeo corrupisset ut Sol et Luna, inde auferendi, Gigantibus donarentur? Convenit inter omnes tanti facinoris eundem esse ac plurimorum aliorum malorum auctorem, nempe Lokium Laufeyæ filium, eumqve horribilem mortem commeruisse ajebant, nisi consilium excogitaret, qvo faber mercede privaretur. Tunc iis minitanter incessantibus Lokius metu perculsus jurajuranda interposuit, se ita effecturum (seu res dispositurum) ut architectus ille, qvicqvid ipse Lokius impenderet, pactâ mercede excideret. Contigit autem eadem vesperâ, qvum fabricator, saxa trahâ advecturus, eqvum Svadilfarum secum haberet, qvod ê sylva qvâdam vicina eqva prosiliret et eqvum adhinniens accurreret; hic autem, qvalis sexus illius esset dum persentisceret, furore correptus restes dirupit et sylvam incurrens elapsus est. Faber vero incedens eqvum prehendere conatus, spe suâ frustratus est; hi enim tres per totam noctem discurrunt, qvo factum est ut opus tamdiu qviesceret, nec inseqventi die, sicut alias solito ante more, opus increvit. Tunc faber prævidens opus ad præstitutum tempus absolvi non posse, furorem contraxit giganteum. At vero, qvum primum Asæ pro certo viderent Gigantem sub hac persona latuisse montanum, juramentis non est parcitum. Mox igitur Thorus ab illis invocatus illico adfuit, qvi malleo Mioelnere elevato mercedem operis reddidit, qviqve non tantum Solem ac Lunam illi denegavit, sed ipsum ab inha-

bitatione mundorum giganteorum exclusit, qvoniam primo ictu caput ejus in exilia frusta comminuit, eumqvem sub Niflhelam [ad borealium nimirum ima Tartara] subito transmisit. Lokium autem talem cum Svadilfaro congressum habuisse constitit, ut aliqvanto postea tempore pullum eqvinum eniteretur, et qvidem octipedem ac cano colore insignem, *) qvi inter Divos et homines eqvorum est præstantissimus. Harum rerum *Vaticinium Valæ* meminit;" (vid. *VSpá* 23-24, cfr. art. *Freya*, *Ódr* s.).

Sleipnero, Odini eqvo, vectus Hermodus, Balderi redemtionem ab Hela petiturus, hoc iter valido cursu coepisse ac perfecisse dicitur (pag. 65 & sq.). Qvum ad Helgrindas (Helæ clathra vel portas) veniret Hermodus, is ibi descendit et eqvo cingula ephippii firmiter adstrinxit, qvem iterum conscendens calcaribus subditis instigabat; eqvus autem clathra portæ adeo alacriter transsiliit, ut ea nullibi attingeret. Nominatur etiam Sleipner in carmine *Þorgríms Þula* (Skálda pag. 179) inter mythicæ antiqvitatis celeberrimos eqvos.

Narrat Volsúnga-Saga (Cap. 21 vel 22) qvomodo Sigurdus Fasnericida, juvenis apud Regem Hialprecum adolescens, ab eo licentiam eqvum sibi ex illius eqvitio eligendi nactus senem longâ barbâ præditum in sylvâ qvadam obvium haberet, qvi isti optimum ex illo caballum monstrare promiserit. Hunc deinde senex elegit ad amnem Busiltiörn, qvi nimirum, unus ex reliqvis omnibus Regis eqvis, eam transnataverat. Erat eqvus colore canus ac staturâ grandis. Dixit autem de eo senex ille barbatus, qvi Odinus fuisse fertur: "Hic eqvus ex Sleipnere est prognatus **), ac summa cura tractandus, nam omnes alios facile superabit." Tum ille disparuit at eqvus iste, Granius dictus, omnium præstantissimus evasit. — Eo vectus Sigurdus posterius flammas Brynhildæ ædem cingentes simili modo transsiliit, ac Hermodus Helæ vallum (Cap. 36).

De Sleipnere illo agit ænigma hocce ab Gesto cæco (vel potius Odino ipso) Heidreco Regi Reidgothorum propositum: ***)

Qvinam sunt illi duo
Qvi ad conventus eunt;
Tres conjunctim
Habent oculos,
Decem pedes
Et ambo caudam unam,
Atqve sic super
Regiones feruntur? ****)

Respondit Heidrekus:

*) Hæc qvatuor verba qvibusdam codicibus desunt.

**) Ut Sigurdus ipse è Volsungo, qvi speciali Odini gratiâ ac dono procreatus esse dicitur.

***) Vid. *Hervarar-Saga* ed. Havn. pag. 174 & sq.

****) *Oc lída sva lavnd yfir* — qvæ verba aëreum certe iter innuunt (Odino ac Sleipnero satis proprium); sic enim ille per aëra & æqvora eqvitavit; vid. *Hrúngnir* s.

Facile ænigma tuum
Geste cæce!
Qvod mihi conjectum.
Hoc est Odinus
Dum Sleipnero prorsum vehitur,
Is alterum habet oculum
At eqvus ambos,
Currit caballus
Pedibus octo,
Yggus (Odinus) duobus incedit,
Eqvus unam posſidet caudam.

Hic Eddæ junioris de octo Sleipneri pedibus fictio servatur. E contrario visio fabri Norvegici sec. 12mi (qvam supra in artic. *Ódinn* retulimus) ei sive alii ab illo Deo usitato eqvo (qvi septum altisſimum transſiliit et per aëra disparuit) non plures qvam qvatuor pedes attribuisſe fertur.

In Thiodolfi (Norvegici sec. 9ni gentilis vatis) cantilenâ (Ynglinga-Sagæ Cap. 21 insertâ) Sleipneri (ut eqvi) nomen occurrit. Idem poëta (Cap. 20) Helam (ut Lokii filiam) eqvi (Sleipneri) sororem appellat.

Cum Odinus originitus fuerit cæli Deus, ejus eqvum Sleipnerum aërem vel ventum primis nostratium poëtis denotasſe, non erit improbabile. Sic forte istus octo pedes ad octo ventos cardinales allegorice alludunt. *) In ſabula supra relatâ, de hiberni circa Asgardiam valli constructione, ænigmatice agitur de procreatione venti verni (sive æstivæ auræ) qvi Odino, ut clementioris aëris ac anni temporis Deo, olim præsertim addicebatur. Gigas ille architectus pro hiemis malevolo Genio est habendus, qvi solem, lunam ac terrestrium rerum almam foecunditatem rapere conatur, at eqvo suo, *Svadilfaro* **) dicto, nives ac glacies, frigido præcipue noctis tempore, continue congerit, â prima hiemis die ad ultimas usqve ***), donec *Lokius* (pro ignis genio interdum habitus) se in animal mythicum, ejusdem generis sed fæminini sexus (auram nimirum tepescentem) transformat, qvam cum eqvam *Svadilfarius* adpetit, glacies eo producta disſolvi ac liqvescere cæpit, ob qvam etiam causam hiberna illa valli structura imperfecta remansit. Eodem tempore Thorus, fulminis indubitabile numen, qvi hyemali tempore abfuerat, in regionibus

*) Eadem verisimiliter ratione eqvus Indræ (cæli ac aëris inter Indos Dei) dictus *Satam Caram*, colore albus octo capita gestare dicitur. Vid. *Moor Hindu Pantheon* pag. 83. Is alibi aqvas æqve facile ac terras permeare fertur; *Polier Mythol. des Hindous* II, 365.

**) Signat enim vocabulum *Svad* luti vel udæ nivis congeriem, *Svadi*, lubricam glaciem, unde *Svadháll* lubricus, *Svadilfarir* iter lubricum, per nives, glaciem vel paludes periculosum ac detrimentosum &c. Sic igitur *Svadilfari*: udas nives ac lubricam glaciem vehens vel congerens &c.

***) Cfr. ingeniosisſimi Trautvetteri (qvi Eddæ mythos astronomice illustravit) explicationem: *Asciburg*; (*Isis*, *herausgeg. von Oken* 9tes *Heft* pro 1820); *Mone Gesch. des nordeur. Heidenth.* I, 377 & sq. Observatur ibidem qvod adhuc in Germania *Dominica Lætare* (circa æqvinoctium vernum sive diem 21 Martii incidens) a plebe dicatur *Sommertag*, olim pro æstatis initio habita. Apud Scandinavos uno mense serius hoc festum celebrabatur. Vid. *Skadi* s.

orientis, ad mala dæmonia profliganda, *) subito reversus, infestum illum frigoris effectorem flammeo sui mallei ictu contudit ac insuper ad ima mortis & nebularum habitacula transmisit.

Qvoad etymologiam nomen *Sleipnir* derivandum videtur ab adjectivo *sleipr***) lubricus, & vertendum esse: lubricitatem efficiens. Hoc certe de verna aura dici potest, qvum tepescente aëre glacies lubricior reddatur. Sic primo tempore a poëtis sive mythologis aëri veris tepefacienti, ut Odini reventum vel de malis frigoris dæmonibus victoriam annuncianti, adtributum fuisse videtur. Qvoad illam hujus mythi explicationem annotari porro meret, qvod ventus â summis numinibus appelletur *gneggiudr* (hinniens)***).

Slíþ, Slíd, amnis terrestris, vel hominum habitaculis propinqva, sed hinc Helam (sive Orcum) versus cadens; *Gr M.* 28. Est forte eadem ac:

Slíþur, Slídvr, amnis ex oriente fluens, per venenosas valles, sordes ac gladios (vel cespites ê variante lectione) volutans *VSpá* 33. Si legas *sverdum* vertendum erit gladios a *sverd* n. si autem *svördum*, cespitibus a *svördr (gras-svördr)* m. Occurrit *Slídur* (vel *Slíþvr)* nostra, qvarta aut qvinta numero inter amnes Niflheimenses ê Hvergemlere ortas, in Edda juniore (pag. 4). De obscura nominis ipsius significatione, cfr. Gl. T. II. sub *Slíþrar, Slíþrbeitr.* Id forte hic observari meret, qvod mythologia Indica fluvium qvendam infernalem gladios ac acuta alia arma volutare fingat.

Smyl, Smýl vox alias ignota sed verisimiliter significans larvas, lemures vel malos genios; *Gr. M.* introduct. Est hocce vocabulum, ut T. I. glosarii auctores voluerunt, derivandum a *smdr (smá)* parvus, minutus, subtilis (unde etiam alia *smáli, smælki, smálki,* Angl. Sax. *smal, smeal,* Angl. *small* parvus, minutus, Dan. *Smule, Smöl* mica, recula minuta) propter larvarum tenuitatem ac subtilitatem. Observavit nuper doctissimus Klaproth multa lingvæ Aegyptio – Copticæ verba convenire aliis variarum Asiæ ac Europæ

*) Sol hiberno tempore borealibus in oriente positus apparet, sed videtur ibi certo modo impediri ac detineri, ut nostras regiones revisitare neqveat. Hoc vetustatis homines adscribebant malorum dæmonum insidiis vel afflictationi, ob qvam causam Thorus, hinc discedens, in oriente degere cogeretur, ut infestis geniis ibi profligatis, solis ac æstatis beneficia septentrioni restituere posset.

**) Sono & significatione respondet adjectivo Svec. *slipprig*, Dan. *slibrig*, Germ. *schlüpfrig, schlipfrig, schlipferig*, Angl. *slippery*; cognata videntur Island *slípa* polire (atterere, extenuare, acuere) Dan. *slibe*; Svec. *slipa*, Germ. *schleifen* &c.

***) A verbo *gneggia, hneggia* hinnire, Anglo-Saxon. *hnœgan*, Angl. *neigh.* — Observamus tandem doctissimum nostrum astronomum, Hennebergium, Sleipnerem accepisse pro Bootis stella qvæ octo radiis prædita esse olim ferebatur. Trauivetter contra Cancri octo pedes Sleipnero applicat, hunc tamen cum Pegasi vel Centauri constellationibus comparans.

borealis gentium; — idem certe de vetere Scandinavorum idiomate valet. Sic e. gr. Jablonsky explicaverat Typhonis agnomen *Smy* ab adjectivo *smo, smu* subtilis *), qvod sono ac significantia satis arcte convenit nostro *smá* (lege *smau*), Dan. *smaa, (smo)* Svec. *små* &c.

Sól f. *Sol.* Qvum Boris filii (Dii creatores) orbes cælestes primum elevarunt, Sol e meridie collustrabat palatii (mundani) muros (i. e. montes), ut tellus viridibus herbis pullularet, at tamen ante creationem completam Sol, Lunæ [vel Luni] socius [socia] e meridie dextrâ manu cælestia jumenta [vel eqvestrem coeli portam] **) complectebatur non sciens ubi palatia (vel atria aut ædes) posſideret *VSpá* 5. Ordinarius solis cursus tunc a Diis congregatis determinatus fuisſe innuitur, cum anni, mensium & diei temporibus str. 6. — Qværit Gangradus, unde Sol, qvi [vel: solaris Dea aut nympha qvæ] homines obit, primum veniret [aut ortus sit] — cui Vaſthrudner respondet Mundilfarum patrem esſe Solis ac Lunæ [Luni], qvi coelum qvovis die circumibunt, ut anni computus populis innotesca *Vaſþr. M.* 22-23. Eqvi solis nominantur *Gr. M.* 37, B. I, 15, cfr. *Hr. G.* 14. Vocatur porro Lunæ [vel Luni] soror, qvam sero splendentem aut occidentem versus spectans, nemo cum hoste manus conserere debet — ex Hnikaris sive Odini ipsius edicto S. II. α, 23. Vocatur fulgens numen, tectum clypeo, *Svalin* dicto, qvi si de suo loco ceciderit tam montes qvam æqvora exustum iri dicuntur *Gr. M.* 38. Eadem solis denominatio usitatur B. I, 15 ubi Runæ ingeniosæ (vel imaginariæ) scuto, pro (vel coram) ipso stante, incisæ esſe dicuntur. Appellatur porro numen candido vultu (aut formâ) præditum ac serena coeli nympha (virgo sive sponsa) *Gr. M.* 39. Per solem meri-

*) Vid. *Klaproth Memoires relatifs a l'Asie* pag. 105 & sq. *Jablonsky Pantheon Aegypt* III. 110. Aut Indis aut Scythis, Aegypto olim imperantibus, ista similitudo videtur esſe adscribenda. Cfr. *Freyr* s. it. Vers. hujus Eddæ Danicam I, 191-192.

**) Duplici modo vocabulum hic occurrens legi & verti potest, aut nimirum 1) *jó-dýr* o: eqvina animalia, jumenta, eqvi; aut etiam 2) *ió-dyr* porta (vel portæ) eqvestris, vel ad eqvorum (ac curriculi) transitum (exitum vel introitum) idonea. Vox posterior invenitur *Hr. G.* 25. ubi almæ telluris eqvestre ostium (magis boreale, vel etiam inferne situm) memoratur. Videntur autem hujus strophæ duo primi versus sive lineæ præcedentem, qvoad contextum sententiæ, seqvi debere; ita nimirum:

Dró leik Dvalins
Drösull í reid
Jörmungrundar
I jódyr nyrdra [vel *nedra*].

Mittimus gloſarii T. I. varias vocis ex Hebræo vel Græco sermone (boreali non respecto) derivatas significationes, qvamvis *auroræ porta* (ut hanc vocat celeberr. G. Pauli) nostræ conveniat explicationi.

dianum Rex gentilis (Atlius) juramentum præstitisse dicitur A. Q. 31. Solis aspectus cum ipsius augusti (Christianorum, ut videtur) Dei comparatur *Sól L.* 41. Solis aspectus (præter ignem, ut ejus symbolum vel simulacrum) optimus (rerum) dicitur esse, si nempe homini (illis gaudenti) contingit obtinere sanitatem, cum vitâ vitio carente *Háva M.* 68. Vocatur variis locis Alforum (lucidorum) rutilans jubar vel Alforum (tenebrosorum) destructor; vid. *Álfravdull* s. Apellatur Dvalini (Dvergi nocturni vel somnum efficientis) ludificatrix ac eqvo jugali, jubâ per terras habitatas splendente ac præstantissimis gemmis ornato (circa solis ortum) per almæ Telluris eqvestrem portam (cfr. nostram ad præcedentem articulum observationem primam) tracta incedere describitur *Hr. G.* 24 (ubi *Dagur* sive Dies ut Solis auriga describi videtur; cfr. *Dagr* s.). Sol porro Rindæ (sive telluris hibernæ) nutrimen dicitur *Hr. G.* 23; vid. *Rindur* s. Olim in septentrione homines Solem corporis inclinatione venerabantur *Sól. L.* 41. Duo lupi solem comitantur, qvorum unus eum præcedit at alter seqvitur *Gr. M.* 39. (Vid. *Hati, Sköll* s.). Mundi exitio appropinqvante *sol* nigrescere vel obscurari incipiet, ê vaticinio Valæ, str. 51. Prædicitur Fenrer lupus solem hunc mundanum rapturus vel perditurus esse, in communi numinum (vel elementorum) interitu, at nova tamen solaris virgo, qvam Dea illa antea pepererat, per planum cælum ac maternas vias esse eqvitatura (vel curriculum actura) *Vafþr. M.* 46-47. — Qværit Vingthor de variis nominibus solis, qvem ætatum (vel gentium diversarum) gnati in singulis mundis cernunt — cui Alvis respondet, qvod *Sól**) vocetur ab hominibus, *Sunna***) â Diis, a Dvergis *Dvalinsleica* (vid. *Dvalinn* s.), a Jotnis aut Gigantibus *Eygló* (de qvo supra suo loco egimus) ab Alfis (lucidis) *Fagrahvel* (fulgidus orbis) sed ab Asarum filiis *Al-scír* (perillustris vel ubicunqve serena; cfr. *Skírnir* s.) *Alv. M.* 16***). Clarum solis orientis ac diei qvoqve lumen larvas omnis generis fugare, at Gigantes & Dvergos sive atros Alfos occidere, vel in lapidem vertere valuit *Hr. G.* 25, *Alvis M.* 35, *H. Q.* I, 29-30.

A Sole suum nomen est adeptum poema Eddicum (pro gentilis Eddæ appendice tamen habendum) dictum *Sólar-Ljód* i. e. Solare Carmen. Est sine dubio â christiano homine circa prima hujus religionis in Islandia initia compositum, ac

*) Dan. Svec. Angl. &c. *Sol*, M. Goth. *Sauil*, Lett. *Saule*, Lith. *Saul*, Slav. *Solnze*. Ostiak. *Sjel*, CBrit. *Haul*, Gr. ἥλιος. Cfr. Pers. *Soo*, *Su* lumen solis, Gr. σέλας fulgor, lumen &c.

**) Anglo-Sax. & Alem. *Sunna*, *Sun*, Angl. *Sun*, M. Goth, *Sunno*, CBrit. *Huan*, Slav. *Sunatsch*, *Sunze*, Ostiak. *Siunna*, Mandschu. *Sjun*, Zend. *Shur*, Sanscr. *Suria*. Cfr. Lappon. *Shuonian* radius solis; Isl. *Suda*, *Suþa*, æstus, fervor, Pers. *Suz* p. p. it *Sunnr* pro *Sudr* meridies &c.

***) Cfr. versionem hujus Eddæ Danicam II, 19, 31-32.

igitur varias ideas et opiniones, tam ethnicas qvam Christianas, mire confundens. Hic proprie defuncti patris umbra, filio in somnio apparens, ei multa refert de lethali suo morbo, morte ac statu ei proximo, nec non de animæ ad alias sphæras & mundos (ut purgatorium, infernum & paradisum), itinere per vias soli vicinas &c. Narrat emortuus ille se, morti vicinum, vidisse solem, verum (alioqvin) diei astrum, moestum in streperis regiouibus occidere (vel caducum hærere) dum orci fores ab altera parte graviter stridebant, (*Sól L.* 39) at posterius cruentis literis (vel radiis) obsitum; Sol nihilominus tunc apparuit multis modis potentior qvam antea (40). Moriens homo Soli, Deo augusto simili, ultimâ in temporum (sive mortalium) mundo vice, corporis inclinatione venerabatur*) (41). Sol deinde ita vehementer radiabat, ut nihil fere aliud vir obiens sciret (aut sentiret), dum Gilæ (Giallæ, infernalis fluvii) torrentes, multo sangvine mixti, ab aliâ parte mugierunt (42). — — — Post tristem istum diem solem nunqvam (in vivis) vidit moriens ille, aqvis (stygiis aut lethæis similibus) oppressus et ê (morbi ac vitæ) doloribus evocatus (45). . . . Is nihilominus, post novendialem in Nornarum sellâ (feretro forte funebri) sessionem ac postqvam is inde in eqvum fuerat elatus, vidit Oreadis (aut gigantum vel inferi mundi) solem**) truculenter micare (51). Cfr. porro *Sólarhiörtr* i.

Edda junior de solari illâ Deâ sive nympha varia refert. Ganglero interroganti, qvomodo omnipater (Ódinus) Solis & Lunæ cursum dirigeret — Har respondens (pag. 12) enarrat fabulam de Mundilfaro ac duobus ejus liberis, Sole & Luna, in coelum elevatis ac curriculis ibi præcedentibus, qvam nos supra adtulimus in artic. *Máni.* Addendum hoc tamen superest: "Eqvi solis vocantur *Árvakur* (matutinus, mane evigilans) & *Alsvidur* (omnia adurens); sub armis eqvorum horum Dii posuerunt duos folles, vento repletos; loqvuntur autem aliæ traditiones (vel vetustæ relationes aut carmina) de *refrigeratione ferreâ* (vel *glaciali*) dicta [*ísarnkul*]" ***).

Agitur ibidem de lupis solem cingentibus ac perseqventibus, de qvibus satis supra actum est in artic. *Hati, Sköll, Fen-*

*) Hinc solis vetusta in nostro septentrione adoratio satis perspicue illucet. Sic qvoqve legimus in legibus Canuti Magni (Danis ac Anglis) datis: "Barbara est adoratio si qvis solem coluerit." Ejus vestigia in legibus Germanicis monstrat Dr. Michelsen (*Eranien* II, 58.).

**) Luna alias vocatur Oreadum vel gigantum & larvarum ac lemurum sol (*Drauga sól* &c.). Færoenses insulani Lunæ adhuc adtribuunt Solis nomen in pluribus compositis vocabulis.

***) Alluditur hic ad *Gr. M.* 37: "Arvacur & Alsvidus — dehinc svaves (delectabiles) Solem tratent, at sub eorum armis absconderunt clementia numina, Asæ nimirum, ferream [vel glacialem] refrigerationem" o: auras frigidas. Dicuntur porro Runæ ingeniosæ (sive imaginariæ) auri Arvacuri & ungulæ Alsvidi esse incisæ B. I, 15 — qveis immortali Torfæo conjiciente aurora matutina ac vespertina significantur. Cfr. *Árvakr, Alsvidr* s.

*rir, Garmr**). De Sole et Luna aliqvando ab Asis Gigantibus promisſis, vid. artic. *Sleipnir* s. — *Sól* Asyniis sive Deabus adnumeratur in Edda juniore (pag. 39) et in versibus memorialibus Skaldæ insertis (pag. 212). Variæ ejus denominationes in Skalda ex antiqvis poëmatibus recitantur ut (pag. 126): Mundilfari filia, uxor Gleni (vel Glenuri)**), ignis (incendium sive pyra) cæli & aëris; flamma mundum (cursu ac calore) cingens (*heims vafurlogi*); (pag. 177, præter alia nomina, in hoc lexico explicata) *Sýni*, inferius *Sýn* (visio ɔ: speciosisſima vel visum indulgens) a *Sýn* visio, aspectus; (vid. Gl. T. II; it. art. *Sinir* s.); *Mylen: Ifrravdull* (qvarum justas significationes mihi jam ignotas esſe fateor); *Líknskin* (clemens sive remedians splendor) — ac tandem (pag. 23 in versibus memorialibus) *Leiptr* fulgor, *Liósfari* (Lucifer sive lucens eundo), *Leika* (Ludia, Ludum agens vel ludificatrix), *Drífandi* (arcens, pellens ɔ: tenebras & frigorem), *Hriódr* (vastatrix, aut eodem respectu, aut etiam nimio æstu terras devastans p.p.).

Prædicit Edda junior (pag. 71) solis lumen ac calorem triplâ hyeme, qvæ *Fimbulvetur* appellatur, mundi exitium præcedente, nec telluri nec mortalibus ullum commodum allaturos esſe. Alio simili hyemali spatio, illud seqvente, Lupus solem devorabit, in maximum hominum damnum. At tamen antea (pag. 77) Sol pepererat filiam, se ipsâ non obscuriorem, qvæ per maternas vias procedet. Hic proprie finitur Edda junior (vel prima saltem ejus pars *Gylfaginníng*) his nimirum Haris ad Ganglerum (vel Gylfium) verbis: "Jam vero, si ulterius qværere posſis, nescio unde id tibi veniat, neminem enim temporum eventa ultra ante dicta altius retro enarrare vel retexere audivi" ***).

*) Addimus tantummodo ê celeberr. Geijeri *Svearikes Häfdar* I, 275 qvod Lupus solaris (*solvargen*) in veteri Svecico proverbio occurrat, ac qvod idem insuper nomen de pareliis (ut antea de Danis, Norvegis & Islandis observavimus) in Svecia usitetur. Cfr. immortalis Ihrei *Svenskt Dialekt-Lexicon*, Upsalæ 1766. 4. ad voces *Solulf*, *Solvarg*; (at parelii ibidem præterea dicuntur *Solälf* ɔ: Alfus aut genius, & *Solmöya*, Norvegis etiam nota, nympha solaris, qvæ Beygverum & Beylam, Freyeri ministrum ac famulam in memoriam revocant). Annotavit qvoqve Geijerus anni solaris olim apud Græcos denominationem *λυκάβας* (lupi via vel semita), simul allegans illustrisſimi Crenzeri *Symbolik und Mythologie* II, 130, 133. Cfr. nostras de similibus vetustatis ideis opiniones in artic. *Géri* s. & versionem hujus Eddæ Danicam I, 208-209, 240-242.

**) Vide supra in artic. *Máni*. Scribunt alii *Glanur* vel *Glórnir* qvæ omnia innuunt claritatem, pelluciditatem vel splendorem. Cfr. supra artic. *Glær* & Gl. T. I & II, v. *Glerr*, *Gler* p.p. Hinc sol a poëtis vetustis dicitur *Glens bedia* (Gleni uxor) &c. Ipsa denominatio mythici viri ad cæli candorem vel serenitatem, qvam Sol adamat, allegorice alludere videtur. Cfr. *Mundilfari* s. Observavit ingeniosisſimus *Ling* Solis Indici conjugem *Prabha* (i. e. splendorem) appellari, *Eddornas Sinnebildslära* I, 74.

***) Hic de sole novi anni (post hiemale solstitium incipiente) sermo est, ex ingeniosisſimâ Traut-

Varia de solis ortu ac occasu in veteri nostro sermone vocabula, adhuc Islandis usitata, primarias opiniones de ipsius vitâ ac indole, humanæ certo modo simili, testari videntur e. gr. *Sólar-ris* (Angl. *Sunrise, Sunrising,* Moeso-Goth. *Urruns)* evigilatio sive surrectio solis: de ejus ortu; — *gángr* gressus cursus; *sólstödur* solstitium; *-setr* (Angl. *sunset* Moeso-Goth. *saithws)* sessus; — *lag* recubitus (de solis occasu) &c. Huc forte pertinent *sólar stafr* (s. baculus) radius solaris crassus demissus et mare collustrans p. p.*).

A Sole porro indubie suum nomen deducit primus inter hebdomadis dies, tam inter Europæ boreales qvam meridionales gentes**). Audiit autem proavis nostris (ut hodie Islandis), *Sunnudagr,* Anglo-Saxonibus *Sunnandæg,* Germanis *Sunnandag,* Frisiis *Sonnendey*; at hodie Danis ac Svecis *Söndag,* Angl. *Sunday,* Germanis *Sonntag* &c. Ut Christiani exteri hanc diem medio ævo dominicam vocarunt, istam ejus denominationem clerici catholici Islandice verterunt *Drottinsdagr,* qvæ tamen postea penitus abolevit. Qvod ethnici Scandinavi solari Deæ sive nymphæ revera hunc diem addixerint, e reliqvis hebdomadis dierum nominibus apparere videtur. Ad illius Deæ vel plurium Disarum gentilem cultum, solis die exercitum, alludunt, ê nostra opinione, seqventia verba solaris carminis (*Sól. L.* str. 25):

Divas ora tibi
Dominicorum [divinorum] sermonum
Propitias esse in animis;
Tunc posterâ hebdomade***)
Tibi tuæ voluntatis
Omnia fortunate vertent.

— Pro Deabus enim ethnicis (solari nimirum ac aliis) Solis die qvondam cultis, vates auditori commendat Divas sermonum dominicarum [*drottins mála*] i.

---

vetteri conjectura. At certe magnum mundanum annum gentiles ad solaris anni normam finxisse videntur, ut alibi demonstrare tentavimus.

*) Cfr. similia Svecica & pl. *Solgång* itio (introitus) solis (de ejus ortu); *Solbadd* balneum vel sudatorium s. (de æstu), *Solbergning,* Sælandis Daniæ *Solbjerglag,* invectio s. (de occasu) p. p. Islandicis illis respondent Jemtelandorum *Soloppen* et Vermelandorum *Solsätter* (Norveg. *Solsæt)* de solis ortu et occasu; hic posterior in variis provinciis vocatur *Solegladning,* — *glädjen* & Norveg. *Solglae* (solis lætificatio, — propter exoptatam qvietem, e priscorum hominum sententia). Plura huc pertinentia in lingvis cognatis vocabula enumerare nec tempus nec spatium permittunt. Annoto tantum Germanorum: *die Sonne reiset; die Sonne bettet um sich.*

**) At qvoqve inter Indos ac multos plures Asiæ populos, (ut Chaldæos & Aegyptios veteres).

***) De hoc ingenuo ac olim qvoqve recepto & jam indubio sensu vocis *Vika* (Dan. *Uge,* Svec. *Vecka,* Germ. *Woche,* Angl. *Week* &c.). — Paulus Vidalinus prolixe tractavit in speciali commentario, typis adhuc non mandato, ubi vir doctissimus luculenter probavit hebdomadum & dierum hodiernas denominationes a gentilibus horum Borealium regnorum incolis fuisse receptas.

e. divinarum christianæ relligionis concionum, hymnorum ac precum — sic verisimiliter respiciens novum nomen solis diei, Dominicam nimirum [*Drottinsdag*]. Intelliguntur autem (e beati Gudmundi Magnæi ingeniosa conjectura) Virgo Deipara ac deinde aliæ Divæ inferioris dignitatis, ab ecclesia prisca et Romanensi cultæ, ut sancta Barbara, sancta Sunniva & similes*).

Cultus ethnici, solis die Soli præstiti, qvædam vestigia adhuc in septentrione inter superstitiosum vulgus reperiuntur Sic infantes hoc die nati vulgo Danis, Norvegis & Svecis dicuntur *Söndagsbörn***)(Germanis*Sonntagskinder)* qvi præ aliis in hac vita felices & dæmoniaca qvadam indole præditi esse putantur ut e. gr. dæmones, aliis occultos, videre ac (e variis circumstantiis) rite adorare vel exsecrare possint &c. Sveci insuper tales fortunatos homines dracones, auro incubantes, domare ac deprædari posse opinantur — ut sol olim ac solares heroes contra abyssi ac tenebrarum dracones victoriosum qvovis anno bellum gerere dicebantur. Sol qvoqve ipsa *Sýn* vel *Sýni* vocata, hominibus visum, *(Sýn)*, lucis sequelam indulgens, iis infantibus, qvi ejus die nascebantur, spiritualem qvendam vel supernaturalem visum donavit***). — Præterea in Svecia, ad nostra usqve tempora rustici superstitiosi, Solis diei matutino tempore, ægroto pecori medicinam adplicare solebant. Hic nihilominus Finnorum recentissimus qvoqve ritus gentilem Solis cultum maxime sapit: solet enim apud eos rustica materfamilias primo solis diei diluculo, ter vaccas prædii ambire, inverso contra solem cursu, corpore certo modo inclinato, preces sine dubio fundens; tenet ipsa una manu claves propriæ villulæ, falcem, securem et plura talia, altera autem tædam ligneam ardentem, dentibus insuper cultrum ferreum premens. Symbolica harum rerum significatio nulla sane uberiore illustratione egebit ****).

Sól (sol) inter literas runicas (ut S. nostra) est recepta, qvarum aliæ Odini Thori, Tyris, Freyeri & pl. nominibus sunt insignitæ, figurâ ᛋ vel ᛊ (ac pluribus) repræsentata.

Festa veterum Borealium ut plurima-

*) Qvum verba *Drottins mála* præterea verti possint *dominicorum* (vel *divinorum) sonorum*, non est adeo improbabile qvod auctor simul respexerit sacras (vel rite baptizatas ac sacris initiatas) templorum campanas in qvarum baptismo episcopus orare soluit "ut Deus vellet, per baptismum, conferre campanæ, *efficaces sonos* ad suum [munus perficiendum." Vid. *Finni Johannæi Hist. ecclesiast. Island.* I, 174. Campanæ certæ sanctarum mulierum nominibus sæpissime insigniebantur & a plerisqve superstitiose honorabantur.

**) Vid. e. gr. *Thiele Danske Folkesagn* III, 114. *Arndt Reise in Schweden* III, 21.

***) Sic Sol (vel Solis Dea) ex Lapponum gentilium opinione ingenium vel rationem hominibus indulget. *Leem Beskrivelse over Lapmarken* pag. 411.

****) *Westerdahl Beskrifning om Svenska Almogans sinnelag, Seder* &c. 1774 pag. 46. *Rühs*

rum aliarum gentium a Solis relligioso cultu orta ac ei adaptata fuisse pro indubio habemus; ast uno numine in plura diviso variis solaribus Diis (ac masculis sæpissime) diversa illa festa sacrabantur, ut hiberna Freyero, verna Thoro ac Odino, æstivum principale Baldero &c. ut suis locis demonstrare conati sumus. Pro mensibus duodecim anni vel cæli zodiacalibus signis tot tandem numina, certo modo pro solaribus habenda, sed variis tamen naturæ elementis simul præesse credita, mythologiæ nostratium sunt inserta — dum Odinus ipse, ut coeli, solis ac anni summum numen, eosdem menses alio modo sub diversis duodecim nominibus interdum repræsentasse ferebatur. Cfr. *Baldvr*, *Freyr*, *Ódinn* p. p. *) it. *Sólarhiörtr* &c. infra.

Sólarhiörtr (solis cervus); hunc homo defunctus in infero mundo vidit ab austro ire (aut properare) qvem duo (viri sive genii) habenâ ducebant, dum pedes ejus humi stabant at cornua ad coelum pertingebant *Sól L.* 55. Hic forte (gentili mythologiæ olim notus) proprie respicitur in epicedio Helgii Hundingicidæ (Daniæ Regis), qvum is â vidua relicta comparatur cum hinnulo sive cervo illo, rore resperso, qvi feris reliqvis celsior incedit, dum cælum versus elata cornua resplendent *H. Q.* III, 36. Alibi describi videtur ut cælestis aulæ tecto superstans; vid. *Eikþyrnir* s. ubi plura de cervo ut solis symbolo vel adtributo habito annotavimus.**) Huc certo modo pertinet mythica fabula de Freyero Beliun (hyemalem) gigantem cervino cornu occidentem. Vid. *Beli*,

Finnland und seine Bewohner pag. 305. Indi Solis diei matutino tempore ipsi preces ac sacrificia offerunt, ac lampadem appositam accendunt, ter vel qvatuor circa ipsum solis ortum (ac postea occasum) ambitiones instituentes. Huic ritui mulieres simul adsunt, solem intense adorantes. Est autem inter eos secta qvædam Solem *(Suria)* præ cæteris numinibus ac Solis præcipue die relligiosissime colens. *Ward Wiew of the history, literature and religion of the Hindus* II, 45. Divinus nostræ relligionis fundator Solis die, nobis igitur sacro, resurgens, a christianis vatibus *sol justitiæ* ac *sol spiritualis mundi* non raro appellari solet — dum ethnici illi Indi ac Persæ & pl. *solem physicum mundi* pro summo Dei et spiritualis Solis symbolo vel idolo venerantur. Cfr. *Sól. L.* str. 41 & alia Eddæ nostratium antiqvioris jam citata loca, it. *Colebrooke on the religious ceremonies of the Hindus, Asiat. Res.* V, 349-356. — Qvod ethnici Germani Solis die (vel saltem sacrificiis peractis) comitia agere & jus administrare soliti fuerint, concludi potest e Christianorum principum freqvente prohibitione eorum judiciorum qvæ vocabantur *Sonntags-Gerichte* vid. *Mone* l. c. II, 75. cfr. 137 de simili prohibitione fabularum ac vanarum cantionum recitationis, nec non chorearum, qvæ solis die inter Francos agi solebant.

*) Statua ænea solaris cujusdam Deæ (vel saltem radiante nimbo vel corona ornatæ) inventa est in regione Jutiæ Silkeborgensi, 1730, adhuc in Museo Regio Hafniensi servata. Aliud simulacrum, radiante capite insigne ac pro gentili habitum, in Liflandia (vetere Reid-Gothorum sede) est inventum.

**) Cfr. porro *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 280-281, 291-292. Huc certe pertinet mos

Freyr s.*) De vocabuli etymis vid. *Sól* s. & Gl. I, & II, v. *Hiörtr.*

Sólbiartr, Sólbeartr sole serenus vel solis instar candidus — pater Svipdagi (allegoricæ certe naturæ, ac verisimiliter pro ipso vere vel solis etiam lumine habendus) *Fiölsv. M.* 48. Cfr. *Fiölsvidr, Menglöd, Svipdagr.* De etymis vid. *Sól* s. ac Gl. T. II, v. *Biartr.*

Sólblindi (sole occæcatus vel occæcans) genius qvidam allegoricus, cujus tres filii forem qvandam aut januam (similis indolis) Thrymgiallam dictam, fabricasse dicuntur *Fiölsv. M.* 11. Cfr. *Fiölsvidr, Þrymgiöll.* De etymis vid. *Sól* s. & Glosf. T. II, v. *Blundandi.*

Sólkatla, nomen (ut videtur) allegoricæ alicujus Deæ sive nymphæ, cujus filii, unacum defuncti hominis umbrâ, hujus viventi at somnianti gnato, dicuntur explicasse Runas eas (literas aut scientias) qvæ incisæ fuerunt cornu cuidam cervino,**) qvod ê tumulo (vel ethnico sepulchro) extulerat sapiens qvidam, *Vigdvalin* dictus. *Sól. L.* 78. Audiit *Sólkatla* Gudmundo Magnæo (nescio qvâ ratione adducto) aula cælestis, ac ejus filii angeli, qvod saltem â vero non longe abludere videtur. Est forte nomen illud rectius scribendum *Sólkátla,* ac igitur explicandum solaris lætitia vel gaudium (aut beatitudo) â *Sól* s. & *kátr* lætus (lege: *kautur,* ac cfr. Latinorum *gaudium).****) Cfr. Glosf. T. I, v. *Ketill.*

Són, incertæ significationis, in voce *Sónardreyri* A) *Hyndl. L.* 34 ubi Heimdallus infans tali cruore præter telluris vim ac prægelidam (aut refrigerantem ac gelidam) maris aqvam auctus aut roboratus fuisse dicitur. B) G. II, 22 ubi Grimhilda Giukii Regis uxor, Gudrunæ filiæ propinasse dicitur poculum frigidum et acerbum, ne injurias, illi antea illatas recordaretur *****) — qvod autem adauctum erat Urdæ (aut saxi o: minerali aut vegetabili) vi [vid. *Urdur* i.], prægelida maris aqvâ ac cruore supra dicto. Cujus naturæ revera cruor ille fuerit, præ multifaria

---

ethnicus Germanorum, qvum Jolensi sive novi anni festo *cervi* larvam suscipere solerent, qvi tamen in Concilio Antisiodorense anni 578 prohibitus fuit. Cfr. *Mone* l. c. II, 167. Idem in nostro septentrione de Freyeri cervo, bove ac eqvo, Thori capro &c. ducendum.

*) Runæ insuper ænigmaticæ sive mysticæ cervino cornu (e tumulo vel sepulchro a sapiente Vigdvalino elato) incisæ fuisse dicuntur, at a defuncti umbrâ ac Solkatlæ filiis somnianti enodatæ, et solari carmini inclusæ *Sól. L.* 78. Cfr. *Sólkatla* i.

**) Cfr. *Sólarhiörtr* s. Gudmundus Magnæus hic præsertim respexit *cornu cervinum* (in materiâ medica) ut variorum corporis vitiorum medelam, cum qva igitur ipsum solare carmen comparatum putavit.

***) Sensum primarium mutarunt Dan. *kaad* (lascivus, petulans, salax) Svec. *kåt.*

****) Mire convenit locus hicce descriptioni sacri Græcorum libaminis, in Argonauticis (V, 320 & sq.) occurrenti, qvum nempè almæ Cereris nutrientia dona (telluris vis?) tauri sangvis ac salsa maris aqva isti admiscerentur. Cfr. porro T. II, pag. 941 et versionis hujus Eddæ Danicæ III, 114.

ambiguitate vix est certe declarandum. Has nos pridem conjecturas instruximus: α) *Sónar-dreyri* est forte, ex primorum interpretum translatione, *cruor piacularis* sive *sacrificialis* ac *Són* igitur idem ac Germ. *Söhne, Sühne, Süne* expiatio, pacificatio, veteris lingvæ *Suona, Sone, Söne, Sun* (unde etiam verbum Dan. *sone, for-sone)* qvæ originitus eadem videntur esse ac Moeso-Goth. *Saun* lytrum, pretium redemtionis *). β) *Són* nominatur unum inter tria illa vasa, medone sive mero plena, qvæ Odinus in Suttungi subterraneis habitaculis evacuavit (Vid. *Gunnlöd, Odinn, Suttúngr)*. Fuit autem potus ille (allegorice pro ipsa poesi habitus) e sangvine sapientissimi Qvaseri paratus, qvapropter is revera *Sónardreyri* sive Soni cruor aut sangvis appellari potest; conjeci aliqvando qvod illud *Són* (aut ipsius latex) indicet vinum, qvod revera in lingva Asarum (vulgo Ossetorum) Caucasiorum dicitur *Ssan*, Abass. *Sana*, Digorice *Sanna*. Qvod alioqvin vas vel poculum sacrum, vino aut medone repletum, festiva borealium sacrificia ornans, mythico illo nomine, in Dei ac principis honorem, fuerit designatum, non per se est improbabile, præsertim cum Bragio, poeseos Deo, poculum inde haustum sacraretur. γ) Conjecerunt alii mythicum nostrum *Són* idem esse ac Germanorum *Sonne* ac solem igitur denotare, qvum *Sónardreyri* pro rubicundo ejus splendore (sangvineum colorem interdum, circa ortum aut occasum, at præsertim cum eclipsin patitur, revera assumente). Cfr. *Heimdallr* s. **) it. *Sónargavltr* i.

Sónargavlltr (-göltr) porcus f. verres (vix unqvam caper, ut verterunt interpretes) vesperâ Jolensis (aut solstitiali hiberni temporis) festi, in aulâ Hiorvardi, Norvegici Regis, ex veterum more productus, ad Bragii poculum (*Són* forte dictum, a vase celebri Odiniano, medonem aut merum poeseos continente; vide articulum proxime præcedentem) — ut convivæ manus ei imponerent ac vota ita solenniter voverent H. Q. I, (T. II, pag. 45, 46). Fuit revera Freyero aut Freyæ (vel

*) Cfr. doctissimi *Mone Gesch, des Nordeur. Heidenth.* II, 256 qvi pretiosissima veteris Germanicæ lingvæ vocabula, gentilem cultum spectantia, diligenter collegit ac ingeniose explanavit, at tamen, ni fallor, Moesogothicum illud *Saun* non inter ea memoravit. Sacrificium qvoddam (certo festo non proprium) Scandinavi dixerunt *Sónar-blót (Yngl. S.* Cap. 21; non *sonar blót* ut habet editio Havniensis I, 24); id a translatoribus non improbabiliter *sacrificium expiatorium* latine redditur. Fuit autem institutum a Dago, Upsaliense Sveciæ Regi, ad oraculum consulendum, ut recuperare posset pasferem, qvondam auspiciis utilissimum, at tum in Reidgothia violenter detentum. Aliud tale sacrificium, judicio junctum, memoratur in *Hervarar-Saga* C. 14. Germanicæ sec. 8vi glossæ *Sona* reddunt: judicium, pax.

**) Ad hunc articulum priorem locorum hic allegatorum primâ observatione illustrare tentavimus. Possunt porro Hyndlæ verba simul respicere varios Iridis colores. Sic telluris vi *viridis* (herbarum) ac *flavus* (auri ac plurium metallorum) color, *cæruleus* mari at *ruber* tandem sangvini aut vino (sacrificiali) foret adscribendus. Cfr. versionis Danicæ II, 32-33.

ambobus hisce numinibus) sacratus, ut supra probavimus in artic. *Gullinbursti* & *Hildisvíni*. *) Cfr. Glosſ. T. II. De etymis vid. *Sónar-dreyri* s. & Gl. T. I, & II, v. *Gavlltr (Göltr)*.

Stjarna (stella) pl. *Stjavrnor, Stjörnur*; nesciebant stellæ ubi loca (iis destinata) haberent, priusqvam Dii eorum ac temporum simul regularem cursum ordinarunt *VSpá* 5-6. Sunt verisimiliter lusorii illi at aurei orbes qvibus Asæ sive Dii aleâ in propria (cæli) areâ (prima mundi creatione peractâ) ludebant ibid. 8 (obs. 17). Thorus [in juniore Edda l. c. pag. 82 Odinus] Thiasſii occisi oculos in cælum projecit (eas in stellas transformans) ut omnibus semper visibiles manerent *Harb. L.* 18; (vid. *Skadi* s). Spei stella a nascentis (hominis) pectore avolat ac alte qvidem volat, nusqvam consedens, ita ut ille reqvietem nancisci posſet *Sól L.* 46. Sol verum diei astrum nuncupatur ibid. 39. Stellæ profanæ (ethnicis propriæ) diris radiis (baculis aut virgis) signatæ (o: cometarum) instar**) stare videbantur super capita excommunicatorum hominum in infero mundo ibid. 60. Intelliguntur forsitan planetæ ***) (sive hebdomadis dies his sacrati) sub septem iis tenebrarum nocturnarum filiis, qvi ê septentrione sublimes vehuntur septem numero, ac plenis poculis (vel potatoriis cornibus) purum medonem bibunt e fonte sphærici (cælestis) numinis, ibid. 56 ****). In futuro mundi nostri exitio stellæ serenæ ê cælo disparebunt *V. Spá* 51. Post mundi renovationem ac Asis in Idæo (cæli) campo iterum congregatis, reperientur mirabiles ac aurei illi calculi (lusorii astrorum orbes) *****) qvos antea Odinus ac illi ejus posteri (vel cognati) posſederant ibid. 54. (cfr. Eddam juniorem pag. 82-83).

In Edda prosaica indicantur lucentes stellæ ê scintillis, ætheri nostro ex Mu-

*) De apro sive verre in farreo borealium simulacro, Jolensi festo pinsato ac in mensa exposito, at deinde superstitiose tractato, supra plura retulimus. Eundem vel similem morem Germanis diu fuisſe proprium legimus in libro: *Roeszig Alterthümer der Deutschen* (1797) pag. 222 qvamvis Concilium Liptinense, ante medium sec. 8vi prohibuerit superstitiosum illud (vel aliqvid tale) *simulacrum de consparsa farinâ*. Cfr. Gräteri: *Das Fest des Sonnenrads und das Sonnenbrod (Idunna und Hermode* 1814 pag. 20).

**) Cometæ qvoqve memorari videntur *Sól. L.* str. 54 ut Vonæ (infernalis flnvii) dracones, ignes (e nostra translatione) ex alto spargentes & alas vehementer qvatientes. In vetere Persarum relligione cometæ malis dæmoniis adnumerantur & dracones vocantur.

***) Planetæ isti Septentrionalium fuerunt: *Sól*, *Máni*, (Sol & Luna, ac proprie) *Týr*, *Ódinn*, *Þór*, *Freya*, *Logi* vel *Loki*. Vid. *Rimbegla*; Ed. Havn. pag. 112.

****) Vid. *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 234-235, 262 ac vers. hujus Eddæ Danicam III, 215, 226-227.

*****) Doctisſimus Villot Aegyptios ludum Scachorum (latrunculorum) invenisſe, ac ad astrorum motum composuisſe, nuper libro peculiari ingeniose demonstrare tentavit, cui titulus inscribitur: *Origine astronomique du jeu des échechs, expliqvée par le calendrier égyptien (à Paris* 1825).

spelli empyreo cælo olim advolantibus, a Diis creatæ fuisse (pag. 9). De earum (in flammeo mundi exitio) discesſu aut interitu Valiani vaticinii ipsisſima verba proferuntur. Allegorice certe in eodem libro variâ de stellis finguntur, qvæ hic disqvirere non vacat. Cfr. tamen *Ásgardr*, *Einheriar*, *Freya*, *Valhöll*, *ÆEgir*.

Ut Solis & Lunæ vocabula, sic etiam illud *Stjarna* in nostro sermone inter antiqvisſima certe haberi meret, cum cognata ac consona fere in plurimis Europæ ac Asiæ lingvis reperiantur, ut in hujus Eddæ T. III. Glosſario suo loco multis probavimus *).

Stravnd, *Ströond*, amnis terram permeans at inde Helam (sive Orcum) versus cadens *Gr. M.* 28. Verum nominis etymon mihi latet**); cfr. tamen Gl. T. I.

Sudri, *Suþri* (meridionalis) unus qvatuor cardinalium illorum Dvergorum, qvi cælum sustinent, hic autem unus e Modsognerî coetu. *VSpá* 11. A *Sudr*, *Sunnr* meridies, Dan. *Syd*, *Sönden*, Svec. *Söder*, *Sud*, Germ. *Süd*, Alem. *Sund*, AS. *Suð*, Angl. *South*, Arab. *Dschenab*. Cfr. *Sunna* sol; vid. *Sól* s.

Sumar, AEstas, dicitur patre Svasudo procreata, ac calida qvidem & frugiferas (ut videtur) pluvias vehens, at Hyemem tamen ad mundi usqve interitum comitatura esſe; *Vaſþr. M.* 26-27. Edda junior (pag. 23) voluptuosum (aut voluptati deditum) Svasudum calidi Sumaris (æstatis) patrem appellat. Cfr. Skalda (pag. 127) ubi æstas insuper vocatur clementia ac foecunditas hominibus data at misericordia aut lenitas vermibus indulta (item alioqvin serpentum gaudium p. p.). *Sumar* (uti alias non penitus insolite) hic dici videtur pro *Sumarkoma* vel *Sumar-dagr* i. e. festo primo æstatis die, qvo novem allegoricæ & eroticæ qvædam in Deæ loco, arâ vel foco sacrato, cultæ fuisse dicuntur, *Fiölsv. M.* 41. Alludunt hæ forte ad sponsalia vel nuptias tum in gentili antiqvitate celebrata & postea in ludis vernis sive æstivis ei festo propriis. Cfr. *Skadi* supra. Alioqvin festum hocce, sacrificiis in salutem ac victoriam Regis celebratum, dictum fuit *Sigurblót* qvod ejusdem fere notionis est qvam aliud *Gagndagr*, sub qvo nomine etiam Christianismo recepto cognitum fuit, at die stato (23 Aprilis) celebratum ***). Est vocabulum ip-

*) De astrolatria, astronomia ac astrologia veterum borealium cfr. indicem realem hujus Eddæ versionis Danicæ, IV, 327, 343 ac ipsius operis ibi enumerata loca.

**) Dicebatur forte originitus *Straumd*, a *Straumr* torrens, currens (unde Dan. *Ström*, Germ. *Strohm*, Angl. *Stream* &c.). Alioqvin *Stravnd (Ströond)* Islandis audit litus, ora (Dan. German. & Angl. *Strand* &c.).

***) Cfr. Glosſ. T. I, & II, v. *Gagn* & *Sigr*. De festo illo borealium, nominato in inscriptione runica, lapidi incisâ, anno 1825 in Groenlandiæ maxime boreali parte (apud Upernivicam, Gradu lat. sept. fere 73tio) inventa; vid. celebr. Raskii & nostram qvoqve disqvisitionem: *An-*

sum nobis neutrius generis; Dan. Germ. & Angl. *Sommer*, Svec. *Sommar*, AS. *Sumer*, *Sumor*, Gael. *Samhradh*, Hibern. *Sam*, Copt. *Schom*, *(Sjom)*, Mongol. *Sun*, *Suun*, Finn. *Suwi*. Cfr. *Svasudr*, *Vetr* i.

Surtr, *Surtur* (obscurus i. e. invisibilis ac inintelligibilis) videtur in Eddis esse nomen supremi Dei ac primæ universi causæ, in summo cælo residentis. In supremo cæli fastigio (teste juniore Eddâ pag. 21) locus est aulicus omnium splendidissimus et qvidem sole clarior, qvi Gimle nuncupatur ac post interitum coeli & terræ perstabit & a bonis ac justis hominibus per omnia secula incoletur . . . . . Locus iste situs est in summo cælo, jam a lucidis Alfis sive geniis (adspectu sole clarioribus) inhabitatus (unde totum hocce cælum *Liósálfaheimr* est dicendum & simul inter novem mundos primo nomine ornandum). Codex Upsaliensis (pag. 75) Surtum in Gimle, optimâ omnium mansione, habitare (aut mundo destructo vel renovato habitaturum fore) ac beatis qvidem animis præesse expressis verbis perhibet. In principio ejusdem Eddæ (pag. 4, 5) Har tamen dixerat "*Allfavdvr* (universi vel omnium pater) cunctorum numinum summus et antiqvissimus . . . vivit per omnia secula . . . regnum suum gubernans, omnia dirigens . . . , Is coelum terram et aërem condidit . . . et hominem fecit cui animam tribuit semper victuram, nunqvam interituram et si corpus putrescens in pulverem terræ aut per ignem in cinerem redigatur, viventqve omnes homines bene morati et erunt cum ipso in locis qvæ *Gimli* vel *Vingólf* appellantur." Hic duo gentilium borealium Omnipatres, Surtus nimirum & Odinus, ab auctore sunt confusi, cum illi revera Gimle, huic autem (vel ipsius uxori Friggæ) Vingolfum, cum astrali cælo periturum, fuerit proprium. Est autem Odinus revera considerandus ut demiurgus, a Surto emanatus vel progeneratus, ad hujus mundi gubernationem, ejus ætate durante, constitutus, & certe qvidem aut cum reliqvis Diis, post terræ et astralis cæli interitum ac renovationem, ad novam vitam ibidem evigilaturus, aut etiam cum summo universi numine in divina ejus metropoli Gimle æternum victurus — qvum Odini animam humanâ facilius perire vix liceat cogitari *). Illa summæ lucis sphæra omnium certe antiqvissima credebatur; fuit autem ei aliqvanto inferior altera flammea et proprie empyrea, Muspell dicta et ab igneis dæmonibus sub Surti regimine inhabitata. Sic de ea agit Edda prosaica (pag. 5): "Prius (Niflheimo et Elivagis) exstitit in meridionali [et summa simul] plagâ mun-

---

tiqvariske Annaler (1827) IV, 311, 318 & sq. Primo æstatis die Odinus ac Asæ, e nostra sententia, victoriam de Thiassio gigante (hyemali) reportaverant. Vid. *Skadi*, *þiassi*.

*) Cfr. *Eddalæren og dens Oprindelse* III, 218-221, 234-237. IV, 495-497, 524.

dus iste qvi *Muspell* dicitur, lucidus, calidus et flammans ac ardens, ideoqve impervius (vel inhabitabilis) omnibus advenis extraneis, qvi non sint ibi indigenæ. Nominatur Surtur qvi in fine [apice] ejus regionis residet, eam protegens & flammeum gladium gestans; is mundi fine appropinqvante inde exiens bella geret, Deos cunctos (elementales) victor superabit ac mundum universum [nostratium] igne tandem delebit. Ante creationem mundi nostri inter duas illas empyræas sphæras ac abysſum (Niflheimum sive nebulosum ac glacialem imum mundum, cum Elivagis sive frigidarum procellarum aqvis) immane fuit spatium, dictum *Ginnúngagap*. Australis (ac superior) hujus chaotici spatii pars affluxu scintillarum & scoriarum (candentium) qvæ ex mundo Muspelliano (æthere) volitabant, rarescens expandebatur & elevabatur. Qvemadmodum qvicqvid Niflheimus spirabat frigidum erat et tales res omnes sævæ, ita cuncta, qvæ prope Muspellum erant atqve eo vergebant, calida fuerunt et lucida. Vacuum illud *Ginnúngagap* [aut pars ejus jam descripta] adeo leve (vel tenue) erat ut aër venti expers. Sed cum pruina (Niflheimensis aut Elivagensis) auræ caloris occurreret, liqvefacta est et in guttas resoluta. Tum ex mobilibus — ceu vitalibus — guttis, *virtute ejus qvi calorem admisit* [Surti nimirum] facta est forma humana, Ymer nempe vel Örgemler, qvi ipsisſimus borealium *μακρόκοσμος* aut major mundus, ut infra suo loco monstrabimus. Sic calor e Muspello â Surto ejus domino emisſus primam vitam Ymero (sive primariam vim aut motionem corpori mundano) indubie præbuit. Ab Ymero (per Bölthornem gigantem et Belstam ejus filiam) progeneratus fuit Odinus, præcipuus terrestris nostri mundi ac hominis qvoqve formator, cum fratribus Vile & Ve vel Hænero & Lodero, ejus in iisdem operibus participibus. Hi creantes dicuntur (pag. 8) prehendisſe "scorias candentes et scintillas, sine certis legibus errantes et ê mundo Muspelliano ejectas, ac imposuisſe eas in medium Ginnungicum cælum [*Ginnúngahimin*] tam inferne qvam superne, ut cælum et terra illuminarentur. Præterea omnibus fulguribus (vel ignitis meteoris), qvorum qvædam sub cælo vagabantur, certum locum & motum assignabant Dii creantes." Hæc iterum Surti mandato vel licentiâ (ex atavorum opinione) accidisſe, dubio non subjicietur; is igitur ut primus mundanæ vitæ auctor, ac insuper lucis & caloris (omnia ornantium ac nutrientium) summus dator, ab omnibus gentilis theologiæ gnaris olim fuit veneratus, at vulgo tamen, ut videtur, vix satis notus. Is nihilominus ætate nostri mundi (ab ipso verisimiliter ad certum temporis spatium constitutâ) rite completâ, istum devastabit, ut antea est observatum. Hoc mundi exitium vocatur *Surta Logi* (Surtea flamma aut incendium) Ganglero (pag. 22; priorem Haris relationem respiciente) "qvæ cælum et terram aliqvando est exustura." Ita autem futura

illa eventa proprie describuntur (pag. 72 & sq.). Incepto ultimo Asarum ac Jotnorum (sive giganteorum dæmonum) prælio, at Lupo Fenrere & angve Midgardense contra Odinum & Thorum vehementisſime grasſantibus, in istis fragoribus coelum ipsum (astrale) diffindetur, unde Muspelliani adeqvitabunt, qvorum primus se infert Surtus, qvem ignis ardens præcedit et seqvitur. Gladius ei est egregius, fulgorem sole clariorem emittens. *) Illis autem ineqvitantibus diffringetur pons Bifrasta ut supra dictum est.**) Ii in campum procedent cui Vigridus nomen est (cfr. *Oscopner* s.). — — — At Muspelliani ***) agmen suum, admodum ſulgens et lucidum, seorsim ducent. Freyr [sive Freyerus, solaris nostratium Deus] cum Surto dimicabit, qvi ambo acre committent duellum priusqvam Freyr occumbat. — — Deinde (summis Asis aliis modis interemtis) ignem super orbem terrarum injiciet Surtus, totumqve mundum comburet. (Seqvitur descriptio supra allata cæli Gimle, ubi bonorum animæ cum Surto æternum vivent). At iterum e mari emerget terræ fundus viridis et amoenus; agri sine satione fructum ferent. Congregabuntur iterum Asæ [qvorum qvidam nominantur, at reliqvi plurimi ê nostra sententiâ iis debent subintelligi] in Idæo campo [*á Idavelli*] ubi prius Asgardia sita fuerat, fata vel judicia maximi momenti ac antiqva magni Dei (Fimbultyris), forte Surti, antiqva mysteria memorantes. Provenient qvoqve duo homines, mas & fœmina, (*Líſþrasir* & *Líf*) prius, Surtiano incendio durante, in sylva Hoddmimeris absconsi, qvi roribus matutinis vescentur, & novi mundi incolarum parentes evadent. (Cfr. *Hoddmimir* &c. s.). Hæc omnia veteres Scandinavos, mysteriorum relligiosorum gnaros, opinor attribuisſe Surto, ut summo universi Deo, primæ causæ nostri mundi at ejus decrepiti & deteriorati futuro destructore et simul postea clementisſimo renovatore, qvi insuper proborum hominum immortales ani-

*) In eundem modum Vishnu Indorum prædicitur, eqvo albo insidens & gladium cometæ instar flammantem gestans, hunc mundum devastaturus at deinde renovaturus esſe. (*Moor Hindu Pantheon* pag. 188).

**) Vid. *Biſröst*, *Bifrøvst* s. An autem *iris* aut *lactea coeli via* hic intelligatur, non decernere audemus.

***) In textu: *Muspells megir* (Muspelli filii sive cognati). Hoc in prosa nunqvam alioqvin occurrens vocabulum *megir* (priori connexa alliterationem qvoqve prodens) probat hanc totam junioris Eddæ relationem e prolixo qvodam carmine, qvod jamdudum est deperditum, paraphrastice extractam aut descriptam esſe, qvamvis auctor ipse Valiani tantum vaticinii ac Vafthrudneriani carminis loca alleget. Eum alioqvin ethnico poëmate *Húsdrápa* (non tamen hoc citato) usum fuisſe, alibi monstravimus. Cfr. *Baldur*, *Freyr*, *Heimdallur*, *Hýmir*, *Ódinn* & pl. it. Disqvisitionem de imaginibus in æde Olavi Pavonis sec. 10 exstructa, ad calcem *Laxdœla-Sagæ* (Havn. 1826) pag. 386 & sq.

mas ad summi sui cæli jucundisſimam beatitudinem & lucis clarisſimæ geniorum consortium exaltabit.

Multa certe vetustatis carmina stoicam hanc & originitus asiaticam doctrinam, at boreæ qvoqve incolis antiqvitus communicatam, *) olim continuerunt, qvæ jam pro penitus deperditis sunt habenda — at nihilominus in eddicis iis, qvæ nunc posſidemus, aliqva memorabllia loca illius doctrinæ non perobscura vestigia monstrant, ut hæcce seqventia:

Hyndla oreas (vel gigantea mulier), cum Freya nocturno earum itinere conversans, ei prædicit fatalem ac ultimam mundo ingruentem hyemem; **) Thori postea ut Deorum (nostri mundi) maximi (vel fortisſimi, potentisſimi) mentione facta, alium qvendam ita memorat *(Hyndl. L.* 40):

Tum veniet alter
Illo potentior,
Tamen ego non audeo
Eum nominare.
Pauci credo provident
Porro longius,
Qvam (tempus qvo) Odinus
Congredietur Lupo.

"De Surto Deorum futuro abolitore in ultimo crepusculo, sermonem hoc versu esſe, vix est dubium" recte observarunt interpretes. ***)

Alio loco *(Hr. G.* 1-3) describitur moesta Asarum sollicitudo de futuris ipsorum & mundi fatis, partim effecta somniis gravisſimis, qvæ runicis (sortilegiorum) oraculis explicari neqviebant. Dvergi duo (ut videtur), Thrainus & Dainus ab Asis provocantur ad illorum somniorum interpretationem, qvam ita reddere videntur: "Vires inter Dvergos [qvatuor, cælum sustinentes] ****) deficiunt; mundi deorsum in Ginnungi [Ginnungagapi] tenebras si-

*) Hæc multis monstrare tentavi: *Eddalæren og dens Oprind.* I, 3, 5, 76-82, 88 & sq. 99, 105 & sq. 112, 125 & sq. 139, 145, 146; III, 217-242; IV, 24 sq. 102-105, 118, 480-535.

**) Dictam *Fimbulvetr*, de qvâ suo loco egimus, cui autem articulo hanc jam eandem propheticam Hyndlæ descriptionem addimus *(Hyndl. L.* 38):

Mare, procellis actum, grasſabitur
Ad ipsum usqve coelum
Labetur super terras,
At supera convexa fatiscunt;
Inde venient nives
Et veloces turbines [tempestates];
Tunc certe expectandum
Ut imbres (penitus) cesſent.

***) At minus ingeniose adjecerunt seqventia: "Ipsum Surtum ex Servatore nostro effinxisſe videntur coeci gentiles, de qvo aliqvid per nebulam qvasi inaudiverant." Qvod autem revera de summo Deo, non tantum e Christianorum, sed etiam e veterum Indorum, Persarum, Græcorum & pl. opinione hunc mundum abolituro sermo sit, facile concedimus.

****) Vid. articulos *Austri, Sudri, Vestri, Nordri.*

dunt; sæpe Perustor [*Alsvidr*, omnia adurens vel comburens] delabi sinit eos at sæpe deciduos (caducos) rursum colligit (attollit). Consistent nusqvam nec tellus, nec sol; flammei (vel venenati) fluxus aëra permanare non cesſabunt at certa (futurorum eventorum) scientia in limpido (vel celebri) Mimeris fonte hominibus delitescit." *) Sub Alsvidi illo (sive universalis incendiarii) nomine Surtum latere suspicor. Si hæc conjectura vera, memorabilis ille locus probaret gentiles nostros atavos habuiſse eas opiniones de continua mundorum destructione ac creatione, qvæ Buddhistis Asiaticis adhuc firmiter sunt acceptæ.

Mundi ultimo exitio appropinqvante solvetur navis omnium maxima, *Naglfar* dicta, qvâ ex oriente labente telluri advehentur Muspellianæ gentes, Lokio [vel Logio i. e. flammâ ipsa aut ejus dæmone] navigium gubernante (VS. 44, 45; v. *Naglfar*, *Loki* s.). Tunc et Asæ et Alfi maxime inqvieti evadent; Asæ comitia agent; totus Jotunheimus [gigantum mundus] strepebit; ingemiscent Dvergi ante (cavarum) rupium fores, asyli saxei alioqvin non ignari. E meridie Surtus ipse procedet, advehens flagrantem flammam; e gladio cælestis [vel cædium] Dei [vid. *Valtîfi* i.] sol resplendebit; tunc ingentia saxa collidentur; oreades [vel gigantea dæmonia] præcipites ruent, calcabunt homines lethi viam, at cælum diffindetur (47). Memoratur Surti ac Freyeri [huic lethale] duellum (48). Devorabit autem Surti flamma **) Ygdrasillum sive mundanam arborem (43) ac cælo ipsi altisſima alludet, at sol simul nigrescet, terra in mare desidet ac serenæ stellæ e cælo disparebunt (51). Decantatâ mundi futurâ renovatione ac plurium [vel omnium] Asarum in Idæ campo iterato conventu ***) p. p. vidit Vala ædem stare sole clariorem auroqve tectam in (excelso) Gimle; ibi probi homines [apud Surtum] habitabunt et per secula (cuncta) gaudio fruentur (57). Tum veniet potens ille, ad magnum (divinum) judicium, validus e superis, qvi omnia regit ****); feret hic sententias et causas dirimet (contentiones supprimet) sacra fata (vel sanctæ legis pacem), statuet, qvæ (semper) durabunt (58).

---

*) Qvomodo Odinus, ultimo mundi exitio ingruente, Mimerem sit consultaturus, ex ambarum Eddarum relatione, disſeruimus in art. *Mimir* s.

**) Hic sine dubio verborum verus sensus est; transferri tamen posſunt (*Surtar sefi*) aut *α*) Surti animus (vel internus vigor) aut *β*) cognatus.

***) Ibi reminiscentur Asæ de magnis judiciis (aut decretis) fatis vel rebus gestis et de celsisſimi Dei (*Fimbultŷs*) antiqvis mysteriis (Runis, sermonibus vel literis). An autem de Odino aut etiam Surto (ut primario universi et fatorum numine) hic sermo sit, vix jam decernere audemus.

****) Hanc totam strophan omittit Codex Havniensis regius, in plurimis tamen papyraceis servatam. Prior ejus pars (ad hos asteriscos usqve) legitur in membranâ Arnæmagnæana, qvâ jam primum usi sumus. Cfr. porro *Eddalæren og dens Opr*, III, 102-103.

Aperta Surtiani cultus in Islandia vestigia non penitus desunt. Nomen Surti antiqvitus est additum maximo ac magnificentisſimo insulæ antro, in deserto dicto *Arnarvatnsheidi* (ɔ: lacus aqvilini elevata tesqva). Vocatur autem vernacula lingvâ *Surtshellir* vel *Surtarhellir*, estqve specus regione vulcania sive terrenis flammis exustâ ac in aspretum, qvod Islandis *Hraun*, gentibus meridionalis Europæ *Lava* (at physicis scoria) dicitur, conversâ undiqve circumdata. Ingens hocce antrum continet varias cavernas vel cameras, qvasi artificiosisſimâ architecti manu constructas & glacialibus mirabilis pulchritudinis, statuas formâ imitantibus, nec non glaciei induratæ chrystallis ita insuper repletas, ut splendor inde exiens (qvum antrum illata face illuminetur) vix qveat describi ac relligiosis qvoqve Christianis momentaneam eam inspiret opinionem: qvod revera intravisſent palatium aliqvod supernaturale, a numine qvodam sive genio orientalis mythologiæ exstructum ac inhabitatum. *) Non igitur mirum, qvod gentiles insulæ incolæ similes de propriis suis numinibus opiniones continue foverent. Ita autem revera rem se habuisſe discimus e vetustisſima de Thorvaldo Holbarkio relatione. Hic filius fuit Thordi **) Höfdensis, magnatis Norvegici (regio Danorum sangvine orti) qvi deinde inter primos Islandiæ occupatores Skagafjordensem tractum in suam posſesſionem et dominium (hierarchicum) redegit. Dictus Thorvaldus in pago Sida mansionem fixit. "Inde" ait auctor Libri originum Islandiæ ***) "ad antrum Surti pergebat, ibiqve solenne carmen qvod de Titane [Jotuno] antri incolâ [vel exstructore] exaraverat, canendo protulit (aut illi obtulit ac dedicavit)." Eddicum Surtum his innui, vix erit dubitandum. Is Asis fuit anterior, ac Asa igitur vulgo nuncupari ne-

*) En e. gr. ipsisſima verba celeberrimi nobisqve amicisſimi Ebenezeri Henderson, ut oculati testis, inserta libro ejus *Iceland* dicto (*Edinburgh* 1818 II, 196): "*The roof and the sides of the cave were decorated with the most superb icicles, chrystallized in every posſible form; while from the icy floor rose pillars of the same substance, asſuming all the curious and phantastic shapes imaginable, mocking the proudest specimens of art and counterfeiting many wellknown objects of animated nature ..... A more brillant scene perhaps never presented it self to the human eye, nor was it easy for us to divest our selves of the idea, that we actually beheld one of the fairy scenes, depicted in eastern fable. The light of the torches rendered it peculiarly enchanting.*"

**) Hunc Thori cultorem ac sacerdotem fuisſe innuere videtur ejus ipsum nomen (*Þórdr* i. e. *Þórrudr*) et filiorum qvoqve (*Biörn*, inter Thori agnomina habitum; *Þórgeir*, *Þórvaldr*, *Þórgrimr*, *Þórmódr*), ac filiarum insuper (*Þórlaug*, *Þórgrima*, *Þurldur* ɔ: *Þórridur*, *Ásgérdur*). Cfr. Eyrbyggia Saga (l. c. pag. 16, 30) de similium talium nominum illi contemporanea origine; vid. *Þór* i. Liberis Thordi illius insuper adnumerabatur Fridgerda ista, qvæ Thorvaldo Codranio christianismum prædicante, in templo gentilium Hvammensi idola adoravit (*Kristni-Saga* Cap. 2).

***) *Landnámabók* Part. 3 Cap. 10 (Edit. Havn. pag. 220).

qviit; describebatur porro vulgariter ut Asarum hostis, et futurus istorum ac mundi destructor et ob eam causam *Jötun* plurimis audiit. Si autem dictus Thorvaldus Surtum antri dæmonem malum gigantem esse putaverit, is sine dubio tanta illum reverentiâ non fuerit veneratus, ut strenuis ipse Deorum gentilium cultoribus editus ac educatus. Svadet autem Surtini antri supra descriptus situs ac status, qvod gentiles Islandi crediderint regionem circumjacentem olim aliqvando a Surto vulcaniis flammis fuisse devastatam ac perustam, at istum sibi mirabile illud templum nihilominus in mediis flammis divina vi ac arte exstruxisse et sui in terris monimentum hominibus reliqvisse. — Antra apud exteras gentes mysteriis ac mystico summi Dei cultui sæpissime fuisse dedicata satis certum est *) — & simili igitur ratione adductus vates laudatus hymnum de Surto, ut summo universi Deo, in ejus honorem a se ipso compositum, in caveâ illi dedicata relligiose cantavit.

Favet opinioni illi de prisco aliqvo Surtino incendio, nomen Islandicum *Surtarbrandur***) (Surti titio, vel lignum Surti flamma exustum). Attribuitur autem minerali cuidam, vegetabilis originis, qvod a physicis jam vulgo vocatur *bitumen lignum fossile*. Est enim ligno petrefacto ac carboni simul (ut dicunt petreo) simillimum, nigri coloris (qvasi perustum aliqvando fuerit) & bitumine vel petraceo oleo olim penetratum vel succo tali minerali condensatum. Maxima hujus ligni abundantia invenitur in certis Islandiæ locis, at telluris montana superficie plerumqve ita tecta, ut vehementissimâ naturæ revolutione arbores ingentes (jam in Islandia non crescentes) radicitus exstirpatæ fuisse videantur. Hanc autem cum Surtino incendio gentiles Islandiæ incolæ comparaverunt & ejus igitur dictis reliqviis illud characteristicum nomen imposuerunt; sic Stoicorum, Buddhistarum & plurium Asianorum opiniones de prisca aliqva & flammea qvidem mundi devastatione ac magno simul ipsius anno apparenter ab illis fuerunt receptæ.

Tempore isto, qvo christianismus in Islandiam fuit introductus, plurimi certe insulæ incolæ nihilominus gentili adhæserunt superstitioni. Hæc sine dubio multis ultima mundi tempora ac ipsum Surti incendium tum ingruere persvasit, propter veterum Deorum contemtum ac in-

*) Sic e. gr. mithriaca sacra (in Germania qvoqve exercita) & Druidarum relligiosa instituta in cavernis celebrabantur; sic Indorum vetustissima templa amplæ ac partim artificiosæ fuerunt speluncæ & sic tandem Canadenses indigenæ Americani olim summum Deum adorabant in cavernâ (Surtinæ admodum simili) ad lacum Tracy sita. (Vid. *Long See- und Land-Reisen in America; Neue Saml. der besten Reisebeschreibungen* 1792 VIII, 309 & sq.)

**) Videas de eo *Mohr Islandske Naturhistorie* p. 337. *Olavii oeconomiske Reise gjennem Island* p. 598. *Olafsens Reise* I, 151. *Mackenzie Travels in Iceland* p. 369. *Henderson* l. c. II, 114 & sq.

terna gentis ob variarum relligionum confesſionem disſidia, ut consangvinei ipsi (e Valiani vaticinii prædictione) invicem inimicitias ægerent. Sic ethnici Islandi vulcanii ignis eruptione, in Ölvesia anno Christi millesimo factâ, eam Deorum iræ, â Christianæ relligionis promulgatoribus excitatæ adtribuerunt *). Huc mihi originitus referenda videtur visio nocturna Hildeglumi, coloni Skeidensis, qvæ paullo posterius ita accidisſe fertur **): "Is nocte, diem dominicam ante hyemis initia nonam præcedente, foras egresſus, tantum audiit fragorem ut sibi & terra & coelum contremescere sint visa; tum occiduam inspiciens plagam, circulum ignei coloris videre se ibi credidit & hominem intra circulum eqvo insidentem cano (vel cineraceo), qvi celeriter citatoqve cursu ferens ad illum & flagrantem torrem manu tenens tam prope adeqvitavit, ut eum distincte notandi copia fieret; erat picis in modum ater; idem versum canebat" (de eqvo suo ignem ac venenum advehente, pluribus additis qvæ ambiguam accipere potuerunt iuterpretationem) ***). "Tum deorsum ad montes orientales emitti ab homine torris, & ex adverso tantum erigi flammarum Hildeglumo videbatur, ut prospectum sibi ad montes interceptum illis crederet, eqves vero ipse ignes ad orientem subire visus, ibi evanuit. Postea regresſus ad lectum diutinum patiebatur animi deliqvium; tamen inde rediens ad se, omnia, qvæ per visum fuerant sibi obversata, memoria tenuit, patriqve aperuit. Jusſus a patre Hialtio Skeggii filio ****) rem enarrare, hunc adiit et visionem edocebat. Hic autem conspicatum esſe dixit *eqvitationem magicam* (vel dæmoniacam) dictam nostratibus *Gandreid* †) qvæ insignia semper eventa portenderet."

Talis fuit terribilis irati Surti forma, qvâ et simili indutus terram aliqvando, tum ab impiis ac sceleratis hominibus inhabitatam, devastaturns putabatur. At longe alio vultu gaudere creditus est in summo suo coelo, lucis geniis ac beatis hominibus vel ipsorum animabus clementisſime imperans. Virtutis ipse pietatis & probitatis remunerator, has certe adamavit — & sic de eo seqvente relatione, ut summo Deo, sermonem suo tempore fuisſe opinamur.

Arnor Kerlíngarnef, magnas Skagafjordo præfectus, fuit laudati Thordi Höfdensis

*) *Kristni Saga* ed. Havn. pag. 88-91, *Saga Olafs Tryggvas.* II, 236.

**) *Niála* ed. Havn. Cap. 126 (pag. 194-195) vers. lat. pag. 426-29.

***) Conclusio enim:

Sva er um flosa ráđ
Sem fari kęfli,

aut verti potest: Est ratio *(flosa)* solutorum (volaticorum vel mollium ac vagorum hominum) vel etiam *(Flosa)* Flosii (viri, ita nominati) baculo tereti æqva ferenti.

****) Strenuisſimo christianæ relligionis in Islandia prædicatore.

†) Ethnicis eadem tempore Diis interdum adtribuebatur e. gr. in odâ eddica *Hr. G.* str. 10.

(primi ejus tractus Norvegici occupatoris) ex filio nepos at Thorvaldi Holbarkii (relligiosi Surti decantatoris) fratruelis. Famis dirisſimæ hyemali tempore, in conventu publico, is cum aliis vicinis prætoribus prohibuerat mendicantium, senum ac infirmorum hominum hospitam exceptionem vel refectionem, vel etiam talem iis denegare permisit. At e dictis comitiis redux ac a matre ob scelus commisſum vel impii mandati conniventiam incusatus, statim resipuit ac meliora seqvens et excogitans consilia miseros illos ipse hospitaliter excepit. Deinde iterum colonorum conventu publico indicto, cognatos egenos cuivis sustentare mandavit, jubens contra canes occidere ne victum cum hominibus partirentur, at eqvos & pecora in pauperum sustentationem mactare. Sic autem suam conclusit orationem: "Si ille, qvi solem pro mundo illuminando ac fovendo creavit, verus Deus est, ac si illi, ut nos dictum esſe audivimus, clementia ac justitia placent — tum is nobis suam monstret misericordiam, ut revera experiamur, qvod is sit hominum creator ac mundum universum gubernare & dirigere qveat; hoc facto nos in eum credemus & neminem Deum colemus præter eum, verum & beatum in suo imperio." At omnis multitudo, ibi congregata, hæc sibi placere affirmavit & lubens prætoris voto consentiit. At nocte proxime seqvente durisſima frigoris sævitas in exoptatam mutabatur aëris clementiam, ita ut prosperrima tempestas communem brevi miseriam penitus removeret. Grata pagi tribus vota reddidit, ac cum aliqvot annis posterius christiana relligio lege recipienda juberetur, illa præ cæteris eo facilius ad sanctam ejus doctrinam converti potuit.

Hoc Surti (ut puto) publici cultus in Islandia unicum exemplum mihi innotuisſe fateor. Opinor autem plures insulæ gentiles hierarchas (qvi *Godar* vulgo nuncupabantur) eum ê secretis majorum ac sacerdotalibus traditionibus coluisſe. Huc pertinere censemus solis visibilis ac ejus divini creatoris relligiosam adorationem, cujus plura documenta adtulimus supra in articulo *Sól.* — E Freyeri sacerdotibus huic cultui deditus fuit Ingemundus, primus Vatnsdaliæ occupator ac præfectus. Hoc morte piisſima (ut proprium interfectorem servaret) extincto, adstans ipsius filius ac pontificiæ dignitatis hæres Thorsteinus exclamavit: "Magnus ille dominus, qvi solem & mundum creavit, talem actionem certe clementisſime remunerabit!" Hunc eundem Deum Thorsteinus ipse deinde coluisſe fertur, "ut reliqvi ejus cognati." Ex iis fuit Thorkillus Krafla (Vatnsdaliae similiter sacerdotalis prætor) qvi in solis creatorem credidit, sed christiani tamen baptismi acceptionem recusavit, donec senex factus ê legis mandato ad eam cogeretur. Merent certe hic annotari Thorkilli hujus verba ad Fredericum episcopum: "Urgebat ex condicto episcopus Thorkillum religionem & nomen Christianum ac baptismum acceptare debere, cui is respondit: se omnem aliam

religionem aspernari, qvam antiqvam illam Thorsteini Ingemundini & Thoreris nutricii sui, qvi in creatorem solis, omnium rerum moderatorem, *) crediderant. Episcopus regesfit: hanc ipsam religionem ego prædico, illo tantum cum discrimine, credere debere homines in unicum Deum, Patrem, filinm & spiritum in ejusqve nomine aqvâ baptizari" &c. **) His porro ex aliqva parte est adnumerandus Thorkillus Máni (sive Luna aut Lunus dictus) Ingolfi, primi Islandiæ habitatoris ac strenui Deorum cultoris ***) ex filio nepos, & filius Thorsteini, qvi forum Kialarnesense primum omnium in Islandia constituit. Ille Thorkillus, primus qvoqve Islandiæ nomophylax legifer & universalis pontifex *(lögsögumadr oc allsheriargodi)* qvi e christiani scriptoris testimonio tam integram ac optime morati Christianorum vitam degerat, lethali morbo correptus in apricum se portari jusfit & se *Deo solis creatori* commendavit. Ejus filius fuit Thormodus prætor generalis (aut fori universalis ethnicus sacerdos) qvi ei officio præfuit, qvum Christianismus primum in insula reciperetur. At ex ejus testimonio pater ipsius et avus****) forum consecrantes ea juramenti formula usi fuerant, qvam Landnama nobis servavit, hanc, inter alia, numinum invocationem continentem: "Ita me adjuvent Freyerus & Niordus & omnipotens ille Asa!" *****)

Hinc qvoqve illucet Thorkillum nostrum (solis creatorem præcipue venerantem), Freyeri (in jurisjurandi formula primum nominati) cultorem fuisse; qvem autem is sub omnipotente illo Asa sive Deo†) intellexerit, an Odinum vel Thorum (e vul-

*) Surtus primus solis auctor vel creator fuit; is qvoqve omnia moderatur, ut mundi conditor, destructor & renovator. At Odini sectatores hunc qvoqve Deum venerari potuerunt ut secundum (perfecti) solis creatorem, mundum nostrum ad ejus usqve interitum regentem ac recturum.

**) *Vatnsdæla Saga*, ed. Werlauff Havn. 1811. *Finni Johannæi Hist. eccles. Islandiæ* I, 44.

***) Vid. Landnamæ Edit. Havn. pag. 13, 16. Is in Norvegia habitans hyemali tempore magnum celebravit sacrificium & oracula de fatis suis consuluit, qvorum responsa ipsum Islandiam ac sedes futuras in ea qværere jubebant. At postea, sodalis Hiorleifi in Islandiæ litore a propriis servis occisi tristi funere invento, Ingolfus exclamavit: "Indigna viro forti sors qvem viles servi neci darent, sed tale qvid omnibus sacrificia (vel Deorum cultum) aspernantibus evenire video!" Ingolfus postea e peculiari (ut putabat) oraculi mandato in futurum habitaculum (anno Christi 874) fundavit Reikiavicam ut primam Islandiæ villam, qvæ etiam plus qvam nongentis annis elapsis (1787) primum Islandiæ oppidum (regiis privilegiis adornatum) evasit, ac (ob varias rationes) futura simul insulæ metropolis destinata. Deus iste, qvem præcipue Ingolfus coluerit, nullibi indicatur, at in templo Kialarnesensi, qvod alter ejus (ex filiâ) nepos Thorgrimus exstrui fecit, Thorus maxime fuit veneratus. *(Kialnesinga Saga* Cap. 2.)

****) His etiam Ingolfus ipse (& forte ejus in Norvegia præcessores) adnumerari videtur qvum vox *langfedgar* conjunctive patrem, avum, proavum (vel plures forte) necesse significent.

*****) Vide *Islands Landnámabók* l. c. pag. 300, 301.

†) *Âs* vel *Âss* de Asis sive hujus mundi elementorum Diis vulgo fuit usitatum; cum autem re-

gari at diversa tamen duarum sectarum opinione) aut etiam ipsum Surtum (alioqvin non publice cultum) jam discerni neqvit. Cum tamen eadem formula usitari deberet ab omnibus prætoribus, judicibus & aliis publico officio functis ac præterea a testibus ac qvovis causarum actore vel defensore, cuiqve horum licitum erat, per eum Deum, qvem ipse pro *omnipotente* colebat, sancte jurare, qvamvis is illius nomen, in aliorum (qvæ alios Deos ita venerabantur) offendiculum non promulgaret. Sic Thorkillus & illi Freyeri proprii sacerdotes, qvos ante memoravimus, Surtum ipsum (qvi in vaticinio Valæ *omnia regere* ac *judicia divina*, *) et *pacis sancta instituta* dirigere canitur, ut prætor Islandicus humana) dictis verbis potuerunt subintelligere, licet iste Deus a profano vulgo non fuerit rite cognitus.

Qvod Freyerus, solaris Deus (â Danis gentilibus partim adoratus) a multis Sveciæ, Norvegiæ & Islandiæ incolis *mundi numen* nominaretur & ita cultus fuerit, nos suo loco satis prolixe probavimus; habuit igitur (ut Odinus & Thorus) suam catenus peculiarem relligiosorum gentilium sectam. At inter Surti magis secretum et Freyeri publicum cultum nexum aliqvalem, secundum eddicos mythos, exstitisse jam paucis monstrare tentamus. Surtus ipse ut ætheris & aëris, qvi nostram tellurem cingunt, primus auctor & serenator fuisse describitur, ac sic qvoqve pro eorum Deorum, qvi Vani dicuntur, sed Odini propriis liberis non adnumerantur, vero patre (vel saltem propatre) est habendus. Ita Freyerus duplici modo â Surto emanatus esse credi potuit. Fuit alioqvin Surtus summæ lucis dominus ac mundi cælestium luminum primus auctor, at Alfis lucidis (superioribus) præfuit in mundo illo, qvi *Liós-Álfaheimr* dicitur. Freyr solarem nostri mundi lucem gubernat ac lucidos ejus genios, at insuper ei proprie cæli astralis regioni præest qvæ *Álfheimr* dicitur, unde lux diurna mundo qvotennis, post brumæ tenebras fugatas, iterum advehitur. Surtus gestat ensem sole clariorem at ædes ejus sole lucidior splendere dicitur; sic is certe pro universi sole rite est habendus, ut Freyerus pro mundano nostro. In hujus mundi interitu Surtus ipse cum Freyero dimicabit ac ipsum interimet, at certe tamen ut vita ei magis lautior ac splendidior reddatur,

---

vera etymologice *summum* (Deum) denotet, Surtus κατ' εξοχην eo nomine certe ab ejus cultoribus honorari potuit.

*) *Sá öllo rædr; Regindomar; Vescavp*, ut in Valæ vaticinio leguntur. Odinum Reges septentrionis exteri ut Asarum summum, bella & victoriam dirigentem ac humani Regis prototypum, adorarunt — at prætores gentiles Islandiæ, qvi pacem internam ac civium salutem fovere & colere debebant, summum illum æternæ justitiæ administratorem ac pacis universalem futurum datorem, unacum Freyero pacis mundanæ Deo & Niordo ejus patre, præcipue coluisse videntur.

aut in supremo illo Gimle, ut cum summo lumine, (suo proprie fonte) reunito, aut etiam in novo mundo (cui sol juvenis resplendet) eximie resurrecturo. Freyerus porro pro pacis Deo habitus est & viros justos ac juramenta servantes adjuvare credebatur — & sic qvoqve Surtus ipse in futuro mundo sanctæ pacis leges vel instituta constituturus ac jus ipse administraturus esse prædicitur.

Alter Deorum, qvi præcipue in Islandia publico cultu honorabantur, & qvibus tali modo templa & idola peculiaria sacrabantur, Thorus indubie fuit. Cum hujus veneratione Surti adoratio simili modo connecti potuisse videtur. Ait enim Edda junior omnia fulgura et ignita meteora (ut alias solem & astra) e Muspelliano mundo (sive empyreo cælo) Surti subjecto imperio, originitus ortas et ejectas fuisse. Horum numen ac directorem Thorum postea evasisse pro certo habemus. Is eatenus cælestis ignis Deus vulgariter esse credebatur, et ob hanc eandem causam ignis perpetuus (qvem consecratum vocarunt) in ara ejus, ferro obductâ, templo Islandico inclusâ, ardere solebat. *) *Solem* ac *ignem* homini sano ac vitiorum experti res fuisse optimas vel sacerrimas, gentiles crediderunt. (Vide artic. *Sól* s.) Hi ambo Surto primam suam debuerunt originem, at posterius tamen Freyero & Thoro ab ethnicis septentrionis incolis fuerunt adtributi. Cfr. *Ve* infra.

Nomen summi illius ac universalis numinis, *Surtr* nempe, explicari solet: obscurus, ater, (aut etiam *obscurans*) ab adjectivo *Svartr* ater, niger (Dan. *sort*, Svec. *svart*, AS. *svart*, *sveart*, Angl. & Germ. infer. *swart*, MGoth. *svarts*, Aleman. *suuarz*, German. super. *schwartz*, CBrit. *arddu*, Lapp. *spirtte*, Cauc. Ossetice *ssaw*, Tzschet. Ingusch. Tusſ. *ardshi*, Chunsag. Avar. *tscheran*, *tscherab*, Ak. *zuttara*, Pers. *siah*, *ssiah*; cfr. Lat. *svasus* niger sive fuscus, at fumo qvoqve similis; *surdus* ater, obscurus, it. ignotus.

Primo aspectu hæc vocis etymologia multis satis improbabilis apparebit, sed nihilominus antiqvitatis ideis bene convenire probabitur. Sol omnium mundanarum rerum est clarisſimus, at humani oculi nimis assiduo intuitu obscurari videtur et visus etiam humani lumen in perpetuum obscurabit. Sic Persæ solem vocant *siper siah* i. e. clypeum nigrum. **) Qvanto majus Deus ille summi ac empyrei cæli, luci clarisſimæ et flammæ æthereæ imperans, ac mundo simul Muspelliano, qvo astra nostra scintillarum instar sunt ejecta, — propter splendorem nimium ac homini vivo penitus intolerabilem, ***) *obscurus* aut *obscurans* vocari potuit. Nos

*) *Kialnesinga Saga* Cap. 2. Edit. Holensis pag. 4.
**) *Hyde de relligione veterum Persarum* Ed. 2. pag. 101.
***) Cfr. Hebræorum dicta de summo Deo, ut clarisſima flammâ involuto aut ita apparente; vid.

præterea omne id qvod perspicere aut intelligere neqvimus, obscurum vocamus; — qvid autem summo illo numine taliter obscurius? Sic qvoqve *Surtr* porro transferri potest: invisibilis, inintelligibilis. Ultimo loco putabant veteres Surtum in ipso mundi exitio solem ac astrale nostrum cælum obscuraturum fore, extremas qvidem tenebras adferentem — ut rite igitur summus obscurator dici potuerit.

Inveniuntur etiam apud exteras nationes nominis hujus parallela, ut summo numini imposita. Sic Aegyptiorum *Amun* (unde famosisfimus ille Jupiter Ammon) iis audiit ex Manethonis interpretatione: *occultus, secretus;* — id Jamblichius ita maluit explicare, qvod occultas iste Deus naturæ vires ex tenebris ad lucem produxerit *) — qvæ omnia in Surtum nostrum optime qvadrarent. Alio modo Surti nomini convenit Indorum *Kal* vel *Kala* (i. e. niger, ater, **) secundum qvorundam explicationem) qvi mundi nostri interitum efficiet at illum tamen iterum renovabit.

Ut Surtus noster et alia apud exteros similia numina in speluncis (uti supra monstravimus) adorabantur, sic etiam aliæ gentes summo Deo sacrabant adyta penitus obscura, ut Deo invisibili & inintelligibili convenientia e. gr. Buddhistæ Cochinchinenses, qvi expresfis verbis tali adyto eam adtribuunt significantiam ***). At plurimi Buddhistarum, (uti Brahmanici qvoqve Indi) summum universi Deum existere credunt, sed eum tamen non adorant, qvod inferioribus Diis tantum contingit, ut illum supremum numen colentibus ac ejus potestate vel licentiâ res mundanas gubernantibus. Eadem olim fuit Sclavorum gentilium opinio: "Inter multiformia Deorum numina qvibus arva, sylvas, tristitias atqve voluptates attribuunt, non diffitentur unum Deum in coelis cæteris imperitantem, illum præpotentem ****)

---

e. gr. Exodi III, 2-4, XIX, 9, 16-18. "Qvis videbit Deum ac nihilominus vivet" — dixerant igitur Hebræi.

*) Cfr. *Heidelberger Jahrbücher der Literatur* 1825 p. 1123. Phtas alias Aegyptiis fuit igneum ætheris numen ac primum mundi principium; at gliscente tempore publica ejus veneratio penitus fere abolevisse videtur, uti etiam Surti nostri, Persarum Zeruanæ (Akherene), Indorum Parabrahmæ & pl. His apud Græcos est adnumerandus summus ignei ætheris Deus, qvem qvidam Jovem appellarunt, qvi tamen longe a recentiore fuit diversus & a philosophis vel initiatis tantummodo veneratus. Is forte fuit Deus ille ἀγνωστος sive ignotus qvi Athenis colebatur secundum Acta Apost. XVII, 23, ac porro in colloqvio Philopatris dicto, Luciano adscripto, memoratur.

**) Hinc etymologi derivarunt vocem Island. & Svec. *Kol* (carbo), German. *Kohle*, Angl. *Coal*, Dan. *Kul*, *Kull* &c. Videas cæterum de indicis numinibus *Kal*, *Kala*, *Kali* & pl. *Eddalæren* o. d. *Opr.* IV, 396-401, 459-462.

***) Vid. *Bastholm historiske Efterretninger* IV, 261. De obscuris Græcorum & Indorum adytis, cfr. *Eddalæren* IV, 339.

****) Cfr. Eddæ nostræ *Hyndl. L.* 39-40, *VSpá* 58.

coelestia tantum curare. Hos vero distributis officiis obseqventer de sangvine ejus processisse et unum qvemqve eo præstantiorem, qvo 'proximiorem illi *Deo Deorum.*" Eodem modo Surti (primi mundi creatoris ac summi domini) cultus inter nostrates obsolevit, ut similiter postea adoratio Odini, ipsi ætate ac potestate proximi, cum huius filii aut subditi, ut Thorus & Freyerus (in Islandia præcipue) â multis magis fuerint venerati.

Nihilominus superstitiosa Surti veneratio inter plebeios Islandiæ adhuc non radicitus est evulsa, ut laudati Hendersonii de Surtiani antri visitatione relatio testatur *).

Qvod multi olim ejusdem insulæ incolæ, mystica magnatum doctrinâ non imbuti, Surtum olim timuerint ut malum dæmonem, non per se est improbabile **). Ea ratione istum gigantem nominaverunt; cfr. versus memoriales, talium dæmonum nomina continentes, insertos Skaldæ pag. 209. Fuit tamen nomen *Surti* pluribus olim Islandis & ethnicis et christianis proprium, et aliis qvoqve cognominis loco adtributum.

Annotamus tandem sententiam plurium doctissimorum auctorum ***), qvi Surtum diversum esse putant a summo Deo, qvi in statu abscondito nullo nomine fuerit designatus, cujus tamen prima efficaciâ mundi creatio coepisset, & qvod Surtus suo tempore ad ejus destructionem ac futuram renovationem sit emittendus.

Qvomodo Sirii astrum ad Surti mythum & ultimam mundi combustionem fuerit adplicatum, sub nomine *Lokabrenna* (Lokii vel mundi finale incendium) ****) monstravimus supra ad artic. Loki; de hisce præterea rebus, et qvomodo Aegyptiis & Persis idem aliqvando sidus mundanæ ætatis finem advecturum esse crederetur, uberius disqvisiimus in alio nostro opere, hic

*) *Iceland* II, 191. *"One of our servants, who had followed us to the spot, could not on any account be prevailed on to accompany us into the cavern. His mind was evidently tinctured with the same superstition to which the cavern ows its name. It formed one article of the ancient Scandinavian creed that Surtur should set the world on flames"* &c.

**) Multi Christianorum diabolum sibi nigrum finxerunt, ut Slavi suum *Czernebog*, *Tschart* vel *Tschert*, qvi nihilominus gentilismo durante inter summos eorum Deos habebatur. Huc forte est referendus Czeremisforum *Tschort* & alii plures.

***) *Mone Gesch. des nord. Heidenth.* I, 315, 464. *J. L. Heiberg Nordische Mythologie*, Schleswig 1827 pag. 38, 56. Meas de re eadem opiniones foverunt viri celeberrimi *Ling*: *Eddornas Sinnebildslära* I, 28, 29, 33. *Münter*: *Dänem. und Norw. Kirchengesch.* I, 109, 118. Cfr. *Trautvetter* l. c.

****) Qvod alioqvin proprie dicitur *Surta-logi* (ut puto euphonice positum pro correctiore *Surtarlogi*) *Vafþr. M.* 50, 51. Nomen Surti alii comparaverunt cum Sirii apud varias gentes nomine, ut Aegypt. *Seuth*, *Soth*, *Sothis* & pl. Pers. *Sut*, *Sotti*, Gr. Σειριος &c. item porro ipsius cælum cum coelo supremo in Indorum mythologia, dicto *Sutti*, *Sutti-loga* vel *Sut-Lok* &c. Ali empyrei coeli indica nomina ut *Musha* & pl., qvæ *Muspello* magis assimilantur, enumeravi: *Eddalæren* IV, 230-231.

sæpius citato. Cfr. porro *Alfödur, Gimli, Álfar, Muspell, Ódinn.*

Surtr, Surtur (ater, obscurus vel obscurans) dæmon qvidam aut genius allegoricæ & forsitan erotico-physicæ indolis *Fiölsv. M.* 25. De etymo consule artic. *Surtr* s. Cfr. Gloss. T. I.

Suttúngr, Svttúngr occurrit duplice modo *α*) plurali numero, *Suttúngar:* gigantes, ut puto, subterranei in caveis ac speluncis habitantes, unde *Suttúnga synir*, talium dæmonum filii (ut diversi a Jotnis & Hrimthursis) *Sk.F.* 34 (a Skirnero in Gerdæ publicæ — peculiaris generis — excommunicationis testimonium provocati). *Suttúngs synir* nominantur *Alv. M.* 34, a Jotnis (propriis) perspicue distincti, at giganteis entibus tamen adnumerandi. Hi cerevisiam *Sumbl* (sive symposium aut convivium) vocant, ut eâ communiter fruentes, forte e Suttungi patris principalis dono. (Cfr. vers. Dan. II, 36, 204). *β*) *Súttúngr*, verisimiliter originitus *Súptúngr* i. e. potator, bibax (e conjectura Johannis Olavii Grunnavicensis) â verbo *súpa* Dan. *suppe, söbe*, Svec. *supa*, AS. *supan*, Angl. *sup, sip*, Germ. *saufen* &c. Cfr. Gall. *Souper*, Angl. *Supper* coena (convivialis) p. p.*). Odinus, annosum Cyclopem petens, Suttungi ædes visitavit, multa in suum emolumentum locutus (*Háva M.* 105). Ibi Gunnlada, Suttungi filia, in aurea sella (sedens vel sedenti) Odino dedit potionem excellentisfimi medi (sive hydromelis) qvamvis is pro integro animo & vehemente amore mala (vel incommoda) præmia ei reddidisfet (107). At Ratii (penetrantis, — terebræ ita dictæ) **) rostrum fecit spatium (permeandi) efficere & saxa perrodere, ut supra & infra ipsum starent cyclopum viæ; sic Odinus caput suum periculo objecit (107). At mutatæ feliciter formæ [vel adqvisito pulcherrimæ Gunnladæ amplexu] bonum fructum nactus est, nam Odreyrer lebes (ingenii vel poeticæ inspirationis excitator aut dator) sic sursum venit in terras mortalibus habitabiles (aut etiam in gentium delubri vel fori territorium) ut sacra fieri posfent convivia, cantionibus qvoqve celebrata (108). Ita Odinus e gigantum domiciliis evasit, bonæ amasiæ Gunnladæ auxilio fultus (109). Postridie veniebant Hrimthursi (frigoris dæmones) de Havii (Celsi i. e. Odini) conditione scitatum in ipsius aula (coeli arcuato atrio); & percontabantur de eo, sub Bölverki nomine latente, num is apud Deos complices adesfet, an vero illum Suttungus e medio sustulisfet (110). Addi-

*) Hinc Isl. *Saup* potus, *Sopi* haustus, Angl. & Svec. *Sup* &c. Numne igitur Thracicum illud ac Phrygicum Bacchi nomen *Σαβαζιος* cognatum sit nostro *Saup-áss* (potationis vel inebriantium potionum Deus) qvod Odino attribui potest? Alii nomen illud referunt ad Hebr. *saba* inebriari.

**) Vid. *Rati* s. Trautvettero interprete nomen vetus Germanicum Runæ sive literæ R (ᚱ) *Rehit* nimirum eadem gaudet significatione. Nostrum *Reid* ad rhedam *(Thori?)* refertur.

tur Cyclopis (unius vel plurium) luctuosa qverela de juramento ab Odino (illis aut Gunnladæ) præstito at non servato, cum Suttungum medo fraudulenter spoliaret at Gunnladam contristatam (aufugiens) relinqveret (111). Eddæ junioris relationem de Suttungo gigante, medum illud poëticum acqvirente, servante ac omittente, translatam lectori communicavimus in artic. *Ódinn* s. Hinc poësis (pag. 98) dicitur Suttungorum [Suttungi] medum (*Suttúngamiödr*); gigantum medum; resarcitio paternæ cædis giganti soluta; Hnitbiargorum (Suttungi habitaculi) latex; & in veterum carminum fragmentis (pag. 99) symposium populi saxei (*griöt-aldar gildi*); unda limpida montana (*bergmær bára*); resarcitio Gyllingi (*Gyllings gjöld*) p. p. In versibus memorialibus Skaldæ insertis (pag. 211) occurrit Suttungus inter alia gigantum nomina. Hanc mythicam fabulam in introductione carminis Haviani & notis ei additis illustrare conati sumus, tam ad latinam præsentem qvam antea ad Danicam ejus versionem*). Cfr. *Bölverkr*, *Gunnlöd*, *Hávi*, *Ódinn*, *Ódrærir*, *Sónardreyri*, *Sónargavltr*.

Svadilfari giganteus eqvus, Sleipneri pater; vid. *Sleipnir* s.

Svafa vid. *Sigrún* s.

Svafnir, *Svofnir* (sopiens) occurrit ut angvis mythici denominatio *Gr. M.* 34 et alias poëtice qvemvis serpentem denotat (e. gr. in Skálda pag. 180). Agnomen est Odini *Gr. M.* 53; *Vegt. Qv.* 3, (alii, *Ofnir* nimirum, qvod creantem, generantem & vivificantem innuit, oppositum); alludit probabiliter ad vim ejus sopientem ac interimentem. Is præterea, ut in Suttungica fabulâ relatum est, in angvem se mutavit, ut vasa, medo (inebriante ac igitur sopiente) plena, ex abysso hominibus adferret. Hinc relatio Ynglinga-Sagæ (Cap. 7.) "Exuvias sæpe mutavit Odinus, jacente corpore ut sopito, aut mortuo, cum ipse factus serpens . . . . momento temporis ad remotissimas ferebatur regiones, sua aut hominum aliorum expediturus negotia". — Angvina Odini nomina alluserunt forsitan ad ejus in aurum, annulos & divitias imperium; fuit enim antiqvissima superstitio de Draconibus auro incubantibus Scythis, Indis, Scandinavis & pl. mire consona communis. Annuli aurei olim serpentinam habuerunt formam (qvæ iis alioqvin semper propria dici potest) & sic angves Scandinavis in somniis apparentes annulos i. e. opulentiam præsignificarunt, ut in somnio Hvitastiarnæ, Hafdio, primo Gothlandiæ

*) Hoc respectu cum nomine *Qvásir*, *Kvásir* conferri meret Slav. *Kvas* fermentum, *kvasiu* fermentesco — unde potus cerevisiæ non absimilis *Kvas* dicitur, adhuc a Russis usitatus. Odinus, angvis formam suscipiens, ut Gunladæ amplexu potiretur & medum ex abysso hominibus adferret, non inepte comparandus esse videtur cum Jove, in angvem se transformante ut Proserpinæ amoribus bearetur, qvo etiam evento Bacchus sive Jacchus (vini genius) ortus esse refertur.

inhabitatori, nuptæ, de permultis vermibus ex ipsius sinu repentibus, qvod is (metrice certe) ita explicasse fertur:

Allt er baugom bundit,
Búland skal þetta verda

ɔ: Omnia annulis [divitiis] sunt cohærentia,
Opulenta hæc evadet colonia *).

Hinc non mirum qvod serpentes, superstitiose culti, inter rusticos Svecos, Norvegos, Lithuanos & plures fuerint venerati, ut villarum "servatores & penates" (e dictione Olai Magni). Hi forte Odini, ut vitæ numini (Ofnero) erant sacri, at alii ei irato (sopienti vel occidenti, Svafnero) magis assimilari potuerunt. Cæterum angves temporis, anni & certarum cæli revolutionum vetustissima fuerunt symbola. Sic forte agnomen *Ofnir* de Odino ut vitali æstivi semestris numine, *Svafnir* autem ut hyemalis periodi sopiente dæmone, rite sunt accipienda. Eadem certo modo in diem ac noctem qvadrare possunt. Cætera videas in artt *Ódinn*, *Ofnir* s. *Svafnir* alias reperitur viri proprium nomen esse *HQ.* 1. uti *Ormr* (Germ. *Worm*) ɔ: vermis, angvis olim Scandinavis & jam qvóqve Islandis ita est usitatum. Nomen *Svafnir* derivandum est a verbo *Svefa*, *Svæfa* sopire (v. c.) unde *Svafn*, *Svöfn*, *Svefn* sopor Dan. *Sövn*, vet. *Germ. Suef*, AS. *Svæfn*, *Svæfung*, Lat. obsol. *Sopnus* Gr. ὕπνος, Sanscr. *Svapah*, *Svapnah*; (cfr. Pers. *Scheb* nox; Zend. *Tschefe*, Curd. *Tschef*, *Schaw*, Sanscr. *Schebbi*). Cfr. Gloss. T. II. ad v. *Svefn*, *Sofa* it. Onomasticon T. II. v. *Svafnir*.

Svafr, nomen allegorici genii aut viri, cui pater erat Thorinus (*Þorinn* q. v.) Verterunt interpretes Vibrans sive tersus (nescio qvâ ratione adducti). Fuit ipse pater Mengladæ, Svipdagi amasiæ. *Fiölsv. M.* 9. — Etymon nobis latet, nisi cognatum sit nomini *Svafner* i. Cfr. onomasticon T. II. v. *Svafnir*.

Svalin, *Svalinn* (refrigerans); ita dicitur clypeus stans ante Solem, fulgens numen (vel Deum); dicit Odinus (sub Grimneri nomine ac personâ latens), se sciente, saxa & æqvora exustum ire, si ille e suo loco ceciderit Gr. M. 38. In eo scuto, qvo splendens numen tegitur (vel ornatur) runæ (sive literæ aut characteres) ingeniose vel imaginariæ incisæ sunt, e Sigurdrifæ assertione B. I, 15. Persæ solem ut supra observavimus) interdum appellant *clypeum nigrum*. Buddhistæ Indici, Tibetani et alii Soli adtribuunt vitream capsam, formâ qvidem rotundam, ut eo modo qvasi scuto pellucido ac duplici tegatur. Versus Skaldæ memoriales (pag. 216) Svalinum ponunt inter clypei poëticas denominationes. Derivandum est vocabulum a verbo Isl. & Svec. *svala* refrigerare, Dan. *svale*, qvod iterum ab adj. *svalr* frigidus, algidus, sub-

*) Appendix vetustus mythico-historicus Legis Gothlandicæ edit. *Schildener* 1818, 4. pag. 106. — Veteres Scandinavorum poetæ annulos sæpe vocaverunt manus vel digiti angves &c.

frigidus, Dan. & Svec. *sval.* Vid. Gl. T. I. & II.

Svarángr gigas qvidam alioqvin jam ignotus, cujus filii Thorum, amnem qvendam defendentem, vel ab ejus transitu adversarios prohibentem, hostiliter aggressi, saxis eum incessebant at successu tamen parum triumpharunt, cum priores (ultro) ab eo pacem orare cogerentur *Harb. L.* 28. Occurrit in Skalda (pag. 209) inter gigantum nomina, versibus memorialibus inclusa. Derivandum esse videtur a *svarr, svar* gravis, molestus & *Ángr* a) angor (animi) b) sinus angustus. Cfr. tamen Gloss. T. I.

Svartálfar vid. *Döckálfar, Álfr, Dvergr, Vættr.*

Svarthavfdi, Svarthöfdi (atro capite insignis) vir qvidam aut dæmon (Alfus verisimiliter ater) alioqvin ignotus, magorum omnium qvi hic*) *seidberendur* (seidica veneficia ferentes) at vulgo *seidmenn* dicuntur, propater fuisse refertur. *Hyndl. L.* 31. Occurrit alias ut nomen viris Scandinavicis & Islandicis olim proprium. Est nomen illud aperte derivandum ab adj. *Svartr* ater, niger (vid. *Surtr* s.) & subst. *Havfud, Höfut, Hafut* caput (v. c.) Dan. *Hoved*, Svec. *Hufvud*, Germ. *Haupt*, Angl. *Head*, AS. *Heafod*, M. Goth. *Haubith*, Gr. κεφαλη, Macedon. κεβη, κυβη.

Svasudr, Svasvþr, Svasadr, pater Sumaris (æstatis) *Vafþr. M.* 27. Dicit de eo Edda junior (pag. 23): "Is adeo delicatus est (vel voluptuosus, voluptatibus deditus aut eas aliis indulgens) ut ab eo placidum qvicqvid *svasligt***) (dulce aut jucundum) denominetur". Derivandum est ab adj, *svas* dulcis, jucundus AS. *svæs*, Aleman. *suoz*, Germ. *süss*, Lapp. *asvas*, Sanscr. *svad*, Lat. *svavis.*

Sverdás, Sverþáss Asa sive Deus ensem gestans, dicitur Heimdallus (custos deorum) *Hr. G.* 14 — ac alibi (*Hyndl. L.* 33) *nadgavfgr* (vel *naddgavfgr*) i. e. gladio decorus. Vid. *Heimdallr s.* Derivatur a *Sverd* ensis, Dan. *Sværd*, Svec. *Svärd*, Alem. *Suert*, *Suuert*, Germ. *Schwerd*, AS. *Svord, Sveord, Svurd*, Angl. *Sword*, Pers. *Scheher*, *Serm*, Gr. σιδηρος, it. *Áss.* s.

Svidr, Svidurr, Sviþr, Svidorr (adurens, ustulans) nomen Odini adscitium *Gr. M.* 49. Fuit unum et ordine nonum, ex ipsius in antiqva Asgardia duodecim nominibus, teste juniore Eddâ pag. 3. Convenit e nostra sententiâ signo zodiacali, qvod nobis libra dicitur & mensi ei, qvo sol idem percurrit. Derivatur a verbo *svída* adurere, ustulare, Dan. *svide, svie*, Svec. *svida.* Cfr. Gloss. T. I. & II. it. *Svidrir, Sviorr* i, *Fiölsvidr* s.

Svidrir, Sviþrir (freqventer vel vehemen-

*) A voce *seidr, seid* certum veneficii genus, ignis vi, ut puto, sæpissime effectum.

**) Sic *svasligr* eqvorum solis est epitheton *Gr. M.* 37. *Svas* autem dicitur de cælo *Vafþr.* 46, calore *Harb. L.* 34, sinu juvenis mulieris *Fiölsv. M.* 42, dulci potione AQ. 1. Nominantur qvoqve ita dulces filioli HQ. 40 et svaves fratres G. III, 7.

ter adurens aut ustulans, nomen Odini adscititium *Gr. M.* 49. Fuit alias unum, et ordine decimum, ex ipsius in antiqva Asgardia duodecim nominibus, teste Edda juniore pag. 3. Convenit, ê mea opinione signo zodiacali qvod nobis scorpio dicitur, et mensi ei, qvo sol idem percurrit. Vid. *Svidr* s. *). Hæc duo nomina usurpavit Odinus, *Sökcmimerem*, abysſi annosum gigantem visitans. Vid. *Söckmímir* i. *Midvitnir* s.

Svíorr, *Svíor*, *Svíþorr* nomen Dvergi aut Alfi *VSpá* 12**). Est ut videtur (et e postremâ variante lectione indubie transferendum): adurens, ustulans, præsertim cum *Bruni* (comburens, vulgo alioqvin ustio, incendium) eum seqvatur. Vid. *Svidr* s.

Svipall (mobilis, várius, instabilis) Odini nomen *Gr. M.* 46. A verbo *svipa (svíſa)* celerare, festinare, vibrare, qvod iterum a subst. *Svipr* momentum; turbo; celer motus. Vid. Gloss. T. II. Aliud *Svipr* nobis vultus, faciei superficies; cfr. *Yngl. S.* Cap. 6 de Odino pro lubitu vultum sive faciem mutante. Cfr. *Biſlindi* s.

Svipdagr vir juvenis (allegoricæ, ut videtur, indolis) Mengladæ amator, qvi post longam absentiam eam visit, at sub ficto nomine *Vindkaldr* (ventis frigidus, aurâ frigida affectus vel afficiens); avus paternus ei audit *Vorkaldr* (Vernigelus aut veris frigore vexatus vel vexans) at proavus *Fiölkaldr* (Multigelus, perfrigidus &c.) *Fiölsv. M.* 7. Prolixo cum Fiölsvido, arcis Mengladæ proprio custode ac janitore, colloqvio habito, hunc advena inter alia qværit, an sit virorum qvisqvam, cui Mengladæ connubio frui liceat? (42). Regerit Fiölsvidus soli Svipdago hoc licere, qvum virgo illa solis instar fulgida (vel sole irradiata, *sólbiavrt)* ei ad nuptias fuisſet desponsa (43). Tunc Svipdagus verum nomen indicans, introitum petit. (44). Fiölsvidus Mengladæ ejus dicta refert, dicens canes advenæ (ut noto et familiari) gratulari ac domum (qvasi sponte) se aperuisſe, qvapropter is illum Svidagum revera esſe arbitretur (45). Seqvitur colloqvium Mengladæ & Svipdagi; illa de ejus genere & nomine sciscitatur, qvum certum indicium ipsi esset sciendum, si ea isti fuerit in matrimonium pacta (46, 47). Svipdagus proprium nomen proferens patrem simul vocat Solbiartum (ɔ: solis instar vel solis vi aut dono lucidum) ait

*) Cfr. versionem Eddæ antiqvioris Danicam I, 158 (ubi tamen, calami lapsu, *Svidrir* pro nono sed *Svidr* pro decimo Odini nomine ponitur, qvæ inverso ordine collocari debebant).

**) Uti *Svíorr* & *Svídorr* hic ita confunduntur vel alternant, sic idem casus olim exsistere potuit circa nomen *Svíþiód* vel *Svídþiód* (Svecia, svecica gens) qvam qvidam dictam esſe volunt a cognomine Odini *Svidr*, alii autem a voce *Svid* ustulatio, ustio, aut potius aliâ cognatâ: *Svid*, *Svidia*, (Norveg. *Sved*, *Sve*, Svec. *Svedia)* concædes arborum sylvâ exusta &c. Talis autem combustio necesſaria certe fuit primis Sveciæ incolis, agriculturam exercentibus, ut terra iis habitabilis redderetur.

autem ventos se ex paternis domiciliis agitasse per vias gelidas, Urdæ tamen sententiam (jam completam) neminem viventium dicit obrogare, qvamvis ea leviter sit irrogata (48). Finitur carmen felicium amantium mutua congratulatione (49-51). Cfr. *Fiölsvidr*, *Menglöd* s. Addimus repetendo opinioni supra allatæ, de Menglada ut verna Tellure & Svipdago ut verno sive æstivo die, qvod integrum illud de Fiolsvido melos pertinuerit ad ludos illos (majales jam vulgo dictos) qvi propter æstatis adventum olim fuerunt in borea celebrati. Huc forte alludit flamma ista sive ardens pyra strophâ secunda memorata, qvum tales illo festivo tempore accendi soluerint in rupe, monticulo aut tumulo edito; cfr. str. 50 (de grato monte — non arce — in qvo Menglada se habitare vel sedisse narrat) p. p. Cfr. ea qvæ de illo aut simili festo (fictis sponsaliis claro) supra disqvisiimus in artic. *Skadi*. De etymo nominis vid. α) *Svipall* s. Cfr. tamen glosfam Germanicam seculi 8vi *Suep* aër*) & β) *Dagr*, *Dagur* (Dies) s., qvod alioqvin vocabulum, ut orientalem ejus originem & præcipuas variationes monstremus, est α) Dan. Svec. AS. Angl. & Aleman. *Dag*, Germ. *Tag*, (porro) AS. *Dæg*, Angl. *Day*, Moesogoth. *Dags*, Cambro-Brit. *Diau*, Caucasio-Chunsag. *Dshaka*, Cart. *Dge*, Cas. Cum. *Diachta*, Pelv. *Diavam*, Indo Mult. *Degow* β) Sanscr & Malabar. *Dia* γ) Slav. *Den*, Cauc. Tschets. Ingusch. *Deni*, *Dini*, Sanscr. *Danim*, Singal. *Dina*. Cfr. Gr. δαος lumen, ignis, δαη splendor (unde δαηρος lucidus it. Pers. *Tab* lumen, splendor**).

Svöl, *Svavl* (subfrigida) amnis Deorum circulum vel regionem (unam vel plures) perfluens *Gr. M.* 27. Est fæminin. adject. *Svalr*, Dan. & Svec. *Sval*; cfr. *Svalinn* s.

Sylgr, *Sylgur* f. amnis terrestris ad Helam defluens *Gr. M.* 28. Est verisimiliter (ut interpretes voluerunt) derivandum a verbo *svelgia* haurire, deglutire, (Dan. *svælge*, Svec. *svälga*, *svälja*, Germ. *schwelgen*, AS. *svelgan*, Angl. *swill*, *swallow* &c. unde aliud *Sylgr* potus, potio (it. compotatio p. p.).

Sæhrímnir, *Særímnir*, *Serímnir*; aper sive verres mythicus, optima carne præditus, qvem coqvus (Valhallensis) Andrimner in lebete Eldrimnero coctum reddit, qvamvis pauci sciant qvantum Einherorum (sive heroum) inde victictet *Gr. M.* 18. Omnes Einheri qvotidie in Odini areis armis invicem contendunt, cædendos [ludo sive exercitio militari] eligunt & a prælio do-

*) Vid. *Graff: Diutiska* 1 B. 1 H. 1826. Sic *Svipdagr* (*Suepdag*) vertendum foret: aëreus (vel cælestis) dies.

**) Liceat nobis lectoribus hujus lexici, qvi Glosfarium T. II, Eddæ antiqvioris non ad manus habent, hic communicare simile specimen vocabuli *Nótt*, *Nätt* (olim etiam apud nostrates mythicæ personæ attributum) Dan. *Nat*, Svec. *Natt*, Germ. *Nacht*, AS. *Neht*, *Niht*, Angl. *Night*, CBrit. *Nos*, *Noson*, Slav. *Notsch*, Gr. νυξ, Sanscr. *Nischa*.

mum eqvitant; deinde cerevisiam [vel nutrientem aut inebriantem qvemvis potum] *) cum Diis potant ac Særimneri lardo vescuntur et qvam maxime concordes consident *Vafþr. M.* 41. Heroum (vel numinum) **) coetus ex Odini mandato per sedilia dispositus saturabatur Særimnero, dum Skogula, ad mensas, illius craterem ex Mimeris medone cornibus metiebatur (vel cornua singulorum potatoria mero illo implevit) *Hr. G.* 19. Sic ad hos locos explicandos agit Edda junior (l. c. pag. 42: "Ait Ganglerus: Dixisti antea omnes homines, qvi ab initiis mundi in prœliis occubuerunt, ad Odinum in Valhallam transiisse, sed qvid habet iste, qvod victum illis præbeat? cogito enim admodum magnam ibi multitudinem congregatam esse. Har respondit: verum qvidem est qvod dicis, permagnam ibi jamdudum esse hominum multitudinem, sed multo major posthac erit; nihilominus perqvam exigua lupo veniente videbitur. Sed nunqvam tamen in Valhalla tanta erit virorum freqventia, qvin illi sufficiat lardum apri qvi Særimner appellatur, qvi licet qvotidie coqvatur, sequenti mane de novo integer est. Interim talis hæc est qvæstio tua, qvod pauci (ut mihi qvidem verisimile videtur) adeo periti dentur, ut de his vera narrare noverint. Verum tamen asſator Andrimner appellatur, lebes vero Eldrimner." (Additur porro prius hic allata Grimneriani carminis stropha).

Inter apri sive verris poëtica nomina, versibus memorialibus (Skaldæ pag. 222) inclusa, invenitur *Særimnir* & præterea alia: *Valglitnir* & *Valbaſi*, qvæ ejus, ut Valhallæ proprii, agnomina originitus fuisse putamus.

Physicam nostram hujus mythi explicationem inseruimus artic. *Andhrimnir* s. ac ei aliqva addidimus de nominis etymologia; de præcipua lardi, ut nutrimenti heroici, æstimatione apud exteras gentes, præter plura huc pertinentia. His jam addimus, id ex nostra opinione incertum esse qvod Dii ipsi Særimneri lardo victitasse unqvam fuerint crediti; de Odino saltem certissimum est, qvod solo vino nutriri crederetur.

De apris aliis mythicis, Freyero & Freyæ sacratis, vid. *Gullinbursti*, *Hildisvíni* s. et de sacris apris aut verribus ex horum (et Særimneri forte) exemplo in aula Regum terrestrium enutritis ac solenniter introductis vid. *Sónargöltr* s.

Sækin (petulans, pertinax vel perseverans) aut etiam (ex interpretum conjecturâ) Sequana (Gallorum), amnis Deorum circulum aut regionem (unam vel plures) permeans *Gr. M.* 27. Prius etymon qværendum est in verbo *sækia* (petere, qværere, perse-

*) De potu Einherorum vid. artic. *Heidrún* s. *Valkyria* i.

**) Ita interpretes verterunt; opinor autem textus *rakna* magis convenire heroibus, qvum *rakni* meâ sententia sit eqves a *ravkn*, *rökn* eqvus de qvo Glosſ. T. II, consulendum. Cfr. *Hr. G.* 26 ubi vox eadem de vivis principibus aut heroibus telluris capienda videtur.

qvi) Dan. *söge*, Svec. *söka*, Alem. *suachan*, Germ. *suchen*, AS. *secan*, *sæcian*, M. Goth. *sokian*, Sanscr. *sik*, *sihk*, Angl. *seek*, Lett. *sekku* & pl. Cfr. Lat. seqvi.

Söckmímir, *Savccmímir* (Mimer in profundis habitans) gigas qvidam annosus, ita dictus, qvem Odinus, eum visitans, veritatem celabat, nomina *Svidr* & *Svidrir* asſumens, postqvam ipse Midvitneri celebrem filium solus occidisſet. *Gr. M.* 49 *). Gigas ille abysſi certe vel oceani dæmonem qvendam repræsentat, habitantem in hemisphærio inferiore, qvem Odinus, ut sol vel Cælus autumnalis, sub duobus dictis ejus adscititiis nominibus visitat ac decipit. Ponitur *Söckmímir*, ut genii rupicolæ generale nomen, de Dvergo (vel atro Alfo) Svegderem Sveciæ Regem noctu Odini nomine decipiente, a Thiodolfo poëta (*Yngl. S.* Cap. 15). A substantivo e maximâ parte obsoleto *Söck*, *Söckvi* abysſus, gurges, palus; unde duplex verbum *söckva* α) demergi, Dan. *synke*, Svec. *sjunka*, Germ. *sinken*, AS. *sincan*, M. Goth. *siggvan* **), Angl. *sink*, β) submergere, Dan. *sænke*, Svec. *sänka*, Germ. *sencken*, Angl. *sink* &c. Deducit ea Gudmundus Andreæ non inepte ab Hebr. *soka* demersus fuit. Videas cæterum articulos *Mímir*, *Miþvitnir*, *Miödvitnir*, *Svidr*, *Svidrir*.

Söckvabeckr, *Savcqvabeckr* qvartum cæleste palatium, a sonoris ac frigidis undis superne circundatum, ubi Odinus & Saga per omnes dies læti ex aureis vasis compotant *Gr. M.* 7. Memoratur qvoqve in juniore Edda (pag. 36) ut Sagæ Asyniæ (sive Deæ) habitaculum ac arx vel ædes insignis aut ampla. Respondet, ê nostra sententiâ, piscium zodiacali signo, et mensi eidem convenienti. Vid. *Saga* s. De priore nominis etymo vid. *Söckmímir* s. Posterius *Beckr* a) mare, b) rivus, torrens, Dan. *Bæk*, Svec. *Bäck*, Germ. *Bach*. Hinc terminatio *bec*, in qvam plura localia Neustriæ (sive Normanniæ) nomina desinunt, e. gr. *Caudebec* (Hickesio *Kaldibeckr*, q. d. Danice *Koldebek* v. *Koldebæk*, i. e. frigidus rivus ***).

T.

Tíſi, *Tívi* (Divus, Deus) pl. *Tífar*, *Tívar*, *Gr. M.* 5, *Vaſþ. M.* 42. *Þr. Qv.* 14. *Vegt. Qv.* 1. Vid. *Sig-tífar* s. *Týr* i. *Tramar* est sine dubio nom. plur. â subst. *Trami* (addito articulo postpositivo *Traminn* vel *Tramen*, minus correcte, apud

*) Vertunt priores interpretes: "Midvitneris Sockmimeri filii" qvod mihi minus probabile apparet.
**) Hinc forte Moeso-Goth. *Saggos* occidens, occidentalis (vel solis occidui) plaga.
***) Cfr. Gl. T. I. Videas cæterum qvoad ultimam hancce observationem doctisſimi nostri Estrupii: *Bemærkninger paa en Reise i Normandiet*, *Khavn.* 1822, pag. XI, 42, 150.

GudmundumAndreæ) malus dæmon, larva, unde Norveg. *Trame* (cum artic. pospos. *Tramen, Trammen)*, diabolus. (Incertæ originis vocabulum). Hinc forte priscum Svecicum *Tram*, *Trame* dæmon giganteus, unde veteris cantilenæ, Thrymsqvidam Eddicam imitantis, *Trolle-Tram;* (cfr. *Þrymr* i.).

Travll, *Tröll* monstrum giganteum; malum dæmonium *VSpá* 36. *Töllkona* vocatur lamia qvædam vel gigantea mulier, qvæ Jolensis festi vespere (qvum larvæ adhuc in toto septentrione vagari a superstitiosis creduntur) *) e sylvâ venienti Hedino, Norvegico principi, obviam ivit, lupo (eqvi vice) vecta et angves pro habenis usurpans; ea pollicitabatur comitatum suum**). Hunc eum abnuenti irascebatur lamia, dicens illum talis recusationis poenas soluturum esse cum Bragii poculum — votis solenne — eadem vesperâ propinaretur. Hedinus reverâ tunc impio voto se obstrinxit, fraternæ nimirum sponsæ vel amicæ ducendæ, at mox ejus tantum pœnituit, ut domo discederet per vias erraticas in regiones australes. Ibi fratrem Helgium (Haddingicum) offendit ac moerens illud suum facinus isti revelavit (*H. Qv.* I, 31-33) qveis auditis Helgius suspicabatur de vicina morte sua et qvod genii ejus Hedinum viserint, ubi viderat mulierem lupo vehentem, qvæ futuram ipsius (Helgii) cædem præsciverit (35). Postea Helgius, lethali in prælio vulnere sauciatus, propriam sponsam fratri Hedino tradidit ac reliqvit, qvam novus sponsus osculans, ei simul valedixit, ut Helgii cædis ultionem armis valide effecturus.

Eddæ juniori (pag. 13) audiunt *Töllkonur* (plurali numero) lamiæ illæ qvi alioqvin dicuntur *Járnvidiur*, ut Jarnvidum (ferream sylvam) inhabitantes. Earum vetustisima oreas (*gýgur*) ibi filios parit multos gigantes *(jötna)* qvi omnes lupinas gestat formas, e qvorum numero ii lupi sunt, qvi solem & lunam qvotidie perseqvuntur ac tandem deglutient. Eorum immanisimus dicitur *Mána-Garmur* (vide *Garmr* s.) — qvem Vala (loco citato) gigantei monstri formam vel exuvias (*töllsham*) gestare fingit. Pag. 46 (in fabulâ de Sleipneri ortu) & pag. 107 (de Hrungnere gigante) dicitur Thorus ex Asgardiâ ad plagas orientales abiisse ad mala dæmonia ferienda (*at beria travll*). Cum autem monstra illa genita ac educata fuisent in sylva illa *(Járnvidr)* ad orientem Midgardiæ (et simul Asgardiæ) sitâ, verum nomen ejus regionis, qvam

*) Hujus superstitionis plura exempla inferius adferemus ac illustrabimus.

**) In textu *fylgd;* an autem hic innuetur *tutela dæmonica* vel genialis aut lamiæ illius *amores* — jam non decernere audemus. Contextus relationis priorem interpretationem probare videtur. Hæc cæterum verisimiliter accidebant solstitio hiberno; at æstivo solstitio (è nostra sententia) Hyrrokin oreas "lupo vecta & serpentes pro habenis usurpans" ad pyram Balderi funebrem apparuit. Vid. *Baldvr*, *Fylgia* s.

Thorus tali itinere petere solebat, inde satis perspicue elucet. Fuerunt autem hæ expeditiones necesſariæ ad solem & lunam â dæmonum illorum infestis persecutionibus liberandos, qvi autem maxime iis periculis subjiciuntur hiberno tempore, cum Thorus tunc ab Asgardia sit absens et fulmina vix ab hominibus cernantur. Innuuntur igitur præcipuæ Jarnvidiæ illæ variis Thori epithetis ut *bani tröllqvenna* (lamiarum occisor, Skaldæ pag. 101) *Þraungvir qveldrunninna qvenna* (noctivagarum mulierum persecutor; pag. 102) & sq. Earum indoles partim facile emergit e nominibus iis impositis (*Tröllqvenna heiti*) Skaldæ pag. 210, qvibus plurimæ enumerantur celebriores gigantum mulieres, Eddis alioqvin memoratæ, ut *Grídur, Gíálp, Hyrrokin, Hrímgerdur, Járnsaxa* & pl. at multo plures insuper adduntur, qvarum etymologia non minus sævitiam et foeditatem innuit, e. gr. *Gríla* (hostilis larva, cujus nomen adhuc in Islandia a nutricibus usitatur ad pueros terrefaciendos), *Grîma* (larva, it. nox atra), *Geysa* (grasſans), *Vigglöd* (cædibus lætata), *Forat* (pernicies), *Skrikia* (ejulans), *Glumra* (strepera), *Grottin-tanna* (dentes saxeos gestans), *Bakrauf* (obscoenam deformitatem indicans), *Horn* (cornigera), *Lióta* (foeda), *Hengiképta* (pendulis labiis insignis), *Lodinnfingra* (hirtos habens digitos), *Hardgreip* (duriter rapiens, dura manu prædita, — Hartbgrepa Saxonis &c. Similis indolis sunt Jotni (qvi alias *Tröllkarl* & *Þurs* audierunt) illarum mariti vel amasii, ibidem (pag. 209) inter alios gigantes enumerati; vid. *Jötvn* s. Optima ac antiqvisſima explicatio vocis *Travll* vel *Tröll* legitur in cantilenâ, (articulo jam indicato lectori communicatâ) qvam lamia (*tröllkona*) per sylvam vagans serâ vespera Bragio prisco (poetæ celeberrimo canæ antiqvitatis) occurrens cecinit; dicit autem ipsa dæmonia illa vocari: procellas, solis hostes, coeli hemisphærium devorantes p. p. — unde indoles earum eadem esſe apparet, qvam ista, qvæ filiis Jarnvidiarum, (monstris illis lupinis) alioqvin adtribuitur.

Omnia mala dæmonia junctim & varia qvoqve speciatim gentiles nostri atavi illo nomine vocitabant. Sic qvidem 1) mali homines, armis cæsi, Trollis dari dicebantur e. gr. de duobus latronibus, qvos (sec. 9^no^) heros Norvegus in insulis Orcadensibus occidit:

Þá gaf hann Tréskégg tröllom
*Torfeinar drap Scurfo**).

Sic securis Skaldæ audit *hlífartröll* (dæmonium clypeos perdens) &c. ut vocabulum *tröll* cujuscunqve ei additæ rei perniciem vel destructorem poetice significare potest. 2) Tempestatum ac oceani dæmonia, hominibus infesta, qvæ naufragia efficere credebantur, ut e. gr. hæc in Laxdæla relata testantur: Osvifus mi-

*) *Hkr.* hist. Haraldi pulchricomi Cap. 37 (l. c., 105).

naci Auduno, (cognomine Festargarmus)*) iratus respondit: "Mei filii a principibus magni æstimabuntur; at tu Festargarme! hac æstate incides in manus (vel potestatem) Trollorum" — qvod revera implebatur vaticinium, ut apud Færoas insulas, famosas illorum dæmoniorum sedes, navis Audini periret, ubi is cum reliqvis navitis interiit; cfr. *Rán* s. *Ægir* i. 3) Sæpisime *Tröll* dicitur in historiis ac poematibus veterum de dæmoniis giganteis, qvæ montes, speluncas ac deserta telluris inhabitare putabantur (ut primi eorum parentes montanas Utgardorum regiones & præcipue Jarnvidum sylvam ibi sitam). Mas vocabatur *Tröllkarl* (e. gr. in Landnama) **) fæmina autem *Tröllkona* (de qvâ multa supra disqvisiimus; cfr. *Gígvr, Gísur, Jötun* p. p.). 4) Certum Trollorum genus Scandinavis priscis ac hodiernis qvoqve Islandis dicitur *Nátt-tröll* (dæmonia noctivaga) qvæ diei vel solis oriente luce in petras mutari credebantur (ut similia etiam miracula olim gentilibus Diis, sed postea sanctis hominibus, in universo septentrione adscribi solebant). Hæc partim Jotnis partim Dvergis sive atris (tenebrarum) Alfis adnumerabantur, ut nos supra suis locis monstravimus, ac superstitionem illam simul observabamus non adhuc inter plebejos boreales abolitam esse. 5) Mala dæmonia, qvæ animalium formâ induta ***) apparebant, ut e. gr. *Glæsir* vitulus, qvi Arnkelum Prætorem Islandicum cornibus acutis lethali vulnere affecit ****). His certe adnumerandi eqvi aqvatici qvi Islandis *Nikur* dicuntur, Svecis autem *Nökke*, e vetustisima superstiti-

*) *Laxdæla Saga* edit. Sevir. Arnæ-Magn. Havniæ 1826, 4. pag. 230. "*Þú Festargarmr! munt fara í trölla hendur í sumar.*" Cfr. ibidem versionem docti ac iugeniosi Th. G. Repp (jam Edinoburgensis) pag. 231.

**) *Islands Landnámabók* pag. 76-77 "Einar, Lonensis dictus, (seculo nono vel decimo in Snæfellensi occidentalis Islandiæ tractu habitans) currendo venit ad Drangos (altos ac acutos scopulos) ac gigantem *(tröllkarl)* ibi in summo sedentem animadvertit, qvi pedibus fluctus maris æstuantes ita commovebat, ut aqva marina in guttas resoluta dispergeretur." Einar, in cantilenâ de visione compositâ) illum dæmonem vocat *Jötun* & *Bergrisa* (cfr. nostras in artic. *Jötun* & *Bergelmer* commentationes). Illis certe annumerabantur dæmones fontes montanos custodientes & hominibus eorum usum prohibentes, dicti *Biargmigi, Brunnmigi* vel *Brunnúngr*. Vid. *Hálfs-Saga* Cap. 4 *(Rafns nord. Kjœmpehist.* III, 30, 31). Ejus generis fuerunt Hymeri filiæ, qvæ memorantur *ÆEg. Dr.* 34 (vid. *Hýmir* s.) & Geirrodi gigantis gnatæ. Cfr. *Þórr* i.

***) Ac interdum etiam pulchrorum hominum, ut veros homines perderent; vid. *Saga Ol. Tr. S.* ed. Havn. II, 187.

****) Vid. *Eyrbyggia-Saga* Ed. celeb. Thorkelini pag. 316, it. 46, 172. Cfr. doctisimi ac nobis amicisimi Roberti Jamieson *Illustrations on northern antiqvities* pag 405-409 ut et Saxonis relationem (libr. 5) de lamiâ in vaccam marinam transmutata, qvæ Frothonem Daniæ Regem ita occidit. Thiodolfus poeta bovem ferum (Svecici Regis interfectorem) vocat *jötuns eyk* (gigantis jumentum) *Yngl. S.* Cap. 30.

tione homines illudentes ac eos perdere conantes. Genus qvoddam balænæ audit Islandis *Jötunuxi* (bos gigantum vel giganteus) insuper sæpissime insecti genus (staphylinus pubescens niger) at multa talia Svecis & Norvegis dicuntur *Troll* (ut infra uberius monstrabimus). 6) Veneficæ, magica arte ac malorum illorum (ab iis adoratorum) dæmonum auxilio fultæ, aut aerëo itinere noctu vagantes aut formas varias animalium suscipientes, ut hominibus nocerent. Sic Hulda venefica Finlandica (proprie forte lamia gigantea vel vere dæmonica) qvæ Vanlandum Sveciæ regem incubi modo dormientem interemit, dicitur *(Yngl. S.* Cap. 16) â poëtâ gentili *Mara* (vid. *Sinmör* s.) & *Tröllkund* (malis dæmoniis cognata). Sic qvoqve in Islandia, ethnicismo durante, Geirrida mulier (ac plures etiam) ut lamiarum more noctivaga *(qveldrida)* publicæ accusationi fuit subjecta *). 7) Larvæ, manes, lemures malevoli. Sic jumenta, Thorolfi Bægifoti funus trahæ impositum vehentia, ita lemurum nocivâ vi lædebantur, ut *tröllrida* (i. e. malis dæmoniis eqvitando presfi) dicerentur. Sic qvoqve resuscitatio mortuorum magica legibus Islandicis audiit: *at vekia npp tröll.* 8) Mali dæmones, homines agitantes vel inspirantes, unde furor talis sæpe dicebatur *tröllskapr* vel *tryllska.* 9) Homines ipsi, illis dæmoniis agitati vel inspirati. Sic de tali muliere jus vetus Norvegicum: *Ei veldr hún þvi sidlf at hún er travll* o: non est ei imputantum qvod furiis agitetur**). Hinc vocabulum *tröllaukinn* furore vel robore dæmonico auctus. 10) Monstra ac homines monstrosæ formæ, ut docet proverbium vulgare: *Tröll eru ríkismanna gérsemar* monstra magnatibus (vel divitibus) sunt in pretio. 11) Incolæ terrarum polarium, ut Groenlandi indigenæ, ii enim, qvos magnas Islandicus *Biörn Jorsala-fari* a morte liberavit ac deinde in illa regione degens sustentavit, *Tröll* annalibus dicuntur. Sic qvoqve orientalis Groenlandiæ pars (vel regio ei vicina nuper a Scoresbye Anglo detecta) ab Europæis olim vocabatur *Tröllabotnar* ***). Terrarum maxime borealium incolæ Gigantes tantummodo ac malos dæmones, in Utgardis & eorum vicinia habitantes, venerari, ut ab ipsis orti, a gentilibus Scandinavi sunt crediti, et ob eam causam sæpe homines

*) Hinc exsecrandæ superstitiosorum Christianorum persecutiones contra magos ac sagas (præcipue fæminas) propter imaginaria tantum ac incredibilia itinera per aëra, ad malorum dæmonum in certis montibus comitia ac convivia p. p.

**) *Kristinréttr Vtcverta* o: *jus ecclesiasticum Norvegiæ qvod Vicensium sive priscum vulgo vocant; edid. Johannes Finnæus Hafniæ* 1759 4. Partic. I, pag. 61. At lex, qvam habemus, Islandorum antiqvisfima, *Grágás* dicta (jam sevirorum Arnæ-Magnæanorum auspiciis sub prælo sudans) furorem virorum similis generis, *berserksgáng* dictum exilio minore mulctavit.

***) Hac ratione dicuntur maritimis Islandis fragmenta navigiorum, ferro penitus carentia, litori interdum adjecta *Trölla-flakar* o: Trollorum tabulatum. *Olavius oecon. Reise* I, 140-141.

cum fictis illis dæmonibus sunt in vetustis relationibus confusi.

Christianismo in terras boreales illato prisci qvoqve dii (Asæ ac Alfi meliores, locorum tutelares genii ac nymphæ &c.) gigantum & malorum dæmonum (Jotnorum, Trollorum &c.) nominibus sunt insigniti et iis qvoqve tandem fere penitus adscripti.

Islandorum superstitio varios Genios, ac inter eos hos Trollos, omnium primos insulam eorum inhabitasse finxit. His nimirum adscribunt varias ipsius naturæ ac præsertim vulcaniarum ejus virium structuras, qvæ formâ ac materie humanis posſunt asſimilari. Sic in multis loci muri basaltici, stratis ac columnis elegantibus sæpe insignes, vocantur *Tröllahlavd* (dæmonum structuræ), aliis autem *Tröllkonu-gardr* (oreadis murus) *); *Trölladýngiur* **) (dæmonum dormitoria vel congeries); *Tröllakirkia* (dæmonum templum ***). Species lichenis, in tesqvis montanis abunde crescens, vulgo dicitur *Trölla-grös* vel *Tröllkonugrös* (ut herbæ talibus dæmoniis gratæ). Rustici superstitiosi multa fabulantur de Trollis in scopulos aut rupes mutatis (qvæ pasſim monstrantur sub maris vel fæminæ denominatione) ac aliqva insuper de vivis gigantei generis singulis personis, ad ultima qvoqve secula (sed rarisſime) visis &c. Alia gigantea monstra turbines ac pestes effecisſe creduntur. Cfr. *Jötun, Vættr.* Apud Færoenses insulanos dæmones illi dicti sunt *Troll, Tröl, Trödl.* Hinc scopulus qvidam insignis apud insulam *Vaagöe* dicitur *Trollkonefinger* (oreadis digitus); hinc qvoqve adject. *trölri, tröllri* (dæmonibus vexatus &c.).

In Norvegia similes vigent traditiones de dæmoniis illis, ibi *Troll, Trold, Trol* appellatis. Hic autem iis annumerantur 1) gigantes, dæmones in sylvis, montibus (ac porro in mari & lacubus) habitantes. Hos Sanctus Olaus (ut prius Thorus) gravisſime fuit persecutus, et sic multa fecit miracula, qvorum vestigia adhuc pasſim monstrantur. 2) Varia ficta ac maxime metuenda monstra vel monstrosa animalia (ut olim fuerant lupus Fenrer, serpens Midgardensis &c.). 3) Feræ nocivæ ut

*) Cfr. Germanorum ac pl. *Teufelsmauer, Teufelsbrücke*, Hibernorum *Giants causeway* &c. Adde Græcorum ac Romanorum similes traditiones, unde illa Ovidii:

Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes
Altaqve congestos struxisse ad sidera montes &c.

Crateres ignivomi revera saxa coelum versus jaciunt & montes qvoqve congerunt.

**) Unus talium vulcaniorum craterum idem est, qvi ignes evomuit subterraneos anno p. C. n. millesimo, qvam eruptionem Ethnici tunc temporis Diis suis attribuerunt, propter Christianismi promulgationem iratis. Vid. *Surtr* s. Cfr. *Henderson Iceland* I, 347-348.

***) Sic qvoqve in Sunmoria Norvegica *Troldkirke* dicuntur rudera ædificii vetustisſimi, olim forte delubri ethnici; *Söndm. Beskr.* II, 177. De templis etiam Christianis, a gigantibus, e vulgi Norvegici & Svecici traditione exstructis, exempla supra adtulimus.

lupi & aliæ. 4) Pisces, angves ac insecta qvæ pro nocivis habentur*). 5) morbi subitanei, qvi illorum dæmonum malignitati adscribuntur. Hinc multa vulgi vocabula ut *trolle* (Svec. *trolla*, Dan. *trylle*, Isl. *trylla*) magiam exercere, *Troldkjærling* venefica, *Trolskáp* (Isl. *Tröllskapr*) magia, veneficia p. p. *trollet*, lacus dæmonibus vel lupis plenus &c. Multa montana loca ab iis denominantur, ut *Troldgjöl* (isl. *Tröllgil*, hiatus montium dæmonicus). Uti Islandi metra ac melodias habent a gigantibus dictas *Tröllshåttr* **) & *Tröllaslagr*, sic etiam Norvegi suas, qvas *Troldslaat* appellant.

Svecis similiter audiunt *Troll*, ***) vel *Trull*, ut gigantes iis sæpe dicuntur; at omnes insuper locales genii istis insuper annumerari solent. Fulmina (olim Thori vi adscripta) hic ut in Dania ac toto septentrione eos perseqvi dicuntur (vid. *Þórr* i.). Varia animalia (feras & aves) Sveci (ut Norvegi) Trollis variis modis adscribunt. Vocatur qvædam Trollorum species *Berg-Troll* (gigantes montani); simplici vocabulo *Troll* vermes sæpe nominantur, at alioqvin vulgariter larvæ, lemures, monstrum qvodvis horrendum aut dæmonis lusus. Hinc vocabula *Trollkarl* (Dan. *Troldkarl*) magus, veneficus; *Trollkona* (ut in Islandico) maga, lamia; *Trolldom*, (Dan. *Trolddom*) magia, *Trollskott* sideratio, *Trollsmör* (Dan. *Troldsmör*) mucor unctuosus (vegetabile tremella nostos) & pl. Hinc qvoqve Lapponum tympana magica (oracula iis edentia) Svecice vocantur *Trolltrumma*, *Spåtrumma*. Hinc tandem varia Sveciæ nomina localia ut famosisima cataracta *Trollhätta* & pl.

Dani ea mythica entia, qvæ iis *Trold* (ac fœminine interdum *Troldqvinde*, *Tróldinde*) dicuntur, in varias iterum classes dividunt, ut *Bjerg-Trold* (montanos) *Skov-Trold* (sylvestres) & *Höj-Trold*, vel *Bakke-Trold* (tumulis aut collibus proprios). Qvosdam superstitio sibi statura ac formâ immanes & monstrosos fingit, alios autem Pygmæis (vel Dvergis) similes. Docti ac ingeniosi scriptores, *Jonge*, *Nyerup* & *Thiele* ****) (in operibus sæpius hic allegatis) multas danico-

*) Hinc voces *Trolqval* (balænæ nocivum genus); *Troldfiske* (pisces venenosi); *Myrtrold*, *Helvedstrold* (musca qvædam, pro venenosa habita ac vere dæmoniaca) & permulta alia. Plures herbæ iis insuper adtribuuntur, ut *Troldbær* (dæmonicæ baccæ), *Troldved*, *Troldhæg* (frutex d.) &c. Ejusdem indolis sunt aliæ nomine variatæ, ut *Jutteltröst* gigantum solatium — de cardui specie & pl. Cfr. *Jötun* s. (unde illud *Juttel*, *Jutul*).

**) Vid. *Háttalykill* (clavis metrica) Snorronis Sturlæi: *Snorra-Edda med Skáldu* l. c. pag. 256.

***) *Tröllа-slagr* metrum est recentius ac artificiosisime compositum.

****) Vid. e. gr. *Olai Petri Svenska Chronica* (circa annum 1550 scripta) Script. rer. Svec. I, 218; ibi enumerantur mythica vetustatis entia: *Jettar*, *Resar*, *Troll*, *Bergatroll* ec eorum uxores *Giigrar* (vid. *Gýgur* s.).

*****) Cfr. *Henrik Harpestrengs Danske Lægebog fra det* 13de *Aarh.* &c. *ved C. Molbeck* 1826;

rum plebejorum circa illas larvas opiniones publici juris fecerunt, qvæ hic non repetere vacat. Cfr. *Jötun* s. *Vættr* i. Hinc alioqvin vocabulum, in Bornholmia insula usitatum, *Trollekile* nimirum, i. e. cuneus aut brontia gigantea (gigantes perdens vel fugans), alias *Tordensteen* (lapis fulminaris) & in Svecia *Thorsviggar* (i. e. Thori Dei cunei); sunt autem cunei vel cultri silicei, in ethnicis Daniæ sepulchris sæpissime reperti, qvi nunc contra fulmina & malos dæmones (*Trolde, Trolderie*) a rusticis superstitiosis multum prodesse putantur. Cfr. *Þórr* i. In vetustiore Danorum sermone occurrunt alia huc pertinentia verba e. gr. *Troldhilder* i. e. laqvei fatales furiarum vel lamiarum. Alia jam magis nota de arte magica & veneficis dicuntur, ut supra annotavimus. Vox *Troll, Trold* variationem verisimiliter accepit in vulgari Danico *Drol, Droll* qvod diabolum vel malum dæmonem denotat.

In magna Britannia varia hujus nominis ac superstitionis vestigia inveniuntur. — Sic in Scotia die festum Jolense (ibi qvibusdam ut etiam Anglis borealibus *Yule* dictum) præcedente, vel ultimo anni die, juvenes singulari vestitu ac larvis insignes et fustibus armati, plateas permeare solent, canentes veterem cantilenam, in qva hocce occurrit jam fere inintelligibile vocabulum: *Trollolay!* — (forte explicandum: Trollorum melos vel cantio). Id tamen certe indicat hos juvenes Trollos ipso vel Alfos tenebrosos repræsentare, qvi olim eodem tempore — Solis revertentis radiis fugati — migrare credebantur, ut supra monstravimus. Huc pertinet epistrophe Anglicæ cantilenæ de Thoma Cromwell (1540):

Trolle on away! :|:
Synge heave and howe
Rombelowe,
Trolle on away!

qvâ mali illi dæmones expelluntur *).

Stenbogen Cap. 10, 14, 23, 35, 46. Fabulæ variæ Danicæ plebis de emigratione Trollorum propter templorum Christianorum exstructionem, campanarum (baptizatarum) sonum &c. debentur sine dubio primorum Christianismi prædicatorum persvasioni, qvod mali dæmones ac ethnici Dii (qvi iis tunc adnumerabantur) illis remediis in fugam verterentur. Sic certe novimus Olaum Tryggvinum in Norvegia, Gudmundum bonum in Islandia & multos alios contra dæmonum grassationes *(tröllagång)* totas regiones lustrasse; montes, rupes, valles & tumulos aqvâ consecratâ aspersisse &c. Vid. *Saga Ol. Tr. S.* Edit. Havn. II, 185-189 *Sturlunga-Saga* impr. I, 188 et alibi. Ipse Gudmundus dormiens vel absens â proprio corpore — (Odini ab historicis celebrati & magorum Lapponicorum ac Groenlandicorum more) — oreadem *(tröllkonu)*, viatorem perseqventem, fugavit vel perdidit; ibid. I, 190-191.

*) *Percy Reliqves of ancient english poetry* II, 58. Vox *Trolle* in glossario inexplicata linquitur. De illo *Trollolay* &c. vid. *Callander Dissertation on the cry of the maskers at the Christmass or Yule*, cum appendice illustrissimi Islandiæ descriptoris, Baronis Georgii Mackenzie *(Transact. of the society of Antiqvaries of Scotland*, Vol. 2. Part. 1, 1818).

Ejusdem generis sunt manduci illi brumales, qvi antiqvitus apud varias Europæ nationes eodem tempore personati per vicos ac plateas circumire, aut in ipsis domibus apparere solebant. Hi Islandis vocabantur *Jólasveinar* (adolescentes vel famuli Jolenses) qvi e montibus, novem numero, devenire & homines (ac præcipue pueros) ad Trollorum speluncas abducere dicebantur *). His sunt adnumerandi manduci Danorum Jolenses, dicti *Julevætter* (Jolenses vel brumales dæmones) &c. Vide *Döckálfar*. Similis indolis sunt Germanorum *Knecht Ruprecht* ac pl. & variæ personæ, qvæ saltabant ac cantabant in ludis Gothicis (postea etiam Jotticis dictis) Gothorum more in aula imperatoris Constantinopolitani, nono die dodecahemeri (cum festo nativitatis Christi incipientis) olim celebratis **). Sunt po-

*) Cfr. *Saga Hrólfs Kraka* Cap. 35 de monstro giganteo qvâvis Jolense nocte aulam dicti Daniæ Regis infestante, at aulicos occidente vel auferente. Ejusdem generis ac originis est fabula carminis Anglosaxonici Scyldingiani (edit. Thorkelini pag. 11-13) de Grendele dæmone, simili modo Hrodgaris, Daniæ Regis, aulicos tractante. Hinc Beovulfus (vel *Beodvulfus*) qvi monstrum illud perdidit idem esse videtur ac nostratium *Bödvarr Biarki*. — Cfr. *Grettis-Saga* Cap. 67 de oreade *(Tröllkona)* Jolensi nocte (per plures annos) hominem e certa Islandiæ villa auferente. De illis brumalibus manducis agit vetus Islandorum cantilena:

Jólasveinar einn oc atta
Ofan komu af fjöllunum.
— — — — — — —
Ólafr var þar innan gátta
Þeir ætludu ad gésa hann tröllunum.

Superstitionem hanc Lapponibus qvoqve, Sveciæ regno subjectis, acceptam esse vidimus e Schefferi Lapponia Cap. 10 pag. 118: "Pridie festum Juliorum, qvod nativitas Christi alias vocatur, ipsoqve festo die superstitiosum faciunt sacrificium, in honorem usumve circumerrantis turbæ Juliæ [Svec. *Juledvärgar*; cfr. Rudbeck. Atlant. II, 245], qvam vagari tum existimant per sylvas & montes, ipsis vicinas, isto modo . . . Suspendunt cibaria in arbore, post tugurium suum, unius teli jacius spatii distante, pro circumerrante tum in aëre per sylvas montesqve turba sive multitudine Juliorum." Hi dæmones Lapponibus Norvegicis noti fuerunt sub nomine collectivo *Joulo-Gadze*, qvorum qvidam mali sed alii boni credebantur; (Vid. *Leem Beskr. over Finmarken* pag. 421). Plebejis Daniæ circa initium sec. 18^mi audierunt *Jule-Vætter* (dæmones Jolensis festi) in ludis ejus temporis repræsentati, ut supra monstravimus ad artic. *Döckálfar*.

**) Vid. *Constantinum Porphyrogennitum de ceremoniis aulæ Byzantinæ* Lib. I. Cap. LXXXIII. Cantilena a Gothis illis tunc decantata, metro ac alliteratione, Scandinavis & Anglo-saxonibus olim propriis, indubie composita est, ut peculiari disseratione probare tentavimus. Qvod Vandali Gothos, ipsis origine ac sermone cognatos (propter gentilitium vicinorum odium) Trullos vocaverint (ut Dani, Norvegi & Sveci malos vel abjectos homines) ad vocabula *Tröll, Troll* verisimiliter est referendum.

stremo larvæ illæ in Sanctorum trium regum personas (facie denigratas) a christianis transmutatæ.

Illam Orcadensium superstitionem ita decantat Conradus Celta (natus 1459): *)

Est locus arctoo . . . tractu
Qvam juxta infames scopuli & petrosa vorago
Asperat undisonis saxa pudenda vadis
Orcadas has memorant . . . .
Atqve has perjuris exilium esse Diis
Accola mutato qvos dicit nomine Drollos.

Hic reperimus Danicum illud *Droll*, qvod originitus verisimiliter idem est ac recentiorum Anglorum *Droll* (de nebulone dictum) Gall. *Drôle* **). Cfr. Angl. *Tróllop Trull* (de mala ac lasciva fæminâ) it. verbum *(to) troll*, Germ. *trollen*, Gall. *troller*, *trôler* & pl. Cfr. *Jötun*, *Þurs*, *Gramir*, *Vættr*, *Gýgur*, *Túnrida* & pl. ***).

Túnrida Túnriþa (in pl. *Túnridur*) eqves sublimis (vel etiam: lamia, furia aut venefica super oppida, villas aut campos eqvitans). Hos Odinus (vel ejus sacerdos) per aërem ludere aspiciens, id potuit operare, ut illi aberrarent a propriis corporibus & domiciliis (verbotenus: domesticis desideriis) *Háva M.* 158. Intelligitur magica, aerëa & sæpisfime nocturna eqvitatio, qvæ *Gandreid* vel lupina aut monstris peracta eqvitatio olim est appellata, unde posteriora talia itinera, qvæ a sagis exerceri credebantur, orta fuisse videntur. Alioqvin giganteæ mulieres olim vocabantur *Myrkrida*, (in tenebris — vel *Kveldrida* vespertino tempore — eqvitans aut volans); cfr. *Myrkrida*, *Jötun*, *Tröll s.* Circa vocis etymologiam vid. *Tún* & *Rída* in Gl. T. II.

Týrr (Týr, Tir). α) Deus qvisqve (perraro tamen simpliciter, at freqventer in compositis). β) Asarum unus, hoc pro-

*) Apud Arngrimum Jonæ; Specimen Islandiæ histor. pag. 118.

**) Addit Keyslerus: Superioris Germaniæ incolis *Troll* vel *Droll* dicitur homo impudens & agrestibus moribus. *Antt. selectæ* &c. pag. 219.

***) Variæ Trollorum imagines, diversâ monstrositate insignes, visuntur hucusqve ad statuas ac alia sculptoria opera, exhibentes effigiem S. Olai, Norvegiæ Regis & plurium Sanctorum, qvi catholico ævo in tribus septentrionis regnis culti fuerunt. — Alias monstrant vetusta insignia nobilis inter Danos et Svecos familiæ, dictæ *Trolle*; hæc partim supersunt in sigillis (vel sigillorum ectypis) appensis variis diplomatibus, qvæ in archivo Regio ac Arnæ-Magnæano Haviniæ servantur e. gr. Arvidi Trolle, Sveci, ab annis 1482 & 1483; spectamus in eo caput senis humani, barba densâ præditum, at cornua & aures qvadrupedum gestans; aliud ab anno 1485 caput simile sed multo monstrosius monstrat. Sigillum Gustavi Trolle, Archiepiscopi Upsaliensis 1522 continet duos Trollos, capite spoliatos, unum pedem humanum sed alterum ferinum habentes. Birgerus Trolle 1438 et Jacobus Trolle 1513 dæmonis caput, leonino simillimum at cornibus auctum, sed corpus viri decapitatum suis insignibus inseruerunt. Multi Danici Trollii (e. gr. celeberrimus *Herlof* 1560) adoptaverunt Trollum vel gigantem, cujus caput ventri tantum affixum cernitur &c.

prio nomine insignis. De isto ita agit Edda junior: (Pag. 29): "Loqvebatur hæcce Ganglerus: Multum eqvidem dicti mihi Asæ propriis viribus posse videntur; nec mirum est virtute et vi magnâ vos Asas pollere, qvum vobis discrimen Deorum sit perspectum et qvonam qvævis precatio sit dirigenda*). Qværo autem num plures adhuc Dii sint? Respondet Har: est qvidem Asa, nomine Tyr, qvi omnium est animo promtissimus ac audacissimus, & in pugnis victoriæ dandæ auctor magnus. Hinc loqvendi modus est, qvod ille sit *týhraustr* (i. e. Tyris instar fortis) qvi sic aliis præstat, at minime timoris causâ se ad effugiendum circumspicit [vel etiam minime cedit aut considet, secundum codicem regium]. Ipse qvoqve sapientiâ valet, unde altera dictio *týspakr* (i. e. Tyris instar sapiens) qvi tali gaudet ingenii dote. Inter alia exempla animositatis ejus id exstat, qvod cum Asæ lupum Fenrerem alliciebant, ut vinculum Gleipnerem dictum sibi injicere pateretur, iste id noluit, prius qvam Tyr, cautionis ergo, manum (dextram) ori ejus imponeret. Sed cum lupum Asæ postea solvere renuerunt, is manum Tyris in commissurâ articulorum, ubi jam *úlflidr* (i. e. articulus lupinus) appellatur, demordebat. Postea Tyr unimanus est, at pro hominum reconciliatore minime habetur." Ampliorem hujus fabulæ explicationem vide s. in artic. *Fenrir*. (Pag. 79) Tyr (qvartus numero) nominatur inter duodecim Asas judices in Asgardia, Aegerum convivio excipientes. Is etiam (pag. 129) cum aliis Asis adfuit Aegeri famosissimo symposio. In futuro Deorum ac mundi exitio (pag. 73) Garmus canis, qvi ante Ginpensis antri ostium fuerat ligatus, ac immanissimum (vel perniciosissimum) monstrum esse dicitur, cum Tyre pugnabit, unusqve alterum interficiet vel periculose lædet (*verdr hverr ödrom at skada*). Skalda (pag. 105) Tyrem ita appellandum perhibet: Asa unimanus; lupi alumnus (vel nutritor aut nutrimentum); pugnarum vel cædium Deus; filius Odini.

In antiqviore nostrâ Edda Tyr hisce locis memoratur: Mater Tyris, tota aurata (vel auri instar lucida) eum alloqvitur, gigantum cognatum istum appellans *Hým. Qv.* 8. Cum Dii lebetem satis spatiosum, qvem Aegero promiserant, desiderarent, Tyr soli Hlorrido (Thoro) magni momenti consilium communicavit; dixit autem animosum suum patrem (vel vitricum), Hymerem illum gigantem, sub coeli extremitate habitantem, possidere capacissimum lebetem, milliaris profunditate insignem. Ad eum impetrandum Thorus cum Tyre magnis gressibus uno die ibant ex Asgardia, donec ad oceanum (gigantis illius habitacula) pervenerunt. Capris (Thori) rite in caulam introductis et ipsâ Hymeri aula visitatâ, nepos (Tyr) invenit aviam, sibi admo-

*) Hic Asæ populares (vel humani) ab Asis Diis à Ganglerio distingvi videntur.

dum ingratam, ut nongenta capita habentem. Deinde procesfit speciosa illa Tyris mater, qvæ hospites sub lebetibus inversis occulit; dixit enim suum esſe amatorem parcisſimum erga hospites, ac ad iram (vel infestum animum) pronum. Venit tandem durus ille ac animo varius gigas domum ex venatu. Intravit domum, intonuere glaciales (Utgardiæ) montes; erat senis, cum veniebat, genarum sylva [barba] conglaciata. Tunc Tyris mater, eum ſalvum ac animo lætum (vel placidum) esſe jubens, dicit filium, qvem parentes exspectaverant, per longam viam ad ejus domum venisse, Thorum qvidem comitantem. "Aspice" ait "ubi sedent, sub domus extremitate; ita vitant (conspectum tuum); stat ante (eos) columna." Disſiliit columna ad aspectum gigantis, (*Hým. Qv.* 4-12). — Cætera hujus narrationis de Thori piscatura ac lebetis maximi acqvisitione videas in articulis *Hýmir, Jörmungandr* s. *Þórr* i. Tyr adſuit Aegeri convivio, una tantum manu præditus *Aeg. Dr.* introd. Is Freyerum contra Lokii contumelias defendit (str. 37) at hic Tyrem nunqvam lites inter duos (litigantes) composuisſe *) ait; isti insuper objicit defectum dextræ manus, qvam Fenrer morsu abruperat (38). Respondet Tyr se manu at Lokium bona famâ carere, lupum autem (ejus filium) male habitum mundi interitum exspectare (39). Lokius contra Tyris uxorem [alioqvin ignotam] ex se filium peperisle adserit, cujus injuriæ maritus nullam obtinuerit resarcitionem (40). Tum Freyerus vincula Lokio minatur. Sigurdrifa Valkyria, Sigurdum Fafnericidam edocens, ei consulit Runas (sive characteres) victoriales (si victoriam obtinere vellet) in capulo gladii incidere; qvasdam in hujus costis vel jugis, qvasdam in scutulis capularibus & bis numero Tyrem **) (Deum) simul adpellare (B. I, 6).

Ad ultimum hunc locum id sane notari meret, qvod sectio tertia alphabeti Runici nominetur *Týs* vel *Týrs ætt* (Tyris genus) a prima ejus literâ *Týr*, nostro T. Litera ista sagittæ vel hastæ uncinatæ habet figuram — ↑ — qvæ admodum assimilatur usuali signo Martis planetæ, qvi nostro sermone *Týr* vel *Tír* vocatur, e veteri testimonio ***). At vox Persica *Tir* significat sagittam, et interdum ejus ferreum ac uncinatum cuspidem; convenit autem Græco τίηρη apud Hesychium (vel ut celeberr. Hallenbergius observavit e pronunciatione hodierna populi *Tíri*). Orientalis insuper illius nostræ planetaris denominationis origo optime elucet ab

*) Vel etiam: clypeum nunqvam duabus (manibus) gestasſe. Jam cum b, Gudmundo Magnæo legimus *titt (tídt)* respicientes illud Eddæ junioris: *Hann er ej kalladr sœttir manna.*

**) Vocabulum *Týr* (qvamvis diversis modis scriptum inveniatur per *í* vel *ý*) olim *duas* habuit significationes, nimirum 1) Týr, Deus, præsertim bellicus ille; 2) honos, gloria.

***) Vid. *Rimbegla*, edit. Havn. pag. 112. Fuit similiter hasta apud Romanos Martis Dei vetustisſimum symbolum, at posterius ipsius statuis addita.

alia Persica; nam *Tir* Persis audiit Deus qvidam vel divinus genius, et simul planetarum unus; qvis autem is fuerit, non adhuc penitus liqvet*). Fuit tamen planeta qvidam Chaldæis (ut putant) olim, ac postea certe Jezdianis eorum successoribus, sub eodem nomine notus**) ac divino cultu honoratus. Dicitur Mars planeta bellico numini ab exteris, propter flammeum vel rubicundum ac qvasi sangvinolentum splendorem, dedicatus fuisse; idem certe de Scandinavis cogitari posset, qvorum præliaris ille Deus, Tyr nimirum, sangvinem insuper proprium pro Asarum (ac mundi simul salute) voluntarie effudit.

Sic igitur dies Martis nostratibus a Tyre Planeta audiit *Týrsdagr*, *Tirsdagr* vel *Tisdagr*, ut Danis hodie *Tirsdag*, Svecis *Tisdag*, vet. German. *Tistag*, *Thysdag*, *Distag*, Frisiis *Tysdei*, *Dysendag* Anglo-Saxonibus *Tirsdæg*, *Tyrsdæg*, *Tivesdæg*, *Tiserdæg*, Angl. *Tuesday*. Hinc verisimiliter Lapponum Svecicorum *Tisdaga*, Esthonum *Teise peaew* &c Audit Osfetis (sive Asis) Caucasiis *Ditschag* ***). Recentioribus Germanis dies ille scribitur *Dienstag*, *Dinstag*, in Lausitzia vel Lusatia inferiore *Distag*, Helvetis (apud Sanct Gallen) *Zistag*. Qvod Asfyrii suo Thuræ hanc diem sacraverint, per se non est improbabile. Indi autem eam dedicant Deo vel genio planetari, qvi iis dicitur *Ciova* vel *Siova*, Malabaris ac Tamulis *Sjive* — qvod facile immutari potuit in illud Germanorum (anglosaxonicorum) *Tive*, ut nostratium *Tîfi* sæpe dicebatur pro *Týr* Deus qvod infra monstrabimus ****).

*) Görres Persarum *Tir* accipit pro planetâ Mercurio (*Asiat. Myth. Gesch.* I, 226, cfr. 230); ille tamen (Pehlevica lingvâ) Rhodeo audit Jupiter planeta; *Heilige Sage des Zendvolks* pag. 255 & sq.).

**) E Dabistani testimonio; vid. Görres l. c. I, 290. Cfr. *Eddalæren* o. *d. O.* I, 213. Audiit Mars planeta Asfyriis Thuras vel Thurus (e Græcorum scribendi modo Θυρας, Θύρρας, Θυρος. Hinc Kanne deduxit Martis agnomen Θυριος (θυρος; *Allgem. Mythologie* pag. 531). *Thuram* vel Thurram Svidas dixit Babyloniis olim imperasse, at posterius pro Marte Deo cultum fuisse. Fastis Siculis (sive Chronico Alexandrino) idem dicitur Thurras (Zamæ ac Rheæ filius) bellator fortissimus, ac a Marte planeta nomen suum acqvisiisse et divino cultui honoratum fuisse. Vid. Voss. de orig. idololatr. Lib. I. Cap. 16, 24. An Zames ille (vel Sames, ut alii scribunt) cognatus sit cum Buddhæ vetustissimo nomine *Sama* vel *Shama*, alii dijudicent

***) *Grotefend: die Deutschen Zahlwörter; (Schriften des Frankfurter gelehrten Vereins für die deutsche Sprache* II, 268).

****) Dicuntur incolæ parochiæ Edsbergensis in Norvegia diei Martis superstitiosam aliqvam sanctitatem adtribuere, qvod pro ethnicismi reliqviis sumit *Wilse: Norsk topographisk Journal* XVII, 8. Putant multi plebeji (et Dani et Norvegi) hunc diem nuptiis faustum esse, ut Trautvetterus observavit *hastam* (Tyris symbolum) marito a nova nupta donatam fuisse. Cfr. Edda jun. l. c. pag. 223. Superstitionem Danicam in huncce Diem Pontoppidanus adscripsit ethnico Tyris vel Disarum cultui; *everricul. ferm. vet.* (1736) pag. 18.

Principes Norvegici (& plures boreales) olim a poëtis appellati fuerunt Tyris cognati *(Týs-áttúngr)* e. gr. (circa medium sec. 10^ml) Sigurdus Hladensium comes *(Hladajarl)* ab Eyvindo Skaldaspillero*). Hi principes se ex Odino (per Semingum ejus filium) & Skadea (giganteo genere ortâ) prognatos esse jactabant. Cfr. *Ódinn, Skadi, Þiasi.* Multas heroum ac belli denominationes vetustatis præterea poëtæ de Tyre derivarunt. Præter dictiones supra ex juniore Eddâ allatas, qvæ insignem Tyris fortitudinem & sapientiam memorant, plures huc pertinentes ad hodiernum usqve ævum in sermone Islandico sunt conservatæ: e. gr. *Týreygdr* Tyris oculos vel iis similes i. e. splendentes habens, (de homine dictum); Týratre (*Týrtre*) ultimum refugium viri fortis (re alias desperata) tabula naufragii; cfr. *Týra* lux obscurior, tenera facula (qvod forte vocabulum ad Luni vel Martis planetæ lumen alludere potuit) & pl.

Præterea plures herbæ in septentrionalibus hisce terris Tyris nomen adhuc retinent e. gr. α) in Islandia *Týsfióla, Týssfióla, Tírsfjola* (Tyris viola) qvæ memorandâ sane convenientiâ latine dicitur viola Martis purpurea **) (Dan. *Thormaaneds Fiol;* jam *vild Marts-Fiol*) cui multæ attribuuntur medicæ virtutes in morborum sanationem et cordis ac capitis corroboramentum. Inter alia liqvor ejus visum acuere (vel oculos serenare) fertur; cfr. vocem *Týreygdr*, nuper explanatam. Alioqvin planta hæcce dicitur *Hunda-Fjóla* (viola canina; Norveg. *Hundefiol* ***), German. *Hunds-Viol*) an autem hæc denominatio aliqvem nexum habeat cum relatione eddica de Tyris ac canis (Garmi) certamine, jam est in medio linqvendum. — β) *Tyrihjalm* (Tyris galea) ac alibi *Thoralm (Thorhjalm* s. Thori galea) et *Thorhat* (Thori pileus) ****) vocatur in Norvegia *aconitum lycoctonum* qvod propter galeatam floris formam varias similes apud varias gentes accepit denominationes e. gr. in Dania & Svecia *Stormhat*, Germania *Eisenhütlein* & plura talia. In Norvegia ex hac plantâ ungventum plagas & vulnera sanans componitur, unde satis probabiliter Diis illis (qvorum gratiâ talis sanatio effici olim credebatur) adscribi potuit. Est autem alias indolis venenosæ

*) *Saga af Haraldi Gráfeld* &c. Cap. 6. *Hkr.* l. c. I, 174.

**) Gallice: *Violette de Mars*, qvæ certâ occasione, ante paucos annos, â Gallis multis pro signo ac omine vere Martio (bellico aut victorioso) habebatur, qvamvis brevi spes illusa bellicis eventis falleretur.

***) Vid. *Simon Pauli Danske Urtebog* p. 88. No. 76. *Bomares Ordbog ved Aphelen* II, 64 (artic. *Druemunk*). *Viborg systematiske Plantenavne* pag. 241. *Topographisk Journal for Norge* 1804 XXXI, 155. p. p.

****) At qvoqve suis locis (forte propter gentilium Deorum contemtum ita immutatum) *Troldhat, Troldkæringhat.* Sic alias Danis jam dicitur *Munkehætte* (monachi cucullus) vel *Narrekappe* (histrionis pileus).

(qvapropter a Romanis barbari suas sagittas ejus succo illinisse feruntur) at præcipue tam a Græcis ac Latinis (ut epitheton illud monstrat) qvam a gentibus borealibus lupis nocere putabatur, unde etiam hæ herbæ appellationes: Dan. *Ulvebane, Ulvedöd, Ulveurt*, Angl. *Wolfbane, Libbardsbane, Wolfwort*, Germ. *Wolfskraut* &c. Hâc certe in mentem revocatur Tyr Deus ut lupi (Fenreris) hostis & victor. Si illa planta eadem est ac ista, qvæ alias a Germanis vocatur *Helmkraut* (herba galeata) & Anglis *Scullcap* (capitium) qvod mihi non penitus liqvet, memorari sane mereret, qvod in America septentrionali ipsius vis medica in hydrophobiam (vel caninam rabiem) nuper sit detecta. Hæc etiam potuit atavis nostris nota fuisse ac planta igitur canis rabiosi (Garmi) divino hosti sacrata fuisse. Aconiti species, qvæ salutifera dicitur, a rusticis Alpibus vicinis ad canum rabidorum morsum sanandum usitatur. γ) *Tyrved, Tyved, Tived, Tysved, Tysbast* o: Tyris Dei frutex vel vinculum dicitur vulgo in Norvegia *Daphne mezereum*, ac propter acres suas et fervidas qvalitates externis corporis humani partibus ad rheumatismum & arthritin fugandam adhibetur*). Tales morbi olim adscribebantur malis dæmonibus, qvi Deorum tantum benigno auxilio expelli posse credebantur.

Multa insuper locorum nomina propria Tyris priscum cultum testari videntur, ut hæc Danica: *Tiis Söe* (lacus Tyris) amoenissimo situ in Sælandia gaudens, è cujus tamen viciniâ mali dæmones campanarum sonitu emigrare cogebantur; — *Tiis vilde, Tis-velde* (Tyris fons) in eadem insula ad pagum dicti nominis situs, propter vetustissimam sanctitatem ac aqvæ suæ vires miraculosas, a plebejis (in primis S. Johannis sive mediæ æstatis vesperâ) freqventatus, ut morbis ita liberentur. Jam dicitur Sancta qvædam Helena in loci coemiterio sepulta esse, at ea certe ethnici numinis loco â clericis christianis est substituta. *Tybjerg, Tibjerg* (mons Tyris) oppidum Sælandiæ, templum habet christianum, qvod (olim) nuper exstructum lamia qvædam ingentis saxi ictu frustra perdere tentavit**). Ejusdem originis verisimiliter sunt seqventia nomina: oppidi Jutici *Tystathe* (1231) o: *Tystadir* (Tyris habitacula) hodie *Tisted* ***); pagi *Tysthing* vel *Tyrsting* (Tyris forum) in eadem Cimbrica chersoneso p. p. Ejusdem originis sunt hæc danica oppidorum aut villarum nomina: *Tirsbek* (Tyris se-

*) *Möller om Norske Huusraad (N. topogr. Journal* II, 114).
**) *Thiele Danske Folkesagn* I, 29, 42 & sq. 169. II, 20.
***) *Langebeck Script. rer. Dan.* VII, 519. Fuit oppidum hocce natalis locus geographi doctissimi, nuper Parisiis defuncti, Malte Conradi Brun.

des vel rivus) *Tirsted* (Tyris locus) *Tybring* (Tyris collis) *Tiislunde* (T. Lacus) *Tyrsting* (Týris forum) p. p.

In Svecia similiter reperiuntur oppida *Tistad, Tirstad, Tisby* & *Tirup* (*Tirs Thorp*), lacus *Ti-siö* & *Tis Sjö*, sylva *Tyved*, p. p.

Qvod *Týr* noster a Germanis olim cultus fuerit, elucere videtur â die tertio hebdomadis ei similiter apud illos sacrato. Nomen illud genitivo casu apud nostrates dicitur *Týs* vel *Tis*, ut idem fiat cum Ger- *Týs Tis*. Cum eo forte conferri meret Taciti *Tuisco* *) — (*Tuis-cot*? o: Tys Deus) — at hic iterum idem videtur esse ac Gallorum *Dis*, qvorum uterqve pro suæ gentis patre sumtus fuit. Immortalis Suhmius ac plures **) nostri Tyris cultum in septentrione antiqviorem esse putarunt ipsius Odini, (qvi certe appellatur *Gauta-Týr, Vera-Týr, Farma-Týr, Hropta-Týr, Sig-Týr* &c). — Illa conjunctura igitur non multum a vero aberrare videtur. Huc forte id est referendum qvod Tyr è matre gigantea (vel giganti nupta) natus perhibeatur et gigantum cognatus specialiter appelletur. An illud Gallorum & Ponti qvoqve accolarum Dis originitus convenerit Etruscorum & Thracum *Tis*, Græcorum *Ἀις, Ἀευς* (pro *Ζευς*) alii dijudicent. Cfr. Gloss T. I. voce *Diar*.

Id pro certiore verisimiliter est habendum qvod Venedi vel Sclavi Tyrem (vel Tirem, ТІR) ut Deum adoraverint; at singulari modo cum Vodha unitus repræsentabatur, ambobus illis nominibus insignitus ***).

Finni, Scandinavis ex alia parte vicini, belli Deum ac victoriæ datorem appellaverunt *Turri, Turris, Turisas* vel *Turris-as*, qvem nostro Tyri cognatum Suhmius et plures putaverunt. Hunc præsertim Tavasti olim coluere. Is Carelis dicitur habitare in monte dicto *Tyrian Wuorri* (vel *Tyrian Ijia*) ac bella ingruentia terribili tubæ sono prædicere fertur. — Lappones gentiles Deum aliqvem, *Tiur* vel *Tiuur* nominatum, insuper adoravisse dicuntur ****).

Turras ab Asyriis pro Marte Deo et *Tir* a Persis antiqvis (eorum more)

*) Sic editio critica Pasſovii & Bredovii 1817 — Germaniæ Cap. 2. pag. 3. Habent aliæ lectionem *Tuisto (Tuist)* qvæ aliter certe explicanda videtur.

**) *Om Odin og den hedenske Gudelære* pag. 188-189. *Bastholm Hist. philos. Undersög.* pag. 566.

***) Vid. *Masch Gottesdienstl. Alterth. der Obotriten* pag. 88. Cfr. doctiss. Büschingii *Wöchentliche Nachrichten* &c. 1819 IV, 132. Ibidem qvædam idola, in Germania inventa enumerantur, qvæ Tyrem repræsentasse creduntur; annotatur qvoqve ibidem figura hominis unimani, in aureo altero Tunderiense cornu, qvæ non improbabiliter ad Tyris fabulam allusisse videtur.

****) *Schefferi Lapponia, Francof.* 1683, 4. pag. 58, 177. *Rüks Finnland* 1809 pag. 305. *Ganander Mythol. Fennica; Petersen Finn. Mytholog.* 1821, pag. 62. *Gabrielis Arctopolitani Diss. de orig. ac rellig. Finnorum* 1728. 4. p. 36, 38.

pro Genio divino (vel Deo subordinato) uti antea monuimus, culti sunt. Planetæ eos præfuisse, hic similiter est notatum. Multa Persici cultus in Armenicum irrepsisse, ac totam illam relligionem suo tempore in Armenia receptam fuisse, alioqvin est notissimum. Sic forte *Tir* ille idem est ac Armenorum *Tiran* vel *Tiranes*, qvi Mosi Chorenensi dicitur *): "Rubicundus ille Tiranes, vultu rubro, oculis mellitis; de qvo veteres nostri ad cymbala canebant" et qvi ab eo posterius vocatur: "Cæli & Telluris filius, flammis natus" ac ut "draconum victor" celebratur p. p. Martis stellam ut rubicundo ac flammeo splendore insignem alii observaverunt.

Nomen *Týr (Tir)* in compositis supra allatis & pluribus (utThori agnomine *Reidar-týr*, rhedæ Deus) Deum indubie significat. In plurali habere videtur *Diar***) (pro *Tiar*, *Týar*) vel aliud simul usitatum *Tífar* (interdum tamen â singulari *Tíſi* formatum, unde etiam AS. *Tiv*, *Tive*). Hinc, in nostra lingvâ *Dýs*, *Dís*, (Dea, Diva) ut fæmininum substantivi illius verisimiliter est derivandum. De cognatis aliorum populorum *Dis*, *Δις*, *Δευς* (unde latinorum Deus) nuper egimus. Huc qvoqve forte referendum Gr. *Θεος*, Cretensibus *Θιος*, Aeol. *Ζιος* (*Ζευς*) &c. Nostro *Tíſi* (*Díar*) præterea respondent Gael. *Dia* & alia cognata priscæ Britanniæ idomatum, Lettica & Lithuanica *Dews*, *Dees*, *Diewas*. Huc porro referendum Sanscr. *Devas*, *Devah*, Deus (fæm. *Devih*) & verisimiliter etiam Pers. *Dev*, *Deva*, *Div*, qvod tamen post Zoroastri reformationem, loco Deorum prius cultorum, ad malos dæmones est translatum ***). Addas Mexican. *Teu*, *Teo* et permulta alia. Cfr. tandem Sinensium *Tien* cælum, numen (Sanscr. *Dyó*, Lat. *Dium*) it. *Ti* imperator & pl.

Malunt alii Tyris nostri nomen referre ad vocabulum *Týr*, qvod interdum taurum significare dicitur ****). Sic certe responderet Dan. *Tyr*, *(Tjur)*, Svec. *Tiur*, German. *Stier*, Angl. *Steer*, Gael. *Tarbh*, Gr. ταυρος, (alioqvin Island. *þiór*, *Tarfr*). Opinantur igitur Dei illius symbolum taurum fuisse, pro sancto idolo habitum; huc referunt taurum æneum Cimbrorum *****), varias similes at minores imagines recentiore tempore in Dania inventas, taurorum figuras in bracteis aureis, qvæ in nostro septentrione cusæ fuisse creduntur p. p. Hinc

*) *Historia Armeniaca, Londini* 1736. 4. pag. 62, 75 (I, 23, 30).

**) Nostro *Díar* manifeste respondent Lat. Dii. Cfr. Gr. *Διος*, *Δια* (a *Δις*) &c.

***) Sic scimus vocem God ethnicis Scandinavis *numen* significasse, qvamvis jam eadem pro idolo tantum vel falso numine accipiatur.

****) Ita latine redditur vox *Týr* in lexico doctiss. Biornonis Haldorsonii; non tamen recordor mihi hanc vocem eo sensu in antiqvis monumentis occurrisse.

*****) Per hunc æneum taurum Cimbri juramenta præstitisse dicuntur, at ille posterius a Romanis in bello captus fuisse refertur.

qvoqve Tyrem putant variis modis sub taurina forma esse repræsentatum ut e. gr. bovis, caput humanum gestantis (in cornu aureo Tunderiense); viri cornubus taurinis insignis, (ut parva ænea imago, reperta in tumulo qvodam sepulchrali) &c. Hæc omnia in medio linqvimus, cum ethnicæ illæ superstitiones partim oriri potuerint â cultu vaccæ primariæ, Audumblæ, qvæ pro mundi nutrice habebatur; (vid. *Ginnúngagap*, *Ýmir*) *). Nihilominus id pro certo habemus qvod vivi tauri, ut Diis sacri, a gentilibus Scandinavis in magna veneratione fuerint habiti ac miracula efficere crediti **). Incertum igitur est an ad Tyrem Deum, aut bovem qvendam mythicum vel Diis sacratum, alludent permultæ consonæ inter rusticam Daniæ plebam traditiones de tauro qvodam, qvi olim cum immanissimo dracone acerrimum egit certamen & in templorum ac populi deliberationem ê gravissimis periculis victor tandem evasit ***). Sic ultimo mundi exitio Tyr, Thor & Odinus cum Dracone & ferinis monstris fortissime, at tum infelici successu, pugnaturi esse in Eddis ambabus prædicuntur.

Lunæ variis modis tauros & vaccas, ut cornigera animalia, a plurimis populis addicta fuisse, nemo dubitabit. Tyrem autem originitus pro Luno (vel præcipue cornuta utraqve lunæ phasi) allegorice sumtum fuisse suspicamur. Sic Lunus dicitur Coeli (Odini) filius, at tamen materno genere a tenebrarum dæmonibus (gigantibus nimirum) prognatus esse ****).

*) Cfr. *Eddalæren* o. *d. O.* I, 283-307. Observatur ibi ænea tauri imago in sepulchro Childerici, Francorum Regis, inventa fuisse, uti alia in ethnico tumulo apud Othiniam Danorum p. p. — *An-tyr* (Herulorum & Vandalorum Rex) caput taurinum vexillo suo addidisse fertur. Hinc posterius Meklenburgiæ & Pomeraniæ insignia. Vid. doctiss. Büschingii disert. de imagin. Dei Tyr W. N. l. c. IV, 148.

**) Hinc voces adhuc Islandis in usu *Blótnaut*, *Blótneyti* o: taurus idolis consecratus ac eo modo fascinatus.

***) Vid. *Thiele Danske Folkesagn* I, 8, 38, 36, 164. III, 12, 83. Videntur hæ fabulæ ortæ esse a mythis ethnicis, relatis ad prisca delubra, qvæ posterius in templa christiana sunt conversa. Sic taurus Lyngbyensis (qvi in coemeterio sepultus esse dicitur) veneno victi draconis periisse refertur (ut Thor e Midgardensis angvis veneno, at Tyr Garmi rabiosi morsu exstincti feruntur &c.).

****) Sic triplici sensu Tyr appellari potuit *Úlfs fóstri* nimirum a) alumnus; cum lupus abyssi tenebras denotet, Lunus in illis gigni ac nutriri dicitur. b) Nutritor, cum Fenreri olim nutrimentum adferre solitus fuerit c) Nutritor vel nutrimentum, qvum Fenrer, Tyris manum demordens, ea qvasi nutriatur. Lupus alioqvin Lunam tandem devorabit, ut eddicæ nos prophetiæ docent: Huc verisimiliter pertinet Fiunorum proverbium: *Luna devoratur, Luna nascitur.* Monstrum enim *Rackhis* dictum (Vexionio referente) nocti (tenebris) præesse et lunam arrodere putabatur. Sic Indorum *Rahu*, monstrum "tenebris chaoticis simillimum" inde *Tamas* i. e. obscurum dictum, solem ac Lunam perseqvitur ac devorare conatur. Cfr. *Hati*, *Fenrir* s. (ubi solem qvoqve Fenreris nutrimentum dici observavimus *Hr. G.* 23, nisi Lunus sive Tyr præferri deberet). Cum Finnico illo proverbio conferri merent variæ latinæ phrases ut: luna

Potest autem ejus mater, auro undiqve decora, auroram borealem, e mari glaciali emergentem, ac lunæ non absimilem, poetæ denotare. Manu altera vel toto latere carere Lunus dicitur, cum lupus tenebrosus abyssi, eum perseqvens, qvovis mense tali damno eum affecisse videatur. Tyr vel Lunus solus (astralium numinum) profundissimum petit abyssum, ita ut septem fere dierum spatio cælum non reviset, qvum Sol & reliqvi visibiles Dii qvotidie ibi cernantur. At Luno, iterum hominibus apparenti, victoria ex inferni monstris reportata probatur. Sic fortissimus ille Deus a multis ut cædium vel belli numen honorabatur — ac idcirco Germani & aliæ gentes â nova lunâ in cælo visa faustum ceperunt præliandi omen. Omnes præterea lucis Dii sapientes dicti sunt, & sic igitur Tyr (vel Lunus) noster eam acqvisiit divini ingenii dotem. Cum Lunus Oceani æstum, (fluxum vel refluxum) semper efficere sit creditus, Tyr ad Aegeri lebetem occupandum Thoro gratissimum præstitit consilium & auxilium. At gliscente tempore alia qvoqve Septentrioni colebantur lunaria numina et plurium nomina (ut Tyr & Freya) planetis adtribuebantur. Sic qvoqve inter Græcos & Romanos planetis addebantur nomina Deorum, qvi longe alias gesserant functiones, ut Jupiter, Mars, Venus & pl. Laudatus Trautvetterus, qvi Tyrem recte pro Marte sumit, sagacissime (l. c.) observavit hujus planetæ domicilium esse in signo scorpii, ubi *lupi* constellatio similiter reperitur; hic igitur (ut vir doctissimus conjecit) ille lupus qvi Tyris manum demordisse perhibetur. At eadem observatio ab altero latere nostro borealis mythologiæ zodiacali ac calendari systemati optime simul convenit, cum Vidar Deus, summus lupi victor, ex ejus tenore scorpii signo fuerit dominatus. Cfr. *Fenrir* s. *Vidar* i.

Nos ultimo loco monemus tertiam significationem vocis *Týr* vel *Tír* (gloria, honos) consone (*Tir*) in Anglosaxonico sermone expressam inveniri*); ea forte originitus *splendor* audiit, qvi Diis (& *dio* Romanorum) semper fuit proprius. Sic aliud inter nostrates honoris vocabulum *Heidr, Heidur* (Dan. *Hæder*, Svec. *Heder*) adhuc est consonum adjectivo *heidur, heidr* (German. *heiter*) serenus, clarus, cui iterum cognatum *Heid* æther, Aleman. *Heidere* dium, cælum serenum, Gr. *αἰθρα, ἐνδια* &c. Cfr. *Heidrún, Hænir* s. it. Gl. T. II. v. *Heidr.*

Tötrig-hypia, Tötrughypja (laceri-panna) ut giganteæ (aut ex homine magice transformatæ) mulieris vel lamiæ epitheton occurrit H. II, 39. Invenitur autem inter ancillarum primitivarum allegorica nomi-

gignitur & deletur; luna adolescit & senescit; crescit & decrescit; laborat vel deficit aut vincit &c,

*) Cfr. Sanscr. *tiru* divinus, sanctus, cui sono & significantia convenit Isl. *dýr, dir* adj.

na *R. M.* 13. De etymologia vocabuli vid. Gl. T. II. ad v. *Tavtrvg* & *Hypia*.

Cfr. suo loco Onomasticon carminis Rigiani.

U.

*Úd*r (*Úþr Úður*); o: udus, agnomen Odini *Gr. M.* 45; cfr. notisſimum Isl. *Úði* udor, *úðaz* pluere & pl. Deduxerunt alii nomen illud ab *Úð* ingenium, vocabulo ipsi principali Odini nomini cognato. Cfr. *Ódinn* s. & Gl. T. I.

Úlfr vid. *Fenrir, Fenris-úlfr*.

Úlfrún mater Heimdalli *Hr. G.* 26. vel una e novem *Hyndl.* L. 34. Vid. *Heimdallr* s.

Ullr, Illur, primus inter Asas eos, qvæ duodecim posſident cælestia domicilia, in Ydalis qvidem habitans *Gr. M.* 5. Odinus, Grimneri nomine se appellans ac in Geirrodi Regis æde inter ignes duos locatus, viros præsentes ad flammas removendas provocat, promittens ei favorem Ulleri*) ac omnium reliqvorum Deorum, qvi ignem primus ita tetigerit. Gr. M. 41. Balderus vocatur Ulleri gratisſimus vel svavisſimus cognatus *Vegt. Qv.* 3. Memoratur ejus annulus (vel circulus) sacer, ad qvem Rex Atlius juramenta præstiterat AQ. 31.

Ullerum Edda Snorroniana ita memorat: (l. c. pag 31): "Unus (Asarum) vocatur Ullur, filius Sifæ, privignus Thori. Is tantus est sagittarius ac cursoriis asseribus (vel xylosoleis Hyperboreorum) ita uti callens, ut nemini cum illo contendere sit integrum. Is aspectu lucidus est et militari qvâqve præstantiâ insignis. Eum in duello [vel duellantibus] invocare prodest." Dicitur (inter Asas duodecim judices) adfuisſe convivio Asgardensi, Aegero parato (pag. 79). Appellatur porro in denominationibus poëticis (pag. 105) — præter patronymica illa — Asa (sive Deus) utens xylosoleis vel arcu (*avndr-ás., boga-ás*) venationes exercens vel dirigens (*veiþi-ás*) ac scutum gerens aut tractans (*skjaldar-ás*). Huc tandem spectat clypei appellatio: navigium Ulleri, in Skalda pag. 160, 161. (*Ullar skip; U. askr*) — ut in Eyvindi Skaldaspilleri cantilenâ illius carina vel navis (*Ullar kiavlr*; *Hkr.* I, 166, VI, 35).

Mythicas qvasdam de Ullero veterum borealium fabulas ad manum habuit Saxo Grammaticus, cum historicas ex illis finxerit relationes qvas supra (in artic. *Ódinn*) lectoribus communicavimus.

*) Fuit Ullerus hyemis inter Asas principale numen, ut infra monstrabimus; ob eam causam ipse, ut frigoris director, eos, qvi ignem tangunt, præ aliis juvare posſe credebatur. Si fabula Grimneriana (e nostra sententia) ad solis conversionem in hiberno solstitio ac hyemalis tyranni obitum revera alludat, ultimus dies ejus mensis, cui Ullerus proprie præfuit, a vate nostro hic decantatur.

In calendari nostro borealis mythologiæ systemate Ullerus præest primo hyemis mensi et simul qvoqve hyemali tempori, vel hiberno anni semestri, at originitus forti nivi vel ningori. Ejus cæleste domicilium *Ydalir* (humoris aut venationis valles verbotenus appellatum, ut infra suo loco monstrabimus) respondet zodiacali sagittarii signo ac mensi, circa diem Novembris vigesimum primum incipienti. Dicitur Ullerus esse filius Sifæ (Telluris, qvæ vapores parit & nutrit) sed privignus Thori (hujus mariti, qvi hyemem tamen non fovet, qvum fulgura hoc tempore retinere soleat). Est aspectu lucidus (vel candidus, albus) qvod nivis naturæ optime convenit; est qvoqve militari qvaqve præstantiâ (qvoad corporis structuram ac armaturam)*) insignis — pro bellicosa hyemis indole. Sunt autem præcipua ejus arma crebræ sagittæ (nivis ac grandinis, qvas Homerus ipse Jovi, ut aëris cælesti Deo attribuit); hinc inter præstantissimos sagittarios Ullerus habebatur, ac *κατ ἐξοχην* arcitenens (vel arcus aut arcuum Deus) fuit salutatus. Prima hyeme in borea nostro incidit anni tempus venationi præ cæteris commodissimum; hinc Ullerus venatorum & venationum masculum numen evasit. Xylosoleæ (sive cursorii asseres), celerrima peditum itinera efficientes, nivibus tantummodo utiles reddi qveunt ac ob eam causam unice in hyperboreis terris in usu sunt; — hæ igitur hyemis juveni Deo aptissime adtribuebantur, cum agnomine peculari eo spectante. Illis instrumentis adnumerari qveunt soleæ fereæ (vel calcei lignei ferro muniti) glaciei percurrendæ adaptatæ, vulgo *Skautar* (Dan. *Sköiter*) dictæ; hæ primum (ut partim hodie in Islandia ac alibi) ossa tantummodo eqvorum vel bovum fuerunt. Sic hicce Saxonis mythus (in libro 3^tio^) optime illustratur (cum Olleri ac Odini disfidias pro Hyemis ac Aestatis vel æstivi Aëris perpetuo bello accipimus)**): "Fama est illum adeo præstigiarum usu calluisse, ut ad trajicienda maria osse, qvod diris carminibus obsignavisset, navigii loco uteretur, nec eo segnius, qvam remigio, præjecta aqvarum obstacula superaret" ***).

Primo aspectu cæteri mythi de Ullero agentes explicatu difficiliores apparent.

*) Armatura hyemalis genii in borealibus terræ regionibus poëtice vel chalybea, vel chrystallina ac adamantina fere describi posset.

**) Easdem de Mitothini fabulâ (a nobis supra e Saxone transscriptâ) opiniones fovemus. — Ut hyems a Diis, sic etiam ejus effigies ab hominibus, in ludis aut festis primi veris, occidi solebat. At nihilominus versum tempus luem morbosam hominibus adtulit. — Hinc palus ille vel acutus stipes, qvo pectus Mitothini transfigebant ad cladem avertendam. Est autem celeberrimus majalis palus (Dan. *Majstang* &c.) — at tales ritus ad nostra usqve tempora â vulgo borealium regnorum superstitiose sunt servati, ne morbi hominibus vel pecori aut robigo segeti noceret.

***) Cfr. *P. E. Müller Critisk Undersögelse af Danmarks og Norges Sagnhistorie* pag. 39.

Adtinent autem maxime ad ejus ut nivalis aut grandinosi dæmonis naturam. Nix ubera clypeos petit bellatorum, qvi illis contra ejus impetum se defendunt at scutum, istâ repletum vel tectum, Ulleri (nivalis genii) navigium (vehiculum) aut carina nuncupatur. Armati sæpe veteres Scandinavi proficiscebantur, ingentis scuti contra nivosæ procellæ vehementiam, et gradientes et reqviescentes, tutelam experti. Tandem Ullerus, pugnax Deus scuti (milites optime juvantis), emittens vel dirigens nivales turbines (qvi duellantibus fortisfime prosunt vel nocent) ad duella feliciter gerenda invocabatur.

Prisci Boreales (ut Norvegi et Islandi hodiedum) annum in duo semestria, hyemem nempe et æstatem, divisere. Ullerus primum hyemis mensem, ac simul igitur certo modo totam hyemem, gubernare dicebatur, cum qvinqve reliqvi ejus temporis menses ordine stato eum seqverentur. Idem de Baldero, æstatis respectu, est dicendum. — Sic optime illustratur eddica illa phrasis, qvæ Balderum Ulleri jucundum cognatum vel fratrem appellat.

Nix sæpe a poëtis et aliis cum lunâ fuit comparata. Sic e. gr. cecinit regius Hebræorum vates (Psalm. 147, 16): "Edit Deus nivem sicut lanam." Varia diversorum idiomatum verba et glosfæ eidem favent comparatione, ut Germanica lingva de nivis & lanæ floccis (*Schneeflocken* &c.) indistincte loqvitur. — Hinc non mirum si nivis Deus *(Ullr)* a lanâ *(Ull)* proprium suum nomen traxerit. Contra nocivam frigoris efficaciam (qvam Ullerus moderare ac temperare credebatur) lana porro tali vestitu hominibus præstantisfimum indulget remedium. Hanc ejus qvalitatem superstitio gentilis ad hyemalis dei nomen arcane respicere putavit, ut Lappones Norvegici hodiedum lanæ floccum vel paullo majorem qvantitatem ut amuletum contra hyemis sævitiem servare vel portare solent *). Chirotheca lanea hyemis qvoqve apud nostrates notisfimum fuit symbolum.

Multa Daniæ, Sveciæ & Norvegia loca nomina habent, qvæ originitus Ulleri cultu vel memoriæ debentur ut *Ullerslöv*, *Ullersager*, *Ullersvang*, *Ullerup* & pl.

Divini hujus borealium Sagittarii domicilium ac mensis memorabiliter conveniunt coelesti apud exteros Sagittarii signo, qvod etiam Romani ac Græci Dianæ, venatorum arcitenenti Deæ, sacrarunt. Trautvetterus in astronomica borealium mythorum explicatione Ullerum nostrum reperit in Antinoo, Sagittarii constellatione.

*) *Leem Finmarkens Beskrivelse* pag. 500. Habuerunt Lappones Norvegici sacros montes ac Deorum cultui dedicatos, nominatos *Balda-Zhiok* et *Ullo Vaerre* (l. c. pag. 434). Numne priscus Balderi & Ulleri cultus his nominibus originitus fuerit indicatus? Vox *Ull* (lana) a qvo Ulleri nomen verisimiliter est deducendum, audit Lapponibus Norvegicis *Ullo*, ut Danis *Uld*, Svec. *Ull*, A. S. *Vull*, Angl. *Wool*, Germ. *Wolle*, Scoto-Gael. *Olann* (unde *ollach*, *olladh* (laneus) Finn. & Litt. *Willa*; — cfr. Lat. vellus, villus, Hebr. *Olan* & pl.

Conjecit qvoqve ingeniosisſimus noster Sorterup *)] qvod mensis ille apud gentiles Scandinavos venatorio alicui numini sacratus fuisſet. Hicce mensis in antiqvis Islandorum manuscriptis varia habet nomina; inter alia *Ýlir* (ululans, tempestatum hibernarum more) — qvod Ulleri (forte cum ipso gentilismo abolito) nomini sono convenire videtur — et *Frosti* o: Gelator **); — in Svecia vocatur *Vinter-Månad* o: mensis hyemem adferens vel incipiens. Hæc denominatio inter veras ethnici calendarii reliqvias est numeranda, qvæ tamen alibi apparent in calendariis medii ævi Scandinavorum ac præterea in traditionibus vulgi Danici, qvi hyemem cum illo mense incipere faciunt, ut inferius suo loco monstrare conabimur.

Frigoris gigantei dæmones (*Hrim-þursar* &c. dicti), sub variis ejusdem generis principibus, contra divinum Asarum imperium rebelles hyemali tempore, sibi revera proprio, humanum genus maxime infestare solebant. Tum Thorus ex Asgardia & ipsa qvoqve Midgardia absens dæmones lupinos orientalis plagæ (*Tröll* &c). qvi solem, mundi spem & solatium, perdere vel retinere conabantur, vehementer perseqvi credebatur. At nihilominus alii Dii, certis hibernis mensibus præfecti, regnum naturæ terrestre & homines ipsos ab hostili gigantum invasione feliciter servabant. Horum Ullerus primus fuit ac eatenus principalis. Cfr. *Ýdalir* i.

Uni (adqviescens, lætus vel jucundus) genius (ut videtur) erotico-allegoricæ naturæ. *Fiölsv. M.* 35. Fuit alioqvin nomen propr. viri, jam tamen obsoletum, at fæminum inde tractum, *Una*, adhuc in Islandia usitatur. Circa etymum nominis vid. Gloss. T. I. & II. sub vv. *Unad (Unat)*, *Uni (Una)* & pl.

Upregin, Uppreginn, superæ potestates (summa cælestia numina) *Alv. M.* 10. Videntur hi Dii ab Asis fuisſe diversi, ut Surtus & ejus lucidi Alfi ac flammei (Muspelli) genii. Vid. *Gin-regin*. De vocabuli radicibus vid. *Regin* s. & de voce *Up*, *Upp* Glosſarium T. II.

Uppheimr (superus mundus aut domicilium vel habitaculum) coeli nomen in gigantum sermone *Alv. M.* 12. De etymis vid. Gl. T. II. v. *Up*, *Upp* & T. I. & II. v. *Heimr*.

Upphimin, supernum coelum, *VSpá* 4. OG. 15. Vid. Gl. T. II.

Urdar-brunnr, *Usær* vid. *Urdur*.

Urdarmagn; vid. Gloss. T. II. cfr. *Urdur* i.

Urdarlokur vid. *Urdur*.

Urdur (Vrþr) prima & principalis trium magnarum Nornarum vel Parcarum, e cælesti lacu aut mari ***) (vel palatio), ad

*) In Prodromo Calendarii arctoæ gentis ethnici & antiqvisſimi; manuscripto (anno 1722), adhuc inedito.

**) Hoc nomen simul mythicum est, ut Dvergo aut Alfo elementario adtributum. Vid. *Frosti* s. Posterius mensis illius nomen magis prosaice scriptum invenitur *Frer-mánudr* o: gelascens mensis.

***) In eundem modum Urania Hesiodo audit Oceani filia, at Parcæ aliis ejusdem natæ.

Ygdrasillum sito, exeuntium *VSpá* 18. (Cfr. *Nornir* s.). Erat (in fatis) constitutum, qvod Urda Odrærerem (sapientiæ urnam aut lebetem) custodiret, potens inde plurimam (omnem) multitudinem arcere (ne futura eventa Diis innotescerent) *Hr. G.* 2. (Cfr. *Ódrærir* s.). Urdæ edicto (sententiæ vel legi) nemo viventium obrogat, etsi leviter sit irrogatum *Fiölsv. M.* 48. Urdæ tutelaria claustra (fati undiqve defendentes potestates) G. G. 7. (vid. Gloss. T. II. v. *Urdar-lokur*) *). *Urdar-magn* forte explicandum Urdæ vis vel potestas, magicæ vel sacrificiali potioni admixta G. II. 21; videas tamen hunc articulum in Gl. T. II; cfr. aliud compositum vocabulum *jardar-magn*, vis Telluris, de qvo, ita translato, nos aliqva supra articulo *Jörd* (Tellus) inseruimus. Vocantur Nornæ (vel Parcæ) collective (plurali numero) *Urdir* (Urdæ) S. III. 6.

Cæleste Urdæ mare, lacus sive fons (dictum *Urdar-sær* & — *mar*, at sæpissime *Urdarbrunnur*) memoratur præcipue *VSpá* 18. *Vafþr. M.* 48. Posteriorem locum interpretes prave intellexerunt, cum ê nostra opinione ita sit vertendus: Qværit Gangradus (Odinus):

Qvænam sunt virgines
Qvæ super more (oceanum)
Providæ volando transeunt?

Respondet autem Vafthrudner:

Tres virgines, humanum genus conservantes
Demittuntur e supernis
Super habitacula gentium;
Solæ nimirum Fortunæ
Eorum qvi in mundo sunt,
Qvamvis illæ inter gigantes sint natæ (vel enutritæ) **).

Nominatur porro Urdæ fons *Hávi M.* 112 obs. 76. (Vers. Dan. III. 160). Qvæ de Urda et ejus fonte Edda junior retulit, lectori communicavimus in articulo *Nornir* s.; cfr. *Saga* s. *Ygdrasill* i.

Nomen *Urdur* vulgo deducitur a verbo *verda* (unde *ordinn* factus) Dan. *vorde (vorden)*, Dano-Jutice *vur*, *vuur*, Svec. *värda (vorden)*, Germ. *werden*, Belg. *worden*, Scot. *worde*. Hinc qvoqve *Urdur* fatum (apud veteres poëtas interdum pro masculo vocabulo habitum) Anglo-Saxonice *Vyrð* (et pro fato et Parca, nostra Urda), ut eorum plur. *Vyrðas* respondet nostro *Urdir*, Nornæ sive Parcæ. Hinc Angl. & Scot. *Weird*, *Werd*, *Weerde*, *Weerd* fatum, & mythologicum qvoqve *Weird-Sisters* (fatales sorores) de Nornis sive Parcis dictum ***). Borealis nominis etymologia innuit Deam princi-

*) Hinc verisimiliter nomen *Vardlokur* (custodientia claustra vel munimenta) nomen carminis magici, e Valæ cujusdam mandato in solenni convêntu veteris Groenlandiæ a muliere virgine decantati — ê testimonio historiæ Erici rufi (*Saga Eiriks rauda* & pl.) adhuc ineditæ. Cfr. Versionem hujus Eddæ Danicam I, 8, 9.

**) Rationes hujus translationis exposuimus in commentario nostro ad versionem Danicam I, 97, 122-124. Cfr. *Mögþrasir* s., *Vala* i.

***) Occurrunt e. gr. apud Anglum *Shakespeare* & Scotum *Douglas*. Uti Nornarum nostrarum

palem temporis mundi, cujus origo ei debeatur. Sic ipsa & aliæ Nornæ hominum (ut omnium reliqvorum entium, etiam Asarum et Alforum, vel Deorum & Geniorum) ortum vel nativitatem dirigere credebantur, ut omnia ex ejus fonte fuerunt edita*). At nihilominus hæcce fati summa domina, vitam qvoqve terminabat & finire jusſit, ac ob eam causam interdum pro Morta (sive mortis effectrice) habebatur. Qvæ rerum primordium produxit, earum posterius exitium provocavit. Hinc Brynhilda ab iratâ inimica (Gudruna) appellatur *Urdur ödlinga* (Urda sive Erinnys i. e. pernicies principum) *G. Q.* I, 23. Sic ab Urda nomen traxisſe putatur phænomenon qvoddam, lunæ dimidiæ simile, dictum igitur *Urdar-máni*, o: Urdæ — vel etiam saxeti — luna, olim luem pestiferam ac frequens inter homines lethum præsagire creditum**).

Pluribus post Christianismi in Islandiam introductionem seculis non obsoluit vetusta de terribili Urdæ potestate superstitio, ut aperte monstrat visio Snæbiörnis Sandvicensis, anno 1237. Is refertur ***) noctu domo exiisſe, tempore Jolense festum præcedente; vidit tunc advenire mulierem ingenti corporis magnitudine præditam, facie rubicundâ at tristi vultu, qvæ tunicam gesſit cyanei coloris et cingulum laminis ac uncinis contextum ****). Ea virum prædictum intuita cecinit duas strophas, qvarum hæc sunt contenta: "Vincula (fatalia) adstringam hominibus; noxæ multifariæ in hacce terra augentur. Pestem vobis intendo; est enim mihi multarum offensarum vindicta expetenda. Ego Urda (mox) sum profectura (vel grasſatura); cum proximo vere adproperabit calamitas. Tunc lethiferâ voce gladius contra hostes nostros provocabitur. Aestuans eo ad justos (vel

nomen tempore gliscente ad sagas humanas transferebatur; de illo qvoqve vocabulo (*Weirdsisters*) in magna Britannia idem est dicendum.

*) *Urdarbrunnr* i. e. originalis fons ad animale qvoqve regnum transferri potuit, ut infantes puerulis fonte qvodam emersisſe referuntur. Vid. *Grimm Kindermährchen* (1819) II, LX. LXI. Holla Hasſorum (forte Pomeranorum *Water-Möme*) talem fontem posſidens, revera nostra Urda fuisſe videtur *Grimm* l. c. XL-XLI it. *Deutsche Mährchen* I, 7, 8. cfr. *Eddalæren* II, 208 & sq.; tractavimus ibi de pluribus cælestis Urdæ fontis terrenis ectypis, symbolis vel imitationibus (qvæ sacræ scatebræ posterius a Christianis sanctis partim dedicabantur & superstitiose cultæ sunt). Cfr. *Yggdrasill* i. De alius terrestris Urdæ fontis cum cælesti illo similitudine vel connexione consulatur porro *Mone Gesch. des nordeur. Heidenth.* I, 351 & sq. Adde vetustum hocce Germanorum proverbium: *Sterben und Werden kommt nicht von Erden.*

**) Vid. *Eyrbyggia-Saga* edit. Thorkelini pag. 270.

***) Vid. *Sturlunga-Saga*, ed. scr. lit. Isl. II, 212-213 (Lib. 6. cap. 15).

****) Convenit descriptio hæcce vestitui gentilis Valæ sive Nornæ humanæ (ut Urdæ sacerdotisſæ) qvem in introductione Valiani vaticinii lectori indicavimus. Cfr. *Vala* s.

certos) plagarum conventus; feror celerrimo cursu, aliti nigro similis, per tumulos et colles. Veniam in vallem (ubi latebo) ad sepulchralis agri lunam*); moerore (vel infortuniis) tumida huc ivi, ad lethalem hastam mihi deligendam (vel adqvirendam)." Visio hæcce (vel potius, ut puto, somnium) prælium gravisſimum Orlygstadense, seqventi anno actum, posterius præsagiisſe censebatur. — Circa eadem tempora mulier Thorgeiri sacerdoti in somnio apparuit qvæ se "per mundum ex mundo alio per aëra ferri" ajebat et bella horrenda similiter prædixit. Cfr. *Valkyria* i.

Alio loco (in opere nempe de eddicæ doctrinæ origine) demonstrare tentavimus qvomodo Urda nostra eadem revera sit ac Græcorum Urania (ut Parcarum prima ac omnium rerum origo), qvæ etiam ab Arabibus, Persis, Asſyriis, Syris & pl. culta fuisſe fertur. Variis modis ei porro respondent diversæ similes exterorum populorum Deæ ut Aegyptiorum *Athor*, Scythorum *Artimpasa*, *Orthia*, Persarum & pl. *Artemis (Ardui-Sur)*, Indorum *Bhavani (Durga)* & pl. Præterea illam Urdam, *Meya* interdum vocatam, consonam salutant Græcorum & Romanorum *Maia* (*Μαῖα*), Indorum *Maia* (*Maha-Maia* ɔ: *magna M.*) & pl. Cfr. *Nornir*, *Naudur* s. *Yggdrasill* i. *Útgarda-Loki*, *Útgardar*, vid. *Loki*, *Þór*, cfr. *Ásgardr*, *Midgardr*.

Úþr vid. *Údur*.

V.

Vadgélmir (Vaþgélmir) fluentum infernale, in qvo homines mendaces perferunt immanes poenas falsorum dictorum, qvæ aliis nocuerant S. II *α*. Videtur hic fluvius aut idem fuisſe ac Hvergelmer ipse, aut etiam ei propinqvus & persimilis. Innuit nomen flumen antiqvisſimum, vadendo (hominum umbris) destinatum a Verbo *Vada* (vadere &c.) de qvo Glosſ. T. II consulendum. Cfr. *Hvergélmir* s.

Vafrlogi, *Vafurlogi* (Færoensibus *Vaaalua*) flamma cingens vel ambiens aut vaga, erratica (vid. Gl. T. I) — in mythicis nostratium fictionibus sæpe occurrens. Hæc Gerdæ habitacula circumdabat vel ab Asarum regionibus separavit (forte pro auroræ borealis phænomenis accipienda)**). *Sk. F.* 8, 9. *Fiölsv.* M. 32, 33 ænigmatice memoratur ac describitur, sensu longe alio, obsceno nempe ac phy-

*) Dictam alioqvin *Urdarmáni* (Urdæ luna) de qvâ supra plura adtulimus.

**) Dicitur ibi obscura tamen flamma, qvæ certe interdum in auroræ borealis multifaria variatione occurrit ut vocabulum Norvegicum testatur: *sorte Nordlys* (nigra vel obscura boreæ lumina). Vid. e. gr. *Schulz physikalske Grublerier* (1803) pag. 428-29. Cfr. *Gérdur* s.

sico-erotico; cfr. tamen ejusdem carminis str. 2; it. *Fiölsvidr, Svipdagr s.* De flammâ Brynhildæ vel Sigurdrifæ arcem ambiente, vid. *Sigurdrif* s. Onomasticou T. II & annotationem nostram ibid. pag. 878-879. Facinus Sigurdi, per flammam illam eqvitantis, repræsentatum esse videtur in fibula perantiqva Germanica, ante annos paucos inventa, qvam æri incisam vidi. Alii eam Romani operis esse putarunt & ad talem aliqvam fabulam spectare. — Variis modis mythica illa flamma vernalibus ac æstivis pyris, olim in Germania & borea nostro solenniter accensis, ansam dedisse videtur.

Vafudr (Vafuþr) nomen Odini adscititium Gr. *M.* 53. Variis modis explicari potest ut a) textor b) constrictor c) tricas nectens &c. Vid. Glosf. T. I et de etymo. T. II. v. *Vefa, Vefia.* Allegavit Gudm. Magnæus nomen hocce ut ab Einare qvodam, vetere poëta, usitatum; invenitur qvoqve in Eivindi Skaldaspilleri epicedio Haconiano (*Hkr.* I, 157). Nubes olim sæpe sunt cum lana comparatæ, et hodie etiam a nutriculis et puerulis comparantur; eas igitur aëris numen certo modo texere fingebatur. Idem qvoqve de stellato cæli tegmine vel velamento, temporum serie & pl. poëtice dici potuit. Cfr. *Ofnir* s.

Vafþrúdnir nomen gigantis, in carmine eddico (*Vafþrúdnismál*) ab eo suam denominationem trahente, maxime celebrati. Odinus eum vocat omniscium (*alsvinna*, hic forte rectius *allsvinna* multiscium) qvapropter is, illum invisere cupiens, profitetur sibi esse magnam aviditatem cum illo contendendi de antiqvis literis (scientiis aut mysteriis), ac Friggam de re ea consulit *Vafþr. M.* 1. Abnuit conjunx hoc propositum, qvum nullum gigantem Vafthrudni (Vafthrudnero) fortitudine parem esse crederet (2). Declarat Odinus contra se Vafthrudneri domicilia esse exploraturum (3) at Frigga ei optat ingenium sufficere, in periculoso illo cum dicto gigante colloqvio (4). Venit Odinus ad aulam patris gigantis (Imi, vel etiam generaliter: gigantum) ac eam statim intrat (5). Salutat Odinus Vafthrudnerum, se ejus sapientiam tentaturum innuens (6). Iratus gigas de hominis, tam audacis, nomine sciscitat, et istum simul minatur non e suo domicilio esse egressurum, nisi se ipso sapientior esse probaretur (7). Odinus se Gangradum (viatorem peditem vel gressus moderatorem) nominat ac refrigerantem potionem & hospitalem receptionem petit (8). Vafthrudner hospitem igitur in aula sedem petere mandat, at id porro esse experiundum uter plura sciat, hospes (advena) an orator senecio (9). Gangradi responsum alludit ad gigantis divitias et frigidas costas*) (i. e. animum asperum vel malevolum) (10). Proponit Vafthrudner Gangrado varias qvæstiones allegori-

*) Epitheton istud *kalldrifiadr* (frigidis costis præditus) aperte innuit Vafthrudneri, ut frigidi

co-mythologicas de eqvis Diei et Noctis, fluento Deorum et gigantum regiones dividente, ac campo eo præliari qvi ultimæ inter Asas ac Surtum pugnæ est destinatus, — qvibus omnibus Gangradus promte respondet (11-18). Tum gigas advenam sapientem esse profitens, eum ad proprium suum sedile invitat, at simul declarat iis ambobus de conjicendi (vel ænigmata aut difficiles qvæstiones solvendi) scientiâ mutuum capitis periculum esse faciendum (19). Jam Gangradus Vafthrudnero alia similia problemata proponit, interrogans nimirum de origine cæli et terræ, lunæ, solis, diei, noctis, hyemis et æstatis; de primo chaotico gigante & ejus posteris; de causa venti; Niordi (atmosphæræ et maris vel aqvarum Dei) vera patriâ; de Einherorum (vel heroum) qvotidianis gestis; de Runis (literis, scientiis vel mysteriis) gigantum & Deorum (20-42). Has Vafthrudner se callere jactat, qvum qvemlibet novem mundorum perlustravisset et ad infimam usqve Niflhelam pervenisset qvo (impii) defuncti ex Helæ domiciliis (Erebo) per secundam mortem migrare cogerentur (43). Pergit Gagnradus, interrogans ac Vafthrudner simul respondens de rebus post mundi ipsius futuram destructionem eventuris, ut de hominibus famosam illam ac ultimam hyemem superviventibus, sole novo vel juveni ejus nymphâ), providis virginibus (Nornis sive Parcis) super mare volantibus, qvæ homines (ut eorum tutelares vel fatales genii) comitabuntur; de Asis Deorum possessiones post Surtianæ flammæ exstinctionem gubernaturis, de Odini (temporanea) morte ac ejus ultione (44-53). Qværit tandem Gangradus (jam, ut videtur propriam suam formam resumens): qvid locutus esset ipse Odinus in aurem filii (Balderi) rogum funebrem ascensuri (54). Regerens Vafthrudner hoc neminem scire confitetur; seqve ipsum antiqvas literas et Deorum fata ore mortem præsago (vel alliciente) recensuisse, qvum cum Odino, omnium semper sapientissimo, suam in disserendo scientiam tentavisset (55) *). Cfr. *Baldvr*, *Gángrádur*, *Ódinn* s.

Nulla de Vafthrudnero aut ejus rebus gestis fabula continetur in juniore Edda, qvamvis antiqvioris illud carmen *Vafþrúdnismál* in ea sæpius allegetur. Occurrit tamen nomen ejus in Skalda (pag.

---

vel hyemalis gigantis aut dæmonis veram indolem, de qva inferius pluro disqviremus. Sic in Edda juniore (pag. 23) Hyems vel hyemalis dæmon ac ipsius cognati appellantur *svalbrióstadir* i. e. frigido pectore præditi.

*) De similitudine aliqva carminis Vafthrudnerani cum vetustis qvibusdam Germanorum cantilenis e. gr. *Tragemundeslied* vid. *Grimm Deutsche Wälder* VII, 8. Cfr. *Vegtamr* i. Convenit insuper aliis Danicis, Svecicis & Anglicis e. gr. *Svend Vonveds Vise (Udv. D. Viser fra Middelalderen udg. af Abrahamson, Nyerup og Rahbek* I, 87, 89, 90, 379-80); *Grimm Dän. Heldenlieder* pag. 527; *Jamieson popular Ballads* II, 156-57.

210) inter alia gigantea, versibus memorialibus inclusa.

Nomen *Vafþrúdnir* simpliciter est explicandum: fortis textor aut constrictor vel etiam: texendo, ligando aut constringendo strenuus. De etymis vid. Gl. T. II. v. *vefa*, *vefia* & T. I. v. *þrúdvgr*, *þrúdvr*. Alludit certe poëtæ nostro ad illius in ænigmatibus componendis summam calliditatem; at simul (vel longe anterius forte) ad naturam hyemalis dæmonis qvi frigora texit ac res terrestres glacie validisſime constringit. Sic ipsius cognatus *Skrýmir* gigas, qvi viaticum (aut cibaria) Thoro offerens id sacco inclusum asperis loris tam fortiter vinxerat, ut Thorus ea solvere neqvierit ac ergo [hyemali tempore] esurire cogeretur. Vid. *Skrýmir* s. *Þórr* i. Pertinet igitur, mea sententia, poëma illud Vafthrudnerianum ad festivas illas cantilenas qvæ Odini aut Thori, ut veris aut æstatis moderatorum, de frigoris malis dæmonibus annuatim reportatam victoriam celebrant & in ejus rei memoriam solenniter decantari, ac interdum etiam dramatice repræsentari solebant*). Cfr. *Alvis*, *Grímnir*, *Fiölsvidr*, *Skadi*, *Tröll* p. p.

Vagna-ver (vel *verr*) o: vehiculorum vel curruum protector, dominus vel posſesſor, vocatur Thorus (fulmineam rhedam alioqvin gubernans) *Alv. M.* 3 (obs. 7, cfr. vers. Dan. II, 15, 26). De vocis etymis vid. Gl. T. II. v. *Vagn*, T. I. & II. v. *Verr* (qvæ ambæ Gotho-Germanicis & Indicis ac pl. antiqvitus communes fuisſe ibidem demonstrantur).

Vakur (*Vakurr*, *Vakr*, *Vacr* &c.) o: pernix, velox, veges, vegetus, agnomen Odini, *Gr. M.* 53. Etymon qværendum videtur in verbo *vaka* vigilare (vid. Gl. T. II; cfr. *vakinn*, *vakna*, ibid.). Hinc recentius Dan. & Svec. *vakker*, *vacker* pulcher, gratus, idoneus, Germ. *wacker*, qvod antiqviorem simul ac juniorem significationem retinet, & pl.

Vala, Saga vel Sibylla borealis pro Norna interdum vel Parca ipsa, aut saltem muliere ab eâ inspirata olim habita. Sic vulgo apud veteres Scandinavos vocabantur fæminæ humanæ, vaticinia edentes & magiam (religiosam) exercentes, qvibus aliqvid divini inesſe putabant, ut Tacitus idem de Germanis retulit **). Ob eandem causam Nornarum sive Pascarum divino titulo sæpe sunt honoratæ.

*) Videas in cæterum Vers. Dan. I, 73-79, ubi inter alia observatur ænigmatum illorum objecta omnia sumta esſe ex mythicis et allegoricis fabulis de mundi ortu, statu, interitu & futura renovatione — qvæ partim certe alludunt ad solaris anni cum magno mundano anno veteribus familiarem comparationem.

**) De moribus Germanorum Cap. 8: "Inesſe qvinetiam [feminis] sanctum aliqvid et providum putant, nec aut consilia eorum aspernantur aut responsa negligunt": Loqvitur paullo posterius de Veleda, "diu apud plerosqve numinis loco habita" Annotavit ad caput hocce doctisſ. *G. L. Baden* (vers. Dan. 1795 pag. 23) qvod superstitionis illius reliqviæ adhuc in Dania ac præsertim Jutia (sagis repletâ) reperiantur. —

(vid. *Nornir* s.). Vaticinabantur præcipue de fatis infantum recens natorum, qvæ interdum etiam statuere putabantur & simul, ex aliqvâ parte, obstetriciam artem (cui magia sæpe adplicata) exercuisse videntur. Divinabant præterea de terræ vel regionis, populi vel reipublicæ fatis, & arcessitæ igitur sunt a principibus vel præfectis, ut eorum actiones secundum illorum oracula secure institui possent. Sapientes hæ mulieres, baculo magico vel sceptro dæmonibus & naturæ imperanti *) semper præditæ, interdum electæ sunt ad graves lites et judiciales causas componendas vel decernendas. Hæc probavimus alibi **) et alia plura de eorum vestitu, vaticinandi modo p. p. addidimus, qvæ hic repetere pro superfluo ducimus. Revertamur igitur ad Valam vere eddicam, cui celeberrimum carmen sive vaticinium, *Völospá* dictum, ipso suo titulo adscribitur. Hæc mythicorum Nornarum classi adnumeranda videtur, ut poëma illud ejus nomine a terrestri sacerdotissa sit prolatum (nisi earum personæ modo aliqvo, non satis perspicuo, sint distingvendæ). E carmine ipso, qvæ huc verisimiliter pertinent mox adnotabimus.

Vates (str. 1) rogat silentium entia cuncta, majores et minores Heimdalli cognatos (qvum et Dii et homines ita appellari possent)***) ut coelestis patris (Odini) facinora ac primas, qvas (ipsa) recordaretur, antiqvitatis relationes enarraret. Ait (str. 2) se meminisse Jotnos (Titanes) in principio editos, qvi eam olim genuerant (aut eduxerant — vel etiam edocuerant)****) atqve insuper novem mundos ac novem firmamenta (vel aëreas regiones) nec non centralem arborem (Ygdrasillum) nondum super telluris superficiem excre-

---

*) Tale fuit *(stafsproti)* sceptrum sive baculus Thordisæ, sagæ Islandicæ dictum *Högnudr* (*Vatnsdæla-Saga* p. 188 *Land.* ed. H. p. 199) — Id Valarum Islandicarum] Instrumentum vocabatur *seidstafr* (magicus baculus) vid. *Laxdæla-Saga*, Havn. 1826. 4. pag. 328-329 (secundum docti translatoris T. G. Reppii observationem 3am; cfr. F. Johannæi Hist. eccl. Island. I, 19).

**) In nostris ad Valiauum carmen introductionibus ad latinam & Danicam ejus versiones. Qvoad vestitum conferri potest *Laxdæla-Saga* l. c. ubi (e mea sententiâ) fibula grandis vel aliud ornamentum pectorale, olim *Kinga* dictum, Valæ Islandicæ adscribitur, ut nobili mulieri in Rigiano carmine. Vid. Gl. Edd. ant. T. III pag. 232 v. *Kinga*.

***) Ejus appellationis rationes jam explicavimus in artic. *Heimdallr*, *Rigr* s. Qvoad observationem nostram primam ad Valianum carmen notari porro meret: qvod Heimdallus, ut stans in apice cæli, inter Deos zodiacales pro summo sit habendus, qvod autem reliqvi Dii ejus saltem cognati, at posteri vel liberi vix possent appellari, qvæ igitur deuominatio de hominibus tantum foret accipienda.

****) Cfr. *Vafþr. M.* str. 49 ubi Fortunæ (Parcæ) apud Jotnos nasci vel enutriri dicuntur. Vid. *Hamingia*, *Mögþrasir*, *Norn*, *Urdur*.

tam*). Seqvuntur relationes cosmogonicæ, cosmographicæ et mythologicæ, a chaoticis mundi primordiis incipientes. Str. 10 Durini (secundi inter Dvergos primarios) proprias relationes circa istorum entium originem et nomina allegare videtur. Str. 19, 25, 28, de se ipsa in tertia persona loqvitur & 26ta qvidem ipsum Odinum (ut præsentem) alloqvitur. E contrario str. 29 in prima persona divinationes edere pergit — at 32 & 59 iterum in tertia, ut eodem modo carmen videtur concludere (str. 59. obs. 103). Incertum alioqvin est an Vala nostra (str. 32 in var.) de se ipsa loqvatur, ut vincula Lokio flectente, aut etiam sermo ita sit de filio Lokii Valii:

Tunc possunt (vel callent) torqvere
Funestos funes
Nimis duros sane
E Valii intestinis.

Cfr. *Loki* i.

Aliud eddicum carmen, qvod *Hyndluljód* (Hyndlæ melos) vulgo dictum, qvibusdam codicibus inscribitur *Völospá hin skamma* ɔ: Valæ breve (vel brevius) vaticinium; qvæ denominatio gentilismo verisimiliter debetur (vid. T. I, pag. 311, 12): Ast ea Hyndla dicitur in antro habitare & noctu (aut obscurisfimo tempore) potissime proficisci (*Hyndl. L.* 1) et insuper (str. 4, 46, cfr. 44) mulieribus giganteis adscribitur. Ista tamen (Valæ illius modo) aliqva narravit de Deorum ac Jotnorum origine et genealogia, et gravisfima simul de eorum et mundi fatis protulit vaticinia. Hinc illa dicti poëmatis altera appellatio.

Tertia Vala, qvam Edda nostra memorat, in carmine Vegtamiano decantatur. Odinus ipse infernum visitans (ut Balderi futura fata exploraret) Sleipnero vectus pervenit ad altam Helæ domum, novit enim ibi ab oriente ostio Valæ (sive sagæ) tumulum sepulchralem situm esfe (*Vegt. Qv.* 8). Incepit sagaci ferale carmen canere, spectavit boream versus, imposuit literas (magicas), docta præcepta coepit profari, oracula poposcit, donec Vala illa invita surgeret ac mortuales voces eloqveretur (9), has primo nimirum (10): "Qvis ignotus mihi creavit solicitas mentes? Eram nivata nive, icta nimbo, et sparsa pluviâ; mortua diu fui." Odinus, Vegtami nomen sibi imponens, eam (11) rogat nova sibi ex orco (Helæ mundo) narrare, qvæ novis e superiore mundo retaliare pollicitatur; — qværit igitur in cujus futuram receptionem (Helæ) ædes, scamna & lecti pulcherrime & splendidisfime tum fuerint ornatæ? Respondet Vala (12) Baldero liqvidisfimum medi nectar, clypeo tectum, ibi jam esfe temperatum**), dum Asarum filii (de salute ejus et pro-

*) An hæc Valæ notitia antiqvis illis sermonibus aut propriæ experientiæ (qvum Nornis aut Parcis divinis vel dæmoniis certe annumerari deberet) adscribenda sit, incertum nobis linqvitur.

**) Patet è supra dictis, qvod umbra (vel anima) Valæ illius in ipsa Helæ aula degeret, qvamvis extra eandem corpus sepultum diu reqvieverit.

pria sua) desperarent; ait se autem ista verba invitam dixisse ac jam silere velle. Pergit nihilominus Vegtamus interrogando, ac invita Valæ umbra respondendo, donec incantator difficillimam ei proponit qvæstionem, minaci hoc dicto addito: "Dic illud unum, non dormies prius" (13-17). Tunc Vala ipsum Odinum, gentium (vel seculorum) custodem recognoscit (18) — at ille iratus eam ait non esse Valam aut sapientem mulierem, sed potius trium Thursorum (pessimorum gigantum vel giganteorum monstrorum) matrem*) (19). Odino saga valedicit ironice, se autem neminem vovet esse visisaturum, donec Lokius liber ê vinculis exiverit & crepuscula venerint Diis exitiosa (20).

Sic cunctæ illæ Valæ, qvas antiqvior Edda specialiter memorat, vaticinantur de futuro Deorum exitio & ultimis mundi temporibus. Innuuntur igitur sagæ illæ prophetisse fuisse Nornarum sive Parcarum, qvæ tam Scandinavis qvam Græco-Romanis summum in ipsos Deos ac omnia mundana imperium exercere credebantur.

Valæ cunctæ dicuntur propagatæ vel ortæ esse a Vidolfo (sylvestri dæmone; — vid. *Vidólfr* i.) *Hyndl. L.* 31. Opprobravit Lokius Odino, qvod is in Samseya (insula Danica jam *Samsöe* dicta), delabens [ex alto] ædes, Valarum (magico) more, pulsavisset, qvum magi forma præditus ipse super humanum genus (aëra pervolando) ivit *Æg. Dr.* 24. In ea recensione primæ Brynhildianæ odæ fragmenti, qvam Volsunga-Saga nobis exhibet, (nostri str. 17) Runæ sive characteres mentales Valæ (cujusqve, ut videtur) sellæ perhibentur esse incisæ.

In Islandia adhuc *Vala* appellatur astragalus ovilis (os pedis supra calcaneum vel vertibula poplitis), qvo ut tesseris utebantur veteres Græci et Romani (unde ludi genus ita dictum). Apud nostrates sortilegiis (jam autem tantummodo joci gratia) jactu adplicantur, adhibitâ formulâ olim superstitiosa at satis antiqvâ, ita incipiente: *Seg þú mér þad Vala!* o: Dic mihi Vala (i. e. Sibylla)! an (aliqvid fiat vel qvomodo eveniat &c.) — A latere tali superno, jactu ita converso, sibi fingunt oraculi aliqvod responsum, secundum certas præjudicationis regulas.

Variis modis etymologi vocabulum *Vala* tentaverunt explicare, his præsertim; 1) a *Val* electio (qvod iterum a *velia* eligere &c.) cum Parcarum loco sortem cuiqve eligerent & tribuerent. 2) a *Vavlr, völr* (gen. *valar*), MG. *Valus*, baculus (sceptrum magicum) p. p. Cfr. Gl. T. I. Hæc cæterum in medio linqvere cogimus. Cfr. *Nornir* s.

Valaskjálf palatium sive habitaculum cæleste, argento â Diis (mundi fabricatori-

*) Opprobrat Odinus Valæ giganteum ejus ortum vel prosapiam. Alludit forte dictio illa ad nomen *Angurbodi* (o: tristia mala sive calamitatem annuntians); at hæcce gigantea mulier mater fuit trium pessimorum monstrorum: Helæ, Jormungandi & Fenreris lupi.

bus) tectum — qvodqve sibi Asa (Valius nempe) primo (sive prisco) tempore adscivit. *Gr. M.* 6. — Est vocabulum illud explicandum (ut voluerunt auctores Gl. T. I.) Valii theatrum sive ædes (vel potius arx aut turris edita, at tamen proprie, ut puto, in aëre movens aut volans). Cfr. *Hlidskjálf* s. Notat autem ê nostra opinione, aqvarii zodiacale signum, ac tempus qvo sol illud percurrit (a die 20 circiter Januarii ad 19^m^ Februarii). In Edda juniore ita memoratur: "Est etiam in coelo urbs (aut arx) magna, qvæ dicitur *Valaskiálf;* eam exstruxerunt Dii et sereno argento texerunt*). In eo palatio est Lidskialfa thronus ita dictus [alibi proprie in eodem libro descriptus]; qvum autem Odinus in eo desidet, visui ejus patet universus mundus." Cfr. *Hlidskjálf* Addunt de Valaskialfa plures codices: "Eum locum posfidet Odinus" (forte nomen *Ás,* in carmine Grimneriano illo loco occurrens, de eo explicantes) — at hæc verba in Upsaliensi penitus omittuntur. Ea voculâ prave â mythographis intellecta, simili modo (propter consonantiam dimidiæ vocis) Valaskialfam hic cum Valhalla confusam esfe opinor. Sic in carminibus antiqvioris Eddæ historico-mythicis palatium Atlii Regis, ut terrestris monarchæ, poetæ audit Valhalla (*A. Qv.* 2, 14) sua (vel suis) Lidskialfa præditum. Potuerunt tamen antiqvitatis nostræ gentiles theologi, Odinum ut anni, lucis & singulorum qvoqve mensium Deum respicientes, istum ita repræsentare, ut ex illo zodiaci signo, ac tempore eo, qvo Valius, lucis diurnæ revertentis heros, tenebrosi Hoedi (sive Hoederi) cæde serenisfimi Balderi vindictam perficit — totum mundum perspicere (vel suo lumine penetrare) posfet. Cfr. *Vali* i.

Valdýr (funesta fera) agnomen Fenreris lupi *VSpá* 49. Vid. *Fenrir.*

Valfavdur, Valföþr (Valfadir), nomen Odini adscititium, occurrit præsertim: *VSpá* I, 25, 26. *Gr. M.* 46, *Vegt. Qv.* 5. Audit ita Eddæ juniori (l. c. pag. 24) propter eam causam, qvod viri omnes, qvi in acie cadunt (vel stragi bellicæ adduntur — *falla í val*) ab eo ut dilecti filii adoptentur, ac Valhallam et Vingolfum, sub Einherorum nomine, inhabitare faciantur. Hæc certe etymologia permultis Scandinavis, ultimâ gentilismi æra durante, revera arrisit, sed opinor nihilominus originariam aliam qværendam esfe in voce *Valr, Vavlr, Völr*: convexitas**) o: hemisphærii coelestis & sic præsertim mythice coelum ipsum, arcuata

*) Hæc dicti palatii descriptio convenit statui borealis regiones, illo tempore durante, cum serenum cælum, montibus glacie nitidisfimis, tecti loco, (ut videtur) impositum, talem hominibus indulgeat aspectum. Scaldi argentum glaciei & nivi freqventer adsimilare solebant. Vid. ex gr. *Skálda* l. c. pag. 155 & Olafsen *Nordens gamle Digtekunst* pag. 100.

**) Hinc qvoqve adjectivum obsoletum *valr* convexus, rotundus, unde alia, qvæ hodiedum Islandis in usu sunt, *á-valr* convexus, semiteres; *sí-valr* undiqve rotundus, teres & pl.

cæli camera. Est igitur *Valfadir* sphæricus sive cælestis pater. Cfr. *Valgrind*, *Valhavll* i.

Valglaumr Gr. M. 21 (obs. 14) aut a) bellicus eqvus, a *Valr* strages aut potius b) sphæricus vel coelestis sonipes, a *Valr* sphæra &c. (vid. *Valfadir*, *Valgrind*, *Valhavll*) — et *Glaumr* (sonans, sonipes) poëtico eqvi nomine; videas hanc vocem et aliam *Glaum-mönom* in Gl. T. II. Vidētur hic intelligi debere Sleipner, Odini eqvus. Cfr. *Þiódvitnir* i.

Valgrind coeli vel coelestis sphæræ (sive Valhallæ ipsius) clathrata vel cancellata foris vel ostii claustrum, aut etiam, ut conjecit Gunnarus Pauli: "sepimentum Valhallæ circumjectum". Dicitur sancta (sive potius ætherea aut excelsa) in campo stare ante ostium (vel ostia) similis situs vel structuræ; est certe perantiqva, at pauci sciunt qvomodo illa serâ claudatur; *Gr. M.* 22. Respondet certe clathrato eo sepimento qvod in Edda juniore (pag. 82, 107) dicitur *Ásgrindur* (in sing. *Ásgrind* ut Asgardiam (ac Valhallam simul) undiqve cingenti. Cfr. artic. *Hrúngnir*, *Idun*, *Þiassi*. Est igitur oppositum sepimento Helæ vel Erebi dicto *Helgrind* (*Helgrindur*) & alii Nastrandarum aut Tartari, dicto *Nágrind* (*Nágrindur*) qvæ suis locis in hoc lexico explicavimus.

Rationes nostræ hujus vocabuli translationis, qvoad vocem *Valr* supra, proposuimus ad artic. *Valfadir* (et alios ibi citatos); cfr. Gl. T. I & II v. *Grind*. Denotat autem mythico-allegorice interstitium aërëum (et invisibile) qvod Valhallam et Asgardiam (vel coeleste hemisphærium) a nostra atmosphæra (et gigantum qvoqve extremis in montibus Utgardiæ [domiciliis) divisit, ex atavorum nostrorum gentilium opinione. Hanc forte putarunt forem, certo modo clathratam vel pellucidam, cæli cameram claudere, ut mortalium oculis per nubes densissimas vel tenebras nocturnas, aut partim aut in totum occuleretur*).

Valhavll, *Valhöll*, cælestis aula; describitur ut spatiosa ac auri instar fulgida in regione Gladsheimo (per qvam tamen illius aulæ introitus patere innuitur; vid. *Gladsheimr* s.). Ibi autem Hroptus (sive Odinus) qvolibet die eligit (vel hospitio recipit) homines armis cæsos (cfr. *Hroptr* s.). Perfacile (ab aliis ædibus) ista distingvitur iis qvi ad Odinum veniunt, ut ejus collustrent ædes; (hastarum enim) manubriis (vel hastis ipsis) contabulatum

*) Cfr. vers. hujus Eddæ Danicam I, 173, 249, 250. Multa de Valgrinda ingeniose disserit doctissimus noster Sandal (*Cosmogoniæ antiqvitat. primæ lineæ* 181 II, 167.171): "Fuit Valgrinda in occidente, sed veteres ponebant mundi interitum qvi antecedit ejus renovationem, etiam in occidente. Invenimus in cælo januam Valhallæ et ejus symbola." Confer observationes seqventi articulo additas.

est laqvear aulæ, clypeis (exterius) tectæ, at loricæ per scamna strata cernuntur *). Ab occidente palatii ostio pendet lupus, at aqvila superne imminet **). *Gr. M.* 8 10. Describitur posterius (22) Valhallæ foris vel clathratum sepimentum; vid. *Valgrind* s. Sunt tamen (ê Grimneri sententiâ) in Valhalla qvingenta qvadraginta ostiorum, at octingenti Einheri exeunt (exibunt) e qvovis ostio, cum contra lupum (Fenrerem) pugnatum gradiuntur (vel gradientur) (23). De capra & cervo, in tecto Valhallæ degentibus, vid. *Heidrún: Eikþyrnir* s. ac de arbore in vel apud istud sitâ, artic. *Lærádr* s. De heroibus, Valhallam inhabitantibus, vid. *Einheriar* s. Balderi exitium vocatur damnum Valhallæ (vel Frigga hujus custos sive domina) *VSpá* 31. Freya, nocturnum iter incipiens, Hyndlam oreadem invitat ad Valhallam et sanctum aut excelsum locum (vel æthereum sanctuarium) *Hyndl. L.* 1. An autem Valhalla str. 5, 6, indicetur vocabulo inusitato *Valsinni* (c: cælestis, accipitrina vel cæsorum virorum ædes) jam non decernere audemus. Odinus Helgio Hundingicidæ (Dei ipsius lanceâ, percusſori mutuatâ cæso, cum hic in Valhallam venit, omnium secum imperium obtulit. Helgius igitur Hundingo (hosti olim a se occiso) mandavit ibi servilia opera, ut: pedum lavacrum procurare; ignem (qvotidie) accendere; canes (venatorios) ligare; eqvos custodire et suibus jusculum promere ***) *HQ.* III, 37. Videntur qvoqve ancillæ Einheris serviiſe, dictæ *Valkyriæ giganteæ* sive *tetricæ*, aut etiam viris calcea-

*) Clypei ê nostra sententiâ cælestes orbes significant at hastilia et loricæ varia aërëa phænomena, inprimis lumen qvod zodiacale dicitur, Gladsheimi regioni vel arietis signo aut Odini ipsius mensi proprium. Vid. vers. Dan. I, 170, 206-208.

**) An lupus iste significet Fenrerem vinctum, aut aliud tale giganteum monstrum, Soli inimicum — aut etiam Lupi constellationem, pro incerto habuimus. Idem de *aqvilâ* dicendum; dicitur certe avis talis in Ygdrasilli (vel ipsius cæli) culmine sedere, at constellationum qvoqve una avis illius nomine alioqvin præditur. Et lupus et aqvila occurrunt inter borealia stellarum nomina a poëta Islando Thorlaco Thorarini ante centum fere annos versibus inclusa. Adde hæcce laudati Sandalii (l. c. I, 168 & sq.: Eundem (Valhallensem) *lupum* et eandem *aqvilam* invenimus apud Dionysium Halicarnensem (Lib. I, Cap. 55) cum conderetur Lavinium, versus occidentem (ab Ilio) situm . . . In cardine mundi occidentali invenimus . . . lupum in hasta Centauri pendentem et vulturem cadentem et lyram [vel aqvilam] in aëre volantem. Lupus centauri significat planetam Martis; fuit alias anima Martis" [et Odini].

***) "Credebant Scythæ, qvoscunqve in hâc vita cæderent, eorum in altera servitio esſe potituros" Bonfinii rer. Ungar. I, 10. Certe apud nostrates hæc opinio tantummodo valuit de acelestis hominibus, alioqvin ê Valhalla excludendis. Sic veteres Rusſi (aut ipsi Scandinavi aut iis saltem propinqva cognatione juncti) solemni pacto cum Græco-Romano imperatore (anno Chr. 945 inito) perjuros (contra istius contenta) ita exsecrabant: ut qvacunqve numinis ope destituerentur at in hoc ac æterno ævo servi evaderent et permanerent, *(Nestor Jahrbücher der Russ. Gesch. übers. von Scherer* pag. 75, cfr. *Karamsin Gesch. des Russ. Reich. übers. von Hauenschild* I, 151).

menta detrahentes, qvod servilis olim erat functionis; attamen innuuntur variorum Einherorum (in eandem talem nympham) callide vel fraudulenter excitasse amores, qvam ob causam illi invicem interdum conflictaverint HQ. II, 35 (obs. 75). Helgius ille saltem (vel ipsius umbra) cum multis viris ad tumulum suum sepulchralem eqvitavit, ubi vidua ejus eum visitabat et per totam noctem cum eo conversabatur, donec Helgius (qvi felicem suum in altero mundo statum descripserat) ajebat sibi tempus esse eqvitandi occidentem versus per rutilantes ac aërias vias. Vid *Ragnaröckur, Sigrún*, s. Qvem ad modum veteres terrestris regis aulam ad coelestis illius exemplum (vel vice versa) constituere solebant, Atlii potentis monarchæ palatium dicitur poëtæ Valhalla, Lidskjalfa (unâ vel pluribus) insuper exstructa AQ. 2, 14 *). Est tamen observatu dignum qvod Scandinavicorum regum & magnatum palatia interdum religiosis conviviis & sacrificiis inservierint, qvæ alioqvin in ipsis templis celebrabantur **). Sub alio nomine in eodem libro occurrit Odini coeleste palatium, qvum nimirum dicatur *Hárs höll* aut *Háfahöll* vel *Háva havll* i. e. Celsa vel Celsi aula vid. *Háfi, Hár, Hávahöll* cfr. *Gullveig, Ódinn* s.

In Edda juniore eadem Deorum principalis arx, urbs vel aula variis modis describitur aut memoratur, his tamen præcipue locis (Pag. 2): "Gylfius, sapiens (Sveciæ) Rex, admiratus populum Asicum, ab omnibus reliqvis collaudatum, adeo esse multiscium, ut omnia pro eorum arbitrio cederent, animo versabat, utrum ejus rei causa in ipsorum propriâ virtute sita esset, vel in iis, qvas colerent, potentiis divinis consisteret. Iter igitur, sed clandestinum, ad Asgardum (vel Asgardiam) instituit, sub viri grandævi adscititiâ formâ latens. Asæ vero illi adeo erant scientiores — (utpote qvi arte vaticinandi valerent) — ut iter ejus, priusqvam accideret, prævidentes, præstigiis advenientem exciperent. Urbem igitur qvum intraret, aulam adeo præaltam vidit ut visum supra eam vix ei dirigere liceret. Tectum scutis inauratis (instar tegularum) erat compositum (vel adornatum), at inferius tenuissimo tabulato assimilandum. Thiodolfus Hvinensis his verbis asserit Valhallam scutis fuisse contectam ***):

Viri curis vexati,
Lapidibus simul icti,
Fecerunt in dorso splendere
Tegulas Svafneri (Odini) aulæ —

*) Sic etiam Snorro Sturlæus (celeberrimus nostratium mythographus et historicus) suam in universali Islandiæ foro comitialem ac hospitalem tabernam Valhallæ nomine insignivit. *Sturlúnga-Saga* edit. Soc. literar. Island. Cfr. *Hávahöll* s.

**) Vid. *Hkr.* l. c. I, 139, 143, 144.

***) *Hkr.* I, 95, VI, 18. *(Saga Har hárf.)* edit. Havn. Dicitur autem ibidem stropha illa Hornklofii (gentilis qvoqve poetæ) amplioris carminis fragmentum esse. Veteri Islando clypeus audiit *Gauts þekju sunna* (sol Odiniani tecti) *Eyrbyggia-Saga* ed. Thork. pag. 102.

(i. e. scuta vel clypeos). Vidit Gylfius virum in foribus aulæ (curtis et latis) gladiolis manualibus ludentem, ut septem simul in aëre volitarent. Hic prius Gylfium de nomine interrogavit. Is se dixit Ganglerum et e tramitibus erraticis *) advenisse, hospitiumqve, qvo per noctem frueretur, simul expetit, et qvis aulæ esset dominus qværit. Alter ille respondit: possum qvidem te ad istum conspiciendum ducere, qvo facto ipse tu illum de nomine suo sciscitari poteris. Hic vir conversus aulam prior intrat; seqvente Ganglero, postqvam statim ac intrasset, janua ad calces clausa est. Ibi multas Ganglerus vidit contignationes (vel potius cameras aut conclavia) ac magnam hominum multitudinem, qvorum qvidam ludebant, qvidam poculis indulgebant, alii vero armis certabant. Tum illi, se circumspicienti, multæ qvas vidit res incredibiles esse censebantur **). [De tribus viris in tot soliis collocatis, ac deinde per totam hanc junioris Eddæ sectionem — sub nominibus *Hár, Jafnhár* & *Þridi* — cum Ganglero colloqventibus, vid. art. *Jafnhár* s.]. Qværit Har, qvænam plura sint negotiorum ejus, cibum vero et potum ei liberum, ut aliis ibidem in aula Haviana manentibus, pollicebatur. Regerit se scire velle, an aliqvis intus sit vir multorum rerum gnarus. Regesfit Har: illum neutiqvam salvum exiturum nisi sit perilior et doctior." At finita Gylfii de mythologico borealium systemate (præsertim magno mundano, ac forsitan simul solari minore anno) continua informatione (pag. 77): "Ganglerus qvaqvaversus magnos audivit sonitus et ad latera respexit, sed cum diligentius se circumspiceret, ipse sub dio ***) in campo qvodam plano solus stetit nec ullam aulam nec arcem (vel urbem) cernens. Digressus igitur pristinam viam remetitur & in regnum suum redux factus, singula visa et audita retulit, et deinde has narrationes ab illo acceptas unus alteri tradit." Legatur serior narrationis conclusio ac recentisfimus omnium epilogus in artic. *Ódinn* s.

*) In textu *Refilstigar (Ræfilstigar)*; vox *ræfill* hic verisimiliter deducenda est a verbo *ráfa* errare, vagare & erronem igitur fabulæ auctori denotavit. Hic tellurem nostram (errabundæ hominum vitæ theatrum) illo nomine innuere videtur.

**) Dicitur porro Ganglerus tunc eam strophan, qvæ Haviani carminis ipsum primordium efficit, protulisse. — Havius (cui idem poëma adscribitur) idem certe (omine qvidem ac nomine) habendus est cum Hare illo, qvem junior Edda celebrat.

***) In ipsa nempe celsa excelsi Dei aula, sub tecto coelesti, astris ut aureis scutulis ornato. Antiqvus mythographus allegoricas illas ac poëticas descriptiones præstigias vocat, vel verbo *sjónhverfingar* propius: visorum (fictitiam aut simulatam) conversionem, visus (vel phantasiæ) illusionem. Hinc prima ac præcipua Eddæ junioris pars (ut supra observavimus) dicitur *Gylfaginning* sive illusio Gylfiana. Tota hæc doctrina mystica certe fuit, cujus verus sensus vix nemini innotuit præter sacerdotes vel Scaldos ipsos ac eorum discipulos.

De tertio nomine, Deorum arci interdum indito, vid. *Ásgardr*, *Ódinn*. s.

Qvæ de Valhalla ipsa adfert Edda Snorroniana ex magna parte resensuimus, ad articulos *Eikþyrnir*, *Heidrún*, *Andhrímnir*, *Ódinn* & pl. Hæc tamen iis addenda restant: (Pag. 44) Ganglerus inqvit; "Perqvam magna, sine dubio, domus est Valhalla, conjicioqve sæpe ante fores turbas advenarum propter intrandi conatum conglomerari. Ad qvæ Har: curni qværis, qvot numero sint fores hujus aulæ & qvantum sit ad latitudinem spatiosa? Id enim si audiveris, dices merito, mirum esse, si cuivis pro lubitu intrare, at exire non liceat. Vere etenim dicendum est, eam qvo ad ordinationem sedilium, qvam ad intrandi facultatem, non esse angustiorem. De hac re odam audies Grimnerianam (str. 23, supra allegatam). Nominatur (cum Midgardo vel Midgardia i. e. terrestri orbe ac ejus atmosphæra) Valhalla ut principalis Deorum aula (pag. 45). Ab oriente vel, secundum alios codices, occidente Valhallæ crescere dicitur Mistilteinus (pag. 64); vid. *Baldur*, *Mistilteinn*. Hrungner gigas, qvum Asgardiæ terminos transmeavisset, in aula primariâ Deorum potans, jactabat se Valhallam ê loco suo evulsurum, ut eam in mundum giganteum transferret, ac Asgardiam (reliqvam) demersurum esse (pag. 107). Irascebatur Thorus domum veniens, interrogans qvidem, qvisnam Hrungnero licentiam in Valhalla commorandi concessisset? aut cur Freya [ibidem] ut in symposiis Asarum, pocula ipsi infunderet? Respondit Hrungner se ab ipso Odino ad potandum invitatum esse, ejusqve pace datâ munitum ibi commorari (pag. 108). Cfr. *Hrúngnir* s.

De Valhalla (aut Vingolfo saltem) agitur in seqventi divinæ aulæ descriptione, qvæ sermonibus Bragianis continetur: (l. c. pag. 79–80): "Aegerus [marinus dæmon], magiæ admodum peritus, Asgardiam proficiscebatur. Asæ vero itineris ejus præscii, lauto qvidem (licet in multis rebus magicas adhibuerint præstigias) convivio eum exceperunt. Sed vesperi, dum symposium institueret Odinus, gladios inferri fecit aulæ, qvi adeo lucidi erant, ut lumen emitterent; nec alia luce dum potationi asfiderent, usi sunt *). Tum Asæ, convivium suum accedentes, solia propria occupabant, duodecim scilicet illi, qvi Judicum munere fungebantur (vel fungi deberent). Hi autem ita nominati fuere: Thor, Niordus, Freyr, Tyr, Heimdallus, Bragius, Vidar, Valius, Ullerus, Hæner, Forsetus & Lokius. Simili qvoqve modo Asyniæ, nimirum: Frigga, Freya, Gefiona, Idunna, Gerda, Sigyna, Fulla et Skadea. Aegero magnificus ubiqve ibidem apparatus adhiberi videbatur; parietum namqve tabulæ nitentibus scutis

*) An hic (allegorico-ænigmatice) sermo sit de meteoris ignitis (flammeis gladiis similibus) qvi Islandis dicuntur *Vigabrandar* (cædium enses) — aut etiam de cometis (tali sæpe formâ præditis) vel simpliciter de planetis vel claris aliis stellis — jam omnia in medio linqvimus.

fuerunt ornatæ, mulsum qvoqve generosum et lætum. Proximus asſesſor Aegero fuit Bragius, ita ut hi ambo compotationum et verborum commercia inter se singulariter jungerent; hic autem illum multa de rebus Asarum docuit antea gestis."

Skaldæ codex Upsaliensis (l. c. pag. 94) refert Bragium Aegero recensuisſe varia Odini epitheta vel adscititia nomina, ut is e. gr. appellari posſet: posſesſor Valhallæ, gubernator Deorum, Asgardiæ vel Lidskialfæ p. p. Cfr. *Ódinn* s.

Memorat Skalda porro (l. c. pag. 130) lucum in Asgardia ante fores Valhallæ stantem, qvi Glaser nominatur. Frondes ejus auri instar sunt rutilæ vel etiam aureæ (secundum fragmentum vetusti poematis ibidem allegatum, ubi Glaser ante Sigtyris atria stare dicitur). Addit auctor: "ea sylva (vel arbor) inter Deos & homines est splendidisſima (vel pulcherrima). Hinc aurum poetis dicitur gemma (vel frondes) Glaseri." Cfr. *Læradr* s. *Yggdrasill* i.

Plures poëtarum gentilium Valhallam memorarunt ut palatium Odino, Diis et defunctis heroibus commune. Sic e. gr. Eyvindus Skaldaspiller in celeberrimo suo Haqvini boni epicedio *) fingit Odinum, Gothorum Deum *(Gautatýr)* Valkyrias primarias emisisſe, reges proeliantes electuros, qvisnam nimirum familiæ Ynglingicæ ad Odinum migraret (vel istum seqveretur) et in Valhalla maneret. Describit vates ardentis pugnæ horribiles conflictus qvâ ad exitum vergente exercitus, cui ad Valhallam eundum (morti ingruenti vicinus) læto animo non fruebatur. Tunc Gondula, hastili innixa, hæc edixit: "Res Deorum nunc bene succedunt, qvandoqvidem illi Haconem cum multo exercitu ad se vocarunt" **). — — At Skogula: "nunc (dixit) eqvitemus ad virides Deorum habitationes [vel mundos] narratum Odino, qvod monarcha jam veniat ipsum visurus." — Tum Odinus Hermodum et Bragium ita alloqvitur: "Obviam ite Regi, nam hanc aulam (Valhallam) petit princeps, qvi vir strenuus esſe judicatur. Advenit Hacon (aut potius ejus umbra) qvi, relligione christianâ (at ipse inter ethnicos vivens) olim imbutus, Odinum sibi esſe animo inimicum suspicatur. Tum illi Bragius: "Inter omnes Einheros securitate (vel publica pace) frueris. Accipe cantharum, tibi apud Asas propinatum. Octo tuos fratres in hac æde invenies." — — — Tunc visum est (vel promulga-

*) *Hkr.* edit. Havn. I, 161 & sq. VI, 29 & sq. Cfr. Eddæ junioris 95, 96. "Habito ad Regis tumulum sermone votisqve, defunctum (ethnico more) Valhallam adire jubebant."

**) Sic etiam de Haraldo Hildetanno, Danorum Rege Saxo Grammaticus (H. D. Lib. 8): "Ferrum morbi cruciatibus anteponens, spiritum in acie, qvam lectulo, deponere præoptavit, consentaneum præteritæ vitæ operibus exitum habiturus. Itaqve qvo mortem suam clariorem efficeret inferosqve comitatior peteret, complures fati consortes adsciscere gestiebat" &c. Cfr. Eddæ nostræ *Harb. L.* 23 et S. III 64 (obs. 79).

tum) qvam pie Rex ille sacris pepercerit*), cum totus (Valhallæ) senatus et numina Haconem salvum venire juberent (vel ipsi adventum gratularentur). Odam hancce auctor hoc voto finiit: "Sedeat Hacon apud serena (vel cælestia; alii volunt gentilia aut gentilium) numina!"

Aliud poëma similis tenoris at paullo antiqvius exstitit olim ut Erici Blodöxi (Haconis illius fratris) funebre carmen, cujus unicum nobis fragmentum superest in Codice historiæ Norvegicæ vetusto, dicto *Fagurskinna* **). Appellabatur carmen illud *Eiríksmál*, e rogatu Gunnhildæ, Regis supra nominati viduæ, compositum. Est autem seqventis tenoris: "Qvid qvæso, dixit Ódinus, portendit somnium, qvo ante diluculum ad Valhallam parandam accinctus videbar, occisos milites excepturus. Excitavi Einheros, adqve surgendum hortabar, scamna ut insternerentur, pocula expedirentur, et Valkyriæ vinum propinarent, tanqvam advenienti Regi. Eqvidem cordis mihi lætitia illustres e mundo advenas præsagit. Qvid illic, inqvit Bragius, intonat tanqvam millia hominum se moveant vel multitudo freqventisſima? qvatiuntur cunctæ contignationes (aulæ) perinde ac sub reditum Balderi in Odini palatia. Abstine qvæso, ait Ódinus, deliriis prudens Bragi! qvamvis cætera bene noscas; adnunciat sonitus iste Ericum Regem hasce Odini ædes ingresſum. Vos Sigmunde Sinſiötleqve ***)! protinus surgite, obviamqve procedite, si fuerit Ericus invitate, eum namqve jam exspecto. Qvi, ait Sigmundus, eum præ aliis Regibus exspectas? Nam, respondit Ódinus, multis in terris gladium sangvine tinxit, qvas cruento mucrone peragravit. Cur (dixit iterum Sigmundus) ergo eum victoriâ, cujus fortitudinem probaveras, spoliasti? Nam incerta, regesſit Ódinus, (futurorum eventorum) scientia; suspicit (vel gradietur) pallidus ille lupus (Fenrer) in sedes (aut habitacula) Deorum ****). Salve (ait Sigmundus) optatus adsis Erice, ingredere heros fortisſime!

*) At e contrario (teste Nialâ cap. 89) Haron Hladensium princeps de sacrilego, qvi idola ornamentis pretiosis spoliaverat, ita exclamavit: "Dii qvidem præsentes non omnium delictorum expetunt pænas, at qvi hoc perpetravit, is Valhallâ arcebitur, eo nunqvam intromittendus."

**) Vid. *Torfæi Hist. Norveg.* II, 197-198 & *P. E. Müller Saga-Bibliothek* II, 373 & sq. ubi Danica nostra ejus poematis versio inserta habetur. Prima originalis strophа legitur præterea in Skalda (l. c.) pag. 97. Erant mihi ad manum duo manuscripta (Suhmianum in Fol. No. 54 & Arnæ-Magnæanum in 4. No. 303).

***) Sigmundus Rex et Sinſjotlius ejus filius ut humani heroes in Volsunga-Saga ac Eddis ambabus celebrantur. Vid. Onomasticon T. II.

****) Hæc ita Torfæus vertit: "Nam incertum est; profecto capitalis ille lupus collegium Deorum inspicit" seqventia addens: "Qvam recte hoc expositum sit, affirmare non posſum: tutius multo me hoc responsum non asſeqvi: sensum tamen eum elicio; Odinum ad incerta a lupo Fenrerensi metuenda, qvi Diis insidietur, iisqve exitiabile qvandoqve bellum moturus sit, Eri-

hæc palatia. Id tantum expone, qvinam principes e prælio te huc comitentur. Qvinqve adsunt Reges, respondit Ericus, ego ipse sextus sum, omnium tibi nomina exponam." —

Talia carmina, vel saltem similis qvalitatis orationes aut formulæ, adhibebantur olim gentilium in borea nostro funebribus ceremoniis, ut eximie monstrat relatio Snorronis Sturlæi de sepultura Haconis boni; "Defuncti regis amici cadaver ejus ad Sæheimum, in Hordalandia boreali, translatum ingenti tumulo, qvem ibi congessere, condiderunt, unacum tota illius armatura et cum pretiosissimis vestibus, sed absqve aliis divitiis. Ut more erat inter ethnicos receptum, habito ad ejus tumulum sermone votisqve, defunctum ad Valhallam (faustum) ire jubebant. De cæde Haconis Regis et de gaudio, qvo veniens in Valhallem receptus est [ab Odino, Diis et heroibus], cecinit Eyvindus Skaldaspiller carmen, dictum *Hákonarmál*, (a nobis supra allegatum)." Ubi autem atavi noſtri antiqvissimi Valhallam illam qvæsierint, aperte, monstratur aliis locis *): "Sancivit Odinus, ut rogis cremarentur omnes mortui, utqve cum illis bona eorum rogis inferrentur, promittens (fore) ut qvæ opes cuiqve addebantur in rogo, iis comitatus aditurus esset Valhallam, fruiturus & c." Et alibi (Cap. 11 Sæpe visus est Odinus Svionibus apparere, ante gravia exorta bella, specie hinc qvosdam victoria donantis, illinc alios ad suam aulam invitantis; in utramqve partem visa est ista conditio felix. Poſt mortem Odinus ipse impositus est rogo, atqve pompâ eximia crematus. Persvasum erat illis, qvo altius [tali occasione] ascendebat fumus, eo splendidiorem in cælo **) futuram ejus conditionem, cujus erat ro-

---

cum in auxilium delegisſe." Inspectis pluribus codicibus, Torſæi nutu priorem meam Danicam versionem non hæsitavi immutare. Laborant tamen varia illa exemplaria scriptoriis mendis. Habent etiam: *Sér* [forte rectius *fer*] *úlfr hinn* { *hausve* / *haulve* } potius, ut puto, *faulve* &c. qvam postremam dictionem jam sum secutus, cum *hausve* Torfæo: "capitalis" adjective, vix sano gaudeat sensu, nisi pro substantivo eam accipiamus, cum reddenda esſet: capitis pacem vel securitatem. lupus [Fenrer] sibi videt indultam in Deorum habitaculis.

*) *Ynglinga Saga* Cap. 8, 10. *Hkr.* l. c. I, 13, 15.

**) *I himnitnum* sunt textus ipsisſima verba. Hæc recta vertunt Danici translatores: *i Himmelen*, at latinus non omnino verbotenus: inter divos. — Ejusdem vetustisſimæ opinionis vestigia etiam apud Saxonem Grammaticum (H. D. Lib. 6) inveniuntur, in translatione Starcatheri cantionis:

Ast ego qvi totum concusſi cladibus orbem,
Leni morte fruar placidoqve *sub astra* levandus
Funere.

Exemplum similis ethnicorum Islandorum sententiæ adtulimus supra in artic. *Odinn* — cui jam addenda alia ejusdem Egilli carminis particula (de filio ejus undis submerso):

gus, tantoqve eum ditiorem fore, qvo plures cum eo cremarentur divitiæ."

Hæc defuncti (sive ipsius animæ aut umbræ) in alteram vitam migratio vulgo dicebatur *at gista Odinn*: ab Odino hospitio recipi; *fara til Odins*, ad Odinum proficisci (qvæ posterior phrasis adhuc a plebejis Islandis et Svecis in malam partem usitatur, ut supra alio loco monstravimus). Sic Hjalmar Svecus, plerisqve sociis cæsis, exclamavit: Vero simillimum videtur nos omnes vesperi in Valhalla apud Odinum hospitio exceptum iri; cui Oddus respondit, qvod hoc verius de Berserkis, eorum hostibus, dicendum esset. Postea Hialmar, gladium vibrans, Angantyri obviam processit, alterqve alterum ad Valhallam ire jussit *). Simili modo Hjaltius Danus, Rolfi Krakii miles, de hospitali apud Odinum receptione, proeliaris diei vespere appropinqvante, loqvebatur **) — at Ragnar Lodbrok, morti vicinus, cecinisse fertur ***) de Helsingis, olim ab ipso ad Odini domicilia missis; id eidem optimum fuit solatium; "qvod (ut dixit) sedilia Balderi patris (Odini) symposio parata scio. Brevi ex (potatoriis) cornibus bibemus. Heros mortem non moeret in palatio magnifici Fioelneri. Nos Asæ invitabunt; non est mors lugenda. Cupimus jam cessare. Domum invitant me Disæ (Valkyriæ) qvas ex aula Heriani mihi Odinus misit. Mulsum cum Asis lætus in sede principali bibam. Elapsæ sunt vitæ horæ; ridens ego moriar!" Plura, ex innumeris fere Scaldorum carminibus, de cæsorum ad Odinum migratione loca his addere, nos pro superfluo ducimus.

De multorum Norvegorum circa res illas veteris fidei articulo nos supra satis egimus. Restat etiam pauca de Islandis memorare. Ibidem, ethnicismo durante, moris erat, tumulo condito et involucris cadaveri adplicatis, viris defunctis funebres alligare calceos "ut iis in suo ad Valhallam itinere uti possint." At Gunnare de Hlidarenda armis hostilibus cæso et jamtum tumulato, Hognius, filius relictus, "illius bipennem depromit ut ingentem sonum ederet. Qvo suscitata Rannveiga (vidua) impetuose loqvitur: Qvis bipennem aufert, qvam ego contrectare omnibus interdixeram? Eam, inqvit Hognius, patri sum allaturus meo, qvo in Valhallam portet atqve in armilustrio publico proferat." *****)

Gnatus in aëris
Urbem migravit
Ad mansionem qværendam &c.

*) *Hervarar-Saga* Ed. Havn. pag. 26, 28, 30. Cfr. *Saga Gautreks oc Rólfs.*

**) *Saga Hrólfs K. Kraka* vers. Dan. doctisſimi Rafn, *Nord. Kæmpe-Hist.* I, 146.

***) Krákumál, sive Epicedium Ragnaris Lodbroci Daniæ Regis, Hafniæ 1826 pag. 4 (30) & sq.

****) *Gísla Súrssonar-Saga* Cap. 14 (Edit. Holensis pag. 144); *Niála*, Cap. 80 (Edit. Havn. pag. 119; translat. 253).

Fabulas vetustas Scandinavorum de Valhalla & Helæ mundo mire confudisse videtur Saxo Grammaticus (Hist. D. Lib. 1) in relatione de visione Hadingi, Daniæ Regis, in Norvegia diversantis: "Mirum dictu prodigium incidit. Siqvidem, cænante eo, fæmina cicutarum gerula *), propter focum humo caput extulisse conspecta, porrectoque sinû percunctari visa, qva mundi parte tam recentia gramina brumali tempore fuissent exorta. Cujus cognoscendi cupidum regem proprio obvolutum amiculo, refuga secum sub terras abduxit. Credo Diis infernalibus ita destinantibus, ut in ea loca vivus abduceretur, qvæ morienti petenda fuerant**). Primum igitur rapidæ cujusdam caliginis nubilum penetrantes, perqve callem diuturnis adesum meatibus incedentes, qvosdam prætextatos amictosqve ostro proceres conspicantur, qvibus præteritis loca demum aprica subeunt, qvæ delata â fæmina gramina protulerunt: progressiqve præcipitis lapsus ac liventis aqvæ fluvium diversi generis tela rapido volumine detorqventem, eundemqve ponte meabilem factum offendunt. Qvo pertransito binas acies mutuis viribus concurrere contemplantur, qvarum conditionem a fæmina percunctante Hadingo, ii sunt, inqvit, qvi ferro in necem acti cladis suæ speciem continuo protestantur exemplo, præsentiqve spectaculo præteritæ vitæ facinus æmulantur. Prodeuntibus murus aditu transcensuqve difficilis obsistebat, qvem fæmina necqvicqvam transsilire conata, cum ne corrugati qvidem corporis exilitate proficeret, galli caput, qvem secum forte deferebat abruptum, ultra mænium septa jactavit, statimqve redivivus

*) Cicuta, lethifera planta, inferno etiam ac inferis Diis apud Græcos et Romanos sacra habebatur & espropter lustrationibus fuit adhibita. Vid. e. gr. *Joh. Nicolai de luctu Græcorum* pag. 278.

**) Saxo ipse, ut christianus medii ævi scriptor, gentilium umbras inferno includi credere cogebatur. Sic (at non tamen semper) Odinum, ut defunctorum dominum pro Plutone boreali accepit e. gr. Lib. 7 in translatione cantilenæ (hostili in Hagbarthum animo prolatæ):

Iturus in reclusam
Diris severi regiam:
— Orco daturus spiritum.

Originalis cantio hic forte de Nidhoggo & Nastrandis est locuta — at heros respondet:

Iam non elysios inultus axes
Adibo; —

et in cæterum exprimit spem firmisfimam de futura cum sponsa simul moriente reunione in altera vitâ:

Qvum restaurandæ Veneris spes certa supersit
Et mors delicias mox habitura suas;
Axis uterqve juvat gemino celebrabitur orbe
Una animi reqvies, par in amore fides.

Cfr. *Freya* s., *Valkyria* i.

ales resumpti fidem spiraculi claro testabatur occentu." *)

Elucet e supra allatis proeliarem mortem ad Valhallensis beatitudinis acqvisitionem non fuisse necessariam, cum viri undis submersi, angvium morsu et aliis modis exstincti ejus participes evasisse crederentur. Insuper Rex Sveciæ Vanlandus, morbo (ephialte) periens, ad Odinum tamen defunctus pervenit, uti etiam idem refertur de principe Njordo, qvi (ut ipse incarnatus Odinus) morbo defunctus se tantummodo sacra notâ (hastæ mucrone incisâ) summo illi Valhallæ domino sacrari jussit **). Ultimum hocce igitur sacramentum, extra pugnam, gentilibus multis Scandinavis in mortis periculo pro necessario est habitum. Ex altera parte viri boni & justi (at simul strenui) præ cæteris a Diis benevole recipi, sed fortes qvidem at scelesti vel perjuri eorum ac Einherorum coetu arceri putabantur, qvæ omnia, cum pluribus huc pertinentibus, alio loco prolixe disqvisiimus ***).

Valhalla certe alio modo *Valborg* appellari potuit, unde nos conjecimus, qvod traditiones ac consvetudines boreæ nostri populares, ac veteres simul Germanicæ, Valborgæ (vel Valburgæ) nomine servaverint reminiscentiam gentilium fabularum de gigante (hyemali) ad Valhallæ introitum flammis periente, qvas olim in solenni æstatis receptione recitare vel certo modo dramatice agere solebant. Dii Asæ æstatem dirigere & protegere putabantur, et Valhallense igitur imperium, terris præsens, reo tempore humanum genus beare, ac sic ipsa æstas cum Valhalla est comparata (ut hyems cum Utgardis). Sic non mirum, si Valhallæ vel Valborgæ (aut Valburgæ) nomen æstivi primordii festo fuerit impositum, unde dies primus Maji adhuc Scandinavis & Germanis dicatur *Valborgs* & *Voldborgs Dag*, *Wallpurgs Tag*, *Wallpurgis* &c. Vespere eam præcedente adhuc in Svecia (ut olim in Daniâ) flagrant elatæ pyræ at ipso Valborgæ die lætæ compotationes hominibus saluberrimæ, ****) natationes

*) *Saxonis Grammatici Hist. Dan.* Ed. 1576 pag. 15. Cfr. Lexici hujus articulos *Giöll*, *Slidur*, *Niflheimr*, *Einheriar*, *Fjalar* & pl.

**) *Ynglinga Saga* Cap. 11, 16, *Hkr.* I, 15, 20. VI, 4. Adde Rererem Regem, qvi morbo exstinctus "domum ad Odinum est profectus, qvam multi illis temporibus cupiebant sortem". *Vols. Saga* Cap. 4.

***) *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 11, 20 & sq. 130 & sq. Illis, inter alios, adnumerandus est Eyvindus Kinnrifa, magnas Norvegicus, qvi pro ethnica sua relligione moriens ad Odinum (ut ei dedicatus) venire sperabat, qvamvis ab Olavo Tryggvino non armis, sed igneo tormento, crudeliter interimeretur. *S. Ol. Tr. S* ed. Skalh. II, 171-172.

****) Hinc Svecicum proverbium de illius diei Bacchanaliis: *at dricka merg i benen* (bibendo medullam ossibus indere). Vid *Linnæi Skånska Resa* 1751 pag. 10. — Pyrâ Thiassius (hyemalis) gigas, Valhallam petens, olim perierat. Hinc rogi paschales Germanorum, dict *Osterfeuer*, qvos Bonifacius apud gentiles Saxones vetusto more celebratos invenit, et populi,

eqvis maxime prodesse putantur; certa ejus diei phænomena totius anni indolem prædicere censentur &c. Procul dubio ethnicum illud festum, in Germania præcipue, a potentibus christianismi propagatoribus fuit severe prohibitum; at nihilominus ethnicismi asseclæ ea nocte freqventer convenere in sacris montibus e. gr. famosissimo Bructero (*der Brocken*, Dan. *Bloksbjerg*) ubi saxeorum gentilitatis delubrorum reliqviæ adhuc visuntur. Talium locorum visitatores ut magi & sagæ a Christianis diffamabantur, & sic partim orta est fabula de conventu veneficarum in dicto monte ac pluribus aliis e. gr. Sveciæ *Blåkulla*. Ad sacros illos montes olim manifeste pertinuit is (Blekingiæ ac Vestro-Gothiæ Svecicæ), propria magnitudine insignis, qvi adhuc vetustissimum Valhallæ nomen retinet (*Valhall*, *Valhallsberg* *). Qvod autem terrestria (in primis sacra) loca sæpe a cælestibus proprium nomen traxerint, nulla probatione carebit, cum alio modo de ipsa Valhalla id valuisse supra sit monstratum. Sic plura Islandiæ prædia adhuc vocantur *Asgardr*, *Valhöll* &c. et similem casum olim exstitisse in Sveciæ Upsalia **) & Sigtunis nos alibi conjecimus. — — Ast cum tempore labente festi illius inter plurimos Germaniæ & boreæ christianos solennis observatio non potuit aboleri, id a sacerdotibus a sancta qvadam fæmina, (Valburga, Walpurgi vel Valborga, ethnicco qvamvis vocabulo) dictâ, nomen ac omen trahere jubebatur, qvum tamen inter exteros idem dies Philippo & Jacobo apostolis fuerit dedicatus ***). Hebdomas tota, qvâ dies hicce incidebat, Valborgæ nomine olim fuit signata apud Scandinavos; at Lappones Svecici (Valhallam forte olim abominantes) reliqvis anni hebdomadibus certa imposuerunt nomina, sed illi soli nullum, unde eam anonymam vocant. *Schefferi Lapponia, transl. Dan.* pag. 495.

---

veniâ adqvisitâ, christiano ritui addidit, ut novæ relligionis ceremoniis sacratos. Vid. *Reiskii Untersuchang des heid. Nodfyrs* pag. 7, 64, 69. Cfr. *Þiassi* i.

*) *Diurberg Beskrifning om Svearike* II, 689. s. *(Götaland, Kronobergslän)*; cfr. *Siöborg Nomenclatur för nordiska Fornlemningar* pag. 166. Ibi refertur mons Valhall (in pago Redväg, parochia Böne) ab aliis interdum nominari *finis* (aut fastigium?) *terræ*, *(Verldens ända)*; conspicitur in ea saxea ara, jam dicta *Skams altare* (probri sive ignominiæ altare) at aliæ petreæ ruinæ *Skams predikstol* (sacra p. vel i. cathedra). Eodem modo inter rudera illa, adhuc in Bructero monte sita, viatoribus monstrantur altare et cathedra diaboli *(Teufels Altar*, T. *Kanzel* it. *der Hexen Taufstein*, saxeum sagarum baptisterium p. p.)

**) Upsaliæ sacram arborem & fontem Ygdrasilli & Urdani fontis terrestria symbola vel ectypa fuisse, alibi monstravimus. Templum Valhallæ splendorem imitabatur qvum (ex Adami Bremensis relatione) totum fuerit ex auro paratum (vel auro ornatum. *De situ Dan. Cap.*26).

***) Signum hieroglyphicum illius diei in calendariis (et runicis qvidem) baculis fuit frondens arbor; hic verisimiliter indicatur arbor majalis; in mythis de Valhallâ agentibus celebrantur arbor Leradus (super tectum ejus elevata) & lucus Glaser (stans ante aulæ fores).

Legenda catholica de Sancto Wulffra-mo et Radbodo, ethnico Frisiorum Rege, hujus de Valhallâ opiniones ita suo modo describere videtur: "Dux Rathbodus (anno p. Chr. n. 719) in ægritudine positus . . dum sopore deditus foret, deceptor hominum diabolus, qvi etiam Dei omnipotentis permissu in angelum se transfigurat lucis, ei apparuit, diademate aureo cum fulgentibus gemmis capite opertus, vestiqve auro textili toto amictus corpore: diuqve attonitus præfatus princeps diligenter in eum intendebat stupens ac tremebundus, admirans cujus speiei ac virtutis esset qvi sibi apparebat nuncius. Isqve multimodæ artis nocendi sævissimus draco inqvit ad eum: Dic qvæso, virorum fortissime! qvis te ita seduxit, ut â culturâ Deorum & religione prædecessorum tuorum velis recedere? Noli ita, observo, agere, sed in his, qvæ hactenus tenuisti, culturis Deorum permane, ibiqve ad *domos aureas* æternaliter mansuras, qvas tibi in proximo sum daturus ut meorum verborum dictis adstruam fidem. Qvapropter cras accersiens Wlframum, doctorem christianum, inqvire ab eo ubinam sit illa mansio æternæ claritatis, qvam te pollicetur, si christianum susceperis dogma, in cælestibus habiturum. Qvam cum demonstrare neqviverit, utriusqve partis mittantur legati, eroqve dux itineris et demonstrabo illis *mansionem eximiæ pulchritudinis ac fulgoris immensi*, qvam tibi post modicum sum daturus. Qvi evigilans sancto pontifici Wlframno cuncta per ordinem pandit. At ille, congemiscens ejus damnationi, ait: hæc *illusio diaboli* *) est, qvi omnes vult perire . . . qvapropter nullo modo fidem accommodes *verbis* ejus *mendacibus* . . . Nam qvi promittit aureas mansiones largiri sibi credentibus, tartareas potius inferi deducit ad sedes, fætidumqve lacum Cocyti **) . . . Hæc, et hujusmodi plura, proseqvente sancto pontifice, respondit prædictus incredulus princeps omnia se facturum, qvæ jubebat, si illa demonstraretur a suo Deo mansio, qvam sibi largiturum spoponderat. Cumqve insuperabilem in cunctis sacerdos Christi animum illius cerneret, ne a gentilibus alia fingerentur pro aliis, misit continuo cum qvodam Fresione suum Diaconum. Qvi cum paullulum ab oppido processissent, obvium sibi reperiunt in humana effigie ***) quemdam itineris comitem, qvi dixit eis: Properamini cito: nam osten-

*) Eodem modo librarii Christiani apellarunt primam junioris Eddæ partem, qvæ Odinum, sub Haris Regis persona, Gylfio Asgardiam & Valhallam monstrasse refert, *illusionem Gylfi* (qvæ tamen ab ipso ethnicismo, propter alias rationes, eundem sumserat titulum) & *mendacium Harianum (Hárs lýgi)*.

**) Hic verisimiliter originalis sancti viri sermo nominavit mythicum aliqvem abyssum, qvi Hvergemleri nostro e Frisiorum supertitione respondit.

***) E nostratium traditionibus Odinus sub humana specie freqventer mortalibus apparuit.

surus sum vobis mansionem eximiæ pulchritudinis, qvæ præparata est a Deo suo Rathbodo principi. Qvi ducem ac comitem itineris proseqventes, loca diu peragrant incognita, donec viam ingredientes latissimam, diversorum generibus marmorum eam cernunt polito opere decoratam, *) videntqve a longe domum auream ac perveniunt usqve ad plateam, qvæ ante præfatam domum sita erat et ipsa auro gemmisqve strata **). Intrantes qvoqve in domum aurei splendoris et incredibilis pulchritudinis, adspiciunt thronum miræ magnitudinis. Tum ductor itineris: Hæc est, inqvit, domus et ista est pulcherrima sedes, qvam post ejus mortem principi Rathbodo Deus suus largiturum se spopondit." ***)

Hæc aut similia per nocturnam certe phantasiam, secundum avitæ suæ superstitionis tenorem, viderat ægrotans Frisiorum princeps. At hæc tamen fuit ratio (e relatione auctoris nostri) cur Ovo presbytero (contemporaneo) narrante, Rathbodus baptizari noluerit. Is enim paullo posterius "percunctabatur ab Ulframno, juramentis eum per nomen domini adstringens, ubi major esset numerus Regum et principum seu nobilium gentis Fresionum, in *illa* videlicet *cælesti regione*, qvam si crederet et baptizaretur, percepturum se promittebat; an in *ea*, qvam dicebat tartaream damnationem. Cui b. Wlframnus: noli errare, inclyte princeps! apud Deum certus est suorum numerus electorum; nam prædecessores tui principes, qvi sine baptismi sacramento recesserunt, certum est damnationis suscepisse sententiam: qvi vero abhinc crediderit & bapizatus fuerit cum Christo gaudebit in æternum. Hæc audiens Dux incredulus, nam ad fontem processerat, infelix pedem a fonte retraxit, dicens *non se carere posse consortio prædecessorum principum Fresionum* & cum parvo numero pauperum residere in illo cælesti regno: qvin potius non facile posse novis dictis adsensum præbere, sed potius permansurum se in his, qvæ multo tempore cum omni Fresionum gente servaverat." Paullo post Rathbodus exspiravit & eadem nocte sanctus Willibrordus eum in visione vidit catenâ religatum ignea ****).

*) Hic forte sermo est de Bifrasta, splendidissimo ac multicolore qvidem ponte sive via, ad Valhallam ducente.

**) Indicatur verisimiliter Idensis campus *(Ida-völlur)* nostratium mythologiæ.

***) E legendæ relatione finiit hæcce visio suo modo in Gylfianæ illusionis qvandam similitudinem: "Diaconus opstupefactus in his qvæ viderat dixit: si autem à Diabolo, cito dispareant. Et vallans se continuo sanctæ crucis munimine, dux itineris, qvi videbatur homo, evanescendo transiit in diabolum & domus aurea versa est in lutum; remanseruntque hi duo simul, Fresio videlicet et Diaconus, in medio locorum palustrium, qvæ plena erant longissimis rhamneis virgultis triduoqve immensi laboris itinere revertuntur ad oppidum."

****) *Jonæ* Fontanellensis *vita S. Wulframni* apud *Mabillon, Acta Sanctorum Ordinis Benedic-*

In Ossianeis Caledonum carminibus celebratur Odinus sub nomine *Crwth-Loda*, ut magnopere a Lochlinensibus (sive Scandinavis) cultus. Sic ejus habitaculum ab hostilis gentis vate describitur: "Mons *Uthorno*! *) aqvis in altum emergens, ad cujus latera nocturna meteora coruscant; cerno lunam obscuram trans resonantes tuas sylvas delabi. In culmine tuo stat nebulosa *Loda*, umbrarum humanarum mansio. In intimo tuæ aulæ penetrali Cruth-Loda, gladiorum director (dominus vel dator) pronus inclinat, at undante caligine circundatus vix in medio cernitur. Dextra tenet clypeum, at sinistra poculum, ê dimidia tantum parte visibile. Stupendæ ejus ædis tectum nocturnis flammis est insignitum. Soboles Cruth-Lodæ procedit, series formarum expers. Offert ille sonantem scyphum iis qvi in proelio splenduerant. At inter eum et imbecilles surgit ipsius scutum, massæ tenebrosæ simile. Iis, qvi armis sunt infirmi, is degrassans minatur fulgetra."

Dicuntur alibi (in odâ *Oina-Moirul*) "duo (Scandinavici) heroes, qvi mutuâ pugna ceciderant, jam concordes & læti vaporeis brachiis eundem craterem tractare." Filia patrem amissum lugens, id sibi solatii fingit: "qvod is in Lodæ palatio sonorum qvatiat cantharum." Ast alia genitoris umbram ita alloqvitur: "Cerno te Lulani princeps! venatum ad Lodæ aulam exercere, dum nox opaca cælum amplectitur." Invocantur porro Dii ut Lodæ incolæ; *Carcar* (Caurus vel Aeolus borealium) qvi nubibus mediis pallidus procedit; *Sluth-Mor* (*Slátt-Mar* ɔ: tundens Aeger sive Oceanus) qvi amplis gressibus aërias pervadit cameras & *Curch-Tor* (Thor rhedâ vectus) tempestatê terribilis. E coelo semper Cruth-Loda apparere dicitus. Is flammeis oculis præditus, trans lunam prospiciens, edit varia nocturna signa, aut e nubis ela-

tini, Venetiis 1734, I, 345-46. Cfr. Grimmiorum fratrum: *Deutsche Sagen* II, 120-123, (qvi tamen originalem Wulframni vitam non ad manus habuisse videntur) — & eorundem *Haus- und Kinder-Mährchen* I, XL (ubi etiam veterum de Asgardiâ ac Valhalla mythorum in fabulis puerilibus hodierni ævi relliqviæ ingeniose monstrantur). — Hastingus Scandinavus (et forte plures) in Galliâ (ni fallor) baptizandus, simile responsum, ac Radbodus, sacerdoti fertur dedisse & baptismum ita recusasse.

*) Videtur hic describi mons qvidam terræ altissimus, in cujus culmine, ad vel super cælum elato, arx Cruth-Lodæ (vel Odini) ac defunctorum heroum, stetisse putabatur. At qvoqve ipse Ossianus Celticis suis heroibus aërias adtribuit arces, lucis ac gaudii minime expertes. Vide, si tanti est, nostros in eum commentarios (insertos scriptis societatis literar. Scandinav. pro 1813, IX, 255 & 59. 328-330. 334-356). Hinc recentiorum Hibernorum superstitiones relatæ a Giraldo (circa medium sec 12 mi) et a sacerdote J. Good anno 1566 descriptæ, de defunctorum apud vetustatis heroes *Fin-Mac Huyle* (vulgo Fingalem) *Osshinum* (Ossianum) & alios beata mansione. Vid. *Cambden Britann.* I, 1422. In aliis vetustis poëmatibus vocatur Elysium illud *Flathinni* vel *Flainni* (cfr. nostrum *Valsinni*) æterno sole, vere & juventute beatum ac altis heroum palatiis ornatum. (*Gaelische Alterthümer* II, 117).

tæ culmine speculans cataractæ sonitui sua miscet oracula. Dum Lochlinenses duces rutilas occidentis stellas observant, Cruth-Loda ex alto emittit ventos, eos suis signis distingvens. At nihilominus (ut jamdum e præfatis patet) defuncti heroes celebrantur ut Lodæ (cælestis) incolæ. Sic insuper Ullinus, celticus poeta, atavos Duthmarini (Scando Colgormo prognatos) salutat ut Lodesis aulæ incolas. Ast interdum (e contrario) delubra Lochlinensium & Orcadensium terrestria Ossiano sonant: Lodæ aula (vel templum aut palatium Loda). Describit ita Lodenses arbores, petras, torrentes & circulos, ubi Scandinavici principes & sacerdotes Cruth-Lodæ oracula consulere solebant. Hic aperte intelliguntur borealium aprica vel sylvestria fana. Appellantur igitur præsules illi Lodæ filii qvi magicis precibus & artibus in tenebrosæ patriæ lucis spiritus e cælo deducere & oracula ac omina provocare didicerant. Hæc omnia alibi multo fusius disseruimus *).

Similes aliorum populorum opiniones de defunctorum habitaculis, qvæ nostræ cælesti Valhallæ sunt assimilanda, et tempus & spatium prohibent recitare, sed possumus tamen lectorem, si tanti est, ad aliud nostrum opus eo respectu ablegare **). Non hic penitus reticendæ sunt Thracum, Germanorum, Celtarum & pl. opiniones de præcipuâ bellicæ |mortis felicitate, qvas tamen, ut plerisqve satis notas, amplius disserere pro superfluo ducimus. Est forte illarum origo in extremo fere oriente qværenda; sic e. gr. vetustissimæ Indorum leges (Menuo sive Manuo adscriptæ) mandant Regi, qvi morbo insanabili vexatur, pugnas petere et bellicam mortem, nisi fame voluntaria perire prætulerit. Alioqvin Regi bellanti non licuit prælium deserere, at principes, in eo fortiter pugnantes ac faciem non avertentes, morientes statim in coelum ascendere ***) dicuntur.

Reliqva huc pertinentia mittere cogimus. Restat solummodo explicatio nominis *Valhavll*, qvæ variis sane modis

*) Vide Ossianea poëmata *Cath-Loda* vel *Cathloduinn*, *Cathlin de Clutha*, *Oina Moirul* & pl. cfr. memoratos nostros commentarios in Ossiani loca, qvæ boreales antiqvitates tangunt,

**) *Eddalæren og dens Oprindelse* III, 56 & sq. 97 & sq.

***) *Institutions of Manu, translated by Wil. Jones* VII, 88, 89. IX, 317-323, Egillus Skallagrimi, fortis Islandus, pro moerore propriam vitam finire cupiens, fame voluntariâ extingvi conabatur. Idem Egillus filium, undis submersum, ad Deorum mundum & in aëriam vel cælestem urbem elevatum decantavit; (*Eigla* ed. Havn. pag. 635-636). Monui supra suo loco Einheros vel coelestes copias (qvorum pater ac summus director Odinus) et stellas et defunctos heroes denotare; eædem ideæ in vetustis Indorum poematibus occurrunt, e. gr. cælesti Ardschunæ itinere, qvod celeberr. Boppius Germanice vertit. Dicuntur ibi urbs Deorum Amaravarati, (cum arce *Vaidschanta* &) luco jucundissimo Nandauam (Asgardiæ, Valhallæ, & Glasero nostratium respondentes) esse habitacula defunctorum heroum qvi tamen "sub stellarum formâ e terra nostra possunt conspici. At ibidem additur:

& rationibus instrui potest, his nimirum a) sphærica vel cælestis aula (qvam nos cæteris præferimus & cujus rationes supra proposuimus ad artic. *Valfadir* s. b) Defunctorum et potissime hominum armis cæsorum palatium, a *Valr*, sæpissime collective strages hominum, pugnâ interemtorum, *) at tamen interdum corpus defuncti hominis uti ant. Germ. *Uual*, *Wal*, AS. *Væl;* hinc qvoqve Gothland. *Valer* cadaver humanum. Vid. Gl. T. I. & II. Putant alii vocabulum istud significare electionem vel electos, qvi ab Odino aut Valkyriis tali mortis genere destinantur (a vocibus *Val* electio &c). c) Falconis vel accipitris aëria aula. Hæc avis cælo & cælestibus Diis ab omnibus vetustatis populis est adscripta; — nostrates finxere falconem Odino sacrum ac proprium & aliam qvoqve (vel eandem forte) mythicam ejus generis avem in mundanæ arboris culmine residere; vid. *Hábrók* s. At saltem accipiter ab antiqvissimis hominibus altissimo volatu cæli

---

Qvi ê pugna timidus aufugiit nunqvam veniet in illum piorum mundum;
Qvi sacra impius violat illi loco nunqvam adpropinqvabit.

Et sic qvoque docetur in poematis *Nala* lib 2 (e translat. Germ. doctiss. Kosegarten):

Probi terræ custodes, vitam in proelio amittentes,
Qvi per tela morti occurrunt, rato tempore, faciem non avertentes —
His æternus mundus est destinatus.

Ac in *Hitopadesa* (Lond. 1810 pag. 68):

Moriens adqvirit: coelum — hostes perimens: gloriam
Ambæ sortes, difficiles satis, solorum heroum sunt hæredium.

(Cfr. *Yngl. S.* Cap. 10, supra adlatum). Et porro:

Qvum sapiens extra prælium nullam cernit beatitudinem,
Is mortem aggreditur pugnans contra hostium catervas,
Per victoriam adqvirit fortunam, per lethum divinam pulchritudinem;
Qvis tum, corpore transitorio, cunctetur obitum bellicum qværendo!

Et tandem (pag. 86):

Qvi in proelii campo, heroi similis, vitam pro principe amittit
Fidus & gratus erga dominum, hic vir in coelum introibit;
Ubicunqve miles strenuus cadit, undiqvaqve hostibus cinctus,
Semper adqviret æternum mundum, si nunqvam sibi metuerit.

(*Kosegarten* l. c. pag. 234-235; cfr. *Hermes* 1827, XXVIII, 285 & sq.).

Iudis olim fuerunt Parthi vicini, qvi dixerunt "omnes beatos, qvi in prælio profuderint animam. Excedentes enim ê vita morte fortuita convitiis insectantur ut degeneres et ignavos" *Ammian. Marcellin.* Lib. 23. 1632 pag. 460; Idem euctor Alanos, qvorum terræ se ab Istro vel Tanai ad Gangen usqve olim extenderunt, easdem opiniones adscribit (Lib. 31 pag. 790). At Alanos qvoqve in boreali Europa regna condididisse alii jamdudum probaverunt viri doctissimi, ut *Suhm, Schöning, Vedel Simonsen, Geyjer* & pl. Cfr. qvoqve, si tanti est, *Eddalæren* o. d. O. III, 24 & sq. 44 & sq. 54 & sq. 71 & sq. 96 & sq.

*) Hinc Danorum *Valplads*, pugnæ sive stragis locus, Svec. *Wallplats*, German *Wahlstätt, Wallstatt,* (olim *Wal* vel *Uual* &c)-

penetralia petere et ex iis emitti credebatur. d) Electa sive præstantissima aula (vid. Gl. T. II). Præferunt forte alii orientalem mythici hujus nominis originem e. gr. Pers. *vall, val* excellens *), elatus p. p. De voce *Havll, Höll* aula vid. Gl. T. I. & II. Cfr. *Gladsheimr, Hlidskjálf s.* **).

Vali, filius Odini, (non expressis verbis nominatus) unam noctem natus dimicavit, at nunqvam manus lavit nec caput comsit, priusqvam in pyram portavit Balderi adversarium (Hoederum vel Hoedum) *VSpá* 31 (obs. 52). Dicitur porro Rindæ fuisse filius, in domiciliis occidentalibus (vel hyëmalibus) natus. *Vegt.* Qv. 16 (cfr. 15). Nominatur Valius ut Balderi ultor *H. L.* 27. De ejus cælesti palatio (vel zodiacali aqvarii signo) vid. *Valaskjalf s.* Exstincto Surtino incendio

*) Non defuit Persis antiqvis sua Valhalla. Sic Sijavesch heros, cælesti lumine cinctus, apparuit Thusi in somno, ita eum alloqvens: "Non deplores Cudersios (armis cæsos); sunt enim apud me in rosario horto, large haurientes vina, qvorum abundantia non est consummabilis." Cfr. lucum *Glasir*, Germanorum priscorum *Rosengarten* & Eddæ nostræ H. Q. III, 44, it. *Görres Schahnameh* II, 97 (cfr. I, ccxvii).

**) Cfr. porro celeb. Graeteri ingeniosissimam disqvisitionem: *Ueber Walhalla und ihre Helden (Nordische Blumen* pag. 322-372). Qvas ideas de Valhallæ statu & aspectu sibi sec. 13 vel 14 to finxerint qvidam plebeji Islandi, elucet e carmine vetusto, *Skida-Rima* dicto. Describitur ita ibidem, Schidoni erroni in somniis visa:

Borgar turnar glóa sem gull
Glymr í hvörju strœti
Heimsins er þar hegdan full
Og hæversk önnur læti.
Hvör á þessi húsinn stór?
Hátt réd Skídi mæla —
Þetta er nú hún Valhöll vor
Sem vís er í audr og sœla

d: Splendent urbis turres auri instar,
Resonat (gaudio) platea qvævis;
Hic plena cernitur solertia mundi
Ac alii gestus elegantes.
"Qvis has possidet ingentes ædes?"
Schido sonore interrogavit —
"Hæc est ipsa nostra Valhalla
Ubi opes & felicitas abundant"

In seqventibus dicuntur ibi esse collocati Odinus cum duodecim supremis Asis, plures prisci Daniæ Reges ac permulti alii Einheri, Deæ Frigga & Freya, Hilda (Valkyria) &c. — Novam jam Valhallam in sui regni metropoli magnifice exstruit celsissimus Bavarorum Rex Ludovicus primus (scientiarum ac artium clementissimus protector) illam nimirum ædem præstantissimorum Germanorum memoriæ ac imaginibus dedicans.

Valius (cum Vidare) deorum habitacula (vel sancta loca) exstruet vel inhabitabit. *Vafþr. M.* 51.

Has de eo Edda junior conservavit relationes (pag. 31). "Alius *(Ali)* vel Valius *(Vali)* dicitur Asarum unus, filius Odini et Rindæ; is in proeliis est animosus & jaculator felicissimus (vel dexterrimus aut commodissimus)". Nominatur (pag. 79) inter duodecim Asas judices in convivio Asgardiano, Aegero parato, congregatos. Vaticinatur Har Ganglero (pag. 76) qvod ultimæ mundi devastationi Valius cum Vidare sit supervicturus, et in campo Idensi, ubi prius (vel prior) fuerat Asgardia sita, ædes exstructurus vel habitaturus. Skalda has Valio adtribuit poëticas denominationes (pag. 105): "Filius Odini et Rindæ, privignus Friggæ, frater Asarum, Asa Balderi ultor, hostis & occisor Hoederi, Asa paternorum domiciliorum exstructor (vel reædificator)".

Monstravimus supra suis locis Valium atavis nostris significasse solarem vel diurnam lucem, cum veris primordiis ad terras revertentem; hæc cæcum Hoederum, nocturnarum ac hyemalium tenebrarum dæmonem, interficit & Balderum, æstivæ lucis pulcherrimi ac optimi Dei, ab isto effectam cædem ulciscitur. Hoederi funebris rogus, a Valio accensus, tenebrarum per ignitos solis radios consummationem indicat *); hinc festivæ illæ pyræ, qvæ primum solaris luminis reditum olim indicare solebant. Hinc qvoqve verisimiliter illud lampadum vel candelarum festum, qvod Valii mense durante ab antiqvissimis temporibus ubiqve fere celebratum fuisse videtur, jam qvoqve sub eodem nomine (sed Christianismi indoli adaptato) notum **). Antiqvissimum certe apud Scandinavos nomen fuit hujus mensis qvod in vetustis Islandorum libris invenimus, nimirum *Liósberi* (verbotenus:

*) In eundem modum ut Thiassii (gelidi vel hyemalis gigantis) crematio &c. Allusit talis allegoria ad periodi frigidæ ac tenebrosæ exustionem per cælestes flammas. Sic Indi hodierni, verno eorum festo Huli dicto (cum fabulæ mythologicæ dramatice repræsentantur) solenniter annum tum præteritum se comburere fingunt; *As. Res.* VIII, 78.

**) Islandice *Kyndilmessa* (facularum vel candelarum festum), Dan. *Kyndelmisse*, Svec. *Kyndersmessa*; Angl. *Candlemas*, Gall. *la chandeleur*, a latino *Candelaria*; German. *Lichtmess, Lichtmesse, Unser Frauentag der Lichtweihung, der Kerzweihe* &c. Scimus festum hocce sec. 6to a christianis esse institutum, loco festorum plurium Romano-Græcorum, (faculis partim celebratorum) receptum (in memoriam purificationis Mariæ & primæ Christi in templo Hierosolymitano apparitionis). Nihilo minus mos ille ethnicus, in cereorum circumactionem & consecrationem mutatus, continuavit & illi nomini christianæ solennitatis ansam dedit. At olim mensi Februario præfuerat Juno Februa, ut apud nostrates postremæ ejus periodo Dea Saga, in medio undarum (purificantium) residens. Apud Persas idem mensis sacer fuit Deæ Sapandomadæ (puræ ac purificanti). Circa eadem tempora incidit antiqvissimum apud Persas *ignis festum*, cum novus ignis silice relligiose excudi solebat & pyræ solennes freqventer accendi. Cfr. *Saga* s. it. Ullmannum de festis apud Creuzerum l. c. IV, 604-605 & *v.*

Lucifer) ut Anglosaxonibus & Norvegis *Solmonad* vel solaris mensis; — at gentiles Germanos faculis sua festa celebrasse alioqvin est certissimum *). Duplex Borealibus olim habebatur Jolense festum; primarium solstitiali tempore (vid. *Freyr* s.) unde December Anglosaxonibus dictus est *aerra Geola* ɔ: prior Jolensis mensis; Gothis Italicis primum (e nostra opinione) *Fruma jiuleis* **) — et posterius circa initium Valiani mensis, dicti ab Anglosaxonibus *ætera Geola*, qvod tamen festum vulgo appellatur *Midsvetrarblót* (mediæ hyemis sacrificium), id autem a Norvegis maxime borealibus, qvorum multis solis revertentis plenus visus circa ea tempora primum contingit, olim vocatum eſt Jolense festum. Ambo illa igne sacro ac faculis vel luminaribus fuerunt adornata ***), unde vocabula Islandis adhuc in usu *Jólabál* (incendium Jolense) ****) & *Jólaliós* (faculæ vel can-

Hammer über alt-pers Rel. Gesch. (Wiener Jahrb. 1820). In Islandia hocce festum præcedebat solemnis dies radii vel radiorum, vulgo *Geisladagr*, a christianis S. Hilario dedicatus, a splendore vel illuminatione ita dictus; a gentili lucis cultu hoc certe nomen originitus adqvisi vit.

*) Vid. *Rössig Alterthümer der Deutschen* pag. 192. Plura ejus rei documenta collegit tamen Keislerus (Ant. Sept. pag. 14-17) ubi etiam auctor doctissimus probavit hunc ritum e gentilismo in Christianismum fuisse translatum. Allegantur ibidem varia conciliorum et imperatorum mandata contra *facularum accensores*, *more infidelium* &c. ab anno 452 ad Caroli M. & Ludovici Pii Tempora.

**) Ut indagavit doctiss. *Jac. Grimm*, qvi tamen eum pro Novembri accipiendum conjecit; at mensis proxime præcedens in Calendario illo habet dies triginta.

***) Hinc in baculis calendaribus vel runicis Norvegorum Jolensis festi primus dies indicatur *flammante* rogo at Candelaria ingenti *candelabro*, *ardentibus cereis instructo*.

****) Hoc etiam Persis veteribus fuit usitatum hyemalis solstitii festo, dicto *schebi Jelda (Yelda)*, ut nostratibus *Juldag*, *Jólanótt* &c., qvod etiam alioqvin audiit nox rogorum p. p. *(Hyde de rellig. vet. Pers* pag. 253); cfr. annotationem nostram paullo anterius præcedentem de posteriore apud eos ignis vel rogorum festro). Buddhistæ (ut Siamenses & pl.) primo novilunio mensis Decembris celebrant magnum lampadum festum, qvo elementalia numina & simul defunctorum animæ maximâ pompa coluntur; tunc novum incipiunt annum, ut adhuc in Islandia plebeji ætatis annos a nocte Jolense solent numerare; hodie qvoqve in boreâ nostro non est abolita superstitio antiqva de defunctorum umbris vel Manibus per tellurem vagantibus, nocte hyemis solstitiali, vel ea isti proxima qvæ jam vocatur minor Jolensis festi nox, *lille Julenat* Danice &c. — Apud Sinenses unitum lampadum vel lucernarum et novi anni festum integro mensis spatii celebratur. Tunc omnifaria luminaria splendent, ignis artificiosi spectacula populo exhibentur &c. Apud Indos lampadum festum præcedit aliud, dictum *Pongol* vel *Tila Sacranti*, in ipso hyemali solstitio per tres dies celebratum. Tunc ruricolæ Telluri & Igni sacrificant. Primus dies dicitur dies gaudii, secundus d. solis, tertius d. vaccarum vel bovum. Hoc festo puls oryzæ (præter varia bellaria) solenniter comeditur et bovibus qvoqve exqvisitius (qvam alioqvin) pabulum indulgetur; hi ambo ritus hodiedum nostratibus observantur, (unde vox Danica *Julegröd* & pl.) Vid *As. Res.* VIII, 78, 87 & *Dubois Moeurs, institutions & Cérémonies des peuples d'Inde* (1825) II, 332-536. *Pon-*

delæ Jolenses) &c. Ob eandem causam ad ultima usque tempora Danis & Norvegis recentius candelarum festum (ab Vestro-Gothicis Svecis & pl. adhuc vocatum *Lella Jula* vel minus Jolense festum, teste Ihreo, in Lex dialect. Svec.) Jolensi ipsi festivæ periodo finem imponere putatur *).

Valius ut zodiacalis ac menstruus Deus dicitur filius Odini (Cæli) et Rindæ (Telluris infructuosæ vel hibernæ, ut suo loco probavimus) at privignus Friggæ (Telluris frugiferæ) in atriis hyemalibus (vel occidentalibus) natus. Est tamen bellator fortis ac animosus, in anno suo cum tenebrarum & frigoris dæmonibus bello, qvo felicissime (aureis lucis) sagittis utitur. Qvomodo ejus palatium similem allegoriam alio modo exprimat, vid. *Valaskjálf* s.

Loco Valii, sagittarii Dei, a gentilibus culti, Norvegi certo modo receperunt sanctum Paulum Apostolum (cui Dies 25tus Januarii fuit dedicatus) qvum nimirum eum hodiedum rustici illius gentis dexterrimum dicant fuisse sagittarium et fortissimum bellatorem, qvi matutino tempore præliari soluerit. Hinc ejus diem in calendario eorum sive runico baculo *arcu* (sagittario) insignitum esse putant **); multo verisimilius est Valii arcum (circa mensis ipsi sacrati initium) sic originitus fuisse repræsentatum. At mutata religione, ethnica fabula, nomine tantum mutato, in christianam est conversa. Eadem feria a rusticis totius septentrionis censetur esse maxime notabilis, ad omina de seqventis anni indole ac fertilitate ex illius tempestate capescenda. Si nimirum cælum (Valii aula) eo die serenum conspicitur, annus iste summa gaudebit frugum abundantia &c. ***).

---

gol dicitur significare coctionem i. e. comessationem vel convivium, uti *Jól*, Ang. S. *Geol* &c. a qvibusdam eodem modo explicantur. Mensis istud festum præcedens Indis infaustus censetur et precibus religiosis dedicatur. Convenit obscurissimo anni tempori ac verisimiliter qvoqve, (in solaris Scandinavorum anni mythico calendario) crepusculo deorum & exitio mundi. Cur autem Papa Gregorius magnus per idem mensis spatium jejunium publicum indixerit (unde ea periodus adhuc Islandis dicitur *Jólafasta*) alii dijudicent. Moneo tantum illum summum Pontificem præ cæteris gentiles ceremonias christianæ relligioni apud gentes conversas adaptasse.

*) Teste Davide Monrad: *hedenske Christenhed* (libro MSto in magna Regis Danici bibliotheca) Cap. 8 *om Julelius* (de candelis Jolensibus).

**) *Vid. Wille Beskrivelse over Sillejords Præstegjeld* (1786) pag. 245 "*Paalsmess. Den kaldes ellers Paal Skyttar eller Paal med Bojen*" &c. Tabula ænea, libro affixa, repræsentat calendarem illum baculum cum suis hieroglyphis, secundum Tellemarkensium vulgarem exhibitionem. Cfr. *J. Wolff Calendrier runiqve* (a Paris 1820) cum delineatione alius talis, in boreali Norvegia usitati.

***) Prisco Valii mensi (vel Februarii 14 diei) a christianis adsignatum fuit festum S. Valentini (German. *Vallinsttags*, *Valteinstag* &c.) qvi adhuc, in Anglia præsertim, superstitiose colitur.

Qvod olim in Germania mensis ille Valianus amplissimis celebratus fuerit symposiis, conclusere alii ab ejus vetusto nomine *Hornung* (a cornibus potatoriis ita dicto). Qvod autem, tam in borea qvam meridie, convivia ac ludi, jejunium christianorum magnum præcedentia, ethnicis festis suam deberent originem, jam minime potest dubitari. Ad hæcce spectacula, certis locis, adhuc pertinet ejectio vel interemtio hyemis aut mortis, a plebejis vel pueris per personas & figuras repræsentata, qvæ tamen fabula ad mediam magni jejunii Dominicam (dictam Lætare, at vulgo *Todten-Sonntag*) in pluribus Germaniæ regionibus jam agitur *), ut olim verisimiliter mediæ hyemis tempore â gentilibus magis mythologice fuerat repræsentata. Tunc qvoqve apud nostrates Hoederi & aliorum fatis functorum heroum mortem fuisse religiose memoratam, non vero erit absimile, qvum Francos, Februario durante, pro defunctis solenne similis indolis festum celebrasse sciamus **).

Conjecit qvondam Suhmius Balderum Solem symbolice significasse, at Hoederum Noctis genium, qvi Solem qvotidie profligare videtur; tum Valius, Hoederum interimens, pro ipso die (vel diurno splendore) foret accipiendus. Hanc eandem sententiam *B*astholmius qvoqve adoptavit. Mei ipsius sententia immortalibus illis scriptoribus ex aliqva parte convenit, cum numina illa opiner, ê veterum Scandinavorum relligione, apparuisse 1) in magni mundani anni; 2) in solaris anni & 3) in ipso qvoqve naturalis diei cursu, cum Valii palatium, argento tectum, primum diurnæ lucis ortum allegorice repræsentet ac textus verba aperte (veris vel diei) mane aut primordium celebrent ***). Incertum sane est (qvamvis vero non absimile) an noster *Vali (Vali áss, Val-áss)* aliqvid commune habuerit cum gentilium Russorum Deo, dicto *Volos (Wolos)* qvem Nestor pecoris (et igitur forte omnifariæ Telluris fertilitatis) numen appellat ****), et per qvem etiam princeps Oleg et ejus

An illic Dei Valii (vel Walii) loco, propter similitudinem nominis, institutus sit, conjicere tantummodo licebit.

*) Vid. *Gräter Idunna nnd Hermode* 1814 *Lit. Beyl.* p. 14. *Grimm Kinder- und Haus-Mährchen* II, XXXIII-XXXIX, *Büsching Wöchentl. Nachr. für Fr. d. Gesch.* I, 189 & sq.

**) Cfr. *Mone Gesch. des Heidenth. im nördl. Eur.* II, 148. Inter Slavicos populos similes ceremonias invenimus; vid. *Karamsin Russ. Gesch.* l. c. I, 81, 287. Orbis Romanus olim Februa vel Feralia, dicto mense, Diis Manibus sacravit. Eodem tempore (vel die proxime præcedente) celebrabatur memoria Romuli (vel Qvirini) qvi fratrem Remum occidit, ut nostter Valius suum fratrem Hoederum. Ideum Valius urbem Deorum exstruit ut Romulus Romam.

***) Vid. *Suhm om Odin* pag. 213. *C. Bastholm Histor. philosoph. Undersög.* pag. 570-572 Translat. hujus Eddæ Danicam I, 151-153, 200-203, cfr. *J. L. Heiberg Nordische Mythologie* (1827) pag. 70-79.

****) *Nestors Jahrb. der Russ. Gesch. übes. von Scherer* pag. 60, cfr. 267, *Karamsin Russ. Gesch.* l. c. I, 284. Cfr. *Kaysarow Slav. Mythol.* pag. 116.

milites jus jurandum & pacis (cum Byzantinis) initæ sanctionem (a. Chr. 907) præstiterunt. Ejus loco S. Blasius a Russis christianis ut armentorum patronus posterius colebatur. Hujus dies (inter maxime notabiles a vulgo Daniæ & Norvegiæ habitus) magnum illud candelarum festum in nostro calendario proxime seqvitur. *) — In mythis Indorum celebratur *Vali*, splendidus Indræ (aëris) Dei filius, a Ramâ tamen necatus **).

Nomen *Vali* apud nostrates incertæ est originis; cfr. tamen voces hic disqvisitas *Vala*, *Valaſkjálf*, *Valfadir*, *Valhöll* & pl. ***) Nomen *Ali*, qvod Edda junior ei etiam adtributum fuisse refert, Alitorem (vel Altorem aut Nutritorem) o: veris vel telluris, significasse opinor a verbo *ala* (alerc). Occurit alioqvin, tanqvam Norvegis & Svecis proprium in historiis, ut etiam viro Danico proprium in cippo Runico Glavendrupensi Fioniæ, qvi sine ullo dubio ævo gentilismi est adscribendus.

Vali, Lokii filius, nominatur forsitan, *V.Sp.* 32 in var. Vid. *Vala*, *Loki*.

Valkyria (in pl. *Valkyriur* vel *or*) Nymphæ borealis mythologiæ, Bellonæ interdum munere functæ. Originitus certe putabantur coelestes tantummodo, et Valhallæ igitur adscriptæ, at gliscente tempore fingebantur, in hac terra, ut nobiles virgines nasci at posterius tamen ad pristinam in coelis conditionem recipi; interdum qvoqve Odinus principes mulieres ad Valkyriæ dignitatem & potestatem exaltavit. His locis in Edda antiqviore memorantur: A) Valkyriæ coelicolæ: Vala mundos cunctos longe et late perspiciens vidit Valkyrias e remotis advenisse, paratas ut ad Godthiodam ****) (Deorum vel Gothorum gentem aut terram) eqvitarent. Dicuntur Herianis (Odini) nymphæ †) (vel mulieres) ac ita enumerantur:

*) Diversi calendares baculi huic Diei varia adsignant hieroglypha e. gr. 1) caput viri turgidum (abscissum Hoederi?) 2) Navem vela ventis dantem. 3) Cornu taurinum.

**) *Moor Hindu Pantheon* pag. 318, 229.

***) Fuit olim pro nomine proprio virili in borea nostro usitatum. Germanis etiam audiit *Walo*, *Wali* vel *Wale*, de cujus significatione ita egit antiqva scheda, â *du Fresne* adlata: "Pater (S. Aderaldi) nobilium nobilissimus *Walo* est dictus, qvi lingvâ Austrasiorum interpretatur *bonus*." An igitur a Pers. *wall* (magnus, excellens, præstans)? Cfr. tamen Isl. *valinn* (in compos. *val*) electus, egregius.

****) Hic verisimiliter indicatur Deorum regio, alias *Godheimr*, *(Godheimar)*.

†) In ipso codice regio Havniensi legimus indubie *Navnnor* (o: Deæ, Nymphæ, mulieres) a sing. *nanna*; in editione cl. Raskü Holmiense legimus *nonnur*, qvod â vetere scribendi modo idem valet ac *nönnor*, *nönnur*, qvod iterum ipsum illud *navnnor* ad ungvem exprimit, cum eandem sêqvatur pronunciationis regulam. Nescio sane qva ratione adducti duo celeberrimi viri, *Mone* et *Gejier*, prætulerint fictam lectionem *nunnur* o: monachæ, relligiosæ virgines, at hic igitur christianam interpolationem vetustissimo carmini adhibitam esse opinentur *(Gesch. des Heidenth* &c. I, 332: "*Nur ein Christ konnte du Walkyrien Hernans Nonnen heissen*". *Svearikes Häfder* I, 232: "I *Völuspá Str.* 24 *kallas Valkyrierna Odens Nunnor (Nonnor*

Sculda scutum tenet et Scögula altera, Gunna (vel Gunnur), Hilda, Göndula & Geir-Skögula; *VSpa* 28. Altera Valkyriarum recensio continetur *Gr. M.* 36, qvæ nimirum in Valhalla pocillatricum munere fungantur: Hrista et Mista Odino ipso cornua ferunt potatoria; at Skögula & Hilda (nuper memoratæ), Thruda, Skeggialda, Hlacca, Herſjötura, Galla, Geirölula, Randgrida, Radgrida & Reginleifa Einheris potum offerunt convivialem; sunt igitur tredecim numero. Cfr. *Hr. G.* 19 ubi Skogula in Vingolfo, ex Odini crateribus, Mimeris mulso cornua potatoria complevisse dicitur. Dicuntur Valkyriæ moerere (propter fata infausta Baldero portenta) *Hr. G.* 1 (cfr. Obs. 8). Seqventibus locis certe describuntur coelestes & primitivæ qvidem Valkyriæ, qvamvis virgo semi-humana iis præfuisse vel ita apparuisse fingatur: Trinæ [per aëra] ibant catervæ virginum, tamen una præeqvitavit, candida ac casside tecta; eqvi earum se concutiebant; ê jubis illorum destillavit pluvia in profundas valles, grando in altas arbores; inde oritur inter populos fertilitas; hæc omnia inspicientibus malis dæmoniis fuerunt exosa. At nymphæ illæ contra ea defenderunt ac stabiliverunt heroum classem, ne fortes viri undis submergerentur *H. Q. I*, 26-28; it *H. Q. II*, 27. Iverunt Valkyriæ per plagas cæli armatæ ac coruscantibus fulguribus circumdatæ, dum radii ab hastis lucebant *H. Q. II*, 15, cfr. H. Q. III (pag. 97). E cælo deorsum triumphantes telluri advehuntur, heroi dilecto, qvem in pugna acerrimâ tuitæ fuerant, solenniter gratulantes (50-52). Valkyriæ aëra & æqvora pereqvitant *H. Q. III* introd. & posterius. Apparent præsertim novem numero vel ter novem *H. Q. I*, pag. 32 it. str. 28 (secundum variantem lectionem: *þrennar níundir*, ad textum non notatam) *H. II* pag. 97. Vocantur Valkyriæ *bellicæ sorores*, qvarum alites strenui milites alere dicuntur ibid. str. 6. Valkyriæ ad Odini mandata victoriam vel mortem bellicam militibus distribuunt, at ea licentiâ abusæ, severe puniuntur B. Q. I, pag. 193-194. Cfr *H. B.* 7-9. Tres virgines (Valkyriæ) Regum filiæ volarunt a meridie, per sylvam opacam, ut fata constituerent; sidebant in ripa lacus, ut reqvietem caperent et pretiosum linum nebant. Interea cygneas suas induvias in campo deposuerant*). Tunc tres venatores advenientes (Völundus et ejus fratres) eas secum in ædem suam abduxerunt, ac sibi eas matrimonio junxerunt.

Herians (Finn Magnussen, i sin Öfversätning af d. äldre Edda D. I. s. 43. *har "Odins Möer" och lemnar stället utan all anmärkning."* Jam sincere fateor me tunc temporis putasse, qvod vocabulum illud (ut minime ambiguum) nulla egeret explicatione.

*) Nominantur qvoqve *(Hamir)* pennatæ sive alatæ induviæ, qvibus belligeræ illæ Odini virgines usæ sunt *H. B.* 6. Vid. *Sigurdrif* s. De alatis eqvis, qveis interdum Valkyriæ vectæ fuisse videntur, cfr. *Gná, Vingskornir* i.

At nona postea hyeme necessitas amantes disjunxit; tunc enim mulieres ire cupiebant in sylvam opacam ut fata iterum constituerent (efficerent vel dirigerent) ac igitur avolarunt prælia freqventatum, et non redierunt; — *VQv.* str. 1-3 cum introduct.; cfr. artic. *Völundr* i. De aliis humanis virginibus, Valkyriarum numero adscriptis, vide artic. *Sigrún, Sigurdrífa, Svafa.* At præter nobilissimas illas nymphas, qvæ etiam nominabantur *óskmeyar* o: virgines (Odini) adoptatæ aut electæ vel eligentes; *O. G.* 18 obs. 61; (vid. Gl. T. II). Tetricum aliqvod Valkyriarum genus apud Omnipatrem (in Valhalla) degens memoratur; una talis fraudulenta mulier describitur ut gigantea, (ortu vel indole),*) proterva, monstrosa (vel importuna), cujus (impuri amoris) causâ Einheri invicem conflictarunt. H. II, 35.

Edda junior hæc tantummodo nobis de Valkyriis communicat (pag. 39): "Sunt adhæc aliæ qvæ in Valhalla ministrare debent, illæ scilicet, qvæ potum adferunt ac supellectile mensarum et vasa potoria curant. Hæ in Oda Grimmneriana ita nuncupantur (seqvitur ejus str. 36). Hæ autem Valkyriæ appellantur, qvas Omnipater (Odinus) ad qvamcunqve pugnam, ut viros ad moriendum destinent, victoriamqve moderentur, ablegat. Accedunt Gudur & Rota**) et Nornarum natu minima, nomine Skulda, qvæ jugiter ad eligendos homines occidendos obeqvitant, cædesqve moderantur." Referuntur porro (pag. 66) Valkyriæ Odinum et Friggam ad rogum Balderi funebrem comitatæ fuisse — cujus relationis aliud vetustum testimonium habetur in fragmento carminis Husdrapæ (sec. 10^mo^ ab Ulfo Uggiano, gentili Islandiæ poëta compositi ac imagines scalptorias et pictas, scenas mythologicas repræsentantes describentis), qvod nobis ita servavit Skálda (pag. 96):

Eqvitat celeberrimus Odinus***)
Ad filii rogum, parum gratum,
Dum per ora nostra
Encomia proferuntur;
Opinor ibi prudentem victorem

*) Qvum nempe legatur *scass Valkyria;* at si præferatur membranæ vetustissima *scós,* intelligi deberet Valkyria Einheris calceamenta detrahens, qvod olim ancillarum functionis fuit. *Volsunga Saga* Cap. 17 (transl. Rafn.) loqvitur de eadem "Valkyria in Asgardia." Fenia & Menia, oreades certe sive giganteæ mulieres, se jactant Valkyriarum more in Sveciâ processisse, acies militares pervasisse, unum Regem adjuvantes sed alterum sternentes, ac heroibus, ut arma streuue gerentes, notæ. Vide carmen molare (*Grotta-Saungr* dictum, a Scul. Thorlacio editum sed jam rarissimum; it Skaldæ l. c. pag. 149).

**) Aut est legendum *Rota* (ictu lethali caput feriens) aut *Róta* (eruens, eradicans). Præfert Codex Upsaliensis tertium *Rósta,* qvod alioqvin simpliciter pugnam ipsam denotat. Valkyria illa in Edda antiqviore nullibi nominatur.

***) Hic proprie vocatus *Hroptatýr;* cfr. hunc artic. supra.

Seqvi Valkyrias propinatrices
Et corvos insuper. — — —*)

Fertur porro (pag. 139) Brynhilda (vel Sigurdrifa) Valkyria primum fuisse. In versibus memorialibus (pag. 212) præter Asynias ac plures Deas, (qvibus Thruda etiam additur) enumerantur "aliæ Odini virgines" — *(Odins meyar)* nimirum Hilda, Göndula, Hlacka, Mista**), Skögula, Hrunda (infra memoratâ), Hrista & Skulda; — his in fine additis: "Nornæ vocantur eæ, qvæ necessitatem condunt." Appellantur etiam (pag. 159) *Valmeyar* (cædium virgines, ê vulgari translatione), at in pugnæ ac armorum poëticis denominationibus hæ multis modis derivantur a singulis Valkyriis ut Hilda, Skogula***), Hlacka, Gondula, Gunna & pl. qvæ hic non repetere vacat. In codicibus Skaldæ adhuc ineditis occurrunt porro prolixiores memoriales versus, 29 vel 30 bellices nymphas enumerantes ita incipientes:

Man ec Valkyriur
Vidris nefnia

o: Recensebo Valkyrias Vidreri (proprie: tempestatis moderatoris i. e. Odini). Præter eas, qvas jamdum nominavimus, occurrunt porro hæce: *Heria* (militans, devastans), *Hölk* (calcatrix), *Hiörþrimul* (gladio tonans), *Svipul* (mobilis, varia) *Hrund* (trudens, impellens), *Tanngridur* (rectius *Ranngridur*, qvod metri ratio probat — i. e. domestica vehementia vel Bellona) *þrúdur* (fortitudo) *Sveid* (urens, dolorosa) *þögn* (silentium i. e. s. causans) *Hidlmþrimul* (inter galeas tonans), *þrima* (sonora) *Geir-driful* (tela propellens) *Geira vör* (vel *Geira* & *Vör*).

Eyvindi Skaldaspilleri epicedium Haconis boni, Norvegiæ regis, circa medium seculi decimi fatis functi, insignem nobis exhibet Valkyriarum (Gondulæ & Skagulæ) descriptionem. Initium carminis p. p. in artic. *Valhöll* lectori communicavimus. Hæc jam de iis addimus:

Fratrem viderunt Biornii
Loricâ sese exuentem,
Regem illum excellentissimum,
Jam stantem sub vexillo;
Prostrati sunt hostes
At hastæ concussæ

*) Vid. Disqvisitionem nostram de imaginibus in æde Olavi Pavonis, ad calcem *Laxdœla-Sagæ* (*Havn.* 1826, 4) pag. 388-389. Cfr. *Baldur*, *Freyr*, *Heimdallr* s.

**) Bis nominata; mendo librarii certe.

***) Hæ ambæ e. gr. eo modo memorantur in cantilena Ragnaris Lodbroc, celeberrimi Daniæ Regis, Skaldæ pag. 252. In *epicedio* ejusdem herois edit. doctiss. Rafnii, Havn. & Lond. 1826 pag. 112 & alibi nominantur Hilda & Hlacka, at carmen ipsum finitur strophâ, ita incipiente:

Cupimus nunc cessare,
Domum invitant me Disæ,
Qvas ab aula Herianis
Mihi Odinus misit

Cæt. vid. *Valhöll* s.

Et ipsa Hilda
Alte sublimata *).

Seqvitur amplissima prælii descriptio et memoratur moeror morientium militum, qvi ad Valhallam ire debebant; addun-tur porro hæcce:

Göndula hoc dixit
Nixa hastæ manubrio:
Crescit jam Deorum comitatus,
Qvum ille Haconem
Cum magno exercitu
Domum invitaverint.

Rex illud audivit
Qvod Valkyriæ dixerunt
Serenæ illæ, eqvo insidentes;
Prudenter se gerebant
Atqve scuta prætendebant.

Ait Haco:
Qvare hastata Skögula! **)
Prælium ita ordinas?
Eramus enim digni victoriâ a Diis?
Respondet Skögula:
Nos in causa fuimus
Qvod tu victoriam reportasti
Sed tui fugerunt hostes.

(Tunc Valkyriæ eqvitando deorum habi-tacula petierunt, at Odinus Hermodum et Bragium emisit, ut Regem inclytissi-mum acciperent) ***).

Patet e præcedentibus gentiles Borea-les Valkyrias primi ordinis ut nymphas serenissimas et nobilissimas repræsentas-se; at christianismo huc introducto Bel-lonæ illæ, unacum reliqvo Deorum coetu, malis tantum ac foedissimis dæmoniis sunt adscriptæ. Bona nulla piis indul-gere credebantur, at e contrario meras calamitates, infortunia, cædes ac exitium. Sic qvoqve bellicas suas ac sangvinolen-tas retinuerunt functiones. Hinc optime illustratur tenor carminis christiani ævi, qvo visio qvædam (vel somnium) viri Cath-nesiensis ****), Darradi nominati, poetice describitur (circa annum Chr. 1040): Eo tempore bellum gerebatur inter Brianum & Sigtryggum, Hiberniæ regulos & plu-res principes; at die parasceves prælio acerrimo, Briano (qvamvis victori) exi-tiali finiit. Hoc die (refert traditio) Dar-radus ille, foras egressus, vidit duodecim numero eqvites, tumulum qvendam pe-tentes, qvibus illic e conspectu omni-bus abreptis, ad tumulum progressus, per foramen, qvod inerat, introspiciens, fæ-minas intus constitutas vidit, qvæ telum

*) Vel etiam, sine figura: prælium ipsum incipiebatur.

**) Geir-Skögulam vates noster pro eadem ac Skögula sumsisse videtur, qvamvis in Valiano car-mine Valkyriæ sic dictæ diversæ fuisse statuantur.

***) *Hkr. l. c.* I, 161 & 59. VI, 36 & 59.

****) Cathnesia, Scotiæ provincia, eo tempore paruit Orcadensibus comitibus, Norvegicæ originis. Sigurdus, horum fere celeberrimus, cecidit in prælio illo Dublinensi, vulgo Brianensi dicto. (Vid. *Orkneyinga Saga*, ed. Havn. pag. 4-6). Multi Norvegi ac Orcadenses, partim gentili religioni addicti, tunc Cathnesiam inhabitabant, at simul tamen multi christiani, inprimis in-genui Scoti.

exorsæ hominum capitibus pro pondere (lapidum) suspenso, intestinis autem pro tramâ & stamine, gladio pro spathâ, sagitta pro pectine utebantur & carmina cecinerunt, illo discente. Sic cantilena incipit:

Ampla constituta sunt
Stragis anteludia,
Vela textorii jugi,
Sangvinem nubes pluit — — —

In seqventibus nomina sua & officium indicant:

Prodit Hilda texere,
Prodit et Hjorthrimula,
Sangrïda *) et Svipula,
Expeditis ensibus.....

Torqveamus telam age!
Torqveamus bellicam,
Proferamus jam gradum
Et ruamus in ordines,
Nostri amici qvo loco
Arma cum hoste conferunt,
Stragis electricibus [Valkyriis]
Stragis optio data est.

Fiet ut gentes eæ
Imperent regionibus,
Ultimas qvæ lingulas
Incolerant antehac;
Dico Regem qvi potens
Rebus, addictum neci,
Jamqve per vim cuspidum
Vir dynastes occidit.

Nunc reformidabile est
Ferre circum lumina,
Qvod cruoribus graves
Cæla per nubes agant;
Tinctus aër tunc erit
Militantum sangvine,
Nostra qvum prænuntia
Comprobarier qveant.

Dulciter sustollimus
Rege de, qvi junior,
Multiplex epinicium;
Sit canentibus bene! — —
Devehamur eqvis cito,
Auferamus jam foras
Nostra, ductis ensibus,
In viam hocce de loco.

Mox textum retrahunt ac dirumpunt fæminæ (qvæqve suam spoliorum partem retinens) inscendunt in eqvos et sex in austrum, reliqvæ sex in boream abeunt **).

Ejusdem indolis sunt plura somnia qvi Islandis seculi 13tii contigerunt e. gr. unum viri Skagafjordensis (anno 1219) qvi Gunnam & Gondulam Valkyrias vidit in magna qvadam ede sedentes, sangvine perfusas & corpora huc illuc motantes, dum sangvis pluens per fenestras intus penetraret; altera earum cantilenam proferebat,

*) Rectius, ut puto Ranngrida — qvum illud nomen vix alibi reperiatur.

**) *Niála* edit. Havn. pag. 275-279. translat. lat. 605 & sq. Opinor carmen illud contemporaneum esse poëtæ cujusdam opus, cui visio aliqva, ævi superstitioni congrua, ansam dederit; at prælii denominatio *vefr darradar* certe est antiqvior; nam vox posterior *(darradr)* notat telum vel jaculum (AS. *dorad*, Gr. δοϱατιον). Harum Valkyriarum cum Nornis nentibus similitudo per se est manifesta, at hæ nascentis hominis, illæ morituri fata texere videntur.

qvâ ambarum nomina promulgavit, dicens virorum cædem appropinqvare, qvapropter eæ se vellent immittere militum cohorti, gentilem adorationem & dirum cultum ibi exspectantes*).

Freya certo modo pro Valkyriarum imperatrice est habenda, ut suo loco monstravimus, pluribus ejus fictionis rationibus simul adhibitis. Eam in Valhalla & conviviis Asarum summam fuisse pocillatricem vel propinatricem — (ac igitur eo respectu Valkyriarum primariam) — discimus e luculento testimonio Eddæ junioris (pag. 108). Sic nominari videtur *Val-Freya* in veterum Scaldorum poëmatibus **). Huc forte id pertinet qvod in Volsunga-Saga (Cap. 4to) Odinus dicatur emisisse virginem electam vel electricem (*Óskmey* i. e. Valkyriam) ad conceptionem sterilis mulieris efficiendam. Rex Rerer ac uxor ejus, liberorum expertes, de eo infortunio tollendo precibus Deos implorabant intentissimis. Numina tandem, ac Odinus qvidem præcipue, has exaudiverunt; is unam Valkyriarum vocans, pomum ejus manui imposuit, addito eo mandato qvod Regi illi istud afferret. Virgo pomum accipiens cornicis se cinxit induviis, ac volans super tumulum, cui Rex insidebat, illud ipsius gremio immisit. Rerer, ejus doni significantiam se intelligere sentiens, pomum Reginæ adportavit, qvo etiam ambo junctim vescebantur. Sic in matris utero Rex Volsungus conceptus fuisse fertur***).

Saxo Grammaticus Valkyrias non ignorat, qvamvis (suo more) earum boreale nomen lectori non communicet. Sic (Lib. III) narrat Hotherum, Daniæ Regem, "inter venandum errore nebulæ perductum incidisse in qvoddam *sylvestrium Virginum* conclave, a qvibus proprio nomine salutatus, qvænam essent, perqvirit. *Illæ suis ductibus auspiciisqve maxime bellorum fortunam gubernari* testantur; sæpe enim se *nemini conspicuas prœliis interesse, clandestinisqve subsidiis optatos amicis præbere successus*.... Qvippe *conciliare prospera, adversa infligere posse pro libito* memorabant. — — — His acceptis Hotherus labentis hospitii tegmine defectus, sub dio se relictum totiusqve

*) *Sturlunga Saga*, edit. societ. literar. Islandicæ, Lib. 4 Cap. 5 (II, 9, cfr. 91 & pl.). Cfr. *Vættur* i.

**) Vid. e. gr. *Niála* ed. Havn. Cap. 79 pag. 11. Hinc certe cantilenarum Færoensium *Val-Frue*; Vid. e. gr. carmen *Sedla-Rujma* o: *Sörlarlma* (de Soerlio, celebri antiqvitatis septentrionalis heroe agens) Danice translatam in ephemeridibus Havniensibus (*Kjöbenhavns Skilderie*) pro 1825 No. 38, cujus epistrophe ita sonat: *Lader Dands dundre Drenge! Nu stadseligen stiger; Staar ved Kredsen Valfruen* o: "Sonoras jam ducite choreas juvenes! solenniter procedite, nam nobilis Bellona adstat (saltatorio) orbi."

***) *Volsunga Saga Cap.* 4. Translat. Rafnii Danica pag. 5, 157. Multis seqventibus locis auctor dictæ narrationis, qvi vetustissima carmina sine dubio prosaice transscripsit, abbreviavit vel explicare tentavit, illorum Valkyrias in prœliatrices (*skjaldmeyar*) vere humanas transmutare solet. Cfr. *Eddalæren* o. d. O. IV, 7-8, 126-7.

expertem umbraculi mediis repente campis expositum conspicatur*). Præcipue vero puellarum præpetem fugam, lociqve versilem situm ac fallacem ædis imaginem mirabatur." Posterius eædem virgines ipsum tunicâ, ferrum spernente, qvâ in bello adversus Deorum agmina defendebatur, donasse innuuntur & callidis consiliis victoriam ei tandem advertisse referuntur. De tribus (ut videtur) nymphis olorum formâ indutis, aut Nornis aut Valkyriis adnumerandis (Lib. VI) vid. *Nornir* s.**).

Nomen *Valkyria* nostratibus vulgo derivatur a voce *valr* corpus defuncti viri, strages, & *kjöra*, *köra* eligere, vet. Germ. *küren* (unde recent. partic. pass. *erkohren* it. *Kur*, *Kurfürst* &c.); AS. *curan;* — emittebantur sane Valkyriæ ad heroes Valhallenses seligendos, ut e præcedentibus patet. Plures certe conjecturæ non forent absurdæ, qvas hic amplius disqvirere et temporis et spatii angustia vetat. Nostro ad ungvem respondet Anglosaxon. *Vælcyrge*, *Vælcyre*, *Vælcirige*. Inter Bellonas hasce duæ nostratium iis certe decantantur sub nominibus *Gud* & *Hilde*. Has porro reliqvos Germanos novisse probant multa ab iis derivata vocabula & nomina e. gr. Aleman. *Gunfano* (Eddæ *Gunnfáni* q. v. in Gl. T. II) bellicum vexillum; cfr. *Gunnur*, *Hildur* s. Nostrum *Valr* Anglosax. sonat *Væl;* hinc qvoqve German. *Wahlstatt* (Dan. *Valplads*) & pl.***).

Valkyriarum qvoddam apud Celtas genus Pomponius Mela videtur ita describere (Libr. I. cap 63): "Oraculi numinis Gallici antistites, perpetua virginitate sanctæ, numero novem esse traduntur. Gallicenas vocant putantqve ingeniis singularibus præditas, maria ac ventos concitare carminibus, seqve in qvæ velint animalia vertere, sanare qvæ apud alios insanabilia sunt, scire ventura & prædicare, sed non nisi deditas navigantibus & in id tantum ut se consulerint profectis." Recentiore tempore Galli eas salutant *Fées*, Angli *Fairies* &c. Cfr. *Nornir*, *Álfar* s. *Vættur* i.

Nymphæ similes Russis salutantur Rusalkæ, Lettis Laimæ, Serviis Vilæ, Ungaris Villiæ &c. — Putant qvidam Græcorum Κῆρες (qvas Tusci etiam noscebant)****)

*) Eodem modo ut Gylfius et Rathbodi nuncius. Vid. *Valhöll* s.

**) *Sax. Gram. Hist. Dan.* ed. Loniceri pag. 36, 37, 39, 90, cfr. *Suhm om Odin* p. 284-85.

***) De fabulis Germanicis, qvæ nymphas in cygnos mutatas celebrant, vid. fratrum Grimm *Haus- und Kinder-Mährchen* I, XXXI, XXXII, XLI-XLII, *Deutche Sagen* I. 394 & pl.

****) Hæ tantummodi bellicæ sunt ac lethiferæ nymphæ at alio modo Valkyriæ comparari possunt cum Græcorum Horis & Nubibus, ut mythicis personis, secundum hymnos Orphicos, Pindaricos &c. Stuhr & Mone Valkyrias primarias non inepte pro nubium rectricibus sumunt, uode hic insuper vocabulum Germanicum *Wolken* derivare tentat — ut cæteras recentiorum huc pertinentes explicationes taceamus. Cum autem Valhalla cælum indubie significet, e cælestibus qvibusdam (forte ignitis præcipue) aëris phænomenis nymphæ illæ suam traxerunt originem.

nomine ac omine nostris Val-kyris convenisse (ut Moeras sive Parcas Nornis ipsis), qvod jam in medio linqvimus.

Veterum Persarum Ferueres (unde recentiorum Peries) cum Valkyriis nobilioribus maximam habent similitudinem. Ambæ nympharum classes emittunt aqvas aërias, qveis terra frugifera redditur, avibus similes per aëra feruntur, ventis ac lumine circumdatæ, procedunt hastis armatæ ut bella contra malos dæmones fortiter agant, defendunt præ cæteris certos heroes, hominibus victoriam ac salutem indulgent at pios postremo ad coelestem evehunt beatitudinem. Mittimus Indorum Apsaras, Najikas et plures qvæ cælestes eorum mythologiæ aulas ornare ac delectare finguntur.

Monemus tandem qvod traditiones illæ mythicæ de Sigurlinna, Sigruna, Svava, Brynhilda et forte pluribus, satis perspicue monstrent gentilium nostrorum atavorum opiniones de qvibusdam Valkyriis, ut beatis vel in cælo renatis mulieribus vere humanis, qvæ forte sub Freyæ, Friggæ vel Gefionæ imperio remanere putabantur *). Sic verisimiliter heroes, in Valhallam, Vingolfum vel Sessrumnerem recepti, ibi suas amasias (juventuti perpetuæ redditas) recuperare sunt crediti. At reliqvas (pro mixta ethnicismi indole) variorum temporum inter Scandinavos de Valkyriarum physica, allegorica & psychica naturâ opiniones amplius hic non deducere licet. Cfr. *Dís*, *Hamingia*, *Fylgia*, *Valhavll*, *Norn* & pl.

Valtamr, nomen allegoricum at tamen fictitium; vid. *Vegtamr* i. Alioqvin nomina propria, syllabâ *Val* incipientia, olim fuerunt nostratibus freqventia, & adhuc ex aliqva parte Islandis & Norvegis usitantur e. gr. masc. *Vali*, *Valbrandr*, *Valgardr*, *Valgautr*; fæm. *Valdis*, *Valborg*, *Valgerdr* & pl. Cfr. *Vali* &c. s. Occurrunt similia apud Anglosaxones & Germanos.

Valtivar (m. sing. *Valtivi*, *Valtifi*) Dii sphærici aut cælestes (non cædium vel stragis, ut vulgo explicatur); sic nominantur Hoederus et Balderus qvi post felicem mundi regenerationem beata Odini habitacula (coelestes regiones) iterum incolent *V.Spá* 55. Vid. *Baldur*, *Hödur*. De etymis vid *Valfadir*, *Týr*.

Van (*Vdn*, *Von*) amnis terrestris, hinc ad Helam sive Orcum defluens. *Gr. M.* 28. Ejusdem dracones in mundo infero ex occidente volant, scintillarum demissarum congerie semitam qvasi inferius notantes, dum alas ita qvassabant ut solum

*) Ut Einheri in Valhalla militaria sua exercitia agebant, similia qvoqve de mulieribus censere non foret vero absimile: at ad Valkyriarum modum Hildegunna (Grammaris Svecici Regis filia, a duabus Valkyriis proprium nomen trahens) et Hilderida, virago Norvega, potum principibus & militibus ministrarunt. Cfr. Gracteri doctam ac ingeniosam disqvisitionem: *Über die Valkyrien* (*Nord. Blum.* pag. 252-304).

et coelum disrumpi videretur. *Sól. L.* 54*). Dicitur alioqvin fluvius ille ex ligati lupi Fenreris rictu emanare. Vid. *Fenrir* s.

Vanaheimr (Vanorum Deorum mundus) — e nostra sententiâ aër sive Telluris atmosphæra; *Vafþr. M.* 39. Eddæ jun. pag. 27 plur. *Vanaheimar.* Illius nostræ explicationis rationes hic proponere, nimia jamdum hujus scripti prolixitas vetat; at lectores, si tanti est, rogantur de iis consulere alia nostra opera **). Vocatur alioqvin *Vindheimr* (ventorum mundus) *VSpâ* 56. Vid. *Vaníngi*, *Vanir.*

Vaníngi (Vanigena) denominatio Freyeri, ut in Vanaheimo nati, *Sk. F.* 27. Vid. *Freyr*, *Vanir*, it. Gl. T. 1.

Vanir (sing. inusit. *Vanr*) Dii Vanaheimi (aëris vel terrestris atmosphæræ) incolæ. Cum primum telum Odinus projecit, in turbas (hominum) jaculatus, prima igitur bellica cædes in mundo accidit at extimum latus (vel murus) Asarum urbis frangebatur, Vani bella præsagientes campos calcaverunt *VSpâ* 22 (obs. 38). Cfr. *Gullveig*, *Heidur* s. Niordus (maris terrestris & atmosphæræ numen), in Vanaheimo (vacuo aëre) creatus, in tempoum exitu istuc rediturus prædicitur, *Vafþr. M.* 39; cfr. *Æg Dr.* 34, 35; (vers. Dan. II, 313). Alvis Dvergus vocabula quædam ex Vanorum sermone recitat et explicat *Alv. M.* 10, 12, 18, 22, 24, 26, 28, 32, 34 (vers. Dan. II, 4-7, 28-35). Vani pulchre prospiciunt (vel provident) *Þr. Qv.* 15. Vocantur sapientes *Sk. F.* 17, 18. Dicuntur scire vel sapere *Hr. G.* 1. Pars Runarum (literarum, hieroglyphorum vel symbolorum) mentalium vel ingenio propriarum (aut excogitarum) dicitur esse apud sapientes Vanos B. I, 18 (vid. T. II. pag. 925-926).

Vanis hi Dii adnumerantur: Njordus, *Vafþr. M.* 39. Freyr *Sk. F.* 7. Heimdallus *Þr. Qv.* 15. Qvæ præcipua de Vanaheimo et Vanis Edda junior tradit, adlata sunt ad artic. *Njördr*, *Freyr*, *Freya*, *Ódinn.* Addimus tantummodo seqventem illos attingentem fabulam: (l. c. pag. 38): "Inter Deas vel nymphas

*) Vid. Versionem nostram hujus Eddæ Danicam III, 212, 225-26. Conjeci dracones illos aut notare cometas (qvas Persæ ita vocabant) aut etiam ignita meteora, qvæ adhuc a nostratibus dracones volantes appellantur; ambo enim phænomena a vulgo superstitioso infausta sæpissime auspicari putabantur.

**) *Den ældre Edda* I, 114-115; II, 3, 30 & sq. IV, 292. *Eddalæren o. d. O.* III, 262-286. Posteriore loco plura disqvisiimus de rerrestribus regionibus, a coelesti illa proprium nomen olim verisimiliter trahentibus. Addimus illis investigationibus, qvod Vana-Heimus Lapponibus Norvegicis dici videatur *Fanos Aimo*, unde tempestates & procellæ exeunt; vid. *Jessen* l. c. pag. 66. Apud nostrates inter novem mundos qvartus est ordine (si superne eos numeremus). *Vana* Indis dicitur cælum aëreum (teste Paulino a St. Bartholomæo: Musei Borg. cod. MS. pag. 52) & specialiter Tamulice *Vanam*, ex observatione doctissimi nostri Fuglsangii mihi benevole communicatâ.

Friggæ subditas numeratur "Gna *(Gná* ɔ: eminens); hanc Frigga, negotiorum causâ, in diversos mundos ablegat, eaqve eqvum possidet, qvi per aëra et aqvas transcurrere potest, nomineqve gaudet *Hófvarpnir* (ungulas jactans). Accidebat aliqvando qvod Vani qvidam eam in aëre eqvitantem conspicerent. Tum unus eorum dixit: *)

Qvid ibi pervolat,
Qvid ibi procedit
Aut per aëra labitur?

Cui qvæstioni illa respondet:

Non ego volo
Licet provehar
Ac per aëra ferar,
In Hofvarpnere,
Qvem Hamskerper (eqvus)
Ex (eqvâ) Gardrfâ procreavit **).

Ab hujus Gnaæ nomine deductum est verbum: *Þat gnæfir*, — dictum de re qvâvis, qvæ in sublimi aëre fertur." Hac relatione innui putamus: qvod Vani, aërii Dei, mirati fuerint nympham, ex Asgardiâ (vel superiore æthere) venientem, eorum more per aëra sublimem vehi.

Si in nostro sermone radix hujus mythici nominis rite qværi debeat, obviam occurrit in adject. *Vanr* (de qvo Gl. T. II). Conferri meret adj. latinum *vanus* (originitus idem qvam vacuus, expers) at aër olim dicebatur *vacuum inane*, qvia nostris oculis videtur inanis et vacuus vel omni vacans fixo corpore. Cfr. *Hænir, Njördr, Vanaheimr* & pl.

Vari, nomen Dvergi sive dæmonis elementalis minoris *VSpá* 12 (var.). Cfr. *Andvari* s.

Varkaldr, Vorkaldr (Vernigelus aut veris frigore vexatus vel vexans) nomen allegoricum physici alicujus dæmonis, primam veris periodum regentis, *Fiölsv. M.* 7. Vid. *Svipdagr* s. Etyma sunt: *Var, Vor* (ver) ***) & *Kaldr* frigidus (Gl. T. & II.

Varr, Var (providus, cautus) dæmon qvidam erotico-allegoricæ (ut videtur) indolis *Fiöls v. M.* 35. Vid. Gloss. T. I & II.

Ve, Vei, qvem cum Vilio, altero fratre Odini, hujus uxor Frigga in sinum suscepisse, a Lokio, Deæ memoratæ exprobrante, dicitur *Æg. dr.* 26. In Edda juniore tres illi fratres dicuntur esse occi-

*) Hæ strophæ sine dubio sunt reliqviæ carminis pervetusti, jam dudum deperditi.

**) Proponuntur hæcce more Genealogiarum eqvestrium, antiqvitus Arabibus et recentius Anglis & pl. usitatarum. At puto nomina illa esse physico-allegorica. Eqvos Valkyriarum & Deorum ê meteoris & physicis aëris phænomenis ortos esse, alioqvin satis perspicue cernimus. Hic igitur eundem casum accidere opinor. Tum *Hamskerper* (cutem corrugans vel arescere faciens) calorem, sed *Gardrofa* (sepimenta aut ædes frangens) tempestatem denotaret, at ex iis procreari vidimus ignita ac cursu celerrima meteora. Cfr. *Sleipnir, Svadilfari, Gísl, Skeidbrímir* & pl.

***) Hæc una est inter permultas veteris Scandinavorum sermonis voces, qvæ cum latinis summam habent similitudinem & radicalem cognationem. Est alioqvin Dan. *Vaar*, Svec. *Vår*. Scot. *Vor, Veir, Ver, Were, Wair*; cfr. Gael. *Earrach*. Gr. ἔαρ.

sores Ymeri; victores gigantum primariorum; Asgardiæ (vel coelestis regni ac urbis) fundatores; creatores ac rectores coeli, coelestium luminum noctis, diei, telluris ac primorum hominum. Cfr. *VSpa* 4 & sq. *Ve* in Vaticinio Valæ dicitur *Lódr* vel *Lódurr, Lódur* i. e. ignis (vel rectius: ignis coelestis genius) qvæ omnia suis locis amplius illustravimus. Vilius simili modo lucis coelestem genium (Eddæ juniori Hænir dictum) proprie denotat. At Lokius, probra congerens, hic verisimiliter (e poetæ fictione) alludit ad ignem subterraneum (qvem Tellus interdum fovere cogitur) & ejus lumen, qvas ut allegoricas personas borealis ille Momus Vei et Vilii nominibus ornat. Ast fumo vulcanio erumpente coelum obscuratur & disparere videtur, unde Odinus tum absens esse dici potest. Fabulam illam auctor historiæ Ynglingicæ ita suo modo historice adornavit: "Odino (in Asgardia regnanti) erant duo fratres, alter dictus Ve, alter Vilir. Hi eo absente imperio præfuere. Factum est aliqvando Odino ad longius remotas regiones profecto, longaqve ejus morâ spem de reditu ejus Asis abscindente, ut fratres ipsius bona et hæreditatem ab eo relictam inter se partiti, conjugem ejus Friggam ambo sibi matrimonio jungerent *). At paulo post redux Odinus uxorem suam ipse recepit." **). Similes mythi, sæpius qvoqve allegorici, olim fuerunt compositi de æstatis, hyemis ac aliorum anni temporum alternante in terras imperio, solis æstivo at flammæ hiberno inter homines regimine &c.

Monstravimus alibi Deum *Ve* in cosmogonia nostratium *ignem* significare ***). Elementum hocce a plurimis antiqvitatis populis divini numinis honores accepit; sic qvoqve a gentilibus (& partim recentius christianis) Scandinavis. Ignis apud illos fuit sanctissimus. Dicitur e. gr. (*Háva M.* 68) ignis cum solis adspectu (vel lumine) optimus esse apud hominum filios, si homini nimirum, cum vitâ vitio carente, sanitatem obtinere contingit; at alio loco (cfr. 140) ignis morbos consumere docetur. A mythico ejus nomine qvodvis sacrarium vel asylum *Ve* tandem dicebatur. Ignis domesticus ubiqve antiqvitus intense cultus est, nam focus vel fornax communis fuit familiæ ara, Diis vel Laribus dicata. Hic mos tam inter Septentrionales qvam Græcos, Romanos & pl. maxime invaluit ****). Ea ratione

*) E more plurium populorum, Bnddhisticæ relligioni addictorum, qvi adhuc valet in Tibeto & Beludschistan ac montanis qvibusdam Indiæ regionibus, ut olim in Atropatene (Mediæ) &c.

**) *Yngl. S.* C. 3. *Hkr.* I. c. I, 7. Cfr. Saxonis relationem de adulterio Friggæ & absentiâ vel exilio Odini, in artic. *Odinn* s.

***) *Eddalæren* o. *d. O.* I, 41 & sq. 352 & sq.

****) Monstrant ipsæ variorum populorum lingvæ qvod *ara* et *focus* antiqvissimis temporibus communi significantiâ ac relligioso honore sint gavisæ. Hinc Lat. *Ara* (Gr. ἑσχαρα) vet. Scand. *Arin, Arn*, Dan. *Arne*, Norveg. *Are*, Lapp. *Aran*, Osset. (sive Asorum Caucasiorum)

qvodvis habitaculum veteri Scandinavorum lingva *Ve* potuit appellari (e. gr. *Vafþr. M.* 51. *Hr. G.* 8. *Ægis-dr.* 52, *Gr. M.* 13.) qvamvis his locis proprie sermo sit de sanctis Deorum domiciliis) *). Templis ac delubris exstructis ignis ibi (sæpe perpetuo) servatus ac pro summi Dei symbolo habitus, non minore colebatur reverentiâ. Hinc ista sacra loca ac comitia publica in iis celebrata *Ve* similiter sunt appellata. Hic fuit civitatis vel pagi sanctissima ara, nostratibus *Vestallr* (qvæ Romanis etiam audiit *focus publicus*, Græcis κοινη ἑστια) ac hic simul sacra parabantur convivia, qvæ in septentrione statis temporibus populi primoribus vel cunctis pagi civibus fuerunt communia ac publico sumtu instituebantur. Sic tales sacræ communitates (vel integri pagi) *Ve* interdum dictæ sunt, e. gr *Vandils ve* (*H. Qv.* III, 33. obs. 48) **); at permulta in Scandinavia loca, ubi sacrificia ac comitia gentilium olim agebantur, diu retinebant vel adhuc retinent nomen *Ve, Vi, Vigh* &c. ***). Qvum principalis dignitas gentilismi tempore cum sacerdotali fuerit connexa et jus in sacris illis locis diceretur, jus & justitia *Ve* tandem vocabantur, ut aliæ reliqvæ relligionis ceremoniæ ac sanctæ institutiones ****). Cfr. *þiálfi* i. Multa alia Sveciæ loca adhuc appellantur *Vä, Ve, Vi, Odens-vi* &c. sæpissime antiqvissimis delubrorum vel sepulchrorum ruderibus prædita. His porro respondent Dan. *Vi, Vigh* (ævo Valdemari 2di), *Viby, Visbye* &c. Hinc dicasterii sepimenta vel vincula dicta sunt *Vebönd*, at homo jure proscriptus, â nemine in hospitium vel ullam societatem excipiendus *Vargr í veom* (lupus vel exul in locis sacris) *****). Hinc qvoqve *Vescöp,*

Ardast; hinc qvoqve A. S. *Are, Æern* habitaculum, domus (Dan. *Arnested*) ac forte Scoto-Gael. *Aros* & pl. Ut dicunt Dani: *fra Arilds Tid* ɔ: ab ignis focarii (antiqvissimo tempore) sic qvoqve olim Græci "αφ' ἑστιας ἀρχη &c.

*) Hinc *ignis* vel *focus* inter nostrates simpliciter dicitur pro domicilio e. gr. *G. Hv.* 10. "Tres ego noveram ignes, tres focos; tribus ego maritis vecta sum ad ædes".

**) *Ve* etiam dici potuit *Godve;* numne igitur hinc derivi debeat German. *Gouue (Gove)* recentius *Gau, Gaue?*

***) Hinc Othiniæ Danicæ nomen vetustum *Othins-vi* (vel *ve)* & Viburgi oppidi, qvod olim dicebatur *Vebiörg* vel *Veberg*, posterius *Vibjærgh*, Lat. Vibergis (i. e. sacræ petræ vel aræ); Cfr. *VSpa* 46 (var. obs. 78) — *Vi* olim vocabatur sacerrimus Gothlandiæ insulæ locus cum generali foro ac præterea qvicqvid ejus delubrum, comitiis & sacris certæ communitatis vel pagi conviviis destinatum; hinc nomen emporii celeberrimi *Visby* (i. e. sacrum vel sanctuarii oppidum). Ignis Gothlandis certe sacerrimus fuit, cum primum insulam, prius noctu tantum visibilem, e maris undis emergere fecisse perhiberetur.

****) Sic justus Norvegiæ Rex, Haco bonus, a poëta dicebatur sacra (gentilium) rite servavisse (*vel of þyrmt veom)* at (ab alio) injustus ejus frater, Ericus Blodöxe, eadem læsisse (*granda ve*), ac igitur Deorum iram & persecutionem meruisse (*Hkr.* I, 164, *Saga Eg. Skall.* p. 365).

*****) Eapropter Thorvaldus Veili (gentilis poëta) vocabat Thangbrandum, nimis violentum Chri-

sanctæ pacis institutiones, *VSpá* 58 *) & alia *Vear* Dii; cfr. *Veorr* i.

Ignis sacer, in publicis ac domesticis aris servatus, omnibus fere civilis juris ac relligiosæ vitæ ceremoniis fuit adhibitus. Sic e. gr. regionum vel agrorum occupatores territorium occupandum igne accenso variis modis ambire aut lustrare solebant, ut jus possessionis ita rite adqvirerent **). Actus hicce vocabatur at *helga sér land* ɔ: territorium sibi sacris ceremoniis vindicare. At porro invenimus apud omnes fere populos ignem (vel faces) nuptiali ritui adhibitnm fuisse. Hunc morem nostratibus fuisse receptum innuit *Þr. Qv.* 29 (vid. *Miölnir* s). Infanti nato statim ignem vel accensam candelam appositam fuisse, variis rationibus probabile evadit. At defuncti hominis corpus ignis (vel ipsius dei *Ve*) adjumento transire credebatur ad ætherea habitacula per funebrem rogum, cujus etiam accensio olim consecrari soluit. Hinc vetustissimæ in Eddis occurrentes phrases: *at vígia brúdi* (sponsam consecrare) et *vígia bál* (pyram funebrem consecrare). Ast hocce verbum *vígia* ***) sine dubio derivandum est ab illo *Ve* (ignis ac ip-

stianismi in Islandia prædicatorem *Guds Varg* (numinis lupinum hostem) *KristniS.* ed. Havn. pag. 50). Proscriptio Druidarum illi ad ungvem convenit, ê descriptione Cæsaris (de bell. Gall. VI, 13): "Si qvi eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc poena apud eos est gravissima. Qvibus ita est interdictum, ii numero impiorum & sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemqve defugiunt, ne qvid ex contagione incommodi accipiant: neqve iis petentibus ius redditur, neqve honos ullus communicatur." At vox illa ipsa apud Gallos sec. 5 reperitur e testimonio Sidonii Apollinaris (Lib. 5. Ep. 4). "*Vargus* proscriptus latro apud Arvernos." In Legibus Salicis & Ripuariis Wargus explicatur: "expulsus ex eodem pago." In lingva Anglo-Saxonum vox *Vearg*, *Værg* nebulonem denotat, at in Moeso-Gothica verbum *vargjan* respondet latino: condemnare. Sanscritice *varjitah (vargida)* proscriptum significat. Cfr. porro *Eddalæren* o. d. O. IV, 21-23, 134-136 it. Gloss. T. I, 691. II, 828 v. *Vargr.* (cum aliis derivatis. Accessus ad *ignem sacrum* inter Caledones sceleratis fuit prohibitus. (*John Smith Gall. Alterth.* l. c. II, 142.)

*) Sacra hæcce pax (vel asyli jus, juridica sanctitas) legibus vetustis Islandicis vulgo dicitur *Grið*, AS *Grið*, (qvod ut ipsum *Ve* domum interdum notat) at Danis recentioribus *Fred*; nam ab ethnicis illis institutionibus manifeste emanarunt tria publicæ securitatis in dictis legibus genera, nimirum 1) *Husfred*, pax domestica, 2) *Kirkefred*, ecclestiatica (vel templo debita) & 3) *Tingfred*, forensis. Hinc qvoqve formula juridica de proscriptionis poena: *at miste sin Fred* (pace sua — publica — destitui). Legibus antiqvioribus Danicis hæc vocabula audierunt *Gruth* & *Frith*. Vid. doctiss. *Kolderup Rosenvinge* annotationes ad Legem Sællandicam Erici Regis. Havn. 1821. 4 pag. 351; cfr. Thorkelini Glossarium ad Leges Magni Regis Gulathingensis (1817) pag. 54.

**) Multa ejus rei exempla nobis præbent historiæ Islandicæ, in primis *Landnama* e. gr. (Ed. Havn.) pag. 207, 212, 230, 322, 333. At præterea novus possessor prædii antea inhabitati ignis in ejus territorium allatione illud sibi rite vindicavit (*Viga-Glúms Saga* Cap. 26 ed. Hól. pag. 234).

***) Danice *vie*, Svec. *viga*, Germ. *weihen* A. S. *vigian*, Aleman *uuihan*, Finn. *vihin*. Cfr.

sius primarius Deus, res sacra, sanctitudo &c.) cujus elementum omni sacro ritui & cunctis humanæ (ac socialis qvidem vitæ) gravissimis momentis relligiose adplicari soluit. Priscæ illæ opiniones de miraculosa sacri ignis efficacia contra morbos hominum & pecorum, segetis varias afflictiones &c. ad nostras usqve dies apud septentrionis populos (ut Danos, Norvegos, Svecos, Germanos, Britannos), non penitus obsoluerunt.

Ignis divinum genium alia qvoqve nomina sortitum fuisse, ut *Lódr, Logi* (*Loki*) ac certo qvoqve modo *Lódridi* (*Hlódridi*) p. p. suis locis monstravimus; (cfr. *Hlódyn* s. *Veorr* i). Ast sub nomine *Ve* ipsum in Scandinavia sacris imaginibus vel symbolis (præter ipsum sacrum ignem) repræsentatum fuisse, perraro invenimus, uti idem de Romanorum *Vesta* (numine arcte cognato & a Scythis qvoqve culto) dictum fuit:

Effigiem nullam *Vesta* nec *Ignis* habet *).

At tamen certâ occasione nobis refertur Danos gentiles coluisse idolum qvoddam dictum *Vig* (*Vi*, *Ve*) â qvo Aelnothus, medii ævi scriptor, Viburgum Daniæ urbem nomen suum traxisse opinatur **). Ibidem certe sacerrimum olim fuit totius

---

AS. *vih, vig* sanctus, Aleman *uuih*, M. G. *weihs (veigs)* qvæ verisimiliter sunt ejusdem originis ac Pelv. *veh* (purus) Pers. *veh*, Zend. *vehmae, vuh* (excellens, sanctus; at ignis Persis veteribus fuit omnium terrestrium rerum sanctissimus). *Vear* & *Vihar* templa sonant sacris Indorum lingvis (ac ni fallor simul hodiernis Buddhistis) at Moeso-Gothis sacerdos dictus fuit *Veiha*. Cognata sunt permulta gentium Germanicarum vocabula, in res ad institutiones relligiosas pertinentes e. gr. A. S.: *Vig* sacrum qvodvis, idolum, templum; *Veofod, Viofod, Vigbed* altare, *Vigelung* incantatio (originitus relligiosa vel ritualis) *Vigelere, Viglere* divinator, hariolus; *Viggyld* olim forte relligiosa gentilium communio vel sacrificium & pl. Aleman. *Uuihrauh*, Germ. *Weihrauch* (sacrum suffimen) thus) qvod sæpe in veterum Scandinavorum sepulchris vel delubris reperitur); *Weihnaeht* (sanctissima nox hyemalis solstitii festi, jam nativitatis Christi) *Weihwasser* aqva lustralis, &c.

*) Vid. *Ovidii Fasti* VI, 280-83, 292 . . 298-99, cum ampliore horum numinum comparatione â nobis instituta: *Eddalæren* o. *d. O.* I, 355-56, 374, 375. Observavi ibidem perpetui ignis solennem cultum apud Scandinavos, Romanos, Celtas, Russos, Persas, Indos & pl. *Vesta* inter Romanos ut *Ve* inter Scandinavos summum juris civilis fuit principium &c.

**) *Aelnothi Hist. St. Can.* Cap. XXIII. *Langeb. scr. rer.* Dan. III, 361. "Locus igitur celeberrimus medio fere Jutiæ orbe consistit, qvi ob suam eminentiam sive ob antiqvam inibi sacrificiorum freqventiam, vel ob idoli qvondam ibidem opinatissimi, qvi *Wig* dicebatur, memoriam, *Wibergis* velut Wigi excelsum aut belli mons seu sacrificationis lingvâ Danica nuncupatur, ubi ex totis Jutiæ partibus qvam sæpius non minima multitudo, tam de causis communibus tractatum, qvam & de legum veritate sive firmitate discutienda simul & stabilienda convenit, & qvod ibi communi consilio aggregatæ multitudinis stabilitum fuerit, non impune uspiam in Jutiæ partibus irritum fieri valebit". Illud *Vibergis* respondet nomini urbis Islandico *Vebiörg* (*Veberg*) o: sacra sanctuarii aut Vei Dei rupes &c.; cfr. Carminis Grottiani *Regin-griót* divinæ aut Deorum petræ vel rupes, qvibus Frodius (vel Frotho) Daniæ Rex,

regionis vel provinciæ (Jutiæ borealis) delubrum ac forum cum tribunali superiore & nundinis valde freqventatis, qvæ ambæ institutiones (cum cathedrali templo), qvamvis reformatæ, hodie qvoqve florent. Alioqvin Dani Deum vel bonum spiritum aut Dæmonem *Vig* (Angosaxonum (in antiqvis carminibus) ad deorum tabernacula (vel tapetibus ornata delubra) intente coluisse dicuntur *) at posterius ipsis Anglosaxonibus idolum aliqvod speciale (vel qvodvis generaliter) eodem nomine fuit appellatum. Talia idola, ad fora publica Germanorum erecta, ut comitia vel nundinas publicas consecrarent et servarent **), nos opinamur gentilismo durante dicta fuisse *Uihpiliti*, ɔ: *Wihbild*, *Weihbild*, unde recentiorum *Weichbild*, qvod tandem municipii jus et ipsum interdum municipium significasse scimus. Ast veterum gentilium symbolorum & idolorum loco christiani erexerunt statuas principum vel heroum (e. gr. Rolandi, Caroli magni nobilis militis) aut etiam sancti alicujus hominis, vel crucem, brachium ense armatum, chirothecam imperatoris, vexillum ***), (album) scutum pacis (Scandinavis dictum *Fridskjöldr*) & pl. ****). — Ejusdem generis signa fuerunt arbores, columnæ vel statuæ qvæ Irmensaülen (vel Irmensulæ) vocabantur. Vid. *Jörmungrund s.*

Monemus tandem multa hominum in nostro Septentrione propria nomina Deo *Ve* (vel ipsius sanctuario ac sacris) suam originem debuisse. Sic e. gr. unica familia, e gentili Norvegia in Islandiam emigrans his gaudebat nominibus: *Ve-Geir* (Vei sacra vel divina framea) Sogniensis pontifex, freqvens Deorum cultor, hos habuit filios: *Ve-ſteinn* (— lapis aut rupes) *Ve-biörn* (— ursus) *Ve-ormr* (— anguis), *Ve-mundr* (— donum), *Ve-gestr* (— hospes) & *Ve-örn* (— aqvila) — at filia nominabatur *Vedis* (Vei aut sancta Dea vel nympha &c) *****).

præfuisse dicitur (Skalda pag. 149). At similes institutiones non videntur defuisse ipsi Germaniæ. Sic e. gr. legimus in glossis theotiscis sec. 8vi, editis in doctiss. Graefii Diûtisca I B. II H. (1826): *Uuih perc in hauhi cotes*, sanctus mons in excelsis Dei. Islandis gentilibus sacra rupes in foro insulæ generali, pro arâ populi universi habita, dicta fuit *Lögberg* (legis mons, rupes vel petra); similis originis erat verisimiliter Francorum *Malberg* (unde celeberrimæ Malbergicæ glossæ; *Mál* Islandis adhuc notat causam forensem, originitus sermocinationem &c).

*) *Carmen Scyldingicum (de Danorum rebus gestis)* &c. ed. Thorkelini pag. 16.

**) Eodem nimirum modo ut Græcorum *Ζευς αγοραῖος* & pl.

***) Vexilla poetis antiqvis nostratium audiunt *Ve*, ut res sacerrimæ, olim forte Deorum symbola; Taciti "effigies & signa, detracta (sacris) lucis, qvæ in prælium ferunt." *German.* c. 7.

****) Putant multi Germanorum juris consulti vocem istam derivandam esse a *τω Vic* vicus &c. (si unqvam vox illa exstiterit). Cfr. vet. Scand. *Vigi* munimentum, cujus tamen (& plurium cognatorum) cum nostro *Ve* verisimilem cohærentiam jam non explicare vacat.

*****) *Islands Landnamabók* ed. Havn. pag. 156. In eundem modum a Freyero ac Thoro Diis &

Pro veteris Veianæ relligionis (qvoad *ignis cultum* Danis & Anglis in legibus Canuti Magni prohibitæ) reliqviis hodiernis accepimus porro nomen visci, adhuc inter Veſtro-Gothos Sveciæ usitatum, nimirum *Ve-spelt*, ac superstitionem de eo valentem, cum iſta planta, in ædibus suspensa, incendia ab iis averruncare vulgo rurali credatur. An autem Dalecarlorum *Ven*, qvod sacerdotalem cathedram notat, derivandum sit ab antiqvo *Ve* (*Ve'in*, *Ve'n* plur. cum artic. postp.) sanctuarium &c. in medio jam est linqvendum *). Cfr. *Ódin* s. *Vili* i. it Gloss. T. I, II & III.

Vear Dii (ut videtur a sing. *Vei*) *Hym. Qv.* 39. Est certe derivandum a *τω Ve* s.v. *Veor* i. Cfr. Gloss. T. I.

Vegdrasill (obscuræ significationis, qvamvis explicandum videatur: aut a) ad viam trahens vel portans aut b) lente viam sive iter terens. Est verisimiliter nomen genii erotico-allegorici *Fiölsv. M.* 35. A *τω Vegr* via (Gl. T. I & II) et obsol. *drasill*, qvod iterum a verbo *draga* trahere &c. Cfr. *Yggdrasill* i.

Vegsvinn (viam callens) f. amnis terrestris, ad Helam sive Orcum tandem delabens, *Gr. M.* 28. Vid. Gl. T. I & II. v. *Vegr* & T. II. v. *Svinnr*.

Vegtamr (viæ adsvetus) nomen ab Odino sibi ipsi inditum, cum ad Orcum sive Helæ mundum proficisceretur, ad Valæ defunctæ oraculum de futuris Balderi & mundi fatis consulendum, *Vegtams Qv.* II. Nomen *Wechtam* in antiqvis Germanorum poëmatibus reperit celeberr. Grimmius. De nostri etymologia vide Gl. T. I & II v. *Vegr*, II v. *Tamr*. Cfr. *Valtamr* s. it. *Odinn*, *Vala*; *Gángleri*, *Gángráðr* s.

Veigr, *Veigur* (vigor vel vigorem aut ex-i mias potiones indulgens) nomen Dvergi sive Alfi aut elementalis genii *V.Spá.* II. De etymo vid. Gl. T. I. v. *Veig* it. *Gullveig* s.

Veor, *Veorr*, nomen Thori Dei adscititium *Hym. Qv.* II, 17. Sic Thorus nominatur aut *α*) *ατω Ve*, mythico ignis sacri nomine, qvod alioqvin denotat sanctuarium, sanctitudinem &c. Thorus coelesti igni præfuit, unde sacer ignis in ejus delubris perpetuo fuit servatus. Cfr. *Vear*, *Lódr*, *Hlóðridi* s. Dicitur porro idem Deus *Midgards veorr* (*VSpá.* 50) qvod certe denotare posset sanctum Midgardiæ Deum,

---

pl. nomina hominum propria fuerunt composita. Hinc qvoqve nomen allegoricum *Vebodi* (ɔ: sacrorum gentilium antistes i. e. *Godi*) ut G. Magnæus rite observavit. Uxor ejus dicta fuit *Rádey* vel *Rádný* (imperiosa). Hi conjuges (e christiani vatis opinione) dum in vivis erant "Potentes fuerunt et putabant se omnia recte agere. In se ipsis confidebant & censebant se solos esse super omnes mortales, veruntamen eorum conditio omnipotenti Deo aliter visa est. Agitabant voluptariam vitam & aurum in ludibrio &c.)" *Sól. L.* 16-18. Vei sive sacræ aræ custos Rex ipse Sveciæ Upsaliensis vocatur *(vördr vestalls). Hkr.* I, 29. Cfr. catastri Freckenhorstensis *Vehus* ɔ: sacra domus (monosterium); *Dorow Denkmäler* &c. I B.

*) Linnæi *Vest-Götha Resa* pag. 31. *Ihre Svensk Dialect-Lexicon* pag. 195.

at tamen e qvorundam sententia idem est ac β) notissimum aliud *Verr, Ver* defensor &c. (vid. Gl. T. I & II) qvod certe Dei illius veræ indoli, at vocabuli ipsius structuræ minus saltem conveniret. Cfr. *Midgardr* s. *Þórr* i.

Veratýr (virorum sive militum deus) nomen Odini adscititium *Gr. M.* 3., cfr. Edd. jun. pag. 24-25. De etymis vid. Gl. T. I. & II v. *Verr, Ver* & *Týr* s.

Verdandi vid. *Verþandi.*

Verland (maritima regio) qvo Harbardus Thorum ablegat ut Fiörgyna, ejus mater, cum gnato conveniat et ipsum gentilitias vias ad Odini regiones doceat. *Harb. L.* 54. Vid. *Fiörgyn, Harbardr* s. *Þórr* i; cfr. Vers. Dan. II, 163-164. De etymis vid. Gl. T. II. v. *Ver* (mare) & *Land.*

Verþandi (Verdandi, Verdandi) o: facta, eveniens, accidens, — altera Nornarum, præsens tempus gubernans. *V.Spd.* 18. Edd. jun. pag. 18. Vid. *Nornir, Urdur* s. Est nomen istud particip. act. verbi *Verda* fieri (unde Norna illa hodie qvoqve Danice dici potest *Vordende*, Svec. *Vardande*, German. *Werdende* &c.). Cfr. Gloss. T. II. v. *Verda.*

Vestri (Occidentalis) unus e qvatuor illis Dvergis qvæ mundi cardines gubernant vel sustinent VSpá. II. Vid. *Austri* s. Ab Isl. *Vestr* occidens, Dan. & Svec. *Vest, Vesten, Veſter,* AS. *Vest,* Angl. & Germ. *West,* Gall. *Ouest,* Lapp. *Vjeester;* cfr. Lat. *Vesper,* Gr. ἕσπερος.

Vetr, Vetur m. Hyems; qværit Gangradus, unde hiemalis ille dæmon primum venisset? cui qvæstioni Vafthrudner gigas respondens dicit Vindsvalum (ventum vel ventis-frigidum) esse istius patrem, at Veturum et Sumarem (Hyemem & Aestatem) ambos per secula semper (una) ituros, usqve dum numina solventur; *Vaſþr. M.* 27. Sic de eo agit Edda junior (pag. 22): "Sciscitatur Ganglerus: Unde tanta oritur differentia, æstatem esse calidam at hyemem frigidam? Respondet Har: Non ita vir mythorum peritus qværeret; qvia id omnes enarrare sciunt; si vero tu solus adeo es ignorans, qvod hæc antea non audiveris, boni est consulendum, etsi semel interrogaveris imperite, qvam illa te diutius lateant, qvæ novisse oportet..... Pater Hyemis et *Vindlôni* et *Vindsvalr* [q. v.] appellatur; at ejus pater dictus fuit *Vasadr* *) erantqve consangvinei isti naturâ crudeles & frigido pectore anhelati, qvorum etiam indolem *Vetur* (Hyems) retinet." Cfr. *Sumar* s. Similis allegorica genealogia occurrit in nominibus *Fiölkaldr, Vindkaldr, Vorkaldr;* cfr. *Svipdagr* s. Appellatur Hyems in Skalda (pag. 127) filius Vindsvali, angvium per-

*) Verisimiliter rectius scribendum *Vásadr* a *vá Vás* udor, molestia (de qvo Gl. T. II). Præferunt alii scriptionem *Vasadr,* nomen istud deducentes a verbo *Vasa* licentius incedere, animose vel impetuose progredi.

cussor vel moeror*) & pruinosa vallis (vel procellarum tempus). Ibidem (pag. 210) Vindsvalus gigantibus adnumeratur, unde Hyemis ipsius gigantea origo facile probatur; hi autem certe pertinuerunt ad Hrimthursorum familiam, nam pruinâ & frigore indubie abundant. Sic qvoqve Hyemem sæpe mythico ac scenico more sub gigantis persona repræsentatum esse liqvet, ut probare tentavimus in artic. *Beli*, *Harbardr*, *Hrúngnir*, *Sleipnir* & pl. Nomen *Vetur***) verisimiliter derivandum est a *Væta****) udor (unde etiam *Votr* udus &c.). Similis originis videtur fuisse vocabulum *Vöttr*, *Vavttr*, Dan. *Vante* (unde Island. *Vetlíngr*) manica, chirotheca qvæ in baculis calendaribus ut hyemis incipientis symbolum*****) conspicitur. Cfr. *Skrýmir* s. *Þórr* i.

Vid (Viþ) ampla, lata — amnis qvidam coelestis Gr. *M.* 27. Cfr. Gl. T. II. v. *Vídr* (unde etiam *Vídir* Oceanus). Cfr. Edd. jun. pag. 43. *Víd* alias in prosaica hacce Eddâ (pag. 4) adnumeratur fluviis infernalibus.

Vidar (Viþarr) duodecimus & ultimus in mythico borealium calendario (ê nostra sententiâ) zodiacalis Deus, qvi præest amplissimæ regioni, dictæ *Landvídi*, virgulto foliis spoliato & gramine cordo vel serotino obsitæ******) (sub signo scorpii, vel mense isto, qvi circa diem 21^mum^ Novembris oriri solet); — ibi autem vegetus (Odini) gnatus ex eqvi dorso descen-

---

*) Notavit Sorterupius proverbium sui temporis Daniæ rusticorum: *Gregorii Dag skal alle Orme have deres Hoveder over Jorden* o: (Verno) sancti Gregorii die omnes vermes capita supra terram cubilibus suis exserent.

**) Dan. & AS. *Vinter*, Svec. Angl. & Germ. *Winter*, Scot. *Wyntyr*, M. G. *Vintrus*.

***) Dan. *Væde* (â qvo iterum *Vædske* humor), Svec. *Väta (Vätska)*, Angl. *Wet* &c. Cfr. Gl. T. II. v. *Vatn*.

****) Talia certe symbola olim pro hieroglyphis habebantur, unde varias superstitiones ortas esse putamus. Sic e. gr. seqventem (circa medium sec. 18^vi^ in Dania): "Qvo primum die pecudes, relictis pascuis jam sterilescentibus, præsepia repetunt, alliganti præsepibus boves *laneæ* sunt, necesse est, *chirothecæ*; alias insolita brumæ ferocia reformidanda" &c. Cfr. ea, qvæ de *lanâ* ut Ulleri Dei symbolo, & Lspponum contra hyemis sævitiem amuleto adtulimus. Relationem illam exhibuit Pontoppidanus in *Everriculo ferm. vet.* (1736) pag. 86. At observavit porro: "illo die ulla olla foco admoveatur" qvi superstitiosus mos ethnicismo qvoqve suam debet originem. Cfr. *Grímnir*, *Ullr* s.

*****) Huic explicationi (& mensis illius in nostris terris indoli) adcurate respondent textus verba *hrís oc hágras* (nempe a substant. *há* (f.) at non ab adject. *hár (há)* altus — qvod magis arrisit interpreti latino, qvem etiam in versione mea Danica sum secutus, qvum proprius vocis sensus mihi tunc non occurreret. Qvo modo nomen ipsius regionis calendari illi allegoriæ non minus congruat, videas supra in articulo *Land-vidi*. De voce svecica *Vide*, ibi memorata, ita refert Ihreus in Gloss. Svio-Goth. "*Wide* horizon.... Ruricolas etiam infimam horizontis partem *Wide't* appellare animadverti." Huic Svecicæ voci respondet Islandorum *Vidi*.

dit*) ut patrem rite ulciscatur *Gr. M.* 17. Is inter alios Deos adfuit Aegeri convivio (ubi Odini filius distincte appellatur). Mandat ei Odinus e sedili surgere & Lokium ad symposium adducere. Vidar igitur surgens Lokio propinavit (vel poculum, ei tradendum, mero implevit) an autem, ut antea conclusi, in Lokii gratiam de propriâ sede cesserit, jam mihi non penitus liqvet; *Aeg. dr.* pag. 149, 155; str. 10. Odino a Fenrere lupo (in ultimo mundi exitio) superato hic ejus magnus filius Vidar veniet ad dimicandum cum funesta illa ferâ; facit iste gigantis gnato gladium manu strictum ad cor usqve pertingere ac sic paternæ necis ultionem perficiet *V.Spá* 49. Vaticinatur Vafthrudner: Lupus (Fenrer) devorabit seculorum patrem (Odinum); hoc Vidar ulciscetur; frigida (bestiæ) ora is disrumpet, cædem ita efficiens *Vafþr. M.* 53. Qværit Gangradus: Qvinam Asarum regent deorum bona (fundos) cum Surti flamma exstincta fuerit? cui qvæstioni Vafthrudner respondet: Vidar & Valius habitabunt (vel exstruent — *byggia)* loca sancta Deorum, ubi exstingvitur Surti flamma ibid. 51**).

Edda junior hæc nobis de Vidare communicat (pag. 31): "Vidar dicitur Asarum unus, cognomine taciturnus; is calceum habet spississimum. Is a Thoro robore virium est secundus. In hunc Dii multum confidentiæ in omnibus periculis (vel etiam: rebus arduis et laboriosis exantlandis) collocant." (Pag. 73) "Odino a Fenrere interemto procedet Vidar, qvi altero pede inferiorem rostri lupini partem insistendo premit, at altera manu rostrum superius prehendit ac rictum ejus ita diducit, ut inde moriatur lupus. In pede vero illo calceo utitur, ad qvem conficiendum per omne ævum additamenta accesserunt; hæc autem sunt pelliculæ istæ, qvas sutores ex calceis parandis loco calcis & digitorum exscindunt. Observet ergo, qvicunqve Asis opitulari velit, has particulas pellium rejicere"***). (Pag. 76) [Post mundi interitum] "Vidar et Valius ita vixerunt ut in-

*) Ex ingeniosissima Sorterupii conjectura baculus calendaris gentilium Scandinavorum eqvi qvodam nomine vulgariter fuit insignitus, ut recentiorum Danorum *Jolense jumentum (Jule-Hors)*, lignum qvoddam certis signis notatum, qvæ duodecim menses et solidum anni cursum continere finguntur. (Vid. *Yggdrasill).* Si hæc conjectura vera, *Vidar*, mensium ultimus, *ex eqvi illius dorso descendit* cædis patris Odini (anni præteriti et qvasi emortui) ultionem efficiens, qvum novum annum simul feliciter provocet & restauret.

**) Bragius & Lokius vocantur *Vidars þegnar* (Vidaris ministri) *Hr. G.* 17, ubi Odinus ita appellari videtur; at forte illis verbis alluditur ad Vidaris mensem (cum ipsius in natura imperio) tunc incipientem.

***) Consilium hocce cum fabulari suo fundamento nutricularum gentilium inventionem prodere videtur. Alioqvin calceus ille ferreus esse dicitur, ut infa nos monstrabimus. In editione Reseniana plebejum illud additamentum deest. Cfr. *Mone* l. c. I, 454-55. — Vir laudatus my-

cendium Surtianum illos nocuerit, campumqve Idensem inhabitabunt [vel ædificiis adornabunt] ubi qvondam fuerat Asgardia sita."

Sermones Bragiani (pag. 79) memorant Vidarem inter duodecim Asas judices, in convivio Asgardiano, Aegero parato ut etiam ille, teste Skaldâ (pag. 129) symposio Aegeriano posterius adfuit.

Enarrat porro Skalda (pag. 112-114 *) seqventia de Vidaris gigantea (at Diis tamen favente) matre: "Perqvam memorabile est iter Thori qvo Geirrodogardos (Geirrodi regionem vel oppidum) **) petivit; neqve tum secum habuit malleum Mioelnerem, nec cingula roborifica nec chirothecas ferreas, cujus auctor erat Lokius, ipsius in hoc itinere comes (vid. *Loki* s.)... Thorus, Geirrodi habitacula tendens, ad oreadem qvandam, nomine Gridam ***), Vidaris taciturni matrem, divertit, et ab ea hospitio excipiebatur. Hæc vero Thoro de Geirrodo referens, dixit eum esse gigantem multarum rerum peritum et adeo ferocem; ipsiqve balteum (suum) roborificum, chirothecas ferreas qvæ illi fuerant & scipionem suum qvi *Gridarvölr* (Gridæ baculus) dicitur, commodavit. (Qvomodo Thorus, in itinere illo, maximam amnem transgrederetur, baculo contra torrentem innixus ac ejusdem ope furias hostiles interemerit &c., vide artic. *Þórr* i.). In fragmento carminis Thorsdrapæ (l. c. p. 117) baculus ille Gridianus memoratur, in periculosa amnis transgressione maximam opem indulgens. Jarnsaxam oreadem se qvoqve Thoro amicam præbuisse alibi notavimus.

Skalda tandem (pag. 195) — Vidarem ita appellari docet: Asa taciturnus; pos-

---

sticam qvandam significantiam (ut mundi ortum ac redintegrationem symbolice innuenti) calceo illi adtribuere conatur; — in legibus nostratium antiqvissimis invenimus certe calcei qvandam superstitiosam vel symbolicam venerationem, qvam jam non illustrare vacat. Aliam junioris Eddæ admonitionem (mythicis argumentis fultam) notavimus ad artic. *Naglfari*. Revera Persæ timebant dæmones, malos ungvibus hominum (nisi rite abscissæ & tractatæ fuerint) in eorum perniciem operaturos; *Hyde* l. c. p. 458) — at ungves insuper mandabant præcipue abscindi mense Aban durante *(v. Hammer, W. Jb. der Lit.* 1827 xxxviii, 41) qvod tempus, e vetustissimo Scandinavorum calendario, respondet Vidaris mensi, cum Naglfarii adventus ingruere metuebatur.

*) Cfr. hujus relationis translationem in *Sculonis Thorlacii Antiqvit. bor. obs. misc. Spec. VII*, pag. 2 & 59.

**) Certe Utgardiæ (sive montani terram cingentis circuli) aliqvam partem. Præfuit ei gigas Geirrodus. Qvomodo is Lokium ceperit & se ad Thori inermis periculosum iter efficiendum obligaverit, vid. *Loki* s. Cfr. *Þórr* i. At hæc *Geirrodi sedes* in ea regione sunt collocandæ, qvæ Petro Olai vocatur *Geruthi* (non *Beruthi*) sedes e Suhmii et Dahlmanni emendatione (*Om Odin*, pag. 152; *Forsch. auf dem Gebiete der Geschichte*, I, 325, 327).

***) Nomen *Gridur, Gríþr* vehementiam certe denotat, sed alioqvin poëtice qvamcunqve giganteam mulierem.

sessor calcei ferrei; hostis & occisor Fenreris lupi; Asa Deorum ultor; paternos fundos inhabitans (vel reædificans); filius Odini; frater Asarum.

Allegoricam Vidaris fabulam duplicem sensum invehere censemus, cum Deus ille non tantum veneratus fuerit ut calendare numen sed simul qvoqve ut genius meteori, qvod Typhon Græco-Romanis mythico-physice dicebatur; nam:

1) Loca allata antiqvioris Eddæ (præcipue *Gr. M.* 17 ac *Vafþr. M.* 51) alludunt ad calendaris Dei potestatem, et annuam, et ad magnum mundi annum pertinentem. In regulari temporis cursu Surtiana flamma denotat dierum caniculariorum nocivum æstum, qvi interdum fructus ac segetes vastavit at pestem hominibus immisit; — interea Fenrer (abyssi tenebrosus) lupus æstatis melioris indolis rectorem, Odinum sive æstivum Coelum, devorat, at Vidar, ejus & Gridæ (obscurioris ac magis inqvieti anni temporis vehementiæ) filius, divinis viribus fultus (teste *VSpá.* 49) inferum illud monstrum lethali vulnere afficit; — sic ipse Deorum clementiorum jam exstinctorum vel defunctorum fundos inhabitat & novarum iis destinatarum ædium fundamenta ponit. — Mensis, cui ipse præest, avium cantu & reliqvo æstivi gaudii sonitu est destitutus, unde *taciturni* cognomen ei aptissime contigit. Sic qvoqve apud Caledones (teste ingeniosissimo nostro ac in illius gentis antiqvitatibus & literaturâ versatissimo *Kamla)* idem mensis, paci ac qvieti sacratus, dictus est *mensis ater*, ac tunc etiam *furvæ oves* pro defunctorum qviete sacrificari soluerunt*). De zodiacalis ejus regni congruâ denominatione, vid. *Landvídi* s; cfr. translat. Dan. I, 148, 235-237; ast:

2) Junioris Eddæ descriptiones (qvæ in vetustis traditionibus & carminibus sine dubio sunt fundatæ) majorem respectum habere videntur ad Vidaris, ut physici ac aërii Dei, vetustum cultum. Qvod Thorus fulminis mythicus rector vel genius esse

*) Hoc anni tempus ab Islandis vocabatur *Veturnætur* o: noctes hyemis adventum annunciantes. Ibi & in boreali Norvegiâ hyems prius incipit qvam in meridionalium Gothorum & Danorum regionibus. Fecerunt igitur illorum tractuum incolæ suam calendarem hyemem incipi circa diem 19-25 Octobiis. Tunc Freyerus, solaris Deus, ab Islandis pro seqventis hyemis clementia adorabatur (*Saga Gisla Stssonar* Cap. 15). Hic simul fuit pacis numen (ut suo loco monstravimus) & pro pace exoranda solenne in sacrificiis convivialibus poculum ei fuit dicatum (*Hkr.* I, 142). Magnum illud sacrificium & in Svecia & in Norvegia celebrabatur (ibid. I, 13, 142) & sic verisimiliter idem est ac illud qvod e Saxonis testimonio (Lib. I) a Danis qvoqve fuit peractum & a Svecis (qvi diutius gentilismum retinuerunt) *Fröbloth* dictum. Hoc enim Hadingus, Daniæ Rex, instituens *furvis hostiis* rem divinam fecit (in divinæ cujusdam necis memoriam vel expiationem) qvi litationis mos *annuo feriarum circuitu fuit repetitus.* Cfr. *Freyr* s. Circa idem tempus Christiani *omnium sanctorum festum* celebrare solent. De plurimis Scotici vulgi circa illud superstitionibus alii scripsere.

creditus fuerit, nemo nostræ mythologiæ gnarus negare audebit, at Vidar illic "â Thoro viribus secundus esse dicitur." Hinc ambos deos similis indolis fuisse, probabiliter concludere licebit. At Vidar Thoro rarius apparet, qvum in periculis tantum Deos adjuvet. Ita Typhon meteorum fulmine rarius apparere solet, at tamen olim, ut Thorus ipse, Diis contra gigantes adjumentum ferre, ê nostra sententia, putabatur. Sic qvoqve eo respectu Vidar sæpissime taciturnus esse, rite dici potuit. Ut Typho meteorum *uno pede* terras vel maria durissime premere et insignia naturæ miracula ita efficere videtur, sic etiam Vidar Deus in fabulâ illa. Fenrerum tam ignem subterraneum erumpentem qvam densissimas tenebras denotare suo loco monstravimus, at ad flammas vel caliginem fortissime dirumpendam Typhonis illius vires certe sunt aptissimæ. Huc accedunt multorum orientialium (buddhisticæ relligionis) populorum traditiones de turbine vehementissimo mundum nostrum post ejus futurum exitium restructuro *) (ut idem a nostratibus de Vidare perhibetur).

Thori bellicum apparatum (cingulum roborificum, malleum & ferreas chirothecas) ad fulmineæ tempestatis aspectum & efficaciam adludere, alio loco probavimus **). Typhon meteorum fulmineæ tempestati et aspectu et effectu est simillimum, ac Thorus igitur cum Vidare adcurate fere comparari potuit, at talem porro comparationem revera a nostris mythographis institutam fuisse vidimus in relatione de Grida, giganteâ Vidaris matre, Thoro, propria armaturâ (hyemis tempore) destituto, at nihilo minus Utgardenses gigantes visitaturo, cinctum suum (vel potius filii dicti) illi similem, amice commodante. Accipit nimirum balteum corroborantem (densissimæ nubis (qvâ Typhon alioqvin cingitur) ferreas chirothecas (rapaces phænomeni vires indicantes, at hic Vidaris ferrei calcei loco positas) ast malleum Miölnerem, Thoro alioqvin proprium) non possidens, fortissimum suum baculum (dictum *Gridarvölr)* ejus loco Deo commodat ***). Hoc innixus Thorus rapacissimos torrentes pervadit, saxa ingenta & ignita tela jactat ac mala dæmonia (inundationes & diras tempestates cientia) fortissime deprimit ac perimit, unde fragores maximi oriuntur; ita qvoqve (e veteris poetæ fictione) amnem immanem alloqvi potuit:

Ne exauge Vima ****)! vortices
In me, pede te transiturum,

*) Vid. *Eddalæren o. d. O.* IV, 514; cfr. I, 349-350.

**) *Forsög til Forklaring over n. St. af Ossian* &c. l. c. pag. 232, 243-246. Cfr. *Þórr* i.

***) Thorus, per aëra sublimis vectus *mallet jacti* ictu gigantes ferire solebat, at Vidar uno pede solum vel salum tangit vel qvasi fortissimo *baculo* durissime premit.

****) Hic oceanus, Utgardiam a nostro mundo cingens, indicari videtur, nisi revera innuatur fluvius Russiæ borealis, hodie qvoqve Wym (sive Vyma) dictus. Cfr. *Eddalæren* III. 151-155.

Et gigantum sedes (vel valla) petentem;
Nosti ne, modo inæstuare pergas,
Robur mihi Deorum
Vel coelo tenus auctum iri *)

nam revera coelotenus Typhon meteoron validissime elevari videtur. Addimus tantummodo qvod mythi hujus relatio de Lokio, Thori balteum pendulo fere tenente, alludere videatur ad flammam aëram, qvæ interdum Typhonem meteorum comitatur.

Non alioqvin mirum, qvod gentiles nostri atavi, physica naturæ phaenomena (aut eorum, ut credebant, invisibiles rectores) pro Diis accipientes, talem qvoqve fovissent opinionem de meteoro illo vere mirabili, qvod fulmineæ tempestati simillimum ita sæpe procedit, ut mentem humanam consternat stupendis prodigiis, qvæ vix sine divinæ potentiæ ac providentiæ cooperatione effici posse videntur **). Fatentur qvoqve plures recentioris ævi physici scriptores terribilis illius meteori formationem sibi esse inintelligibilem ***).

Calendarem Vidaris ac ejus domicilii significationem (uti alioqvin semper de cæteris zodiacalibus Diis) physicâ illa (Typhonis meteori) recentiorem fuisse opinamur. Simili modo plura numina, primum physica, posterius sæpe culta sunt ut allegorica, ethicas hominum virtutes vel affectus dirigentia ac adjuvantia &c. qvæ hic non amplius disqvirere vacat.

Nomen *Vidar* (viris gentilibus Scandinavis interdum proprium) duplici modo potest explicari, nimirum 1) lignator, a

*) Hujus carminis duæ tantum strophæ nobis supersunt, at etiam in laudato Thorsdrápæ fragmento (apud S. Thorlacium l. c. pag. 24-25) dicit Thorus *vires sibi ad coelum usqve auctum iri* ui imminueretur alluvies fluminis.

**) Hæc deducere et typhonici turbinis cum fulminea tempestate (vel Vidaris cum Thoro) similitudinem monstrare tentavi, translat. hujus Eddæ Dan. I, 125-129. Demonstraverat antea immortalis noster Christ. Bastholmius qvod Vidar tempestatem significet, at Typhon turbo pro vehementissima ipsius specie est habendus. Nihilominus doctiss. *Geijer (Svearikes Häfder* I 348) ita declarat illam meam explicationem absurdissimam esse: "*Finn Magnusens (physiska) förklaring af den tysta Asen Vidar mett fullkomligt motstykke till:* lucus a non lucendo." At e contrario celeberr. Raskius (antiqvitatum & veteris nostratium lingvæ non minus peritus) eandem nostram interpretationem pro maxime probabili accipit, at Gejeri illam vituperationem nullo fundamento firmatam esse observat (*Hermoder* 1825, pag. 42). Iam penes lectores judicium esto! Gejerus physicam nostram borealis mythologiæ illustrationem l. c. reprehendit (Raskio posterius improbante) at alio loco (pag. 307) naturæ cultum (e nostrâ qvoqve sententiâ) ejus primum fundamentum esse statuit: "*Den Naturdyrkan som för den samma (Nordiska Gudalären) låg till grund, och som är dess äldsta gestalt, hvilken den väl altid i folktron förnämligast behöll, framträder i dessa gamle hedniska hjeltesångar* &c. Hæc nostris opinionibus ad ungvem conveniunt!

***) Vid. e. gr. *Tüb. literar. Morgenblatt* 1820 pag. 163 in librum: *Précis elementaire de physique experimentale, par Biot.*

verbo *vida*, *viþa* lignari (cfr. Gl. T. I & II V. *Vidr*); Typhon arbores sæpissime frangit vel eradicat, ut nomen istud illi sane optime convenerit, præsertim cum vento aut turbini violento idem nomen ac similia plura apud poëtas veteres contigerint*) 2) (magis improprie) Victor a verbo *viþa* (pro *vinna*) vincere. Vid. Gl. T. I & II**).

Vidofnir, *Viþofnir*, gallus qvidam mythicus vel allegoricus, qvi coruscans sedere perhibetur in ramis arboris Mimianæ (*Mímameidr*) alatis artubus binas dapes promens qvi tamen sæpissime a Sinmara (vel atro ejus dæmone) comprimitur & telo qvodam mystico, dicto *Hævateinn*, a Lopto despoliato (vel denudato) intra Nagrindas (manium clathrata claustra) fabricato, ad inferos decidere facitur. At tamen ille, qvi bacillum istum seqvens eundem repetitum it, salvus redibit, si mulieri id affert qvod pauci possident (vel pro re exqvisitâ vel maxime deliciosa habetur; Islandis recentioribus *fá-gæti*). *Fiölsv. M.* 18-19, 24-29. Poëta hic obscure satis alludere videtur ad sensum ambiguum vocis *Hani*, qvi hodie qvoqve â Jutis Danicis adtribuitur alii ejusdem significationis, nimirum *Kok* gallus &c. sed ab Anglis consonæ *Cock*, ab antiqvi nostri sermonis *Kokr* (vel *Kockr*) uno inter galli varia nomina, versibus memorialibus inclusa, in Scaldæ qvibusdam ineditis codicibus occurrentia***) (ubi etiam illud nostrum *Vidofnir* recensetur). At porro auctor allusit ad gallum illum, qvi ad recentiora usqve tempora apud Svecos rusticos in culmine majalis arboris collocari soluit, & Valhallensem gallum vel accipitrem Yggdrasilli (solis vel cælestis luminis symbolum) symbolice repræsentavit. Ethnicismo durante in delubris vel areis septis ea cingentibus, ad sacram arborem, sponsalia vel nuptiæ Cæli & Telluris tunc initæ a populo congregato solenniter celebrabantur; hic verisimiliter ad similia hominum gaudia cantiones soniuerunt lætæ ac eroticæ, (interdum scenico more pro-

*) Sic ipse ventus vel tempestas (Typhoni turbini vel Vidari nostro arctissime cognatus vel saltem pro eodem ente habendus) expressis verbis in Skalda (pag. 126) dicitur *briótr vidar* (ligna vel arbores frangens). Eadem ratione (cum de hostili erga homines tempestate sermo sit) gigas qvidam dicitur *Vidar* vel *Viþarr* (pag. 210) cum Ventus ipse sub proprio & aliis nominibus, eo sensu ibidem et alibi gigantibus adnumeretur; at ipse noster divinus Vidar materno genere a gigantibus fuit exortus.

**) An inscriptiones Romanæ in Magna Britannia repertæ: *Deo Veteri* vel *Vitiri* dedicatæ, ad Vidaris nostri cultum pertinuerint, *mihi* non liqvet: Vid. *Pennant Tour in Scotland* &c. 1772. pag. 71 & sq.

***) Hinc revera derivari debet vox *Kjúklingr* (qvasi *Kocklingr*) pullus gallinaceus, uti Svec. *Kökling*, *Kukling*, a provinciali *Kock* gallus (Gall. *Coc*, *Coq*). Vid, *Ihre. Sven. Dialekt-Lexicon* pag. 95.

latæ)*) qvorum unum specimen in carmine *Fiölsvinnsmál* nobis superesse videtur. Adludit autem hæc cantilena et ad majalia illa solennia, ludos ibi peractos ac loci sancti ornamenta, & simul qvoqve ad amores humanos, ibidem decantatos vel repræsentatos. Videas de cæteris articulos *Fjölsvidr*, *Menglöd*, *Svipdagr*, *Sinmara* p. p. Etyma videntur esse: *Vidr*, *Viþr* (arbor, sylva; in Gl. T. I & II) & *Ofnir* s. angvis (vel etiam originitus: textor).

Vidólfr, *Viþólfr*, *Vidâlfr* (ɔ: sylvestris dæmon vel genius) dicitur fuisse propater omnium Valarum vel sagarum *H. L.* 31 (Edd. jun. pag. 6), uti alioqvin Nornæ apud gigantes enutritæ vel ab eorum genere ortæ esse perhibentur. Qvod hic olim in Daniæ qvoqve & Sveciæ mythis fuerit celeberrimus, concludere licet ê relatione Saxonis Grammatici (Hist. Dan. Lib. 7) de Vitolfo aliqvo qvi Haldanem Biargramum Daniæ Regem, corpore saucium ac in Helsingiam profugum ibidem sanavit et e periculis liberavit: "Si qvis operam ejus blandimentis exposceret, hunc medelæ loco occultæ læsionis noxa afficere solitus erat, aliqvanto speciosius beneficia minis**) qvam adulatione exposci judicans." Idem Erici (Sveciæ principis ac Haldani hostis) "milites, penatibus suis occupandi Haldani cupidine imminentes, ita videndi officio spoliavit, ut propinqvas ædes nec propectu capere nec certis possent vestigiis indicare. Adeo luminum usum nubilus qvidam error obtuderat. Cuius opera Haldanus virium integritatem adeptus &c." Valæ illæ medicinam qvoqve exercentes & magicis suis artibus sæpissime similem cæcitatem efficientes ***), tali certe propatre dignæ fuissent, — qvamvis fabulæ illius eddicæ originem traditione jam relatâ antiqviorem esse censeamus. De etymis vid. Gl. T. I & II v. *Vidr*, *Viþr* & *Alfr* s.

Vidr, *Vidvrr*, *Viþr* nomen Odini adscititium, qvod sibi in prœliis datum esse fatetur *Gr. M.* 48, — nisi *Vidrir* legi debeat, ex aliis variantibus lectionibus, ibidem annotatis. Omittunt autem plures ac op-

*) Cfr. Saxonis Grammatici Hist. Dan. Lib. VI "Starcatherus (in Svecia) cum filiis Fro (Fröyi, Freyeri) septennio feriatus, ab his tandem ad Haconem, Daniæ tyrannum, se contulit, qvod apud Upsalam sacrificiorum tempore constitutus, effœminatos corporum motus scenicosqve mimorum plausus ac mollia nolarum crepitacula fastidiret. Unde patet, qvam remotum a lasciviâ animum habuerit, qvi ne ejus qvidem spectator esse sustinuit." Cfr. Hkr. II, 136 ubi Olai, gentilium Svecorum Regis, Upsaliense qvoddam convivium describitur; referuntur ei adfuisse ludiones vel mimi *(leikarar)*, citharis, panduris & aliis musicis organis instructi. Exsistit qvoqve Scaldi alicujus acerbum epigramma in ludiones & musicos Haraldi pulchricomi, Norvegiæ monarchæ, sec. 9uo imperantis.

**) Cfr. minas Egilli Skallagrimii erga dæmones Norvegicos; *Eigla* ed. Havn. pag. 389,

***) Vid. ex. gr. *Eyrbyggia Saga* ed. Thorkelini pag. 94, *Landnáma* l. c. pag. 237 & *Fóstbrædra S.* (éd. Moldenhaueri, Havn. 1822) p. 168-171; cfr. *Njála* Cap. 12 (pag. 20-21).

timi qvidem codices totam illam lineam sive versiculum, qvi insuper metri naturæ vel regulari strophæ structuræ manifeste oppugnat. Occurrit tamen alio ordine in fragmento Grimneriani carminis, Eddæ juniori inserto (pag. 24). In Gl. T. I. nomen hocce explicatur: Victor, et deducitur a verbo *viþa, vinna* vincere, de qvo Gl. T. I & II.

Vidrir, Viþrir (tempestatis dator, moderator, vel effector) Odini nomen adscititium, ejus primitivæ indoli optime conveniens *Hr. G.* 9, *H. Q.* 11, 13 (ubi lupi ejus canes vocantur). In Edda juniore (pag. 3) hoc nomen occurrit, numero undecimum, inter duodecim illa præcipua qvæ Odino in Asgardiâ prisca contigerunt, ac ibidem, nostra sententiâ, ei attribuitur ut domino mensis istius, qvi virginis zodiacali signo respondet; vid. translat. hujus Eddæ Dan. I, 153. Nomen illud manifeste deducendum est a verbo *Vidra*, aurâ reficere, tempestatem moderare &c. (de varia qvoqve ejus indole vel statu vulgariter dictum, e. gr. *vidra vel, illa* &c.); hinc etiam varia composita substantiva ut *gódvidri* bona, placida, sed *illvidri* mala aut sæva tempestas, & multa similia, — at hæc iterum derivanda sunt a voce antiqvissimâ *Vedr* tempestas, ventus *). Cfr. *Ódinn, Vidarr* s. & Gl. T. II.

Vigdvalin, nomen allegoricum, impositum homini alicui aut genio sapientissimo, qvi â christiano poëta dicitur e tumulo qvodam sepulchrali exportasse cornu cervinum, runica inscriptione (a novem Niordi filiabus elabaratâ) adornatum, qvarum contenta (ex aliqvâ saltem parte) *carmini solari* inclusa esse innuuntur, a patre defuncto, filio in somniis adparente et Solkatlæ (vel solaris cameræ aut lætitiæ) filiis, rite explicata *Sól. L.* 78. Nomen rite transfertur: Cædium vel bellorum sopitor. Vid. Gl. T. I. & II. v. *Víg* & *Dvalinn* s. Cfr. *Sólarhiörtr, Sólkatla*; (it. translat. Dan. III, 229).

Vigridr Vígriþr, Vigriþer alterum nomen latissimi ejus campi, ubi Surtur et placidi (mundanæ naturæ) Dii (Asæ) in cædes (mutuas) ruent; — dicitur autem centum milliaria qvâqvaversum longus esse, ac bellantibus illis numinibus (a fato vel summo universi Deo) fuisse descriptus vel prædestinatus. *Vafþr. M.* 18 (obs. 22, 23). Cfr. Eddam juniorem pag. 72, 75. Indicat nomen illud aut pugnæ locum in aëre pendulum aut etiam simpliciter campum eqvestri prælio designatum vel aptum. Aliud ejus mythicum nomen est

*) Dan. *Vœir*, Svec. *Väder*, Aleman *Uueter*, Germ. *Wetter*, Angl. *Weather*, AS. *Veder*, Russ. *Vetr*, Polon. *Viatr*, Pelv. & Sanscr. *Vad.*, it. *Vatah, Vajuh*, p, p. Zend. *Vato*, Pers. *Bad*, Caucas. Osset. *Vaad*, Vogul. & Ostiak. *Vot, Uata* &c. — Adde Macedon. Βεδυ aër, cui divinum cultum exhibuisse dicuntur. Cfr. Gloss. T. I, II & III; it. *Eddalœren o. d. O.* I, 335 & sq. 359 & sq.

Oscopner, qvod suo loco illustrare tentavimus. De præsentis etymo vid. Gloss. T. I & II. v. *Vig* & T. II. v. *Rída*.

Vili, unus trium Böris filiorum, qvi mundum nostrum crearunt, decantatur (qvamvis eo nomine non expresso) in Valiano carmine (collato cum Eddæ junioris pag. 7 & sq. ubi is cum fratribus duobus, Odino & Ve, coelum & terram gubernare dicitur). De ejus cum Friggâ, Odini uxore, conversatione vid. *Ve* s. Gliscente tempore ejus inter homines cultus obsoluisse videtur, at ipse tamen iis potius innotuisse sub alio nomine *Hænir (Hœdnir, Heidnir)*, de qvo supra suo loco egimus. Eundem cosmogonicum Deum *lucem* vel *lucis genium* denotasse, alibi multis explicare sumus conati *). Recentioribus vox *Vili* audit voluptas, volnntas; (vid. Gloss. I. & T. II sub vocabulis *Vil*, *Vili* et aliis ab iis derivatis). Putarunt plures Ulphilæ interpretes (ad Marc. I, 32, XIII, 24) solem Moesogothice dictum fuisse *Uil* (vel *Vil*) ut olim Græcis vel Asiatis *Ilus* **). Nomen *Vili* (vel *Vilir*) in septentrione (uti fratris ejus *Ve*) antiqvissimo tempore in Norvegia pro proprio humano fuit usitatum ***). Huc forte pertinet nomen virile *Vilas*, qvod qvibusdam Gepidis (Gothicæ originis) proprium fuisse invenimus. In compositis sæpius occurrit, adhuc partim in Islandiâ usu valentibus, ut masc. *Vilmundr*, *Vilgeir*, *Vilbaldur*, fæmin. *Vilborg*, *Vilgérdur* & pl.; sic qvoqve apud apud Germanos, Anglosaxones & Anglos *Wilibald*, *Wilfrid* & alia. Cfr. *Ódinn*, *Hænir*, *Vali*, it. seqvens:

Vili nomen Alfi sive Dvergi (dæmonis vel genii) *VSpá* 12. Fuit forte Deo magno Vilio subordinatus. Vid. *Vili* s.

Vilmeidr, *Vilmeiþr*, magorum vel veneficorum propater *H. L.* 31. Maxime hic interest, qvomodo vocabulum hocce rite sit scribendum & legendum, nam 1) *Vilmeidr* explicandum est a) voluptatem lædens sive pellens, vel b) arbor voluptuosa, — sed e contrario 2) *Vilmeidr* moerorem sive miseriam pellens, vel arbor tristis aut infelix. Vid. Gloss. T. I & II vv. *Vil*, T. I. v. *Vil* et T. I & II, vv. *Meida*, *Meidr*.

Vin, fluvius cælestis aut Deorum regioni proprius *Gr. M.* 27.

Vina (vel *Vinâ*) amnis terrestris, hinc ad inferos labens *Gr. M.* 28. Sic alioqvin olim vocabatur flumen Dvina (in mare album effluens).

Vindálfr (venti — aut ventosus — dæmon sive genius); nomen Alfi vel Dvergi (horum entium veram indolem egregie illustrans) *VSpá* 11. Cfr. *Andvari*, *Gustr*,

*) *Eddalæren o. d. Oprindelse* I, 43, 350-51, 369-70.

**) Vid. doctiss. Joh. Jamieson *Hermes Scythicus* introd. pag. 114-115. Hic porro adlegat Gr. ἥλιος (ἵελιος), Isl. *ilr*, *ilur* calor & pl.

***) Sic enim duo Norvegici reguli, a Nore devicti, appellati fuerunt, teste relatione vetere de ejus regni inventione vel occupatione, (*Schöning Norges Historie* I, 116).

Austri &c de etymis vid. Gls. T. I & II v. *Vindr* et *Álfr* s. *).

Vindheimr (venti vel ventorum mundus) videtur idem esse ac *Vanaheimr* (a nobis suo loco disqvisitus vel aër terram cingens); — hunc duo divinorum fratrum (aut Balderi & Höderi aut etiam Vei vel Vilii — *alias* Loduri & Hæneri) *filii* post mundi renovationem (iterum) inhabitabunt. *V.Spd* 56 (obs. 98). Aër in Skalda (pag. 181) expressis verbis dicitur *Vedurheimr* (ventorum vel tempestatis mundus). Atmosphæra nostra (vel coelum terræ proximum) in ejusdem libri versibus memorialibus vocatur (pag. 222) *Vindbldinn* (ventosa at cyanea tamen) **). Cfr. porro *Vingólf* i. De nostri etymis vid. Gl. T. I & II, v. *Vindr* & *Heimr*.

Vindkaldr vid. *Svipdagr s.*

Vindr (Ventus) vid. *Vinddlfr*. De voce ipsa consulatur Gl. T. I & II.

Vindsvalr (ventis frigidus vel ventosus & algidus) pater Hyemis (vel hyemalis dæmonis, dicti *Vetur*). *Vafþr M.* 27. In Edda juniore (pag. 23) eodem modo memoratur, at dicitur tamen alio nomine appellari *Vindloni* vel *Vindlóni*, cujus vocabuli posterior pars mihi est inexplicabilis. Occurrit in Skalda (pag. 210) inter gigantum nomina. Cfr. *Vetur s.* De etymis vid. Gl. T. I & II v. *Vindr*. & *Svalr*.

Vingólf, *Vingólf*, *Vindgólf*, palatium cæleste, ubi Dii, Deæ ac forte etiam heroes, sub Odini ac Friggæ præsidio festivum celebrabant convivium; huc Heimdallus & Lokius ex inferis mundi regionibus ventis vecti pervenerunt & intro iverunt. *Hr. G.* 17-23. Edda junior de eo seqventia refert "Condito Gladheimo" (vel potius, ê nostra sententiâ, Valhalla) "Dii duodecim, rerum (coelestium vel mundanarum) moderatores, exstruxerunt alterum palatium, fanum scilicet (vel delubrum)***) qvod Deæ possidebant; hæc qvoqve domus admodum splendida fuit, ab hominibus Vingólf appellata." Referuntur (pag. 24) omnes ii "esse Odini ad-

*) De variis venti nominibus vid. *Alv. M.* 19, 20. Cfr. *Fornjótr*, *Hlésey*, *Kár*, *Logi*, *Bileistr*, *Hræsvelgr*, *Vetr* & pl. it. Edd. jun. pag. 126, 181, 210 (ubi gigantibus Ventus ipse, ita dictus — *qvoad sæviorem suam & mundo noxiam indolem — adnumeratur*),

**) Sic color certus Islandis dicitur *himinblár* o: coeli instar cyaneus.

***) *Hörgr* (A. S. *Hærg* Alem. *Harah* &c.) alioqvin vulgo notat delubrum, rupibus vel sepibus cinctum, ac interdum singulam petram vel idolum aut numinis statuam. In circis talibus petræis olim videntur erecta fuisse tabernacula vel diætæ e virgultis confectæ, additis velis vel tapetiolis, qvæ in epico de Beovulfo poëmate dicuntur *hrærgtreaf*, *hærgtreaf* (q. d. Isl. *hörgtraf*, *havrg-traf*; Edit, Thork. p. 15). Scimus veteribus Livonibus vel Lettis (Odinianæ religionis, ut videtur, ex aliqva parte cultoribus) talia tentoria, ad sacras arbores erecta, in usu fuisse. — Mos iste, â Deorum cultu ad justitiæ sacra translatus, duravit in foro generali Islandiæ ad seculum usqve 18m. post Chr. n. Illis qvoqve addendum censemus, qvod aër sive coelum a vetustatis nostræ poëtis diceretur *heimtiald* (mundi tabernaculum) e. gr. *Skalda* pag. 125.

optivi filii, qvi pugnando cæduntur (vel armis cæsi occumbunt). Hos autem in Valhalla sive Vingolfo collocat, et tum Einheri vocantur". Cfr. *Einheriar* s. At tertio loco (pag. 4) dixit Thridius: "Omnipater hominem creavit & animam isti dedit semper victuram, sed nusqvam perituram & neqvidem si corpus in pulverem usqve putrescat vel in cineres vi ignis redigatur; sic etiam vivent omnes homines bene morati (probi sive religiosi) atqve cum ipso manebunt in locis qvæ dicuntur *Gimle* aut *Vingólf*." Cfr. *Surtr* s.

Raro nostræ vetustatis poëtæ Vingolfum (sed multo sæpius Valhallam) memorant ut defunctorum heroum habitaculum. Cecinit tamen Haddingus qvidam, brevi moriturus:

Siá kann ec . . . .
Fjölnis meyar,
Ydur hefir mér
Ódin sendar;
Vildac gladr
I Vingólf fylgja
Oc med Einherium
Öl . . . drecka.

ɔ: Possum cernere
Fiölneri virgines (Valkyrias)
Vos ad me
Misit Odinus;
Cupio ex animo
(Vos) Vingolfum versus seqvi
Et cum Einheris
Zythum potare.*)

E locis allatis videtur: 1) Frigga, Dearum summa, cum Deabus ei subditis, atqve etiam Valkyriis et porro heroibus (forte harum prioribus maritis vel amasiis) in Vingolfo (unacum ipso Odino) præesse. Alioqvin proprium Friggæ domicilium vocatur *Fensalir* i. e. inferæ (in demissis locis sitæ) ædes, qvod forte pro Vingolfi parte est habendum. Concludere præterea possumus qvod Vingolfum circulari aliqva area vel territorio cinctum fuerit, unum vel plura palatia continente. 2) Qvod Deorum convivia partim in Odini proprio habitaculo (Asgardiâ vel Valhallâ); aut ab Asis solis, ut *Hý. Qv.* 1 — aut Deabus mixtis (Edd. jun. pag. 79, 107–108. cfr. 129 & Edd. ant. *Aeg. Dr.* introd.) at partim etiam in Vingolfo, forsitan ex Friggæ invitatione. 3) Non tantummodo viri armis cæsi sed etiam probi homines, ac sic qvoqve mulieres (qvas interdum cælestes Valkyrias factas fuisse scimus) Vingolfi futuram beatitudinem sperabant. Sic igitur Frigga (ut Freya & Gefiona) piis fæminis in propria sua (vel Deabus ac cæli nymphis communi) aula mansionem indulgere putabatur. 4) At piis in Vingolfo degentibus post telluris ac coeli futuram devastationem (magno mundi anni consumto) in coeli summi urbem vel arcem, *Gimle* dic-

*) Stephanii notæ ad Saxonem (è manuscripto vetusto, a doctiss. Arngrimo Jonæ transscripto) pag. 79.

tam, recipiendi credebantur. Ut ipse Odinus erat Friggâ superior, sic certe hujus palatium illius primario inferius fuit repræsentatum, qvod etiam elucet ê relatione de throno Odini in (vel supra) proprio ejus habitaculo, unde omnes mundos ei perspicere licuit *).

Qvot variantes habentur hujus vocabuli scriptiones, tot qvoqve diversæ explicationes iis adhiberi possunt, nimirum:

1) *Vingólf* amicum vel amicorum (numinibus) conclave sive habitaculum; vid. Gl. T. II v. *Vinr*, I & II v. *Gólf*.
2) *Vingólf* vinaria camera (cum forte vini usus ibi Diis cunctis licuisse crederetur) vid. Gl. I & II v. *Vin* &c.
3) *Vindgólf* venti camera vel tectum cæli ventosi, dicti *Vindbláinn*, aut mundi ventosi, *Vindheimr* nominati, q. v. Hæc forte originaria illius cælestis palatii vel regionis denominatio. Recentioribus ethnicismi ac primi in nostris terris christianismi poëtis terra dicebatur *gólf vedra hallar* ɔ: pavimentum tempestatum aulæ (i. e. cæli vel aëris; Skalda pag. 123). At prius vocula *Gólf* denotaverat cameram **), conclave, it. pavimentum superius, inferioris atrii tectum, ut illa cæli appellatio *Vindgólf* eandem adqvirat significationem ac alia *Vindræfur* ventorum (sphæræ) tectum (*Skálda* pag. 234) ***). Vid. Gl. T. & II v. *Vindr.* &c.

Vingnir nomen incertæ significationis *Vafþr. M.* 51 (var.) it. Edd. jun. pag. 76. Es verisimiliter Thoro adscribendum. Cfr. *Ving-þórr* i. At porro *Vingnir* invenitur inter denominationes gigantum, Thori adversariorum (in versibus memorialibus, Skalda pag. 210) — sed rite tamen iis indita, si etymon qværendum est in voce *Vængr* ala (Dan. *Vinge* &c. vid. *Vingskornir* i.) cum gigantes sæpe apparuerint alitum formâ induti. Vid. *Hræsvelgr*, *þiassi*. In Haustlanga ethnico poëmate (Skaldæ p. 120) gigas vocatur *vingrögnir vagria* alati vehiculi dominus ɔ: aqviæ speciem adscisens. Cfr. porro *þór* i.

Vingskornir, eqvus iste, qvo vecta Sigurdrifa (sive Brynhilda) Valkyria a prælio recessit (vel recedere solebat). S. II. β 44. Vox eadem recentiore sermone exprimenda videtur: *Vængskornir* ɔ: alis (aëra) secans a v. *Vengr*, *Vængr*, (lege *Vajngur*) ala (Dan. & Svec. *Vinge*, Angl. *Wing* &c.; vid. Gloss. T. I.) & verbo *skéra* (unde *skorinn*, . . . *skornir* &c.) secare (Gl. T. II). Qvod autem Valkyriæ eqvis vectæ aëra peragrarent, satis notum est ac suo loco in hocce volumine probatum. Cfr. *Vingnir* s. *Vingþórr* i.

Vingþór, *Ving-þórr*; ita Thorus Deus nominatur *þr. Qv.* 1, *Alv. M.* 2 & sq. 6 &

*) Cfr. porro translat. Dan. IV, 296-297; *Eddalæren o. d. O.* III, 249-250. 258-260.
**) Cfr. *Olafsen om Nordens gamle Digtekonst*, pag. 98.
***) Alioqvin *hvolf*, *hvalf*, AS. *hvealf*, unde *himenes hvealf*, Isl. *himinhvolf* coeli camera, convexitas vel arcus.

sq. Præfatio Eddæ junioris (pag. 12) heroem qvendam Thracicæ vel borealis antiqvitatis, a Thoris vel Trois stirpe generatum, appellat *Ving-Þór* & filium ejus *Vingener*, at hæc ingenuis Scandinavorum traditionibus minime sunt adscribenda. Verisimiliter prior illius nominis pars derivari debet a voce obsoleta vel poëtica *Vinga*, volvere, torquere, qvum fulmineas nubes (ut fictum suum malleum & vehiculum) Deus ille in aere volvere & flectere videatur. Cfr. tamen *Vingſkornir* s. (ac ejus vocis probabilem deductionem, qvæ huc forte certo modo potest adferri). Eandem qvoqve originem adsciscit nomen *Vingnir* (*Vafþr.* M. 51 var.) *). *Ving-Þór* noſter B. Halthorio (in Lexico Islandico "Deaster aëra qvatiens." Cfr. porro Gl. T. I. ad hanc vocem.

Virvir nomen Dvergi aut Alfi (dæmonis vel genii) elementalis *V. Spá* 14. Verisimiliter idem ac *Hvirfir* (recentioribus *Hvirfi-vindr, Hvirfil-vindr*) turbo, a verbo *hvirfa, hvirfla* (Svec. *hvirfla* Germ. *wirbeln*, Angl. *whirl* &, pl.) in gyrum agere &c. Hæc iterum a verbo *Hverfa, Hverba* volvere &c. (de qvibus Gl. T. I & II consulenda). Cfr. tamen Dan. *Virvar* confusio, Germ. *Wirrwarr*, it. *wirren* confundere, Dan. *for-virre* & pl.

Vitr, Vitur, Viturr, (sapiens) nomen Dvergi aut Alfi *V. Spá* 11. Denotavit forte originitus: visu eximio præditus. De etymo vocabuli vid. Gl. T. II.

Viþ &c. vid. *Vid.*

Vorkaldr vid. *Varkaldr.*

Vætvr, Vættur, Vættr, Vættur ens, res, substantia, natura, potestas sed mythologice in specie: dæmonium qvodvis sive numen. *Vegt. Qv.* 2 denotat omnes elementales spiritus (genios vel nymphas universæ mundanæ naturæ); cfr. *Skálda* pag. 64, ubi iis adnumerantur ignis, aqva, terra, metalla, lapides, res vegetabiles, animalia & morbi (qvæ omnia Friggæ jusjurandum præstiterunt de Balderi futurâ securitate). *Hollar vettir*, propitiæ potestates (Frigga, Freya & plura numina) — in genere, *OG.* 8. Nympha (proprie Valkyria) tutelaris ita dicitur *HQ.* I, 27. *Er vætur engi villdi þiggia* o: Qvem (cujus preces vel oblationes) nympha (sive numen) nulla accipere voluit BQ. I, Pr. Interdum sumitur in malam partem, ut: *rög vettur* (impurum dæmonium) qvæ appellatio Lokio convitianti a Thoro imponitur *Æg. dr.* 58; *Örm vættur*, exsecranda furia *G.* I, 21, cfr. 22. Perhibet Alvis Dvergus se omnes novem mundos permeasse & omnes naturas exploravisse *(vitat vætna hvat)* Alv. M. 9. Hinc elucet omnia numina vel dæmonia, tam bona qvam mala, nomine *Vætur* sive *Vættur* generaliter insignita fuisse. Sic non

*) Cujus strophæ posterioris partis ordo tum foret hujus tenoris: *Módi oc Magni skulu at vigþroti haſa Miölni Vingnis* o: Modius & Magnius], bellis cessantibus, Vingneri (Thori) Mioelnerem (malleum) obtinebunt (vel tenebunt).

mirum, qvod in Eddâ juniore vocabulum illud vix inveniatur. Id nihilominus in Norvegia ac Islandia certe (et verisimiliter qvoqve in Dania ac Svecia, ut infra monstrare tentabimus) specialem adqvisiit significationem, præmisſa qvidem vocula *Land*, qvum genii terræ (regni vel regionis aut insulæ) tutelares ibidem dicerentur *Land-Vættir*, ac ab incolis relligiose colerentur.

In Norvegia Thorus, ut summus terræ & populi tutelaris Deus, a plurimis colebatur. Is enim gigantes & mala dæmonia strenuisſime arcebat, at genios meliores locales (telluris fertilitatem foventes) contra illorum hostilem impetum tuebatur. Dæmonia bona masculi generis sub Alforum, at fæminina sub Disarum nomine, a Norvegis culta esſe certisſime scimus; hinc enim sacrificia, iis statis temporibus oblata, vocabantur *Álfablót**) & *Dísablót*. At hi dæmones junctim populo audierunt *Landvættir*, ut terræ sive regno proprii. Sic Egillus Skallagrimi filius, summâ injuriâ a Norvegiæ Rege Erico Blodoexe adfectus, insigni cantilena præcipua regni numina ad vindictam contra illum, ob violata sacra, intense evocavit, nimirum cunctas divinas potestates (vel potentia numina: *god, rögn, bönd);* Odinum; terræ sive regni specialem Asam vel Deum i. e. Thorum; Freyerum et Niordum. At eadem ratione, in insula qvadam Norvegiæ vicina, formulam excecrationis (oratorie simul prolatam) insculpsit perticæ, dictæ *nidstaung***), qvam etiam posterius humo infixit, capiti eqvino, terram continentem spectante, superimpoſito. Audiit ita formula illa: "Converto hanc exsecrationem in dæmonia tutelaria, hanc terram inhabitantia, ut omnia a viis rectis aberrent, sed nullum eorum proprium domicilium inveniat vel adeat, priusqvam ipsa Ericum Regem & Gunnhildam Reginam e regno hocce propulerint." Cfr. *Háva M.* 158 (de simili Runarum & carminum in dæmones efficaciâ, ut Odini proprietate & dono).

Priscus Landvættorum in gentili Norvegia cultus optime probatur seqventi le-

---

*) De his ita vir sui temporis doctisſimus & ingeniosisſimus, Eggerhardus Olavius: "*Álfablót*, dicebantur sacrificia, qvcis Alfi, Land-Vætti (genii locales) & Nisſæ (domestici) — Dan. *Elve, Landvætter og Nisſer* — culti fuerunt, ut res oeconomica cujusvis coloni bene succederet" *Reise gjennem Island* I, 468. Sacrificium Disis convivio instructum, autumnali tempore & in Norvegiæ qvadam insula describit *Egla* l. c. pag. 205 &c. Qvisqve pater familias vel prædii herus aut curator tali sacrificio præfuisſe videtur. In cantilenâ ibidem occurrente vocantur dæmonia ista *Kumla dísir* (tumulorum vel casarum nymphæ).

**) Tales exsecrationis modi prohibiti sunt in lege reipublicæ Islandicæ (anno 1119 editæ) jam Havniæ sub prælo sudante (T. II. pag. 147): "*Ef maþr skérr manni tréniþ edr reisir níþstaung.*" Cfr. *Paus gamle Norske Love (Hak. Adelst. Gulethings Lov)* I, 132 & sq. it. *Vatnsdæla S.* ed. Werlauff. pag. 142. — Illi *Níd, Níð* cognatum est vet. Germ. *Neid.* Vide *Mone* l. c. p. 241.

gum veterum Gulathingensium (a christianis reformatorum) mandato *) (*Kristind. Bálkr. Cap. I.*): "Omni diligentia perqvirat Rex et episcopus ne exerceantur errores & superstitio ethnica, uti sunt incantationes & artes magicæ . . . . . si in *Landvættas* (genios, locorum) credunt qvod tumulos aut cataractas inhabitent; excubiæ nocturnæ (sub dio) ad exploranda fata (vel anni seqventis indolem aut eventa); abjuratio Dei & sanctæ ecclesiæ, ut in tumulis opes inveniant, aut alio modo ditescant vel qvæsita resciscant. Item si qvis tentat lemures aut tumulicolas excitare." In ejusdem libri Cap. 29 prohibitur cultus cujusvis ethnici numinis, nec non tumulorum vel rupium; (*Vér scolom egi blóta heidit gud, hauga ne hörga*; cfr. Cap. 32, Mscr.). Lex Frostathingensis Haconis Haconidis (edita sec. 13^mo^) Vaettarum cultum severe punire, necesse duxit (*Ef madr blótar á heidnar Vœttir* &c. Mscr.).

Qvum Islandia, nuper detecta, a Norvegis inhabitari coepit, hi isti insulæ dictorum patriorum numinum cultum secum adtulerunt. Plurimi eorum Thori (ut et alii Freyeri) **) idola variis modis ita invehebant, sed invenimus qvoqve humum sacram, templo olim inclusam, e Norvegiâ ad Islandiam esse transportatam, ac novo delubro cum illius columnis primariis ibidem inditam ***). Qvod Norvegiæ genii tutelares eo modo inde

*) *Verelii notæ ad Hervarar-Sagam* (Upsal. 1672) pag. 59; *Keysler Antt.* p. 89. Leges Norvegicas primus (qvantum scimus) condidit Rex Haldanus niger (circa annum 850) aut ejus comes vel satrapa Atlius tener vel gracilis (*Atli Jarl hinn miófi*) e Gaulis (Gulathingensium legum incunabulis) oriundus (*Hkr.* l. c. I, 67, 72) & ibidem reverâ diu summa potestate functus (*Landnama* pag. 10, 385). Leges istæ (qvæ partim Atlium illum expresfis verbis ut auctorem vel promulgatorem agnoscunt) verisimiliter in eo tractu valebant Haraldo pulchricomo regnante (et anterius qvoqve) Gulathingenses dictæ, at ad earum præcipue normam Ulfliotus & Thorleifus (sapiens dictus) novas leges Islandicæ reipublicæ composuerunt (924-927; *Schedæ Arœ fr.* pag. 14-17; *Landnáma* pag. 299). In his legibus Landvættarum Islandis pia veneratio mandabatur, ut mox videbimus. At posterius (940) idem Thorleifus Haconem bonum suo consilio adjuvavit in novis Gulathingensium legibus ponendis, vel potius antiqvis illis reformandis (*Hkr.* I, 135) qvæ adhuc nobis supersunt & vetustiores vocantur. His adscribitur locus ille jam allatus, qvi non ad eas originitus pertinuit, sed serius est additus, ac verisimiliter qvidem ab Olao sancto (circa annum 1020) cum leges Haconianas reformavit, addito jure ecclesiastico, a Grimkello episcopo scripto, "omnes ad id animi intendens curas, ut ethnicorum sacra & perversos veterum ritus, qvi christianorum relligioni detrimento esse videbantur, abolere posset." (*Hkr.* II, 61). Leges Gulathingenses recentiores editæ sunt a Magno Lagabætero 1274 (a celeberrimo nostro Thorkelino 1817 editæ, ab illis penitus diversæ).

**) Fuit Freyerus (solis numen) Alforum (lucidorum vel bonorum) simul princeps ut suo loco monstravimus.

***) *Isl. Landn. b.* Ed. Havn. pag. 294. Thorhaddus senex (verisimiliter strenuus Thori cultor

elici ac ad Islandiam fausto omine invitari crederentur, non per se est improbabile. At ex alia parte plurimos advenas putasse insulam illam antiqvitus a geniis elementa dirigentibus ac ipsi propriis esse habitatam, nemini dubium erit*).

Hos genios coloni, terras primum occupantes, relligioso cultu propitiare conabantur, ne illorum ira iis noceret, (per montium ruinas, amnium inundationes, ignis subterranei eruptiones &c) at e contrario dæmonum benevolentiam variis modis experirentur per camporum & pecorum qvoqve fertilitatem, admonitiones ac tutelam contra pericula, præsagitionem rerum futurarum &c. Sic e. gr. (sec. 9 vel 10) Bioernus filius Moldagnupi (e Mæria Norvegiæ boreali oriundi) cum genio saxicolâ *(bergbúi)*, ab eo in somnio monitus, societatem fecit. Paullopost hircus ignotus capris ejus accesfit; tum pecora ejus tam cito accrevere ut prædives & potens qvidem evaderet; hinc cognomen *Hafur-Biörn* nactus est. Homines dæmonicas apparitiones cernere callentes **) videbant genios terræ tutelares *(Land-vætti)* Hafurbioernum seqvi ad comitia proficiscentem, at duos ejus fratres***) venatum & piscatum euntes. Multifariam talis localis genii, in saxo habitantis, erga vicinum colonum clementiam amplisfime celebravit Codranus de Giliá (vivens seculo 10), eum (e patrio more) intense venerans & *annonæ* vel *fertilitatis promum condum* appellans****). Hic suæ relligionis præstantiam Christianismo opponens, genium illum vocabat suum prophetam (vel oraculi principem). "Is," inqvit, "mihi est utilisfimus, nam multa futura eventa mihi præsagit, me simul monens qvæ aut qvaliter mihi sunt agenda & qvæ etiam vitanda; in ea igitur firmis-

prius fuerat antistes fani Mæriæ *(Hofgodi)* in provincia Thrandheimo. In sinu Stoedvensi Islandiæ nova habitacula fundans toti regioni eandem, qvam in Mæria observari fecerat, sanctitatem addixit & nullum ibi animal, præter pecora justo titulo adqvisita, vita privari permittebat. Idem refertur de Thorolfo pontifice, qvi ex insula Norvegiæ Mostur (jam Bergensis provinciæ) celeberrimas gentilis Thori cultus institutiones inde in Islandiam transvexit. *Eyrbygg. S.* ed. Thorkel. pag. 8.

*) De multis aliis Europæ insulis similia referunt vel retulerunt christiani incolæ. Sic e. gr. Lucas Debes aec. 17^mo perhibet Færoenses insulas, ante humanam inhabitationem, per multa secula dæmoniorum tantum fuisse habitacula *(Færoa reserata* pag. 339). Eadem traditio antiqvitus refertur de celeberrima Scotorum insulâ Iona (vel *Icolmkill*) & pl.

**) Dicti vetere Islandorum sermone *ófreskr*, *ofreskr*, (felino vel lynceo visu prædíti) at recentiore *sýnn* (Dan. vulg. *synsk* & pl.).

***) Fratrum trium nomina (*Biörn*, *Þórsteinn*, *Þórdr* vel *Þórrudr*) Thori cultum patri eorum familiarem fuisse innuunt. Soror eorum vocabatur Idunna, cui filius Thormodus &c. Vid. *Landnáma* l. c. pag. 316 & sq.

****) — — "*Steinn, er þeir frændur höfdu lengi blótat oc kölludu þarl búa ármann sinn Kristni-Saga* ed. Havn. pag. 10. Versio minus adcurate habet simpliciter (at sensui non repugnanter): genium suum tutelarem.

ſimam habes fiduciam, ut per longum ævi spatium eum adhuc colui"*).

At porro hi genii insulam totam ac ejus speciales qvadrantes vel provincias tueri putabantur contra hostiles invasiones. Exemplum hujus superstitionis adfert vetus relatio de Haraldo Gormonis filio, Daniæ Rege, Islandis bellum illaturo**). Hic in insulas Norvegiæ, Solundas dictas, navali expeditione facta, inde cum ingente exercitu Islandiam petere cupiebat — at prius in mandatis dedit homini, magicarum artium perito, ut formam mutatus (Finnorum more) Islandiam adiret experturus, qvæ ibi explorata redux Regi poſſet nuntiare. Formam ille ceti indutus, cum terram accesſerat, omnes montes vidit et omnes colliculos geniis localibus *(Landvættir)* repletos, majoribus aliis, aliis minoribus. Ad ostium autem Vapnafiordi delatus, sinum intrat, animo in terram ascendendi. Sed de valle descendens ingens *draco*, serpentum, buſonum ac lacertarum magnâ multitudine comitatus, venenum adversus eum efflavit. Hic igitur flexo itinere sinum intrat Eyafjordum dictum; hic vero ei in occursum provolat istius magnitudinis *avis*, ut alæ ejus expansæ latera montium utrinqve tangerent, comitante magna aliarum diversarum avium turbâ. Illinc se ergo proripiens ad Breidafiordum usqve vectus, hunc sinum intrat, at vidit ibi sibi occurrere eximiæ magnitudinis *taurum*, qvi ipsas maris undas ingressus mugitu horrendo loca implebat circum, seqvente eum magnâ geniorum terræ tutelarium catervâ. Itaqve hinc territus aufugit & promontorium Reikianes austrum versus præterlapsus, in ejus vicinià voluit adscendere. Ast hic occurrit ei gigas montanus *(bergrisi)*, ferreum baculum manu gestans, cujus caput supra ipsos montes eminebat, comitante ingenti aliorum gigantum turbâ. Addidit magus (inde domum versus fugam capescens) relationi illi eam observationem: qvod mare Islandiæ littora alluens navibus bellicis esſet fere impervium. His auditis Rex Haraldus a dicto suo proposito declinavit, mox in Daniam e Norvegia reversus ***).

Speraverunt tandem non perpauci inter primos Islandiæ incolas, qvi genios locales relligiose coluerant, post mortem

*) *Saga Olafs K. Tryggvas.* Ed. Havn. I, 261. De Genio in cataracte habitante, a Rolfo ænobarbo sacrificiis (cibariis) culto vid. *Laudnáma* l. c. p. 340-42. Alfos qvoqve in aqvis operari recentior Islandorum superstitio sibi persvasum habuit. Sic genii aqvatici Vaettis certe sunt adnumerandi.

**) Propter carmina in illum contumeliosa, qvæ pepigere Islandi, rapinam Danici satrapæ, Birgeri, iis damnosam, ita ulcisci conantes.

***) *Hkr.* l. c. I, 228-229. Enumerat auctor præcipuos Islandiæ qvadrantum tunc temporis magnates, (ad dictos sinus habitantes) pro qvorum tutelaribus geniis summa illa qvatuor monstra accepisſe videtur. — *Knytlinga Saga* c. 3 eandem nobis, at multo brevius exhibet relationem; dicitur ibi magus ille retulisſe qvod multa sapientia (vel callida) & mala (vel advenis hostibus

in læta eorum habitacula recipi, priorem vitam ibi simili qvodam modo continuantes*) verisimiliter sub Thori speciali tutela**). Hic Deus a Finnis ut summum mundi numen cultus fuit, ac simul etiam a multis Norvegis, cum illis freqventer conversantibus. Ast Finni (vel Lappones Finnicæ originis, qvondam ipsi ita dicti) sperabant futuram continuationem priscæ vitæ in montibus & collibus, ac simul in societate dæmonum memoratorum qvos *Saivo* appellant, & dictorum sacrorum monstrorum dominos esse perhibent***).

Hinc ex aliqvâ parte orta est thesis Odini sectatorum (in coelo Valhallæ beatitudinem expectantium) qvod Thoro servorum (i. e. Finnorum & Celtarum) genus post mortem adscriberetur (*Harb. L.* str. 23).

Norvegi illi, ê patria ad regii usurpatoris severum dominium, interna bella et armatas persecutiones fugiendas emigrantes, in proposito habuerunt novam rempublicam in Islandia condere, cujus cives communi publicâ pace fruerentur, ac agriculturæ et rei pecuariæ vel etiam piscaturæ qviete operam darent. Sic non mirum, qvod specialis cultus Odini, Regum ac strenuorum bellatorum divi patroni, iis fere exosus evaserit, at Thori Finnica relligio magis placuerit****). Hæc igitur, unacum geniorum localium cultu in primas Islandiæ legales institutiones fuit solenniter recepta. Sic e. gr. a Thorolfo

---

noxia) dæmonia Islandiam inhabitarent at Rex Haraldus ista ratione a dicto proposito deterritus esse. Magus ille sine dubio Finnus sive Lappo fuit, qvorum simili exercitio (dicto *Finnfarar* in jure eccles. Norv. Vic. I, 54) fictitia illa itinera adscribebantur; cfr. *Vatnsdœla* l. c. pag. 52 & sq. *Landnáma* pag. 187. At Finni illi Norvegici genios locales terrenos & subterraneos vehementissime coluerunt, iis qvoqve adscribentes immania qvædam & dæmonica animalia, nimirum: *avem* (dictam *Saivo Lodde*) piscem vel *angvem* (aut *draconem* S. *guarms* vel *guelle*) & prægrandem *rangiferum* (hic *taurum*, qvum Islandia rangiferis careret). His tandem annumerabant *gigantes (Siallo)* modo homines defendentes, modo iis hostiles &c. Vid. *Jessen de Finnorum Lapponumqve Norvegicorum relligione pagana* pag. 23 & sq.

*) Aliqvot exempla adferunt veteres Islandorum historiæ, e. gr. *Eyrbyggia Saga* pag. 8, & sq. (ut infra uberius monstrabimus) it. *Landnáma* pag. 110 (de collibus Krossholensibus) 211 (de monte Mælifell) & pl. it. *Niála* Cap. 14 (de monte ædis instar patente). In Eyrbyggia laudata pag. 28-29 describitur ita visio opilionis post mortem Thorsteini Thorskabiti (undis submersi): "vidit nimirum boreale montis latus aperiri, magnisqve intus ignibus [domesticis] conspectis, sonitum ingentem cornuumqve potatoriorum strepitum audiit, utqve, num distincta perciperet verba, auscultavit: Thorsteinem Thorskabitum unacum comitibus salutatum, supremam sedem patri oppositam occupare juberi audiit."

**) Cfr. *Eddalæren* og *dens Oprindelse* IV, 232 & sq. 265 & sq.

***) Norvegi, Finmarkiæ vicini vel eam inhabitantes sec. 18vo Finnorum vel Lapponum terrenos aut subterraneos genios vocabant Go-*veiter*, olim *gódvœtur*, *gódar vættir*, recent. *gode Vætter* i. e. bonos genios vel dæmones. *Leem Finmarkens Beskrivelse* pag. 426.

****) Vid. e. gr. *Landnáma* l. c. pag. 271. Kráku-Hreidar ex Norvegia adveniens contra solitum morem a Sæmundo qvodam Hebudensi (ac igitur non conterraneo) territorium (tum occupa-

Mostrensi, qvi Thori idolum, prius in mare emisſum in litore qværens, inventionis loco habitacula fixit, totum a se occupatum territorium Thoro consecravit, ac ingens templum ibi exstructum eidem dedicavit. Montem qvendam in fundi medio situm præ aliis sacrum habuit ac ita nominavit *(Helgafell)*; ex ejus mandato nemini illuc illoto respicere licuit, ac nec ibi homines nec bruta vitâ privari fas fuit, nisi ultro perierit. Thorolfus ejusqve cognati pqst mortem se monticulum intraturos credebant. In lingula, ubi Thorus ad terram appulerat, judicia omnia ferri Thorolfus curaverat, ibiqve contribulium cunctorum consensu forum provinciale constituit. In foro autem eo constitutis Alfos sive Vaettas [ventris exoneratione] fugare (vel propellere) severe fuit prohibitum.*).

In locis talis sanctitudinis non licuit sangvinem alicujus animalis hostili animo effundere, ut de his & aliis similibus veteris Islandiæ sacris locis refertur. Nam genii locales cædibus sceleratis vehementer irasci, ac interdum loca ubi peractæ fuerant, hominibus postea inhabitabilia reddere credebantur. Sic post Hjorleifum a propriis servis cæsum vicinum territorium, geniorum terræ tutelarium causâ, diu nemo occupare audebat.

Qvum Ulfliotus Norvegus, post multorum annorum in Islandia habitationem, circa annum 928 leges in prima sua patria e maxima parte confectas, at peculiari Islandiæ statui adaptatas, huic insulæ ex incolarum petito dederit, in ipso illarum initio advenis summam dæmoniorum, insulam regentium, venerationem his mandatis irrogavit: "nullam nimirum na-

---

tum) duelli jure (ex voto) adqvirere cupiit. Hoc Havardus Hegri, qvi Hreidarem hospitio exceperat, dehortabatur & istam methodum haud prospere contingere asseruit, rogavit autem ut conveniret et consuleret Ericum de Goddalis (Deorum vel Diis sacratis vallibus) pontificem certe, qvi templum — *Hof* — in proprio habitaculo erexerat, qvum ille, (ut sacerdos) in ea provincia omnium esset sapientissimus. Hic Hreidarem violentiam illam disſvadebat, noxia dictitans esse certamina, dum tam pauci terræ essent incolæ; se ei potius dare velle sufficiens territorium, qvod Thorus primum, navis cursum dirigens, ei monstraverit &c. Filii Erici fuere (inter alios) Thorgeirus & Thorkillus.

*) Vid. *Landn. b.* ed. Havn. pag. 92 & sq. ac Indicem vocum rariorum eidem libro annexum pag. 477 voce *Álfreki*, qvam doctissimus auctor (Joh. Olavius Hypnonesiensis) recte exponit: geniorum loci fuga. Hoc non mirum ethnicismi tempore sed revera superstitio eadem ad nostra usqve tempora, apud plebejos multos borealium regnorum duravit. Sic e. gr. Ingeborga Mæhrhultensis, saga celebris seculi 18vi, multos morbos loci alicujus, Alfis vel Vættis sacri aut proprii, simili profanatione ortos fuisse perhibuit. Qvi ita peccavit ex ejus mandato dæmonem iratum certis processionibus, precibus & sacrificiis placare debuit. Vid. *Linné's Reisen durch Oeland und Gothland* pag. 332. Cfr. alioqvin *Eyrbyggia Saga* l. c. pag. 10 & sq. At illo eodem modo Angli plebeji dæmones se penitus fugare putant (*Bourne popular antiqvities &c. by Brand*, pag. 159).

vem capitatam (bellicam) in oceano adhibendam esse, qvam si adhiberent, caput, priusqvam terram videre possent, adimendum, nec hiante capite aut deductis rostris, ne genii terræ (tutelares) perterrerentur [vel hostili advenæ irascerentur]" *).

Christianismo in Islandia recepto novæ religionis confessores dicta dæmonia profugata fuisse docuerunt. Sic ille genius, a Codrano cultus, aqvâ consecrata & execrationibus episcopi coactus ê rupe diruptâ aufugiit. Hinc qvoqve variæ visiones de dæmoniis innumeris, e qvovis colle ac monticulo migrantibus, ut christiani cultus iis fatales seqvelas evitarent **). At tamen sacerdotes christiani per varia secula pergebant genios locales, ab ethnicis qvondam religiose cultos, ut dæmones diabolicos montibus, rupibus, stagnis, vadis & fontibus memorato modo expellere ac loca illa sanctorum novo cultui pie dedicare ***), Seqventium seculorum episcopi indigenæ, præsertim Thorlacus Scalholtensis & Gudmundus Holensis talibus rupium & fontium consecrationibus præ cæteris celebres evaserunt. At præterea Catholicismi tempore, qvovis vere, diebus circuitionum vel rogationum (dictis *Gángdagar*, Angl. Sax. *Gangdagas* &c.) cujusvis prædii fundus vel agri sacris processionibus, precibus, crucibus ac candelis lustrari solebant, ad malorum dæmoniorum profugationem efficiendam.

A primâ insulæ occupatione mala qvoqve dæmonia (præter bona illa ac tutelarea) certa loca inhabitare & vulcanias eruptiones, montium ruinas, inundationes & similia infortunia causare putabantur. Hi vulgo dicebantur *Meinvættir* ****) noxia dæmonia vel *Úvættir*, *Óvættir* o: mali dæmones; huc plerumqve pertinebant gigantes, monstrosæ larvæ (*Jötnar*, *Þussar*, *Tröll* &c.), Alfi nigri (*Döckálfar*, *Svartálfar*) & pl. At bona dæmonia iis opposita generali nomine vocabantur *Bjargvættir*, *hollar Vættir* (servantia vel salvantia et propitia d.); his vulgo adnumerabantur illi genii terræ tutelares *Landvættir*; ît. Alfi lucidi (*Liosálfar*

*) *Islands Landnámabók* l. c. 298, 318. *Schedæ Ara Fróda* ed. Havn. p. 14.

**) *Saga Ol. Tr. S.* Ed. Havn. I, 262 & sq. II, 197. cfr. 231.

***) Vid. e. gr. *Húngurvaka* Ed. Havn. pag. 32 (circa annum 1020). *Landnáma* l. c. p. 347. Ctr. *Hist. eccl. Isl.* I, 89. Simili modo strenuus christianismi in Norvegia propagator, Rex Olaus Tryggvinus, cum Episcopo & aliis certos universos ejus tractus "cum crucibus & sacris reliqviis obibant, aqva consecrata saxa rupesqve, vallesqve & colliculos sparserunt et sacris precibus & Dei auxilio, qvacunqve iverunt, omnia loca â malis geniis & impuris spiritibus purgarunt et hoc pacto omnes incolas ab inimicorum dæmonum servitute & oppressione liberarunt." *Saga Ol. Tr. S.* ed. Havn. II, 188-89 (translat. lat. doctiss. Egilsonii 1827 II, 174).

****) Sorterupii tempore Danice qvoqve *Meinvætter* vel *Meenvætter*; cfr. *Thiele Danske Folkesagn* III, 98. Veteris septentrionis venefici & incantatores pro eorum cultoribus sæpe sunt habiti.

&c.) et manes certorum piorum hominum post obitum adorati. Sic superstitio hæcce gentilis christianæ relligioni facile potuit adaptari, cum borealium dæmoniorum loco angeli & homines sancti defuncti sunt venerati, at exosa illa pro entibus vere diabolicis ac infernalibus accepta. Mala foeminina dæmonia vulgo vocabantur *Tröllkona, Gigvr, Gifvr* &c. bona autem *Dis* (pl. *Dísir*) ac Vættæ in specie *Land-Dísir* (tutelares terræ vel regionis Divæ) qvas plebeja qvorundam in occidentali Islandiæ parte opinio adhuc sibi in certis rupibus habitantes fingit*).

Sic gentilis illa superstitio de geniis localibus in Islandia & aliis boreæ terris (licet legum ecclesticarum edictis prohibita)**) ad nostra usqve tempora perduravit. Permulta huc pertinentia de insula sua natali auctor posfit adferre si spatii ac temporis angustia permitteret. Liceat tantummodo duo doctorum episcoporum hic recitare testimonia de sec. 17^mi & 18^vi vulgaribus opinionibus. Prior ***) ita (circa annum 1630): — (Post *Trollos*; *Tröll*) "seqvuntur *Álfar* (Alfi) qvi jam diu pro veris hominibus vulgo habentur & juxta nos in collibus & monticulis incolatum suum habere et juxta vulgi sententiam similibus ferme exercitiis vivere, ac duorum esfe generum: 1) *Huldufólk* vel *Huldumenn*, qvasi tecti [occulti] homines. Hi nostris invisi, injurii, inviduli, malefici ac nullo non neqvitiarum genere noxii putabantur; 2) *Liúflingar* [vi nominis] (hominum) amatores aut sexui humano benignos [vel caros] fabulantur, opibus hominum faventes, easdem promoventes nec non qvâvis felicitate nostrorum gaudentes. Utriqve mille technis ac infinitis stratagematibus instructi, nobis arte sua invisibiles, qvod haud difficulter cre-

*) Secundum parochi cujusdam fide digni officialem relationem ad collegium regium, pro regni Daniæ antiqvitatibus conservandis institutum.

**) E. gr. Jus ecclesiast. vetus sive Thorlaco-Ketillianum, (anno 1123 evulgatum) edit. Thorkelini (1775) Cap. 16 pag. 76: "Credant homines in Deum solum ac in ejus Sanctos, ut pro iis intercedant, at non adorent gentilia dæmonia *(heidnar vættir)*; at tum paganæ Vættæ coluntur cum qvis adsignat (vel dedicat) pecus suum alii, qvam Deo ac ejus Sanctis." Optime locus iste elucidatur é narratione de Hafur-Bjorno, pecorum cum Vættis participe. Ejusdem indolis certe fuit superstitio de bovibus dæmonicæ originis ac igitur superstitiose cultis, qvæ in Eyrbyggia-Saga & aliis nostratium historiis celebrantur; hi certe multis a Freyero, Alforum meliorum domino, præ cæteris protecti ac benedicti esfe putabantur, at alii tamen Vættis pejoribus adscribi debere. Cfr. *Tröll* s. Adhuc in Islandia, Dania, Norvegia, Svecia, Scotia &c. plebeja superstitio sibi fingit pecora terrenis aut marinis Geniis propria, hominum gregibus interdum admixta & sobolem reliqvis ejusdem generis animalibus præstantiorem procreantia &c. At porro auctor Nialæ Islandicus Valkyrias vel Bellonas (aut alia certe gentilium numina) qvas Broderus, pirata ac apostata, coluit, vocat ethnica dæmonia *(heidnar Vættir)* qvæ etiam vir coævus, Christianismum præferens, diabolos appellavit *(Niála*, Ed. Hrapsey. pag. 272, 273; cfr. s. art. *Valkyria)*.

***) Gislaus Oddi (vel Ottonis), scripto anno 1638, paucis diebus ante mortem ejus, finito; hujus

do *). Hi parvulos suscipere conantur, at interdum eos hominibus restituunt." Idem auctor de dæmonum liberis suppositiis (pro surreptis humanis redditis) in alio suo scripto **) — satis prolixe agit at priore loco meliores (ut videtur) Alfos utriqve hominum sexui e vulgari opinione (alias etiam notâ) immisceri adserit. Hæc superstitio gentilem habuit originem, in aliis qvoqve terris vigens, unde harum *incubi* & *succubi* ac famosæ contra sagas persecutiones propter dæmonicum concubitum, qvo recentiore tempore in Germaniâ putabantur procreari mali dæmones dicti *Elb*, *Elben*, *Elfen* (i. e. Alfi) ***). Cfr. *Álfr* s.

De Dvergorum (Vættarum certē specie) sec. 17^to^ in Islandia vigente cultu ****) idem auctor ita refert: "Putant alii sylphos & subterraneos, hominesne an spiritus monticolas appellare liceat, metallis ac gemmis & id genus occultis naturæ viribus gaudere et a naturâ custodes earum qvalitatum designatos, a qvibus qvidam nostratium olim adepti sunt aliqvas gemmarum species, qvas peculiari virtute ornatas experientia docuit, ut castitatem servare, invisibilem fieri, inimicis placabilem & qvovis modo fortunatum gestantem reddere existimantur" &c. *****). Cfr. *Dvergr* s.

---

titulus est: *de mirabilibus Islandiæ*. Hoc ejus rarisſimum autographum ad manus habere mihi contigit, qvamvis viri doctisſimi Finnus Johannæus & Haldanus Einari librum talem ab auctore laudato nunqvam scriptum esſe existimasſent (*Hist. eccl. Isl.* III, 601-602; *Sciagraph. hist. lit. Isl.* pag. 168).

*) Addit Auctor hanc suam sententiam: "Aut enim necesſe est secundum qvosdam philosophos, hoc esſe qvoddam mixti generis inter spiritus & animalia, aut qvod verius imposturas & illusiones satanicas, qvales sunt spiritus incorporati qvos Græci *κοβαλους*, Germani *Koboldos*, Paracelsus *Sylphos*, alii aliud appellant, de qvorum victu, amictu, exercitiis, frugalitate & potentiis tædet plura adferre exempla."

**) Similiter adhuc mundo literario ignoto; inscribitur autem: *Annalium in Islandia farrago, hinc inde descripta* (ad annum usqve 1637 continuata). Suppositii illi totius borealis Europæ superstitioni sunt communes, vocati Islandis *Umskiptingr*, *Skiftingr* (commutati) Dan. *Skifting*, Norveg. *Bytting*, Svec. *Byting*, Germ. *Wechselkind*, *Wechselbalg*, Belg. *Wisſeling*, *Wisſelbalg*, Angl. *Changeling* &c. Plebs Danica Vættis olim illam infantum commutationem adscripsit, teste Sixto Aspachio; vid. *Thiele Danske Folkesagn* I, 47, 176. III, 1, 79-80.

***) Vid. *Horst Dæmonomagie* II. 250 & sq. 477.

****) Iis certe adscribendus fuit genius a Codrano veneratus, de qvo supra egimus. Gentilem eorum in Islandia cultum probant porro multa pervetusta localia nomina, ut *Dvergasteinn*, *Dvergahlöd* &c.

*****) Hujus superstitionis vera (primum certe asiatica) origo his verbis simplicisſime ac simul lucidisſime explanatur. Sic omnia naturæ opera, artificiosis similia, in Islandia vocantur *Dvergsmidi*, chrystalli & indigenæ gemmæ Norvegis *Dvergsmie* &c. Ad tales lapides pertinent belemnites vel dactyli Idæi (*Twarffsteine*, *Alpsteine*, *Elfschoss* &c.) ac variæ illæ gemmæ qvæ

Alias reliqvias Alficæ sive Vætticæ inter Islandos superstitionis, seculo qvoqve 18^vo^ exsistentes ita descripsit Finnus Johannæus *): "Hæcce geniorum (semideorum vel semihominum gens) dicta *Álfar* & *Álfafólk*, qvæ in Islandia & circa eandem habitat (secundum nænias superstitiosorum) magistratum habet politicum, eodem fere modo institutum qvo ipsi regionis incolæ, cui duo præsunt reguli, qvi per vices altero qvovis anno **) unacum subditorum qvibusdam in Norvegiam, ipsi gentis monarchæ, qvi ibidem habitat, semet stituri enavigant, illi de subditorum fide, continentia & obedientia verax dicturi testimonium, hi vero, magistratum aut regulos, si justitiæ aut bonorum morum limites transgressi fuerint, accusaturi, qvi criminis aut injustitiæ convicti statim officio exuuntur, aliiqve iis substituuntur; justitiam enim & æqvitatem præ aliis virtutibus gens hæc colere fertur. Hinc licet valde præsertim verbis & imperationibus potens sit, raro tamen nisi lacessita aut injuriâ affecta hominibus nocet, irritata autem horrendis inimicos diris ac poenis ulciscitur.... Rupibus, tumulis, colliculis & ipsis etiam maribus pro domiciliis utuntur, qvæ intus nitida omniaqve domus utensilia ad munditiem accommodata sunt; domum qvandoqve homines invitant.... Habent fæminas for-

Scotis audiunt *Clach Buan*, *Glein naidr*, illis pari virtute præditæ. Hanc doctrinam Druidarum primæ informationi deberi qvidam credunt (*Pennant Tour in Scotland* 1769. Ed. 3. pag. 101). Hinc qvoqve veterum Islandorum & Scandinavorum *Steinaseyrvi* o: linea globulorum lapideorum vel vitreorum (e. gr. in *Heidarvígasaga*) qvæ pro amuletis habebantur & a sagis sive Valis gestabantur. Prohibuerunt primi Islandiæ episcopi (1123) lapides superstitiose tractare vel homini aut pecori adligare, nam si qvis in lapides pro salute (vel sanatione) sua aut pecoris sui crediderit, exilio minore esset mulctandus. (Jus eccles. vetus l. c. pag. 76). At hæc opinio adhuc in Islandia viget inter superstitiosos qvosdam plebejos; vid. e. gr. *Egg. Olafsens Reise i Island* I, 398, 402-404, 423. *Olavii oecon. Reise g. Isl.* I, 23, Sic qvoqve in Germania ad nostros usqve dies lapides illi dæmonici (*Alpsteine* &c.) ut sacra amuleta homini alligari solebant; (*Zinck oeconom. Lexic.* 1744, I, 87. v. *Alp.*) Lapides iidem interdum vocantur *Twarfsteine* i. e. Dvergorum lapides (cum *Twarf* illud idem sit ac Angl. *Dwarf*, Holsat. *Dwark*, Dan. *Dværg*, *Dverg* &c.). Singularis connexio antiqvi orientis et boreæ superstitionis cernitur in annulo aureo, apud oppidum Fioniæ *Kierteminde*, anno 1821 e terrâ eruto ac jam in regio museo antiqvitatum septentrionalium Havniæ servato. Carneolus ei inclusus est cum figurâ sculpta jam adeo læsa; ast in orbi plano eam cingente cernitur inscriptio Pehlevica, licet vix legibilis. In lamina aurea, gemmæ inferius latus tegente, legitur tamen vetus runica inscriptio, qvamvis illâ recentior, hujus tenoris: *ræd ek lagd álaga* o: "dirigo ego statuta fatorum". Vid. *Antiqvar. Annal.* IV, 198-199. Olaus Magnus (VI, 9) Dvergos mythicos Sveciæ vocat metállicos dæmones, ac sex eorum varias species (e vulgari opinione) enumerat.

*) Hist. ecclesiast. Island. II, 368 & sq.

**) E more primorum qvorundam gentilium Islandiæ pontificum, qvi statis vicibus certa Norvegiæ templa petere & ibi sacrificare solebant.

mosas*)... Armenta eorum, si non qvidem numero sunt permulta, magnopere tamen qvæstuosa, qvæ pariter ac domini invisibilia sunt, nisi qvando apparere placet, qvod sereno aëre & splendente sole plerumqve fieri solet, nam cum intra suas habitationes solem non videant, in apricum sæpe exspatiantur, ut solis fulgore exhilarentur. Hinc etiam mortuorum Regum & magnatum loculi, qvales sunt oblongi lapides, qvi passim in tesqvis & salebris conspiciuntur, sub dio & in solis conspectu semper jacent. Domicilia & habitationes non secus qvam homines subinde mutant, idqve ipsa novi anni nocte prima, unde harioli & ardeliones qvidam hac nocte in compitis excubare solebant**) ut variis & ad id destinatis adhibitis execrationum formulis â transeuntibus futurorum revelationem exprimerent, reliqvi autem, talium non periti, præsertim familiarum capita, hoc vespere liberis & subditis severe injungebant, ut eadem nocte verbis & factis graviter ac modeste se gererent, ne invisibiles hospites & futuri forte proximi & accolæ læderentur aut qvodam modo offendi possent; hinc cubitum euntes qvidam nec exteriores domuum, nec cænaculi fores claudebant, sed accenso lumine instructaqve mensa, adventitios aut adventuros, appositis, si placeret, frui jubebant, intraqve sui territorii fines, si ibidem habitare allubesceret, salvos ac sospites sibiqve faventes vivere optabant"***). Vættarum meliorum gentilem cultum ita recentissimo tempore a christianis esse exercitum, nemo dubitabit. Tentaverunt qvoqve plures (et inter Islandos & inter exteros) superstitiosi scriptores illa fictitia entia ut Præadamitas, Lilithæ & Adami filios, Evæ illotos liberos vel etiam ut lapsos angelos et tandem ut hominum gentilium vel impiorum manes cum biblica christianorum fide conciliare. Vid. e. gr. Finnum Johannæum (l. c. II,

*) Hæ olim vocabantur Disæ, proprie *Land-Disir* (Deæ rurales, locales vel regionis tutelares) ac interdum *Spá-Disir* (vaticinantes sive præsagæ Deæ vel nymphæ) qvæ tamen potius pro familiarum vel personarum servatricibus habebantur. Dicuntur qvoqve *Álf-konur* &c.

**) Ejusmodi nocturnæ excubationes antiqvitus vocatæ sunt *Utisetur* (sessiones sub dio) at in veterrimis Norvegiæ ac Islandiæ ecclesiasticis legibus strictissime prohibitæ.

***) Mittimus alias celeberrimi auctoris relationes de opinionibus circa Alforum connubia cum hominibus, liberis suppositiis & pl. qvæ partim christianam magis sapiunt mixtionem. Dæmonum istam, qvasi sacrificio junctam invitationem a singulis vetulis, nostris qvoqve diebus in Islandia factam esse, nos pro certo habemus. Monstrant præterea plura adhuc usitata vocabula variam prisci temporis de Alfis superstitiones e. gr. *Álfavakir*, pori sive aperturæ majoris glaciei vernalis ac aqvaticæ — qvas nimirum Alfi olim operari credebantur; *Álfabrunn* o: Alforum inflammati, aphtæ, tumor inflammatione causatus (Norveg. *Alvild* Alforum ignis, *Álvgust*, Svec. *Álfveblåster* Alforum aura vel spiratio) & pl. Opinio illa de Vættarum migratione circa Jolense tempus, Danis qvoqve communis fuit Sorterupii testimonio. Cfr. *Tröll* 8. Tunc in Finmarkia earum turba vocabatur *Julafylke*.

368) ubi harum rerum apud Islandos sedulus propagator Jonas Gudmundi (sec. 16 & 17^mo vivens) merito reprehenditur. Scripsit idem librum de Alfis & eorum habitaculis, qvem mihi non videre contigit. At alias de hisce geniis ac Alfheimis ipsis Islandorum &c. ethnici, medii & recentioris ævi opiniones alibi exposuimus*). Ibidem qvoqve variorum nobis cognatorum vel vicinorum populorum similes superstitiones disqvisiimus, et hic igitur tantummodo Vættici nominis & cultus apud plures gentes exsistentiam hodiernam monstrabimus.

Seculo 17^mo & 18^vo à Danis & Norvegis genii illi (e Sorterupii, Monradi, Pontoppidani & pl. testimonio) vocati sunt *Vætte, Vette* (plur. *Vætter*) unde *Jule-Vætte* &c. Hinc *Go-veiter, gode Vætter* boni genii (ut supra monstravimus). (Cfr. *Döckálfar* s.). Aliter appellantur *Underjordiske, Underjordsfolk***), ut antiqvitus qvoqve *Elvefolk, Ellefolk* (Island. *Álfafolk;* vide *Álfr* s). Hinc belemnites (Norveg. *Alfpil, Alsvskudssteen,* Germ. *Alpschloss, Alpenschoss, Alpstein, Twarffstein,* i. e. Alforum vel Dvergorum telum &c. Scot. *Elfshot)* a Danis vocantur *Vættelys* o: geniorum candelæ vel faces. Has enim plebeji putabant a geniis subterraneis parari & accendi; lumen earum cyaneum autem describebant, id Jolensi tempore clarissimam lucem edere perhibentes. Alii, cum in pavimentis ædium particulas viderint nitrosas et sulphureas in flammam erumpentes dicebant se vidisse Vættarum candelas collucentes *(Vættelys brænde)* qvod boni esse ominis sibi persvasum habebant***). At belemnites insuper aliis Danis ac Norvegis dicuntur *Vættelindse* (lens Dæmonica)****). Hi & alii silicei ac fabre-

*) *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 26-57, III, 217, 233, 298-315, & sq. Monstravi ibidem Alfos & Dvergos sæpe in vulgari opinione confusos esse; at ii junctim Vættæ vocabantur. Sic in recentiore Danorum sermone *Dverghat* & *Vættehat* sunt synonyma, pileum dæmonicum indicantia. Cfr. *Dvergr* s.

**) *Everriculum fermenti veteris* (1736) pag. 80-81. Agit eo loco de permutatione infantum, a Vættis commissa.

***) *Monrad hedenske Christenhed* (1692) Msct. *Sorterup prodromus cal. ethn. bor.* (1722) Mst. Lumina illa accensa partim nil aliud sunt qvam *ignes fatui,* qvi jam vulgo Danico audiunt *Lygtemænd* (lucernarii) habiti pro dæmonibus, homines in periculosum errorem ducere conantibus. Ejusdem originis est superstitio antiqvissima, de flammâ, in tumulis vel sepulchris gentilium & aliis qvoqve locis apparente, ac metalla vel thesauros defossos prodente. Hic ignis Scandis olim audiit *Haugaeldr,* jam autem Norvegis *Hougalios, Vætteljos, Vætteild,* Germanis *Geldbrennen* &c. Dicunt Norvegi hanc flammam e Thursorum & subterraneorum dæmonum habitaculis emitti *(Wille Sillejords Beskriv.* pag. 74). Cfr. *Grettis-Saga* ed. Hol. pag. 96 de eadem superstitione in Islandia sec. 10 & 11^mo vulgari.

****) *Bomare Natur-Hist. ved Aphelen* VIII, 397. *Norsk topograph. Journal* XX, 109. Belemnites qvoqve Græca ac Romana antiqvitas geniis adtribuit, qvum Plinio audire videantur *Dactyli Idæi (Histor. natural.* XXXVII 10), cognomines nimirum dæmonibus metallicis, alio-

facti lapides interdum vocantur *Vættestene*. Herbis qvibusdam Danorum & Norvegorum lingva nomina illis dæmonibus debita indidit e. gr. junco piloso: *Vættergro*, alioqvin vocato *Spaadomsgræs* (herba fatidica). Ignis lambens (aëreæ) et marila (æqvoreæ) originis a Norvegis adhuc dicitur *Vætteljos*, dæmonum lumen. Ejusdem originis fuisse puto nomen viæ lacteæ *Vætterbrout*, olim nimirum *Vættabraut*, dæmonum vel numinum cælestium aut aëriorum via. Putarunt plebeji Danici malis qvibusdam Vættis eam inesse vim, ut infantes vel mammillas eorum exsugere possent. Hinc de parvulis phrases vulgares: "*Vetterne patte dem; Vetterne give dem Die.*" — Annoto fabulas plebis Danicæ de localibus dæmonibus, certa patriæ loca (ut Sælandiam & Bornholmiam insulas) contra hostiles invasiones defendentibus (aut eas saltem præsagientibus) manifestas esse reliqvias gentilis relligionis in genios terræ tutelares, vulgo *Land-Vætter* dictos. E qvorundam rusticorum Norvegicorum opinione qvidam Vættæ habitant in tumulis, dictis *Vættehougar*, ubi iis cibaria apponi debent, at genii illi, qvi sub adolescentium formâ apparent, minime sunt lædendi. Alii ad hominum domicilia sua figunt*) habitacula, dicti *Toftvæter (Tomtegubbe, Tomtekar) Tunvoren (Tunvördr)* &c. ea, vi vocum, certo modo beantes et defendentes (ac Laribus vel Penatibus Romanorum igitur simillimi). Hi jam Danis partim audiunt *Nisse* & pl. (forte a German. *Nichse*) at olim sine dubio *Vætter*. Hinc plura porro vocabula, ut *Vætteseet*, dæmonis visu læsus &c. Fictitius Dæmonum pileus (alioqvin Dan. & Svec. *Dverghat*) qvibusdam dicitur *Vættehat*; cfr. *Dvergr* s.

In insulis Færoensibus dæmones isti adhuc dicuntur *Vættar* vel *Vattrar* (seculo 17^mo^ permultis fabulis & visionibus celebrati). Faba qvædam vel nux Americana, renis forma prædita ac littoribus illis interdum appulsa, incolis audit *Vættenyre* (ren dæmonicus).

In Svecia dæmonia cuncta ad nostros usqve dies generali nomine sunt vocata *Vät, Vet, Vätta* in pl. *Vettor, Vittror* **). Hos qvidam revera Angelos, olim coelo ejectos & delapsos, esse opi-

qvin satis notis ac Dvergis nostris cognatis. At aliud illud nomen Belemnitos vel Belenites mythicam simul (a Belo orientialium vel Beleno Celtarum solari Deo) originem prodit. Recentior superstitio eos passim fulminis cuidam operationi & tale igitur nomen iis adscribit ut e. gr. gallicum: *pierres de foudre ou de tonnerre*. Cfr. Þórr i. At Germani, dæmonum cultu abolito, dactylos illos Idæos vocare cæperunt *Teufelsfinger*, digitos diaboli.

*) *Sorterup* l. c. *Wille Sillejords Beskrivelse* (1786) pag. 250. De tali superstitione Danorum, Norvegorum, Belgarum & Germanorum sec. 17^to^, cfr. Wormii Epistolas II, 669, 671.

**) *Moman (& Ihre) Dissertatio de superstitionibus hodiernis e gentilismo residuis. Upsaliæ* 1750, I. 22. "Ex his splendores, qvi paludosis locis nocturno tempore interdum conspiciuntur, dicuntur *Vetteljus*." Illi alioqvin staturâ parvi ac cum hominibus conversari cupientes describuntur.

nantur *). At alii, gentili relligioni eotenus firmius adhærentes, omnibus dæmones illos elementis adscripserunt, nimirum telluri, aëri, aqvæ & igni, qvorum genii læsi aut irati, hominis spirituale umbram vel genium, Svecice *Hamn* (vet. Scand. *Hamr* dictum) **) ipsius qvoqve proprium corpus noxa aliqvâ vel morbo afficere solerent, nisi precibus supplicibus & piis sacrificiis rite placarentur ***). In carmine prolixo Svecico, de Frederico, duce Normanniæ (vel Neustriæ) sec. 13 vel 14^mo^ e Germanico idiomate translato, decantatur heros iste ad sylvestre & montanum Dvergorum territorium pervenisse, ubi is inter alia primum videt parvum ac dæmonicum qvidem eqvum *(en liten Vætta-hest)* ****). Plura Norvegiæ loca a Vaettis nomen habent e. gr. mons insignis Telemarkiæ, dictus *Vættekold* (dæmonum cacumen); talia etiam in Svecia hodierna occurrunt e. gr. tesqva *Vetteryd*, olim sacra rupe et multis petreis monumentis insignia, jam autem traditionibus & cantilenis de proelio prisco, ibi inter Vættas (meliores) & Jættos (vel Jotnos aut gigantes) peracto, jam qvoqve celebrata*****). Vaettarum nomine plerumqve a hodiernis Svecis in Alforum (*Elfvor*) mutato, in multas classes ii dividuntur, at præcipue tamen in bonos & malos (ut olim Scandinavorum Alfi) qvorum priores in aëre habitant, per campos vel tumulos choreas ducunt, foliis arborum insident &c. Mali e contrario sunt subterranei homines & animalia variis morbis vexantes. Dryades qvoqve in Svecia vocantur arborum Vættæ, ac certarum talium decussum ulcisci creduntur. Qvidam Sveci omnes

*) *Westerdahl Beskrifn. om Svenska allmogan* &c. pag. 41. De nymphis hodiernæ Svecorum superstitionis, qvæ (priscarum Valkyriarum more) splendore circumdatæ apparent & pluviam nubibus effundunt vid. *Arndt Reise im Schweden* II, 10-12.

**) Cfr. articulos *Hamingia*, *Fylgia* s. & Gl. T. II. v. *Hamr*. Porro Penates illos sive Lares Norvegicos Sveci sub eodem nomine noscunt, nimirum *Tomtgubbe* &c. At Norvegi simul certos morbos Alfis montanis, terrestribus vel marinis adscribere solent. *Pontoppidan Norges Nat. Hist.* II, 422.

***) *Linnæi Reise nach Oeland und Gothland* pag. 312-313. Ast Norvegicus ille *Tomtegubbe* Svecis qvoqve est lar familiaris vel dæmon beneficus. Vet. Scand. Svec. & Dan. *Toft*, *Tomt* AS. *Toft* notat aream domus v. aedium fundum. Vid. *Ihre Lex. Sveo-Goth.*

****) *Idunna*, 9 *Häfte (Stockholm* 1822) pag. 142. In carmine isto describuntur Dvergorum stupendæ divitiæ, metallorum, gemmarum ac artificiorum pretiosorum maxima copia, lapidum diversorum varia supernaturalis potestas &c. Dvergis vel nigris Alfis adnumerandus est Svec. *Puke*, olim Norveg. & jam Island. *Púki*; hinc (ni fallor) Dan. *Puggehat* pro *Dvergehat*, *Vættehat* (pileus dæmonicus vel Cabiricus). Cfr. Hibern. *Phuca* vel *Phooca*.

*****) *Sjöborg Nomenclatur öfver Nord. Fornlemn.* pag. 172-173. Qvod lacus ingens dictus *Väter-Sjö* vel *Vætter*, *Vetter* (multis naturæ miraculis & popularibus traditionibus celebratus) a Vætis vel Vættis dæmoniis suum habeat nomen, non per se est improbabile. Vid. *Mone* l. c. I, 255-256.

terrenos dæmones communi Trollorum nomine insigniunt, qvod qvoqve partim de Danis & Norvegis est dicendum*), etiamsi qvædam talia entia hominibus opem ferre putentur. Hanc appellationis immutationem christianæ relligionis influentiæ deberi, extra omne dubium est positum.

Anglosaxonibus nostrum *Vættur*, *Vætur* sonuit *Viht* dæmonium (unde *Væterviht*e genii aqvatici). Hinc recentiorum Anglorum *Wight*, eodem sensu usitatum. Ut in borea nostro Alfis qvoqve hoc nomen fuit commune, secundum vetustas illas formulas, a poëtis celeberrimis prisci ævi nobis servatas; hanc nimirum:

I crouch thee from Elves and from Wights;

et aliam qvoqve

— — — Bliss this house from every wicked Wight
Fro' the nigthes Mare &c.**)

Hic de malis Vaettis (forte è speciali christianorum opinione) auctores loqvuntur; at de bonis e contrario in hac superstitiosa plebejorum Scotorum oratione sermo est:

*Gin ye ca'me imp or Elf****)
I rede ye weel look to yourself;
Gin ye ca'me Fairy
Ill work ye meikle tarry;
Gin gude neiber ye came
Then gude neiber I will be,
But gin ye ca'me seely Wight
*Ill be your friend baith day and night*****).

Qvis non videt illas appellationes; "bo-

*) *Svenska Folkvisor, utg. af Geijer och Afzelius* II, 158, cfr. 114 & sq. 117 & sq. & alibi, *Ling Eddornas Sinnebildslära* I, 252. *Arndt Reise durch Schweden* III, 7 & sq. Sio rustici Monæ Danicæ nympham qvandam, monticulum inhabitantem, qvæ pauperibus e fornace suo (rupe vel specu ita dicta) panes dare credebatur, nihilominus *Troldinde* (lamiam) appellant. *Paludan Beskriv. over Möen* I, 100. Locus ipse, a sacerdotibus ethnicis dictus *Præstebjerg*, est vicinus colliculo *Lögbjerg (Lovbjerg)* o: legis monti vel petræ, perantiqvis lapidaribus monumentis adhuc conspicuus.

**) *Chaucer Millers Tale v.* 3479. *Plays of Shakespeare (Middsummernights dream) Lond.* 1793 V, 171. Cfr. *Sinmara.*

***) Iisdem entibus Alfi certe apud Anglosaxones adnumerabantur; vid. *Álfr* s; at eos Alfos ethnico tempore magni fecisse monstrant permulta hominum nomina propria, illorum generali appellatione adornata e. gr. masculina *AElf*, *AElfer*, *AElfric*, *AElfvold*, *AElfgar*, *AElfhelm*, *AElfstan*, *AElfsige*, *AElfred*, *AElfheag*, *AElvin*, *AElfvin*, p. p. & fæmin. *AElfthryþe*, *AElfleda AElgyva* & pl. qvæ priscas certe opiniones produnt de Alforum summa potentia, divitiis, fortitudine, dexteritate, prudentia &c. (Scribuntur qvoqve interdum per *Alf* vel *Elf*). Idem certe de veterum Scandinavorum nominibus valet, ut masc. *Álfr*, *Álfgeir*, fæmin. *Álfdis*, *Álfheidur*, *Álfhildur*, *Álfridur* &c. Cfr. *Álfr* s.

****) *Robert Jamieson popular Ballads and Songs* II, 405. Addit qvoqve doctissimus auctor: *Seely Court, the pleasant and happy people or the court of the pleasant and happy people. The seely folk are the more ancient and legitimate kind of Fairies, the lineal*

nos vicinos, beatos genios" Alfis et Vættis datas, horum entium priscum cultum firmissime probare; — idem de similibus denominationibus in Islandia, Dania, Germania & alibi est dicendum. At christianismo recepto omnes ab orthodoxis ut mali dæmones sunt exsecrati. Nihilominus auctores qvidam Angliæ & Scotiæ alicui illorum classi adscribunt insignem pietatem, castos mores & relligionis observantiam*).

Germanis certe vocabulum illud (*Vuiht*) cum Anglosaxonibus fuit commune unde certi dæmones sec. 17^mo^ vocati sunt *Wichte, Wichtel (Wichtlein)* **) alio nomine *Gütgen* it. *gute Nachbahrn* (ut Anglorum *good neighbours, Robin good fellow*, Islandorum *Liúflingr* &c.). Hinc vox notissima *Bösewicht* (vir — at prius dæmon — malignus); sed vocabulum *Wicht* jam alias tantummodo designat hominem parvum (homuncionem) qvæ statura illis dæmonibus (ut mythicis nostratium Dvergis) jam ubiqvé illis borealis Europæ geniis adtribuitur. Sic etiam Germani similes dæmones noscunt sub nominibus *Alp, Alb, Elf, Elb, Olb* &c. ut supra suo loco notavimus. Permulta Germanorum antiqvorum nomina propria Grimmii fratres nuper (l. c.) collegerunt ut *Alpkóz (Alfgott? Álfgod?) Alpkast, Alphart, Alpkér, Alpwin, Alphári, Alphilt* & pl. qvæ illis Anglosaxonicis & Scandinavicis partim arcte conveniunt, ac olim in bonam partem accepta fuisse observantur. De aliis huc pertinentibus ipsi laudati auctores sunt consulendi.

Dictæ gentes Germano-Gothicæ præter Vaettarum & Alforum generales ap-

---

descendents of the oriental Peri; and this is one of the appellations of which the Fairies of the present day are known to be particularly fond.

*) E. gr. *Lilly* in libro: *My Life and Times.* Vid. *Bourne observations on popular antiqvities in England, edit. by Brand.* Lond, 1810 pag. 129. Permulta huc pertinentia (qvæ jam recitare non vacat) adferunt plura Anglorum scripta e. gr. liber rarissimus: *An Essay of the nature and actions of the subterranean and (for the most part) invisible people, heretofore going under the name of Elves, Faunes and Fairies, or the like, among the Low Country Scots* &c. (it. *Secret Common wealth* &c.) *by Mr. Robert Kirk* 1691. *Reprinted Edingburgh* 1815, 4. — et alioqvin illustriss. *Walter Scott* doctissima dissertatio: *On the Fairies of popular superstition (Minstrelsy of the Scottish border* II, 109-190 & pl.). De dæmonibus Hiberniæ lepidæ indigenarum fabulæ prodierunt Londini 1825 titulo: *Fairy legends and traditions of the south of Ireland,* donatæ versione germanica a fratribus Grimmiis 1826 ac inscriptæ *Irische Elfenmährchen* cum doctissima translatorum de Alfis introductione *(über die Elfen)* — qvæ variorum populorum de talibus dæmoniis sententias prolixe & ingeniose disqvirit. Monstratur ibidem vulgi christiani certas opiniones de angelis ê magna parte cum priore circa Alfos superstitione confusas esse.

**) *Dobeneck Deutsch. Volksglauben* &c. I, 137. *Grimm über die Elfen* l. c. pag. CXII. *Büsching Wöchentl. Nachr.* l. c. I, 290.

pellationes, plura talia illis dæmoniis imposuerunt nomina communia e. gr.

1) Islandorum *Huldu-fólk, Huldumenn,* (jam de Alfis omnis generis valens) est Færoensium *Hulde-folk,* Norvegorum *Huldre, Hudde,* Danorum *Hyldemoer* (&c.) German. (*Frau*) *Holde, Holden, Holdchen, Holderchen, Hödeken, Huldchen;* ethnicismi tempore qvodqve bonum numen sive dæmonium sine dubio vocatum fuit *Holda, Hold,* unde illud adhuc usitatissimum *Un-hold**) (malum dæmonium, uti Isl. *Óvættr, Úvættr* â *Vættr*).¦ Recentiore tempore putarunt plebeji talia entia præ cæteris adamare sambucum arborem, dictam Germanis *Holder* (& *Holunder*) Danis *Hyld* (*Hylde-træ*) **) et eam igitur certo modo superstitiose venerabantur.

2) Isl. *Búi,* vicinus it. genius localis aut tutelaris (rupem, tumulum, arborem — vel alium locum prædio vicinum inhabitans); hinc *Búasteinar* saxa, ubi tales genii habitare creduntur &c. Hinc qvoqve seqventia in recentioribus Scandinaviæ dialectis: natrix torqvata Norvegis dicitur *Bue-Orm,* pro tutelari pecorum genio a superstitiosis habita & in ovilibus igitur toleratur vel fovetur ***). Sveci dæmonicos qvosdam angves credunt habitare sub arboribus sacris domesticis, jam memorandis. Dicuntur autem Norvegis *Botræ,* arbores villæ proximæ, sub qvibus Vættæ, lares vel penates (*Gar-bo, Gardboe, Tomtevæter, Nisse god Dreng*) habitare creduntur, ac a plebe interdum certis precibus & sacrificiis (pecorum mactatione vel cibariorum oblatione) coluntur; sunt hi genii potissime vocandi: *kjære Granne* (care vicine!) &c. Similem circa tales arbores (vocatas *Boträ, Boträd*) opinionem ac cultum

---

*) Vox hæcce invenitur in Saxonum celeberrima formulâ (ethnicismum abjurante) pro dæmonibus gentilibus in genere. Vertitur *Unholda (M. G. Unhultha)* Diabolus in Gl. Germ. sec. 8vi *Graff Diutiska* I B. II H. 1826. Voces Germanicæ *hold, Huld* (favens, amicus, amabilis, favor &c.) sunt Danorum *huld, Huld*; *Hyldest,* Isl. *hollr, Hylli,* unde illud *hollar Vættir* propitia vel bona numina, aut dæmonia *O. G.* 8. Cfr. Pers. *Chuld* (coelum beatorum; paradisus) secundum Illustriss. *v. Hammer, Wien. Jahrb.* XXXV, 163.

**) Dicitur Anglice *Eldar, Dwarf-Elder.* De prisca Germanorum superstitione circa hanc arborem, ad qvam sagæ Alfos & Holdas (*Elben und Holdchen*) magorum persecutionis tempore deponere et nutrire credebantur &c. Vid. *Horst Dæmonomagie* II, 254 & sq. De veneratione sambuci & ejus Vettarum vel dæmoniorum &c., vid. *Thiele Danske Folkesagn* III, 119-20. Borussi veteres (olim certe Gothis mixti) eandem arborem sanctam vocarunt, putantes Deos qvosdam terrestres ac parvos dæmones sub ea habitare; *Büsching* l. c. I, 161.

***) *Ström Beskr. o. Söndmör* (1762) I, 192, cfr. 387. Genii locales interdum a Romanis sub angvium formâ sunt repræsentati.

servant rustici Svecici*). Herba Artimisia, Norvegis dicitur *Buegræs*, at globuli in pecorum intestinis inventi, fanatica veneratione tractati & medicinæ adhibiti *Buestene*. Hic Scandinavorum *Búi, Bue, Boe* conversus est in Scotorum & Shetlandensium insulanorum *Boakie, Buman, Bukow, Boodie* (*Budi*; spiritus vel dæmon domesticus aut familiaris) Angl. bor. *Boggart* (spectrum) & pl.**). Est qvoqve certissimum illo nostro *Búi****) &c. facillime explicari istam dæmonum talium vetustissimam denominationem: *cari* vel *boni vicini*, qvæ iis a Scandinavis, Germanis, Anglis & Scotis unanimiter adtribuitur. At qvoqve in malam partem vertebantur alia hinc derivata nomina, ut illud Scot. *Búman*, idem ac Holsatorum *Bumann* ac forte etiam ac Danorum *Bussemand* & pl.

Mittimus populorum, tali communis originis ac lingvæ vinculo non connexorum, varias de similibus dæmoniis opiniones, qvamvis inter Celtas, Thraces, Græcos, Romanos, Slavos et alios ex eodem primum fonte emanasse videantur. Hic tamen e nostrâ sententiâ qværendus est in montibus Bactrianis ac eorum vicinia, unde Persarum & Indorum vetustissimæ traditiones de geniis hisce proxime sunt deducendæ. Hæc plures docti viri tractaverunt, demonstrantes qvoqve a Persarum Ferueris & Periis ortas esse Gallorum Feas (*Fées*) Britannorum Feries (*Fairy, Fairies*) &c. qvæ aliis modis cum nostris Vaettis sunt cognatæ ****). Liceat igitur hæc nostratium dæmonia comparare cum geniis localibus montanarum borealis Indiæ regionum, Devatis, qvi in rupibus & collibus habitare dicuntur, homines formosos utriusqve generis interdum

*) *Wilse Beskr. over Spydeberg Præstegjeld* (1779) I, 418-419. *Svenska Folkvisor utg. af Geijer och Afzelius* III, 114, cfr. 159 (de Alfis parvis ad hominum domicilia habiitantibus); it. *Ol. Magni gent. sept. Hist. brev.* III, 10.

**) Hæc desumta sunt e celeberr. *J. Jamieson Dictionary of the Scottish langvage*, ubi etiam annotatur dæmones illos Cambro-Britannis audire *Bugudhai*. Cfr. porro Scotorum montanorum denominationem *Clach Buan*, dæmonicis vel magicæ virtutis lapidibus inditam.

***) Alfi a qvibusdam recentioribus Islandis vocati sunt *Landbúar* (sing. *Land-Búi*, at tales Disæ sive nymphæ *Land-Disir, Land-Dis*). Vid. *Álfr* s.

****) Fratres Grimm ingeniose conjiciunt, German. *Alp, Alb* Gallis (Francis) audiisse *Aube*, unde *Auberon, Oberon*, talium (meliorum) geniorum princeps; (*Irische Elfenmährchen* 1826, LIX). Ille nostratium *lucis Alfis* certe foret adnumerandus at Gallis hodie qvoqve vox *Aube* (forte cum latino *albus* cognata) denotat diluculum, auroram; sic qvidam Eddæ Alforum vel Dvergorum dicti sunt: Fulgor, Splendor, at Dies & Diluculum (*Dellingr*) ex Asarum familiâ fuerunt; cfr. Gallorum nomina propria *Aubri* (olim *Alberic* Francis & Longobardis, Germ. *Aluerik, Elfrich*, Norveg. *Alfrikr* &c.); *Aubert*, Germ. *Albrecht* p. p.

surripere, qvi reversi dæmoniaci evadunt &c. *). Genii vel dæmones locales, qvi naturæ elementis imperare creduntur at tamen in rupibus vel cavernis, ad certos lacus, arbores, flumina &c. habitare, passim in India ipsa ac adjacentibus insulis religiosissime coluntur**). De varia significatione vocabuli *Vættur*, *Vætur*, &c. vide Gl. T. I, II & III, nisi revera sit cognatum Indorum *Vut*, *Bhut* (ex Anglica scriptione *Bhoot*) fæminin. ut videtur *Vutini*, uti certi dæmones Vætis sive Vættis similes vulgo appellantur***). Cfr. Lexicon hocce ad voces *Álfar*, *Liósálfar*, *Döckálfar*, *Dvergar* & pl. it. *Rán* s. *Ægir* i.

Völundr, *Vavlvndr*, heros (ut videtur) humanæ originis, at nihilominus tantæ antiqvitatis ac celebritatis & mythicis de Valkyriis relationibus ita implicatus, ut ipsum hic memorare non hæsitaverimus. Agit de eo carmen *Völundarqvida* ac ejus prosaica introductio p. p. Ex aliqvâ parte amborum contenta exposuimus in contextu carminum Eddæ antiqvioris, tomi secundi, ad ejus calcem impresso (pag. 963-968). Qvomodo Voelundus & duo ejus fratres (Finnorum sive Alforum humanorum principibus verisimiliter adnumerandi) tres Valkyrias, alis sive induviis cygneis (in littore depositis) ab illis destitutas deprehenderint; vid. s. artic. *Valkyria*. Ii venatum exercentes ac asseribus cursoriis vecti (Scritofinnorum more) venerant ad Ulfdalos (valles lupinas) lacum similis denominationis et domum sibi ibidem exstruxerant. Ibi dictas Valkyrias offenderunt & secum domum abduxerunt. Nupsit Voelundus Hervaræ, dictæ *Alvitur* sive omnisciæ, at Slagfidus *Svanhvít* i. e. cygni instar candidæ (filiæ Loedveris Regis) et Egillus Aulrunæ (q. d. Aliorumnæ) filiæ Kiaris, Regis Vallandici (Gallici vel Italici) str. 2, 4, 10, 14. At octava hyeme, post qvietum & jucundum connubium necessitas

*) Hæc eadem de Vaettis vel Alfis Islandiæ &c. narrantur. Vid. *James Fraser Account of a journey to the sources of the Jumna &c. Asiat. Researches* XIII, 183 & sq. Numina alioqvin ab Indis Devata appellantur.

**) Vid. e. gr. *Dubois Moeurs, Institutions & Ceremonies des peuples d'Inde* 1825 I, 440 & sq. Cfr. *Rhode über den Ursprung des Volksmährchen der Deutschen* (*Büsching W. N.* l. c. III, 110 & sq.). Lapidea delubra, ubi tales dæmones ab Indis coluntur, doctissimus noster Fuglsangius observavit summam habere similitudinem cum aliis gentilium Danorum, qvæ adhuc partim supersunt. Vid. *Antiqvar. Annal.* II, 40 & sq.

***) *Ward View of the history &c. of the Hindus* II, 151 & sq. Dæmones elementorum a Malabaris & pluribus maxime culti, (*Dubois* l. c. teste) vocantur *Butami* (*Boutami*). Cfr. vetus Pers. &c. *But* numen (jam idolum, dæmonium malum). — Alioqvin Dvergorum summam similitudinem cum Indorum Jakshis, Kuberis &c. monstrare tentavimus *Eddalæren* o. d. O. II, 41-43. Ibidem qvoqve de astrolatriæ cum lapidum ac bæthyliorum cultu inter populos orientales & boreales nexu egimus p. 34-41, 54-57, partim illustriss. nostro Müntero duce (*Antiqvar. Abhandl.* I, 255 & sq.).

conjuges separavit, & Valkyriæ avolarunt ad bella (sive fata) efficienda (str. 3). Mariti, tunc absentes domum invenerunt vacuam, cum Egillus & Slagfidus discedebant ad uxores petendas, sed Voelundus domi commoratur, suam conjugem expectans & aurifabrilia exercens (4, 5)*). Istum Nidudus, (vel Nidadus) crudelis Nericiæ (Svecicæ) Rex, auri famâ adductus, cum armatis militibus noctu aggreditur, aurea ipsius cimelia rapaci manu aufert at aurificem dormientem catenis onerat ac deinde istum, contra latronis injustam acusationem se defendentem & familiaris felicitatis damnum deplorantem, captivum secum abducit (6-14). Posterius ensem, Voelundo olim proprium ac ab ipso dexterrime induratum, Nidudus gestavit, at reginæ consilio illum conjici in carcerem aqvâ cinctum, et poplitum nervos ei dissecare fecit; at Voelundus ibidem tamen cimelia Regi fabricavit (15 & sq). Is sibi illatas injurias qveritur (16, 17) præ curis & vindictæ meditatione vix ullum somnum capiens at fabrilem malleum continue exercens (18).

Duo Nidudi filioli Voelundi carcerem sæpius visitant, ut res ipsius pretiosissimas spectarent & adqvirerent — dum ille ambos callide illiciens istos decollat & sub paludoso carceris pavimento corpora sepeliit (18-22) at eorum crania argento obducta (& crateribus adaptata) Nidudo misit, sed gemmas ex oculis (pupillis) factas reginæ & orbiculos pectorales e dentibus cusos filiæ eorum Boedvildæ (22-23). Plures liberos, qvam tres jam memoratos, Nidudus & ejus uxor non habuerunt (introduct.).

Paullo post Boedvilda virgo, cui pater dederat annulum aureum, Voelundo qvondam proprium, hunc incaute fregit & soli Voelundo id indicare ausa est, ut iste damnum repararet (15, 24). Voelundus ei auri restitutionem satis ambigue promittit, at ipsam deinde (ob annuli restaurationem) apud se demoratam inebrianti potu sopivit. Poeta hujus soporis seqvelas decenter reticet — at Völundum de vindicta sua jam fere absoluta exsultantem repræsentat (25-26). Hic porro indicat se mox usurum pedibus, qvorum usum Nidudiani ei olim demserant. Ridens deinde tollebatur in altum, sed Boedvilda lacrymosa insulâ exiit, amasii abitum lugens & patris iram simul metuens (27). Voelundus volans in septo aulæ qvietem cepit, qvod Regina cernit

*) Notabiles sunt descriptiones artificii Voelundini vel borealium antiqvissimi in hoc carmine contentæ. Sic e. gr. str. 5: "Is aurum rutilum cudit ad fixam gemmam... annulos postea philyræ inducens" & str. 18 "cudebat (aurum) malleo continue" &c. Annuli aurei, malleo manifeate cusi at gemmis tamen inclusis ornati, sæpius in gentilium Scandinavorum tumulis sunt reperti. Horum unus, e Norvegia oriundus, smaragdo decorus, servatur in dactyliotheca egregia Havniensi, viro docto ac illustrii Sommero, centurioni majori jam propriâ.

& Nidudum relatura alloqvitur. Is se adsiduo (noctu qvoqve) vigilare affirmat ob luctum post filios amissos & reginæ infausta consilia (de Voelundo amputando ac forte etiam spoliando et capiendo) objicit (28–30). Voelundus jurejurando *) Nidudum obstringit, ne filiam Boedvildam (jam Voelundi sponsam vel uxorem) cruciaret vel occideret — ac deinde isti filiorum & gnatæ tristissima illa fatarecensendo detegit (30–34). Hæc Nidudus maximum sibi dolorem adferre profitetur, sed qveritur illum impune evasurum, cum nemo posset, qvamvis eqvo vectus, istum prehendere vel etiam inferne ferire, cum is in sublimi jactaretur, nubibus ipsis vicinus (35). Voelundus ridens avolat sed Nidudus tristis residet (36) at mox per Thakradum servum Boedvildam filiam in colloqvium accersit (39). Qværit pater, an verum sit, qvod cum Voelundo in insulâ consederit (38)? Boedvilda moesta memoratam relationem veram esse confitetur, se contra Voelundum nihil valuisse adserens & infelicem illam horam graviter lamentans (39).

Voelundi nostri vita & fata prolixe exponuntur in *Vilkina Saga* Cap. 19–33 **). Ex hujus relatione Velent ***) vocabatur filius Vadii gigantis (Vilkini regis & nymphæ marinæ gnati) qvi in Sælandia Danorum habitavit, at puerum illum primum a Mimere fabro et posterius â Dvergis qvibusdam, Hunniæ rupes inhabibantibus, in fabrili arte edoceri fecit. Hi cum tandem Velentum, ob nimiam artis dictæ peritiam, perdere conarentur & patrem ejus montis ruinâ trucidari fecerint — a discipulo sunt interfecti. Velentus relictas Dvergorum opes, auro, argento & pretiossimis omnis generis cimeliis constantes, in suam redigit protestatem, ac secum Daniam versus aufert. At in itinere amnem Visaram (Visurgin

*) Nimirum per (vel ad) *navis* oram, *clypei* marginem, armum *eqvi* & aciem *gladii*; — cfr. *H, Q.* III, 30 ubi Sigruna perjurum ejus mariti trucidatorem ita alloqvitur: "Mordeant te cuncta juramenta qvæ Helgio præstitisti — — — Non provehatur *navigium* qvo tu vehendus eris, qvamvis ventus exoptatus spiret a tergo; non currat *eqvus* te gestans, cursuræ destinatus, qvamvis hostes tui fugiendi fuerint; nil secat *gladius* qvem tu vibrabis, nisi tibimet circa caput sonet!" &c. Cfr. *Sigrún* s. Leges Indorum Menuicæ (translat. Angl. VIII, 13) mandant militi jurare per *eqvum* suum & *arma*, mercatorem per suas opes & merces &c. Dani inter exteros per gladios suos (ac Deos qvoqve) jurarunt ad ultima ethnicismi tempora ex exterorum scriptorum testimonio. Mos idem apud permultas gentes fuit receptus & hodie qvoqvo a nonnullis observatur.

**) *Edit. Holm. Peringskjold.* pag. 37-77. Hermanni Chytræi scriptum de Monumentis Scaniæ & pl. insertum Bringii de iisdem libro, (compositum 1598) similem fere de Velento fabro narrationem, at breviorem tamen continet. Vid. *Müller* l. c. II, 168.

***) At tamen (Cap. 24) ex auctoris observatione vocabatur Velundus (vel Voelundus) a Væringis (Barangis i. e. imperatoris Constantinopolitani stipendiariis militibus borealibus terris ortis). Annotamus Vilkina-Sagam e Germanico sermone in Islandicum esse translatam.

forte) propter navigii defectum transire neqviens excavat truncum maximæ arboris, ac semet isti cum thesauris suis ac potus & alimentorum copiâ indidit. Undæ fluvii truncum In mare devolverunt, unde is allisus est ad Jutiæ (vel Cimbriæ Danicæ) litora, & qvidem in viciniam insulæ Thiodæ *). Hic truncus undis vexatus capitur a subditis Regis Nidungi, qvi Velento, detecto ipsum in suum famulitium recipit. Velentus in ejus aula varia fata experitur, at multa interea operatur, donec aliqvando, â Nidungo, ejus ope e maximo vitæ periculo erepto, filiam ipsius Boedvildam, illi a Rege (cum regno dimidio) promissam, in matrimonium petit, at penitus frustra, cum e contrario, ob facinus pro necessaria vitæ defensione commissum, mortis contumeliosæ minis excipitur. Se Velentus fugâ servavit, at posterius ultionem meditans detegitur. Jam dicta historia carmini nostræ magis adsimilari cæpit. Nam Nidungus Velento, carceri injecto, poplitum nervos dissecari fecit, seqventium tenore (de puerorum cæde, Boedvildæ gravidatione, alari Voelundi fuga &c.) illi sæpissime conveniente, sed prolixius exposito. Additur qvoqve Boedvildam uxorem Voelundi evasisse, et eorum filium fuisse Vidgam, celebrem Germanicæ & septentrionalis antiqvitatis heroem **). — In multis Germanicæ literaturæ vetustis monumentis Voelundus ille occurrit, nomine tamen parum at varie mutato. Niflunga-Sagam e teutonico sermone in Islandiæ vel priscum Norvegiæ sermonem translatam esse supra annotavimus ***). In appendice libri celeberrimi *Heldenbuch* (editionis ut puto, vetustissimæ fol. 185) dicitur *Wieland*, Wittichi pater, in monte qvodam (regionis *Gloggen-Sachsen*) fabrilem artem edoctus fuisse. Plura hujus mythi in Germanicis poëmatibus vestigia Müllerus noster (l. c. pag. 163 & sq.) recensuit.

At tamen in Anglo-Saxonum et recentiorum Anglorum carminibus illius my-

*) Olim nostratibus *þjód, þeód* (n.) hodie *Thye, Thye-land.* At nostra lingvâ magna Teutonia sive Germania eodem nomine olim designabatur. Cfr. Onomasticon hujus Eddæ T. II. v. *Þýþverskr, (Þjódverskr).*

**) Hic Germanis vocatur *Wittich, Witege*, in Danicis medii ævi cantilenis *Vidrik* & suos parentes hic ita memorat:

Verland hed han Fader min en Smed var han saa skön,
Bodild hed min Moder en Kongedatter vœn.

o: Verlandus nominabatur pater meus, eximius faber,
At Boedvilda mater mea, pulchra Regis filia.

Udv. D. Viser &c. *ved Abrahamson, Nyerup og Rahbek* I, 28. Sæpius Vidrecus ille malleum & forcipem (ut paternæ artis insignia) in scuto suo repræsentatos gestasse fertur (I, 4, 18, 21). Cfr. observationes editorum pag. 358, 364, *Grimm Dänische Heldenlieder* pag. 491 & alibi. Vidga in cantilenis Færoensium vocatur *Virgar, Vealindi* filius.

***) Vid. Cl. *P. E. Müller Saga-Bibliot.* II, 157 & sq. 294 & sq.

thicæ traditionis relliqviæ magis perspicue apparent. In carmine de Scyldingis *) Gothicus heros, Beovulfus nomine, rogat Danorum Regem Hrodgarum, si ille in appropinqvante conflictu interiret, suam sepulturam ita curare, ut cadaveri adponerentur arma sua præstantissima, Voelundi (arttficiosum) opus; (*Velandes geveorc*)— At porro (ex celeberrimi translatoris et doctissimi Rich. Price ei communicatâ observatione) Alfredus Rex in translatione Anglosaxonica Boethii de consolatione philosophica poëmatis (et prosaica & poetica) Velandi vel Velondi, ut celeberrimi ac ingeniosissimi aurifabri mentionem fecit **). Insuper ipsum borealem mythum veterrimis Anglosaxonum poëtis eodem modo familiarem fuisse detexit vir doctus at præmatura morte nuper surreptus, Joh. Jos. Conybeare, in poëmate illius lingvæ, incluso codici pretiossimo Exoniensi (ita dicto) jam in bibliotheca Bodleiana servato; agit autem istud carmen de infortuniis illustrium virorum, ac continet inter varia talium exempla ***), seqventem periodum (qvam vir laudatus candide fatetur se nunqvam intellexisse, si lectio hujus Eddæ nostræ editionis T. II di ei non contigisset):

Veland him bevurman
Vrœces cunnaðe,
Anhydig eorl
Eorfaða dreag.
Hæfde him to gesiððe
Sorge and longað
Vinter cealde
Vrœce vean oft onfond,
Siððan hine Niðhad
On nede legde,
Svoncre seono bende,
Onsyllan mon;
ðæs ofer eode
ðisses sva mæg.

Beadohilde ne væs
Hyre Broðra deað
On sefan sva sar
Sva hyre sylfre ðing;
ðæt heo gearolice
Ongieten hæfde
ðæt heo eacen væs;
Æfre ne meahte

*) *Poëma de Danorum rebus gestis sec.* IV & V &c. ed. Thorkelin pag. 36.

**) Ibidem pag. 266-67. Alfredus vertens hæc Boëthii verba (Lib. 2, v. 7): "Ubi nunc fidelis ossa Fabricii jacent?" Fabriciumqve pro fabro celeberrimo accipiens, huic Voelundi indidit nomen:

Hvær sint nu ðæs visan
Velondes ban
ðæs goldsmiðes
ðe væs geo mærest &c.

Cfr. *Conybeare Illustrations of Anglosaxon poëtry*, Lond. 1826. pag. 235 & sq.

***) Inter hæcce memorantur Reges Gothici, Theodoricus (*ðeodric*) et Ermenrecus vel Hermanaricus (*Eormanric*) Eddæ nostræ *Þiódrecr* & *Jörmunrecr*. Vid. Onomasticon T. II; *Conybeare* l. c. pag. 241-42.

ðrifte geðencan	Infelicem hominem;
Hu ymb ðæt sceolde.	Hoc ille superavit
ðæs ofer eode	Hæc etiam tu (superare) potes. *)
ðisses sva mæg.	
ɔ: Velandus sibi animum inflammari	Boedhildæ non erat
Exilio (sive injuriâ) sensit	Ejus fratrum mors
Pervicax dux	In pectore tam molesta
Difficultatem pertulit;	Qvam propria cura (afflictio),
Habuit sibi in comites	Cum ea perfecte
Dolorem ac desiderium,	Intellexerat
Hyëme frigido	Se gravidam esse,
Exilii dolorem sæpe expertus est,	Nunqvam potuit
Ex qvo eum Nidadus	Prægnans conjicere
Vinculis obstrinxerat,	Qvomodo id evenisset;
Debilem nervorum ligamina	Hæc illa superavit &c. **)

*) Hi ambo versiculi efficiunt cujuscunqve exempli in laudato carmine epistrophen.

**) Ut in vetustis Germauorum legendis *Deorolf* pro *Thorolf* ɔ: *þórólf* legimus (*Dorow Denkmäler* I, 66) ille auctorse nominat *Deor* (*þóre* vel *þórdr, Thoro, Thor?*); in fine poëmatis se fatetur diu fuisse Danicorum principum poëtam & Vasallum, habens clementem dominum & præstantem comitatum, donec vir qvidam astutus, Hiarandus nomine, jus feudi ipsi olim a glorioso principe concessum, (dolose) occuparet. En ejus ipsissima verba:

Þæt ic by me sylfum	*Holdne hlaford;*
Secgan ville	*Oððe ðæt Heorrenda*
ðæt ic hvile væs	*Nu leodcræftig mon*
Heo Deninga scop,	*Londriht geðah*
Dryhtne dyre	*ðæt me eorla hleo*
Me væs Deor nama,	*Ær gesealde.*
Ahte in fela vintra	*ðæs ofereoðe*
Folgeð tilne,	*ðisses sva mæg.*

Annotat commentator hunc codicem datum fuisse bibliothecæ templi cathedrali Exoniensi ab Episcopo Leofrico (inter annos 1046 et 1078) at tamen eâ donatione verisimiliter esse antiqviorem. Conjicit poëma illud compositum esse diebus Canuti magni, si non prius. Illucet ex eo (nostrâ opinione) qvod auctor Eddæ hujus carmen *Völundarqvida* dictum noverit ac respexerit. Hoc non tautum concludo a similibus contentis sed etiam certis vocabulis, ambobus communibus, e. gr. *neðe* (E. *naudir* coarctationes, vincula); *eacen* (E. *aukin* gravida) & pl. Aelfredus rex (Boethii paraphrastes) scripsit circa annum 872 et Voelundum nostrum cognovit ut celeberrimum artificem — at auctor poematis Germanico-Latini de expeditione Attilæ Regis, qvod doctus editor Fischerus putavit scriptum esse sec. 5to vel 6tot celebrat fortissimam armaturam qvæ a Velando facta esse ferebatur (vers. 961-62):

. . . . *duratis Vuelandia fabrica giris* &c. . . . .

Observante doctiss. Wilh. Dan. Conybeare, laudati fraterni operis editore, Guilielmus Monomuthensis (auctor sec. 12) celticæ suæ fictionis cyclo Gothicum illum artificem inseruit, memorans qvidem

Pocula qvæ sculpsit *Guielandus* in urbe Sigeni *)

at in historia Rogeri Hoveden (ejusdem seculi) laudatur *gladius* egregius regii armarii, olim fabricatus a *Galano*, omnium samiatorum præstantissimo. Alius talis ensis, Mimingo par (vel similis) decantatur in poëmate Anglico medii ævi, dicto Hornchilde, ut "rex omnium gladiorum, a *Velando* factus" **).

Gallis medii ævi non fuit Voelundus nostratium ignotus. Ita enim qvidam inter eos historicus, vivens circa annum 1159: "Gillelmus sector ferri hoc nomen sortitus est, qvia cum Normannis confligens venire solito conflictu deluctans, ense corto vel scorto durissimo, qvem *Valandus* faber condiderat, per medium corpus toricatum secavit unâ percussione" ***). Facinus hocce simillimum Ve-

---

Si autem borealium traditionum *Vidga* (vel *Vidrik*) Velandi filius idem fuit ac "*Vidigoia*" vel *Vidicula* qvi a Jornande (Cap. 5, 34) memoratur ut "Gothorum fortissimum, vetustis Gothorum cantilenis celebratus" totius mythi summa vetustas clarius illucesceret. Hæc ego conjeci ad Onomasticon T. II. pag. 894. Cfr. *Müller Saga-Bibliothek* II, 249 & *Geijer Svearikes H.* I, 118.

*) Nescio an his indicetur oppidum Sigenum vel Sigena (hodie *Siegen*) in sylva dicta occidentali (*Westerwald*) ac principatu Germanico Nassoviæ. Id autem antiqvitus fuit celeberrimum propter fodinas & officinas ferrarias. Cfr. relationes Vilkinasagæ de fabrili educatione Velendi in Hunalandia (Venedorum terris, Germaniæ parte) non procul a Visurgi fluvio.

**) — *It is the make* [*mate*] *of Miming*
Of all swerdes is it king
And Weland it wrought
Bitterfer it hight.

Ritsons Romances III, 295. Cfr. *J. Grimm Mus. fur altd. Literat.* II, 309, *P. E. Müller* l. c. II, 164. *Conybeare* l. c. 237-38. Voelundus ipse (sive Velandus) e testimonio Vilkina-Sagæ Cap. 23 (ed. Holm. pag. 54 & sq) fabricavit ensem Mimungum (sive Mimingum aut Mimmungum) omnium præstantissimum. Is qvoqve nominatur in versibus memorialibus Skaldæ inclusis (pag. 214) qvæ gladiorum varias appellationes recitant. Qvoad nominis vetustatem conferri meret Saxo Grammaticus lib. 5 qvi satyrum qvendam, Mimingum dictum, ut ensis maxime egregii fabricatorem vel possessorem celebrat. Cfr. *Mimir* s. Addimus gladium qvemvis Scaldis dici *Hold-Mimir*.

***) *Historia Comitum & Pontificum Engolismensium* (incerto auctore) apud *Labbe, Biblioth. Mss. nova;* II, 252. Cfr. *Suhm Historie of Danmark* II, 232 & *P. E. Müller* l. c. II, 165-66. Vilhelmus ille inter atavos suos habuit Rolfum sive Rollonem (Norvegum) primum Normandiæ (olim Neustriæ) Ducem ac possessorem ensis illius, qvem a fratre suo adqvisiisse fertur.

lento adtribuitur in *Vilkina-Saga* (l. c. Cap. 23 pag. 55-56).

Vulgares variorum regnorum traditiones (Daniæ videlicet Sveciæ & Angliæ) ad nostros usqve dies cursitantes, locis diversis adtribuunt aliqva Voelundi gesta vel eventa. Sic incolæ pagi dicti *Vellands-Herred* in Scania (olim Daniæ jam Sveciæ proprio) putantes eandem apellationem Velandi nomini & priscæ habitationi deberi, ipsius sive filii Vidgæ (aut Vidrici) insignia, malleum & forcipem, sigillo suæ communitatis insculpi fecerunt*). Inhabitatores parochiæ Vellev in Jutia (dioecesi Arhusiana) similem ejus nominis originem jactant et Verlandi (vel Velandi) sepulchrum in suo fundo inveniri perhibent **). Ast Svecici Verandiæ incolæ hodie qvoqve rupem sitam in parvâ insula lacus Alletorpensis vocant Verlehall, dicentes Verlandi (vel Voelundi) fabrilem officinam ibi sitam fuisse (e doctiss. Vallmanni observatione in Verandiæ descriptione, adhuc inedita). Inter cantilenas Sveciæ populares reperitur una, familiaris incolis Nericiæ (Nidudi priscis subditis ex eddici carminis tenore) qvæ fabulam illam suo modo decantare videtur. Vocatur hic heros ipse Rex *Vallevan* (ut exteris *Valand*, *Galan* &c.) ac dicitur amasiam suam mero dulci sopiisse, navi sussulisse ac uxorem tandem in regno extero duxisse ***).

Observavit Müllerus noster rusticos Bercheriæ (vel *Berkshire)* Angliæ provinciæ, Aelfredo, prisco regni monarchâ, melius (ex eorum sententiâ) esse informatos, qvum hodie qvoqve Velandi fabri sepulchrum (vel dæmonicum habitaculum) monstrent in vicinia collis vel vallis eqvi albi (*White horse hill or vale)* & oppidi *Asdown*. Est enim monumentum lapideum, tres ingentes petras pro parietibus at unam pro tecto habens, qvondam autem duos aditus e minoribus lapidibus formatos. Hic dicunt olim habitasse invisibilem illum fabrum, qvi pro nummis ad dictum ejus domicilium a viatoribus depositis, eqvos eorum novis ferreisqve calceis instruere soluerat ****).

*) *Bring Monumenta Scaniæ* p. 36, 302. Habentur Havniæ varia dicti sigilli ectypa.

**) *Pontoppidans Atlas Dan.* IV, 425 (præter seriores relationes, typis adhuc non vulgatas).

***) *Svenska Folkvisor, utgifne af Geijer och Afzelius* II, 174-175. *Geijer. Svear. Häfdar* I, 304.

****) Hanc relationem detexit Werlauffius noster in libro inscripto: *F. Wise letter to Dr. Mead concerning some antiqvities in Berkshire, particularly the white horse. Oxford* 1758. 4. Hæc, inter alia, ibi continentur pag. 37: "*All the account which the country people are able to give of it (the monument) is: at this place lived formerly an invisible smith, and if a travellers horse had left a shoe upon the road, he had no more to do, than to bring the horse to this place with a piece of money, and leaving both there for some little time, he might come again and find the money gone but the horse new shoed. The stones standing upon the Rudgeway, as it is called, I suppose gave occasion to the whole being called Wayland Smith, which is the name it was always known by to the country people.*" (*Saga-Bibliothek* 1818 II, 161-62). Tumulus hicce, cum vulgari illâ de

Plures antiqvitatis & medii ævi celeberrimi & præstantissimi mythi, præter illos supra allatos, Voelundianæ fabulæ adnectunctur, hi nimirum:

1) Nomen anglicum viæ lacteæ ac unius inter qvatuor cardinales, vel præcipuas Angliæ vias publicass, *Watlandstreit* vel *Watlingstreet;* id a Valando vel Velendo illo ortum traxisse putavit doctiss. *Jac. Grimm.* Qvoad cælestem istam viam hanc conjecturam pro verisimili satis accipio, cum Voelundi per aëreas regiones volatus a poëtis ut ad ipsum coelum elevatus facile fingi potuit. Vadium gigantem, Velendi patrem, Anglis veteribus notum fuisse laudatus auctor probavit *). Soluerunt autem Anglo-Saxones (ut nostri ipsi Scandinavi) additione voculæ *ing* (*ingr*) patronymica formare ut *Scefing* (a *Scef*) &c. et sic qvoqve Velendus, Vadii filius, ab iis potuit appellari *Vading* (*Vadling*, *Vatling*).

2) Innumeræ fere relationes de Niflungorum thesauro. Qværit enim Nidudus (str. 12), Voelundi thesauris violenter occupatis: "Ubi nactus es Voelunde Alforum [hic verisimiliter Finnorum] princeps! aurum noftrum (vel pecuniam) in Ulfdalis?" Cui qvæftioni Voelundus ita respondet (str. 13): "Aurum ibi non erat in Granii viâ positum; remotum arbitrabar nostrum solum a montibus Rhenanis. Memini (tamen) qvod nos plura bona habuimus, cum nos salvi familiares domi eramus." Ad hæc loca commentatores recte observant: "Nidudus furti Voelundum arguit — — — at hujus responso subindicari videtur Nidudum sese hæredem vocasse auri, qvod Sigurdus Fafnericida cæso Fafnero (eqvo Granio vectus) comparavit in montibus Rhenanis" &c. Multæ principum Scandinavicorum familiæ olim se a Volsungis, Budlungis vel Niflungis ortas esse jactarunt; sic qvoqve (ut e dictis patet) Nidudus ille. Hic Nericiæ præfuit — unde hæc celeberr. Geijeri relatio observatu evadit dignissima: "Vulgaris qvædam Sveciæ traditio, qvæ orali relatione mihi innotuit, transponit thesaurum Niflungicum ad (rupem dictam) *Garphytte-Klint* in Nericia." **). Sic verisimiliter locales de his eventis traditiones olim illis cum Edda nostra cohærentibus congruæ fuerunt, ac nunc pri-

---

eo traditione, jam per totum fere mundum celebris evasit, operâ illustriss. Walteri Scott, qvi eum suo modo descripsit in fabula romanensi historico-æsthetica, inscriptâ *Kenilworth*, Cap. 9 & 10.

*) *Irmenstrasse nnd Irmensäule, eine mythologische Abhandlung von J. Grimm. Wien* 1815, 8. pag. 48, 64-65.

**) *Svearikes Häfder* I, 118. "*Niflungaskatten . . . förlägger en svensk folksägen, hvilken jag af muntelig berättelse känner, uti Garphytteklint i Nerike.*" Loci nomen latine verti potest: Viri fortis (grandiloqvi vel litigiosi) ustrinæ rupes, a vetere Scandin. *Garpr* (unde Vermeland. *Garper*, Norveg, *Gerp* ac pl.) &c. Sic qvoqve nomen illud simul ad Voelundi priscam ustrinam alludere videtur.

mum, post multorum seculorum oblivionem, iterum emergere coëperunt!

3) Fratris Voelundi, Egilli, facinus jaculatorium, in Historia Vilkino-Niflungica descriptum, prototypon celeberrimæ de Vilhelmi Tellii, (Helvetii) periculoso at felici ictu relationis ex aliqva parte fuisse videtur, e Mülleri nostri probabili conjectura *).

Appellationem *Völundr*, in antiqvo nostratium poëtico sermone, cuiqve dextro artifici contigisse scimus. Sic e. gr. in Eddâ nostra (*Hamd. M.* str. 6) egregiorum stragulorum textores vocantur *Völundar*. De fabris præcipuis eadem dictio adhuc in Islandiâ valet **). Ejus originem *Vilkina-Saga* (l. c. Cap. 24 pag. 56) derivat a mythici illius artificis summa celebritate. At Müllerus (l. c. II, 157) idem nomen ingeniose deducit a *Vœl*, *Vél* (dolus, techna, machina vel *Vá* varius (in compositis) & *Lund* mens (cfr. vocem *Vél* in nostri poematis str. 18 apte adlatam). Monstravit simul similem etymologiam nominis Græcorum mythicæ antiqvitatis celeberrimi artificis Dædali (*Δαιδαλος* â *δαιδαλλω* vel *δαλεος*). Ut antiqvitas Græco-Romana Dædalo adscripsit res vetustissimas singulari artificio elaboratas, nos Voelundo apud Scandinavos, Germanos, Britannos & pl. similem honorem olim contigisse scimus. At insuper Dædali fata ac facinora cum Voelundi eam referunt similitudinem, qvod ambo ê carcere durissimo alarum artificios arum ope aufugerent. Sic nou mirum qvod Islandi labyrinthum (vel labyrinthi figuram) appellent *Völundar-hús* (Voelundi domum) ***). Ut auctor Vilkinensis historiæ Voelundum per totam borealem mundi plagam celeberrimum evasisse monet, Atticum prius de Dædalo proverbium edixerat: *Ἐν παντὶ μυθῳ καὶ τὸ Δαιδάλε μῦσος*. — De nostri nominis

*) *Saga-Bibliothek* II, 172, Sic *Vilkina Saga* l. c. Cap. 27. pag. 64: 11. "Collubuit aliqvando Regi (Nidungo) experimentum capere insignis illius artis, qvâ in jaculandi peritia præstare dicebatur Egillus. Igitur filium ejus, jam tres annos natum in medium productum, ejus capiti pomum apponi jussit, qvod unico ictu feriendum Egillo, ita ut nullatenus ad partem alterutram declinante sagittâ, pomum tantummodo tangeret. Cæterum Egillus acceptis sagittis tribus, unam illarum chordæ adaptavit, qva explosa medietatem pomi dexteritate tanta feriebat, ut dissectæ partes in terram desilirent. Forte sciscitabatur Rex, qvid causæ esset, qvod tres modo sagittas sibi acceperat Egillus cum unica tautum jaculari dicebat. Inqvit Egillus ingenue se rem fateri; id sui fuisse propositi ut læso forte puero binas reliqvas contra Regem explodere". Similem relationem nobis exhibet Saxo Grammaticus (H. D. L. 10) de Haraldo Gormonis filio, Daniæ Rege (sec. 10) & Tokone ac ejus filio. Cfr. *S. Ol. Tr.* ed. Havn. II, 271-72.

**) Hinc qvoque translate Snorro Sturlæus, in cantilenâ qvadam, de sui temporis eventis vocat hominem astutum, discordiam inter principes concitantem, belli. Voelundum i. e. artificem (*Völundr rómuðr*) *Hkr.* V, 200, VI, 215-216.

***) Vid. e. gr. carmen Islandicum medii ævi dictum *Lilia* (lilium) str. 92 (*Finni Johann. hist. eccles. Isl.* II, 442-43, 463.

etymologia, cfr. Gl. T. I & II v. *Vél* & T. I. v. *Lyndi* (*Lund*) *).

Vönd, Vavnd (difficilis) &c. amnis terrestris ad Helam (sive Orcum) delabens *Gr. M.* 28. Vid. Gl. T. I. it. T. II. v. *Vandr.*

Vör, Vavr vid. *Freya s.*

Y.

Ýdalir, regio ubi Ullerus ædes sibi exstruxit *Gr. M.* 5. Vocabulum ipsum ita duplici modo vertendum: a) humoris (pluviæ aut ningoris) valles. b) sagittæ, sagittarum vel sagittarii (i. e. venationis) valles; vid. Gloss. T. I. Convenit autem cæleste hocce (solis vel potius solaris aut menstrui solis Dei) habitaculum zodiacali sagittarii signo ac mensi, alioqvin olim *Ýlir* vocato. Vid. *Ullr s.*

Yggdrasill, arbor mundana sive mundus noster, arboris fraxini symbolo vel imagine repræsentatus. In Valiano vaticinio refertur a boreali Sibylla fraxinus, Yggdrasill dicta, alta esse (vel frondosa) arbor, perfusa luto albo (vel lymphâ pura); veniunt inde imbres & rores, qvæ in valles decidunt; stat autem semper virens super Urdæ fonte. Ex lacu (mari) vel palatio (æde aut atrio), sub Ygdrasillo sito, veniunt tres summæ Nornæ (Urda, Verdande & Skulda) leges mundi ac hominum fata constituentes (vid. *Nornir* &c. **). *V. Spá.* 17-18. In Grimneriano carmine ita describitur: "Tres radices extenduntur adversus tres plagas subtus ab Ygdrasillo arbore; Hela habitat sub una, Hrim-Thursi (gigantes gelu producentes) sub altera at homines vere humani sub tertia (*Gr. M.* 31). Rata-

*) De hac voce cfr porro *Eddalæren* o. *d. O.* IV, 112-113, 198.

**) Tres nostræ majores Nornæ ad ungvem respondent Græcorum Moeris, (Romanorum Parcis). Sic qvoqve vetustissimæ circa eas Grajorum fictiones Scandinavicis mire couveniunt. Moeræ (secundum Hymnum Orphicum LVIII) atrâ Nocte natæ (ut nostræ inter gigantes adultæ) habitant ad *cælestem lacum* vel fontem (επι λιμνης ουρανιης) in specu opaca, ubi *aqvæ albæ* decidunt in nocturnum [roris] balneum (ἵνα λευκον ὕδωρ νυχιας ὕπο θερμης). At Pindarus dicit Moeras apium opera perficere, mella colligere ac eorum vigore inspirari. Dicuntur qvoqve mella ex Nornarum fonte (sub roris vel pluviæ formâ) decidere, ac apibus nutrimentum præbere. Græcæ Moerarum descriptiones in Nornas plerumqve qvadrant; sunt enim Ilithyiæ sociæ (proprie assessores, παρέδροι) interdum Lucinæ obstetricio munere functæ; prævident hominum vitam ac fata sed cuncta iis dant vel demunt. Dicebantur præterea Moeræ (minores qvædam verisimiliter, uti apud nostrates) qvemqve hominem ab ejus nativitatis momento seqvi & observare. — Sunt Moeræ Homero ac Hesiodo diræ indolis, necem humanam præcipue efficientes, ut Nornæ interdum in eundem modum a carminibus Eddæ heroicis depinguntur. Sic Moeræ ac Keres (Κῆρες) certo modo confundi videntur ut Nornæ & Val-kyriæ apud veteres Scandinaviæ poëtas. — Gesnerus Moerarum coelestem lacum, albis aqvis scatentem, accepit pro via lactea vel æthere ipso, ut idem certe de Urdæ lacu gentiles nostri proavi crediderunt. Hæc alibi pluribus exposuimus.

toescus dicitur sciurus qvi semper per arborem currit, ferens deorsum aqvilæ verba ad Nidhoeggum inferius (in abysso) decumbentem (32). Cervi sunt qvatuor qvi arboris cacumina (vel sublimes ramorum eminentias) colla obliqvi demordent; nominantur autem Dain, Dvalin, Duneyr & Dyrathror q. v. (33). Plures sub stirpe serpentes cubant qvam ut id existimet qvilibet ignorantium hominum; ramos inprimis hi semper adterent: Goin, Moin (Grafvitneri filii) Grabacus, Grafvoelludus, Ofner & Svafner q. v. (34). Sic fraxinus Ygdrasilli sustinet majorem laborem qvam ut mortales norint; cervus enim carpit superne (cfr. *Eikþyrnir* s.) at in latere arbor putrescit, qvam tandem Nidhoeggus inferne minuit (35). Dii eqvis vecti (præter Thorum, qvi per tres amnes vadabit) ad Ygdrasillum tendunt, ut sub dictâ fraxino conventum freqventent vel judicium habeant (29, 30). Ygdrasillus alioqvin appellatur *præclara stirps* (aut arbor); *media* vel *centralis* (*VSpá* 2, 62); *seculi aut temporis* (sive etiam omnium in mundo viventium entium) *nutritor* (51); *arbor primaria vel principalis*, sub cujus extrema ac boreali radice, sole oriente, gigantes ac oreades Dvergi & atri Dæmones cubilia petunt; *Hr. G.* 25; — *celsissima vel præstantissima omnium arborum Gr. M.* 43; *arbor sancta ac ætheri aut serenitati vel sudo cælo adsveta* — sub qva etiam sonatura Heimalli tuba absconditur & spumans oceani flumen (Mimeri fons celeberrimus) e pignore sphærici patris hauritur *VSpá* 25 (cfr. 26). Ludent autem Mimeri (pelagici) filii ad sonoram Giallæ tubam, cum Heimdallus altum intonabit (ultimum elementalium numinum prælium proclamans); tunc resonans ingemiscet illa vetusta arbor, tremens qvidem at erecta stans; pavebunt omnia entia, lethi viam calcantia, priusqvam Surtianum incendium eam devoret *VSpá* 42-43, nam tum circa illam ignis halitus vehementissime sæviet, flammâ ipsi cælo alludente 51. Mox seqvitur cæli & terræ (ac igitur qvoqve Ygdrasilli ipsius) fausta restauratio (52 & sq.). Convenient Asæ (Dii) in Idæ campo (ut videtur circa validam terrenam stirpem i. e. Ygdrasillum) congregati ac colloqvium habentes (53) *).

In Edda juniore Ygdrasillus his locis memoratur; (Pag. 17-18): "Tum Ganglerus qvæsiit: ubi est locus primarius seu sanctissimus Deorum? — at Har respondit: ad fraxinum Ygdrasillum dictam, nam ibi Dii qvotidie sua judicia exercent. Iterum Ganglerus: Qvid est de isto loco relatu dignum? Regessit Jafnhar: fraxinus illa omnium arborum maxima est ac optima, cujus rami per totum mundum diffunduntur atqve supra cælum pertingunt. Tres radices, arborem hanc su-

*) De hujus versionis ratione vid. Gloss. T. III. v. *Moldþinurr*.

stinentes, admodum late se extendunt *). Earum una inter Asarum habitacula locum habet, alia inter gigantes pruinosos, ubi qvondam fuerat *Ginnúngagap*, (q. v.) tertia vero radix super Niflheimum consistit, sub qvâ situs est fons Hvergelmer (q. v.) sed Nidhoeggus hanc radicem subtus arrodit. At sub ea radice, qvæ ad gigantes pruinosos vergit, fons est Mimeri; is (Mimer) est scientiarum plenus &c. (vid. *Mimir* s.). Tertia vero fraxini radix in coelo sita est, cui fons subjacet, admodum sanctus, dictus *Urdarbrunnr* (q. v.). Ibi diis suus est locus judiciorum, qvo Asæ per pontem Bifrastam, qvi et *pons Asarum* appellatur, qvotidie eqvis hisce vehuntur" (vid. *Gladr* &c.) (Pag. 28). "Sub fraxino, ad dictum fontem, palatium stat perpulchrum, ex qvo tres prodeunt virgines Urda, Verdande & Skulda" (Vide *Nornir* s. &c.) Pag. 19. "Tum Ganglerus: Qvæ sunt plura magnalium de fraxino narranda? Respondet Har: multa de illis rebus sunt referenda. Aqvila qvædam ramis ejus insidet, eaqve qvidem multiscia **) sed inter oculos ei accipiter versatur cui nomen *Vedrfölner* ***). Sciurus præterea nomine *Ratatöskr*, susqve deqve in fraxino percurrit, atqve verba controversa inter aqvilam et (draconem abyssi) Nidhoeggum defert. Cervi qvatuor per ramos fraxini discurrunt et frondes ac frosculos decerpunt (seqvuntur eorum memorata nomina). At in Hvergelmere tot sunt cum Nidhoeggo vermes, qvot lingva numerare valet nulla. (Adduntur duæ ſtrophæ carminis Grimneriani). Pag. 20: Cæterum memoriæ qvoqve proditum est, qvod Nornæ ad fontem Urdensem habi-

*) Textus verba: *Þriár rætur trésins halda Þvi upp oc ſtanda afarbreidt*, — revera non videntur describere radices (vulgari sensu *rætur*) sed ſtirpes. Idem de carminis Grimneriani dictionibus observandum: *Þriár rætur standa á Þriá vegu undan aski* &c. Huc pertinent verba ubi fons Urdæ memoratur: *Undir Þeirri rót* &c. nam is in Vaticinio Valiano (ſtr. 18) dicitur lacus *(sær)* & in carmine Vafthrudneriano str. 48 mare *(mar)*, qvæ sub arbore vel ejus ſtirpe (ut revera priore loco refertur) non autem sub radice jacere dici qveunt; idem de Asarum tribunali, hominum ac gigantum habitaculis &c. est observandum. Sic illud *rót (rætur)* opinor obsolete exprimi pro stirpe vel stipite, ut vox ista certe originitus cognata eſt Germanicæ *Rute*, *Ruhte*, (Angl. *Rod* &c.) qvæ adhuc qvoqve de arbusculæ stipite interdum usitantur.

**) In textu: *margs vitandi* forte originitus: multa videns (qvum proprie in arboris summo ac medio cacumine versaretur, inde totum mundum perluſtrans (ut Odinus ipse ê Lidskjalfa ex alius mythi contentis). Observavimus alibi vocem *vita* originitus eandem fuisse ac latinum *videre* &c. Qvi multa videt, multiscius evadit.

***) E nostra sententia idem ac *Vedrfólgnir*; legunt alii *Vedrfölnir*, — *avlnir*, qvod eandem tamen sententiam innuit. Cfr. *Hábrók* s. it. clariss. *Hallenberg* Dissert. *de nocte accipitris* (in ethnico nostro borea) in ejusd. *disqvisit. de nominib. in l. Svio.-Goth. lucis* & *visus* II, 542 & sq. Plura infra adferemus.

tantes aqvam inde qvotidie hauriant, atqve una cum luto, qvod fontem circumjacet, fraxino superinfundant, ne scilicet rami ejus arescant vel putrescant. Est autem aqva illa adeo sancta*) ut res omnes huic fonti immersæ albescant instar membranulæ (*skjall* dictæ) qvæ putamini ovi adhæret: (seqvitur stropha vaticinii Valiani). Pluvia (vel ros) inde in terram delabens vocatur *hundngs fall* (mellis delapsio) qvâ etiam apes aluntur." Cfr. *Nornir, Urdur* s.). Qvod Ygdrasillus summa sit vel præstantissima omnium arborum "refertur dictis ipsorum Asarum" (pag. 45). "Ingruente mundi excidio, Heimdallo surgente ac tubam inflante, Diis conventum freqventantibus at Odino ad Mimerianum fontem (pro consiliis petendis) eqvitante, tremet fraxinus Ygdrasilli, sed nulla res (nec in coelo nec in terra) erit timoris expers" (pag. 72).

Dubitabit nemo, hac descriptione diligenter perlectâ, mundanam illam arborem *universæ naturæ emblema* fuisse, ex interpretatione Sculonis Thorlacii**). At tamen apud gentes boreales sacra arbor, in loco delubri ac dicasterii sita, ad qvam hierarchæ vel principes terreni conveniebant, ut Dii ad illam cælestem, iterum pro Ygdrasilli effigie fuit habita. Observavit hocce doctissimus noster Nyerupius de arbore Upsaliensi ac Urdæ fonte, qvæ ita â vetere Adami Bremensis scholiasta ***) describitur. "Prope templum est *arbor* maxima, late ramos extendens, æstate et hyeme semper virens; cujus illa generis sit, nemo scit ****). Ibi etiam est *fons*, ubi

*) *Heilagr* è nostra sententia originitus sonuit *heidlægr*, i. e. in (vel ad) æthere situs, æthereus (cælo sacer &c.). Cfr. *Heidrún* s.

**) *Antiqvitat. bor. obs. misc.* III, 54, VII, 184 & sq. cfr. *Sandal Cosmog. antiquitat primæ. lin.* I, 149. Plures infra memorabimus.

***) Ad *Adami Brem. descript. Daniæ* &c. Cap. 26. *(Lindenbrog. Script. ed. Fabricii p.* 61) cfr. *Fant script. Svec.* I, 252. *Nyerups Wörterb. der nord. Mythol.* pag. 128-129, cfr. append. pag. XIII (obs. 44) de sagarum seriore in Europa demersione.

****) Idem Edda nostra perhibet de arbore (sive stipite) dictâ *Mimameidr* q. v. Fuit forte arbor ista è fraxini genere, nam talis erat ea, qvæ olim in Gothlandia insula (certe ab ethnicismi ipsius temporibus) colebatur in colle *Bare* vel *Barebjerg*, tam hyeme qvam æstate virescere dicta. Habebatur pro sanctissima, cum incolæ ad illam, (ut pecora aberrantia vel amota reperirent &c.) ex voto numini cuidam oblationes præstiterunt. At ad gentilismi speciem removendam christiani sacerdotes in eodem loco crucem qvernam ac prægrandem erexerunt. Fraxinus illa anno 1452 evulsa fuit e satrapæ Danici mandato et ad arcem Visborg iterum plantata, ibi autem hyeme virescere cessavit, dicta tamen *Bare-Aſk* ad recentisſima tempora *(Strelow Guthil. Cronica* pag. 215). De summa plebejorum Svecicorum ad nostros usqve dies durante superstitione in sacram qvandam arborem, sepe circundatam, vid. *Pehr Kalm Veſtgötha och Bahuslänska Resa* (1746) pag. 105. Qvisqve eam sepem recludere oblitus lapidibus invisibili manu projectis feriri credebatur; si segmen ejus igni injectum, omnia foci contenta magno cum fragore displodere dicebatur &c.

sacrificia paganorum solent exerceri et homo vivus immergi, qvi dum immergitur, ratum erit votum populi." Habuerunt qvoqve Saxones ethnici suam vere terrenam ac symbolicam simul Ygdrasilli imitationem. Hæc manifeste testantur verba Eginhardi (vel, ut qvidam volunt, Meginhardi; rectissime forte amborum scriptorum) apud laudatum Adamum Bremensem *). "Saxones — — cultui dæmonum dediti . . . . frondosis *arboribus fontibusqve* venerationem exhibebant. Truncum qvoqve ligni, non parvæ magnitudinis in altum erectum sub dio colebant, patria eum lingva *Irminsul* appellantes, qvod latine dicitur universalis columna" &c. De arbore Hassorum sacra, Jovis habitaculo, a Bonifacio excisa, plura infra adferemus. Nomen illud Scandinavis olim verisimiliter audiit *Iörmunsúla*. Tandem Lappones, qvi rituum gentilium Scandinavicorum multos receperunt (ut posterius christianos) ad nostrum ævum usqve erigere solebant summo Deo ingentem *arborem*, "ut mundum eâ sustineret" e relatione Kildalii. At e narratione Jessenii repræsentabant ii universi Deum erectâ arbore, eo tamen modo ut ipsius radix, caput simulacri repræsentans, inverso ordine deorsum, truncus vero, pedes cum reliqvis partibus referens, sursum spectaverit **). Innuerunt certe hoc singulari ritu celsissimum illud cæli numen radices terreni mundi (unde omnibus telluris entibus communis fuit origo) in principio posuisse. Ejusdem indolis ac illam Svecicam, Saxonicam & Finno-Lapponicam arborem opinamur sacras istas esse, qvas sitas fuisse scimus ad delubra & dicasteria plurium Germanicarum gentium e. gr. Frisiorum ad locum inde dictum *Upstallsboom* (Upsaliæ qvoqve nomen ac omen *in memoriam revocantem*) ac permultas alias; Borussorum Romovensem qvercum (ac plures Lettorum & Slavorum); sanctas Celtarum, Græcorum & pl. qvercus, (ut famosissimam illam Dodonensem vel Bodonensem); varias Persarum, Indorum ac plurium orientis populorum, qvæ omnia alibi prolixe exponere tentavimus ***).

*) *Hist. ecclesiast.* I, 6. Addit in fine de superstitione Saxonum s. "qvam adhuc Slavi & Sveones ritu paganico servare videntur." Videas alioqvin artic: *Iörmungrund.*

**) *Kildal om Lappernes Tro (Skand. Selsk. Skrifter* pro 1807); *Jessens Afhandling* &c. l. c. pag. 48. Hæc repræsentatio mire convenit Indorum alii de radice mundi (ut apparenter sacræ ficus indicæ) superne in Deo fundatâ.

***) Conjecit satis probabiliter laudatus Mone (l. c. II, 87) qvod arbor insignis Dithmarsiæ, ad pagum *Süder-Heidstedt* sita, originitus Ygdrasillum symbolice repræsentasset. E descriptione Boltenii *(Dithmars. Gesch.* pag. 269) steterat in ampla areâ, fossa cincta, ea traditione (uti Upsaliensis Svecorum & Romovensis Borussorum) celebrata, qvod viridem suum colorem tam hyeme qvam æstate durante retineret. Dithmarsiâ exterorum principum imperio subactâ arefacta evasisse *refertur*, at nihilominus è vetusto vaticinio pica qvædam in eâ nidulans, qvinqve candidos pullos excludet, qvo tamen omine priscæ libertatis instans recuperatio Dith-

Symbolicæ Ygdrasilli fabulæ allegoricam significationem indagarunt plures seculi 17^mi^ mythologi, ut Gudmundus Andreæ ac plures, at noſtris diebus (præter laudatos viros Thorlacium & Sandalum) multi alii. Primus omnium mythi illius prolixiorem explanationem confecit celeberrimus Graeterus *). At sententias de re eadem varias posterius protulerunt viri docti ac ingeniosi: Grundtvig (Danus) Trautvetter, Mone & Steckling (Germani), Ling (Svecus) & pl. qvas hic repetere non vacat. Graeteri explicationi nos aliam ita plerumqve superinstruximus, ut plures fabulæ circumstantias illustrare conaremur, cujus tamen ſundamentis proponendis spatium non vacat; accepi autem Ygdrasillum pro mundo nostro sub arboris formâ repræsentato; media ejus stirps, in Hvergelmere (infimo abysso ac materiei qvasi subterraneo fonte) fundata, orbem terrestrem sustinet ac ita simul transgreditur, ut excrescat per montem Deorum in mundi medio (Asgardiam, Caucasum, Borz, &c. dictum) unde rami ejus (variæ coeli aut ætheris plagæ aut circuli) per totum mundum extenduntur; folia eorum sunt nubes, fruges astrorum ſulgentes orbiculi; hinc ros & pluviæ super tellurem effunduntur, ortæ tamèn in fonte, lacu aut mari Urdæ (Uraniæ, *Arʼdui-Sur*) i. e. æthere v. aëre **), qvæ aqva a Nornis (sive Parcis) qvotidie hauri-

marsiis præsagitur. Hæc olim gentilis superstitio ad magni mundani anni exitum ac reversionem verisimiliter fuit aptata. Cfr. artic. *Skadi* s. de picæ inter boreales superstitiosa veneratione. Observavit ingeniosissimus *Jonge* morem eum rusticis Daniæ adhuc esse receptum, qvod cujusvis pagi coloni, apud certam qvandam arborem, ad publica negotia dirimenda congregentur, sedes lapideas sibi ibidem designatas habentes; at ad talia comitia evocantur cornu senioris, ut Heimdallus olim Deorum concilium ad Ygdrasillum simili modo convocavit. Morem ipsum Asiaticæ esse ac vetustissimæ qvidem originis et adhuc Buddhistis Taprobanes esse familiarem, alibi probare tentavimus. Hinc majales, æstivæ Jolenses ac aliæ Europæorum arbores, qvæ jam non repetere vacat. Sufficiat annotare qvod in Svecia et alibi ad nostros usqve dies tales festivæ arbores variarum avium ac animalium figuris (ut ipsa olim Ygdrasillus) ornari soluerint. Cfr. *Vidofnir* s.

*) *Nordische Blumen* 1789 (in disqvisitione de Nornis) pag. 42 & sq.

**) Cælesti nimirum fonte, flumine vel aqvis, omnium fere populorum, qvæ tellurem frugiferam ac hominibus et aliis animantibus habitabilem reddunt. — Urdæ fontem pro ingenuo cælesti accepit etiam poëta Eilifus, gentilis Thori Dei encomiastes, qvi postea sacris Christianis imbutus Christum summis laudibus evexit. En earum fragmentum in Skalda l. c. (pag. 168) nobis servatum:

Setbergs qveda sitia
Sunnr at Urdar-brunni,
Sva hefir ramr Konungr remdan
Rôms banda sik lavndum.

o: Dicunt eum fixâ rupi sedere
Meridiem versus ad Urdæ fontem

tur at stirpi ac ramis Ygdrasilli infunditur, ne qvid detrimenti capiat mundana hæcce arbos. Ipsa Urdæ fontis scaturigo (ac altera lateralis aut polaris Ygdrasilli stirps aut principalis ramus) in meridie est sita, qvum solis lux ac calor inde largissime tellurem foveant (cfr. *Urdarbrunnr* s.) — at Mimeri i. e. Oceani fons (cum tertia, vel secunda laterali sive polari stirpe) ad septentrionem, cum marinæ aqvæ scatebra, Elivagis ac Hvergelmeri certo modo unita, ibi putaretur emitti; vid. *Mímir* s. In Hvergelmere ipso latent multi dracones sive angves, radices Yggdrasilli mordendo terentes i. e. vulcanii ac alii violenti torrentes, qvæ telluris fundamenta paullatim consumere vel destruere conantur. Eodem modo cuncta Ygdrasilli animalia allegoricam indolem produnt. *Aqvila* est *aëris* notissimum symbolum *), *accipiter* autem *ætheris* **) at qvatuor *cervi* tot *ventorum* cardinalium, qvi Ygdrasilli aëreos ramos vel nubila folia terunt ***). *Sciurus*, qvantum scio, nostræ mythologiæ est peculiaris ac explicatu difficilior; puto tamen eum denotare vaporum conglobationes, qvæ vento actæ sciuri more prosilire ac desilire videntur, ut qvidem e summo aëre profundissima petant; sunt præterea æstatis tempore fusco colore at hyeme cano vel albicante præditæ, qvod sciuri borealis ac præsertim Norvegici naturæ ad ungvem convenit. Sic mythicus ille sciurus aqvilæ (i. e. aëris alati genii) effata vel effecta *(arnar ord* ****) oceani ac imi

---

Sic fortis Romæ numinum princeps
Amplissima ditione potitus est.

Ad hæc Sculo Thorlacius (Antiqv. boreal. Obs. misc. VII, 183): "Sedem Christi in coelo australi a sublimitate loci vocat poëta: vel qvod fatalem illum fontem e rupe coelesti scaturire sibi persvasum habuerant boreales ethnici. Hic Dii qvotidie sua exercent judicia, adeo ut locus *Areopagus coelestis* dici mereatur. — — — Sacerrimum hunc in coelo locum vel hominibus maxime venerandum, in qvo qvippe omnia hominum bene vel male facta a Diis dijudicantur, et unde mundani eventus omnes, sive læti sive tristes, attemperati in regiones sublunares ex mente veterum dimanant, Christo poëta, prius ethnicus nunc christianus, sedem assignavit, antiqva novis commiscens. — — — Divos hic intelligit poëta *Angelos* et *Sanctos*, qvos suo tempore Roma papalis venerabatur; horum principem sive Regem Christum appellat." Skalda hunc Eilifum (l. c.) pervetustis poetis adnumerat; is verisimiliter fuit inter primos Norvegos ad Christianismum conversos.

*) Aliud tale aqvilinum aëris symbolum sibi adsciscit mythologia nostra in gigante tempestatum effectore. Vid. *Hræsvelgr* s.

**) Hic noster allegoricus accipiter dicitur *Vedurfölnir* vel *Vedurfölgnir* i. e. tempestates abscondens (qvum æther a ventis sit immunis). Cfr. *Hábrók* s.

***) Nomina eorum tam ad ventos (vel aëris motus) tranqvillos & placidos, qvam ad tonantes & violentos alludunt.

****) *Ord* originitus significat effectum, eventum, factum à *verda (ordiun)* evenire, fieri; — ita qvoqve Germanicum *Wort* a verbo *Werden (ge-worden)* &c. Cfr. *Urdur* s. Simili modo verbum *segia* derivari videtur a nostro *siga* delabi, unde aliud *sigia, sia* filtrare, cribare &c.

abyssi angvinis incolis adfert. In eundem modum *cygni* primarii duo, in Urdæ fonte nati vel enutriti, accipiendi forte sunt pro *sole* & *luna;* nam cygni alioqvin, ut lucis præstantissimæ aves, sacrati fuerunt Apollini (ut Solis) ac Dianæ (ut Lunæ) numini. Cfr. *Urdur s.*

Exteras gentes mundum simili modo sub arboris forma allegorice repræsentavisse, dubio sane caret. Hnc pertinent Pherecydis ac plurium Græcorum mundanæ arbores, ut alii observarunt. At tamen inter Indos (ut alioqvin sæpissime) plurimas ac nostro cognatissimas talis mythi variationes reperimus. Sunt qvoqve certæ terrenæ arbores (Brahmanis qvidem *ficus indica* at Buddhistis *ficus relligiosa*) ad *) fluenta sacra freqventer sitæ, mythicæ illius visibilia emblemata ac conventibus tam relligiosis qvam judicialibus celebratæ. At variæ descriptiones ac imagines allegoricæ illius universi columnæ Indorum de ea sententias luculentissime monstrant. Qvædam tribus stirpibus consistentem hanc mythicam arborem repræsentant — at aliæ eandem innuunt omnes mundos & ipsum summum cælum sustinere, qvamvis stirps inferius flammis ac torrentibus circumdetur, & immanis draco, subtus in abysso positus, ovum mundanum (ut totius veram matricem) corrodendo terat **). Hæc Ygdrasilli fabulæ arcte convenire, qvivis facile videbit. Persarum veterum sacri libri montem mundi centralem, iis *Borz* at nobis Caucasum (aut Indicum aut proprie sic dictum), dicunt arboris instar ita excrevisse ut radices ejus tellurem sustineaut, qvamvis Arimanes, infernalis draco, eam continue evertere conetur.

Sic ambo illa vocabula auctori fabulæ vel carminis ænigmatico tenore ac etymologiæ respectu prolata fuisse opinor. Cfr. alioqvin regii Hebræorum vatis poëticas hasce dictiones (Ps. CXLVII, 15-18). "Qvo emittente *sermonem* suum in terras qvam celerrime excurrit *verbum* ejus; qvi edit *nivem* sicut lanam, *pruinam* qvasi cinerem dispergit; Dejicit *gelu* suum tanqvam frusta; coram *frigore* ejus qvis consistat? Emittens *verbum* suum liqvefacit ista: simul ac efflat *ventum* suum effluunt aqvæ." Jovis Græci *aqvila* fulmen ungulis tenet at Ygdrasilli *aqvila* tonantes fulminis Runas, a sciuro illo vaporifero suo tempore promovendas. Liceat has nostras conjecturas adferre, salvo lectoris judicio.

*) Hæc arbor a Brahmanis qvoqve pro sacra habetur (ut Vishnu dicata); celebrantur sub ea relligiosi conventus ac solennes nuptiæ. Dicunt autem eandem arborem cum alia, Sivæ sacratâ, matrimonio jungi &c. Illius nomen *Ashvata* cum nostro *Askvidr (Askved)* &c. certam habet similitudinem, at ista vix in Europa exsistit. (Vid. *Dubois Moeurs* &c. *des peuples d'Inde* I, 452). Hæc a Buddhistis vocatur Dei vel Buddhæ arbor &c.

**) *N. Müller: Glauben, Wissen und Kunst der alten Hindus* I, 579 Tab. II. fig. 19 & 44: "Mundus universus est Brahmæ forma, similis arbori tres stirpes habenti; qvinqve elementa sunt ejus rami, qvorum folia perpetuo moventur at radix ejus [uti ficus indicæ, universi symboli], superne in Brahma est fundata" *Oupnekhat* I, 338 II, 118 (cfr. 123) *Görres Asiat. Mythen-Gesch.* I, 72, 81, 83. Plura Indica huc pertinentia spatium admittere vetat.

Restat nominis explicatio, qvæ in Gloss. T. I duobus modis instruenda proponitur aut a) ut pluviam trahens vel adtrahens — proprie, ut puto, â noſtro Ý in compositis, iterum a *τω ὑr* (pluvia, humor) derivato, unde *Yg* vel *Ygg* posterius factum — & verbo *draga* trahere, ferre — aut b) vehiculum, jumentum vel eqvus Odini (ut primum conjecit Gudmundus Andreæ) *) qvum coelum ipsum arbor illa portaret vel sustineret. At Gudmundus Magnæus maluit respicere *Hava M.* 141 ubi ex arbore se suspensum fuisse Odinus profitetur (qvo forte certa ejus adscititia nomina spectant, ut *hánga-god* & pl.). Hæc conjectura sane est plausibilis, at magis generaliter illam denominationem respicere putamus ad illud mundi arboreum columen ut cæli verum sustentaculum. Eqvi denotationem ita præfert Sculo Thorlacius: **). "Hoc nomine Dei in qvaslibet res mundanas imperium, qvas, non secus ac eqves eqvum, regit, subigit, adgubernat, significatum voluerunt; qvo omnipræsentia, omnipotentia & providentia Dei haud latenter innuitur &c." ***). Originariam *sustentaculi* significationem hac tamen præferimus — ac sic qvoqve variis modis allegorica Ygdrasilli fabula exteris similis tenoris optime convenire videtur. Sic e. gr. apud Lettos & Borussos deorum principaliumi magines fuerunt sacris arboribus impositæ ****) ut hæ illos ferrent vel gestarent, ac sic qvoqve Indi Brachmanes sanctissimam suam arborem Vishnuo at Buddhistæ Buddhæ dedicant. Ut olim ê qvercus Bodoneæ apice Jovis edebantur oracula, sic etiam fingebatur Jupiter qvercum qvandam alatam adornasse pallio (vel linteo velo) in qvo ipse varie distinxerat tellurem ac oceanum et oceani

*) A *τω Yggr* freqvente nomine Odini (de qvo infra) & *drasill, dravsull* portans, trahens o: jumentum, eqvus.

**) *Antiqvitat. boreal. Obs. misc.* VII, 185.

***) Ygdrasillo (ita explicato) suo tempore (l. c.) ingeniosissimus Georgius Sorterup, Danus, peculiarem significationem addixit, nimirum tabellæ alicujus chronologicæ vel calendariæ, — cujus aut similium denominationum reliqvias se reperiisse putavit in pluribus vulgi Danici vocabulis, ejus tempore usitatis e. gr. *Jule-Hors* (eqvus Jolensis) i. e. asser qvidam, cui incidere solebant famosas notas, dictas *Jule-Mærker*, qvæ duodecim anni seqventis menses ac futura eorum eventa indicabant; *Byes Hors* vel *Hest* (pagi eqvus) baculus certis scissuris signatus, qvibus certa debita opera singulis incolis indicebantur & pl. Mimime absurda ea conjectura (qvod calendariis baculis illud nomen olim fuerit inditum) cum Odinus ut totius anni Deus, annum revera significare potuit; qvæ autem calendario appellatio melius convenit qvam *anni portitoris?* Sic forte Ygdrasillus mundi ac anni temporalis revolutionis symbolum evasit, qvamvis spatium mundanum primum fabula respexerit.

****) Bonifacius dicitur Gesmeriæ (aut Geismariæ Hassorum) evertisse arborem *miræ* magnitudinis cum Jovis (*Thori* vel Odini) imagine aut dæmonio, in ea adorato. (Vita Bonifacii; *Dorow Denkmäler alter Sprache und Kunst* I, 70). Lignum arboris ejusdem excisæ templi christiani (sancto Petri dedicati) structuræ fuit adhibitum.

structuras (vel habitacula). At mundo nostro post ejus destructionem restaurato Buddhistæ dicunt Buddhæ pallium adornare summam (ac mediam) telluris arborem, pulcherrime florescentem, qvâ cælestes genii vecti ad terram descendunt*). Cur boreales nostri atavi fraxinum pro macrocosmi, ut alioqvin pro hominis sive microcosmi symbolo acceperint (cfr. *Askr* s.) demonstrare tentavi in alia ac magis prolixa totius hujus mythi expositione**).

Ultimo loco notandum est qvod cælum sive aër dici videatur *ỳvidur* (rectius scribendum *ỳvidr*) i. e. pluvialis arbor vel sylva, â themate supra memorato, in Vaticinio Valæ str. 2, ubi de novem mundis agitur & novem cælis (vel aeriis regionibus) aut mundi cujusvis tegmine. Hæc denominatio ex Ygdrasilli dicta fabulâ sumta esse videtur (nisi potius sit legendum *ívidi* s. *ỳvidi*, vastæ pluviæ vel vaporum regiones i. e. atmosphæræ, aërea cæla). — Est tandem vero non absimile qvod nostra hæcce mundanæ arboris repræsentatio eandem habeat originem cum similibus Indorum, qvi in qvovis mundo centralem qvandam fingunt arborem, immani magnitudine præditam ac in monte altissimo stantem, ubi Dii suos celebrant solennes conventus ***). Hinc qvoqve Sinensium, Mongolorum, Tibetanorum, Calmuckorum & pl. similes fabulæ, qvas hic non exponere vacat****). Cfr. alioqvin

*) *Pherecydis Syrii fragmenta edid. F. G. Sturz* pag. 51. Cfr. *Clemens Alexandrin. Strom. Lib.* 6. *Davy Account of the interior of Ceylon* pag. 204.

**) *Eddalæren og dens Oprindelse* II, 134 & sq. 141 & sq. IV, 538-539. De summa ac partim superstitiosa hujus arboris veneratione, ad nostros usqve dies durante inter Danos, Norvegos Germanos & Britannos vid. II, 65 182, IV, 537-38. Hæ tamen potisfime videntur alludere ad mythum borealem de hominis creatione ê fraxino. Sic e, gr. Germani fraxini lignum miro modo hominis vulnera sanare putarunt (*Zincke oeconom. Lex.* I, 672). Infante nato obstetrix Scotiæ montanæ viridis fraxinira musculum igni immittit; succum inde emanantem ista deinde ori infundit infantis, ut primum ejus nutrimentum. Alii Britanni vires fraxino supernaturales in morbis (præsertim infantum) sanandis adscribunt. Ad oppidum *Kennethy* (in provincia Leinster Hiberniæ) stat fraxinus magnitudine insignis. Qvum funus celebratur, plebeji, exseqvias freqventantes, loculum ad dictam arborem demittunt, at factâ brevi oratione ac lapide super fraxini radices deposito, ad sepulcrum inde auferunt. Num tales superstitiones Britanni ac Hiberni antiqvitus foverint, vel a Scandinavis ethnicis, in eorum terris degentibus, didicerint, nos penitus ignorare fatemur. (Vid. *Sylvan Sketches; Literary Gazette, Lond.* 1825). Qvod Anglo-Saxones qvoqve hominem ê fraxino creatum esse crediderint, supra observavimus ad artic. *Askr*. Græci (secundum Hesychium) hominem vocarunt *μηλιας καρπος* (fraxini fructum); adde notum eorum proverbium: arbores homines (*ὕλαι ανθρωποι*) &c., cfr. *Embla* s.

***) Eodem modo Indi montani & Ceylonenses Buddhistæ ad certas arbores, lapideis sedibus (boreali more) cinctas, adhuc congregari solent. Talem qvoqve morem Caucasi incolis qvondam usitatum fuisse monumenta adhuc existentia monstrant.

****) Sacra nostra Biblia variis locis ad tales orientales figuras alludere videntur e. gr. *Ezechiel.* XXXI, 10-16, *Daniel.* IV, 10 & sq. Apocalyps. XXI, 22. Cfr. Gen. II, 19. Jobi XXVI, 11

artic. *Lærâdr*, *Mímameidr* & pl. it. *Yggr* i.

Yggiongr, *Yggiúngr* nomen Odini adscitium *VSpá* 26; *Hr. G.* 18. Ejusdem significationis ac derivationis ut *Yggr* i.

Yggr nomen adscitium, freqventer occurrens, ut *Vafþ. M.* 5, *Gr M.* 52, 53. *Hym. Qv.* 2, *Hr. G.* 17, *Vegt. Qv.* 8, S. II *β* 43. Est verisimiliter derivandum a verbo *yggia* a) curare, attentum esse, meditari, b) suspicere, timere (qvo sensu accepto vox reddenda: *metuendus, terribilis* — nisi illud *meditabundus* præferendum esset). Ultimo sensu id accepisse videtur Haraldus Sigurdinus, Norvegiæ Rex, vocans poësin *Yggslid* (Yggi vel Odini potum). Vid. *Olafsen Nord. gamle Digtekunst* pag. 145. Cfr. *Ódinn* s.

Ylgr, *Ylgur* (æstuans vel ululans) amnis terrestris, ad orcum tamen delabens *Gr. M.* 28. Enumeratur in Edda juniore (pag. 4) inter fluvios Niflheimenses vel infernales. Vid. Gloss. T. I. Cfr. verbum *ýla* (Dan. *hyle*, Germ. *heulen*, Angl. *yawl* &c.) ululare.

Ýmir, *Ymer*, *Ímir* (ens allegoricum borealis mythologiæ, Chaos primitivum giganteâ formâ repræsentans); — is initio seculorum habitavit in spatio posterius mundano, tum rerum organicarum vacuo, cum nec existeret cælum nec terra, cum suis vegetabilibus, maribus vel aqvis, priusqvam Boris filii solem, lunam & astra nostro orbi admoverent. *VSpá* 3 sq. Ymer alio nomine vocatur *Aurgelmer* (luteus, aqvosus aut humidus senex &c.) vel *Örgemler* (perantiqvus), hoc qvidem modo procreatus: prosiluerunt ex Elivagis (inferni fluviis) guttæ venenosæ (ɔ: frigidissimæ), qvæ succrescebant, donec fieret inde gigas; scintillis vero projectis ex australi plagâ, calor (vel ignis) dedit pruinæ vitam. Nullius mulieris amoribus fruebatur gigas ille, at tamen sub ejus alâ (axillâ vel brachio) ferunt puellam & filium (marem & fæminam) junctim (evenisse); sapientis (vel prolifici) Titanis pes cum pede sibi genuit, (vel suscepit) capitatum filium *). Hic puer *Þrúdgemlir* (i. e. fortis senex) est appellatus, ejus filius erat Bergelmer (montanus vel petræus senecio) qvi qvidem nascebatur innumeris annis priusqvam terra conderetur *Vafþr. M.* 28-35. Cfr. *Berggemlir*, *Örgemlir*. Hæc ipse Odinus (partim Grimnero, partim Vafthrudnero) recitavit: "Est terra creata ex Ymeris carne, mare ex ejus sangvine, saxa ex ossibus, vegetabilia ex capillis, coelum ex cranio at Midgardus ex ejus ciliis (vid.

---

it. Josuæ XXIV, 26. Hinc certe ortæ sunt Rabbinorum Muhamedanorum & pl. fictiones de immani ac centrali paradisi arbore &c. Amplius hæc omnia disqvisiimus: *Eddalæren o. d. O.* I, 13-16, 26, 112 & sq. it. 179, II, 120-198. De symbolicis Ygdrasilli & Urdini fontis animalibus vid. ibid. pag. 267-293.

*) Textus verba in hunc ordinem redigimus: *fótr gat vid fóti sér havsdadann son.* Unus codex habet: *sexh. son* ɔ: filium sex capitibus præditum.

Midgardr s.); ex ipsius cerebro nubes omnes, durâ indole præditæ, creatæ sunt *Gr. M.* 40, *Vaſþr. M.* 20, 21. Dicuntur omnes gigantes (Jotni) ex Ymere orti vel propagati esſe *Hyndl. L.* 31. Vocatur *Brimir* vel *Brímir* (i. e. æstuosus) e cujus sangvine et lividis osſibus (i. e. aqvâ et lapidibus) Dvergi sunt creati *V.Spá.* 9 (Obs. 19). Cfr. *Brímir, Dvergar* s. Dicitur Ymer vel Aurgemler antiqvior esſe omnibus Asis & cunctâ Ymerianâ familiâ *Vaſþr. M.* 28 (cfr. 29). Videtur appellari *Heiddraupnir*, ê cujus capite liqvor stillaverat, ê qvo Hroptus (Odinus) primum excogitavit Runas (ideas vel figuras) ingeniosas *(Hug - rúnir)*; hic enim, creatione peractâ, flammeo ense (Brimero dicto) instructus et galeâ tectus in monte (cælesti) sublimis stetit, qvum Mimeri caput*) prima omnium philosophemata & vera dicta protulit. B. I, 13-14 & sq.

Eddæ junioris relatio de chaotici mundi formatione lectori communicavimus ad artic. *Ginnúnga-gap, Elivagar, Hvergelmir, Muspell, Surtr* & pl. Hæ autem, ut iis illæ continuentur, Ymerum proprie attingunt (pag. 4): "Cum pruinæ (Niflheimensi vel Elivagensi) aura caloris occurreret, liqvefacta est illa et in guttas resoluta. Tum ex mobilibus — seu vitalibus — guttis, virtute ejus qvi calorem admisit [Surti nimirum] facta est forma humana. Vir [vel Titan] inde existens [vulgo] Ymer dictus est, at â Hrimthurcis [frigorificis dæmonibus] Aurgemler. Ab eo etiam Hrimthursorum gentes vel familiæ sunt ortæ, ut testatur Valæ brevius vaticinium (Hyndl. L. l. c. de Jotnis vel gigantibus, ab Ymere progeneratis). Sic qvoqve ita loqvitur Vafthrudner gigas": [seqvitur] Vaſþr. M. l. c. str. 30-31 de Aurgelmeri origine, cum additamento hocce, iis vetustioris Eddæ codicibus, qvi jam exsistunt, ignoto:

Ibi stemmata nostra,
Cuncta in unum convenerunt
Ideoqve omne semper nimis erit infestum (ɔ: mutuo controversum);

innuit autem Vafthrudner se Odino (aut

*) Aut hic idem ac Imeris vel Ymeris caput i. e. cælum astrale, aut proprium Mimeri vel Oceani i. e. hujus superficies vel summitas. Vid. supra articulos *Heiddraupnir, Mimir* — at qvoad Hoddropnerem (s.) jam priorem meam conjecturam præfero, qvod Eikthyrnerum denotet; vid. *Eikþyrnir* s. & vers. hujus Eddæ Dan. IV, 46 obs. Videtur vates, mystice satis loqvens, respexisſe oceanum ut cæli astralis ac telluris qvoqve elementorum (in prima mundi formatione) speculum, in qvod Odinus inspiciens Runas (vel ideales rerum formas) ingenio conceperit ac posterius creando perfecerit. Cfr. porro commentarium nostrum in hæc difficillima loca T. II, pag. 925-927 cujus conclusionem hic repetere liceat: "Poësis ipsa *Runis ingeniosis* (imaginariis) sive *cordialibus* efficitur; vates sonis depingit ideas, res coelestes & terrestres repræsentantes. Huc etiam referendum mirabile scriptoriæ artis inventum, cujus ope ideæ characteribus exprimuntur vel significantur. Nostro sublimiter canenti Dei poësis (ποίησις) est creatio rerum, vatis autem humani creationis, verbis composita, imitatio ac universi simul fida repræsentatio."

Jotnos Asis) esse cognatum (qvum maternus Dei jam memorati avus, Bölthorn dictus, gigas fuerit ex Ymeris stirpe); at omnes mundanæ res mixtam eandem originem adsciverunt, & simili igitur ratione in perpetua inter se contentione versantur *). "Qværit porro Gangler: Qvomodo inde stirpes junctim propagabantur (vel increverunt) aut credis tu hunc Deum esse de qvo mox locutus es? Tunc Har respondit: nullo prorsus modo nos eum Deum esse confitemur; ipse enim malus fuit et omnes ejus [alieno Asarum generi non mixti] consangvinei, qvos Hrimthursos [pruinosos gigantes vel frigorum dæmones] vocamus. Traditum autem est qvod dormiens sudore digestus fuisset unde sub ala (vel axillâ aut brachio) ejus sinistrâ **) vir cresceret ac fœmina; unumqve pedem cum altero filium genuisse; hinc stemmata dictorum Hrimthursorum prodierunt; at Ymerem illum horum antiqvissimum vocamus. Gangler iterum locutus est: Ubi habitavit Ymer, vel unde alimenta sumsit? Har respondit: proximo post hæc tempore contigit, cum pruina stillaret, ut vacca inde existeret cui nomen erat Audhumla (vel Audumbla) ***), e cujus uberis papillis qvatuor amnes lactei emanabant, e qvibus Ymer pascebatur. Mox qværit Gangler: unde vacca pastum habuit? Regerit Har: linxit lapides pruinosos, qvi salsi erant — — — (Vid. artic. *Bur* s. in nota) ****). Tunc

*) Erant Hrimthursi ex Ymere oriundi; hi in fine mundi (forsitan ê veterrimâ opinione ad Ymeris cædem ulsciscendam), sub Hrymo primario duce, contra Odinum & Asas hostiliter egredientur. Vid. *Hrymr* s. Hic (cum sociis), ut Ymer ipse (Vafþr. 21) dicitur gigas pruinâ frigidus, idem nomen certe gestavit ac demeruit.

**) Sic e sinistro Indici gigantis vel tyranni (Venæ dicti) brachio, prosiliit puer similis indolis (*Moor Hindu Pantheon* pag. 111) et alius e Brahmæ maximo dextri pedis digito (*Dorow morgenl. Alterth.* II, 94).

***) Nomen hocce, qvod telluris chaoticæ vel aqvaticæ materiei atmosphæram primitivam e nostra opinione denotat, verisimiliter scribi deberet *Aud-húmla* i. e. in vacuis tenebris degens sive versans (ab *audr* vacuus et *húm* tenebræ, aër nocturnus vel obscurus). Vacca hæcce a gentilibus Scandinavis pro primaria mundi nutrice ac certo modo pro divini ac humani generis auctrice est habita, unde vaccæ in vetusto septentrione maxima veneratio ac divinus interdum cultus facile derivantur. Hinc qvoqve vaccæ Herthæ sive Telluri sacræ. Apud exteros tauri cultus ad cæleste hocce zodiaci signum adplicabatur, non sine aliqva cum nostris mythis & opinionibus cohærentia. Hæc omnia et plura huc pertinentia tentavimus explicare & cum fabulis ac placitis Thracum, Persarum, Indorum, Aegyptiorum & pl. comparare: *Eddalæren o. d. O.* I, 307. Hoc respectu maxime notabilis est harmonia vocabulorum Sanscriticorum & Gotho-Germanicorum, qvæ bovem, vaccam, vitulum &c. significant. Vid. ex. gr. Glosſ. T. II, 691, 702, 759.

****) Qvo modo mythi nostratium de Burio & Bore variis modis conveniant Germanorum, Thracum, Indorum & pl. vetustis traditionibus & institutionibus, monstrare conati sumus: Eddalæren o. d. O. I, 308-333.

dixit Ganglerus: qvomodo pacificatio inter eos reconciliativa postea cesſit *)? aut qvinam illorum potentiores evaserunt? Har respondet: Filii Boris Ymerem gigantem occiderunt; qvi cum caderet, tanta e vulneribus ejus copia sangvinis emanavit, ut totam gentem Hrimthursorum suffocaret, excepto uno .. [vid. *Bergelmir* s. qvi cum muliere simul servata propater novorum stemmatum posterius factus est].... Ganglerus iterum: qvid tanti allaborarunt Boris filii ut eos credas Deos esſe? Har regesſit: non eqvidem res exiguæ de illis sunt narrandæ, nam ipsi Ymerum, (dum vita privarunt) in medium (Chaos) Ginnunga-gap vexerunt et ex illo tellurem condiderunt, atqve ex sangvine ejus fecerunt maria et aqvas (flumina ac lacus), e carne terram, ex osſibus saxa grandiora et contigua, at e dentibus, maxillis et osſium comminutis fragmentis lapides reliqvos & saxeta. Addit Jafnhar: ex sangvine, qvi vulneribus emanavit, mare seu oceanum, qvo tota cingitur terra **) effecerunt, tellurem simul condensantes (vel componentes) ac illo, annuli instar, eam circundantes; at iste oceanus plerisqve hominibus transnavigando impervius videbitur. Tunc Thridius: illi qvoqve ex capite ejus cælum formarunt, qvod supra cælum collocarunt, at ejus qvatuor extremitatibus (vel unicuiqve cardinali angulo sive plagæ) Dvergum supposuerunt (vid. *Austri, Vestri, Nordri, Sudri).* His peractis præhenderunt candentes globulos vel scintillas, e mundo Muspelliano ejectas, illas scilicet qvæ sine certis motionis legibus vagabantur, atqve in cælum tam superne qvam inferne, ut id ac terram illuminarent imposuerunt; præterea vagis omnibus coruscationibus (i. e. ignibus aut meteoris ignitis) certum locum ac motum asſignabant. Sic enim in antiqvæ sapientiæ (vel doctrinæ) monumentis traditum est, qvod deinde nycthemera & annorum series discretæ fuerint, ut exempli gratia in vaticinio Valæ relatum est: (seqvitur ejus str. 5 dimidia pars).... Hæc facta sunt, anteqvam terra præsentem suum statum obtinuit. Tum Ganglerus: magnæ eqvidem res sunt qvas jam audio. Machina illa profecto mirabiliter magna est et artificiose elaborata. Sed qvali forma tellus jam prædita? Har seqvens reddidit responsum: est extrinsecus rotunda, profundo illo pelago forinsecus circumdata, at ad eandem mari-

*) Hæc qvæstio innuit præcedentem aliqvam relationem de bello sive disſidiis, ac seqventi pacificatione inter Ymerem (vel Ymerianos) & Boris filios, qvæ jam nobis deest.

**) Conferri meret denominatio oceani hujus: *hafit rauda* (mare rubrum), omnes cognitas regiones cingens, in singulari formulâ vetustâ, inserta legi reipublicæ Islandiæ *Grágás* dicta (editionis Havniensis, jam sub prelo sudantis II, 166). Huc forte pertinent variæ denominationes oceani polaris ex intestinis petita, ut Anglicum: *mare pulmonum* (Baconis tempore) & *mare hepaticum*, apud scholiastem Adami Bremensis. Cfr. *Adelung Gesch. der Deutschen* pag. 82.

nam oram stemmatibus giganteis dederunt regiones inhabitandas; at intrinsecus in terrâ urbem condiderunt orbi circundatam, ob hostilem gigantum invasionem, pro cujus materia usi sunt Ymeris Titanis superciliis. Hi qvoqve e cerebro ejus, in aëra projecto, nubes effecerunt"; (seqvitur *Gr. M.* 40).

Adserit Skalda has poëticas appellationes veterum poëtarum regulis ac usui convenire: (pag. 122) coelum: cranium aut caput*) Ymeris vel simpliciter: gigantis; (pag. 123) terra: Y. caro; (pag. 124) oceanus: Y. sangvis. In rei testimonium adferuntur exempla ê poëmatibus Ormi Bareyensis & Arnori Jarlaskaldi, qvibus multa addi posſent**). His convenit particula Skaldæ inedita addens nubes dici Ymeris cerebrum & adferens loca memorata carminis Grimneriani insignia, lectionibus singulariter variantibus, ut *sára-sveita* (vulnerum sudore) pro simplici *sveita* poët. sangvine sed alioqvin sudore)***) & de nubibus *hrídfelldu* (procellosæ) pro vulgari *hard-feldo*. Hæc & alia monstrant multos libros olim exstitisſe, antiqvioris Eddæ carmina continentes, qvamvis vetusti nobis pauci tantum supersint****).

---

*) Hinc verisimiliter (ê celeb. Graeteri ingeniosa conjecturâ) vetus germanica astrorum (vel originitus coeli astralis?) denominatio *Hirnstal.* (*Idunna und Hermode* 1816 pag. 70).

**) E. gr hæc Egilli Skallagrimei (cum de naufragio filii canit):

Lastalauss / *Jötuns háls*
Er lifnadi, / *Undir þiðta,*
Á nöckvers / *Náins nidur*
Nöckvadragi, / *Fyri naustdyrum*

ɔ: "Infra naustibuli ostium propinqvi (mei), qvi inculpata fruebatur adolescentiâ, jam funebris navigii carinæ impositi, gigantis [Jotuni ɔ: Ymeris] juguli vulnera flatuose sonant" (*Eigla* l. c. pag. 610-12). Loqvitur Egillus de filio juveni, funebri navigio vel loculo avi Skallagrimi indito, ad ipsam maris (qvo perierat) extimam oram. Vid. ibid. pag. 399, 601, 637. Ast b. Gudmundus Magnæus, has circumstantias non respiciens, priorem strophæ partem de Ymere accepit ac ita transtulit; "Inculpatus qvi vixit sine ullius navigii impulsu, ejus" (gigantis &c. — verba *á nöckvers* mutans pro lubitu: *án nackvars* &c.). Addidit ipse translator hanc notulam: "Odinus sane aliud testimonium de Ymero perhibet."

***) Sic qvoqve *A.S. Svete, Svate* tam sangvinem qvam sudorem denotant. Ac insuper in Norvegia boreali *Sveite* ambas habet significationes, uti etiam *Schweiss* in venatoria Germanorum lingvâ sangvinem ferarum indicat, et tandem (ni fallor) *Sveed* inter Dauicos venatores &c. Cfr. Gl. T. II ubi vox ipsa (licet dialecticæ variationi subjecta) lingvis Gothogermanicis, Caucasiis, Sancriticæ & pl. antiqvitus communis esſe monstratur. Adde Svec. *Svett* (sudor).

****) Post illam Ymeris transformationem terram ipsam animantibus adnumerasse videntur atavi nostri, ut antea monstravimus ad artic. *Jörd* s. at ea alio modo sæpissime tamen ut Cæli (Odini) uxor sed deorum & hominum mater culta fuit, sub nominibus Hertha, Frigga ac pluribus proprie mythologicis. Hoc non mirum ethnico ævo, at Londini anno p. C. n. 1684 prodiit liber, dictus *Anatomia Telluris*, qvo auctor serio demonstrat Terram, post irregulare

Ymerem nostratibus primum Chaos vel indigestam mundi molem denotare, per se satis manifestum est. Hrimthursi, ejus proprii filii, sunt lethiferi frigoris ac inertis materiei dæmones, qvibus adnumerandi sunt omnes mali i. e. telluris ferilitati noxii dæmones. Hi generaliter sæpe gigantes *(Jötnar)* audiunt qvi deserta terræ extima sterilia, glacialia ac montana (Utgardos dicta) præcipue inhabitant, at meliores tamen Midgardiæ (telluris) regiones in suam potestatem redigere continue tentant, beatas hominum sedes hyemali frigore ac tenebris vexantes & Asgardiam qvoqve vel cæleste Deorum regnum validis interdum impetibus infestare audent. Hinc Ymer & ejus proprii consangvinei *mali* appellantur, ac eadem certe ratione Chaos (cum entibus cūnctis ejus indolem retinentibus) Aegyptiis ac Græcis philosophis *malum* similiter dicebatur. Ejusdem indolis philosophis Platonicis, Gnosticis & pl. fuit Hyle materia, mortis principium, qvæ eotenus cum Hela nostra (giganteo certe ente) comparari potest.

Fabulas borealium de Ymere Titanibus ac gigantibus primariis et eorum bello cum Diis melioribus, lucis ac vitæ principiis, prolixe explicare & earum nexum vel convenientiam cum multis exterarum gentium demonstrare alibi sumus conati, ac lectorem, si tanti est, ad has disqvisitiones ablegare posſumus*). Liceat tamen pauca talia momenta huc adferre. Apud Græcos Cronos (vel Saturnus) inordinatam mundi periodum significans, cum aliis Titanibus & Gigantibus ab illius filio Jove imperio mundi spoliatur et e cælo detruditur, aut sub Tartara vel infernum, aut etiam ad oras desertas oceani in ultimo borea vel in Britanniæ viçinia, flammarum eruptione, tempestatum violentia et aëris pestilitate horribiles. HicCronos a qvibusdam vinctus cum aliis dæmonibus a Briareo custodiri dicebatur**) ut Lokius Utgardensis & Geruthus (sive Geirraudus), Ymeris posteri, in vetustis borealium fabulis ad eadem littora, â Diis cælestibus similiter tractati describuntur. His in multis convenit Grendeli ac ejus consortum Anglosaxonica fabula. Ut Ymer & Chaos malæ indolis esſe dicebantur (qvæ supra amplius exposui) at Odinus nomine & omine mens fuit vel anima mundi, sic porro Græcis Jupiter mens erat vel ratio, at Cronos ipsa amentia vel irrationabilitas (*Ζευς νους*,

primum Chaos in corpus organicum digestum, immanis animalis formâ & vitâ esſe præditam, suam cutem, carnem, sangvinem &c. habentem ac suis qvoqve convulsionibus & aliis morbis subjectam.

*) *Eddalæren o. d. O.* I, 5-9, 18, 22, 24, 27, 41-48, 53, 56-57, 73, 79, 101-102, 119, 129-130, 160-161, 218-220, 248-284, 299. II, 1-25.

**) Hæc â Demetrio apud Plutarchum de defectu oraculorum notavit ac disqvisiit Robertus Jamieson: *Illustrations of northern antiqvities* pag. 293.

Κρονος ἡ αοησια και ἡ του νου συνθολωσις) *). Mittimus Græcorum varias fabulas & fictiones de Dæmogorgone, macrocosmo (humana formâ prædito) & plura, qvæ alio respectu Ymerianæ nostræ conveniunt. Observo tamen lapides Sophocli ac Aeschylo audire telluris osſa, ut nostris poëtis terræ vel Ymeris ossa.

Aegyptii variis modis repræsentabant macrocosmum ut humanâ formâ præditum; aut e. gr. 1) simpliciter ut hominem jacentem (e Plutarchi testimonio) aut 2) ut stantem, e cujus capite septem baculi, globulis ornati**), surgunt, at plantæ ac animalia ex umbilico prodeunt &c. aut 3) ut idolum, qvod (e Macrobii relatione) tale edidit oraculum: Caput meum cælum est, in æthere aures meæ &c. At simul Aegyptii Chaos pro mali omnis principio habuerunt, suam qvoqve celebrantes gigantomachiam ***), Typhonem pro nostro Ymere vel Utgardensi Lokio sumentes p. p.

Chaldæorum *Omorca* vel *Omoroca* Ymero manifeste convenit. Ens illud (e Berosi a Syncello nobis servato testimonio) chaos primarium gubernavit vel repræsentavit. Tum mundi spatium tenebris ac aqvis constitit, a monstris tantummodo giganteis inhabitatum. Omoroca illa Oceanum (primarium) significat. Eam Belus (vel Baal), summi cæli Deus, in duas partes divisit, et ex iis cælum (visibile) et tellurem formavit, at monstra illa gigantea, qvæ lucis effectus sustinere neqviebant, simul perdidit****). Rabbini Hebræi qvandam macrocosmi speciem, qvæ iis audit Adam Cadmon, suis inseruerunt fabulis.

Certis modis Persarum Abudad Ymeris ac Audumblæ unita corpora (ut omnium mundanarum rerum primas origines) repræsentare videtur, sed mutatâ fabulâ, qvum ab Arimane (abyssi principe) occisus esſe dicatur *****). Vocant alioqvin Persarum (ut Græcorum & Scandinavorum poëtæ) lapides telluris osſa. Liber *Desſatir*, certæ veterum Persarum religiosæ sectæ adscriptus, mundum cum homine (microcosmo) comparat. Dicit

*) Vid. celeberr. *Creuzeri Symbolik u. Mythol. d. a. V.* l. c. II, 439.

**) Verisimiliter septem planetæ, qvi alioqvin dicebantur ῥαβδοφοροι. Vid. *Bellermann über die Scarabæengemmen* pag. 35.

***) Hæc in Græcorum, Scandinavorum, Persarum & Indorum mythologia ejusdem indolis esſe reperitur, aut allegorice describens primam mundi creationem, elementorum dissidio effectam, aut etiam frigoris et caloris, tenebrarum & lucis, hyemis & æstatis, mortis & vitæ perennes in anni ac mundi cursu inimicitias.

****) Vid. cl. Münteri *Religion der Babylonier.* Havn. 1827, 4 pag. 38-47.

*****) Observarunt viri plures doctisſimi Iraniis ac Turaniis (Perse-Medis & Cadusiis, Sacis &c.) unam qvondam relligionem, usqve ad Zoroastricam reformationem, acceptam fuisse. — Sic Divi, primum a Persis adorati, posterius iis audiunt diaboli vel mali dæmones *(Dev)*. Hinc optime illustrantur illa Hesychii: *Δεν, Δενας τους ἀναχους θεους Μαγοι.* Cfr. *Tiſi, Týr, Sigtýr* s.

aërem esse ejus spiritum, pluviam lacrymas (ut Ymeris nostri ex Eddæ dictione) animalia ejus corporis (ut Dvergi Ymeris) vermes &c. qvæ uberiore non egent explicatione.

Indica mythologia (a multis vicinis populis recepta) macrocosmi, humanâ formâ jam vel olim prædiți, plurimas exhibet repræsentationes. Philostratus memorat vetustissimam Indorum doctrinâm de terrâ ut hermaphroditico animali, e qvo omnes creaturæ fuerint progeneratæ. At Stobæus nobis servavit Sandalis Indi relationem de statuâ macrocosmi in specu qvadam, centrali ac altissimo qvidem mundi monte*) inclusâ, sub humana formâ, (ex una parte viri at ex altera fœminæ) in qvâ totus mundus cum cælo, terra, sole, lunâ, dæmonibus & cunctis universi entibus figurate repræsentabantur. In apice statuæ Dei summi imago throno insidens cernebatur. Recentiores Indi multis modis macrocosmum illum celebrant e. gr. ut Brahmam a Diis occisum, qvi autem formabant cælum ex ejus capite (& sic reliqva naturæ præcipua elementa & phænomena) — vel etiam ut animam (vel figuram) mundi aut tandem Vishnuvium ipsum (ut Græci interdum Jovem &c.). Hic macrocosmus ab Indis interdum vocatur *Oum (Um* vel *O-ym)* primum Chaos interdum proprie indicans. Hinc Coschino-Sinensium gigas primarius *Banio*, in mundanum corpus a Diis (sive Buddha) ita transformatus, ut cranium ejus fieret coelum, oculi sol & luna, caro terra, ossa rupes & montes, crines vegetabilia &c. Hic est Sinensium *Pan-ku* (Gr. *Παν?)* in Chao originario ortus, et eodem adcurate modo, ut Ymer noster, in hodiernum mundum mutatus. Ejusdem indolis sunt Japanensium, Ceylonensium & pl. macrocosmi. Tandem Kalmuko-

*) *Imao* nimirum vel indico Caucaso, recentioribus *Himalaja* vel *Himaleh* dicto. Adhuc in eodem monte amplæ inveniuntur cavernæ cum statuis grandissimæ staturæ. Imaum Sinenses vocant telluris dorsum ac series minores montanas inde extensas: telluris arterias &c. qvibus reliqvæ terræ partes consistunt. Easdem opiniones Persæ foverunt de Caucaso (cum Imao fere continente & sæpe cum eo confuso, nisi Borz illorum originitus ipsum Imaum significaverit). At nunc pars Imai, Persis vicina, iis audiit *Divssaran* o: malorum dæmonum mons. *Imaus* (Plinii tempore) incolis *nivosum* significabat ut hodie qvoqve vicinis populis *Imus-Tag* vel *Imus-Sahr* o: nivis mons. Ejusdem etymologicæ originis sunt Indicæ montis denominationes a vocibus *Hima* (*Im*, *Ym*) vel Scand. *Hrim* frigus, gelu, nix &c. Cfr. Græc. χειμα hyems p. p. *Ymer* vel *Imer* nostratium (genit. *Imis* dat. *Imir*, ut Imaus Simensibus audit *Imaas*, *Ima* &c.) perfrigidæ fuit naturæ & omnium frigoris dæmonum propater, posterius in terram & montes transformatus. In Imai vicinia atavi nostri videntur posuisse regionem fabulosam *Ymis* vel *Imis-land*; at ex Imao ac ejus vicinia tam nostram humani generis speciem qvam ejus antiqvissimam lingvam ac mythologiam revera emigrasse opinamur. Cæteris huc pertinentibus hic non locus erit. Monemus tantum vaccam qvandam mythicam (Gangetis matricem) ac Audumblæ similem huic monti ex Indorum traditionibus adunitam esse. Vid. *Eddalæren* o. *d. O.* 1. 277-79, 294, 306.

rum epica carmina decantant maximæ cujusdam oreadis transformationem in tellurem nostram (ut sangvis ejus maria impleverit &c.) Sinensium *Yin*, *Yn* vel *Ym*, e variâ auctorum scriptione Chaos vel materiam iis notare dicitur, qvæ (ut plura Sinensis lingvæ antiqvisſima verba) qvandam cum Ymeris vel Ymi nomine convenientiam habere videntur. Cfr. *Imr* s.

Nomen *Ýmir* vel *Ímir* varii a variis nostri sermonis thematibus deduxere, ut a) *Ymr* strepitus confusus b) *Ýma*, *Íma* pugna c) *Imr* gigas (*Vaſþr. M.* 6) unde fæmin. *Imþ.*, *Imd* HQ. II, 39; (cfr. Angl. *Imp* dæmon, monstrum). d) *Ýmiss* vel *Ýmis*, *Ímis* varius. Lingius Finnicum *Yma* (oceanus) præferre maluit, simul observans gigantem qvendam ejusdem mythologiæ *Iume* vel *Ymi* appellatum fuisſe. Cfr. Glos. T. I. & *Hýmir* s. (qvi Ymir etiam interdum vocatus primi propatris nomen gestat)*) it. *Örgemlir.* i.

Ýmir vid. *Hýmir.*

Ýngvi unus Alforum, Dvergorum sive elementalium dæmorum, e Dvalini cœtu *VSpá* 14. Thema incertum est, qvamvis vocabulum explicari posſit, aut a) juvenescens aut b) juvenescere faciens a verbo *Ýngia*, qvod iterum a *τω ὑngr*; Vid. Glosſ. T. II. v. *Ungr*, *Ýngri.* De Yngvio, fabulosi Svecorum ævi monarchâ vid. Onomasticon eidem tomo annexum ac artic. *Freyr* s.

Þ.

Þeckr, *Þeckur* (Gratus, acceptus, amabilis) Odini nomen adscititium *Gr. M.* 45. Videtur convenire Buddhæ nomini qvod variis modis scribitur: *Thakur*, *Thekur*, *Thikkur* & pl. (ac *dominus* explicatur) ei ab Indicis ejus cultoribus addictum. Cfr. Gl. T. II. v. *Þeckia.*

Þeckr, *Þeccr*, *Þeckur* (gratus, acceptus, amabilis) nomen Dvergi, Alfi sive genii elementalis ê Modsogneri coetu *VSpá* 11. — Cfr. Gl. T. II. v. *Þeckia.*

Þjálfi Thori pediseqvus (forte interdum armiger) & comes adsiduus, qvem gigan-teæ mulieres in Hleseya (Daniæ insulâ, *Læssöe* jam nominata) in ſugam egerunt; *Harb. L.* 37. Memoratur Thialfii & ejus sororis Roskuæ adqvisitio, qvos scilicet liberos pater antricola (vel in saxeto habitans) irato Thoro, in damni capro ejus illati resarcitionem solvere cogebatur *Hým. Qv.* 38. Eddæ Snorronianæ prolixiorem de hoc evento relationem lectori supra communicavimus ad artic. *Röska.* In seqvente narratione de Thori Utgardensi expeditione is dicitur (pag. 50) cum jam nominatis comitibus oceanum, profundum

*) Ymir gigas qvidam, fabulosæ regionis, dictæ Ymisland, incola vel princeps, qvi celebris inter Norvegos familiæ atavus evasit, memoratur in Hervarar-Saga l. c. pag. 4.

dictum (orbem terrarum cingentem) transiisse ac transmarinum (vel Utgardense) litus conscendisse. Toto die per sylvam amplissimam ambulabant, at Thialfius hic probavit, qvod omnes homines pedum pernicitate superaret; is qvoqve manticam Thori portavit, sed commeatus (seu esca) vix illic acqviri potuit . . . (Pag. 51): Præstigiis Skrymeri, proxima nocte agitatis, Thialfius cum sorore timore perculsus esse refertur; vid. *Þórr* i. Qvomodo Thialfius, qvamvis celerrime currens, hujus artis exercitio (per illusionem Lokii Utgardensis) ab Hugio (*Hugi* i. e. animo vel mente) fuerit devictus, vid. *Hugin* s. (in notâ). De Thialfio dominum Thorum contra Hrungnerem gigantem & Mockurkalfium adjuvante vid. *Hrúngnir* s. In Thorsdrapâ, Thori expeditionem ad Geirraudi (vel Geruthi) habitacula decantante, dicitur Thialfius (l. c. pag. 116) in præaltam marginem ex alveo fluminis (Vymæ) non sine virium periculo ultro pendulus evasisse — at tamen cor ejus præ metu non pavitasse *). Thialfius ab Eilifo, gentili poeta, Roskuæ frater vocatus, iratus (vel animosus) stetisse refertur (verisimiliter in majore fragmento Thorsdrapæ alioqvin deperdito; Skálda pag. 101). Hic genius vel dæmon, fulminis Deum adsidue comitans, & a solo animo cursus celeritate devictus, verisimiliter pro vento, a tali tempestate fere inseparabili, allegorice est accipiendus **).

Fuit *Þiálfi* viri inter Gothos Sveciæ proprium olim nomen. Hoc testatur inscriptio cippi runici, qvi adhuc verisimiliter spectatur, inditus muro turris vel campanilis templi Landarydensis Ostrogothiæ; celebrat enim Thialfium (e mea interpretatione insignem) Gothum. At alia, ad pagum vel prædium *Östra Skam* in eadem provincia situm, memorat Thialfarem qvendam, qvi in Gothico litore naufragium fecerat ***). Ambo hi cippi (ut permulti alii Svecici) gentili ævo adscribendi esse videntur. At hocce Thialfaris nomen primum Gothlandiæ insulæ inventorem in memoriam revocat. De eo agit appendix legis Gothlandensis ****), seqven-

*) Cfr. *Scul. Thorlacii Ant. bor. Obs. misc.* VII, 27 & 29.

**) Thialfium itidem pro simili allegorica persona accipit Mone (l. c. I, 416) eum qvidem ut vernalis auræ revertentem calorem (in fabulâ Hrungnerianâ) explicans. Cfr. *Hrúngnir.* s.

***) Inscriptio Landarydensis sic in Goeransonii Bautilo exhibetur (sub No. 854): *Virikr. resti. stan. iftir. þialfa. bruþur. sin. trak. þanar. var. mir. gauti* qvæ ita solitæ Islandorum orthographiæ restituimus: *Virikr reisti stein eftir þiálfa bróður sinn, dreng þann er var mær Gauti.* Alteram exhibet Bautilus sub No. 907. Vid. *Broocmann Beskrifn. öfver Öster-Gotland, Norrköping* 1760 pag. 228, 555. Alioqvin qvidam *Þiálfi* (Thialfius vel Thialbius) inter regulos Hiberniæ sec. 10 vel 11 nominatur *Hkr.* III, 199.

****) *Guta-Lagh* edit. Schildener *Greifswald* 1818 pag. 106 & sq. cfr. pag. 259-260. E *Schoumacheri* Gothlandi ibidem adlato testimonio Thialfaris nomen adhuc retinet prædium qvoddam Gothlandiæ in parochia *Boghe* &c. Strelowius Thialfarem hunc ex Jutia advenisse perhibet,

tem traditionem nobis exhibens: "Gothlandiam primus invenit vir iste, qvi Thielvar [Thialfar, *Þiálfar*] nominabatur; at tum insula tam obscura fuit, ut die demergeretur et nocte tantum super maris undas elevaretur. At vir ille primus *ignem* terræ illi imposuit ac deinde nunqvam mari est submersa. Ejus filius erat *Hafþi* (*Havfdi* i. e. incipiens, fundator, auctor) qvi uxorem habuit nomine *Hvítastiarna* (stella alba vel serena); hi conjuges primi fuerunt Gothlandiæ inhabitatores. Eorum tres filii (qvorum natu maximus Guti i. e. Gothus appellabatur) incolarum posterorum propatres evaserunt." Mythicam hanc esse relationem, contenta sat superqve monstrant, præter memorabilem eam circumstantiam qvod relatio ipsa adhuc contineat versus qvosdam, secundum vetustissimas alliterationis regulas compositos (cfr. *Svafnir* s.). Putarunt Gothi ethnici (ut multarum aliarum regionum incolæ) Trollos vel malos dæmones primum insulam dictam solos inhabitasse, qvi tamen, diei lumen non sustinentes, illam per dies demergere at noctu iterum elevare soluerint. At Thori gratiâ insula habitabilis reddebatur; hic enim famulum suum Thialfium (Gothlandis Thialfarum dictum) emisit, qvi ignem cælestem insulæ intulit, ac eam ita ex dæmonum potestate liberavit. Sic primus insulæ inhabitator, Thialfii protectione gaudens, ejus filius dici potuit. At Thori cultum in Gothlandia olim maxime viguisse monstrat mons insulæ altissimus, (magnis & multis cavernis insignis) antiqvitus dictus *Thorsborg*, unacum ea traditione, in dicto legum appendice servata, qvod incolarum freqventiâ nimis increta, magna eorum pars hunc montem sibi in habitaculum elegerit, sed inde tamen (forte ut ê loco sacro) a reliqvis fuerint ejecti & ad insulam linqvendam coacti *).

Þiálf adhuc in sermone Islandici strenuum laborem denotat, unde verbum *Þiálfa* tali labore detineri. Hinc verisi-

---

at Hadorphius illum Ostro-gothicum præferre maluit. — Ast e plurium sententia est verisimillimum qvod Gothlandiæ primi incolæ e Reid-Gothia (vel Sarmato-Germanicæ Gothiæ litoribus) illuc advenerint, posterius partim ad dictam Ostro-Gothiam emigrati, unde diuturna inter ambas regiones commercia. Sic Gothlandiæ illius historiæ auctor conterraneos Tialvaris vocat Vitas & Cimbros; Vitas autem fuisse Vitlandiæ vel Reidgothiæ Sarmaticæ incolas jam certissime scimus, at Britanni Jutas qvoqve interdum Vitas appellarunt. Opinamur ita Vitas (vel Vidivarios) cum Jutis, Sembos (vel Sambos) cum Cimbris esse confusos. Vid. *Strelow Guthlandiske Cronica* pag. 16 & sq. 24 & sq.

*) *Thara-pyha* (i. e. sanctus Thor) cultus fuit a gentilibus Curis, Esthonibus (vel Aestiis) ac Lettis sive Livonibus (in Reid-Gothia nostratium habitantibus); hi ei addicebant comitem qvendam, famulum sive adjutorem, Thialfio respondentem, qvem tamen (qvantum scimus) *Gabie* appellarunt. Is a Lettis colebatur ut e. gr. *igni*, frumenti siccationem effecturo, benigne adspiraret ac flammam rite moderaret (*Mone Gesch. d. Heid.* I, 74, 76). Alioqvin plures de Thialfaro vel Tilvaro populares (ac vetustæ satis) Gothlandorum traditiones, insertæ

militer illud nostri nomen, qvod etiam ut cognomen viri gentilis (at strenui) Islandi, Thorkelis proprie dicti, in Landnamâ invenimus (l. c. pag. 350). Cfr. *Röska* s. *Þórr* i.

Þiasſi, Þiazi gigas prævalidus, primum in Thrymheimo habitavit, qvem jam ejus filia Skadea, serena Deorum nympha (ac in Dearum numerum recepta) ut priscum patris domicilium inhabitat *Gr. M.* 11. Is fuit Gymeri & Aurbodæ (Gerdæ, Freyeri uxoris parentum) cognatus *), ac gigas magnificentiæ (vel splendori aut fastui) deditus ab Hyndlâ appellatus *H. L.* 28. Memorat Thorus se occidisſe Thiasſium Allvaldi filium, animosum gigantem ac ejus oculos in serenum coelum sursum jecisſe **), qvæ qvidem signa, ab omnibus mortalibus deinceps conspicienda, maxima sunt ejus facinorum *Harb. L.* 18. Jactat Lokius, Skadeam alloqvens, se primum & sævisſimum fuisſe ad perniciem, ubi Dii Thiasſio manus intulerant, qvam ejus actionem irata illa occisi filia se graviter ulturam esſe minatur *Aeg. dr.* 51-52.

Edda Snorroniana Thiasſii patrem nominat (pag. 83), scriptione tamen in *to Avlvaldi* mutatâ; — vid. *Allvaldi* s. Bragius de eo ac ejus filius Aegero ita refert: "Si tibi ejus gesta et qvalitates referrem, notabilia procul dubio viderentur. Is admodum auri dives fuit. Qvo mortuo, cum filii hæreditatem inter se dividerent, tali mensurâ usi sunt, qvod qvisqve eorum, æqve multis vicibus ac alter, oris sui implerent cavitatem. Horum unus erat Thiasſius, secundus Idius *(Idi)* tertius vero Gangus *(Gángr)*. Hinc derivantur istæ inter nos phrases qvod aurum vocetur horum gigantum *munntal*, qvando nimirum veram sententiam Runis [hic: mysticis sermonis figuris] ita obvelamus: ut aurum dictorum gigantum oralem loqvelam (aut numerum aut numerationem) vel sermonem &c. appellemus ***). Adfert Skalda (pag. 154) harum

sunt Strelovii Chronico Gothlandiæ, pag. 12 & sq. e. gr. de sacrificio ejus & libatione novilunari, anteqvam cum suis celebrem illam expeditionem adgrederetur, cornu ejus posterio servato &c.

*) Ex observatione T. I, pag. 99 notæ inserta perhibuit G. Pauli Thiasſium fuisſe Örvandili (eddici qvoqve gigantis) filium, citans (junioris) Eddæ Fab. 56. At nec G. Magnæo nec mihi ipsi ullum exemplar, hoc memorans, videre contigit.

**) In Edda juniore (pag. 82) e contrario Odinus narratur oculos Thiasſii in cælum conjecisſe et duas ex illis stellas condidisſe. Vid. *Skadi* 9.

***) Nam voces textus in Islandico sermone ita sunt ambiguæ: *tal* denotat: 1) numerum, numerationem, 2) sermonem, sermocinationem; hinc *munntal* oralis sermo vel numerus; simili modo vocula *mál* significat: a) mensuram, b) loqvelam, sermonem. Sic pro primario fabulæ numero vel mensura ænigmatice ponitur alter vocum sensus: sermo vel loqvela. Cfr. Skaldæ pag. 128 & 134 ubi aurum docetur esſe appellandum *vox* & *verba* gigantum (primario grammatici ænigmatis sensu amplificato). "Illa verborum velamina, runico (mystico) modo adornata Aegero (ut inqvit) belle sese habere videbantur" *Skálda* pag. 83.

auri denominationum exempla satis vetusta, scilicet ex antiqvo Biarkiano carmine *(Biarkamál hin forno)* ubi aurum (inter alia) vocatur: *Idia glismál* (splendida Idii mensura vel sermones) et porro *þiasſa þingskil* o: Thiasſii forenses præstationes, qvæ iterum ambiguum invehunt sensum, nimirum a) verbalium debitarum declarationum vel probationum &c. et b) contributionum vel solvendæ (ac mensurandæ) pecuniæ. Aliud exemplum adfert fragmentum Bragii poetæ cantilenæ (pag. 135) ubi aurum vox gigantis appellatur *). Hujus fabulæ originem explicare tentavimus ad artic. *Allvaldi* s. **). Aureum colorem aurora borealis præfert, unde aurum cum ea est comparatum; at illa hyemali tempore & frigidisſimo qvidem solenniter apparet et ob eam causam gigantibus, ut hyemis dæmonibus, adtributa fuit &c. Ad ejus phænomena pertinere porro potuerunt nomina *Idi* & *Gángr*, qvæ revera ad ipsius fluctuantem & streperum cursum applicari qveunt***). Ejusdem indolis sunt fabulæ de auro ut Aegeri (maris) lumine, Freyæ lacrymis (vel splendentibus roris guttis) p.p. ut suis locis demonstravimus.

Hæc porro Edda junior de Thiasſio continet: Refert Bragius Aegero (pag. 80): "Tres Asæ, Odinus nimirum, Lokius & Hæner, e domo profecti itineri se dabant, et montes ac inculta tesqva peragrantes, victum sibi adqvirere difficulter poterant. Sed cum in vallem qvandam devenerunt, agmen vident taurorum, qvorum uno capto coctionem (vel assationem) parant. Cum vero carnes elixas esſe putarent, remoto ignis (asſaturæ vel coctionis) operimento****) vident carnes non dum esſe satis percoctas; iterumqve post aliqvantulum temporis intervallum, coctionem inspicientes, etiamnum immaturam esſe sentiunt. Itaqve inter se disputantes colloqvuntur, qvænam hujus rei causa esſe posſet. Mox in arbore supra se loqvelam audiunt, qvod (qvidam) ibi sedens confiteatur semet id efficere, qvod

*) Videtur ibidem antiqvus ille poëta aurum vocare amicum suum optimum at simul tamen pessimum. Cfr. *Háva M.* 68, ubi divitiæ dicuntur amicorum esſe maxime labiles, it. artic. *Gullveig*, *Heidur* s.

**) Addamus giganteum dæmonium (vulgo *Tröll*) poëtice dici ab antiqvisſimis vatibus: *heluo cœlestis sphæræ* (it. solis, lunæ &c.). Hyemali tempore frigidus Hrimthursi rictus auro igitur (i. e. materie lucido auro simili) impleri dicitur. Cfr. *Jötun*, *Tröll* s.

***) Gigantes alioqvin, ut montani ac saxei dæmones, aurum subterraneum possident ac dimetiuntur; eotenus certe pro divitibus habendi. At hæc in nostra mythologia de Dvergis freqventius referuntur.

****) In textu: *rauſa seyþinn (seydinn)*. Voces *seydr*, *seydi* it. *seidr* &c. ut alibi interdum scribitur, ambiguas illas habent significationes, qvæ prolixe disqviruntur in notis Eglæ (ed. Havn.) pag. 221, 243. Cfr. Gloss. Edd. aut. T. I. v. *Seydi* & T. II. p. 776-777 in nota.

carnes in foco elixari non posſent. Qvo audito et in arborem suspicientes vident ibi aqvilam, et qvidem corpore neutiqvam exilem, qvæ illos affatur: Si vos ex tauro saturitatem meam dare volueritis, carnes in foco confestim decoqventur. Qvod cum pollicerentur, ex arbore semet deorsum aqvila super focum sensim demittit, et primo duo tauri femora & armum utrumqve arripiendo elevat. Tum Lokius irâ percitus prægrandem arripit perticam et totis viribus innisus corpori aqvilino impegit, aqvila vero ad ictum se vibrans evolat. Tum perticæ conus unus manibus Lokii individuus firmiter adhæsit; alter vero tergo aqvilæ, qvæ adeo demisſe volavit, ut pedes Lokii saxeta, specus lapidosas & arbores lamberent, lacertos vero suos ex axillis divelli putaret. Clamat ergo et aqvilam, ut sibi parcat, indigentisſime precatur. [Qvomodo Lokius, ita coactus, se ad Idunnam ex Asgardia allectandam obligavit, et revera promisſis stetit, vid. *Idunn* s.]. Describuntur ibidem raptus Idunnæ â Thiasſio gigante, aqvilæ formâ sive exuviis amicto commisſus; Deæ raptæ recuperatio & Thiasſii aqvilæ, Lokium falconem (Idunnam auferentem) valide perseqventis, intra valla Asgardiæ, fatalis a flammis incendii surgentibus exustio ac seqvens cædes ab Asis effecta.

Hanc totam relationem decantavit poëta Norvegicus, gentilis relligionis, Thiodolfus Hvinensis (vivens sec. 9^no^) in carmine Haustlanga (*Haustlaung*) cujus sectio, huc pertinens, ê magnâ parte in Skalda (pag. 119-121) est servata*): Ejus prima stropha ipsum qvoqve carmen inchoasſe videtur, hunc (e nostra interpretatione)**) sensum præferens: "Qvomodo potest (debet) lingva (vatis) adponere Thorleifo cly-

*) Ac simul edita & translata a Scul. Thorlacio: *Antt. bor. observ. misc.* VI, 32-82. A viro doctisſimo in hujus fragmenti interpretatione aliqvantum disſentimus, ut primæ præsertim strophæ & fragmenti conclusionis sensus penitus immutetur. Variæ vocum transpositionis regulæ in causa sunt, ut e seqventibus elucebit. Putarunt alioqvin plures docti Germani satis verisimiliter qvod nomen carminis ejus *Haustlaung* (autumnalis longa cantilena) indicet istius primam recitationem factam esſe in magno borealium autumnali festo, unde etiam ejus thema sumtum sit, de Thori Dei, fertilitatem telluris mortalibus indulgentis, summis in perpetuo ejus contra hyemales & malos dæmones bello facinoribus (*Stuhr Glauben und Wisſen der Skandinaven* &c. pag. 83, *Mone* l. c. I, 414). E nostra sententiâ carmen ipsum testatur, poëtam eo decantare imagines, repræsentatas in scuto a Thorleifo qvodam dato, qvi etiam verisimiliter illius convivii sive sacrificii fuit antistes. *Thorleifus* ipse is forte erat coævus, qvi alioqvin *sapiens* dicebatur, prior nimirum ejus cognominis.

**) Auctoris verba poëtice transposita nos ita in ordinem redigimus: *Hve skal raddsveif leggia gunnveggiar gjöld, at Þórleifi, um Þá gialla raums brú, er rögni sæmi. Ek sé á hreingoro hlýri hildarves. of Þriggia týframra tíva oc Þiasſa trygglaust far.* (*Raddsveif* vocis verticillum, vel rotatilis ansa i. e. lingva; *gunnveggr* clypeus; vid. Skalda pag. 161; *raums brú* gigantis pons; (vid. artic. *Hrúngnir* s.) i. e. scutum; *hlýri hildarves* o: tabula bellici

pei remunerationem, isto heroe dignam, de splendido illo scuto agentem!" [i. e. poeticam ejus descriptionem, datori dedicatam]. — "Cerno in bellica illa tabulâ, affabre (nitide) factâ, male securum iter trium celebrium Deorum & Thiasfii simul, repræsentatum esfe." (Str. 2). "Agminum ductoribus [vel: narrationum recitatoribus] jam dudum nymphæ (Idunnæ) prædo, aqvilæ clamosæ veteranâ formâ indutus, obviam volavit. Adsedit aqvila in loco, ubi annonæ largitores Asæ cibos tractabant; malus ac ignavus montanarum specuum dæmon [vel dæmon montes — nive aut caligine — occulens] non ipse coctionem instruxerat." In seqventibus tenor eddicæ relationis plerumqve (qvamvis brevius) redditur; carminis igitur aliqvot tantum phrases, maxime notabiles lectori repetere volumus. — Thiassius variis locis vocatur: Lupus (vel prædo montanus *(fiallgyldir)*; alatorum vehiculorum magister vel alatus gigantum princeps (*vingvagna rögnir*); nutritor Deæ asserum cursoriorum (vid. *Skadi* s.); strepe-

rus Jotunheimorum dæmon (*reimudr*); rupium contritor (*griót-nidudr*) *); filius Greipæ (oreadis) alioqvin a) Geirrodi filiæ b) Heimdalli giganteæ matris) **).

Has poematis dictiones opinor Eddæ prosaicæ relationi lucem uberiorem adferre: Famelicus gigas voraciter in arbore nodosa (vel ê qvercinâ radice aut stipite) bovem ***) raptum comedit, priusqvam Lokius eum perticâ tunderet (str. 6). Lætabantur arduorum montium incolæ (gigantes) ob Idunnæ ad eos e meridie adventum at Asæ e contrario senio & ejus deformitate afficiebantur (str. 10). Advolanti Thiassio (in Asgardiam) numina incendium brevi excitarunt & tela torserunt, at gigas adurebatur. Pars hæcce poëmatis, unius scuti sectionis imagines describens, ita concluditur: "Hoc concepi (vel spectando composui) ê clypeo meo; scutum hocce tincturis ornatum (vel pictum) accepi â Thorleifo datum" ****). Plura carmina Skaldæ inclusa celebrant imagines depictas in scutis, qvæ donata

---

vexilli vel etiam: Hildæ regionis; cfr. Skalda pag. 166; (pax Hildæ, *Hildarve*, dici qvoqve potest bellum ipsum). Fateor qvidem poëtam verba illa *at Þórleifi* ambigue concinnavisse posse eâ allata sententia: ut Thorum Deum collaudet.

*) Nisi præferas: montanus tyrannus, respecto nomine crudelis Regis Nidudi, in antiqvissima Voelundiana fabula celebrati.

**) Legit beatus Thorlacius: *son Grejpar bidils*; ego autem . . *i bidils för* ɔ: in proci (vel procationis) itinere (pro Idunnâ ambienda vel accersienda).

***) E nostra sententiâ poëtæ dictum *ok-biörn* jugi vel jugalem ursum. Qvædam ursi & bovis eddicæ appellationes alioqvin inter se certam habent similitudinem.

****) *Þats offat á minni fialla-finnstilia brú*; *baugs bifkleif, fágda bifum, þá ec at Þorleifi. Fialla-finnstilji* gigas; ejus pons scutum (ut supra monstravimus). *Baugs-bifkleif* clypeus, interdum dictus *baugsjörd* &c. it. *veggr, gardr*, hic *kleif* i. e. clivus, vallum, murus, (navis

erant poëtis, qvæ donum tali carmine remunerabant *).

In cantione Grottiana (elegantissimo at antiqvissimo tamen poëmate, Skaldæ

piratæ — & hic igitur maris, ubi naves versantur). *Bif* alioqvin aqva & qvævis tinctura. Simili modo concluditur sectio ejusdem carminis de Hrungneri cæde agens; vid. artic. *Hrúngnir* s.

*) Sic Bragius poëta celebravit scutum a Ragnare, Rege Danico, ei datum, picturas, Sörlii & Hamderi (Regis cognatorum) cædem repræsentantes, describens (*Skálda* pag. 145 collata cum p. 162; vid. *Hrúngnir* s. & hujus Eddæ T. II pag. 963). Alia ejusdem scuti sectio repræsentavit Hoguii & Hedini celeberrimum proelium (Skálda pag. 163; vid. artic. *Hildur* s.). Bragii poëma utroqve loco continet epistrophen (vel intercalares versus) qvæ expressis verbis memorat poëmatis argumentum scuti imaginibus esse exhibitum, & datorem clypei simul nominat. Morem hunce nostrorum atavorum optime illustrat seqvens locus Eglæ (edit. Havn. pag. 698 & sq.): Dederat Hacon (dives vel potens dictus, Norvegiæ) dynastes, Einari (Skalaglamo, poëtæ insigni) clypeum eximium. Is pictus erat antiqvis historiis (vel mythis: *fornsögum*) at per totum inter impages laminis aureis inductus, præterea gemmis distinctus. Einar (postea in Islandia habitans) hoc scutum in amici Egilli domicilio Borga (eo absente) suspendit, declarans domesticis se illud hero donare. Post Einaris abitum Egillus reversus his auditis irâ primum gravissima afficiebatur, hæc (inter alia) exclamans: Intendit ille, ut super ea re vigilem et clypeum suum cauam! At paullo posterius ira mente decessit, cum de clypei dono epos intercalare composuit Egillus, cujus primum initium ejus vitæ insertum habemus. Liceat id huc adferre, qvum de posterioris ejus partis interpretatione cum docto translatore (b. Gudm. Magnæo) dissentiamus: "Tempus summum est consummationem elogii (seu poëmatis) edere de lucido aggere navis *(liós-gard barda)* i. e. scuto qvem dono uactus sum *(þá ec* vel *þág ek*, ut in Haustlanga nostra); mihi domum in manum venit auri missoris nuncius; non committem ut male intelligam (explicem vel describam) lineas (vel ductus) clypei incisurarum (vel picturarum); adtendite verbis meis!" At sic difficiliora illa in ordinem prosaicum redigimus: "*Skalat mer verda misfengnir taumar jardgróins glaums grundar gilia. Hlýdit er til orda!*" *Glaumr, Glaumur* Skaldæ audit *Glaumar* vel *Glamr, Glamur* ut Gigantis vocabulum (pag. 211); ejus fundus vel terra *(grund)* est scutum, cui Hrungner institit humi fixus *(jardgróin)*; hujus campi incilia vel rivuli sunt clypei incisuræ aut picturæ, qvarum ductus vel lineas Egillus rite interpretari adgrediebatur. Num hæ imagines Deorum aut heroum insignia gesta celebrarent, nos semper latebit. Eddica facinora repræsentarunt eæ qvas Skalda memorat, at nihilominus alii nostræ vetustatis heroes propria gesta in scutis suis designasse feruntur (e. gr. Granmaris filii H. Q. III, 42, Eddæ antiqv. II, 79). Saxo hujus rei plura exempla adfert, ut de Hamleto vel Amleto Dano (Hist. Dan l. 4): "Is in scuto [in Britanniâ, ut videtur, facto] sibi parare jussit omnem operum suorum contextum, ab ineuntis ætatis primordiis auspicatus, idqve exqvisitis picturæ notis adumbrandum curavit. Istis depingi videris Horvendilli iugulum, Fengonis cum incestu parricidium" &c. Seqvitur auctoris prolixa figurarum descriptio. "Hæc omnia exultissimo rerum artificio militari ejus scuto opifex studiosus illeverat, res formis imitatus & facta figurarum adumbratione complexus." Amletho Scotiam ingresso hujus terræ regina Hermuthruda laudatum "clypeum (ad se perlatum) curiosius contemplata ex affixis notulis totius argumenti summam elicuit . . . Qvinctiam Amlethi facta, qvæ ex scuto ejus cognoverat, scripto com-

pag. 149) in Daniâ, ut fertur, composito, oreades Fenia & Menia inter proavos suos decantant, ut omnium fortissimos, (ipsi Hrungnero & ejus patri anteponendos), Thiassium, Idium & Aurnerem, fratres montanorum gigantum *(brædur bergrisa)*: — In carmine Biarkiano, Danicæ itidem originis, Thiassium & Idium memoratos fuisse supra observavimus. Bragius poëta Deum illum celebravit, qvi in amplum coelum projecit Skadeæ patris oculos (*Skalda* pag. 122). Inter gigantum denominationes versibus memoralibus inclusas (l. c. pag. 209) Thiassii, Idii & Gangi post Ymeris & Mimeri primaria nomina, cæteris præcedentia ponuntur. Finni & Lappones, ut alibi observavimus, pro gigantum cultoribus olim sunt habiti. At qvoqve eorum vicinos, Norvegos maxime borealis, simili superstitione ita affectos fuisse vidimus, ut Thiassium gigantem pro nobilissimæ Jarlorum Hladensium familiæ propatre acceperint; unus eorum, Sigurdus, ante medium sec. 10^mi a Cormaco gentili poëta in encomiastico carmine vocabatur "progenies Thiassii, qvem Dii deceperunt" *). Filius ejus Hacon, potentissimus Norvegiæ dynasta, lamias giganteas intense coluisse fertur. Nihilominus nomen *piassi* vel *piazi* vix in historicis nostris monumentis invenitur, ut viris Scandinavis proprium, at inter veteres Germanos videtur sonuisse *Tiazo*,

---

plectenda curavit, ut & clypeum literarum testem & literas clypei interpretes existimares." Alio loco (Lib. 7) Hildegerus moribundus fratrem poëtice alloqvitur:

Ad caput affixus clypeus mihi Svecicus adstat
Qvem specular vernans varii cælaminis ornat
Et miris laqveata modis tabulata coronant.
Illis confectos proceres pugilesqve coactos
Bella qvoqve et nostræ facinus spectabile dextræ
Multicolor pictura notat. Medioxima nati
Illita conspicuo species cælamine constat &c.

Skalda alioqvin de scutis talibus ita loqvitur (pag. 160): "Qvondam moris fuit oram vel limbum scuti (qvæ *baugr* i e. circulus vel orbis dicebatur) picturis (vel scripturis) delineare, a qvo more certæ clypei poeticæ denominationes sunt derivandæ. — Summa rei antiqvitas alias elucet e verbis Taciti de Germanis (Cap. 6) "Scuta lectissimis coloribus distingvunt." Cimbricum clypeum galli pictam figuram exhibuisse refert Qvinctilianus L. 6. c. 3. At Germani ædium qvædam loca "inliverunt terrâ ita purâ & splendida, ut picturam ac lineamenta colorum imitaretur" (Tac. c. 16). Scuta picturata ac imaginibus ornata apud priscos Græcos, Romanos ac Indos in usu fuisse alioqvin est notissimum. Scandinavi navium latera & ædium parietes pulchris clypeis adornare solebant.

*) *Saga Hakónar góda.* Cap. 16. *Hkr.* I, 140, VI, 24. Revera ex aliarum vetustarum traditionum tenore Jarli Hladenses videntur progenerati esse ab illo Thiassio gigante, qvem mox infra memorabimus. Hic forte igitur cum mythico illo est confusus.

Thiazo, *Tiezo* (unde etiam *Thieziko* *) & *Thiezelin)*. At gigas qvidam Thiassius memoratur ut Regis Sigur-Lamæ (Odini filii) occisor, a filio ejus *Svafur-Lama* interemtus. Hi ambo Reges Gardariciæ sive Russiæ antiqvissimæ præfuerunt **).

Plures nostratium mythologiæ discussores (ut Stuhr & Mone locis citatis) Thiassium pro hyemali vel glaciali aut frigorifico dæmone rite acceperunt, qvam eandem opinionem multis supra adstruere tentavimus ad artic. *Idunn*, *Skaþi*, *Valhöll*. Ast illis argumentis plura certe addi possunt, e. gr. ingeniosa fratrum Grimmiorum observatio de variis Germanorum puerilibus (ac alioqvin plebejis) ludis, qvi hyemis a veris vel æstatis genio debellationem symbolice repræsentant, ita quidem effectam, ut *hyems oculis destituatur* ***).

Tales ludi antiqvitus ad seculum 16tum usqve in Svecia (& reliqvo borea) solenniter ac publice agebantur, ipsius magistratus auspicio, "sole per taurum agente cursum" ut fuse descripsit Olaus Magnus ****). Gentilismo durante iis verisimiliter celebrabatur Thiassii, Thrymi,

*) Hæc nomina freqventer occurrunt in catastro muliebris monasterii Westphalico *Freckenhorst*, *Fricconhorst* vel *Frickenhorst* qvod sec. 9no scriptum esse videtur; *Dorow Denkmäler* &c. I B. II H. pag. 5, 9, 11, 12, 15, 18, 20, 22, 36, 37. Sic ibidem *Hesiko* & *Haziko* originitus certe idem fuit nomen. Nomen monasterii illius, Friggæ Deæ debiti, adcurate monstrat doctiss. Massmann l. c. pag. 199 & sq. qvam ejus originem plures antea perceperant. Cfr. *Eccard. de orig. Germ.* pag. 398 (de Frea vel Frigga) "Celebratur in plebe Saxonica *Fru Frede*, cui eadem munia tribuuntur qvæ superiores "Saxones Holdæ suæ adscribunt" &c. Cfr. ea qvæ de tali Friggæ & Freyæ cum S. Mariæ permutatione proposuimus in artic. *Freya*, *Frigg* s. sed multa plura huc pertinentia addi possint, si spatium vacaret. At legenda localis de Friccone suum pastore, Fricconis aut Freyeri ac Freyæ simul sacrum verrem in memoriam revocat, qvæ cæterum numina animalium vitam ac vigorem augere & servare credebantur. Sic Freyeri loco Sveci catholici Stephanum sanctum *pastorem* relligiose colebant & celebrabant p. p.

**) *Hervarar-Saga* edit. Havn. p. 8-10. Frida, hujus Thiassii filia, fuit Svafur-Lamæ nupta, at mater Eyvoræ, Arngrimi Berserki uxoris, qvæ inclytæ aliorum Regum Reid-Gothicorum familiæ proavia evasit &c.

***) Ut testatur vetusta qvædam cantilena, ejus generis ludis adhibita:

Stab aus!
Dem Winter gehn die Augen aus &c.

— *Grimm Kinder- und Haus-Mährcken* II, xxxiii & seqv. In Anglia qvoqve ludi illi, hyemis & æstatis bellum imitantes, olim agi solebant vernali festo *(Brand observations by Bourne* pag. 281).

****) *Hist. gent. sept.* XV, 2, 3 de ritu fugandi hyemis & receptione æstatis. Festum majale adhuc in Svecia solenniter celebratur etiam a Rege ipso ac ejus propinqvis, qvi lætæ populi turbæ se admiscere solent, ut olim principes Angliæ & pl. In Daniâ festum mediæ æstatis adhuc simili modo freqventatur. Cfr. *Baldur*, *Valhavll* s. Festa verna, similis indolis ac illud nostrum, apud Græcos & Romanos celebrata fuisse memoravimus ad artic. *Skaþi*.

Hrugneri & talium Hrimthursorum cædes a Thoro & Asis peracta, at simili modo Idunnæ recuperatio seriore tempore in simplicem æstatis receptionem fuit mutata &c. Idem de hymnorum triumphalium (olim mythicorum, jam aperte anni tantum revolutiones canentium) simili reformatione est dicendum. Cfr. *Hrúngnir, Idunn, Skaþi* s. *). Nomen *þiassi* (qvasi proprie *þiarsi)* derivandum esse opinamur ab adjectivo *þiarr* gravis, vehemens **). Vid. Gl. T. I.

þiódnuma (gentes rapiens vel capiens) amnis terrestris, ad Orcum tandem delabens *Gr. M.* 28. De thematis radicibus vid. Gl. T. II ad voces *þiód* & *Nema.*

þiódreyrir (gentes aut populum vinciens sive ligans) Dvergus qvidam, qvi pro Dellingi (Diei patris) ostio cecinit (vel cantando adqvisiit) Divis potentiam, Alfis (vel geniis) profectum aut præstantiam, sed ipsi præconum vel sacerdotum antistiti (i. e. aut Odino, aut ejus terreno præsuli) sapientiam. *Háva M.* 163. Dæmon ille *tempus vel somnum nocturnum* allegorice indicare videtur. Nox & somnus, licet universam fere naturam capere & vincire videantur, eam nihilominus recreant & refrigerant, at sapientiam per qvietam meditationem et simul, ê veterum opinione, per divina somnia, mortalibus largiri credebantur. A v.

---

monstravit illustrissimus *Creuzerus* in illorum ceremoniis Deorum victorias a gigantibus reportatas variis modis expressas ac imitatas esse. Sic e. gr. in Panathenæis (solennibus flammis & sacrificiis taurinis celebratis, ut alio loco de Palilibus observavimus) cum bellum Deorum & gigantum mimice repræsentabatur & peplum Minervæ, duodecim tales picturas exhibens, publice circumferebatur &c. *Symbolik und Mythol.* l. c. II, 808 & sq. cfr. 783 & sq. Aliam nostri mythi cum græcis & iudicis comparationem invenies: *Kanne Ind. Mythol.* pag. 148, 182.

*) In mytho Thiassiano aqvila (ut Hræsvelgus ipse) denotat hyemalem tempestatem, falco vel accipiter (ut in Ygdrasilli fabulâ) æthorem vel aërem serenum, æstati proprium, *hirundo* vernum calorem revertentem. Hirundo prima verno tempore adveniens, a Svecis plebejis terna sibilatione salutatur; avis ista ibi & in reliqvo borea benevole ab hominibus excipitur & tractatur. *Westerdahl* l. c. S. 55. Die primo Martii Græci veris adventum celebrant, ligneam hirundinem læti circumferentes & cantionem avem eam collaudantem decantant *(Neu-Gr. Volkslieder, von Fauriel und Wilh. Müller* I, XVIII. Inter Græcos antiqvos mores similes viguerunt &c. Vid. vers. Eddæ antiqv. Danicam I, 210 & sq. II, 158. Cfr. *Mone* l. c. I, 395 & sq. Addamus iogeniosam Stuhrii observationem (l. c. pag. 83) Skadeam filiam Thiassii, hyemalis gigantis, eo defuncto, Niordo, (vegetabilis vitæ & terrestris fertilitatis (ut nostræ atmosphæræ) Deo, matrimonio junctam fuisse. Cfr. *Niördr, Skaþi* s. Id de incendio illo Thiassiano & aliis similibus observamus, qvod gentilismo abolito mystica ejus significatio primum in physicam tantum transiret, at hæc tandem alicubi in fanaticam vel politicam est mutata sic e. gr. plebeji, in solito aliqvo vulgi festo, imaginem interdum viri cujusdam genti exosi, ut Catholici Lutheri, Protestantes Papæ, Angli magnatis vel senatorii oratoris unius aut alterius &c. flammanti pyræ injicere soluerunt.

**) Ab hac voce similiter derivanda videtur alia *þiórr, þiór* taurus — et olim igitur etymologica aliqvæ cognatio inter Thiassii & Tauri (zodiacalis) mythologica entia exstitisse.

Þióð (de qvo Gloss. T. II.) & verbo *Reyra, Reira* vincire coarctare, cujus etymon esse videtur subst. *Reyr* arundo (textoriis instrumentis sæpe adhibita; vid. Gloss. T. III). Cfr. *Durin, Dvalin* s.

Þióðvarta, Þeðþvarta, (gentium verruca, hic forte: papilla) una novem Mengladæ nympharum, erotico-allegoricæ (ut videtur) indolis. *Fiölsv. M.* 39. De priore vocabuli etymo vid. Gl. T. II. v. *Þióð*: aſt aliud *Varta* (unde viri papilla dicitur *Geir-Varta* q. d. cuspidata papilla) est lat. verruca (Dan. *Vorte*, Svec. *Vårta*, Germ. *Wartze*, Angl. *Wart* &c). Interpretes latini verterunt *gentium custos* at rationes ejus singularis explicationis in Glossario T. I. non proposuerunt.

Þióðvitnir (gentium lupus aut draco; l. vel d. populis mundi infestus) *Gr.* M. 21. Obscuram hanc stropham ita in notis ingeniose explicavit Gudmundus Magnæus: "Ululat Odino [minans] manetqve inclytus [mundanus] lupus (tanqvam) piscis in fluvio; amnis istius torrens nimis magnus eſt eximio [coelesti vel bellico] eqvo [*Sleipnero* forte] ad vadandum." Eſt nimirum sermo de Fenrere lupo aqvis undiqve circumdato; vid. observationes adjectas viri doctissimi et artic. *Fenrir.* s. Cfr. notas nostras ad vers. Dan. I, 248-249. Annoto tamen significationem præmisſæ vocis *Þióð* in compositis non originitus innuisse meram celebritatem aut excellentiam (ut secundarius jam certe usus permittit) sed universalem qvandam influentiam sive efficaciam aut usum (a *τω Þióð* gens, populus magnus et numerosus, ac in Eddis ipsis interdum, ut videtur, pro toto vere humano genere acceptum); sic *Þióðvitnir* denotat lupum, mundi incolas vel mundum ipsum perseqvi & perdere conantem, ut suo loco probavimus. Vide Gl. T. II v. *Þióð* & T. I. v. *Vitnir.*

Þór, Þórr, (Thor, Thorus); dictus *Ása-Þór* (Thorus Asa sive Asis adnumeratus) *Harb. L.* 50) & *Vingþór* (de qvo supra) at in Edda juniore *Avkv-Þ.* vel *Öko-Þ.* (Th. currum agens). In Edda antiqviore is ita memoratur: Vocatur filius Odini, *V.Spá* 50, *Gr. M.* 24, *Þr. Qv.* 32; *Hým. Qv.* 2, 21, 35, *Harb. L.* 8, *Alv. M.* 6, & Telluris: *Þr. Qv.* 1, *Æg. dr.* 59, cfr. *Harb. L.* 3, 4, vel Fioergynæ *VSpá* 50, *Harb. L.* 55, vel etiam Hlodynæ (sive Hludanæ) *) *V.Spá* 50; Sifæ maritus *Hym. Qv.* 3, 16, 34, *Þr. Qv.* 24, *Hyndl. L.* 39**). De liberis ejus vid. artic. *Magni, Módi, Þrúdur*, at de famulis vel comitibus adsiduis artic. *Þiálfi* & *Röskva.* Dicitur in Thrudheimo (regione) habitaturus esse donec dii (sive elementales mundi

*) Vid. artic. *Jörd, Fiörgyn, Hlódyn*, ubi primum Telluris usitatum nomen, cætera autem mythica tantum fuisse, nos demonstravimus. Potest tamen Fioergyna pro ejus avia accipi ac *þur* igitur illo loco nepotem ex filiâ significare.

**) *Sif sifiadr*, Sifæ nexu matrimoniali conjunctus. Qvod de Thoro hic revera sermo sit, probavimus ad vers. Dan. III, 21, 34. Cfr. *Sif, Jörd* s.

potestates) deficiant *Gr. M.* 4. Palatium ejus, Bilskirner dictum, describitur *Gr. M.* 24. Memorantur tria ejus prædia opima vel præstantia habitacula *) *Harb. L.* 5. Thorus appellatur Midgardiæ (i. e. aëris ac terræ, mundi medii vel ab hominibus inhabitati) defensor vel sanctus aut ignipotens Deus *V.Spá* 50 (vid. *Veorr* s.). Deorum fortis princeps (vel eorum fortitudinis aut potentiæ custos vel effector, *þrúdvaldr goda) Harb. L.* 8. Omnium maximus (vel fortissimus); vi terrenâ auctus; imperator reliqvis opulentior *Hyndl. L.* 39. Is Asarum (post Odinum) princeps appellatur *Sk. F.* 33. Dicitur robore (vel vigore) pollens *Hým. Qv.* 39, cfr. 23; it. *Þr. Qv.* 5 ac severo animo præditus *Þr. Qv.* 31. Salvator, servator vel auxiliator populorum (aut hominum) *Hým. Qv.* 22; humani generis conservator *Harb. L.* 22; cfr. *Þr. Qv.* 18; amicus gentis humanæ, *Hým. Qv.* 11. Tyris amicus, ibid. 6. Serpentis (mundani) solus occisor, ibid. 22; adversarius vel hostis gigantum, ibid. 11, 13; effractor giganteæ nationis, ibid. 17; Thursorum validus (vel prudens) interemptor, ibid. 19; oreádis contristator, ibid. 14. Navium (vel insignium montium) **) dominus, ibid. 19. Vehiculorum vel curriculorum protector aut possessor *Alv. M.* 3 (obs. 7). Caprorum possessor *Hým. Qv.* 20, 31, cfr. 7, 37. Dicitur Thorus servile genus posfidere (vel ejus patronus ac futurus in alterâ vita herus) esse ***) *Harb. L.* 23. Qvolibet die, cum Thorus tendit ad Deorum judicium apud (mundanam) Ygdrasilli arborem situm, is per qvatuor amnes vadat (Vid. *Kérlaug, Körmt, Örmt);* calent igitur sacra flumina ****) nam alioqvin pons Asarum (Bifrasta, Iris) tota flammis flagraret *****) *Gr. M.* 29. At qvum Thorus Jotunheimos versus currum egit, rumpebantur rupes (vel montes) sed terra flammis exarsit *Þr. Qv.* 21. Cum a domo iratus discedit, montes cuncti tremunt *Aeg. dr.* 56. De fulminante ejus malleo, vid. *Miölnir* s. Ex irascentis Thori oculis ignis emicat *Þr. Qv.* 27. Ad physicas hasce fulminatoris descriptiones pertinent mythi de Thori voracitate *Þr. Qv.* 24, *Hým. Qv.* 13, 16, cfr. *Harb. L.* 2. At tamen interdum (hyemali nimirum tempore) dici-

*) Hic certe sermo est vel 1) de Thrudheimo (aut Thrudvango), Bilskirnere & Midgardia, 2) allegorice de æthere, aëre & terra vel etiam 3) de aëre, tellure & mari.

**) *Kiöla valdi*, vox ambigua; *kiölr* (proprie carina) ambabus illis gaudet significationibus. — Et navitis et montanis viatoribus Thori certe imperium fuit metuendum et venerandum.

***) De Saturno (forte veterum Italorum summo Deo) ut servorum numine & patrono vid. Macrob. Saturn. I, 10. Ast apud Aegyptios, Cretenses & Athenienses Hercules eodem munere fungebatur; vid. cl. *Creutzer* l. c. II, 217-219.

****) Hæc allegoria spectat probabiliter æstivarum pluviarum (e cæli aqvis destillantium) elementalem calorem, qvi telluris fertilitatem auget & conservat.

*****) Si nimirum Thorus per eam vehatur rhedâ sua fulminatrice.

tur esurire *Aeg. dr.* 63 (cfr. *Harb. L.* 3, 5) *). Hyemalis fulguratoris torpor vel ignavia ab hostile gigante porro memoratur ut illius legitima relegatio, proscriptio vel exilium *Harb. L.* 7, 8, 10, 11; ut moeror gravis, matris (nutricis i. e. Telluris annuo) letho causatus, ibid. 3, 4; ut summa egestas ac necessariorum qvoqve vestimentorum defectus, ibid. 5; ut iter vagum ac erroneum, miseriæ & laboris plenum (qvod solis — verno — ortu tamen aliqvando concludetur) *Harb.* 53, 56 (cfr. *Fiörgyn*, *Odinn* s.); ut abnuitio & prohibitio vecturæ navalis per amnem qvandam (*Ifingam* vel atmosphæram, nisi oceanus tellurem cingens, intelligi debeat) a portitore gigante Harbardo (hyemali dæmone) qvum e Jotunheimensi vel Jarnvidense expeditione Thorus revertens, terram vel Midgardiam repeteret, ibid. (cfr. *Harbardr*, *Hildólfr*, *Rádsey*, *Tröll* s.); ut ignavia, metus et animi mollities (qvamvis corporis eximium robur concedatur) ibid. 25; ut altum silentium **), ibid.; ut adulterium a Sifâ in Thori absentia commissum, ibid. 46, 47 (cfr. 29-31, *Aeg. dr.* 55)***); ut detentio vel captivitas fulguratoris apud diros dæmones (ɔ: Hrimthursos vel glaciales gigantes) *Harb. L.* 58: Illa ipsius inertia alias memoratur ut gravis somnus Ving-Thori, qvo durante fulmineus ejus malleus a gigante Thrymo furtim aufertur *Þr. Qv.* 1.

E contrario plura Eddæ carmina describunt valida Thori facinora, in gigantum perpetuâ fere persecutione perpetrata, ut et coelum et terra, tam divinum qvam humanum genus a sævo eorum imperio ac vexatione liberarentur. Cum res Deorum desperatæ fere evasisfint, aëre nempe pestilentiâ corrupto at Freyâ gigantibus promisfa, Thorus, in numinum consilio, solus irâ excanduit, ut is cæterum, talia exaudiens, raro qviescere solet, rupta igitur sunt juramenta & solemnia cuncta pacta qvæ antea (inter Deos & gigantes) intervenerant *V.Spá* 23, 24. Prolixiorem de eventis hisce relationem, Eddæ juniori debitam, proposuimus supra in artic. *Sleipnir*. De Thrymi gigantis justa cæde (at non tamen sine fraudibus, a Lokio inventis, impetrata) agit carmen *Þrymsqvida*, mallei fulminan-

*) Eadem, ratione insignis qvidam apud Græcos heluo appellabatur κεραυνος (fulmen); Athenæi deipnosoph. Lib. 10. Herculis voracitas in cæterum apud eos fuit celeberrima. At apud nostrates *Ignis*, sub humana formâ apparens, omnium fuit voracisfimus; vid. *Loki* s. Cfr. Ovid. Metamorph. VIII, 837 & sq. it. *Creuzer Symbolik u. M.* l. c. IV, 137, ubi phrasis Germanica *Heisshunger* (ardens fames) ideam similem exprimere observatur.

**) Ubi levius tonitru alioqvin a gigante impio cum Thori sternutatione vel pedito contemtim confertur. Similis indolis sunt proverbia Danorum & Islandorum plebeja de diabolo vel anu contra fulminationem pedente "ut durum duro opponeretur."

***) Hic Lokius certe alloqvitur Sifam, non Beylam, ut textus impressus habet, meliore lectione rejectâ sed infra tamen notatâ.

tis, furto ablati, recuperationem canens. Expergiscebatur somno Vingthorus, at statim indignabundus malleum suum desideravit; barbam commovens & caput concutiens manibus circum pertentabat (*Þr. Qv.* 1). Inqviebat igitur ad Lokium: audi eventum et in cælo et in terra inauditum (ignotum aut inexplicabile); est Asa (Deus) furtim malleo spoliatus (2). Ibant ad fulgida domicilia Freyæ, qvæ e Thori petito lubenter ei mutuavit pennatam suam formam (aut alatas induvias) qvam Lokius gestans ex Asgardia in Jotunheimos avolavit (3-4). Indagat Lokius ibi Thrymum, gigantum principem, malleum terrâ absconditum servare, qvi tamen istum reddere negat, nisi Freya ei matrimonio jungeretur (5-8); cfr. *Miöl-nir* s. *Þrymr* i. Lokius revolans ac Thorum in media Midgardia sibi obvium habens, isti sciscitanti memorata refert (9-11). Visitant iterum pulcherrimam Freyam, qvæ illo nuntio valde irata cum Thoro (vel Lokio) *) in Jotunheimos curro vehi irata denegat (12-13). Asæ ac Asyniæ congregati consultant de Mjölnere repetendo, ubi Heimdallus id consilium proponit, qvod Thorum personatum, Freyæ loco, Jotunheimos mitterent (15-16). Recusat Thorus talem expeditionem, ne Asæ eum effeminatum appellarent si nuptiali bysso velari pateretur (17). Ast observante Lokio: "ilico gigantes esse Asgardiam habitaturos, nisi malleus ille recuperaretur" (18) redimiebatur Thorus nuptiali bysso **) et Brisingico (vel flammeo) Freyæ monili; faciebant sub eo clangere claves et muliebrem vestem genua circumfluere; in pectore ponebant latas gemmas et dextre apice caput ejus amiciebant (19). Aurigabat Thorus, ita personatus, comite Lokio, ancillam ipsius repræsentante Jotunheimos versus (20-21). Eos Thrymus, Thursorum princeps, lætabundus convivio recipit 22-24. Miratur Thrymus sponsæ multivorantiam, qvam Lokius ita callide excusat, qvod Freya octo noctes (vel dies) nihil gustaverit, præ insana Jotunheimensis connubii cupidine (25-26). Ancilla ficta flammeum sponsæ visum simili insomniâ causatam esse declarat (27-28). Gigante ita decepto sponsalia præparantur (29) at Thrymus ipse Mioelnerem (flammantem) petit qvo nuptiæ rite consecrarentur (30) Malleo ita recuperato Thorus gigantem

*) Fatemur incertam esse textus de hoc momento sententiam, ac id qvoqve mendum supra in artic. *Freya* irrepsisse, qvod Lokius illam petitionem protulisse dicatur. — Jam cum b. G. Magnæo Thori verba potius esse suspicamur; vid. ejus obs. 14.

**) Hic *lín* vel *lína*; cfr. *Rigsmál* 37. Ad hunc locum adtulimus prisci hujus Islandici & hodierni qvoqve rusticæ Sveciæ moris descriptionem e Gunnaris Pauli & Sjoeborgii testimoniis. Cfr. *Laxdœla-Saga* ed. Havn. (1826) p. 296 & *Geijer Svear. Häfder* 491. Vela nuptialia (vel *flammea)* antiqvitus inter plurimus gentes in usu fuerunt; sic qvoqve apud Romanos qvi *nuptias* a *nubendo* derivant. Cfr. Plin. H. N. XXI, 8. Sec. 17^mo^ Rusfi hunc morem retinuerunt, tunc qvoqve Armeniis & pl. communem. Vid. *Olearii Pers. Reisebeschr.* p. 138.

Thrymum cum tota ejus familiâ validissime percusſit (31, 32). Cfr. *Þrymr* *) i. Qvo modo Thorus trium aliorum celebrium gigantum cædes perpetraverit vid. artice. *Hrúngnir*, *Hýmir*, *Þiasſi* s. Memorantur porro plura ejus facinora in perpetuo ejus cum malis dæmonibus ac monstris giganteis bello, e. gr. expeditio qvædam (ut multæ aliæ o: annuæ) orientalis, ut gigantes & oreades sterneret; si omnes viverent, eorum natio nimis numerosa evaderet at nihil hominum sub Midgardo superesſet *Harb. L.* 22; amnis vel vadi valida defensio contra Svarangi filios, qvi saxis illum incedebant at pacem tandem exorare cogebantur (28); conflictus acerrimus cum sævis gigantum mulieribus, qvæ in Hleseya pesſima patraverant scelera, omnem gentem dolis deceperant, intentarunt Thoro ferreum fustem **) p. p. vid. *Þiálfi* s. (37). Sic ei raro intercedit gratia cum gigantum virginibus, qvamvis Freya speret Hyndlæ oreadi ejus favorem se sacrificiis & adoratione adqvisituram esſe *(Hyndl. L. 4)*.

Joermungandus sive Midgardicus serpens inter monstra Diis ac mundo maxime perniciosa merito habetur; huic qvoqve Thorus fuit inimicisſimus, ac eum perdere tentavit, qvos ejus conatus, a vetustatis poëtis & artificibus varie repræsentatos, nos supra suo loco disqvisivimus. Ast in eodem itinere (præter Hymeris ac ejus asſeclarum cædem, alibi memoratam) varia alia facinora gesſit. Eddâ nostrâ testante dicta expeditío. a Thoro & Tyre instituebatur pro lebete, satis capaci, in Aegeri usum accersiendo, at in ista Thorus nigri tauri (prægrandis staturæ) caput defregit (vel detorqvendo a corpore separavit), p. p. qvæ omnia ad alios articulos adtulimus.

---

*) Videas cæterum nostram in hoc carmen introductionem & observationes, Vers. Dan. II, 87-128. Conjeci ibidem (p. 92) hunc mythum partim ortum esſe e globi aërei igniti cum Luna (Freya) similitudine, qvi tamen tandem disrumpitur cum maximo fragore, fulgura ac lapideam aërolithorum procellam emittens. Sic Thorus Freyæ habitum vel personam suscepisſe fingebatur. At certe alioqvin hic mythus allusit ad fulminantis genii ex hiberno sommo expergefactionem &c. qvæ uberiore explicatione hic non indigent; ast sic de re ea lectorem ablegare possumus ad commentarios Stuhrii (l. c. pag. 79 & sq.) et Mone (l. c. I, 406 sq.). Opinamur ceteroqvin hanc fabulam originitus eandem esſe ac Græcorum illam de *Aphrodite apaturiâ*, cujus ope ac astutiâ Hercules gigantes in speluncis debellavit. Dea dicta templum celebre habuit Phanagoriæ, ac igitur in atavorum nostrorum verisimili patria. Cfr. Creuzer l. c. III, 523. Huc porro pertinent variæ Vishnui transmutationes in pulchras Dearum vel nympharum (ut Parvadis & Mahmonis) formas ut gigantes deciperet & debellaret. Indi alioqvin Vishnuum per certum anni tempus somnum capere finguut &c.

**) Ferrei fustes vel clavæ, qvibus giganteæ oreades — etiam in recentiorum Danorum cantilenis — præditæ describuntur, verisimiliter alludunt ad glaciales hyemis masſas. Sic Norvegi noctes gelidas, qvæ segeti nocent, vocant *Jernnætter* (ferreas n.) at Islandis hyems severa audit *Lurkr* (fustis, clava &c.) Cfr. vers. Dan. II, 90, 162. Plura huc pertinentia infra adferemus.

In carmine Alvisiano Deus hicce (sub Ving-Thori nomine) inusitato alioqvin modo Dvergum qvendam vel Alfum nigrum, qvi *Alvis* vel omniscius appellatur, et ejus filiam (non nominatam) ambierat, ac sponsionem factam esse perhibebat, callide satis nocturno tempore examinando detinuit, donec lux diurna illum occideret*). Dvergus ille, nasum pallens et defuncto homini qvoad colorem, sed formâ giganteo monstro non absimilis, at sub terra inferius & grandi saxo habitans, ad talem sponsam ducendam Thoro minime natus videbatur; is paterno jure sponsionem igitur se retractare declaravit, seqve dum ista faciebatur domi non fuisse perhibuit (*Alv. M.* 1-4). Alvis iratus se loqventem ignoscere fatetur, dicens eum longinqva tela vix emittere posse (5) at Thoro suum ac patris nomen indicante & matrimonii prohibitionem repetenti (6) Dvergus ipsius favorem et consensum expetit (7). Hunc Thorus promittit, conditione additâ, si nimirum sapiens ille hospes posset ei dicere e qvocunqve mundo, omne id qvod Thorus scire cupiret. Seqvuntur ejus qvæstiones & Alvisi responsa de variis terræ, cæli, lunæ, solis & aliarum rerum denominationibus in lingvis Asarum, Vanorum, Alforum, Dvergorum, Gigantum & pl. (9-34) donec Thorus declarat se dolo insigni sapientem illum Dvergum delusisse, qvum supra tellurem a die sit deprehensus, at solis jubar aulas intravisset (35).

Qvo modo Harbardus gigas Thorum vecturam aqvaticam petentem, hanc ei denegans tractaverit, nos supra suis locis retulimus ac explicare tentavimus.

Cum Lokius in Aegeri convivio acerrimis scommatibus cuncta numina insectaretur, Sifæ tandem adulterium secum commissum opprobravit (*Æg. dr.* 55). Indicat illi Beyla montes omnes tremere ac Thorum domo esse profectum**), ut deorum ac hominum convitiatori silentium tandem imponeret (56). Thorus revera advenit, Lokio graviter minans at contumeliis ab isto excipiebatur, donec minis fulminatoris repetitis metu affectus illum solum se pugnaturum scire, at semet igitur ei cessurum & Aegeri aulâ exiturum declarat (65).

Objecerat Lokius Thoro, inter alia, probrosum illud vaticinium, qvod audaciâ vel animo destituendus sit in ultimo

*) Videtur igitur alludere ad Thorum hiberno tempore *inermem* (qvem Thrymsqvida laudata decantat); is Döckalfos vel tenebrarum hyemales genios non vi sed prudente retardatione interimere fingitur.

**) Innuitur nimirum Thorus, longe absens, audiisse blasphemiam Lokii & citissimum igitur ac aëreum iter statim iniisse. Eodem modo absens vocatus adfuit, qvum ab Asis contra gigantis Hrungneri rabiem & alius (Svadilfarii posfesforis) periculosas machinationes invocaretur (Edd. jun. l. c. pag. 46, 47, 107-108). Eadem qvalitas Odino ab aliis adtribuitur ut suo loco probavimus.

Deorum contra lupum Fenserem certamine *Æg. dr.* 59. Contraria prædicuntur in transſcriptis, qvæ nunc exsistunt, legibilibus Valiani carminis, qvamvis serpens Midgardicus revera intelligi debeat; at ab (hoc) angve contumelias (vel exitium) non metuente, nutans Deus novem tantum paſſus (vivus) gradietur.

Edda junior sive prosaica hæc de Thoro continet: (Pag. 11): "Terra Odini (vel Omnipatris) fuit filia et uxor, ex qva primum condidit filium, qvi est Asarum Thorus" *Ása-Þór.* i. e. Thorus Asarum sive Deorum cætui adnumerandus, & interdum forte: ab Asarum populo vel cultoribus adoratus; ei robur ac fortitudo fuerunt indita, qvorum ope is omnia superat entia viva." "Cfr. *Jörd* s.). (Pag. 23)." Qværit porro Gangler: "Qvænam sunt reliqvorum (post Odinum) Asarum nomina? aut qvænam illi patrarunt egregia gesta? Thorus reliqvos Asas præcellit, alias *Asa-Thor (Ása-Þór)* sive etiam *Avku-Thor* vel *Öko-Thor* (i e. currum agens, auriga vel vectorius) appellatus. Hic robore corporis omnes divos & homines superat; regnum posſidet qvod Thrudvangi nuncupatur (vid. *Þrúdheimr* i.) sed aula ejus Bilskirner (q. v.) *) in qva basilica qvingenta & qvadraginta conclavia (cameræ vel continuationes) numerantur. Hæc etenim domus maxima est omnium qvæ ab hominibus sunt exstructæ. (Allegatur stropha memorata Grimneriani carminis). Thoro duo sunt capri qvorum nomina sunt Tangniostus & Tangrisner **); hi rhedam ejus, cum istam agit, trahere solent, unde isti illud Ako-Thori nomen. Is præterea posſidet tres pretiosſimas res: una est malleus, nomine Mjölner, qvem per aëra vibratum neutiqvam ignorant gigantes pruinosi nec saxei (vel montani; *HrímÞursar oc Bergrisar);* idqve non mirum est, utpote qvi capita patrum eorundem et consangvineorum multorum confregerit. Secunda est balteus, dictus *Megingjardir,* baltea roboris seu corroborantia ***) qvo

*) De vocabuli verisimilibus etymis, cfr. *το Bilr, Bylr* procella, turbo & verbum *sklra* serenare, vid. Gl. T. I & II. v. *Skír.*

**) *Tanngnióstr* dentibus frendens vel stridens (a verbo *gnýsta, gnista*); *Tanngrisnir* (forte: dentes habes hiulcos vel non satis contiguos ab adj. *grisinn* rarus, porosus).

***) Orientalem hæc fictio certe habet originem; vates Hebræorum regius ita summum Deum decantat (Ps. XCIII, 1) "Jehova regnat, celsitate indutus; *robore se obcingit;* etiam stabilitur *orbis habitabilis* ne dimoveatur." *Ser-Osch,* divinus Persarum genius in libris Zendicis dicitur "Rex fortis telluris, in splendido Deorum montis loco habitans, homines curans & defendens, qvi *balteo* malos dæmones profligat &c." Cfr. *Dorow morgenl. Alterth.* I, 5 & sq. Mirandâ certe cum nostris mythis convenientia in *Adami libro* (Nasaræis sacro) *Turo,* fulminis dæmon, bellaturus *jure* suo se circumdare dicitur. *(Norberg Onomast. Cod. Nasar.* pag. 59). Interdum in fulminea tempestate nubes revera in spisſisſimi baltei modum formantur; talem nubilum ac fulgureum balteum describit e. gr. *Pallas (Reisen im Russ. Reich.*

dum se cingit, duplo majus ei accrescit robur divinum *(Ás-megin)* *). Tertia magni sane est valoris; chirothecæ nimirum ferreæ**) qvæ illi ad mallei [excandescentis] manubrium rite prensandum sunt penitus necesfariæ. Nemo autem tantæ est peritiæ historicæ, ut omnia ejusdem grandia et præclara gesta enumerare valeat. Interim tamen adeo tibi multa eorum referre posfum, ut horæ, anteqvam omnia mihi nota eloqvutus fuero, permultæ revera (auscultando) fallantur."

Variis locis Edda junior generaliter memorat Thori expeditiones orientales ad larvas giganteas vel mala dæmonia (soli ac lunæ inimica) debellanda; — cfr. art. *Tröll* s. — e. gr. pag. 46, 107, 129. At porro qvædam talium ejus & similium contra gigantes gestorum facinorum prolixius referuntur, qvæ etiam partim illius Eddæ ductu supra inseruimus artic. *Hrúngnir*, *Hýmir*, *Sleipnir*, *Þiasfi*, *Vidar*, *Jörmungandr*. Ast præter ea duo alia Thori ad gigantum regiones periculosisfima itinera describit, ad sedem Geirrodi nimirum & Lokii Utgardensis regiam. Prior expeditio in Skálda (vel Bragianorum sermonum continuatione) describitur (pag. 112 & sq.): (Hrungneri fabulâ recitata) "inqvit Aeger: Multum mihi qvidem Hrungner propriis viribus valuisfe videtur; interim vero qværere libet an Thorus his majora unqvam perpetraverit qvando illi cum Trollis esfet concertandum? Respondet Bragius: Res magna eqvidem narratione digna est: cum Thorus Geirrodi-gardos proficisceretur; tunc enim nec malleo Mioelnere, nec cingulis corroborantibus nec deniqve chirothecis ferreis usus est, cujus tamen auctor Lokius erat) qvi eum qvoqve postea illuc est comitatus. (De fraude illa Lokii et ejus causa, vid. art. *Loki* s. Qvo autem modo & qva ratione oreas Grida, Vidaris taciturni mater, Thoro suum baculum, roborificum cingulum & ferreas chirothecas mutuaret, vid. *Vidar* s; describitur ibidem Thori transitus per amnem Vimam & cantilena qvam is ea occasione cecinisfe fertur). Pergit Bragii relatio ***): "Versus superiora montis prærupta, per qvæ amnis se proruit, respiciens Thorus,

---

1770, II, 306). Indi hodierni, grave onus portaturi, pro corpore roborificando balteo se semper accingunt; *Ward Wiew* &c. II, 471.

*) In relatione de capturâ angvis Midgardensis Thorus dicitur divinum hocce robur contraxisfe *(færdiz i ásmegin)* l. c. pag. 65. Vid. *Hýmir* s. Adde cantilenas, Thoro ipsi aliis occasionibus adscriptas (pag. 114-115) & Skrymerianum mythum (pag. 51). At in narratione de Hrungnere dicitur *Ásmódr* (furor Asicus, pag. 109); vid. *Hrúngnir* s.

**) *Járnglófar*; at Codex Upsalienses habet *Járngreipar* o: uncini ferrei, digitalem qvandam formam habentes. Posterius nomen occurrit in codicibus reliqvis, in relatione de itinere Thori ad Geirrodi habitacula, ed. Rask. pag. 112, 115.

***) Hæc qvoqve impresfa sunt ac translata in celeberr. S. Thorlacii *Antt. sept. obs. misc.* VII, 10 & sq.

hic stantem cernit Gialpam, Geirrodi filiam qvæ utramqve fluminis marginem divaricando complexa, amnem proluvie irritabat *). Hic Thorus ingentem ex fundo fluminis lapidem correptum in illam contorsit, ictu non aberrante destinata ferire svetus, dixitqve: Prope scaturiginem amnis est obstruendus **). Mox ripæ illum æstus admovit, ubi oblatum forte sorbi fruticem prehendens, ascendit ex fluvio; iccirco veteri dicitur dicitur verbo: *sorbus Thori servatrix****).

*) De oreadibus vel giganteis lsrvis inundationes simili modo causantibus secundum Eddæ antiqvioris locum, vid. artic, *Hýmir;* cfr. porro *Jötun*, *Tröll*; it. *Giálp* s. Gentiles Thorum contra omnifarias gigantum invasiones, ac aic qvoqve contra noxias inundationes, hominibus auxiliari crediderunt.

**) Hoc proverbium adhuc inter Islandos in usu est,

***) *Reynir er biavrg Þórs.* Hinc nomen Islandicum muliebre *Þórbiörg* (Thorbiarga) qvod Gretterus Asmundi (sec. 11 mi heros) poetice ita circumscripsit *tveggia handa hjálp Sifiar-vers* o: auxilium, ambabus Sifæ mariti (Thori) manibus præstitum. *Grettis-Saga* ed. Hol. pag. 128 (ubi. *verds* pro *vers* perperam ponitur; toto sensu injuste mutato). At qvoqve *biavrg Þórs* &c. significare potest *opem a Thoro datam* (contra gigantes ac lamias & earum cultores o: veneficos & veneficas); sic certe Thoro sacra arbor hæcce fuit, (non autem, qvantum scimus, sambucus, ut vult laudatus *Mone* l. c. I. 432; cfr. *Vœttur* s.). Hinc iterum optime illustrantur borealium gentium superstitiones de dæmonica vel magica sorbi præstantia. Sic de iis inter Danos & Norvegos Pontoppidanus *(Everric. ferm. vet.* pag. 80): "Qvod insidia sagarum ipsiusqve illorum antesignani diaboli opponat, non aliud sorbo fortius novit munimentum arctoa simplicitas. Hinc vigilia in primis Valpurgidis, veneficis ex mente plebeculæ comitiali [vid. *Skalpi* s.] certa domus loca, stabula videlicet, sterqvilinia &c. aorbi obumbrant ramusculi. Fortunæ beneficium debet superstitio, si illi fabricatum ex sorbo contigit scrinium, compilari nescium. Nec dubia spes lucri affulget, ubi presfurum e flore lactis butyrum sorbus dederit scipionem." Idem auctor alio loco (in hist. nat. Norvegiæ) memorat opinionem rusticorum de *sorbi foliis* morbos *caprorum* (olim qvoqve Thoro sacrorum) sanantibus, Ast nullibi forte tantum commodum sorbus hominibus indulget qvam in Norvegia, ubi ejus baccæ gratis adnumerantur cibariis &c. unde proverbiali hacce utuntur phrasi: *Rognen föder* (sorbus nutrit vel alit). Vide *Wille Beskr. over Sillejords Prg.* p. 101; *Gjelleböl Beskr.* o. *Hölands Prg.* p. 222. In Jutia & Fionia Daniæ ad nostra usqve tempora viguerunt illæ de magica sorbi præstantia opiniones, ut a plebejis pro sancta arbore habeatur (*N. Blicher Topographie over Vium Præstekald, Viborg* 1795, pag. 213). Idem de Svecis hodiernis valet e testimonio Westerdalii (l. c. pag. 52) ubi sorbus qvoqve adhiberi dicitur jugis taurorum, ahenis, qvibus cerevisia coqvitur vel servatur &c. In Sootia et Anglia easdem vulgus sententias concepit, sorbi ramusculum pro egregio contra veneficia amuleto æstimans. Gentilismo certe adscribenda est fabula de sorbo in una Orcadensium insularum, olim (Gaelice) dictâ *Tannmore*, â Norvegis inhabitatâ; illa arbor tali sanctitate prædita habebatur, ut crederetur insula exterorum imperio subjici, si unus ejus ramus a peregrinis auferretur; ob eam causam arctisfime custodiebatur *(Gall. Alterth.* l. c. I, 159). Ast adhuc sorbus a Scotis montanis homines contra cunctos noxiæ magiæ effectus servare putatur *(Pennant Tour in Scotland* 1769. Ed. III. pag. 141, cfr. *Scots Magazine* LXXVI, 197). Sunt qvi obsoletam in dramate qvodam Shakespeariano phrasin *Aroynthee* malunt legere *a royn tree* i. e. ecce sorbus! qvâ ni-

Ubi autem ad Geirrodi sedem perventum, in domum, qva hospites excipi solebant, ad pernoctandum Thorus cum sociis *) primum inducitur. Hic unica erat sella, in qvâ Thorus se composuit; eam vero sibi subjectam ad tecti usqve cratem levari cum sentiret, Gridæ baculo, tecti tignis impacto, sellam et pondere et nisu gravis depressit. Exstitit tum crepitus ingens, qvem acutæ ejulantium voces sequebantur. Fuerant nempe subter sedili filiæ Geirrodi Gialpa & Greipa **), qvarum utriqve tergum sessor infregerat. In hanc rem ita Thorus:

Divinis ego viribus
Semel usus annitebar
Jotnicis in tractibus;
Ubi me Geirrodiades
Gialpa & Greipa sorores
Ad cæla levare volebant.

Geirrodi deinde jussu ad ludos in aulam Thorus arcessitur. Ardebant in pavimento ignes, qva in longum ædes aulica patebat. Huc ingressum Thorum, cum sibi adversum haberet Geirrodus, ignitum ferri spiculum, forcipe correptum, in Thorum jaculatus est; advolans illud Thorus ferratis excepit manibus et sublime retorsit. Ictum vitaturus Geirrodus pone columnam ferream se stitit; tanta vero vi Thorus excussum adegit jaculum, ut et columnam illud, et Geirrodum, et pa-

---

mirum exclamatione vis venefica fugari crederetur. (Est enim vet. Angl. *Royntree*, Scot. *Roun-*, *Roan-*, *Rowan-tree*, Isl. *Reynir*, *Reynitré*, Dan. & Svec. *Rön*, *Rönnetræ*, Norveg. *Rogn* &c.) Sorbi apud primos ac ethnicos qvidem Islandiæ incolas, e Norvegiâ emigratos, sanctitatem ac cultum, testantur insulæ vetustæ historiæ, ast illam superstitionem auctores singulari modo cum christianismi præsagiis connectere studuerunt; vid. e. gr. *Sturlúnga Saga* (ed. soc. lit. Isl.) I, 5-6. Hinc mixtæ vulgi de sorbi *fausta* vel *infausta* naturâ aut usu sententiæ. Sic e. gr. rustici arboris illius excisionem ita avertunt, ut usum ejus domesticum vel navalem hominibus perniciosum esse declarent (*Olavii oecon. Reise* I, 23, *Mohr. Isl. Naturhist.* p. 187). Moedrufelli in boreali Islandia sorbus insignis adhuc spectatur, qvæ sancta dicitur ac antiqvitus fuit relligiose culta, luminaribus in ejus ramis Jolensi nocte ubiqve accensis, qvæ vento non exstingvi posse credebantur &c. Ad superstitionem abolendam ipsa aliqvando fuit excisa, sed jam iterum excreta reflorescit; *Mohr.* l. c. p. 186. *Thienemann Reise in Island* (1827) Tom. II. —Num in Germania sorbi exsistat superstitiosa veneratio, me adhuc latet; sst cornus a qvibusdam fulmen averruncare creditur &c. Alioqvin verisimiliter illa gentilium borealium traditio de sorbo Thori servatrice aliqvam habuit mysticam significationem, jam nobis ignotam. Loqvebantur etiam exteræ gentes de suorum Deorum salvatione e magnis periculis, unde mystica hæcce formula:

Θαρρεῖτε μυσται του θεου σεσωσμενου,
Ἐσται γαρ ἡμιν εκ πονων σωτηρία.

Eodem modo nostrates, sacræ illius arboris ramusculum &c. ut fortissimum contra mala diversa tutamen habentes e Dei sui ærumnis ac liberatione propriam petebant servationem. Cfr. *Jul. Firmic. de errore profanarum relig. cum notis Munteri*, (1826) Cap. 23, pag. 88.

*) Vel socio, ut innuit (pag. 114) versio l. c. impressa qvod Lokius solus Thorum in eo itinere comitaretur. At Thialfius in Thorsdrapâ (pag. 116) id fecisse memoratur.

**) De horum nominum etymologia p. p. vid. s. artic. *Gíálp* & *Greip*.

rietem transverberaret, porroqve in terram iis exteriorem penetraret. Hanc secutus traditionem Eilifus Gudrunides in Thorsdrapâ (commentatus est"*). Exsistit qvoqve parodia brevior fabulæ illius de Thori & Geirrodi certamine, jusſu Regis Norvegiæ, Haraldi Sigurdini, a Thiodolfo Islandico poëta factâ circa annum 1060, describens nimirum fabri cujusdam ferrarii contentionem cum cerdone, Nidrosiæ accidentem **). Saxonem Danum hunc Eddæ nostræ mythum novisſe, suo loco infra monstrabimus.

Sic fulminantis numinis admiranda facinora mythice descripserunt gentiles nostri atavi — tamen in ipsa extima Utgardia, vel regni hujus gigantei metropoli (polari forte ac vere hyperborea regione) Thori potestatem, propter frigorificorum dæmonum astutiam ac infernalem ma-

*) Obscurisſimum hocce fragmentum b. Thorlacius summa sua doctrina & ingenio dilucidare l. c. (p. 16 & sq.) feliciter conatus est, qvo igitur lectorem, qvæ prolixum illum commentarium consulere optat, ablegare posſumus. Cfr. nostros artic. *Mimir*, *Þiálfi* s. Minora alia ejusdem sectionis fragmenta (Skaldæ pag. 171-2) a laudato interprete (l. c. VII, 171-3) reliqvis sunt addita».

**) Seqvens narratio & cantilenæ leguntur in biographia vetusta Sneglu-Hallii poëtæ, cujus duæ variæ recensiones ineditæ habentur, qvas latinitati donavi (qvæ versiones non adhuc typis sunt vulgatæ, at Danicæ tamen nostræ in scriptis societatis literariæ Scandinavicæ & societatis antiqvariæ septentrionalis prodierunt): "Die qvodam Rex, comitatu suo deductus, per plateas (Nidrosiæ urbis) ambulabat. In fornice qvodam litem primum inter cerdonem ac fabrum ferrarium audiebant, qvi etiam deinde manibus conflictabantur. Rex gradum sistens et hanc scenam paulisper intuitus, sic dixit: hinc abeamus, hujus causæ expers fore velim, sed tu Thiodolfe! cantilenam facias de istis agentem. Me dedecet! Domine! Thiodolfus regesſit, cum poëta tuus principalis ego appellar. Difficilius est, Rex inqvit, qvam forsan cogitas; fac eo longe alios esſe qvam revera sunt; sit hic Sigurdus Fafnericida, alter vero ipse Fafner, sed cuiqve eorum sua reddas attributa. Thiodolfus hoc carmen protulit:

Sigurdus marculo irritavit
Cani ligni coriarii angvem,
Draco autem pelles radens
Repsit per tesqva solearum [pavimentum].
Priusqvam serpentem bubuli corii vinceret
Rex nasutus forcipis, illi insidens,
Os ejus visum est
Ustrinæ clavâ instructum.

[Cfr. *Fafnir* s.]. Bene (Rex inqvit) hoc carmen est compositum; nunc autem alterum cane; simulaqve hunc esſe gigantem Geirrodum, alterum vero (Deastrum) Thorum; ac cuiqve iterum sua attributa redde. Tum Thiodolfus cecinit:

Projecit ex habitaculo gigantum
Folles Thorus ingentes,
Ac carnis caprini fulmina vibrans
Crebris gigantem petiit ictibus;
Is qvi coria corrugat,
Cepit fustem (tudem) ex ustrinâ sonora,
Geirrödus, fascinorum faber,
Candente eo spiculo lætus evasit".

Parodias istas christiano vati & ævo deberi, qvoad illam veterum mythorum talem adplicationem rite alioqvin est observandum.

giam, penitus illudi ac frustrari, qvamvis revera non annihilari crediderunt. At locales illæ vel cosmographicæ fabulæ gliscente tempore ad tempus ipsum ac varias anni periodos extendebantur, ut Asgardia æstatem, Utgardia hyemem allegorice sacris poëtis significaret, qveis nimirum eam veritatem figuratim indicare volebant, qvod oppositis naturæ numinibus vel elementariis viribus certi esſent termini constituti, qvos impune horum rectoribus geniis non transgredi liceret. Ita, ê nostra opinione, seqventis fabulæ tenor rite erit explicandus*). Eam Eddæ junioris traditionem (pag. 48-61), prolixe expositam, nos ex aliqva parte contrahere & abbreviare cogimur. "Interrogavit Ganglerus: Nonne Thorum ullibi locorum in itineribus suis res adeo potentes & validæ offenderunt, ut roboris vel magiæ supereminentiâ vires ejus depresſerint? Respondet Har: paucos opinor talia referre posſe; multa tamen admodum difficilia fuisſe ipsi visa sunt. Interim tamen, etsi rem qvandam adeo firmam ac robustam, ut debellare neqvivevit, offendisſet, neutiqvam jure historico referre oportet: qvoniam multa id arguant exempla, omnesqve credere fas est, qvod Thorus omnium sit fortisſimus. Tum Gangler: jam videor mihi de tali re qvæstionem instituisſe, qvam nemo par erit solvendo. Mox Jafnhar Inaudivimus qvidem aliqvid de nonnullis, qvæ nobis incredibilia (vel â vero abludere) visæ sunt; sed is prope hic assidet, qvi vera rerum gesta narrare noverit; noliqve credere eum jam primâ vice mentiri, qvi antehac nunqvam mentitus est. Tunc Gangler: hic ego stans auscultabo, si qvæ hujus rogati resolutio detur; alioqvin vos merito dicam exhaustos superatosqve, si ad rogata respondere neqviveritis. Tum Thridius: Jam penitus liqvet, qvod iſte talia scire cupidus aveat, etiamsi nobis omnia illa relatu satis pulchra non videantur". Seqvitur relatio de Thori (Jotunheimos petentis) hospitio apud patrem Thialfi & Roskvæ, ossifragio alterius ejus capri &c. inserta artic. *Röskva* s. Pergit Eddica relatio. "Ibi Thorus, capris suis relictis, iter suum Jotunheimos

*) Cfr. *Mone Gesch. des Nordcur. Heidenth.* I, 408 & sq. Eandem veterum opinionem manifeste prodit Harbardianum poëma. Tam ex eo qvam e mox seqvente relationis prologo elucere mihi videtur respectus aliqvis ad Thori ac Odini sectatorum schismatica disſidia & forte qvoqve mystica partim dogmata vel sacras parabolas, discipulis a doctoribus sacerdotalibus olim communicari solitas. Incipit autem ipsa hæcce informatio fabulâ de Thialfio ac Roskua a Thoro adqvisitis, qvam ita memorat *Hym. Qv.* 38: "Vos [discipuli vel auscultatores] vero audiistis (ac *qvisqve* sane *Theologorum* de eo potest plenius — vel plene — enarrare) qvam repensionem ille (Thorus) a saxicolâ acceperit &c." Innuunt autem verba illa carmen aliqvod de iis eventis (ac forte qvoqve de tota ista expeditione) exstitisſe, qvod jam dudum deperditum est. Cfr. str. 37 ubi Lokius (ac verisimiliter qvidem Utgardensis ille) damni capro, Thori illati, auctor fuisſe perhibetur.

versus instituit & ad oceanum usqve profundissimum perrexit, qvo trajecto in terram continentem *) cum Lokio, Thialfio & Roskva ascendit. Qvi cum paulisper progressi essent in vastam qvandam ingrediuntur sylvam, per qvam ambulando totam diem ad tenebras usqve consumserunt. Thialfius autem pernicitate pedum omnes homines superavit; hic manticam Thori portavit, sed commeatus (vel esca) vix adqviri potuit **). — Tenebris obortis cum qværerent locum sibi pernoctandi ædem qvandam prægrandem invenerunt, cujus aditus altera exsistens extremitate æqvalem habuit cum ipsa æde latitudinem; hic sibi viatores pernoctandi locum elegerunt. Ast circa mediam noctem contigit ingens terræ motus, adeo ut ædes cum ipso fundamento sub iis diversis validis ictibus conqvassaretur tremebunda. Surgens igitur Thorus socios excitavit, qvi tutiorem qværentes locum in medio ædis, ad dextrum latus, cameram qvandam invenerunt, eoqve secesserunt; ipse vero Thorus, foribus insidens, manubrium mallei manibus strinxit, defensioni parandæ, si necessitas urgeret, intentus; socii vero timore perculsi in interiorem a Thoro ædiculæ parte, qvæ erat instar separati conclavis, se contulerunt. Mox sonitum qvalemcunqve stridulum, et qvasi strepitum magnum audiverunt. Appetente tandem die exivit Thorus, viditqve virum et illum qvidem corpore neutiqvam parvum, prope in sylva jacentem, qvi dormiens valde stertuit. Inde Thorus sibi caussam tanti strepitus nocturni percipere videbatur. Sed mox illi cingulis corroborantibus se cingenti, robur accrevit Asicum (sive divinum). Verum eodem momento vir ille grandis evigilans statim in pedes se erexit: traditumqve est memoriæ tunc una vice animum Thoro, qvo minus illum feriret, recedisse, sed de nomine ipsum interrogat. Respondet hicce se Skrymerem appellari, sed non mihi opus est ex te nomen tuum sciscitari, qvum mihi te Thorum esse Asicum pro certo constet. At qvo chirothecam meam abstraxisti? — Tum Skrymer brachium extendens, illam ad se recepit. Tunc primum vidit Thorus se per noctem istâ pro diversorio usum fuisse et qvod conclave illud laterale pollicis esset vagina ***). Qværit autem Skrymer num Thorus secum ciba-

*) Utgardos vel Utgardiam alioqvin dictam; vox *Utgardar* (opposita τοις *Asgardr* & *Mitgardr*) proprie denotat: extima valla, habitacula seu regiones, qvæ revera adunari vel connecti putabantur subterraneo Helæ mundo vel toti inferiori hemisphæræ. — At princeps illius regni, â ditione ei subjectâ, vulgo vocabatur *Utgarda-Loka*, vel Utgardensis Lokius; ac certe vox *Loki* explicari potest: cingens, claudens, finiens, qvæ omnes qvalitates ei a variis propter varias rationes adtribuebantur. Vid. *Loki*, *Jötun*, *Tröll* s. it. *Þurs* i.

**) Autumnali tempore incidente vapores aëris frigescunt, qvam ob causam fulminator suo ita nutrimento destitui videtur, ac hic qvoqve allegorice fingitur.

***) Singularis hujus fictionis ænigmaticum (vel Runis verbalibus figuratum, ut in Thiassii & co-

riorum communitatem inire vellet? qvam oblationem Thorus adfirmans accepit. Tum saccum viatici suum solvit Skrymer pransurus, sed Thorus cum sociis alibi.. Iterum ille, num viatici sui sacculos una eademqve sarcina comprehendere vellent qvæsivit, qvod cum annueret Thorus utrumqve viaticum Skrymer in unam colligavit sarcinam, et tergo suo imposuit; qvo facto per diem passibus amplis præcessit. Sera autem vespertina sub arbore qvadam Skrymer illis pernoctandi locum elegit. Tum Thorum alloqvens dicit se somni capiendi causa cubitum iturum; vos vero (inqvit) sarcinâ viatici assumta cœnam vobis parate. Mox Skrymer obdormiens valde rhoncissavit; Thorus autem sarcinam viatici tractans, vult dissolvere, sed (licet incredibile videatur) referendum tamen est, qvod non ullum nodorum extricare, nec qvidem finem alicuius loramenti movere valuit, ut vincula laxiora qvam antea fierent *). Ille tandem hunc conatum frustraneum videns, iram concipit; malleum igitur Mioelnerem ambabus prehendens manibus et altero pede promoto ictum capiti ejus impegit. Qvo expergefactus Skrymer qværit, num foliorum aliqvod sibi in caput decideret; ut et num illi, cibo sumto,

---

gnatorum mytho) hunc opinor esse tenorem. Lokius Utgardensis, sub Skrymeris personâ latens, ipse est hyemalis dæmon. Nomen *Skrýmir* aut est vertendum a) grandisonus, b) fabulosus, jactabundus, c) deformis vel monstrosus aut etiam d) deformans. Hyemis princeps Hrimthursis sive frigorificis dæmonibus certe est adnumerandus, ac Thoro, æstivi caloris Deo, sua naturâ oppositus. — In baculis calendariis sive runicis prisci septentrionis *chirotheca* hyemis introitum vel primam diem significat; partim ut frigoris jam necessarie eâ arcendi symbolum, sed partim & principaliter ut hyemis fere synonymum. Dicebatur enim chirotheca antiqvis *Vöttr*, in Dalekarl. & Jemtelandico *Vätt*, *Vättar*, Norveg. *Væt*, *Vætter* (unde diminutivum priscum sed jam pro qvâvis chirotheca Islandis usitatum *Vetlingr*) at hyems *Vötr*, *Vetr*. Norveg. *Vetter*, *Vettre*, ambo verisimiliter derivanda a *Væta* udor, *Votr* udus &c. Similis qvædam etymologica cognatio adhuc exsistit inter Danica ac Svecica vocabula *Vante* et *Vinter*. — Motus terræ in fabula illa innuit gravissimas hyemis tempestates, qvæ fulminis qvoqve genium terrore afficere finguntur; at aspectu ipsius hyemis obstupescens fulgurator ferire hæsitat, nisi eo dormiente, sed isti tamen ictus ipsam hyemem destruere neqveunt. De chirothecâ, ut hyemis etiam inter recentiorem Daniæ plebem symbolo, cfr. *Ullr* s. — At hanc fabulam spectant scommata Harbardi contra Thorum *Harb. L.* 25 qvæ illam qvoqve (ut supra notavi) uberius illustrant. Cfr. porro *ÆEg. dr.* 61 & *Vetur* s.

*) Opinamur ipsam textus vocem *gresjárn* ex auctoris mente logogryphum continere propter ambiguam suam significationem; ea nimirum vulgo gaudet sensu in textu expresso, ast verbotenus explicari potest: *graminis* vel *vegetabilium ferramentum* o: glaciem, qvæ cum argento (ac rarius cum chalybe) alioqvin a poëtis comparatur; — est autem graminis qvasi ferreum tegmen vel ligamen, solum hibernum durissime obserans & Thoro (vel fulmini tepidis vaporibus sustento) nutrimentum proprium prohibens. Vid. *Gras* in Gl. T. III unde *gresia*, (pabulari), *ill-gresi* &c. Sic recte doctiss. Mone (l. c. I, 409): "*Die unauflöslichen Knoten sind die Kälte, die den grossen Speisesack, die Erde zuschnürt*". Cfr. *ÆEg. dr.* 63.

ad qviescendum parati essent. Respondet Thorus ita esse, atqve semet sub aliam arborem confert. Nec tunc erat, ut vera referam, securitas dormiendi multa." Sic secundo & dein tertio percussu Thorus Skrymerum adfecit, sed non meliore, qvam antea, successu; hic enim tantum qvæsiit: num glans vel qvisqviliæ in caput ejus inciderint. Surgens Skrymer Thorum sic alloqvebatur: "Ad urbem Utgardiæ *) jam non longa superest via. Persensi qvidem vos invicem mussitare me utiqve non esse parvum staturâ virum, sed multo grandiores, dum Utgardiam veneritis, viros videbitis. At consilium vobis dabo salubre; nolite vos in majus extollere; non enim satellites Lokii Utgardiani talium homuncionum verba contumacia leniter sufferent; alioqvin revertuntor, qvam ego vobis conditionem potius esse eligendam censeo; sin vero fixum vobis stet propositum pergendi, ad orientem iter vestrum dirigite; mihi autem boream versus, ad montes, qvos jam videre potestis, est eundum. His dictis Skrymer sarcinam viatici sui in tergum sibi conjicit, atqve transversim ab iis sylvam intrat. — — — Thorus cum sociis viæ se committit, qvi usqve ad meridianum tempus pedestre iter vadunt, donec in campis qvibusdam urbem conspiciunt, cujus tanta erat altitudo ut necesse haberent occiput in tergum reflectere, prius qvam visu sursum directo super eam con-

*) Vel metropolin regni Utgardiæ aut Utgardorum; vide de eo ac fabulis de gigantum boreali imperio inter Europæ & Asiæ populos prolixam nostram disqvisitionem: *Edda-Læren og dens Oprindelse* III, 134-178 (et alibi). De Utgardia proprie mythicâ in nota præcedente egimus, at etiam alioqvin idem nomen impositum fuit oris propioribus glacialis maris, ô vel in Russia boream versus sitis. Russis ipsis ac aliis audiit *Ugoria*, *Ugaria* vel *Jugoria* (vid. *Lehrberg Untersuchungen* &c. I, 28, 44 &c.) diversa tamen ab Uturgurorum vel Utigurorum Cimmeria regione qvæ prius Byzantinis innotuerat. Loqvitur Nestor de dæmonibus subterraneis sub celsis & nivosis Ugoriæ montibus carcere detentis &c. qvos Methodius patriarcha cum Orientalium Gog & Magog confudisse videtur. Nostræ mythicæ Utgardiæ respondet Persarum *Kaf*, Arabum & Hebræorum *Chog* &c. at ipsum illud boreale nomen reperitur in veteri Indorum *Uttaracurra*, *Uttaracora*, *Attaracora*, *Otorocarra* &c., (ut nostratium *Utgardar*, gen. &c. *Utgarda)* partim mythicâ partim historicâ, qvod loco citato probatum esse putamus. Addimus hoc loco Cashmirianæ historiæ Utaracurenses (præter dæmones ipsos) in speluncis & nivosis montibus (gigantum Scandinavicorum more) habitare, divitiis abundare et esse cultores Cuveræ vel Cuberæ (Cabiri) specubus montanis & pretiosis metallis imperantis; (cfr. *Dvergr* s.). Ad hæc doctiss. Wilson: "*This Hindu Cimmeria is of course the land of fable, but as far as is may be supposed to have a real prototype, Uttara Curu seems to imply the northern portion of Russian and Chinese Tartary. The name however appears to have been known nearer home* &c.". (*Asiat. Res.* 1825 XV, 51). De communibus Indici & Scandinavici nominis radicibus vid. Gl. T. II. v. *Ût* (Sancr. *ut*, unde vet. Scand. *utari*, *utara* recent. *ytri* &c. exterior, magis borealis, ultimus &c. Sanscr. *uttara*) & Gl. T. I, II & III v. *Gardr*. Qvod Indicum *Loka-Loka*, mythicam Utgardiam denotans, eam qvoqve Islandice significare possit, monstrare tentavi: *Eddalæren*, III, 162 & sq.

tueri (vel ejus fastigium cernere) possent. Accedunt ad portam urbis, cujus clathrata janua clausa erat. Thorus, licet in clathra adgrediendo impressionem faceret, aperire neqvivit; sed qvoniam urbem intrare studiose molirentur, tandem per transennas irrepserunt. Mox aulam magnificam vident, eoqve divertunt. Fores erant reseratæ, ideoqve intrant. In utroqve scamno multos conspiciunt viros, eosqve vastissimi corporis plerosqve. Et sine mora coram Rege Lokio Utgardensi se sistunt, eumqve consalutant; qvi tandem cunctanter ad eos respiciens et subridens loqvitur: Prolixum est de eventis longi itineris viatores qværere.*) vel, an res aliter se habet qvam opinor? num Thorus auriga (*Öko-þór*) revera hic sit pusio? sed major fortassis eris qvam mihi appares. At vero qvænam sunt illæ artes, ad qvas ostendendas vos socii paratos vos esse profitemini? nemini enim nobiscum manere licebit, qvi non aliqvâ arte vel scientia reliqvos homines præcellat. Tum respondebat, qvi postremus aulam introiverat, nimirum Lokius (Asicus): calleo artem ad qvem experiendam confestim sum paratus; nemo hic intus erit qvi citius me cibum comedere qveat. Respondet Lokius Utgardensis: ars qvidem est, si præstiteris, ejusqve statim rei periculum fiet — simulqve qvendam paulo ulterius in scamno sedentem advocat, cui nomen Logius (*Logi* i. e. flamma) **), præcepitqve ei ut in aulæ pavimentum procedat, atqve cum Lokio, qvid vires suæ efficere valeant, experimentum deponat. Tum linter carnibus mactatis oppletus in pavimentum aulæ inferebatur, ad cujus extremitatem finalem unam Lokius se ad assidendum contulit, ad alteram vero Logius; qvorum uterqve avidissime comedentes in medio alveo unus alteri occurrentes obvii facti sunt. Aſt Lokius carnes totas, ex ossibus avulsas, comederat; Logius vero non tantum carnes, sed ossa qvoqve, unacum lintre consumerat. Hinc omnibus videbatur, qvasi Lokius ludum perdidisset." ***). Seqvitur relatio de certamine Thialfii & Hugii,

*) Adagium: *Seint er um lángan veg at spyria tídinda.*

**) Antiqvissimæ runicæ literæ amborum nomina (*Loki* et *Logi*) eodem modo exprimunt, videlicet: ᚴᛚᛁ. — Est autem vox *Logi* eadem ac Dan. *Lue*, Norveg. *Laage*, *Loge*, Svec. *Låga*, Germ. *Lohe*, A.S. *Lig*, *Lyg*, Scot. *Lough*, *Lowe*, *Low*, C. Brit. *Llosg*, Finn. *Liecki*, Gr. *Φλοξ*, (*Φλογος*) *Φλογια*. Cfr. vet. Scand. *Log* lux Angl. *Light*, Germ. *Licht*, C. Brit. *Llug*, *Leuer*, M. G. *Liuhats*, Gr. *λυχη* &c.

***) Egregie monstravit S. Thorlacius Lokium Asicum ut naturalem dæmonem, *ignem* præsertim denotare (*Ant. bor. obs. misc.* VII, 43 & sq.) et hunc qvoqve locum (cum seqvente Lokii Utgardensis declaratione) in ejus rei testimonium advocat. Respecto themate communi nominis *Loki* (etymologico) supra suo loco allato, verisimile evadit atavos noſtros Asensem habuisse pro devastante flammâ, inter Asas, caloris vivificantes, Deos nutrito, qvasi proditore ac perditore, rebus sæpe finem faciente, at Utgardensem illum interdum accepisse pro summo fri-

qvam lectori communicavimus ad artic. *Hugin* s. in notâ *). Deinde Thorus ipse ad bibendi certamen Utgardianum aliqvem provocans, cornu qvoddam, expiatorium dictum, qvod e Lokii Regis relatione ejus aulici uno haustu vel duobus aut tribus evacuare solebant, ita ebibere frustra tentavit, qvamvis tandem poti haud parvam imminutionem notaret. Secundo ludo proposito, catum Lokii griseum**) at magnitudine prægrandem vix Thorus e terra aliqvantum elevare potuit. Ultimo loco cum annosa dicti Lokii nutrice, cui *Elli* (i. e. Senectus) ***) nomen, Thorus ex illius petitione luctari cœpit. At res ita cessit "qvo acrius Thorus vires luctando intendebat eo firmius illa stetit .... donec Thorus ipse alterum genu terræ impingeret .... Sed qvia nox nunc etiam appetebat Lokius Utgardensis Thoro et sociis ejus locum, ubi sederent, monstravit, qvi et ibidem laute et hospitaliter excepti pernoctarunt. Mane seqvente .... Lokius Utgardensis illos ex urbe deducens, pedes comitatur; qvi sub discessum Thorum interrogat, qvid illi de hujus itineris sui successu videretur, aut an *alium* se potentiorem offendisset? Respondet Thorus se qvidem non negare, qvin multum dedecorum in mutuis eorum actionibus sit perpessus; præscio enim (inqvit) vos me virium exigui valoris vocaturos esse; qvo ego reverâ male sum contentus. Tum Lokius Utgardensis ita regessit. Jam, siqvidem ex urbe egressus es, vera tibi aperiam: urbem hanc meam, qvamdiu vixero et res meas rexero, nunqvam sæpius intrabis .... tu enim magno nos omnes involvisti periculo; ego autem visum tibi præstrinxi. Primo enim, cum vos in sylva convenirem, et tu peram viatici enodare annitereris, vimine eum ferreo obligaveram; tu vero, ubi aperiendum esset, non invenisti .... Tribus mallei tui ictibus saxum amplissimum [capitis loco]

goris et extremarum tenebrarum dæmone qvi (licet subterraneo igni partim imperans) opposito potissime modo viventia entia exstingvere soleret.

*) Cfr. artic. *Þiálfi* s. ubi nos observavimus verisimile esse: Thialfium ventum (Thoro servientem, ac igitur proprie æstivum) allegorice denotare. Ast animus (hic reverâ Græcorum *ανεμος*) Lokii Utgardensis, i. e. hyemalis tempestas illâ celerior apparet. Hinc qvoqve (ut jam opinor) Scaldica animi denominatio apud Eivindum Skaldaspillerum (*Hkr.* I, 168, VI, 36): *Þursa-bæs byr* giganteæ urbis vel habitaculi aura aut ventus; sæpe aliis dicitur: oreadis aura &c., cujus phraseos rationes alibi explicare tentavimus.

**) Angvis Midgardensis giganteis entibus certe est adnumerandus, ut e tali stirpe oriundus; is etiam in Valiano carmine giganteo furore grafsaturus esse prædicitur. Hinc igitur gigantis poëtica denominatio *Köttr, Kavtir* i. e. catus. (*Skálda* pag. 210).

***) Sic qvoqve Senectus, ut ipsa Hela (vel Morta, qvæ morbis gravibus imperare videtur) pro *gigantea furia* habita est; ita etiam in veteri Sanscritica inscriptione (de A. C. 1018) expressis verbis vocatur, ac porro dicitur juventutem (vel juvenes) devorare, vel qvasi cælitus ad inferos dejicere. (*Asiat. Researches* I, 362).

obtendebam, qvod tu non vidisti, at in ejus superficie tres valles qvadratæ jam apparent. Simili qvoqve modo alia certamina vestra, cum satellitibus meis instituta, se habuerunt". (De Lokii & Thialfii illusione, vid. artic. *Loki, Huginn* s.). "Verum, qvum tu e cornu biberes, tibiqve potus infusus sero diminui videretur, mens mea conscia mihi testis erit, tum res contigit, qvam alias factu esse impossibilem credidissem; altera siqvidem cornu finalis extremitas in oceanum usqve extendebatur; id qvod tu minime vidisti. Cum igitur ad mare deveneris, videbis qvantum bibendo id diminuisti, qvalis defectus nunc *maris recessus* (vel salacia) nuncupatur *). Nec minore mihi admiratione dignum videbatur, qvum tu catum elevares; nam, ut vera pandam, omnes tum formidine capti opstupuerunt; enim non talis erat, qvalis tibi videbatur, sed reverâ angvis ille Midgardensis qvi omnes terras circumdat; vixqve sua sufficeret longitudo, ut caput & cauda terram simul tangerent, adeoqve longe sursum manum extendisti, ut a cælo parum abesset. Tertium autem illud, qvod dedisti, virium experimentum, maxime qvoqve erat stupendum; lucta scilicet in qva tamdiu, ut experientia docuit, perstitisti, nec nisi altero saltem prolapsus genu succumbens, cum Senectute certans; qvandoqvidem nemo unqvam mortalium exstitit vel exstiturus est, si modo senescat, qvin præ senio procidat. Nos autem jam unus ab altero qvidem discedimus, sed ut vere dicam, utriqve nostrum utilius erit, si me visitaturi nunqvam posthac accessiveritis; altera enim vice his vel aliis technis urbem meam sum defensurus, ne qvid unqvam dominii in me obtineatis. — Hanc autem cum Thorus narrationem audivisset, malleum arripit et elevat, qvem cum feriendo protendere vellet Lokium Utgardensem nullibi videt. Tum ad urbem iterum se convertit, ea scilicet intentione ut istam diruens solo æqvaret, at nihil præter latos & amænos **) campos conspexit; urbs autem apparuit nulla. Reversus igitur viam remetitur donec Thrudvangos veniret redux. Interea tamen, qvod pro certo tradi potest, firmiter sibi proposuit occasionem qværere, si forte angvem Midgardensem offendere posset, qvod et postea evenit. — — — His vero auditis in hæc verba erupit Gangler: multum qvidem propriis viribus efficere potest Lokius Ut-

*) In textu *Fjörur (Fjavrur)* plur. vocis *Fjara* littus marinum, salacia, Dan. *Fjære*, Norveg. *Fjære, Fjöre*, Jemtelandice *Fiära, Fjären*.—Anglosaxones maris recessui aliam adscripsere mythicam originem, qvam supra (ad articulum *Jörmungandr*) adumbravimus. Hinc forte vet. Scand. *Fiördr, Fiavrdr* æstuarium, sinus vel recessus maris, Dan. *Fjord*, Scot. *Firth* &c.

**) I. e. verno tempore florescere incipientes; nam tam diu (vel per integrum hyemale tempus) e nostra opinione hanc Thori expeditionem durare voluit primus hujus fictionis auctor. *Cfr.* finem Gylfianæ illusionis, eandem indolem sapientem, it. artic. *Valhöll* s.

gardensis; interea tamen technis & artibus magicis multum operatur; at certe ejus magnitudo inde qvoqve liqvet, qvod illi satellites fuerunt, qvi magnis præditi sunt viribus. Verum nonne Thorus hæc unqvam ultus fuit? Respondet ita Har: Licet desint mythologi, non tamen est ignotum Thorum hanc, qvam jam narravimus, expeditionem emendasse." — Seqvitur relatio de Thoro Hymérem vel Ymerem gigantem visitante ac piscaturam in oceano exercente, qvam disqvisiimus in artic. *Hymir & Jörmungandr s.*

In illa narratione Lokius Asicus repræsentatur ut Thori comes & amicus, at ista eorum amicitia interdum interrumpebatur & post Balderi cædem ac Aegeri convivium penitus cessavit; videas cæterum artic. *Loki s.* Qvomodo Thorus in exeqviis Balderi rogum consecraret, oreadem Hirrokinam *) ferè percusserit at Litum Dvergum pede in ignem projecerit **), vid. *Baldur s.* Fabulam de Oervandele & Groa vid. *Hrúngnir* s. Memorat porro Edda junior (pag. 78) Thorum adfuisse convivio in Asgardia Aegero parato at non in hujus symposio (pag. 129). Prædicitur tandem (pag. 73) fatale Thori exitium in universali dæmonum conflictu: "Thorus qvidem interemtor evadet angvis Midgardensis, sed passus ab eo novem digressus, mortuus corruet, et id qvidem ob venenum qvo angvis illum afflando insperserat." Cfr. *Odinn s.*

Præter ea Thori facinora, qvæ in Eddis describuntur, permulta alia istum gessisse constat, qvæ gentilismo olim fuerunt celebrata. Huc e. gr. pertinent duæ cantilenæ, qvas Skalda nobis (pag. 103) servavit ***). Hæ Deum illum exaltant propter cædem gigantis Thrivaldi (qvem

*) Cernimus jam de eâ agere dimidiam stropham, (insertam Skaldæ pag. 162), Ulfo Uggiano auctore, ac certe ex ejus *Húsdrápa* desumtam. Cum istam omiserimus, inter reliqva hujus poëmatis fragmenta in peculiari nostra disqvisitione de imaginibus in æde Olavi Pavonis, qvas carmen illud descripserat, — ad calcem *Laxdæla-Sagæ* (Havn. 1826), hic eandem cum adfixo translationis tentamine adnotamus:

Fullavflug let fialla
Framm hafsleipni þramma
Hildur, en Hropts of gildir
Hiálmseldom mar feldo.

o: Robustissima montium Hilda (Bellona)
Fecit navem procurrere,
At Odini, ensibus clari
(Satellites) eqvum straverunt.

Fuit igitur scena hæcce, inter alias mythologicas, in toreumatibus illius Islandiæ magnatis, immortalis nostri Thorvaldsenii atavi, rite repræsentata.

**) Thorus furens rite comparandus est cum Hercule furente, qvi pueros in ignem projicit, amicum suum & hospitem Iphitum crudeliter occidit &c. qvæ hic linqvere cogimur.

***) Auctore Veturlidio, celebri christianismi in Islandiam introductionis adversario & Thorbiörno

Bragius poëta ibid. pag. 102 novem capita gestasse observat) atqve alterius Lodii vel Leidii (alioqvin ignoti) sed oreadum vel lamiarum qvæ nominantur *Leikn* (ludia, saltatrix), *Keila* (vocabulum, hodiedum Islandis de fæminâ animalium rapacium usitatum), *Kiallandi* (incertæ significationis), *Hengiankiapta* (pendula labia gestans), *Svívavr* (foeda, abominabilis), *Búseyra* (ad verbum: ruralis oeconomiæ fæculentia, vel de penuriâ potus ac cibariorum aut de earum defectu dictum; at hæc mala a hyemis frigorificis lamiis provocantur).

Poëticæ Thori denominationes sic in Skalda uno loco (pag. 101) enumerantur: "Filius Odini & Telluris, maritus Sifæ, pater Magnii, Modii & Thrudæ, vitricus Ulleri, nutritius (vel alumnus) Vingneris & Loræ *), dominus (aut herus) Thialfii & Roskuæ, director & possessor Mioelneris, roborifici baltei & Bilskirneri; defensor (vel protector) Asgardiæ & Midgardiæ (coeli & terræ); hostis ac occisor gigantum & lamiarum *(bani jötna oc tröll-qvenna)*, interemtor Hrungneris, Geirrodi & Thrivaldi; hostis angvis Midgardensis." In harum & plurium rerum testimonium adferuntur multæ strophæ e carminibus variorum gentilium poëtarum, præsertim Thorbiörni Disani poëtæ, Eysteini Bragii vatis (sec. 8[vi]), Olveris Hnufæ (sec. 9), Eyvindi Skaldaspilleri, Eilifi Gudrunidis, Veturlidii & Ulfi Uggiani (sec. 10[mi]) & pl. Alio loco (pag. 211) recensentur tredecim Thori nomina; at ea, qvæ una tantum voce constant ac in Eddis occurrunt, ita in ordinem alphabethicum redegimus:

Árinbrauti (focorum vel ararum visitator) **).

Ásabragr s.

Ása-hetia (heros Asarum vel h. inter Asas fortissimus).

Ása-Þór s.

Atli (infreqvens); est verisimiliter derivandum ab adj. *Atall* acer, strenuus, qvod iterum ab *etia*, (*atta*) protrudere, concitare, irritare.

Baldurs-barmi frater Balderi.

Biörn, Biavrn, vulgo ursus; cfr. ursi apud

Disæ (Deæ aut nymphæ) poetâ vel encomiaste. In his duabus strophis, inter personas a Thoro devictas vel interemtas, præterea memorantur: Litus, Starcatherus, Hirrokina & Gjalpa qvæ in Eddis qvoqve vel mythicis aliis fabulis adhuc conservatis occurrunt; at tamen Hirrokinæ cædes non in hisce monumentis Thoro adscribitur.

*) *Fóstri Vingnis oc Hlóru*; nam prima vox eo gaudet ambiguo sensu; auctor prologi Thorum pro Loræ alumno accepit (l. c. pag. 12). Qvis iste Vingner fuerit, nos penitus latet, at *alatum* significare videtur, ut Thorus ipse alioqvin *Ving-Þór* ac forte etiam *Vingnir* appellatur. Allegoricæ certe est naturæ ac similiter illa Lora (*Hlóra, Lóra, Glóra*), nam hoc nomen *igneam* vel *fulgidam* denotat. Cfr. *Hlódridi, Hlódyn* s. Sic mater Thori dicitur *Hlódyn, Hlódunn*, is ipse *Hlódridi* vel *Hlórridi* at ejus nutrix (vel alumna) *Hlóra* — omnia sane ad ignitam fulminantis Dei indolem alludentia.

**) Aut etiam *arinbrauti Siniar* vel potius *Sifiar*, focos Sinævel Sifæ (i. e. Telluris) visitans.

qvasdam Finnicas gentes superstitiosam venerationem.

Einheri (heros egregius — Valhallensis; AEg. *dr.* 61).

Eindridi, Endridi, Indridi, incertæ significationis; (hinc nomen proprium virile inter Norvegos & Islandos usitatum).

Ennilángr longâ sive altâ fronte præditus.

Gjardarniótr / *Giardveniodr* } balteo utens & adsvetus.

Grundarsveinn terræ puer v. filius.

Hafranjótr capris fruens (vectus) &c.

Hardgleifnir dure manicatus (duris manicis præditus; ab *hardr* adj. & *glófi* manica, unde Angl. *Glove* &c.).

Hard-veorr (infreqvens) ab *Hardr* durus, fortis & *Veorr.*

Hlódridi, Hlórridi, Hlóridi s.

Hofregin, delubri numen.

Hofstjóri, delubri director.

Jardar-sunr Telluris filius.

Indridi vid. *Eindridi.*

Jötnadólgr / *Jötna-otti* } gigantum hostis & terror.

Landáss terræ v. regni Deus (in Norvegia).

Meila-blódi / *Meila-bródir* } Meilii frater.

Melln-dólgr lamiæ hostis.

Midgardsveor (*Midgardsverr*) vid. *Veor.*

Reidityr (rhedæ sive curri Deus).

Ramr, Rammr (*hinn rami,* — genit. *rama* &c. fortis, robustus *).

Rymr (sonorus, streperus, fragorem edens).

Sifiar-verr (maritus Sifæ).

Sönnúngr (Savnnúngr) incertæ significationis.

Ulls-mágr (*Ullarmágr* &c.) vitricus Ulleri.

Vagnaver s.

Veodr.

Veor, Veorr s. **).

Vingnir (incertum) s.

Ving-þór s.

Þrúdar-Áss (Fortitudinis i. e. fortissimus Deus; cfr. *þrúdur* i).

Öku-þór, Avku-þór i.

Accedunt composita multa, qvorum aliqva supra recitavimus, at plura restant, e. gr. *Forniótsgoda flugstalla fellir,* altarum ararum (vel rupium) Fornioticorum numinum destructor (vid. *Forn-*

*) Hoc epitheton Eilifus Gudrunides, (qvi gentilis qvondam Thorum carmine celebraverat) christianus factus Christo Regi ac victori adtribuit (*Skálda* pag. 168).

**) Hæc nomina *Veor, Veodr* & pl. alludere videntur ad Thori numinis cum obsoleto illo (vel profanæ plebi tandem fere incognito) *Ve* arctissimam cognationem. Ambo certe coelesti igne præfuerunt ac ob eandem causam perpetuus ignis in Thori Islandicis templis servabatur. Cfr. artic. *Ve* supra, cui jam addendum, qvod vox *Vehar, Vihar,* Indis templum Buddhisticum denotans, in veteri simul Persarum lingva Magorum templum vel pyræum (sacrum ac perpetuum ignem continens) significaverit (*Wilson Essai on the history of Cashmir, Asiatic Researches,* 1825, XV, 21, ex *Ouseleyi Persia* pag. 126. Cfr. *Relandi Dissertationem* 11*mam part.* 3. *pag.* 85) At Persæ igni, inter elementa deificata, primarium locum adsignabant. "Huc enim deniqve spectant atqve referuntur *omnes notiones sublimes sanctæqve.*" Theodoreti Hist. eccl. V, 38 in cl. nostri Münteri notis ad Jul, Firmicum (1826) Cap. 5. p. 16. Rupes ingens in Norvegia, cum magna specu humano opere excavata, qvæ olim ethnicum at

jótr s.); *Þraungvir qvöldrunninna qvenna* lamiarum noctivagarum persecutor &c. In fragmentis illis multæ occurrunt descriptiones & phrases, ad fulmineæ tempestatis, a Thoro provocatæ & directæ, phænomena pertinentes e. gr. intonuit sub eo (currum agente) lunæ via ɔ: cælum (*mánavegr dundi und hánom*); aëris regiones conflagrant; (*ginnúnga-ve brinna*); ardebat cælum hominibus superum, (*upphimin manna brann*); altâ coeli flammâ periere gigantes, (*hám loga himins* &c.) *). At simul terra disrupta est, rupes concussæ dissiluerunt, solum grandine fuit conspersum (*grund var grapi hrundin*); Accidit subito ut flamma brontias amplas projecerit &c. **). Cfr. *Jörmungandr* s. it. fabulas de Thori cum Hrungnero & Gierrodo certaminibus, hic supra recitatas. Interdum in perpetuo Thori contra gigantes bello Asæ alii eum sequebantur vel adjuverant, e verbis Disani vatis (l. c. pag. 102):

Þór hefir Yggs med árum
Ásgard of Þrek vardan.

ɔ: Thorus cum Odini emissariis (satellitibus)
Asgardiam insigni fortitudine defendit.

De mythicis Thori adtributis partim supra disqviisimus, præcipue de fulminante ejus malleo in artic. *Miölnir* s. ***) hic autem de balteo ejus ac ferreis manicis, ut et de sorbo arbore, ei olim & hodie qvoqve sacratâ. Restant Thori rheda & capri, qvibus is per aëra vehi solet.

Currus Thori sæpe dicebatur *Reid* i. e. rheda, reda, ut Romanis consone fere dicebatur, antiqvissimo certe vocabulo ****). Hinc Islandis *Reid* audiit ipsum fulmen sive fulminea tempestas, unde *Reidarslag* (fulminis ictus) & *Reidar-*

---

deinde christianum templum fuisse dicitur, *Vear* adhuc appellatur. Vid. *Sjöborg Nomenklatur* &c. pag. 149, ubi ea cum Indicis similibus delubris comparatur.

*) *Þórsdrápa* (Edd. jun. l. c. pag. 117, *Thorlac. Spec.* VII pag. 34) ſtr. 14, qvam dimidiam ita lego & in ordinem redigo: *Oc hám loga himin-vallar tróduz Þar hallfilvingum túngls brá-sólar vid Þúngu trodi* ɔ: Et altâ cælestis regionis flammâ tundebantur ibi oculi lunati [lunærotundæ & noctilucæ similes] pallidis monticolis pergravi conculcatione (vel contusione).

**) Cfr. porro laudati Sculonis Thorlacii præstantissimam disqvisitionem de Thoro & ejus malleo (*om Thor og hans Hammer*) *Scandinav. Museum* 1802.

***) Addimus de eo illustrissimi nostri Münteri observationem, qvod Mioelnero, qvoad manubrium brevissimum, arcte conveniant malli Cabiriorum antiqvissimorum imaginibus additi e. gr. inmonetis Cossurensibus, apud Neumann. numm. ined. II, Tab. IV, no. 10, 11. (*D. u. N. Kirch. G.* I, 17).

****) Putabant Romani hoc vocabulum Gallicæ originis esse (*Qvinctilian.* I, 5). Est autem Græcum ῥεδα, ῥεδη Sanscrit. *Ratha, Rathah.* Hinc qvoqve Alemann. *Reit, Reid, Reide-uuagen.* Venantius Fortunatus, auctor. sec. 6ti, hunc currum ita describit (III, 19):

Curriculi genus est memorat qvod Gallia *rhedam*
Molliter incidens orbita sulcat huuum,

*Þruma**), (tonitru, proprie: sonitus vel fremitus currente curru vel rotarum motione excitus); *Reidiskjálf* (tremor e fulmine, illo ê currunm motu non absimilis). De hoc Thori vehiculo cecinit Cormacus, gentilis sec. 10mi vates (Skalda Mscr.):

Heid-sitr Þórr í-reidu.

o: AEthereæ Thorus insidet rhedæ:

Ast Thorsdrapæ auctori eadem partim audit "rheda placide capris acta" *(hafra hóg-reid)* & partim bellitonans *(herÞrumu vigg* &c.). — Opinamur ætheream illam rhedam atavis nostris, sudo cælo, splenduisse in constellatione eâ qvæ vulgo dicitur *Vagn* (i. e. plaustrum — alioqvin ursa cælestis major) olim autem *Karlsvagn* (viri, herois vel senis currus) hodie Danis *Karlsvogn*, Svecis *Karlvagn*, Anglis *Charlewain*; huc notandum, qvod atavi nostri videantur Thorum interdum vocavisse *Þór Karl*, ut is recentius appellatus est a Norvegis *Thor Kal, GammelThor***), Svecis *Thor Kar* & *Thor Gubbe* ***). Ast cælum Scaldis nostris antiqvis vocabatur *Vagnbrautar velldi* i. e. plaustri viæ regio, vehicularis viæ regnum e. gr. in cantilena Ormi Barreyensis poëtæ****) (Skalda

---

Exsiliens duplici bijugo volat axe citato
Atqve movet rapidas juncta qvadriga rotas.

Derivavit Isidorus Hispalensis rhedam a lat. rota (Germ. *Rad* &c.).

*) Jam *Þruma* singulum Islandis fulmen vel tonitru exprimit. Sculo Thorlacius vocem hanc rite comparavit cum lat. tremo (resono) hinc derivans Dan. *Tromme* tympanum (Island. *Trumba*, Svec. *Trumma*, Germ. *Trommel*, Angl. *Drum* &c.). Qvædam gentes e. gr. Sinenses fulminis Deo adtribuunt vastum tympanum, ab eo malleo gravissimo pulsatum; vid. *Miölnir* s. Huc forte alludit Lapponum & Schamanorum magicum tympanum, malleo similiter pulsatum, qvo igitur mala dæmonia profligantur &c. Fictionem Gothlandicam & pl. de tympano fulmineo, gigantem terrente, infra memorabimus.

**) Ast hodie hæc denominatio diabolum significat. Ejusdem farraginis est Danorum *Gammel Erik* (cfr. *Rigr* s.) & pl.

***) Cfr. Danorum plebejorum dictionem de Deo: *Den Gamle deroppe* (senex ille in superis) qvam, ni fallor, cum Germanis communem habent. Huc pertinet vulgaris Dei in picturis &c. repræsentatio ut senis humani. De summa similium idearum antiqvitate ac senis nominibus, universi Deo inter Chaldæos, Hebræos & Carthaginenses impositis vid. *Münter Religion der Babylonier* (1827) pag. 105.

****) Incerti (qvantum scio) ævi; at ejus vita (ævo longe antiqviore acta) relata fuit, cum multis ad eam pertinentibus cantilenis & recenti poëtico additamento (qvæ omnia jam dudum sunt deperdita) ab Ingemundo Sacerdote, in convivio Reikholensi in Islandia, anno 1119; (*Sturlúnga-Saga* l. c. I, 23). Videtur Norvegus fuisse ac floruisse circa annum 870, alioqvin dives (*audgi*) vocatus. Hic ad Bareyam aut Barreyam Hebudum insulam cum profugis pluribus Norvegis, contra Kiarvalum Hiberniæ Regem prælium gesit navale, in qvo victoriam reportavit et postea in dicta insula sedem fixit; â socio ejus Steinulfo orta fuit Alfdisa (vel Asdisa) Barejensis, in Islandia Olao Feilano nupta, ac ex eo atavia Snorronis Godii (Pontificis) & amplisimorum hujus insulæ steminatum, e testimonio Landnamæ, Laxdælæ & præcipue Grettlæ (ed. Hol. pag. 81, 82, 87). Scotica illa insula hodie dicitur *Barray*, *Baray*, *Bara*; de traditioni-

pag. 122); aliis autem (l. c.) audiit *vagna land* plaustrorum regio. Videtur qvoqve nostra mythologia adscribere Odino plaustrum cæleste ut ei proprium, cujus rotæ *) & rhedæ (vel trahæ) vinculis (non minus qvam ipsi solari clypeo vel orbi, eqvorum solis auri & ungulæ &c.) runæ imaginariæ (vel ingeniosæ) dicuntur esse insculptæ. Hinc igitur Odinus a celebri inter gentiles Islandos poëta, Egillo Skallagrimi filio, vocatur *vagna-runni* (vehiculorum cursor; *Egla* l. c. pag. 640); at hodiedum Islandi duas diversas constellationes plaustra appellant, majus nempe & minus (*stóri oc litli Vagn*). Alter horum curruum Thoro certe fuit adtributus secundum vetustas Svecorum traditiones, sub nomine *Karlewagn;* chronicon rhytmicum minus describens idolum Thori in Upsaliæ principali templo, astrum illud id unacum plejadibus, manu tenuisse innuit (nisi de vehiculi habenis potius sit intelligendum) at prosaicum aliud expressis verbis perhibet, qvod Thorus revera vehiculo, dictam constellationem significante, ibidem insiderit **). Sic non absurde concludemus Thorsdrapæ *Herþrumuvigg* (bellicum fulminis vehiculum) contracte *Hervigg* (*þ.* v.) e qvorundam sententia idem esse ac Germanorum *Herwagen* (vetus plaustri vel ursæ majoris nomen) aliis autem *Herrenwagen* (eandem mythicam originem sapiens ac nostrum *Karlsvagn*) et alioqvin tandem *Irminwagen* (forte originitus *Irmingottswagen*) ***); inde qvoqve celeberrima vocabula: *Irmenstrasse*, Dei mundani via in cælis (alioqvin lactea dicta) & *Irmensäule* (Saxonum *Irmensula* universalis columna, nostratibus *Yggdrasill*, vid. *Jörmungrund* s.). Romani ut Islandi ambas ursas interdum plaustra vocaverunt & Indi qvoqve duo sibi fingunt cælestia vehicula ****).

---

bus ejus incolarum circa Danorum (vel Scandinavorum) gesta & reliqvias vid. *Gordon Itinerar. Scoticum* pag. 154.

*) Proprie: "rotæ vel sphæræ qvæ circumagitur sub rhedâ Roegneris" (Odini), cfr. *Rögner* s. Hic revera de boreali polo, constellationi illi vicino, sermo esse videtur.

**) *Mindra Svenska Rimchronika* in *Script. rer. Svec.* I, sect. 1 pag. 252. *Olai Petri Chron.* s. 2. p. 221.

***) Vid. celeberr. *v. d. Hagen: Irmin, seine Säule, seine Strasse und sein Wagen, Breslau* 1817 pag. 42 & sq. Monstratur ibidem ursa major plaustri nomen gestasse apud plurimas summæ antiqvitatis gentes ut Græcos, Romanos, Arabes & pl. Anglosaxones eam (secundum Somnerum) appellarunt *vaegneþigsl* (Germ. *Wagendeichsel* i. e. temo). Cfr. *Jac. Grimm Irmenstrasse und Irmensäule. Wien* 1815 pag. 60 & 61. & Mone (l. c. II, 216) qvi vetustum Germanorum *wagan in himble* ad astrolatriam alludere observat p. p.

****) *Colebrooke on the Indian and Arabian divisions of the Zodiack, Asiat. Researches* IX, 333. 360. Mire alioqvin conveniunt vehiculi & constellationis nomina inter Gotho-Germanos, Græcos & Indos ut Græcum *ἅγαννα*, (Hesych.) Sanscr. *Vahanam*, Malabar. *Vaganam*, Isl. & Svec. *Vagn*, German. *Wagen*, Angl. *Waggon*, *Wain*, Dan. *Vogn* &c. Cfr. Gl. T. II.

Qvæ fuerit illa nostratium cælestis via (vehicularis vel *vagnbraut* dicta) apertis verbis in Eddis non dicitur. Opinamur autem eam alio nomine appellatam fuisse *Bifröst* i. e. aëris vel aërea via, at posterius confusam cum alia *Bilröst*, proprie Deorum ponte, nimirum Iride. Cfr. *Bifröst*, *Bilröst* s. Illa verisimiliter Norvegis priscis & recentioribus audiit *Vættabraut* (numinum vel dæmonum via; vid. *Vættur* s.) — uti ipsi Romani eidem eundem adtribuerunt honorem;

Est *via* sublimis cælo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso —
Hac iter est ad magni regna Tonantis
Regalemqve domum —

Ovid. Metamorph. I, 168 & sq. Eâdem qvoqve heroes ad Deorum habitacula deduci putabantur. Sic non tantum fuit Deorum sed etiam humanarum animarum via *). Ast Scaldi boreales aliqvam talem noverant. Sic laudatus Egillus Skallagrimi dicit dilectum filium ê vita terrestri disparuisse, ac ad (vel per) animarum vias *(mun-vega)* abiisse **). Hoc autem minime mirum, qvum feri septentrionalis Americæ incolæ adhuc lacteam viam partim *Vitæ domini* (i. e. *Dei*) et partim qvoqve *animarum viam* vocitent ***). At similem et multifarie mythicam qvidem ejus significationem inter plurimas mundi gentes (ac Germanos in specie) laudati doctisfimi viri Jac. Grimmius & Fredericus von der Hagen peculiaribus illis disqvisitionibus prolixe monstraverunt. Cfr. artic. *Völundr* s.****). De heroibus defunctis per cælestem pontem vel viam ad Valhallam eqvitantibus, vid. artic. *Sigrún* s. Sveci plebeji adhuc fremitum Thori rotarum se in fulminea tempestate audire dicunt, ut infra pluribus referemus.

In Thori *capris* viderunt plures commentatores hoedos astronomorum in aurigæ constellatione ac ipsa lactea viâ *****).

*) Hæc Jac. Grimm l. c. pag. 15, Platonis & Ciceronis de re eadem testimonia adlegans.

**) *Sidan er minn* *Aldarskjöldr*
A munvega *Af lifi hvarf.*
Saga Egils Skallagrimssonar ed. Havn. l. c. pag. 622. (Cfr. ibid. 429 & *Munin* s.); at ibidem poëta loqvitur de defuncti filii habitaculo in cælo (pag. 634) & supero Deorum mundo (Godheimo) qvo Odinus eum elevavit (pag. 638).

***) *Jarvish Discourse on the religion of the Indian tribes of North-America* 1820 & pl.

****) Ubi Anglosaxones & Angli recentiores mythicum qvoddam viæ lacteæ nomen e Voelundiana fabula derivasse conjiciuntur. — Qvoad ipsum fulguralem currum ac ejus orientalem originem cfr. Reg. II, 2; 11, 13. Hinc Osforum vel Asorum Caucasiorum singularis superstitio, qvum Eliam (ut ferunt) prophetam (iis *Ilia* vel *Ellai* dictum) ut numen fulminis, grandinis & tempestatum venerentur. *Klaproth Reisen im Kaukasus* II, 692 & sq. cfr. 373, 606. At de Jove fulminante, curro insidente, sic Horat. Od. I, 12:

Tu gravi curru qvaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittis fulmina lucis.

*****) Vid. e. gr. *Henneberg, hvad er Edda?* &c. pag. 219. *v. d. Hagen* l. c. pag. 47. Astrum

Capella, Amalthea vel Olenie dicta, qvæ a Manilio & pl. Jovem nutriisse fertur, cum Heidruna, Deorum & heroum Valhallensium (ac Thori simul) nutrice rite est comparanda, at Tanngrisnerem & Tanngniostum eâ prognatos esse pro verisimillimo est habendum. Heidruna insuper in tecto Valhallæ (i. e. cælo ipso) stetisse fertur. Cfr. *Heidrún* s. Hæc omnia in tauri signo; at sole id intrante Thiassius hyemis dæmon feliciter est debellatus, qvod oculi ejus ibidem micantes testantur; tunc qvoqve fulminator borealis æstivum suum in terrestrem naturam imperium recipit. Alioqvin ignita meteora Romanis ipsis olim audiebant *capræ* & *hoedi*, at turbines, fluctus & pl. Græcis *αἰγίς, αἶγες* &c.*). Hinc igitur Jupiter a veteribus in hirco eqvitans repræsentatus (apud *du Choul* Tab. XV. Fig. 68); is qvoqve Græcis dicebatur *αἰγιοχος*, qvod a variis varie explicatur **) at ad vetustas illas phrases probabiliter est referendum. Eadem ratione caper verisimiliter coelo a Persis & Aegyptiis ***) fuit adtributus & sacratus. Osi vel Asi Caucasii, Scandinavis (ut videtur) originitus cognati, ac Inguschi iis vicini, observant eum ritum, si qvis inter eos fulminis ictu occiditur, qvod ad ejus sepulchrum in fulguralis numinis honorem altam erigant perticam, cui indita est sacrificati capri conferta pellis cum capite adhærente ****). Num ad Thori relligionem pertineant capri argillacei, in sepulchris

---

bocce Romani putabant adducere periculosas tempestates; vid. e. gr. *Arati Phaenomena* v. 156 & seqv. cum scholiastis commentario.

*) *Senecæ Qvæst. natur.* I, 1. Vid. *Schweigger über die älteste Physik* (1823) II, 79 & sq. Huc ex ejus sententia referendus est Cabirus malleo præditus at dextrâ capricornum tenens, in moneta veteri Thessalonicensium (apud Creutzerum l. c. Tab. III. fig. 8). At idem zodiaci signum ætherei caloris (ac ipsius simul Thori) annuam reversionem annunciat, unde Januarius Svecis dicitur *Thor-Mânad* &c. Refertur alioqvin Aegipan, Jovis filius, in capricornum astralem mutatus fuisse, qvem tamen alii cum Deo dicto enutritum esse dicunt. *Hygin. Astron.* II, 13, 28. Sic forte moneta illa, qvæ Victoriam (*Νεικη* vel *Νικη*) Jovis sociam altero latere repræsentat, aptissime est illustranda e cabiricæ relligionis tenore. Ei Jupiter Cælus audiit; vid. Varronem de l. lat. Lib. IV & Scholiastem Apollonii in Argonaut. I, 917.

**) Videatur præsertim clariss. Boettigeri *Amalthea* I, 18 & sq. Cfr. Creuzer *Symb. u. Myth.* l. c. IV, 424 & sq.

***) Et verisimiliter etiam a Babyloniis; vid. illustriss. nostri Münteri *Religion der Babylonier* (1827) p. 70-71, 112-113.

****) *Klaproth Reise im Caucasus* &c. I, 623. II, 373. *Reineggs Allgem. Beschreib. von Caucasus* I, 233. Circassi gentiles, at Eliæ festum tamen celebrantes, similes ritus observarunt sec. 17^mo^ e relatione Olearii (*Pers. Reisebeschr.* pag. 523 cum tabella æneâ). Pellis suspensa ibi qvatuor in medio locis perforata repræsentatur. De Longobardis (licet christianis) caput capræ diabolo [idolo vel falso Deo] sacrificantibus & pellem in arbore suspensam perforantibus &c. *Mone* (l. c. II, 199-200) varias collegit relationes. Et *saltatio* et *humilis adoratio* tali occasione tam a Caucasiis qvam Longobardis exercebantur. Maximum Ossorum festum Jovis die verni temporis (festo ascensionis Christi) celebrari solet. *Klaproth.* l. c. II, 377. Osi alio-

Silesiæ inventi, non jam decernere possumus *).

Qvoad recentiores hujus superstitionis reliqvias primo loco notanda est phrasis Germanica: *die Gewitter-Ziege, das Donnerstags Pferd* &c. o: "fulmineæ tempestatis capra, jumentum Jovis diei proprium" **). Christianismo in boream introducto veteres Dii diaboli tantum vel mali dæmones esse prædicabantur & credebantur, ac sic qvoqve Thori caper pro tali phaenomeno accipi cœpit. Eodem modo sagæ et veneficæ dæmonicis capris per aëra vehi & tempestates ac grandinem ciere dicebantur. In phantasticis sagarum de Diaboli sabbathis vel nefandis conviviis relationibus, dicitur interdum ipse diabolus sub capri prægrandis formâ apparuisse ***). Alio modo a Thori cultu et ethnicismi festivis ritibus videntur orti esse *capri Jolenses* Scandinavorum, qvi olim machinâ qvadam, capro simili at nolis crepitantibus tonante, sed clavâ tundente instructâ inter Danos repræsentari soluerunt. Inter Svecos Hallenberg describit tale "ludicrum, in figuram capri formatum, qvo tempore julensi astantibus incursant adolescentuli" ****).

Ex omnibus fere supra dictis sat superqve illucebit cælestis vel aerëa Thori in nostra mythologiâ origo ac indoles, sed nihilominus is variis modis (ut Jupiter Græcorum) humanæ admiscebatur historiæ, dictus heros terrestris fuisse. — E gentili nostratium ævo paucæ tamen vel nullæ exsistunt tales de Thoro traditiones, iis exceptis, qvæ eum in terrâ sub humana formâ interdum apparuisse ac simili modo se gessisse referunt, qvas inferius uberius explicabimus. Christiani, ut supra observavimus, pro gentilismo eo citius ac plenius eradicando, Euhemeristicam priscæ nostratium theologiæ interpretationem lubenter adoptarunt, Deos veteres pro hominibus, tum diu emortuis, sumentes ac prædicantes. Hæc ta-

qvin festo nativitatis Christi (vel solstitii hiberni, nostro Jolensi) capras, at novi anni sues sacrificare solent, (cfr. *Freyr, Freya* &c. s.) ibid. II. 601. Ast capri & capræ præcipue Iliæ vel Ellai (Eliæ) ut fulminis numini ac *summorum montium domino* dicto ita mactantur, ibid. pag. 601, 606. — Patet e præcedentibus fulminis Deum olim inter ethnicos Osfos (vel Osfetas) maximâ veneratione cultum fuisse, at christianorum (vel forte Hebræorum) influentiâ cum Eliâ prophetâ posterius esse confusum. Solenne capri inter gentiles Borusfos sacrificium infra memorabimus.

*) *Kruse über das alte Schlesien* &c. *Büsching wöch. Nachr.* &c. l. c. IV, 365. De capris olim Thoro in septentrionc sacrificatis cfr. *Suhm om Odin* pag. 154.

**) Vid. *Kanne Pantheon* pag. 439 & ejusd. *System der Indischen Mythe* pag. 336-339.

***) Vid. e. gr. *Horst Dæmonomagie* II, 207 & sq. ac alibi.

****) *Sorterup Prodromus* &c. l. c. Mscr. *Hallenberg* l. c. II, 520. Norvegi, e Stroemii testimonio, et caprum et capram jolensem ejus temporis ludis adhibent. Monradus Danus eundem ludum ad capricorni signum alludere putat, at ejus cum Thori relligione perantiqvum nexum supra innuimus. Calendarium Dano-runicum anni 1320 habet ⊙ *i bukki* (o: sol in capro, pro: capricorno). *Worm. Fasti* p. 147.

men de Thoro rarisſime promulgabant, eum potius pro diabolo vel malo dæmone capientes. Nihilominus in *Yngĺinnga-Saga* Cap 5. de Odino (hierarchico principe ex Asia emigrato at posterius Sveciam occupante) referuntur: "Habitandas sedes asſignavit templorum antistitibus. . . . . Thorus resedit in Thrudvango" — at cæterum ejus in isto libro nulla mentio facitur*).

Ast aliæ traditiones asiaticas tantum Thoro principi adtribuerunt habitationes; has secuti & certe, ex magna parte, pro sui temporis opinione, e Græco-Romanis fabulis amplificantes, plures auctores Eddæ junioris prologi & epilogorum varie commentantur. Primo loco memoratur (l. c. pag. 8) Saturnus, in Creta habitans, qvi se Deum esſe universi perhibuit, ac ita a Cretensibus et Macedoniis fuit veneratus. E tribus ejus (satis notis) filiis Jupiter maximus fuit: "Erat bellator insignis & multa regna subegit. Patris exemplo multas callebat artes (vel præstigia) variasqve animalium induebat formas. Sic multa, qvæ humanæ naturæ imposſibilia sunt, effecit. Ob hæc et similia cunctæ gentes eum verebantur. Ideoqve Jupiter pro Thoro ponitur, cum omnia mala dæmonia eum metuerent." Hæc ita in Reseniana editione exprimuntur: "Is (Jupiter) igitur lingvâ Norvegica Thorus appellatur" &c.**). At auctor ille Jovem, proprie sic dictum, in nostro septentrione cultum fuisſe abnuens sic de uno ejus posterorum: (pag. 9): "Saturnus regnum inter filios dividens. . . . . Jovi tradidit imperium cæli" (pag. 10): "Jupiter (in Creta tamen) regnans multos habuit filios, a qvibus amplæ stirpes sunt procreatæ. — — — A Dardano (uno illorum) descendit Priamus, summus Troianorum Rex." Cfr. *Odinn s.* Pag. 12: "Priami filiam, nomine Troan, uxorem duxit Rex Trojanus, Munon vel Mennon dictus; iis filius erat Tros, qvem nos Thorum appellamus. Is in Thracia a Duce qvodam, Lorico nuncupato, educatus fuit, et cum decem esſet annorum, arma patris accepit. Ita formosus fuit, dum inter alios homines appareret, ut ebur sculptum, qvercui (vel qvernæ tabulæ aut columnæ) inditum, comaqve auro erat nitidior. Duodecimo anno peracto pleno gaudebat ro-

*) Videntur certe gentiles Scandinavi (ut e seqventibus clarius elucebit) nullas habuisſe traditiones de Thoro Deo ut terreno homine, nisi talem formam interdum accipiente, cum mortalibus sic apparere vellet. Non ab eo (sed Odino tamen) principes septentrionis se procreatos ferebant, præter unicum stemma regulorum Heidmarkensium Norvegiæ, nec numerosum, nec diu florens, de qvo videas *Schoening Norske Historie* I, 114, 412.

**) Sic qvoqve Brandus, Hólensium episcopus, (defunctus 1264) Capitolium Romanum vocat *Þórs Hof* Thori ɔ: (i. e. Jovis) templum. Ambo certe pro fulminis Diis sunt habiti, eundem sibi adsciverunt planetam ac hebdomadis diem &c. ut infra prolixius demonstrabitur. Ut nostrates medio ævo Jovem ita Thorum vertebant, Juno in vetusta Islandica Trojanorum historiæ recensione appellatur *Sif*, Venus *Freya*, Saturnus *Freyr* &c. Cfr. *Sif* s.

bore, adeo ut e terra decem pelles ursinas uno impetu elevaret. Circa id tempus etiam ducem Loricum, nutritium suum cum Lora (vel Glora) uxore ejus interemit, sibiqve regnum Thraciæ, qvod Thrudheimum vocamus, vindicavit. Postea multas terras peragrans mundi plagas perlustravit, omnesqve Berserkos (aut furiosos athletas) & gigantes, draconemqve qvendam immanem multasqve feras solus proprio Marte debellavit. In boreali mundi parte sibi matrimonio junxit Sibyllam (vel Cybelem; vid. *Sif, Hlórridi* s.). De Odino vel Vodino, per multos generationis gradus ex illius Trois vel Thori stirpe orto, at alias tamen, in eodem junioris Eddæ prologo, pro Priamo, Troiano Rege, Ectoris aut Hectoris vel Ako-Thori patre habito & pl. vid. artic. *Ódinn* s. In Gylfianæ illusionis (posterius intercalato) epilogo (pag. 78) hæc manca thesis occurrit: "Tunc [in Svecia inter Asas] dictus fuit Thorus, qvi revera Thor Asicus sive Asiaticus; antiqvus enim ille Thorus is est qvi currum (fulminantem) agitat [*Öko-þór*]. Huic autem asſignata sunt prægrandia illa gesta qvæ Hector in Troia patravit." Similis tenoris sunt contenta epilogi sermonum Bragianorum, qvæ lectori supra (ad articulos *Odinn* & *Jörmungandr* *) communicavimus, simul ex ipsius auctoris verbis probantes ejus commentarium ita compositum esſe "ne homines Christiani" Eddæ relationes legentes "in numina crederent ethnica" &c. Qvo modo *Rímbegla, Hervarar Saga* & pl. ferant Asas homines fuisſe ex Asiâ in nostrum septentrionem immigratos, duce Odino Thori filio, nos supra in artic. *Ódinn* deduximus. Dicitur ibidem populus ille Asianis (Asis vel Osſis) & Turcis (Turaniis vel Turkestaniis) constitisſe, qvas qvoqve relationes ibidem breviter explicare studuimus. Monemus has antiqvisſimas traditiones non improbabiliter alludere ad alias orientalium gentium, de Thure vel Thuro [*Thur, Tur*]. Hic fuit unus trium filiorum Feriduni, totius terræ monar-

*) Addemus hoc loco reliqva illius articuli, qvæ vindictam Thori & plurium Deorum cædis ita explicant (pag. 88): "Dicunt Achillem, licet cæde Hectoris famosisſimum, iisdem de causis in eodem campo mortuum jacuisſe. Id autem Alexander patravit, qvem Asæ Alium nuncupant. Ferunt etiam ipsum fratrem suum ultum fuisſe, eumqve mortuis cunctis Diis supervixisſe, extincto illo incendio, qvod Asgardiam & omnia Deorum bona consumserat. Pyrrhum vero Lupo Fenreri æqvipararunt, qvi Odino necem intulit; ast ille eorum sententiâ lupus vere dici potuit, qvum nec parceret asylis, si qvidem Regem ante ipsius Thori" [hic Jovis!] "aram in fano percuteret. Porro Troiæ deflagrationem incendium Surtianum appellant. Verum Modius & Magnius, filii Thori aurigæ [Öko-Thori] redierunt ut terras reposcerent (et recuperarent) ab Alio vel Vidare. Hic autem idem est ac AEneas, qvi a Troia profugus multâ deinde præclara edidit facinora. Traditum qvoqve est filios Hectoris, in Phrygiam delatos, regnum illud occupantes Helenum expulisſe." Sic concluditur Eddæ propriæ junioris epilogus posterior, qvi cum priore & cum ipso prologo rite comparatus, luculenter monstrat harum sectionum plures qvam unum auctores ipsam illam Eddam minime composuisſe.

chæ, qvi eam inter illos dividens Thuro dedit Turanam (vel Turkestaniam), continentem Asiæ orientalis mediæ altisſimos montes ac multas regiones, inter qvas Casia vel Caschgaria (antiqvisſima forte terrestris Asia vel Asgardia &c.). Ab eo suam deducunt originem homines Europæis inter Asiatas simillimi, ac verisimiliter qvoqve Germanorum & Gothorum atavi (qvæ hic uberius monstrare non vacat). Thurus cum fratre Iradsch, qvi Iranam (vel regnum Medo-Persicum) obtinuit, acerrimum gesſit bellum, ut qvoqve eorundem posteri inter se per longam seculorum seriem perpetuas egerunt disſidias. Nomen Thuri heroem vel athletam Persice significare fertur, at ignis ipsius elementum, sol in leone ejus astrum fuisſe refertur. Ejus militantis impetus a poëta cum fulminea tempestate prolixe comparatur &c. *).

Sic non mirandum, qvod *Daniæ* celeber historiographus, Saxo Grammaticus, Thoro, priscorum borealium Deo, humanam indolem e sui ævi universali opinione tandem adtribuat; qvamvis traditiones ab eo relatæ divinam illi naturam ac potentiam adtribuerent, his nimirum locis: Lib. II^do^ Regnerum, Sveciæ principem loqvi facit: "Se Thor Deo excepto nullam monstrigenæ virtutis potentiam expavere, cuius virium magnitudini nihil humanarum divinarumve rerum digna possit æqvalitate conferri." Hæc Eddis nostris ad ungvem conveniunt. At Thori ope Regnerus nocturnas larvas ac gigantea monstra, de qvibus eodem loco sermo est, feliciter prostravisſe olim certe creditus fuit. Lib. VII de Haldano Dano, in Sveciâ bellum gerente **): "Ericus (Svecus) exploratâ progrediendi facultate secesſu utendum putavit, ne proposito incedens tramite hostium dolis inter præruptos montium urgeretur anſractus. Igitur apud convallem arduis montium jugis utrinqve conseptam mutuis viribus pugna conseritur. In qvâ Haldanus, inclinatam suorum aciem conspicatus, freqventem saxis rupem cum Thorone conscendit, indeqve erutas moles in subjec-

*) Vid. *Görres introductionem in Schah Nameh* I, XXI-XXVII ac translationem (vel epitomen) ipsam I, 63. *Allgem. Weligesch.* IV, 338 & sq. Conferri forte meret Thuras, Asſyriorum regum fortisſimus atavus, in Deorum numerum relatus, ibid. III, 576. At qvidam orientalium historiographi Turcarum genus a Turco, Japheti filio, deducunt, eum, ut videtur, cum Turo vel Thuro illo confundentes.

**) De eo Saxo paullo ante ita retulerat: "Haldanus Vitolfi opera virium integritatem adeptus [cfr. *Vidólfr* s.] *accito Thorone*, conspectioris ingenii pugile, Erico bellum denunciat." Hic Saxonem cantilenam vel traditionem antiqvam opinor vix rite intellexisſe, at eam de fortisſimo Deo (pro humano pugile) agere putavisſe. Sic Eddâ juniore Asæ, in periculis versantes, absentem *Thorum accĭere* referuntur, qvi etiam statim adfuit optatum auxilium laturus (l. c. pag. 47, 108). Thorum qvoqve, è Svecorum opinione, Haldanum adjuvasſe, seqventium contextus prodit. Thor Deus præterea Norvegis (et priscis & hodiernis) rupes ac saxa disrumpere & eruere dicitur. Cfr. *Þr. Qv.* 21 & plura Eddarum loca supra adlata.

tum hostem devolvit, qvarum pondere et ruinâ aciem in occiduo constitutam oppresſit. Qvo evenit, ut victoriam, qvam armis amiserat, cautibus recuperaret ob cujus facti virtutem Biargrammi *) cognomen accepit, qvod vocabulum ex montium efferitatis nuncupatione compactum videtur. Igitur apud Sveones tantus haberi cœpit ut magni Thor filius æstimatus divinis a populo honoribus donaretur ac publico dignus libamine censeretur." De Hotheri cum Baldero bello (Lib. III): "Inter cætera animi vota, fortitudinis studio præponderante manus, claſſe cum Baldero conseritur. Hominibus adversum Deos certatum crederes. Nam Baldero Othinus ac Thoro sacraqve Deum agmina propugnabant. Divinis humanisqve viribus permixtum aspiceres bellum. At Hotherus, tunica ferrum spernente succinctus, confertisſimos Deorum cuneos irrumpebat et qvantum terrenus in superna poterat, grasſabatur. Sed et Thoro inusitato clavæ libratu cuncta clypeorum obstacula lacerabat, tantum ad se incesſendum hostes invitans, qvantum socios ad tuendum. Nullum erat armaturæ genus, qvod impellenti non cederet. Nemo ferientem tute excipere poterat. Qvicqvid ictu arcebat, obruit. Non clypei, non casſides impactum pertulere robur. Nulli corporis aut virium magnitudo subsidio fuit. Proinde victoria ad superos concesſisſet ni Hotherus, inclinata suorum acie celerius advolans, clavam præciso manubrio **) inutilem reddidisſet. Qvo telo defecti Divi subitam dedere fugam. Inimicum opinioni esſet, nisi fidem antiqvitas faceret Deos ab hominibus superari. Deos autem potius opinative qvam naturaliter dicimus. Talibus namqve non natura, sed gentium more, divinitatis vocabulum damus ***)."

*) Islandice qvoqve *Biargrammr* (a *ϖ Biarg* rupes, cautes & *rammr, ramr*, fortis, robustus) qvod unum fuit ex ipsius Thori epithetis; vid. e. gr. *Saga Ol. Tr. S.* ed. Havn. II, 53 translat. doctisſ. Sveinb. Egilsonii II, 50.

**) Hac phrasi Thori malleus potius qvam clava indicari videtur. Qvæ Saxo de Jovis i. e. Thori fulmineo malleo ac ejus simulacris Lib. XIII historice tradidit, inseruimus supra artic. *Miölnir.*

***) Thorum a Danis gentilibus præcipue cultum esſe testatur homilia Anglo-Saxonica, in vetusto bibliothecæ Cantabrigiensis manuscripto, qvæ de Jove agens hæc in fine addit: *Se Jovis is arvorþost ealra ðæra goda þeða hæðenan hæfdon on heora geddylde. He hatte þor betvux sumum ðeodum, þan þa deniscan leoda luſiad friþost*: "Jupiter in eorum erronea religione maxime honorabilis erat, & inter gentes nonnullas Thor vocatur; illum Dani magnopere amant," *Sheringham de Anglorum origine* pag. 311. Plura huc pertinentia ex alia Angosaxonica homilia inseruimus articulo *Odin* s. Adde Wilhelmi Gemmeticensis relationem de Danorum sacrificiis, idolo *Thuro* (vel Thoro) oblatis: *Cambden. Script. Angl. Hist.* p. 60. Huc porro pertinet relatio, vetustæ *vitæ S. Cuthberti* inserta, de Rege Danico Anglo-Saxones Christianos ita alloqvente: "Juro per Deos meos potentes *Thor* et *Othan* qvod ab hac hora inimicisſimus ero omnibus vobis". Hos sane Deos invocarunt Iugvar et Hubba, Dani, Ragnaris Lodbroci filii (circa annum 870) de qvibus ita *Matthæus Westmonasteriensis:* "Jurave-

Cfr. *Baldvr, Odinn, Valkyria* s. In relatione de Gormonis Haraldini itinere ad Utgardiam sive Geirrodo-Gardos (Lib. VIII): "Cum esset externa atqve inusitata visendi cupidus, experiendam præ cæteris duxit Geruthi cujusdam sedium acceptam a Tilensibus famam".... Gigantis illius regio, trans oceanum ambitorem terrarum ac in ultimo borea sita, infra describetur in artic. *Þurs*. Ast in "conclavi saxeo" ipsius Geruthi Rex ille ac ejus comites "procedentes per fractam scopuli partem nec procul in editiore qvodam suggestu senem pertuso corpore, discisfæ rupis plagæ adversum, residere conspiciunt; præterea fæminas tres corporeis oneratas strumis ac veluti dorsi firmitate defectas junctos occupasse discubitus. Cupientes cognoscere socios Thorkillus [itineris dux], qvi probe rerum causas noverat, docet Tor divum, gigantea qvondam insolentiâ lacesfitum, per obluctantis Geruthi præcordia torridam egisse chalybem, eademqve ulterius lapsa convulsi montis latera pertudisse, fæminas vero *vi fulminum* tactas infracti corporis damno *ejusdem numinis attentati* pœnas pependisse firmabat." Hæc revera conveniunt Thorsdrapæ contentis ac Eddæ junioris & pl. vetustis relationibus de Thori facinoribus in Geirrodi (vel Geruthi sedibus) perpetratis. Tandem, Starchatheri historiam recitans, hæc illis Saxo (Lib. VI) addidit: "Fabulosa et vulgaris opinio qvædam super ipsius ortu rationi inconsenteanea atqve a veri fide penitus aliena confinxit. Tradunt enim qvidam, qvod a gigantibus editus monstruosi generis habitum inusitata manuum numerositate prodiderit, asseruntqve Thor Deum qvatuor ex his effluentis naturæ vitio procreatas elisis nervorum compagibus avulsisse, atqve ab integritate corporis prodigiales digitorum eruisse complexus, ita ut duabus tantum relictis, corpus qvod ante in giganteæ granditatis statum efluxerat, ejusqve formam informi membrorum multitudine repræsentabat, postmodo meliore castigatum simulacro brevitatis humanæ modulo caperetur*). Olim

runt per *Deos suos omnipotentes* qvod mortem illam non relinqverent impunitam." Cfr. *Bartholini Antt. septentr.* pag. 374 & sq.

*) Varios certe Starcatheros (ut Græci Hercules) mythica nostra accepit antiqvitas. Sic *Hervarar-Saga* Cap. 1: "Ad Alufosfas (cataractem Norvegiæ) habitavit Starkaderus Storvirki filius [ut apud Saxonem] ex gigantibus [Thursis] oriundus; his etiam robore naturaqve similis, octo habuit manus." Describitur in seqventibus ejus cum Hergrimo ob sponsam raptam duellum ubi ille qvatuor ensibus simul ictus infligens superior evasit. At sponsa recuperata, Oegna, gladio se trajecit. Posterius "autumno qvodam, apud Alfum Regem, magnum Deabus (vel nymphis) sacrificium (*Disablót* dictum) fiebat, cui peragendo præerat filia Regis, Alfhilda, omni muliere adspectu pulchrior.... de nocte vero, dum idola [sive aram, sangvine vel ungventis] tingebat, Starkaderus Aludrengus eam abreptam domum secum abduxit. Tum Rex Alfus Thorum invocavit (votis qvoqve factis) ut Alfhildam perqvireret; verum postea Thorus Starkade-

enim qvidam magicæ artis imbuti Thor videlicet & Odinus" &c. [qvæ per se notatu dignisſima inseruimus artic. *Odinn* s.]. — Thori & Odini, ut priscorum Deorum distinctam notititiam, Eddarum tenori convenientem, Saxonis tempore in Dania non fuisſe abolitam, ibidem propriis ejus verbis sat superqve probavimus*).

Gentilem Thori in Daniâ cultum adhuc manifeste monstrat cippus insignis runicus, apud pagum Glavendrup in Fionia, circa annum 1792 terra penitus fere demersus at seqventibus annis, propter effodicationem argillæ paullatim emersus, circiter qvatuor ulnarum altitudinem habens. In eo tandem doctisſimus noster Vedel Simonsen feliciter detexit inscriptionem runicam, tribus ejus lateribus insculptam; una ejus pars literis non minus qvam dimidiæ ulnæ longitudine præditis composita cernitur. Ut ea legi posſet, viginti operariorum per duos dies strenuo labore opus erat. Jam viri laudati ingenio & industria dicta inscriptio servata est ac enodata, in qvam præterea plurium celebrium auctorum lucubrationes posterius publici juris factæ sunt**). Ast in illa inter alia indubie legimus: *Þór vígi Þesi rúnar* o: Thorus has Runas consecret (aut sanctificet, sive etiam: sancte defendat vel protegat)!***)

---

rum interfecit, at effecit, ut Alfhilda domum ad patrem rediret & unacum ipsa Grimus filius Hergrimi" &c. Huc spectare videntur verba cantilenæ Veturlidii, gentilis Islandi, qvi Thorum, inter alia, ita alloqvitur: "Starkaderum tu dejecisti;" (vid. *Skálda* pag. 103). Historia Rolfi & Gotreci Starkaderum Storvirki filium perhibet fuisſe nepotem illius Aludrengi. Refertur ibidem somnium posterioris Starkaderi, qvi nimirum ita vidit Asas duodecim in soliis judicialibus collocatos, qvi ejus fata constituerent. Asa-Thorus, ejus stirpem odio habens, jusſit ipsum ejusdem ultimum fore, Odinus autem isti indulsit vitam per tres humanas ætates durantem; addidit Thorus qvamqve harum exsecrabili scelere famosam fieri. Odinus ei arma dedit præstantisſima, at Thorus fundi ullius posſesſionem denegavit. Promisit Odinus divitias, qvas Thorus nunqvam posſesſori satisfacere mandavit. Sic porro præbuit Odinus victoriam, poëseos artem, magnatum favorem, at Thorus plagas graves, oblivionem propriorum carminum & plebis invidiam. Vid. *P. E. Müller Saga-Biblioth.* II, 581 & sq.

*) Adduximus ibidem serioris at medii tamen ævi Danici chronographi testimonium de vetusto illo Thori & Odini in Dania cultu.

**) *Abrahamson (om Glavendrup Stenen)* in scriptis societ. literar. Scand. pro 1806 vol. 2, pag. 106 & sq. cum additamentis Werlauffii, iisdem pro 1807 insertis. Addidit illis Raskius annotationes qvasdam in scripto periodico Danorum dicto *Ny Minerva* pro 1808. Pertinet pagus *Glavendrup* (varie etiam dictus *Glanderup, Glandrup, Glamendrup)* ad villam ampliorem *Dalslund* in parochia Skambyense Fioniæ, non procul a pago *Thorup* (a Thori cultu verisimiliter ita dicto).

***) Meret certe præstantisſima hæcce inscriptio exteris qvoqve communicari: *Ragnhilt sati stain Þonsi avſt Ala Savlva goþa vin Þvi [Þri?] arþan Þiagn. Ala sunir gerþu kubl Þausi aſt faþur sin auk hons kuna avſt ver sin in Suti raist runer Þesi aſt trutin sin. Þor vigi Þesi runar. At rita sa varþi is stain Þonsi ailti eþa aſt onon tragi.* o: Qvæ ita expli-

Præterea innumera fere locorum propriorum nomina Thori Dei priscum in Dania cultum adhuc testantur: e. gr. *Thorshauge* (septum vel hortus Thori) antiqvum ejus fanum, cujus rudera adhuc, e celeberr. jurisconsulti Falckii relatione exsistunt (cum petrâ maxima, toreumate qvodam, ut videtur, insigni) apud vicum Bintrup in Jutia meridionali; *Thorlöf* vel *Thorslund*, lucus Thori, aliud hujus Dei priscum delubrum, in boreali Jutia (Alburgensi diocese), qvi autem lucus in rusticana seditione anno 1441 radicitus fuit excisus (*Worm. Fasti Dan.* p. 54); *Thorsager* (Th. ager) in eadem regni parte, ubi templum Thori olim fuisse fertur, in qvo Svertingus Saxo Frothonem Regem incendio peremit (*Suhm Hist. Dan.* II, 244); apud *Thorup* & *Thorsted* vicos præfecturæ Tistedensis (e relatione illustris ejus & ingeniosi præfecti, Gerhardi Faye) adhuc cernuntur duarum arcium (vel templorum) rudera, ethnico tempori adscribenda &c. Gentilibus Thorani cultus Danicis monumentis verisimiliter porro est adscribendus fons Thori lapidis (*Thor - Stens Kilde*) in campo Brönshöjense, non procul ab Havnia (qvi etiam pestis grassantis tempore 1711 salubrem suæ aqvæ efficaciam probavisse fertur). E ceteris tantum nomino locos qvosdam, ut *Thorshöj* (Thori collis vel tumulus) T. *bek* (T. rivus), *Thordrup*, *Thostrup* (*Thorstrup*) &c. Thori vicus (uti Jutiæ, Fioniæ &c. Thorup), *Thorslunde* (T. lucus, in Sælandia &c.), *Thorseng* (T. pratum, insula Daniæ amoenissima), *Thorsbjerg* (T. mons) *Thorö* (T. insula) *). De nominibus hominum propriis, certo anni mense ac hebdomadis die Thori nomen adhuc in Dania præ se ferente &c. plura inferius adferemus. Observamus tantummodo Thori clandestinam venerationem in hoc regno ad seculum usqve 18^vum non fuisse abolitam, cum vetula qvædam in vico Guderup, insulæ Als, anno 1720 defuncta, qvovis diei matutino & vespertino tempore certa precium formulâ Tho-

camus: "Ragnhilda posuit lapidem hunce post Alium Saulvium [vel Saulvii filium], numinum amicum, fortissimum virum. Filii Alii fecerunt hunc tumulum post patrem suum at ejus uxor post virum suum sed Sotius sculpsit runas [literas] hasce in memoriam domini sui. Is qvi hunc lapidem volutat (vel devolvit), aut hinc in alterius memoriam transferi, in ursum (vel aprum) transformetur!" Exsecratio postrema (paulisper immutata) legitur similiter in calce runicæ inscriptionis, Tryggevældensi lapidi insculptâ (vid. *Scand. Selsk. Skr.* 1809). Hæ forte igitur gentilia illa monumenta servaverunt, in universali fere eorum persecutione. Qvoad nomina illa propria monemus Ragnhildæ & Saulvii adhuc in Norvegia et Islandia non infreqventia esse, at *Ali*, *Sóti (Suti)* in vetustis Islandorum historiis ut in borea scandico olim usitata occurrere. Ragnhilda qvædam Tryggevældense illud in Sælandia monumentum fieri curavit. De nominis origine cfr. *Regin*, *Hildur* s.

*) Multa plura invenies collecta in Suhmii Hist. Dan. De monumentis & delubris Thoro in Mona Daniæ dedicatis vid. *Paludan Möens Beskriv.* pag. 100, 105 &c.

rum adorare soleret, ac illam filium docuerit, qvi tamen post matris mortem sacerdoti hanc idololatriam detexit*).

In *Norvegia* Thori cultum olim maxime viguisse scimus. Haraldi pulchricomi tempore templa ei in Mæria, insula Mostra & alibi fuerunt dicata. Is κατ' ἐξοχήν vocabatur *Lánd-áss* (terræ sive regni Deus) ut Egilli Skallagrimii supra allata cantilena monstrat. Einarus Skalaglam Norvegos gentiles vocavit Eindridi i. e. *Thori homines* (viros vel sectatores) at e contrario Haconis principis hostes *gigantes* (cum Finnorum, gigantum cultorum vel posterorum, sangvine duces illorum partim essent editi) qvos fortis ille Deus ipse prostraverit, ut vastata sacra ac templa cum publica pace ethnicis restaurarentur, at divinâ potentiâ *(ásmegi)* heros regnans glorificaretur; Deorum porro beneficio ejus gratiâ rediit frugifera tempestas &c.**). Plures Norvegi leguntur Thorum appellasse: "Deus noster." Edocuerunt qvoqve filios suos dogmata ac traditiones de ejus divina virtute ut e. gr. hæc in amplissima Olai Trygvini historia referuntur: Regnante Hacone Sigurdino, in Thrandheimo virum fuit Sveinus dictus, qvi dives ac magno loco natus... Deos ethnicos colens ut eo tempore omnis Norvegiæ populus... domi suæ insigne fanum habuit, splendide instructum, in qvo multa simulacra fuere, qvorum Thorum in primis coluit***)... Hic filio

*) *Pontoppidani everriculum fermenti veteris* pag. 11. Nomen vici *Guderup* (Deorum vel idolorum vicus) gentilis cultus priscum ac insignem locum prodere videtur. Asseverationem *Ney Thore Gud!* (non, per Thorum Deum) suo tempore multis familiarem esse observat *Ol. Wormius Monum. Dan*, p. 13 eam simul vocans: "formulam malâ consvetudine in usum tractam."

**) *Eyrbyggia* l. c. pag. 6. *Hkr.* I, 204, VI, 41. Varia Dano-Norvegica proverbia, nostro ævo usitata, sunt veteris Thori venerationis relliqviæ, fulminis tamen vocabulo pro ipsius nomine posito, — ut hæc seqventia: *Var ikke Torden, lagde Trolde Verden öde* ɔ: fulmine non exsistente, mali dæmones mundum certe depopularentur (e tenore Eddæ antiqvioris *Harb. L.* 22). Aliud eandem infert sententiam, versiculo insertum:

Var ei Torden og haarde Stöd
Da lagde Trolde Verden öd'.

Tertium alludit ad aliqvam de Thori die superstitionem: *Gud tale for os, det er Torsdag over hele Verden* ɔ: Loqvatur (vel medietur) Deus pro nobis! hodie dies Thori (Jovis) per totum mundum celebratur. Num autem hoc proverbium debeatur ipsi ethnicismo, cum Thorus præcipue colebatur, vel primo christianismo, cum hic Deus ob prohibitum ejus cultum irasci crederetur, ac igitur a conversis metueretur, aliis dijudicandum linqvimus. Confer ea, qvæ de dicti hebdomadis diei prisca sanctitate infra adferemus. Vid. *Peder Syv Danske Ordsprog* (1682) I, 62, II, 42. *S. Ol. Tr. S.* ed. Havn. I, 91.

***) In historiis Norvegicis multa occurrunt de Thori cultu, templis ac simulacris, qvæ hic non colligere vacat. Observamus tamen templa illa partim fuisse publica (ut amplis pagis vel provinciis communia) et partim privata. Prioris generis fuit illud Mæriæ situm qvod amplissime

suo Finno prædicavit, qvot et qvanta virtutis documenta Thorus exhibuisset, qvi saxa penetravisset rupesqve confregisset *). Finnus hicce posterius in Daniam profectus, ibi cum opilione qvodam christiano colloqvebatur, qvorum uterqve suam cœpit relligionem explanare. Finnus illi varia exposuit de Thoro ac Odino, eorumqve bellicis (vel fortisfimis) gestis. Opilio advenam deduxit ad loci episcopum, cui Finnus confitebatur se in Thorum et Odinum credere ut reliqvi Norvegi. Episcopus Finnum presbytero cuidam tradidit, jusfitqve ut fidem eum doceret, Finnus vero presbytero omnia impedita reddidit, ita ut nihil efficere posset. Tum ipse episcopus ei referre cœpit miracula Dei omnipotentis. Tandem Finnus locutus est; hæc prorsus aliter se habent, qvam antea audivi, nullos deos tam potentes esse qvam Thorum & Odinum, nunc autem intellexi Christum... post mortem adeo eximium evasisse, ut in infernis bella gesserit, Thorum ethnicorum deorum principem colligaverit, nihilqve [vel nullum numen aut dæmonium]**) deinceps illi resistere potuerit.... ideoqve exinde in eum credam" &c.***).

Thorus certo modo pro populi Norvegici salvatore vel fundatore habebatur, ut legenda seqvens monstrat, qvæ verisimiliter tamen orta est e christianâ su-

---

describit *S. Ol. Tr. S.* edit. Scalh. I, 101 & sg. ubi inter multa idola Thorus refertur, medium occupans, insidisse splendidissimo curru (vel rhedæ, ut in Dalensi sacello, *Niala* Cap. 89); ei adpositi fuerunt duo capri lignei, affaberrime facti ac rotis qvoqve subtilibus instructi, ut rhedam cum simulacro trahere possent, qvum nimirum vir præcedens teneret catenam argenteam, qvæ cornibus caprorum erat adfixa. Recensio ejusdem Regis historiæ, Oddo auctore Upsaliæ edita loqvitur pag. 179 de ethnicorum horis canonicis (*tidir* i. e. adorationis ritibus) in templo principali Mæriensi, qvæ qvidem dirigebantur ab episcopo sacrificiali (*blôt-biskup*) ac Thorum porro hic maxime veneratum fuisse observat. Simulacra ibi culta Olaus Tryggvinus perdidit, at templum tamen non videtur destruxisse. Post obitum Regis dicti nemo in Norvegia ad cultum gentilem deserendum cogebatur & sic qvoqve in Mæria Thrandheimiæ prisca publica sacrificia renovabantur, qvæ iterum sanctus Olaus violentissime abolevit (*Hkr.* II, 165-169). Hic Rex alibi destruxit simulacrum Thori colossæum, auro ac argento ornatum et malleum manu tenens, qvod cum ara sive basi ingente ad id pertinente, templo ad publicum conventum solenniter exportatum fuerat l. c. 174-177. Vid. nostra: *Bidrag til nordisk Archæologie* pag. 113-131. Thori idola in Norvegia oracula dedisse feruntur; vid. e. gr. *Saga. Ol. Tr.* ed. Havn. I, 305. *Landnama* l. c. pag. 211 et alibi.

*) "At Odinus victoriam (vel felicitatem) inter homines moderaretur." Cfr. verba Indridi Norvegi, memorantis relationes vel dogmata patris sui ac cognatorum de Diis ethnicis, qvas ei incredulo tradiderant. Hist. Ol. Tryggv. l. c. II, 250.

**) In textu: *ecki vætta.* Vid. *Vætur, Vættr s.*

***) *Saga Ol. Tr. S.* ed. Havn. I, 153 &c. translatio Egilsonii (1827) II, 140 & sq. Hallfredus, dictus difficilis (vel difficultates ciens) poëta, non minore resistentiâ gentilismum reliqvit. ibid. p. 47 & sq. Cfr. Rimberti vitam S. Anscharii de Danis, tum gentilibus, qvi Christum pro *Deorum fortissimo* accipere coeperunt.

perstitione, qvæ virum ethnicum Thori personam suscipientem et ejus nomine loqventem, pro dæmone prius culto accepit *): "In itinere Regis Olai (Tryggvini) Norvegos ad christianismum convertentis... gigantes aliiqve mali genii eum et ejus milites infestabant. Accedit die qvodam, cum iter suum (navale) perseqverentur, vento secundo per sudum leniter spirante, ut qvidam, in rupe litorea stans ac vecturam rogans, Regis veniâ navem conscenderet. Ei magna erat statura, species juvenilis, facies pulchra, barba rubra. Is variis modis Regis milites vexavit vel jocis aut narrationibus delectavit, donec Rex eum rogavit aliqvam priscam relationem dicere. Ille contra: Inde ordior domine! qvod hæc terra, qvam nunc prætervehimur (Norvegia) priscis temporibus a gigantibus inhabitata fuit; isti vero gigantes, casu nescio qvo repentina morte perierunt, ita ut prope omnes interirent, neqve ulli, præter duas fæminas, superstites esſent. Deinde homines ex regionibus orientalibus **) hanc terram incolere cœperunt, qvos ingentes illæ fæminæ magnum in modum infestarunt et inqvietarunt, resqve hominum terram inhabitantium eo usqve afflixerunt, donec incolæ id consilii ceperunt, ut hancce rubram barbam auxilii ergo invocarent, ego vero malleum arripui meum ambasqve ad necem percusſi; huius autem terræ incolæ eum morem tenuerunt, ut me auxilii ergo invocarint, si cujus opus haberent, donec tu Rex! omnes fere amicos meos nunc exstirpavisti, hvod sane ultione dignum esſet. Cum hæc diceret, vultu in risum contorto, ad Regem respexit, atqve eodem momento se e navi tanta celeritate excusſit, ac si telum uari injiceretur, nunqvam illis postea visus. Tum rex ad suos: ecce audaciam diaboli, qvi palam in conspectum nostrum lucido die venire sustinuerit" &c.

Præter Thori singula simulacra in templis erecta Norvegi multis modis Deum illum repræsentare studebant. Sic in columnis sedis primariæ (heri vel nobilis viri) sculpta Dei illius imago freqventer cernebatur; hæc a Norvegis in Islandiam navigantibus sæpe in mare ejiciebatur ut litori appulsa locum futuræ posſesſoris habitationis indicaret ***). Invenitur etiam exsculpta fuisſe in telamone sellæ (non sine magico effectu) ****). Servari interdum solebat a relligiosis deastri cultoribus in sacculo vel marsupio, dente (ros-

*) *Historia Ol. Tryggv.* transl. l. c, II, 169 & sq. Edit. Scalholt. vocat Thorum (I, 176) principem omnium deorum (vel idolorum).

**) "Homines vere humani e plaga mundi orientali hanc terram inhabitabant (vel coloniis implebant)." *Hist. Ol. Tryggv. auctore Oddo monacho. Upsaliæ* 1691, 4 pag. 191.

***) *Landnáma* ed. Havn. pag. 92 sq. et alibi; cfr. 210-11. Alioqvin Thori statua tempestatem ad hostilem invásionem pellendam a Norvegis excitare credebatur, *S. Ol. Tr. S.* Ed. Scæl. II, 74.

****) *Fóstbrœdra Saga* edit. Havn. Moldenhaueri (1822) pag. 170.

mari, eburi simili) fabricata. Refertur porro (ut Ôdini & Freyeri) repræsentata fuisse in tesseris, sortilegiis superstitiosorum adhibitis. In celeberrimo navali ad Svoldram insulam prælio Ericus princeps, Norvegiam armis reclamans & Regi christiano oppugnans, primum in prora navis suæ erexerat Thori simulacrum, tum qvoqve a multis Norvegis maxime veneratum, qvod qvidem, cum nulli eorum Regem desererent at victoria huic favere videbatur, Ericus, pro feliciore successu, cum cruce christianorum commutavit *).

In conviviis sacrificialibus ac publicis Norvegorum Thoro, Odino (et aliis Diis) cerevisia & pocula sacrari solebant, votis et precibus sine dubio solenniter additis. Cfr. *Ódinn, Freyr, Freya, Niördr, Bragi.* De Thori poculo specialiter mallei signo consecrato hæc porro referuntur: "Haco bonus, christianus Rex, gentilibus imperans in sacro convivio poculum Odino dicandum ac sibi propinatum signo crucis sacravit. Tunc Karius magnas: Qvâ de causa, inqvit, hoc facit Rex? num diis sacrificare etiamnum recusat? Cui Sigurdus Jarlus id Regem facere, ait, more inter omnes recepto, qvi viribus confidunt et fortitudini, atqve poculum suum Thoro consecrare, signo, qvod malleum (ejus) referebat, anteqvam biberet, qvibus dictis resedit tumultus" **).

Exsistunt hodiedum in Norvegia runicæ inscriptiones, qvæ Thori gentilem cultum testari videntur. Harum celeberrima est insculpta saxo vel saxeo cippo, qvi olim fuerat impositus tumulo sepulchrali ethnico, jam dicto *Glomshougen*, ad prædium Rue in Telemarchia superiore, sed inde in coemiterium villæ Fladdal est transportatus. Habentur duæ ejus impressæ delineationes, qvæ in nonnullis variant, at ambæ tamen (cum explicationibus additis) in his consonant: (homo)

*) Historia Ol. Tryggv. (1827) II, 54 321. Recensio Oddi, ed. Upsal. pag. 238. *Jómsvikinga-Saga*, manuscripta, in exemplari qvod olim adfuit celeberr. Arngrimo Jonæ. Vid. *Bartholini antiqvit. Dan.* pag. 470, cfr. *Freyr* s. De imaginibus, naves Danorum bellicas (circa annum 1013) ornantibus, ita scribit auctor Encomii Emmæ: "Turritas ascendunt puppes, æratis rostris Duces singulos videntibus discriminantes. Hinc enim erat cernere *leones* auro fusiles [obductos? vel inauratos?] in puppibus, hinc autem *volucres* in summis malis venientes, austros suis signantes versibus, aut *dracones varios*, minantes incendia de naribus. Illinc *homines* de solido auro argentove rutilos, vivis qvodam modo non impares, atqve illinc *tauros*, erectis sursum collis, protensisqve cruribus mugitus cursusqve viventium simulantes. Videres qvoqve *delphinos* electro fusos, veteremqve rememorantes fabulam de eodem metallo *centauros*. Ejusdem præterea cælaturæ multa tibi dicerem insignia, si non *monstrorum, qvæ sculpta inerant, me laterent nomina.* Sed qvid nunc tibi latera carinarum memorem, non modo ornatitiis depicta coloribus, verum etiam aureis argenteisqve aspera *signis*" &c. *Langeb. Script. rer. Dan.* II, 476.

**) *S. O. Tr. S.* ed. Scalholt. II, 58, 106 id. lib. ed. Havn. I, 35, II, 280. *Hkr.* I, 139–140, 143 II, 165. Simili modo apud gentiles Borussos, Lithuanos &c. in sacrificialibus conviviis pocula in singulorum Deorum honorem ebibi solebant.

Ogmol (sive *Ógmon*, *Ogmot* i. e. Ogmundus) cippum ponens "orat Thorum, omnipotentem Deum, ut animam ejus recipiat." *) Cfr. ea qvæ de Thoro ut defunctorum domino vel protectore inseruimus articulo *Vœtur, Vættur* s.

Primis christianismi in borea nostro temporibus Thori & Christi cultum interdum mire mixtum fuisse legimus. Sigurdum principem utriusqve præcipua symbolica signa confudisse jam annotavimus, ac idem certe dicendum est de signis qvibusdam cippis runicis insculptis, qvæ partim mallei (simplicis vel duplicis) figuram referunt. At de Helgio macero, patre Norvegico ac gentili et Raforta, Kiarvali Hibernici reguli filiâ procreato, at in Hebudibus et Hibernia educato ac christiana fide imbuto, sed tandem ethnicæ Islandiæ incolâ, hæc narrantur: Helgius in Christum credidit, ei sacrans habitaculum suum, qvod *Kristnes* sive Christi lingulam aut promontorium appellavit, in religione tamen admodum prævaricabatur, cum Thorum in itineribus maritimis & negotiis arduis ac omnibus qvæ illi maximi momenti esse videbantur invocaret, ec ejus oracula consuleret **). Ad recentissima tamen tempora divini Thori cultus reliqviæ exstitere in moribus vel superstitione populi Norvegici. Sic plebeji seculi 18mi freqventer exclamare solebant *Thore Gud!* (o Deus Thore!) at tonitru ab iisdem appellabatur *Thoreslaat*, *Thorslaat* o: Thori cantus, pulsatio, vel fragor. Sunmoerienses ê contrario, Thorum ex conversorum (catholicorum) dogmate acceperunt pro ipso diabolo, eum nuncupantes *Gammel Thor* (senem vel annosum Thorum) ***).

Nihilominus mythus singularis (ac forte plures) de Thori facinore, ipsis gentilismi de eo opinionibus optime congruens, ad nostros qvoqve dies in Tellemarkia perduravit, ita ex orali rusticorum traditione a docto viatore nuper literis mandatus:

*) *Lund Beskrivelse over Tellemarken* 1785 pag. 251. *Beskr.* o. *Sillejords Prg.* 1786 pag. 51. Cfr. nostros in hanc inscriptionem commentarios *om Osfian* l. c. pag. 182 & sq. 217 & sq. *Eddalæren o. d. O.* IV, 229 & sq. 295-96.

**) *Islands Landnámabók* l. c. pag. 228-231.

***) *Pontoppidan everriculum ferm. vet.* pag. 14; ejusdem hist. nat. Norveg. (in lexico vulgarium verborum). *Ström Beskr. o Söndmör* in diction. vulg. ad vocem *Laake, Loke.* Cfr. *Hallager Norsk Ordsamling* p. 131, it. *Loki* s. Sic tandem Thorum cum Lokio & ambos cum christianorum Satana confusos reperimus! Alioqvin gentilis idololatria a singulis Norvegis clam exercebatur ad seculum usqve 18vum; vid. e. gr. *Pontoppidani everric. ferm. vet.* pag. 12 de rustico Aanen (Onundo) anno 1723 defuncto, qvi in prædio *Fladland* lararium herile posederat ac in eo coluerat idola lignea, adpositis libaminibus &c. Unum eorum dicebatur *Gudmund* — forte Gudmundus olim a Finnis cultus; cfr. nomen templi primarii Saxonum Britannicorum *Godmundingaham.* Aliud appellabatur *Torbion (Thor-Biörn,* e variis Thori nominibus compositum); vid. *Lund Beskr. over Övre-Tellemarken* p. 237-38. De lapidibus in eodem tractu ad recentissima tempora superstitiose cultis & unctis legitur l. c. p. 235-36.

"Villa *Urebö* (ɔ: saxeti prædium) nomen suum accepit ab amplâ illa saxorum ruina, maximâ ut fertur Norvegiæ, per qvam viatores illuc euntes procedere coguntur. Traditio vulgaris eam adtribuit Thoro Deo, qvi irâ excitus tantum ictum monti vicino intulit, ut immanis illa lapidum collectio prorueret. Ast eâ occasione deaster malleum suum amisit, ac diu igitur rupeculas volutans eum frustra qvæsiit, donec iste, si malleum recuperaret, se eo voto obstrinxit, qvod nimirum per inviam illam montis rupturam, qvam ipse effecerat, firmisſimum pontem construere vellet. Malleo reperto Thorus votum lubens soluit, qvam ob causam hominibus hodiedum patet mirabilis illa via, circiter 1500 pasſuum longa, saxis colosſeis ita composita, ut eminus spectata oppido celsis turribus prædito asſimiletur; unde prægrandia illa saxa venerint &| qvo modo sic componi potuerint, jam intelligere neqvimus"*).

Norvegi vel Normanni (ut ab exteris, Danis & Svecis juncti, vocari solebant) maritimis expeditionibus Europam depræ-dantes ac varia ejus litora & insulas occupantes, Thorum pro itineris ac pugnæ felici succesſu adorasſe legimus. Sic describit Dudo a Sancto Qvintino Dacos (Danos) & Gothos (Svecos et Norvegos) ut "venerantes Tur dominum suum," cui homines bello captos eos sacrificasſe dicit. Hunc auctorem verisimiliter secutus est insignis poëta Robertus de Vace, hæc de Scandinavis referens:

Un dieu soloient aoer
Qvil soloient Ture appeler,
Moult l'amoient, moult se fioient
*Hommes vis li sacrifioient &c.***).

Thori cultum certe Norvegi invexerunt insulis Færoensibus, ubi portum principalem *Þórshöfn* ab ejus nomine appellarunt, hodie qvoqve dictum *Thorshavn*, pro regionis primario loco & unico emporio habitum***). At in Islandia Thori

*) *Et Besög i Fieldstuen af Oberst-Lieutenant W. M. Carpelan; Norsk Magazin for Natur-Videnskaberne* 1824, I, 24. De vulgi Norvegici vetusta cantilena Thorum celebrante, vid. *Þrymr* i.

**) *Dudonis a St. Qvintino de primis Normanniæ ducibus* Lib. I. *Le Romanz de Rou* edita a celeberr. nostro Broendsted, in ipsius *Bidrag til den Danske Historie* (1817) I, 58. Accepit translator doctisſimus hunc Turem pro nostratium bellico Deo Tyre, non sino validâ ratione (vid *Týr* s.) ut lubens fatear locum illum ambiguum nobis sensum invehere.

***) Alius maris secesſus in iisdem insulis hodie qvoqve dicitur *Thorsvig*. In ipsa Norvegia aliqvot ejusdem originis localia nomina reperimus, e. gr. *Thorgaard*, *Thorsnæs*, *Torvig* (vel *Thorvig*), olim *Þórsbjörg* & pl. Multa verisimiliter talia nomina a vulgo rustico noscuntur, at libris scriptis vix inserta. Sic e. gr. doctisſimus Bergensium episcopus Neumann in Sognia & vicinis regionibus nuper detexit aliqvot locorum (præcipue altorum vel singulorum montium) propria nomina qvæ ethnicam originem præ se ferunt e. gr. *Store Thor* (Thorus magnus) (Thorus parvus sive minor) aliis *Freya*; *Godhald* (Deorum rupes sive arx), *Jötun-Fjelde* (gigantum montes) p. p. (*Neumann Bemærkninger paa Reiser i Sogn og Söndfjord* 1823, 4 pag. 21, 54 (cfr. *Odensö* jam *Onsö* p. 15); — i *Söndmör og Nordfjord* 1824, pag. 41, 110.

relligionem e Norvegiâ allatam præcipue floruisse scimus, cujus supra plura exempla adtulimus. Cfr. *Odinn* s & præsertim ea, qvæ de Thorolfo Mostrensi inseruimus articulo *Vættur*. Addimus tantummodo, qvoad ejus relligiosas & politicas institutiones, qvod forum primarium ab eo constitutum posterius fuerit hostili pugna profanatum, ac ob eam causam in alium vicinum locum translatum, cui simul inviolabilis sanctitas addebatur; ibi etiam ut Landnama ait: "adhuc conspicitur" lapis Thori (ita dictus — *þórs steinn)* supra qvem homines, sacrificio destinati, [dorso acri eminentiæ adplicato] frangebantur; ibi etiam circulus judicialis *(dómhringr)* exsistit, in qvo homines ad victimas condemnabant *). Ibi Thordus Geller forum totius qvadrantis, omnium ejusdem incolarum consensu, constituit. — Alioqvin Thori templum Thorolfus construxerat in prædio suo principali, inde dicto *Hofstadir* (i. e. templi statio sive villa)**). Thorolfus ille proprie Rolfus tantum simpliciter appellabatur, at ipse a patre, Thori cultui maxime dedito, hujus Dei nomen suo additum accepit, ut postea vocaretur *Þór - hólfr* (contracte *Þórólfur* i. e. Thori Rolfus vel R. Thoro sacer). In Islandia posterius filius ei nascebatur, *Steinn* (lapis) primum vocatus. "Hunc puerum dedit (vel dicavit) pater Thoro amico suo, et Thorsteinum (*Þorsteinn)* ea ratione appellavit." Idem mos eidem stirpi in Islandia qvoqve proprius fuit***), circa eos nimirum pueros, qvi

*) Humana hæc sacrificia (ut primo aspectu apparent) revera fuerunt capitalia supplicia, maleficis illata. Hoc variis christianismi primorum prædicatorum orationibus probatur, e. gr. — qvoad Islandiam — Hialtii Skeggiani: "Ethnici pessimos homines deligunt, qvos Diis suis offerant, eosqve morte turpissimâ ipsisqve dignissima ob malefacta sua, immolant, ita ut illos e rupibus aut in hiatus præcipites dent." Et qvoad Norvegiam — Regis Olai Tryggvini — qvi ethnicorum sacrificiis vulgo servos et maleficos ibidem destinatos esse testabatur. Qvoad Sveciam relatum invenimus qvod Hallfredus Islandus, scelesti homicidii in Vestro-Gothia accusatus, in conventu publico judiciali sententia ad immolationem fuerit condemnatus. Historia *Olai Tryggvini* transl. Egilsonii (1827) II. 38, 79, 222. *Kristni-Saga* ed. Havn. pag. 92. Supplicia apud vetustissimos Germanos divinâ tantum (vel sacerdotali) sententiâ exerceri posse. mihi videtur elucere e verbis Taciti (German. Cap. 7): "Ceterum neqve animadvertere, neqve vincere, ne verberare qvidem nisi sacerdotibus permissum... velut Deo imperante."

**) *Landnáma* l. c. pag. 92-94, cfr. 299-301. *Eyrbyggia* ed. Thorkelini pag. 10, 26. Ad templum illud, ut alia Islandiæ principalia, omnes provinciæ incolæ annua tributa solvere debebant, ipsius (templi) præfecto, qvi *Godi* (i. e. Deorum minister vel sacerdos q. d. divinus) vocabatur, præterea variis modis subditi; — at is contra, proprio sumtu, convivia & sacrificia publica iis, statis temporibus, in ipso templo parare solebat. — A loco illo ad nostra usqve tempora toparchia Snæfellensis interdum vocatur *þórness-þing* i. e. Thori lingulæ jurisdictio. Rudera fori adhuc exsistunt, qvæ per b. Sæmundum Holmium mercator insignis Islandicus, Bogius Benedictson, suo sumtu delineari curavit, hoc opere posterius regio Havniensi antiqvitatum borealium museo oblato.

***) *Eyrbyggia Saga* l. c. pag. 6, 16, 26. Hinc explicanda dicta Landnamæ (pag. 133) de Hall-

Thori pontificatus dignitati erant destinati. — In Kialarneso meridionalis Islandiæ primarium forum constitutum fuit ab Ingolfi (primi totius insulæ Norvegici incolæ) filio, cujus nomen Thorsteinus *(Þórsteinn)* illam ejus prædestinatam dignitatem indicare videtur — ê viciniæ optimatum et aliorum sapientum virorum consilio. Hæc prætura diu igitur retinuit ceremonias in comitiis universalibus publicandis (vel consecrandis) alioqvin adhibitas. In ejusdem fori vicinia templum qvoqve principale fuit constructum, unde villa *Hof* (hodie exsistens) suum nomen traxit. Erat autem Thoro dedicatum, ingentis magnitudinis & decoris; inter duas idolorum series Thorus in medio fuit collocatus, at ante eum ara artificiosa, superne ferro obducta, in qva ignis, consecratus dictus, *) qvi nunqvam erat exstingvendus, adsidue servabatur. In ea qvoqve arâ jacebat annulus magnus argenteus, qvem templi antistes in comitiis gestare debebat & ad qvem etiam jusjurandum erat præstandum &c. Stetit qvoqve ibidem vas aheneum, qvod sangvinem sacrificialem Thoro datum excipere solebat. Foris autem erat palus in qvem homines sacrificati (ut morti tali publice condemnati) præcipitabantur **).

steino illius Thorolfi filio, qvi in aliena provincia (Thorskafjordensi nimirum) novum erexit pontificatum, qvod filium suum (Thorsteinum ut puto) Thoro ex voto dederit. Snorro pontifex, infans huic officio destinatus, primum appellabatur Grimus *(Grimr)* vel Thorgrimus *(Þórgrimr)*, puer deinde accepit cognomen *Snerrir*, qvod tandem (verisimiliter baptismo christiano recepto) mutabatur in nomen proprium *Snorri (Eyrb.* p. 30). Alio modo in hominum propriis nominibus Thori postponebatur e. gr. *Stein-Þór, Berg-Þór, Haf-Þór* &c.

*) *Þat kölludu Þeir vigdan eld.* Cfr. *Ve* s.

**) *Kjalnesinga Saga.* Cap. 2. Cfr. Taciti Germania Cap. 12 de ignavorum & infamium submersione in cæno & palude. Dictam paludem Hofi Kjalarnesensium auctor hujus lexici vidit, ac binas qvoqve qvernas tabulas, ornatas toreumatibus, qvæ feras repræsentant, domus contabulationi insertas, qvum e rusticorum possessorum vetusta traditione templi illius ethnici haberentur reliqviæ, antiqvitus a prædii colonis servatæ ut res eorum bene succederent. — Illius relationis veritas dubitari meret; sunt tamen tabulæ dictæ satis vetustæ ac jam qvoqve in museo borealium antiqvitatum Havniensi depositæ. Addit narratio memorata templum Kialarnesense tapetibus ac fenestris ornatum et tholo instructum at septo circumdatum fuisse. Cfr. descriptionem templi Hofstadensis (Thoro qvoqve sacrati) Eyrbyggia l. c. Cap. 4 pag. 10. "Thorolfus deinde tractum, qvem occupaverat, - - ad amnem usqve, qvam *Þórsá* (i. e. Thori flumen) vocavit, nautisqve territoria, qvæ incolerent, distribuit. Hofstadis fanum exstrui curavit, domum ingentis magnitudinis, cum foribus in pariete laterali et propius qvidem ad alteram extremitatem. Erant intra fores columnæ sedis supremæ ac in iis fixi clavi, qvi divini (vel sacri) dicebantur [*Regin-naglar*; cfr. *Regin, Naglfari* s.]. In interiore domus parte exstructa erat ædicula [aliis codd. asylum] ad formam, qvam hodie habent adyta templorum, in cujus medio pavimento pulvinar ac ara stetit altaris instar, cui impositus annulussine commissurâ [codicibus qvibusdam argenteus, aliis autem aureus; de iis, (ut supra) plura alia referuntur]. Stetit qvoqve in altari vas lustricum *(Hleytbolli)* cui inesset aspergillum *(Hleytteinn)*

Opinabantur Islandi (ut antea Norvegi) Thorum tempestastes maximas incitare ac iratum naves suorum adversariorum perseqvi. Hujus rei Thorgilsis Orrabeiniani biographia (cujus christianus auctor illum pro diabolo ipso vel malo dæmone accepit) varias exempla testatur *). At qvum navis Thangbrandi, christianismi prædicatoris, e portu vi tempestatis in altum delata littori violenter allideretur, composuit mulier gentilis, Steinunna (Refi poetæ mater) de eo evento hanc cantilenam:

Thorus Thangbrandi longam navem
Excussit ê navali,
Conqvassavit, contrivit
Atqve littori allisit.
Navis qvalis, qvâ, solea velut ligneâ,
Atallus per æqvor labebatur,
Non amplius transnatabit freta, nam
ita eam comminuit
Horrida procella, Thoro adtributa.
Qvi oreadum filios prostravit
(Conspirantibus Diis in perniciem
marini accipitris)
Bisontem sedis alcedinum totum
confregit
Damno tintinnabuli custodis.
Nec propugnavit Christus, cum ille
elisit
A prora ad puppim corvum æstuosi
maris;
Opinor certe parum Deum aut nihil
Istud navigium curavisse **).

Inveniuntur porro Islandi Thorum, ut fortitudinis datorem coluisse, ac vota ei fecisse pro victoria in luctæ certamine obtinendâ ***).

Convivia olim sacrificialia Thoro in Isdia parata fuisse, patet ex voto gentilium Islandorum e christiana Norvegiâ fugam meditantium, qvod ita erat conceptum: ut cerevisiæ tres amphoras Freyero darent, si in Sveciam vento secundo ferrentur, sed Thoro aut Odino si Islandiam redire contingeret ****).

Thori superstitionem ad recentissima usqve tempora non in Islandiâ penitus esse abolitam, monstrant certæ figuræ ab incantatoribus vanis eorum næniis

qvo aspergeretur sangvis (dictus *Hleyt*, *Illaut*), mactatorum scilicet animalium, qvæ Diis immolarentur. Circum aram in postica Dii erant dispositi. Templum hoc sine dubio Thoro, præcipue erat sacratum, ut illud Mostrense in Norvegia cui idem Thorolfus qvondam præfuerat. Cfr. alioqvin de ritibus Norvegorum *Hkr.* l. c., 139, 140, 143.

*) Vid. Danicam hujus historiæ translationem, auctore doctiss. B. Thorlacio, insertam Scriptis soc. lit. Scand. pro anno 1808, pag. 275 & sq.

**) *Kristni-Saga* Ed. Havn. pag. 58-63. *Saga Ol. Tr. S.* ibid. ed, II, 204-5. Cfr. translat. lat. (1827) II, 191-192.

***) *Saga Gunnlaugs Ormstúngu* &c. Ed. Havn. pag. 130. Qvod Thorus etiam, medio ævo, ab Islandis invocatus fuerit, pro fausto in tesserarum ludo successu, supra probavimus ad artic. *Odinn*.

****) *S. Ol. Tr.* ed, Havn. II, 16; transl. lat. II, 15.

clandestine adhibitæ, dictæ *Thori caput* et *Thori malleus* *). De sorbo, arbore olim Thoro sacrâ, relligiose adhuc in Islandiâ venerata, supra disqvisiimus.

In *Svecia* Thorum antiqvitus adoratum esse scimus. Hoc, inter alia, probant Saxonis supra allatæ narrationes de Regnero principe, illum Deum præ cæteris timente & Haldano Biargramo pro ejus filio habito. At nostrates referunt Styrbioernum, dictum Sveonum heroem, nocte proelium celeberrimum (seculi 10^mi) Firisvallense præcedente, Thorum (e militum suorum petito) sacrificio adhibito invocasse, ac simul etiam virum rubra barbâ præditum in castris ejus adparuisse, qvi cantilenam qvoqve protulisse dicitur **) qvâ suum auxilium aperte abnuit. Cfr. artic. *Ódinn* s. Cum Hacon Norvegiæ princeps (eodem seculo) in Dania christianam fidem (fraudulenter) accepisset, inde discedens Vestro-Gothiam Svecicam hostiliter invasit, et templum regionis principale, Thoro sacratum ac centum Deorum simulacris celebre, deprædatus destruxit, ob qvam causam Ottar, regionis princeps vel satrapa illum gentilium more excommunicasse fertur (cfr. *Ve* s.) ***). Adamus Bremensis hæc inter alia de celeberrimo Upsaliense templo: "Statuas trium deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium .... Is cum sceptro Jovem exprimere videtur. Thor, inqviunt, præsidet in aëre, qvi tonitrua et fulmina, ventros imbresqve, serena et fruges gubernat .. Si pestis et fames imminent, Thor idolo immolant." Aliud Thori sanctificium, in Svecia cultum, in publico ethnicorum conventu destruxit beatus Wulfredus qvam ob causam, martyrii mortem passus, palude a furente gentilium turba demergebatur. Adamus Bremensis idolum illud *Thorstan* (ɔ: Thori lapidem) vocat, qvod tamen nomen potius ejusdem aræ vel basi (uti Islandico illi lapidi supra memorato) adtributum fuisse opinor ****).

Ipsi Svecici (qvamvis recentiores) scriptores ê fontibus jam ignotis alias Thori

*) Vid. *Eggert Olafsens Reise i Island* I, 475, 477.

**) *Þáttr Styrbiarnar Svia-Kappa* (insertus *Saga Olafs helga* M. Scr.)

***) *Saga Ol. Tr. S.* auctore Oddo, ed. Upsal. p. 59. Fanum illud verisimiliter situm fuit Gudhemiæ (olim *Gudheimr* i. e. Deorum habitaculum) ubi posterius (ut Helgafelli Islandorum) templi gentilis loco amplum monasterium fuit exstructum. In illa expeditione Hacon Jarlus, christianismo rejecto, Odini cultum recepit, corvos duos ab eo sibi augurii ergo missos concludens. *Hkr.* ed. Havn. I, 219-220.

****) *Adami Bremensis Opera. Helmstadii* 1670, 4. pag. 152 in libro *de situ Daniæ*. Ejusd. *Hist. ecclesiast* II, 44. "Wulfredus (ex Anglia) Svediam ingressus, dum multos prædicatione sua ad fidem christianam convertisset, idolum gentis, nomine *Torstan*, in consilio paganorum cæpit anathematizare, simulqve arrepta bipenni simulacrum in frusta concidit" &c. Simili modo iste Fricco (idolum) qvem B. Egino Scaræ in Vestro-Gothia meliore successu confregit, ab illo Upsaliense certe fuit diversus. Id. *de situ Daniæ* &c. Cap. 9.

descriptiones nobis communicaverunt. Sic Olaus Magnus & Johannes Magni ei, præter sceptrum ab Adamo memoratum, coronam addunt et duodecem stellas, qvibus cinctus fuisse dicitur. At Ericus Olai refert Svecos Thorum repræsentasse sub nudi juvenis formâ, sceptrum una sed plejades altera manu tenentem ac plaustro majore cælesti insidentem. Isti consonat Olaus Petri cujus narrationem supra adtulimus, de curru deastri agentem. Joh. Magni hæc addit: "Coruscationes, fulmina et tonitrua similesqve siderum motus *fragorem Thoronis* appellant" p. p. *).

Thori simulacris verisimiliter fuit adnumeranda effigies qvædam prægrandis viri, qvæ olim stetit in foro oppidi Ostro-Gothici, Skeninge dicti **), ad eum qvoqve locum in qvo malefici ob scelera patrata suppliciis puniri solebant. Ista statua, vulgo *Thore lång*, magnâ colebatur superstitione ac idololatriâ. Opinor igitur eam pertinuisse ad sacras illas effigies qvæ antiqvitus innuerunt fori ac nundinarum sanctitudinem, primum Deastri cujusdam ethnici at posterius herois (ut putarunt) humani vel sancti scraulacra Vid. art. *Ves*. Sic statua illa tandem sumebatur pro simulacro certi Helsingorum principis, at nihilominus, pro superstitiosa ejus veneratione tollenda, circa Lutheranæ in Sveciam relligionis introductæ tempora, e superiorum edicto confracta & ablata fuit, ut ejus loco jam tantum qvatuor grandiores lapides cernantur ***). Eodem modo apud Gothlandos insulanos Thorus deaster, tempore gliscente, ab eorum traditionibus in athletam qvendam vere humanum transmutatus evasit ****).

*) *Olai Magni Hist. gent. Septentr.* III, 3. *Erici Olai Hist. Sveco-Goth.* Cap. I. *Joh. Magni Hist. Svec.* I, 9. *Petri Olai Sv. Crön.* (*Fant Scr. r. Sv.* T. I. S. 1. p. 221). Sic forte Scandinavorum vel Germanorum Jupiter (Thorus aut Odinus) repræsentatus fuit eburno eo ac barbato capite, coronâ stellis composita cincto, qvod inventum est ad locum *Cattwick* (sive vetus Brittoburgum) ad Rheni ostium. (*Cannegieter de Britteburgo* p. 46).

**) *Olaus Magnus* l. c. XIV, 15. Audit ei Thuro longus (cum Herculis statua, Romæ erecta comparatus), ac dicitur humeris gestasse clavam prægrandem, e qvâ duo pendebant concatenata saxa (qvæ certe lapides a Thoro ê vulgari sententiâ emissos in memoriam revocant). Idem auctor Scheningiam vocat antiqvissimam Ostrogothiæ urbem. — Cæteroqvin minime miranda est magna apud eandem gentem in eorundem Deorum effigiebus varietas, cum similis qvoqve apud Græcos, Romanos et alias gentes cernatur. Accedit ipsorum Deorum freqvens sub diversis formis apparitio, licet una earum (qvæ pro verâ vel freqventissima habebatur) tandem in fixum fere vel sæpissime usitatum certi numinis typum evaderet, ut e. gr. Jupiter fulmen trisulcum sed Thorus malleum gestans &c.

***) *Stiernhoeck de jure Sveonum veteri* pag. 326. *Brocman Beskrifn. öfver Öster-Gothland.* Norrköping 1760. pag. 190.

****) Vid. e. gr. *Strelow Guthiland. Cron.* pag. 34 (& alibi) Auctori is (latina flexione) Thoro, at Deus a Gothlandis cultus Thor tantum audit pag. 64.

Proprium Thori nomen & omen ex atavorum more adhuc resonat in phrasi vulgi Svecici de fulminea tempestate præsente: *Thor Gubben åkar* (Senex Thorus jam currum agit vel curru advehitur). Hinc tonitru Gothlandis dicitur *Thorsåka* (Thori vehicularis actio vel sonitus inde ortus). Eundem sensum invehit Svec. *Tordön* (Dan. *Torden*) o: Thori sonitus vel fragor, a vet. Scand. & jam Isl. *Duna, Dunr* fremitus, sonitus ingens, tonitru Svec. *Dön, Dån*, Angl. *Din*, C. Brit. *Dwndwr, A. S. Dyn*, Belg. *Done, Denne;* cfr. Lat. *Tonus* (unde verbum tonare) &c. Cognata sunt Germ. *Donner* (fulmen) Belg. *Donder*, Angl. *Thunder*, AS. *Thunor*, Alem. *Thonor, Donre*, Gall. *Tonnerre*, Pers. *Tonder, Tandar* Afgan. *Tander*, & pl. Ast qvoad senis epitheton Thoro adtributum, vocis variatione adhibita occurrit in vetusta cantilenâ Svecorum, Eddæ antiqviori originem debente, ubi ille appellatur *Thor Kar*, at in Norvegicâ *Thor Kal*, pro antiqvo *Karl* — nisi hoc vocabulum illo loco capiendum sit e jam vulgari & prisco etiam sensu de heroe vel fortissimo viro. Vid. *Þrymr* i. Porro illi *Gubbe* (*Thor* G.) interdum a Svecis præmittitur *God, Go* (aut ex antiqvo sensu Deus, numen, vel recentiore adjectivo bonus) ut ille eo modo vel *divinus* vel etiam, *bonus senex* nuncupetur. Ita de hisce immortalis Ihre: "*Godgubbe* plebejo sed vetusto loqvendi genere dicitur Thorus tonitruans, qvem ubi currum suum vehementiore cum sonitu agere audiebant, iratum credentes, suo nomine compellare non audebant, pro solenni vulgi superstitione, qvi mala qvæve omnia evitaturi blandiore compellatione gratiam se numinum aut geniorum inituros credunt" *). Ex auctorum aliorum observatione Thorus adhuc meridionalis Sveciæ plebi audit *Gofar* (i. e. divinus aut bonus pater) de cujus bellis contra Trollos vel malos dæmones, ac simul de maximo maris serpente, Eddarum *Jörnungandr* & *Midgardsormr*, ultimo mundi die proruituro, multa narrare solet. Thoro Vermelandi conjugem adtribuunt dictam *Godmor* i. e. divina vel bona mater, unde eorum phrasis de fulmine percepto: *Godmor går* o: graditur mater bona &c. **). Hæc iterum aliis Svecis olim audiit *Ragnel Thorinna* (Ragnhilda i. e. divina bellona vel nympha, Thori uxor) ut hi versiculi testantur:

Når Ragnel Thorinna begynte storljuda
Bulrade Thor och gaff nyt sjuda

(ubi Deus ac Dea tonitru communiter efficere, at ille fulminis æstum vel fervorem

*) *Ihre Svensk Dialect-Lexicon* pag. 184 v. *Torsåka*. Ejusd. Gloss. Svio-Goth. v. *Godgubbe*.

**) *Ling Eddornas Sinnebildslära pag.* 11. ubi illud *Gofar* Goæ pater (de Thoro pro Thorrio) explicatur. *Ihre Gloss Svio-Goth.* l. c. Utrum Sifa an Jarnsaxa hic intelligatur, incertum manebit. "*Gofar åkar,*" tonat in aëre *Sahlst. Lex. Sv.* p. 701.

parare fertur) *). Hodiernæ Svecicæ plebis traditiones multa insuper fabulantur de fulmine (vel ipsius mythico auctore) malos & montanos dæmonos (Trollos &c. vulgo dictos) strenuissime perseqvente ac interimente; at cum hi interdum fugientes vel arboris umbram & interiora domuum (per fores aut fenestras patentes) vel etiam sacculos vacuos hominum vestitui adhærentes petere soleant, huc qvoqve numinis ira illa dæmonia tali casu perseqvi putatur **). Huic supertitioni, ut doctissimus noster Nyrupius rite observavit, adscribenda est fabula Svecica (in Danicum idioma versa) de dæmone montano Gothlandico (dicto *Höjbjergs Gubbe* ɔ: senex de alto-vel tumuli monte) qvem rusticus qvidam (ut ejus inimicitiam evitaret) ad lustricum epulum invitaverat; dæmon ille convivium oblatum vehementer qvidem adpetebat, sed fulminis tamen (magis qvam Christi, Sancti Petri vel Mariæ, e nuncii fictione simul invitatorum) metu domi se continuit ***). Alioqvin Thorus siliceos illos lapides qvi arte sæpissimi elaborati in gentilium sepulchris vel delubris freqventer inveniuntur, fulmina emittere putabantur, unde hi Svecis hodiernis vulgo dicuntur *Thors viggar* (cunei Thori) at Danis *Tordenstene*, Germanis *Donnersteine*: ɔ: fulminei lapides &c. Huc porro pertinet vocabulum *Thorshåla* (Thori specus vel fovea) cælesti libonoti plagæ, propter tempestates fulgureas inde sæpissime ortas, Vermelandis adtributum ****). Qvoad priscam Thori in Svecia divinitatem notari meret observatio circa annum 1550 facta, qvod asseveratio *Thore Gud*, apud regni incolas isto tempore non infreqvens fuerit *****).

Multa locorum in Svecico regno propria nomina priscum Thori cultum indicant e. gr. *Thorsbro* (Thori pons) in Scania, qvi verisimiliter, ut ille Norvegicus, primum a dicto deastro exstructus esse credebatur; *Thors Klint* (Th. rupes) in Ostro-Gothia, magna prædita altitudine ac variis simul lapideis monumentis, in verticis planitie sitis, ad ethnicum cultum verisimiliter pertinentibus; *Thorsborg* (Th. arx vel collis) in Gothlandia (de qva supra egimus) &c. †).

*) Sunt tamen hi versus in Svecicum sermonem translati e Finnico, ubi Thorus (Finnicæ mythologiæ tenore) *Ucko* sed uxor ejus *Rauni* dicitur. Cfr. *Rán, Regin* s. *Gabrielis Arctopolitani Dissertatio de origine ac religione Fennorum; Upsaliæ* 1728 pag. 37, 39.

**) *Westerdahl Beskrifning om Svenske Almogans sinnelag* &c. (1774) pag. 49.

***) *Almindelig Morskabslæsning i Danmark og Norge* &c. pag. 243 & sq.

****) *Geijer Svear. Häfder* I, 268. Eadem ratione libonoti plaga Holsatis audit *Donnergät* (fovea sive porta fulminis; *Schütze Holstein. Idiotikon* I, 230). Dicunt Plebeji Islandi diabolum in eadem mundi plaga e cælo præcipitatum fuisse, qvod ethnicam illam originem sapit.

*****) *Olai Petri Svenska Chronica* (ubi ista asseveratio legibus prohibita esse observatur) *Script. rer. Svec.* T. I. S. I. p. 221.

†) *Linnæi Skånska Resa* pag. 88. *Brocman Beskr. ö. Ö. Göthland* l. c. pag. 480. Alia Thori

In toto septentrione permulta hominum utriusqve sexus propria nomina ex illius Dei nomine sunt orta; at semper (qvantum scimus) cum aliis composita (aut præmissa, aut postposita). Hæc potissime apud priscos & recentiores Islandos & Norvegos occurrunt & hodie qvoqve in usu sunt. Circiter sexaginta nobis jam in mentem veniunt, qvæ tamen hic enumerare non vacat; exempla compositionis videas in artic. *Freyr* s. In Dania (Deorum tantum nominibus mutatis) medio ævo non infreqventia, jam sunt rariora; at tamen pauca adhuc in usu sunt e. gr. masc. *Thorbiörn*, *Thorkel*, fæm. *Thora*. Idem de Svecia observandum, qvamvis sec. 16to *Joh. Magni* scripserit: "Gothorum plurimi nostra ætate [ab ethnici Dei nomine] Thorones appellantur"; sic qvoqve jam inter Vestrogothos reperimus antiqva illa: *Thore (Ture)*, *Thorfast*, *Thorbiörn*, *Thorjarn*, *Thorsten* & pl. *).

Una literarum runicarum nimirum *þ* (*þorn*), (jam Islandis tantum sed olim qvoqve Scandinavis, Germanis, Anglosaxonibus figurâ propria, at Anglis nunc expressa per *Th*) Thori nomen interdum gestavit, qvamvis hodie *þorn* (spina) (ut prius qvoqve inter christianos Anglosaxones) appelletur **); cfr. *þurs*, i. De mense, die & planeta, a Deo illo denominatis, ad articuli hujus conclusionem disqviremus.

Finni & Lappones, Svecis & Norvegis antiqvitus vicini, Thorum certe intense coluerunt, at hæc infra monstrabimus, sed pauca prius sunt observanda de aliis Gotho-Germanicis ac iis aliqvantum cognatis Europæ gentibus.

Inter vetustissimas inscriptiones, latina lingvâ et literis exaratas, qvæ in Germania et Britannia, ut Romani in iis terris imperii reliqviæ, hodiedum existunt, fulminis illi Deo, sub nomine aliqvantum mutato, nonnullas sacratas esse probavit Walchius in peculiari dissertatione de Deo *Taran-Ucno*, qvam nobis tamen videre non contigit. Inscriptio isti dicata Heilbrunnæ Sveorum post medium sec. 18vi est inventa ac a viro laudato descripta; accedunt plures aliæ e. gr una ad locum *Godramstein* (qvod nomen borealis Thori cultum innuere videtur), tertia in Dalmatia reperta, in qvâ legebatur *Jovi O. M. Taranucco* vel *Ta-*

---

nomina reperies in Svecorum localibus, additis vocibus: *wi*, *stad*, *by*, *bo*, *torp*, *rup*, *borg*, *landa*, *ås*, *hälla*, *skog*, *lund*, *äng*, *ö*, *näs*, *fors*, *sjö* & pl. Porro in regno hocce hodie qvoqve invenimus agros Thori, Odini, Friggæ (*Thorsåker*, *Odinsåker*, *Frigger åker*).

*) *Joh. Magni Hist. Svio Goth.* I, 9. *Sv. Hof. Dialectus Veſtro-Gothica* Holm. 1772 — ubi illa tamen qværenda sunt ad literaŝ *To* (pronuntiatione non mutata).

**) De vetusta illa literâ ita nominata vid. *Verelii Runongraphtam* pag. 26; cfr. doctiss. *W. C. Grimm über die Deutschen Runen* præsertim T. II e codice Sangallensi sec. 10 in Runis Nord. i. e. septentrionis, ubi a Thur vel Thoro (è nostra sententiâ) nomen trahere indicatur.

ranuco &c. *). Hic certe idem est ac Deus ille qvi Lucano (*Pharsal.* I, 446) audit:

— *Tharanis* Scythicæ non mitior arâ
Dianæ;

qvem qvoqve poëta, paullo antcrius de Treviris loqvens, Germanis adtribuere videtur **). Huc etiam verisimiliter pertinet inscriptio veteris Devæ (hodie *Chester*) in Angliâ: *Jovi O. M. Tanaro* ***). Is iterum Saxonum *Tunaer* vel *Thunaer* in famosa eorum ethnicismi abjuratione (vid. *Ódinn* s.); hinc certe Germanorum *Thonar, Thunre, Donner* (Tonitru) Gall. *Tonner, Tonnerre* &c. uti etiam immortalis Leibnitzius (in *collectaneis etymologicis*) voci *Taran* eandem recte adhibuit explicationem ****). Galli Jovem sub Taranis nomine coluisse] putantur *****) at Jupiter illis, e Cæsaris testimonio, "imperium coelestium tenere" credebatur. In consilio Liptinensi (anni 743) feriæ qvas Thuringi Jovi (i. e. Thuro vel Thoro) & Mercurio (i. e. Vodeno, Odino) sacraverunt, sunt prohibitæ, ut alibi supra monstravimus. Eodem modo sacra Jovis arbor, qvem Sanctus Bonifacius exstirpavit; presbyteri, inter Thuringos, ejus tempore Jovi mactantes &c. explicari debent. De his & cæteris ad opus sæpe laudatum doctissimi *Mone* de Thori inter ethnicos Germanos cultu lectorem ablegare cogimur — exceptis vetustis Germanorum Jovis diei denominationibus, qvas infra adferemus.

Anglo-Saxones Thori cultum secum e Germania et Dania in Britanniam invexisse, dubio non caret. Num autem vocabulum *Tor*, qvod adhuc in Anglia et Cambria adscribitur monumentis ethnicæ originis, qvibus colossei lapides sunt superimpositi (e. gr. *graned Tor* in comi-

*) *Suhm om Odin og den hedenske Gudelære* pag. 141-142 et scripta ibi allegata. *Mone* l. c. II, 350 & sq.

**) *Roeszig Alterthümer der Deutschen* pag. 170.

***) *Baxter Gloss. ant. Britann.* pag. 223. *Raiser Guntia* (1823) pag. 5.

****) Cfr. *Banier Mythologie* &c. *Tom. V. liv. VI. chap. I.* In Britannia Galliæ inferiore vox *Taran* adhuc fulmen sive *Tonitru* denotat. *Adelung ält. Gesch. des Deutschen* p. 353. In Cambrica lingvâ eandem significationem ab aliis habere fertur; in veteri Germanica & interdum in medii ævi Svecica *Thoren* exprimitur. Adde Scoto-Gael. *Torin, Torunn*, ejusdem significationis; *Toran, Toirn* tremitus vel sonitus ingens p. p. it. Ossiani *Torman* vel *Toronan*, fulmen personâ repræsentatum, qvum miles fortis ejus filius appelletur.

*****) Vid. *Bastholm histor. philosoph. Undersögelser* pag. 499. *Mone* l. c. II, 415-16. Jovi Tarani inter Gallos ut illi Hassico Germaniæ altæ quercus fuerunt dedicatæ; securis illius anceps (in monumentis) ut alia Jovis Labradei (a Lydis, Phrygibus & pluribus culti) Thori malleo inter nostrates respondet. Variæ inscriptiones ei dicatæ leguntur in operibus celeberrimis *Montfaucon antiqvité expliqvee* & *Millin Voyage dans le midi de France* p. p. Cfr. *Münter D. u. N. Kirch. Gesch.* I, 16-17. Illud *Taran-Uccus vel Uccnus* in compositione (qvamvis partim ordine inverso) satis convenit Borealium *Aucu-Thor* Finnorum *Ucco Taran* vel *Taran Ucco* & pl. qvæ nomina ejusdem naturæ numini certe sunt adscribenda.

tatu Darbyense, alioqvin dictus *magna ara*) a Thoro Deo originem ceperit, Britannicis philologis discernendum linqvimus *). Longe ante Anglo-Saxonum invasionem (Agricolæ nimirum tempore) Tungrorum e Germaniâ oriundorum secunda cohors erexerat in Cumbria Britanniæ fulguranti Deo (forte Jovi Tarani vel Tanaro) cujus nomen jam est deletum, aram insignem; in uno ejus latere exsculpta cernitur brontia sive fulmen trisulcum, Romanorum moro repræsentatum, in altero autem rota, Thori (ut puto) Germanici vel borealis symbolum **).

Varia vetusta Gothorum, Longobardorum, Germanorum propriorum, Anglosaxonum & pl. hominibus indita propria nomina Thori cultum indicant, ut *Thorismod, Thorismund, Thurismund* & pl. Idem qvoqve de localibus nominibus est dicendum, ut pagi *Turgowe* (a. chr. 806) *Torgau* &, cfr. *Donresberch (Donnersberg)* & pl. Plures Germanorum superstitiones, eundem ortum habentes, in variis chorographicis operibus dispersæ leguntur, qvas hic non colligere vacat ***).

Egimus alibi satis prolixe de Thoro sub Lodensis spiritus vel dæmonis nomine ex Ossiani, Caledonum (celticorum) celeberrimi vatis, relatione a Lochlinensibus vel Scandinavis culto. Hic e. gr. ita canit in poëmate, qvod *mors Cuchullini* inscribitur: "Terribilis Lodæ spiritus ****),

---

*) *Borlase Cornish-English Vocabulary; Archæolog. Britann.* XII, 47. *Tor* in cognata Gaelica dialecto dominum significare dicitur.

**) In cippo sepulchrali Tellemarkiense, cum inscriptione runica Thorum adorante ac supra disqvisitâ, videtur ad unum latus insculpta rota, ad alterum autem mallei duplicis vel Mioelneri (ut puto) signum (qvamvis cruci brevissimæ ac æqvilateri adsimiletur). *Wille Sillejords Beskr.* p. 51. In sepulchro gentili Aspatriæ in Cumbria circa annum 1790 detecto (ubi cista funebris lapidea, continens sceleton humanum plus qvam septem pedum longitudine præditum, cum armis argento ornatis, aureâ fibula p. p. inveniebantur) repertæ sunt petræ planiores duæ cum diversis sculptis figuris ut variis *rotis* & signo qvodam sesqvilateri discum cingente, iis simili qvæ in variis runicis septentrionis monumentis cernitur; *Rooke on Roman remains in Cumberland; Archæolog. Britann.* XI, 10 & sq. Cfr. *Abrahamson om Korsets Tegn paa nord. Runestene, Antiqvar. Ann.* I, 183 & sq. Tab. IV. (ubi talia signa pro Thori vel fulminis symbolis accipiuntur). In baculis runicis vel calendaribus rota annum novum vel solstitium hibernum (et cum eo Thori appropinqvantem reversionem) indicare videtur.

***) Vid. ex. gr. *Franck altes und neues Mecklenburg* I, 59 & sq. Addemus tandem incolas Palatinatus superioris (proprie dicti *Ober-Pfaltz*) fulmen appellare (*de*) *Dorer* (pro cæterorum *der Donner*), unde Bavarorum, Svevorum, Francorum & pl. verbum *doren, thornen, thuren, turin* (fulminare) Dan. *tordne*, Britannis (Galliæ) interioribus *taranu*, Finnice *turgelet* &c. (cfr. *Adelung ält. Gesch. d. D.* pag. 350 & sq).

****) (Nostratibus *Lód-ridi* (*Hlódridi, Hlórridi*) de qvo Thori nomine supra suo loco disqvisiimus, — at de vocis *Loda* vel *Loduinn, Lodunn* probabili etymologiâ & pl. ample tractavimus in commentariis nostris Ossianeis l. c. pag. 151-171. Hoc nomen ad nostros usqve dies fuit attributum gentilium in Orcadibus & Shetlaudia fanis aut eorum ruderibus, cogna-

veniens advehit mille turbinum fremitum ac pugnas oculis elidit. Insedit nubi super Lochlinensem oceanum expansæ; manu potente gladium tenet, at flammantes ejus cincinnos venti sublevant". In carmine *Carric-Thura* dicitur "turbo de monte proruens Lodæ spiritum alis portavisse. Is ad locum suum *) devenit, suis terroribus circumdatus; oculi ejus, obscuræ faciei inditi, flammas vox autem tonitru referebant." Fingali, incredulo inimicorum Celtarum principi, minans dæmon hæc prædicat: "Me populus supplex adorat; in bellantium campo pugnæ successum converto; adspicio gentes et mox evanescent; nares meæ funestas procellas effundunt. Ventis vectus advenio; tempestates faciem meam præcedunt. Tranqvillum tamen est meum domicilium, supra nubes elevatum; jucundi sunt meæ qvietis campi. . . . . Aufugias tu ad tuam regionem; accipe ventum ac fuge. Manu turbinem complecto; meus est tempestatis cursus; Rex Soræ meus filius est; is meæ potentiæ lapidem veneratur; ejus exercitus Carric-Thuram obsidet, ac is qvoqve victoriam reportabit" &c. Fingit vates Fingalem gladio penetrasse dæmonem, cujus clamor insulam Inistore concutiebat et profundi maris terrefactarum undarum cursum sistebat &c. Apud Ossianum alioqvin occurrunt plura nomina Scandis propria, qvæ Thori cultui suam debent originem e. g. *Torkul*, *Thormod*, *Torlath*, *Tora* & pl. qvæ in ipso septentrione reperiuntur **); accedunt similia localia nomina ut: *Turthor*, *Tormul*, *Crum-Thormod* & pl. Adhuc in Scotia talia exsistunt e. gr. *Thurso* (oppidum Cathnesiæ antiqvissimum olim nostratibus *þórsöy*, *þórsey*, Thori insula) ad amnem jam ejusdem nominis, at qvondam *þorsá* appellatam situm ***).

tum veteri *Lód*, *Hlód*, focus, ara &c., it. nomini urbis regiæ antiqvissimo Danorum *Hledra* (*Lethra*, forte Angl. Sax. *Heort*), arcis & templi Norvegiæ principalis *Hladir* (jam *Lade*) &c.

*) o: Lodense saxum vel aram, circulo lapideo cinctam, in sinu Rota ad insulam (Orcadensem ut videtur) Inistore dictam. Fingal sacrum montem explorandi ergo ascendere cœpit, qvod numen iratum ibi (ab incolis Scandinavicæ originis) cultum impedire tentavit. De aris illis vel sacris saxis ac aliis lapidibus, Thoro vel Lodensi spiritui consecratis, in scripto allato prolixe egimus. Contuli ibidem cum illo Romanorum Jovem Lapidem p. p.

**) Cfr. disqvisitionem nostram *de Pictorum origine* scriptis societat. lit. Scandinavicæ insertam.

***) "*Though the ancient history of this town cannot be traced with any degree of certainty, it is probable from many circumstanses, that in former times it was a place of considerable trade and conseqvence.*" *Gazetteer of Scotland, Edinburgh* 1806 ad v. *Thurso*. Monstrat *Orkneyinga-Saga* pag. 216 Thorseyam anno Chr. 1137 Ottaris Comitis sedem fuisse, navium statione insignem. In eodem portu Rex Norvegiæ Eysteinus, anno 1153 vel 1155, Haraldum Orcadum Comitem ex improviso navibus aggrediebatur (ibid. p. 324; cfr. *Hkr.* l. c. III, XLI, 356 57). Castellum in dicto oppido situm memoratur (*Orkn. S.* p. 350) jam forte *Thurso Castle* (nobilissimæ Sinclariorum familiæ proprium) ubi conventus Orcadensium principum reconciliatorius anno 1157 institutus fuit; (cfr. l. c. 332). In Thursoa numerosas

Gentes Slavicæ vel Venedicæ fulminis Deum ethnicismo durante præcipue sunt veneratæ. Sic de iis Procopius (auctor sec 6ti): "Habent Sclavini lege cautum a majoribusqve traditum ut inter numerum Deorum Deum unum, illum qvi sit *fulminis fabricator*, dominum omnium rerum ac solum Deum esse credant, illiqve bestias & ejus generis alia mactent." Posterius Slavi in balthici maris viciniâ residentes, idololatriæ maxime dediti, "non diffitebantur Deum unum in coelis, coeteris imperitantem, illum præpotentem, cælestia tantum curare"*). Num autem hic idem fuerit ac is *fulminis Deus* qvi eo tempore a variis Slavorum relligiosis sectis colebatur, pro incerto est habendum. At variis idololatriæ generibus a Slavicis nationibus receptis, *Perun* a Russis gentilibus certe ut numinum altissimus fuit veneratus. Hic ex eorum sententia tonitru, fulmini ac nimbis præfuit**). Ejus idolum, a magno Wladimiro prope Kioviam circa annum 978 in loco editiore fuit erectum, cui inter alia primas deferebat. Erat ei truncus ligneus caput argenteum, aures aureæ, pedes ferrei. Manibus gestabat lapidem gemmis igneo colore fulgentibus adornatum, ipsum fulmen repræsentantem. Ex adversa simulacri parte perennis servabatur ignis, qvi si forte per negligentiam sacerdotis fuisset exstinctus, hic, tanqvam inimicus Deo, suo capite luebat. Aliud ejusdem nominis simulacrum Novogardiæ tunc et prius cultum fuit, usqve ad gentilismi abrogationem, dicto principi posterius debitam. Optime alioqvin antiqvior illius Dei cultus elucet e variis phrasibus & juris-jurandi formulis, in iis ethnicorum Russorum cum Byzantinis pactionibus, qvas Nestor nobis servavit. Illi anno Chr. 907 cum Olego duce ac augure (vel summo pontifice), proprio more, armis adhibitis per

---

copias statim contrahere licebat (408 &c. cfr. 414 &c. it. *Hkr.* V, 175). E locis citatis apparet magna illius portus ac oppidi perantiqva celebritas; at nomen illud simul innuit Scandinavos gentiles, Cathnesiam freqventer debellantes & inhabitantes, Thorseyam pro primario suo portu, arce ac oppido habuisse, ac nomen illius dei (ibidem culti) ei igitur imposuisse, ut Thorsbavniæ in Færois, Thorsneso in Islandia &c. In Thursoæ vicinia exsistit rupes magna jam dicta *(the) Clett* o: Island. *Klettr* rupes. Præterea in Cathnesia circa illa tempora situs fuit pagus vel oppidum *Þórsdalr* (Thori vallis) ubi christianismo introducto templum dictum *Hákirkia* (t. excelsum vel primarium; an hodiernum *Halkirk?*) fuit exstructum (*Orkn. S.* pag. 384, 420). Hic verisimiliter prius claruerat famosum aliqvod Thori delubrum.

*) *Procop. Hist. belli Goth. Helmoldi Chronicon Slavorum* Lib. I. Cap. 84. Addit auctor idem (sec. 12mo vivens): "Est Slavis multiplex idololatriæ modus; non enim omnes in eandem superstitionis consvetudinem consentiunt. Hi enim simulacrorum imaginarias formas prætendunt de templis — — — alii sylvas vel lucos inhabitant . . . qvibus nullæ sunt imagines expresæ."

**) Diversus ab eo dicitur fuisse *Wichor* vel *Povisd*, qva voce turbo Rusis denominatur, eo qvod aëris, serenitatis ac procellarum crederetur Deus. *Scherer de simulacris Deorum in Russia cultis* (*ält. Jahrb.* &c. pag. 266-267). Cfr. nostra *Vingþór*, *Vidar* (*Viþar*) s.

Deos suos Perun ac Volos pacis initæ juramenta præstitere. In conventione, anno 912 literis mandata, ab ipsis Rusſis proposita ac facta, Deus (summus) gentilium sæpe memoratur ut "divinam fidem vel relligionem ac ejus caritatem dirigens vel suscitans" pro plena pace ac amicitia inter Christianos et Rusſos componenda; fatentur se porro, suæ relligionis tenore, Dei creaturas esſe &c. In pacationis instrumento de anno 945 devovent Rusſi futuros inter eos foedifragos, ne nimirum christiani a Deo suo omnipotente at gentiles nec a Deo nec Peruno ullum impetrent auxilium*) sed e contrario horum numinum maledictioni forent obnoxii. Dictum jusjurandum ab Igore ac ejus ethnicis subditis præstitum fuit in eo colle, ubi Perun stetit — a christianis autem Rusſis in templo Sancti Eliæ primario (Varegorum baptizatorum) Cosariæ exstructo**).

Ille fulminis Deus' a Moraviis et Bohemis sub nomine *Peron* adoratus fuisſe traditur. Idem a Lithuanis vel Lettis colebatur, sub nomine *Perkun*, *Perkunas* vel *Perkunos* (qvod vocabulum alioqvin fulmen, sed sub persona aliqva repræsentatum adhuc significat). Gentiles illi malleum (ut Scandinavi Thoro) olim adtribuisſe videntur, e seqvente Aeneæ Sylvii relatione: (Colunt) "alii (Lithuani) solem et malleum ferreum ingentis magnitudinis, a qvibus Hieronymus Pragensis" [qvi hæc auctori retulerat] "qvæsivit: qvalis esſet hæc veneratio. Responderunt olim pluribus mensibus non fuisſe visum solem, qvem Rex potentisſimus in munitisſima terra incluserat. Tunc signa zodiaci cum malleo turrina fregerunt et solem liberarunt"***). Porro perennis ignis apud Lithuanos ad Perkunæ cultum pertinuit; is præcipue servabatur in luco Svintorohâ, Wilnæ vicino, qvæ institutio Germundo,

*) Adduntur hæcce ad arma juramenti ritui adhibita alludentia: "Scuta eorum nil iis proficiant; at ii propriorum ensium ictibus occumbant, sagittis suis ac aliis telis perforati (vel) tam in hoc qvam in altero mundo (aut futura vita) servi manentes". Hæc Scandinavorum gentilium juramentis ac opinionibus optime conveniunt; vid. e. gr. *HQ.* III, 30, *VQ.* 31 it. *HQ.* III, 37. Cfr. *Sigrún*, *Vǫlundr.*

**) Cfr. ea qvæ de Elia, loco fulminantis numinis, a Caucasiis ethnicis hodie qvoqve culto, supra adtulimus. Varegi illi baptizati aut certe in Perunem e Rusſo-Slavico aut etiam in Thorum e Scandinavico more anterius crediderant. Inter nomina Rusſorum, qvi unam dictarum pactionum, e principis sui mandato, inierunt, reperiuntur *Thurobrid* & *Turiben* qvæ respondere videntur Scandinavorum Thorfrid, Thorfid (*Þórfriðr*, *Þórfiðr*) & Thorbern (*Þórbiörn*). Videas alioqvin *Des h. Nestors u. a. ältesten Rusſ. Annalen* pag. 60, 61, 65, 71, 75, 76, 267. *Karamsin Rusſ. Gesch.* l. c. I, 72, 109, 123. Dicitur solis Deus a Polonis olim cultus esſe sub nomine *Perun* (*Mone* l. c. I, 152). *Ilja* heros in vetustis Rusſorum cantilenis celebratur.

***) Rex ille cum Eddæ junioris Rege Lokio (ut munitisſima ejus terra cum Utgardiâ) est comparandus. In carmine Grimneriano Thorus (e mea interpretatione) siguis zodiaci (forte ut certo modo eorum dominus) præponitur, qvorum qvoqve dominium duodecim stellæ, e Svecica

filio Uteni principis (Odini forte nomen usurpantis) cujus funus ibidem (sec. 13^mo^) solenniter crematum est, vulgo adscribitur. Poloni olim præterea Perkuno divinum honorem præbuisse feruntur *). At tamen Prusi (sive Borusi) veteres eum (qvantum scimus) maxime sunt venerati. Sanctissimum ejus delubrum circumdatum fuit velo octuplici festivis, tantum noctibus, lunæ splendore claris, sublevari solito, ad arborem sacram supra memoratam, in loco *Romowe* dicto, licet qvisqve herus sive paterfamilias extra publica comitia eum suorum nomine adorasse perhibeatur. Repræsentabatur *Perkunus* inter Deos duos alios **) in medio sedens, virilem ætatem ac vigorem præferens, facie truculenta ac ignicolore, flammis radiantibus caput cingentibus. Ignis sacer in ejus honorem vicinus perpetuo arsit. Tonitru vulgo pro ejus voce habebatur, qvamvis fulmen hodie Lettis & Lithuanis appelletur *Percunæ pulsatio.* Is tamen olim pro tempestatis cujusqve divino rectore vel datore sumtus fuit, tam pluviam qvam cæli serenitatem hominibus indulgens. Idem Deus certe fuit Venedorum Slavicorum *Perkunust*, (nomine paullulum immutato). Ejus idolum, Parchimi in Megalopolitano ducatu inventum, Westphalius nobis depictum communicavit; cernitur autem balteo cinctus, facem [fulmineam] gestans tauro, [veris, agriculturæ ac fertilitatis symbolo] incumbens. Aliud ejus simulacrum, Rhetræ inventum, radiis tantum est circumdatum, ac nomine ejus et aliâ inscriptione runicis literis signatum. Curi & pl. eidem addicebantur relligioni. Huc tandem pertinere videntur Lettorum *Occu-Pirins* (Venedorum *Occe-Pirnus)* qvi stellarum cursum & anni temporum mutationes di-

---

traditione ejus caput cingentes innuisse videntur. Desumta est illa Aeneæ Sylvii relatio e *Rudb. Atlant.* II, 434.

*) *Karamsin* l. c. I, 72. *Mone* l. c. I, 152. *Brohm Gesch. von Pohlen und Lithauen* I, 242. Institutio ignis perennis inter Lithuanos a Kojalowicz ad annum 1090 refertur: *Schlözer Allg. Welt-Gesch.* L, 30. 31, sed probabiliter tamen multo antiqvior fuit. *Warpulis* Polonorum, fulminatoris famulus, venti fragorem excitans, cum Lettorum *Gabie*, nostro Thialfio rite est comparandus. Cfr. *Þiálfi* s.

**) *Pikollum* (senem) belli ac mortis et Potrimpum (juvenem) verisimiliter solis ac seminis (vel fertilitatis) Deum. Ille cum nostratium Odino est comparandus. Si illud *Pi* cognatum est Esthnico *Pyha* sanctus, notari forte meret qvod Odinus in Norvegia aliqvando sub Kolli nomine notus & cultus fuerit. (*Hálfs-Saga* Cap. I; transl. Rafnii Dan. *N. K. Hist.* III, 25 & sq). Hoc Odini nomen inter alia supra à nobis collecta omisimus. Potrimpus cum Freyero nostro maximam habet similitudinem, qvi etiam ab Aestiis (Borusis cognata gente) olim verisimiliter fuit adoratus. Vid. *Freyr*, *Freya*, *Vanr* s. Sic tria humani ævi variarum periodorum Romovæ spectabantur divina exemplaria, ut e qvorundam sententia in vetustissimis Indiæ toreumatibus; vid. e. gr. *Hermes* XXIV, 302. Exsistebant olim duæ Romovæ, qvarum una primarium Borusorum altera autem Lithuanorum principale fanum continuit.

rigere credebatur; idem verisimiliter ac nostratium Ocu-Thorus, Finnorum Ucco-Taran, Celtarum & vet. Germanorum Taran-Ucnus*) &c.

Observavit recentisſimus Borusſorum historiographus Percuni (vel Thori) inter eam gentem cultum â Scandinavis, illis alioqvin cognatis (ut similiter e Gothica stirpe oriundis) institutum esſe; — monstrantibus simul aliis circumstantiis Thorum a Borusſis, Lettis et pluribus sub alio tantum nomine cultum ſuisſe. At hoc ipsum reperitur inter vicinos Esthos & Curos dictum *Thara* vel *Tara-pyha* i. e. sanctus Taran vel Thorus. Is qvoqve a Venedis Rhetræ veneratus esſe fertur**).

Sic in unum coalescere cernimus vetustas Sarmatorum, Slavorum, Scandinavorum ac Finnorum relligiones. At Finnorum *Taran, Thora Galles, Tiermes, Toraturos* &c. qvem Celtæ qvoqve antiqvisſimi coluerant, tandem sub ipso Thori nomine in remotisſimis Asiæ partibus gentili ritu adoratum reperimus, ut infra mox demonstrare conabimur.

Nationes Finnicæ Europam incolentes in *Lappones, Finnos* proprios et *Esthos* præsertim sunt dividendi, qvi omnes Thori cultum vel manifestas ejus reliqvias ad recentisſima usqve tempora retinuerunt***). Lappones iterum dividuntur in Norvegiæ, Sveciæ vel Rusſiæ subditos. *Lappones Norvegici* circa initium seculi 18^vi^ magnopere Thorum venerabantur sub nomine *Thora Galles, Toraturos* aut *Toraturos Bodne* (ɔ: fulmen, tonitru); is pro fulminis, fulguris ac omniſarii aërii fragoris divino auctore habebatur. Putabatur porro (ut nostratium Thorus) mala dæmonia malleo perseqvi; maximum ei dicatum sacrificium autumnali tempore celebratum fuit. Rangifer grata ſuit ei oblatio, sed præterea *malleus ligneus*, grandis ac affabre factus, interdum in ejus honorem alicui montanæ fisſuræ sive speluncæ ſuit inditus; tales etiam mallei reliqviis sacrificio-

*) *Voigt Geschichte Preusſens* (1827) I, 580 & sq. Monstrantur ibidem multa Borusſiæ vicorum ac aliorum locorum nomina a Percuno (ut Scandinavica a Thoro) manifeste derivanda esſe. *Merkel Vorzeit Lieſlands* (1807) pag. 154 & sq. 160. *Masch gottesdienstl. Alterthümer der Obotriten* (1771) §. 111 & sq. Leuticii (in hodierua Pomerania) gens ſuit mixta, a Slavis & Scandinavis, potisſime Danis composita. Hi seculo 11^mo^ feruntur Thorum, Odinum & Freyam coluisſe. Vid. *Odinn* s.

**) *Voigt* l. c. I, 528. 626. *Mone Gesch. der Heid.* &c. I, 74, 90 & sq. 213. Borusſi & Lithuani celebrabant capri sacrificium, qvo peragendo Occopirnus primus invocabatur.

***) Seqventes relationes his libris continentur: *Kildal om Lappernes Tro* (in scriptis Soc. lit. Scand. pro 1807 p. 453 & sq. *Jesſen de Finnorum, Lapponumqve Norvegicorum relligione pagana* pag. 19, 20, 43-44, 47, 49. *Leem Beskriv. over Finmarken* p. 410, 506. Thora Galli (ut Kildal recte scribit) nulla animalia fæminini sexus sacrificare, nec mulieri aliqvid talis sacrificii gustare licuit. Superstitiosa veneratio, qvam Lappones christiani crucis signo exhibent, id verisimiliter prisci mallei loco substituit; sic diu, post sacram communionem, cibum vel potum proprium Thorangalli ac aliis idolis clanculum consecrarunt &c.

rum, illi Deo dicatorum, adponebantur. Vulgo vocabatur *vir cærulea veste præditus.* In tympano runico is repræsentabatur, *malleum* vel fulmen manu tenens, aut etiam sub *duplicis mallei* signo *). Iratus ille deus montes ac rupes confringere sed arbores excidere, at homines ac animalia occidere dicitur. Tonitru pro ejus voce accipiunt, at iridem pro ipsius arcu. Nihilominus magi eum sæpe invocabant, ut hostes vel infestos dæmones feriret, aut veneficiorum effectum sua præsentiâ impediret. Putabatur præterea aëris clementiam, pluviam, ac fertilitatem (graminis, arborum & rangiferorum) Lapponibus indulgere. Hic Deus illis etiam dicebatur (molliore pronunciatione) *Horangalles*, *Horangudsk* vel *Gudsk* (ut Norvegis *Thore Gud*) ac inter alia *Djermes* & *Aijeke.*

Idem Deus inter *Lappones Svecicos* reperitur sub iisdem nominibus, nimirum *Tjermes* & *Ajeke* vel *Auke* **). Opiniones Norvegorum illis simillimas de eo fovebant, hominibus ipsum qvoqve vitam et sanitatem indulgere aut demere putantes. Ejus ligneum idolum manu malleum tenebat, qvi etiam pro Dei symbolo in runicis vel magicis tympanis delineari soluit. Signum porro cruciforme, qvasi

*) Vid. Jesſen l. c. pag. 319 Tab. æn. fig. 9. Hoc idem signum in qvibusdam runicis ac lapideis Scandinavorum inscriptionibus repræsentatur, e. gr. Danica Snoldeloevensi. Præstantisſimum hocce monumentum inventum fuit in imis ruderibus fani ethnici vel collis sacrificialis ad vicum Snoldeloev in Sælandia, cui qvidem impositum fuerat immane saxum, ejus magnitudinis ut diruptum ac dipplosum septuaginta efficeret plaustrorum onera, ac sepi lapideæ instruendæ fragmenta ejus adhiberentur. Hoc saxo ac ipso tumulo destructo, at anni spatio inde elapso, arator operans detexit lapidem, illo multo minorem, sed hieroglyphis (signo nimirum memorato & cornibus duobus inter se complexis) ac Runica qvoqve inscriptione adornatum. Hanc ita legi ac explicavi: *Kunug let sthin. (stein); sintr Rugialds þular a Silgji tuku* o: "Rex posuit lapidem. Filii Rugialdi oratoris [sacerdotis] de *Sylga* excudebant." Cfr. Gloss. T. III. v. *þulr. Sylgr* (i. e. potus, compotatio vel convivii sacrificialis publici locus) fuit e mea opinione nomen loci, unde tumulus ille ad ipsius usqve destructionem vocabatur *Sylshöj* (olim *Sylgshaugr*). Vid. doctisſ. Scul. Thorlacii & meas qvoqve de illo monumento disqvisitiones, *Antiqvar. Annaler* I, 278 & sq. 283-84, 290-91 (Tab. IV, Fig. 111); III, 205 & sq. Thorus talia monumenta servare vel sacrare a Danis putabatur ut supra observavi, unde ejus signum hic reperiri opinor. At idem signum in vetustisſimis aureis nummis, in septentrione sæpisſime inventis, freqventer occurrit. Reperitur qvoqve in celticis monetis (verisimiliter ut Taranis signum) et porro in sacris Tibetanorum & Indorum monumentis; vid. *Münter Dänem. u. Norw. Kirchen-Gesch.* I, 132-133, *Moor Hindu Pantheon* pag. 401 (ut Vishnuvitis sacrum) Tab. II. fig. 71. (Dsinis vel Jainis, paululum variatum) fig. 72. Cfr. b. Abrahamson ingeniosisſimam de illo nostro boreali (ut Thori) signo disqvisitionem in script. Soc. lit. Scand. pro anno 1810, pag. 221 & sq.

**) Cfr. Scandinavorum *Auko-þór*, Finnorum *Ucco-Taran* &c. Scheffero teste in Luleoense regione illud *Auke* pro aliorum *Ajeke* fuit usitatum (*Lapponia* pag. 92). Patrem vel senem vox illis notare dicitur.

qvatuor cuneis compositum (qvod Scandinavi Thori malleum indicare putabant) talia tympana ornavit. Præterea fronti Thori simulacri imposuerunt clavum vel cuneum ferreum, silice addito, dicentes eum illis ignem accendere posse. (Cfr. *Hrúngnir* s.). Ex Hoegstroemii relatione Lappones Thorum vel Tiermem ferunt rupe vel petra editum (ut Burum Scandinavorum, Attin Phrygum & Mithram veterum Persarum) at a summo cæli Deo educatum, Thori nomen pueris olim sæpe adtribuebant, qvod tamen christianismo recepto inter gentiles abusus habetur et obsolescit *),

Lappones Rusfici, jam ut Svecici & Norvegici christianam relligionem confitentes, olim verisimiliter fuerunt ethnicæ Biarmorum sive Permiorum superstitioni addicti; at hi & eorum vicini in islandicis medii ævi relationibus Thorum coluisse perhibentur **).

Idem Deus ab ethnicis *Finnis* (*Finlandiæ* incolis) colebatur sub nomine *Ukko Taran* (vel *Taran Ucco*), licet sæpissime solummodo *Ucco* nominetur (qvo etiam vocabulo fulmen iis designatur). Is brontias sive lapides fulmineos emittere credebatur. Iste malos montanos dæmones in hominum tutelam valide est persecutus, clava (sive malleo), securi & manicis vel chirothecis singularis valoris (ut Thorus noster) instructus. Vulgo habebatur pro summo numine, tempestatis directore, fertilitatis ac fortitudinis qvoqve et bellicæ victoriæ datore p. p. ***). Hinc variæ ejus denominationes, ut pater, pater cælestis, senex, celsissimus, Rex aureus &c. Ejus consecratum poculum primâ veris semente solenniter ebibi soluit, ac verisimiliter qvoqve in aliis eorum festis. Malleus ejus pro antiqvissimo Finlandiæ insigni habitus fuisse refertur. Illius uxor dicebatur *Rauni* vel *Maan-Emoinen* (Tel-

*) *Schefferi Lapponia* pag. 92, 95, 105. De Tiermis (vel Thori) arâ, viridibus ramis tam hyeme qvam æstate ornata, sacrificiis in ejus honorem suspensis &c. vid. ibid. pag. 99-100, 109, 114, cfr. *Högström Efterretninger om Lapland* vers. Dan. p. 469, 502.

**) *Saga Egils oc Asmundar* Upsaliæ 1693. pag. 481. S. *Sturlaugs starfsama* ibid. 1694 pag. 46. S. *Herraudar oc Bósa* ibid. 1666 p. 49. Omnes hæc narrationes fabulosis recentioris ævi commentis plenæ sunt, at medio ævo tamen conscriptæ, ac ex aliqvâ parte seculi mores et opiniones non inepte describentes. Est qvoqve probabile Thori cultum in illis terris auctoribus innotuisse. Certe Permii et ab occidente et ab oriente habuerunt sibi vicinas cognatas gentes, Thori relligioni deditas, ut partim probavimus, partim uberius monstrabimus. Num Jomala (vel Jumala, Lapponibus Svecicis Jubmel i. e. summus Deus) Biarmis e qvorundam relatione cultus, idem ac Thorus fuerit, jam pro incerto habemus. Dicitur autem coronam habuisse duodecim gemmis ornatam, ut Thorus Svecicus tot stellis caput cinctus fuisse fertur. Cfr. alioqvin doctissimam de Permia disqvisitionem (*om Biarmaland*) Idunnæ (Svecicæ) IV, 78-173 it. doctiss. *Schroeteri Finnische Runen* pag. 153.

***) Sic conjici potest qvod noster *Thórr áss* idem fuerit ac Tavastorum *Turrisas*, qvi pro belli numine apud eos habitus fuisse fertur. *Lagerbring Svea R. Hist.* I, 47. Cfr. tamen *Týr* s.

lus sive terræ mater). De iis vetustæ cantilenæ sonant:

Ucconis potestas de cælo est
At Telluris matris de terrâ &c.

Sic Sifa sive Tellus Thori nostri uxor vocabatur. Esthorum *Tara-pyha* & *Turris-Ots (Þórr Áss?)* ejusdem originis cum Tarane illo sive Tierme fuisse videntur*).

Revertamur ad Permiorum veterum â meridie et oriente vicinos, Finnicæ qvidem originis sed jam partim Tataris mixtos, ac in varias gentes divisos. Plurimæ earum jam tantummodo in Asia inveniuntur. *Tschuwaschis* — (ad ambo Volgæ litora habitantibus) — summus Deus audit *Thor* ac ejus uxor (*Thor-Amysch*) mater Deorum. Illum permultis et freqventibus precium formulis adorant, e. gr. *Thore bar tyra* (Thore! da panem), *Thore syr lat* (Thore! me non derelinqvas) &c. Ejus præcipuum festum, messe peracta, in mense Septembri celebratur, at alioqvin panis ac primæ fruges ei sacrificantur. Idem Deus *Wogulis* (Sibiriæ antiqvissimæ genti) dicitur *Toron* vel *Torom*, (ac dialectice *Tarom*); is in sole habitare at verno tempore ad terram descendere putatur, cum ii ob eandem causam festum Dei descensionis celebrant. *Ostiaki* & *Assjacki*, illis vicini, eundem Deum appellant *Turom* vel *Torom* ac interdum qvoqve *senem*. *Tungusi* (partim Rusiæ, partim Sinæ subditi) summum eorum Deorum, qvi mala hominum facta ulcisci putatur, nuncupant Regem *Dor-ochdi*. A *Tscheremisis* Deus fulminator præcipue veneratur ac solus sculpto idolo repræsentatur**). *Avari* (vel *Abari*) Europam suo tempore devastantes, his populis cognatis fuisse videntur, et fulminatorem ante alia numina coluisse. Sic princeps qvidam eorum anno Chr. 526 juravit ense educto per "ignis Deum, qvi in cælo est" ***).

*) *Ganander Mythologia Fennica*, *Åbo* 1789 pag. 68 & sq. *Petersen Finnische Mythologie*, *Reval* 1821 pag. 11-16. Esthis Deus *Turris* fertur in vivis *Ots* vocatus esse, qvi ex Asia Esthos ad hodierna eorum habitacula duxerit, post mortem divinam venerationem nactus. Hic verisimiliter (ut alias sæpe) hierarcha cum principali ejus ac gentis Deo est confusus. Ille *Thara pyha* (ut *Mone* nomen scribit) audit Merkelio *Thor apilla* vel *Thor apita* o: Thorus auxiliator, cultus in sacro Virlandiæ monte. *Vorzeit Liefflands* 2te Ausg. pag. 269.

**) *Allgem. Weltgesch.* XXXI, 308, 422. *Georgi Reisebemerk. im Rusf. Reich* I, 275, II, 598, 850. *Strahlenberg Nord-Ostl. Asien* pag. 105. 347. *Pallas Reise im Rusland* I, 88. *Arndt Ursprung der Europ. Sprachen* (1818) pag. 370. Cfr. *Münter Dän. u. Norv. Kirch. G.* I, 14 (de idolo Thori Tschuwaschensis, Indico simulacro simili). Nostro antiqvo *Áss* Deus (qvod nomen Thoro etiam adtribuitur) varia asiaticarum Rusiæ gentium vocabula respondent. Vid. *Áss* s., *AEsir* i. — Cfr. porro Assan. *Ajak* fulmen cum Lapponum *Ajike* (fulminator) ac eodem modo Ostiakorum *Ök* cum veterum Scandinavorum *Öko-Þór*, *Avko-Þór*. Huc forte pertinent Tungus. *Akdi* fulmen, Mantschu. *Akdau* & pl. (*Klaproth Asia polyglotta*, *Paris* 1823, 4, p. 170, 267). Tandem Lapponicum *Raide* fulmen conveuit vet. Scandinav. & Island. *Reid* (idem) Bucharis (Persicæ originis) *Read* &c.

***) *Stritteri memoriæ populorum e Scriptoribus Byzantinis* I, 672.

Sic noster *þór* (Thor, Thorus) asiaticæ originis esse evidenter probatur. Qvo loco autem ea rite qværenda, incertum verisimiliter manebit. Liceat tamen pauca momenta, qvæ huc pertinere videntur, breviter indicare. In priscorum Persarum sermone *Zor* primum ac supremum denotat. Hoc epitheton attribui igitur potuit Ormuzdo, qvem Xenophon (ut plures Græci) Jovem (*Δια*) vocat, ac e Persica opinione curru vectum fuisse refert; is qvoqve dirigebat fulmen vel cælestem ignem, qvi malos dæmones constravit ac fugavit. Num huc pertineat Chaldæorum *Thor* vel *Thurus* aut Sabæorum *Hoor* (Jupiter) non satis liqvet *). Videtur tamen his cognatus fuisse Phoenicum *Thurz* vel *Baal Thurz*, qvi pro eorum Jove habetur & sellæ taurinis cornibus ornatæ insidens in monetis repræsentatur. Non igitur mirum si ei interdum contigerit nomen *Thor*, qvod chaldaice bovem (vel taurum) significavit, sed Phoenicibus (qvantum scimus) vaccam. At Deus ille — ut uxor ejus Astarte interdum vaccæ — tauri caput & cornua gestasse repræsentatur, nobis præsertim notus sub nomine Baal vel Moloch, at Græcis veteribus ut Minotaurus **). Sic iste *Thurz* (*Thur, Thuruz, Thurus*) olim a populis orientalibus veneratus (ut alii tales Dii) tandem a Nasaræis videtur mutatus esse in malum fulminis dæmonem, qvi iis audiit *Tur, Turus* vel: "*Turo* dæmon dictus *Keron* (cornutus), — percussor, fragorem edens" de qvo porro hæc narrantur: "Intumuit in qvantum spatii patet mundus, commotusqve malâ bile calorem æstuantem, igni similem, eructans effudit, dicens: surgam, ascendam e loco caliginis *fulmineqve* mei decoris meæ *barbæ* assumto atqve meo *fune* circumdato incendium toti mundi

*) *Hyde de vet. rell. Pers.* (1760) pag. 239; *Xenophon. Cyropædia* VIII, 3; *Kleuker Zendavesta* 8, II, 34 (et alibi); *Görres Asiat. Mythen-Gesch.* I, 271. 289-290.

**) *Θωρ γαρ οι Φοινικες την βουν καλουσιν; Plutarch. in Sylla* Cap. 17. *Paine Knight Inqviry into the symbol. language of ancient art and mythology* §. 31 (*Classic. Journ.* XXIV, 226) ubi ille Phoenicum Jupiter cum Thoro nostro comparatur. Hic, post ejus cum Hrungnere conflictum, cotem (certo modo cornu referens) capiti infixam gestasse dicitur. Cfr. ea, qvæ de Lapponum Thoro similia observavimus. Thorgilsus (Orrabeini nutritius) gentilis Thoro taurum dedicavit e sui seculi more (Translat. illustr. B. Thorlacii l. c. Cap. 26) Taurus famosus, dictus *Brandkrosſi* (flammeis crucibus vel malleis signatus) in Thrandheimia & Islandia superstitiose cultus Thori relligioni proprius fuisse videtur, ut ingeniose conjecit *Mone* l. c. I, 296. Narrationem de Brandkrosso edidit ac latine vertit laudatus B. Thorlacius (Havn. 1816). Taurum inter Phoenices et Aegyptios (qvos Hebræi taurolatriâ imitabantur) solis vel summi cæli ac naturæ Dei symbolum fuisse (cum illorum Jupiter caput taurinum gestare fingeretur, Græcis Minotaurus dictus &c.) celeberrimus Boettiger nuper multis demonstravit: *Ideen zur Kunst-Mythologie* 1826 I, 307 & sq. 358 & sq. Cfr. *Münter Religion der Karthager* (1816) pag. 11 & sq. Plura huc pertinentia in brevi nostra de Thori planeta disqvisitione infra adferemus.

conflabo, magnatesqve suis thronis dejiciam *). Inter Beluschos, in montanâ regione hodiernam Persiam ab India dividente habitantes, maxime celebratur Divus (*Div*) qvidam (dæmon sive heros), *Toor*, (*Tor* vel *Tur*) nominatus, de cujus facinoribus multa fabulosisſima narrantur; ab eo nomen traxit tumulus qvidam, at tales illic multi sacellis vel templis, iis superstructis, olim fuerunt ornati, sed jam pro dæmonum vel spectrorum hominibus periculosis domiciliis habiti **). Hæc forte partim referenda sunt ad Persicum illum Thurum vel Turum, pro Turanici populi primo Rege & heroe acceptum, de qvo etiam supra plura huc adtulimus.

In *India* e nostra sententia Thorum, alioqvin dictum *Indridi (Indrida)*, reperimus sub nomine *Indra****), qvi olim a peculiari secta pro summo cæli ac mundi (vel omnium qvoqve mundorum) *****). Deo sumtus fuisſe apparet, sed jam tantum a plurimis putatur cæla terræ nostræ proxima gubernare, ut fulminis, tempestatis & atmosphæræ numen, aulam tamen ac regionem splendidisſimam, in cælo (vel Deorum monte) posſidens ac heroes defunctos ibi accipiens. In multis describitur ut Deorum & mundi monarcha, qvæ jam tamen omnia ejus (Diis Sivæ vel Vishnuo) subordinatæ potestati, ut inferiorum cælorum præfecto vel procuratore, (licet sæpe satis difficulter) adplicari solent. Is in Vedâ qvarta distincte qvatuor mundi partibus præesſe fertur, at hodie *orientis* plagam (ut Thorus noster) præcipue gubernare & contra mala dæmonia defendere, aliis qvidem septem mundi cardinalium regionum tutelaribus geniis præpositus.

Indra non minus qvam Jupiter et Thorus dici potest "clarus giganteo triumpho"; sunt enim innumera ejus in perpetuo contra gigantes bello illustria facinora, qvamvis is interdum (nostro similis) per aliqvantum temporis spatium, im-

*) *Norberg Onomasticon codicis Nazaræi, cui liber Adami nomen* (1817) pag. 59. Turcomannis fulmen adhuc *Täri* audire dicitur.

**) *Pottinger Reisen durch Beloochistan und Sinde. Aus dem Engl.* (1817) pag. 48, 219.

***) Hæc ambo nomina varie scribuntur, ut Indici Dei *Indra* in compositis *Ender*, in dialectis recentioribus sæpe *Ainder*, *Einder*, *Endiren* & pl. at Scandinavis *Indride*, *Eindride*, *Endride* &c.

****) Hoc præsertim elucet e prolixa descriptione Dei Indræ, Deorum imperium sumentis, in regiam istam dignitatem consecrationis, qvam e Vedis excerpsit et transtulit doctisſimus Colebrooke (*Asiat. Researches* VIII, 409 & sq.) in cujus conclusione Indra dicitur ita omnes mundos devicisſe, summus inter Deos princeps aut primas factus &c. Cfr. Leges Manui XII, 123 & *Hermes* (1824) XXIV, 275 & sq. Vetusta Indorum carmina ferunt Indræ publicum cultum Krischnæ (sive Vishnui) recentiore abolitum esſe. Incolæ gentiles remotisſimarum Paropamisi vallium illum Deum sub nomine *Imra* vel *Inder* adorare videntur; *Elphinstone* l. c. II, 327, 329.

perium mundanæ naturæ illis cedere ac exilium pati cogeretur. Arma ei adtributa sunt, præcipue a) fulmen sive fulmineus discus, jam pluribus Indorum Diis (inprimis Vishnuo) communis, supra in artic. *Miölner* memoratus; dicitur sæpissime Tschakra sive rota, qvatuor cuneis vel exsilientibus flammis aut brontiis in crucis formam ornata *); b) ingens clava vel lancea; c) Arcus cæli sive Iris, qvæ sic Indræ a qvibusdam scriptoribus (ut Thoro a Lapponibus & Finnis) adtribuitur. Præterea currus cælestis vel aëreus ei proprius esse dicitur, qvo aurigæ cujusdam (forte Thialfio respondentis) ope super nubes sublimis vehi, eqvis fulgore micantibus per candentes aëris aqvas tractus. Alioqvin elephanti maximo insidere fingitur. Varia Indræ adscititia nomina partim ejus universum at partim subordinatum (e priscæ vel recentioris relligiones tenore) naturæ imperium spectare videntur e. gr. Dominus aut præses Deorum (*Divaspadi* vel *Divespetir* q. d. vet. Scand. sermone *Tivabodi, Diabodi;* — cfr. Romanorum *Diespiter* pro Jupiter); Victor, omnia subvertens, aëreus cæli dominus; nubigena, nubium vector, fulminator; æstus temperator; pluvius; spirans, flans; omnia penetrans vel permeans **); vorax, omnia consumens (qvod Thori voracitatem in memoriam revocat), fortissimus, animosus &c. Ut Deus clemens ac propitius dicitur porro opulentiæ dator, at iratus vel hostilis: oppidorum vastator &c. ***).

Indi Buddhæ relligioni addicti Indram qvoqve (licet Buddhæ certo modo subordinatum) Regem Deorum & cæli appellant. Sic de illis adhuc ubiqve valet, qvod Strabo suo tempore de iis retulit: "Indi Jovem pluvialem (τον ὄμβριον Δια) fluvium Gangen et Deos indigetes (ἐγχωρίους) colunt" ****).

---

*) Vid. e. gr, *Moor Hindu Pantheon* tab. V, fig. 1, VI, 1, 2, 3 VIII, 1, IX, 1, XI, 1, 4 et alibi, ubi fulminis illa forma cum figuris runicorum boreæ cipporum, qvæ Thori duplicem ac jaculabilem malleum repræsentare putantur, fundamentalem similitudinem habere apparet. Cfr. ea qvæ de rotâ ut Thori vel Jovis borealis symbolo supra adtulimus. Fulmen Indræ vulgo dicitur *Vadzra, Vadzira;* numne igitur ejusdem etymologicæ originis ac Zendicum *Vadsjescht* (ignis fulmineus)? Sic Persarum *Dev-Ander,* pro malo vel hostili dæmone habitus revera videtur esse Indorum *Div-Ander, Ainder, Andren* &c. ut Indra interdum variis modis scribitur.

**) Hoc nomen a Paulino scribitur *Tur-aszan*; cfr. nostrum *Þór Ass* & pl.

***) *Moor Hindu Pantheon* pag. 260 & sq. *Institutions of Menu* IV, 59. *Polier Mythologie des Indous* II, 229 & sq. *Ward Wiew* &c. II, XXIII. *Paulini Systema Brahmanicum* p. 180; *Amara-Cosha* in artic. *Indra. Sacontala*, translat. Dan. pag. 195 & sq. *Asiatic Researches* I, 241 & sq.

****) *Ward* l. c. II, 394; Strabonis Geograph. *Lib.* XV. Alioqvin Deus Vishnu, ac partim qvoqve Siva, ut summi duarum diversarum sectarum Dii, cum Thoro comparari possent. Num Aegyptiorum Horus, Typhonis, immanis serpentis & pl. malorum dæmonum hostis ac victor

Jovis *planetam* Thoro inter boreales olim fuisse dicatum ac ejus nomine insignitum testantur nostratia monumenta. At stellis istis Deorum nomina primum in oriente esse imposita nemo nescit. Illi in specie apud multos populos contigit summi cælestis Dei denominatio. Sic Romanis audiit *Jupiter*, Græcis *Ζευς*, Aegyptiis (ut putatur) *Osiris* vel *Pi-Zeous* &c. Qvod Chaldæi vel Babylonii planetæ alicui (qvi pro Martis stella habetur) indiderint nomen *Thuras* vel *Thuros*, *Thurus*, supra probavimus ad articulum *Týr*. Fertur Jupiter planeta populis Semiticis audiisse *Baal;* numne igitur hic ille Phoenicum *Baal Thurz*, Nazaræorum *Tur* &c. de qvo nuper plura adtulimus? Dicitur Jovis planeta a Persis olim fuisse insignitus nomine Ormuzdi qvem conjecimus dictum fuisse *Zor* *). Observavimus Thoro contigisse nomina *Vingnir*, *Ving-þór*, at lingvâ Indo-Tamulica Jupiter stella appellatur *Vingam*;**). In lingvis Europæis, qvantum scio, obsolevit Thori stellæ talis denominatio, at Hesperus vel Lucifer tamen incolis montanæ Moraviæ regionis, *Kuhländchen* dictæ, fertur audire *Torstan*, qvod *matutinæ lucis stella* jam explicatur ***).

Planetæ veterrimi sua nomina hebdomadis singulis diebus mutuarunt. Sic

---

sed anni dominus et terræ fertilitatis dator, communem cum Thoro habuerit originem, aliis inqvirendum linqvimus.

*) *Rimbegla*, editio Steph. Bioernonii Havniensis, pag. 112; *Dupuis Origine des tous les cultes* Tom. VII, in tabellâ planetarum denominationes sistente. Conjecimus supra Phoenicum *Baal Thurz* aliis *Moloch* audiisse. At hunc pro Jove planetâ positum adserit hujus Chaldaica denominatio (apud Hesychium) *Molobobar Μολοβοβαρ — ὁ τῶ Διος ἀστηρ*, forte legendum *μολοχαβαρ (Molochi stella)*; vid. Edit. Alberti II, 615 ubi porro observatur ex Epiphanio (adv. Hæresin I, 16) qvod Jovis planeta Pharisæis diceretur *stella Baalis*. At ille Diodoro (II, 30, ubi chaldaicus planetarum cultus optime probatur) manifeste Græco more audit Zeus sive Jupiter (uti hodie qvoqve inter astronomos nostros). Ast illustriss. Münterus Babylonios Jovem planetam fortunatum habuisse monstrat, illumqve *Gad* dictum esse (Esaiæ LXV, 11; *Relig. der Babylonier* 1827 pag. 14). Nümne hæc vox eadem ac nostra *God*, *Gud* (numen) Pers. *Choda* &c.?

**) Hoc mihi communicavit vir reverendus, *Nicolaus Fuglsang*, Indicæ doctrinæ peritissimus. Videas qvoqve *Sonnerat Voyage de l'Indes* II, 196. At porro Jupiter planeta aliis Indicis dialectis dicitur *Vlasha*, ut Thorus noster appellari potest *Veás (Veáss)*; cfr. *Ve*, *Veorr* s. Tandem Indis appellatur *Brahaspati (Bragaspati)*, vulgo scriptum *Vrihaspati;* cfr. Thori denominationem supra allatam *Bragr (Ása-Bragr)*. Vid. *Paolino di san Bartholomeo Iter Indicum*, transl. Dan. p. 423 ac ejusdem *Systema Brahmanicum* &c. Huic planetæ (e *Ramayanæ* relatione, sect. 16) dicitur filius esse nomine *Tara*, patri qvoad formam, fortitudinem & alias qvalitates simillimus, gigantes (Ravanam ac ejus subditos) fortissime debellans, at tamen ursis vel simiis mythice adnumeratur (ut Thorus qvoqve ursi nomen sibi interdum adsciscit).

***) *Der Fylgie; alte deutsche Volklieder &c.* ed. *J. G. Meinert* I, 422.

dies Jovis Scandinavis antiqvitus dictus est *Þórsdagr*, jam Danis, Norvegis & Svecis *Torsdag*, *Thorsdag*, in Lusatia (superioris Saxoniæ) *Dursdag*, olim qvibusdam Germanis *Dornstag (Dorstag)*, *Dorschdik*, jam vulgo *Donnerstag* (fulminis dies), Anglosaxonibus olim *Þorsdæg*, *Þurrdæg*, *Thunresdæg (Þursdæg* &c.); Frisiis olim *Thunresdey*, jam Belgis *Donderdag*. Adde Lapponum Svecicorum *Torasdaga*, Finnorum *Tuorstai* & pl.

Thori cultui ejus diem olim in septentrione fuisse destinatum, multæ talis superstitionis reliqviæ adhuc monstrare videntur. Sic in *Dania* e. gr. ad nostrum usqve ævum vulgus istum vario respectu (e. gr. nuptiis celebrandis) faustum esse putavit (ut idem qvoqve de Tyris sive Martis die dicendum); at variis operibus vel laboribus incipiendis (olim partim etiam peragendis) infaustus tamen audiit. Superstitiosa qvædam de eo opinio elucet ê noto proverbio: *Gud tale for os, det er Torsdag over hele Verden!* — qvod supra explicare tentavimus. Huc pertinent certæ ceremoniæ, qvæ continue novem vel tribus Thori diebus celebrandæ putabantur contra malorum dæmonum (Alforum obscurorum, qvi jam dicuntur *Ellefolk* &c.) insidias et persecutiones p. p. Eo qvoqve die sacri vel salubres fontes præcipue petendi multis putabantur *). In *Norvegia* permulta illius dici venerationis occurrunt exempla. Sic e. gr. sacrificia vere gentilia tam Laribus aut Penatibus (dictis *Toftevæter* &c.; vid. *Vættur* s) qvam genio cuidam ad cataractas residenti, dicto *Grim* vel *Fosfegrim*, Jovis die â superstitiosis offerri solere dicuntur. Eodem tempore sacri ac salubres fontes visitantur, qvorum genii (vel jam etiam vicina templa) variis similiter donis aut sacrificiis ut nummis, pannis &c. honorantur. Tunc qvoqve certos sanctos lapides â qvibusdam plebejis ad recentissima tempora ethnico ritu cultos esse legimus. A multis Norvegiæ rusticis (ad exitum usqve seculi 18^mi) vesper vel pomeridianum tempus ejusdem diei pro festo accipiebatur, ut tum aliqvid operari fas non esse putarent, at minime tamen tali labore occupari qvi streperum aliqvem sonitum excitaret (ne Tonantis vel aliorum dæmoniorum ira moveretur). At tamen suppositii infantes continue tribus Jovis vesperibus virgis cædendi credebantur, ut mater dæmonica eos repeteret at ingenuum restitueret. Noviluniun Thori die incidens pro faustissimo nuptiarum tempore a qvibusdam sumitur, qvæ opinio (e Barryi relatione) Orcadensibus etiam est accepta. Tandem dicti diei vesperam Norvegi ad thesauros in terra reconditos qværendos aptissimam esse putarunt (cum spectra ac mali dæ-

*) *Pontoppidan everriculum fermenti veteris* pag. 18. *Edvardsons Beskrivelse over Skjelskjöer* apud doctiss. Odinum Wolff, *Journal for Politik* &c. pro mense Martio 1813.

mones Thorum e veterum opinione præcipue metuerunt *).

Easdem in *Svecia* vulgares opiniones reperimus. In Blekinga (qvondam diu Daniæ propria) Thori nomen magnopere fuit veneratum. Gravidæ mulieres (infausta qvæcunqve omina viiantes) ejus die coemeteria (vel templa) christiana non visitare audebant **). In Provincia Bahusiensi (qvondam ad Norvegiam pertinente) pomeridianum Thori diei tempus circa medium sec. 18^vl festum habebatur vel laboris expers. Nec ibidem nec in Vestro-Gothia tunc e plebis superstitione ligna cædere licebat. Tunc qvoqve per totam fere Sveciam observabatur abstinentia a nendo post crepusculum, unde istud tempus qvibusdam audiit *Helga Thor* (Thorus sacer vel Thori feriæ aut festum); — matutino ejusdem diei tempore ægrotanti pecori medicina faustisime adhibebatur. At toto Thori die hominibus ungves secare minime licuit. Pro ingenuis at a dæmonibus ablatis infantibus recuperandis suppositii continue tribus Jovis diebus flagranti fornaci apponi et deinde ad compita deferri solebant. Nihilominus Thori dies incantatoribus putatur adhibendus esse ad fabricationem vel vivificationem monstrorum qvorundam, sub leporum specie apparentium, qvæ seqvente æstate lac alienarum vaccarum (ut magici qvidam angves ex Islandorum traditione, dicti *Snackur*) suis possessoribus adferre creduntur ***).

Apud gentiles *Germanos* Jovis (vel Thori) diem festis adnumeratum fuisse scimus. Prohibita fuerunt Thuringis (Græcos Deos ignorantibus) a christianis clericis in concilio Liptinensi (anno 743) et "Jovis sacra" et "ferriæ qvas Jovi faciunt." Sic qvoqve leguntur in vita Sancti Eligii (verbi divini inter Svevos, Frisios & Belgas prædicatoris, defuncti anno 659) seqventia: "Nullus diem Jovis absqve festivitatibus sanctis nec in Majo nec ullo tempore in otio observat." At nihilominus in Meklenburgia seculo 18 m vulgaris superstitio certa laboris genera pomeridiano Jovis diei tempore pro illicitis habebat****). Asserit Trautvetterus (l. c.) Thori diem ab antiqvis Germanis ord aliis & sup-

*) *Wille Beskr. over Sillejords Prgd* pag. 46, 251. *Norsk topographisk Journal* II, 49, 76, VIII, 7; XVII, 9. *Wilse Beskrivelse over Spydeberg Prgd* I, 418 & sq.

**) Originitus verisimiliter ne summus gentilium Deus irasceretur; — sic qvondam apud Danos gravidæ mulieres se Sancti Iohannis (vel mediæ æstatis) die (olim summo gentilium festo) abstinebant a templi christiani et sacri officii visitatione.

***) *Sjöborg Utkast til Blekings Historia* (1792) 1 Del. *Ödman Bahus Lehns Beskrifning* (1746) pag. 75. *Kalm Vestgötha och Bahuslähnska Resa* (1746) p. 159. *Ihre (vel Moman) Dissert. de superstit. hodiern. e gentilismo residuis* (1750) p. 29, 34. *Westerdahl Beskrifning* &c. (1774) p. 25, 46. *Linné Reise nach Oeland* &c. pag. 531.

****) Indiculus superstitionum a Concilio Liptinensi prohibitarum § 8 & 20. *Vita St. Eligii* (apud *Roeszig Alterth. der Deutschen* p. 192). *Franck a. und. n. Mecklenburg* I, 57 & sq.

pliciis fuisse destinatum, at hujus assertionis fundamenta nos penitus latere fatemur.

Is Jovis sive Thori dies, qvi jam vulgo dicitur *dies viridium*, in christianum festum e verno qvodam gentilium (anno 692) transmutatus fuisse videtur. Sic antiqvitus in Islandia, e legum mandato, veris adventus Thori qvodam *) ac Aprilis mensis die fuit celebratus & adhuc celebratur. Tunc olim Thorus plenum imperium recuperare at Thiassius hyemalis gigas penitus debellatus esse credebatur (vid. *Skadi*, *Þiassi*, *Valhöll* s.) Hanc eandem priscam superstitionem Danis olim certo modo acceptam fuisse is monstrat Sælandicæ plebis ad nostros dies perdurans ritus, qvod rustici viridium die secures et cuneos ferreos (antiqvissimo certe tempore siliceos) agris sementatis immittere soleant et chalybem porro ædium foribus adpendant, ne veneficæ (et dæmonia) frumento vel hominibus seqventi anno currente nocere potuerint. Dani ethnici ignem e silice excusum mala dæmonia fugare putabant, ut infra probabimus, unde hæc magna chalybis veneratio et alia ejusdem farinæ commenta **). Idem dies in *Svecia* a rustica plebe suo more maximi momenti habetur. Primo ejus mane, ante avium clangorem auditum, ex ejus tenore aqva accersiatur; homo eâ lotus seqvente æstate solis fervore (in facie) non aduretur (vel in fuscum colorabitur). Thori priscam relligionem magis sapit vulgaris ritus, illa die et paschali vesperâ bombardas vel bellica tormenta explodendi, cum Lamiæ (vel mala dæmonia) tum per aëra grassantes & ad celebrem in Blokulla monte conventum tendentes eo fragore audito præ terrore ex aëre subito decidere credantur. Sic manifeste homines tonitru imitantur, qvod ante bombardarum inventionem magnis tympanis & grandium malleorum pulsatione effici soluit; vid. artic. *Miölnir* s.***). At nocte illam diem præcedente lamiæ sive vene-

*) Hic Dies præ cæteris Islandis gentilibus faustus fuisse videtur. Sic generalia insulæ comitia Thori die (circa mediæ æstatis tempus) olim semper incipere solebant; eodem hebdomadis die legale ad nova habitacula migrationis tempus in Norvegia qvondam incidebat, secundum veterrimas Gulathingenses leges (Cap. 6) &c.

**) *Jonge Nord-Sjæll. Almues Karakteristik* pag. 270, cfr. *Thiele Danske Folkesagn* III, 124 ubi alia Danica superstitio de veneficis viridium die facillime indagandis adnotatur. At *primum ovum*, hoc efficiens, Freyæ (Thori amicæ) veteri cultui adscribendum videtur. Freya interdum sub avis specie adparuit; non igitur mirum qvod ova (postea paschalia &c.) ei dicarentur.

***) Cfr. *Ol. Magnum* l. c. III, 8. Hinc Lapponum & Schamanum magica tympana, malleo sacro pulsata. Huc qvoqve pertinet ritus inter Germanos qvosdam vulgaris, ita a Keyslero descriptus: "In superioro Germaniæ parte, ea præcipue qvæ ad Almonam flumen vergit, marchionatu Onolsbachensi comprehensa, cujus incolæ plurimas gentilismi reliqvias retinent, regio

ficæ in fontibus ante solis obitum aqvam (lactis instar) agitare putabantur, ut rusticis butyrum parantibus nocerent. Eodem viridium die ad malorum dæmoniorum invasionem & persecutionem avertendam crucis (at olim certe Thori mallei) signum cunctis ædium foribus vulgus porro adplicare solet &c. *Germani* superstitiosi eodem die varios ritus observant pro febre (qvæ forte cum fulminea tempestate aliqvod commune habere putabatur) seqventi æstate vel anno evadenda (ut novem olerum vel herbarum species comedere, qvod Dani etiam usitant) &c. *). Tum in *Scotia* ligneæ cruces vel baculi cruce signati, jusculo singulari modo imbutæ, super fores stabulorum et aliorum ædificiorum eriguntur, qvæ tamen primo Maji die solenniter ad tumulum, ubi paganorum festivus conventus celebratur, auferuntur, et ibi florum sertis adornatæ posterius inde ad priscum locum reportantur, ut mala a domo avertant, dictæ vulgo *Clouan Beltein* vel *ignis de petrâ discuneatus ramus***). Notanda porro sunt varia hujus diei nomina. Latinum illud *dies viridium* priscum veris incipientis ac arborum et herbarum virescentium festum certisime indicat, qvamvis christiani ejus reformatores mandaverint nova diei sacra his Davidis verbis incipi: "In *prato viridi* me pascit, secundum aqvas lenes deducit me" &c.; Psalm. XXIII, 2. Illi denominationi convenit Germanica vulgaris: *der grüne Donnerstag*, etiamsi alioqvin appelletur *der hohe*, excelsus; — *der weisse* (albus o: lucidus); — *der gute*, bonus &c. Islandis dicitur *Skírdagr* (dies serenus vel etiam dies purgationis)

---

etiam ipsa multis Druidum vestigiis abundat, tempore adventus Christi sive media hyeme (die dicta *Anklopferleinstag*) vulgus per vias & plateas curit, *malleisqve pulsat fores vel fenestras* indesinenter clamans: *Guthyl! Guthyl!*" (*Antiqvitat. select. Septentr. & Celt.* pag. 307). Hæc exclamatio (aut denotans alioqvin usitata *Gutheil!* bona salus! aut *Gotts* (vel *Gottes*) *Heil!* Dei vel divina salus!) e nostra opinione olim symbolice indicavit *adventum Dei malleum gestantis* nimirum Thori, qvi novo anno cum hiberno solstitio incipiente iterum terræ adpropinqvat, ut supra observavimus. Ejusdem originis est mos vulgaris tam Germanis qvam Scandinavis (at Danis forte præcipue) receptus, qvod vespere novum annum præcedente, vel in ipso hujus initio, aut bombardas explodere aut etiam vasa fictilia grandiora ad fores ædium gravi ictu confringere soleant &c. Germanis dicitur das *Neujahrs-anschiessen* &c..

*) *Westerdahl* l. c. pag. 25. *Linnei Reise durch Oeland* &c. pag. 137, 331. *Gräter. Idunna und Hermode* 1812, ad Calendar. vetustum & viridium diem (sub die 26 Martii). In Mecklenburgia rustici, e Franckii relatione, herbam qvandam, Thoro olim sacratam, qvæ jam *Donner-Nessel* i. e. urtica fulminea vocatur, viridium die oleris jusculo præcipue admiscere solent.

**) *Pennant Tour in Scotland* 1769 Ed. 3, pag. 186. Ad idem tempus festum primi Maji diei vel *Beli (Belent, Baalis, Balderi) ignis* a Scotis montanis sacrificiis ac ritibus vere ethnicis fuit celebratum, ut e dictæ descriptionis aliis circumstantiis sat superqve patet. Tunc e. gr. sacrificabatur placenta novem cubis signata, qvorum qvisqve aliqvod idolum vel gentile numen indicavit ac ei dicabatur, precibus simul adhibitis &c.

cui convenit Dan. *Skjer - Torsdag* *), Svecis *Skär-Torsdag* &c.

Festum ascensionis Christi inter antiqvisſima sanctæ nostræ relligionis habetur, nihil originitus cum gentili superstitione commune habens; cum autem in Thori vel Jovis diem semper incidat, nonnullas ethnicismi reliqvias cum eo combinatas reperimus. Sveci (qvibus *Helig Thorsdag*, ut Norvegis olim *Helgi Þórsdagr*, jam Anglis *Holy Thursday* i. e. sanctus Thori dies) audit, tunc dicunt draconem, auro incubantem, thesauros suos aëri et luci exponere; tunc piscatores pro felici capturâ certos ritus observant, mulieres rubris vestibus se induunt &c. At Germani inhibebant eo die omnifariam suturam, dicentes *fulmen* vestes ita sutas, vel hominem iis indutum, vehementer perseqvi solere &c.**).

Addimus tandem qvemcunqve Thori vel Jovis diem populis Finnicis et cognatis olim certo modo festum fuisſe. Sic multi inter *Lappones Norvegicos* seculo 18vo tum a qvocunqve labore, sed præsertim tamen a nendo, se abstinere solebant. Eundem morem, qvoad ejus diei vesperam, *Finni* (Finlandiæ incolæ) cum illis communem habent. *Esthi* e contrario in Dei fulminatoris honorem die ipso nil operabantur, at vespera tamen iis erat profesta***). *Prusſi* vel *Borusſi* (ut supra de Norvegis est observatum) Thori vel Jovis vespere cerevisiam & cibaria Laribus aut Penatibus (vel dæmonibus dŏmesticis) ad seculi usqve 16tt medium (et forte longe recentiore tempore) sacrificare sunt soliti****).

Mensem certum, primi aut verni anni temporis partem, Thoro præterea a gentilibus Scandinavis sacratum esſe scimus, præter totam æstatem, qvæ ei alioqvin in mythicis monumentis præcipue addici videtur. In introductione borealis (vel Gothici) zodiaci brevis descriptionis post Asarum & Alforum (lucidorum) regiones (i. e. æthereum et astrale cælum) Thrudheimus (aër, vehementia fulmina colligens & emittens) memoratur (*Gr. M.* 4). Thorus Asgardiam (cælum mundanum) & Midgardiam (ɔ: terram cum Thrudheimo vel atmosphæra) contra mala abyſſi, tenebrarum & frigorum dæmonia fortisſime defendit, et sic certo modo (una cum Odino patre, ex Eddarum tenore) pro omnium zodiaci signorum vel anni mensium do-

*) Varii varias denominationum origines adserunt; conferri forte meret nomen Thori habitaculi *Bil-Skirnir*; it. *Skirnir, Skadi s.* At idem certe etymon sibi adscribit Danicum *Skærsommer* ɔ: serenisſima æstas, ut mensis Junius hodie qvoqve appellatur. Sic etiam sereni veris adventus vel aëris revertens serenitas illa diei appellatione antiqvitus indicari potuit.

**) *Westerdahl* l. c. pag. 26. *Gräter* l. c. ad diem 17 Maji (*Gestriegelte Rocken-Philosophie*, I, 43).

***) *Leem Finmarkens Beskrivelse* pag. 487, *Rühs Finland* pag. 305, 306, *Petersen Finnische Mythologie* pag. 16.

****) *Büsching w. Nachr.* I, 162. Cfr. *Mone* l. c. II, 75-76 de Thori diebus Thara-pyhæ sacris.

mino aut protectore rite est accipiendus. At nihilominus Scandinavi vulgari sermone certos illos, at diversos, menses ei sacraverunt vel ejus nomine adornarunt. Huc referendus esse videtur mensis *Þorri* (vel *Þórri*) alioqvin dictus *Liósberi* (i. e. lucifer) et Valio Asæ dicatus (*Gr. M.* 6) respondens aqvarii signo (qvod sol circa diem 21 Januarii intrare solet). Tum a gentilibus Norvegis celebrabatur maximum mediæ hyemis festum aut sacrificium (dictum *Midsvetrar-blót* & *Þorra - blót*) a qvibusdam (ut alibi monstravimus) pro ipso Jolensi (vel solis annuæ reversionis) festo acceptum, ab aliis autem in ejus continuationem vel conclusionem agitatum*). Refert traditio vetusta de Norvegiæ prima habitatione qvod Qveniæ (Qvenlandiæ)**) et Finniæ (vicinæ Finlandiæ) incolæ Thorrum vel Thorrium, priscum qvendam eorum Regem, dicto tempore Dei instar sacrificiis coluerint, pro uberrima nive et freqventi xylosolearum usu obtinendis; hic Thorrus idem verisimiliter fuit ac ille Finnorum & Lapporum Deus Thorus, qvamvis recentiores nostratium commentarii eos diversos esse statuerint. Ast illo sacrificio Scandinavos (vere jam appropinqvante) reliqvæ hyemis clementiam at veris ac æstatis seqventis feracitatem ex Odini instituto a Diis sibi imprecatos esse, veteres aliæ relationes testantur ***). Mensis memoratus adhuc in Islandia *Þorri* appellatur. Ejus potissima pars jam Februario cedit, licet in Januario incipiat. Januarius a rusticis Norvegiæ montanis sæpissime dicitur *Thorre*, qvamvis interdum pro Februario accipiatur, qvæ confusio a lunarium mensium calculatione oritur. Januarius Svecis antiqvitus dicitur *Tore-* vel *Thors-Månad* i. e. Thori mensis. Wormius eundem Svecis *Thora* (rectius *Thore*, *Thorre*) audiisse refert ac sic qvoqve jam a Vestrō-Gothis nominatur *Thorre* vel *Torre*. Idem auctor lunarem men-

*) Hunc morem apud Anglosaxones fuisse receptum monstrare videntur hæc mensium nomina: December: *ærra Geola* (mensis jolensis prior) & Januarius *æftera Geola* (m. j. posterior). Hinc qvoqve Sveci mediæ hyemis spatium (finem Januarii & initium Februarii) appellant *lilla Jul* (minus Jolense festum) *Dalin Svearikes Hist.* (1747) I, 167. Cfr. *Freyr*, *Yule* s.

**) Textus dicti codicis habet Gothlandiæ *(Gottland)* qvod tamen e seqventium tenore corruptum esse at ita corrigi debere videtur, nisi auctor ille Gothiam sarmaticam, Finlandiæ vicinam, intellexerit ac Thorrium suum ab ambobus iis populis olim cultum innuere voluerit. Respexit forte vetustam Norvegiæ relligionem ex aliqvâ parte tam Gothis qvam Finnis fuisse propriam, ac ipsas simul gentes ibi porro mixtas evasisse putavit, qvum omnes principales (vel regias) Norvegiæ stirpes a Thorrio Rege (per filios Norem & Gorem ac filiam Goam) ortas esse perhibeant.

***) Relatio Codicis Flateyensis *de prima Norvegiæ inhabitatione* ad calcem Eddæ junioris, Edit. Rask. pag. 358. *Hkr.* l. c. I, 13. II, 166. Observandum tamen est qvod Norvegi nivis ac gelu freqventiam illo mense telluris fertilitati in anni (ac seqventis qvoqve temporis) cursu utiles esse putent, unde eorum vulgaris sententia: *Thorres Töe gir fröset Korn og raadent Hö.*

sem in Februario incipientem Jutiæ incolis ejus tempore Thor - *Maaned* vel Thori mensem appellatum esse perhibet, at nomen idem vulgari usu Martio esse adtributum*). In nostris hodiernis calendariis scribitur *Tord - Maaned*, qvod vulgo fulminis mensis explicatur. Rustici Holsatici sec. 16to Aprilem tandem *Thorn* dixerunt, qvæ denominatio cum illis esse communis originis facile perspicitur**). Proverbium qvoddam Norvegicum de Thorrio mense jam adtulimus; aliud Danicum de Thori mense ipsum Deum (mensis loco) ita memorat:

Thor med sit lange [al. *stive] Skjæg*
Lokker Börnen' ud til Væg

o: "Thorus ille longa [vel aspera] barbâ præditus allicit infantes foras ad (externum) parietem" cum nimirum lux diurna vel solaris, pueris grata, eos ad exitum invitat, at aëris frigus vel asperior ventus ipsos sub dio excipit & ad subitaneam reversionem cogit***).

Præter superstitiones vulgi boreales, e Thori relligione ortas, qvas supra disqvisiimus, restant plures aliæ de *ceraunüis* (lapidibus) nec non de *silice* & *chalybe*, mala dæmonia ac veneficia fugantibus. Primo loco observandum, qvod antiqvissima in septentrione (ut reliqvo orbe) arma ex lapidibus fabricata fuerint, ut innumera ejus generis in nostratium sepulchralibus tumulis reperta testantur. Hæc in Dania omnia fere sunt siliceæ materiei, at præcipue mallei, securis vel cunei aut hastæ formam referunt. Talia arma, vario ut videtur modo, primi gentiles Thoro adscripserunt. Sic in antiqvis carminibus (qvorum fragmenta Skalda nobis conservavit) Mioelnerus vel alia Thori tela pro fulmine vel brontiis manifeste accipiuntur. In Eysteinis cantilenâ (Skaldæ pag. 101) dicitur: "Subito accidit ut ignis (fulminis, a Thoro directi) emitteret lata fulgura (vel brontias o: candentes lapidis aut chalybis massas)" — nimirum e navigio,

*) *Wille Beskrivelse* o. *Sillejords Pry.* pag. 238. *Olaus Magni Hist. gent. sept.* III, 3. *Hof Dialectus Vestro-Gothica* 1772.] *Sahlstedt Dictionar. Svec.* pag. 616. *Wormii Fasti Danici* pag. 43, 48.

**) *Arnkiel Cimbr. Heid. Rel.* I, 87. Cfr. Anglo-Saxonicum hujus mensis nomen *Rehd-monad* cum vet. Scand. *Reid.* fulmen &c.

***) Si Indridus (Thorus) & Indra revera ejusdem sint originis, observatione dignum erit, qvod Indi nostratium Thori (vel Valii) mensem partim Indræ (at partim Vishnuo vel Mitræ) dedicent. *Müller Wisen u. Glauben* &c. ad I, 544 *(Altindische Jahres-Tabelle)*. Romani idibus Januarii festum Jovis & Fauni olim celebrare soluerunt. At Janum, a qvo Januarius dictus, celeberr. Boettiger putat esse Phoeniciæ originis, duplicem securem a Tenedüis pro ejus adtributo habitam esse monstrans et eundem qvidem deum ac illorum Baalem (alioqvin Thurz, qvem b. Payne Knight cum Thoro nostro non inepte comparavit); *Ideen zur Kunst-Mythologie* 1826, I, 264, 275. Tab. II No. 9. Observatur ibidem duplex illa securis, partim lunâ dimidiatâ additâ, in monetis etruscis occurrere. Confer ea qvæ de duplicis mallei signo, ut Thoro proprio, ac securi ut symbolo Jovis Labradei (ab Asiæ minoris populis culti) supra adtulimus.

cum Thorus piscator mundanum serpentem capere vel interimere tentavit. Ab Eilifo Gudrunide malleus Mioelner (i. e. fulmen) cum ferri candentis massâ comparatur. Ac tandem Ulfus Uggianus iratum Thorum in mundanum angvem terribiles radios ejaculasse fingit, at Bragius malleum tamen in eo conflictu Thorum vibrasse refert. Vid. *Jörmungandr* s.*). Thorus Hrungnerem adgrediens in fulminea tempestate adparuit ac inde malleum suum projecisse dicitur (e relatione junioris Eddæ); vid. *Hrúngnir* s. His consentit Thiodolfus Hvinensis in Höstlangæ fragmento (Skálda pag. 111): "Intonuit sub Thoro lunæ via (cælum sive æther); ardebant ubiqve superæ aëris regiones sed humilis terra tempestate disrupta est ab Ulleri vitrico... Non Balderi frater pepercit tumido & hominibus infesto monticolæ; rupes concussæ disfiluerunt; æthra superior fulguribus coruscabat. Audivi lucifugorum montanorum dæmonum principem fortiter obversum, cum suum percussorem cædi paratum agnosceret. Grisea et bellica clypei glacies **) mox subjecta est plantis rupium custodis; a Diis id profectum; id Disæ (Nornæ, Parcæ) voluere. Nec exinde propriæ perniciei avidus saxicola ictum ab aspero acuti mallei gestatore diu expectare habuit necesse. Frementis gigantis occisor dejecit in præliari arenâ pugnantem nocivi celsarum & ventisonantium rupium satellitii ursum. Antricolarum princeps acuto malleo ictus occubuit; sic illorum comminutor devicit obstinatum telluris hostem. At simul duriter fracta cos, a gigante ejaculata, stridens allapsa est terræ filio ad culmen cerebri (cranium); pumex chalybis stetit sparsa Indridi cruore, adhuc immota, in ipsius capite. Ita olim inter clivos decidit, Haris (Odini) uxori acerbum, rhedæ vectoris Dei rutilans vibramen (revera) salutare, moerorem in gaudium vertens"***). Ei-

*) Addimus illis hoc Gamlii (gentis poëtæ) ibi omissum fragmentum (Skáldæ pag. 102):

Medan gramr hinn er svik samdi
Snart Bilskirnis hiarta
Grundarfisk med grandi
Glúfr skeliúngs nam riúfa

o: Dum Rex Bilskirneri, dolos tum componens,
Serpentem damnose tetigit
(Et) cor monstri crustati inter prærupta
Jacentis simul dirupit (vel perforavit).

**) Videtur hic lapideum Hrungneris scutum cum glaciei massâ comparari; opinor autem poëtam respexisse Hrungneris ut summi Hrimthursi i. e. pruinosi Titanis vel glacialis ac hyemalis dæmonis originariam significationem.

***) *S. Thorlacii Ant. bor. obs. misc.* VI, 2-9. In plurimis virum doctissimum sum secutus, ultimâ strophâ exceptâ. Priorem ejus partem ita in ordinem prosaicum redigo: *Oc ádr Reidityrs it rauda (Hárs avlgefion sára) rids heili, bavlgæli, hneig í hlidum.* Hæ cunctæ

lifus Gudrunides in Thorsdrapa, singulari modo videtur describere candentem ferri masſam, a Geirrodo ex ustrina raptam et contra Thorum ejaculatam, ab hoc Deo manibus exceptam at deinde ipsius Mioelneris (a Dvergis subterraneis fabricati) loco dextre satis in illius gigantis et sociorum perniciem agitatam esſe*). Hæc duplex fulminis origo a mythis memoratis id pro chalybeo ac candente qvidem telo accipiendum esſe svadet. Suspicor tamen Thori malleum, antiqvisſimo tempore, vulgari opinione siliceum creditum esſe; cum posterius Thoro adtribuerentur ferreæ aut chalybeæ chirothecæ vel manicæ, his silice ignem ſulmineum excutere facile putabatur, dum forte alii rotas curriculi ejus, chalybe obductas, tales flammas producere opinabantur. Monstrat Hrungneri prosaica fabula vulgarem qvandam traditionem de cotibus (vel potius forte siliceis cuneis) has revera fuisſe gigantea tela, Thori malleo diplosa, iis frustis similia qvæ Sinenses ex ipso ſulminatoris malleo diffracta dispergi credunt, ut suo loco observavimus. E confusis illis borealium gentilium opinionibus variis modis variæ recentiorum superstitiones sunt derivandæ.

Hoc primo loco monstrant seqventes denominationes brontiarum vel lapideorum antiqvisſimæ originis telorum, qvæ olim a Thoro & jam a fulmine vel ejus genio emisſa esſe creduntur. Dicuntur nimirum partim in Norvegia *Torstene Thorstene* vel *Tordenstene* (Thori vel ſulminis lapides) at in Svecia *Thorviggar, Thors Viggar* Thori cunei**). A Danis simpliciter nominantur *Tordensten* vel *Tordenkile* (lapis aut cuneus ſulminis) ut etiam Islandis *Skruggusteinn, Þrymill,* Germanis *Donnersteiu, Donnerkeil,* Anglis *Thunderstone, Thunderbolt,* Gallis *pierre de foudre* &c. — et olim Romanis & Græcis *ceraunia, ombria, brontia* (κεραυνίας &c.) ***). Hæ par-

voces notæ sunt excepto illo *ridsheili;* eam deduco a *τω rid* vibratio, vibramen & obsoleto *heili* medela, salus; cfr. Sturlæ Thordæi: *heili-vagr allra strida* ɔ: omnium dolorum liqvens medela; Hkr. V, 280; VI, 225. Posteriorem dictæ strophæ partem supra explicavimus.

*) Vid. Skalda pag. 118 & S. Thorlacius l. c. VII, 34-41.

**) *Hammer, om Hadeland; Norsk Topograph. Journ.* XIX 109. *Pontoppidan Norges Natur-Hist.* I, 285-287. *Sahlstedt Dictionar. Svecicum* p. 603, 616. *Sjöborg Blekings Beskrifn.* II, 313.

***) Uti apud nostrates, in diversis regionibus, mox belemnites, mox silices (vel veterum qvævis lapideæ secures, mallei aut cunei) pro ceraunis accipiuntur; sic qvoqve idem de Græcorum & Romanorum opinionibus Plinius demonstrat. "Sotacus et alia duo genera fecit *ceraunias* nigræ rubentisqve, *ac similes eas esſe securibus;* iis, qvæ nigræ sunt et rotundæ, *urbes expugnari et classes* easqve *betulos* vocari, qvæ vero longæ sunt, *ceraunias.* Faciunt et aliam raram admodum et Parthorum Magis qvæsitam, qvoniam non alicubi inveniatur, qvam in loco fulmine icto." Et alibi: "*Ombria,* qvam aliqvi *notiam* vocant, sicut ceraunia & *brontia* cadere cum imbribus & fulminibus dicuntur, eundemqve effectum habere, qvem brontia,

tim *betuli* vel *bætyli* dictæ probabiliter convenerunt mythi græci *bætylo*, Joviali certe lapidi, Phoenicum bæthyliis cognato*). Huc verisimiliter pertinet lapis in Phrygiæ monte Ida dicto **) ac Jovi & magnæ matri sacro, qvi Claudiano audit *relligiosa silex* (qvod qvidem lapidis genus et a Romanis et Carthaginensibus diu sacrificiis, ferri loco, adhibitum esse legimus). Observavit Sculo Thorlacius ceraunias qvoqve e veterum Parthorum (vel Persarum) Magorum sententiâ exsistere & maximi pretii esse, inde concludens atavorum nostrorum similem opinionem ab illis revera ortam. Sic alioqvin non mirum qvod Indi aërolithos (qvi illis traditionibus primam sane dederunr originem) vel similes lapides, qvos uno aut alio modo e cælis decidisse ajunt, partim in templorum adytis (vetere Asianorum ac Græco-Romanorum more) servent & adorent, at partim, præsertimqve eos qvos fulmineos (aut ceraunios) vocant, super fores vel aditum sepulchrorum humanorum suspendere soleant, cum contra fulmineæ tempestatis impetum illi firmiter tueri credantur ***). Sic Indiæ ac Scandinaviæ hodiernæ superstitiones sibi invicem ad ungvem conveniunt, nam Danicum vulgus (e. gr. in Jutia & Bornholmia) ceraunias suas contra fulminis impetum ædificia optime defendere putat,

narratur" (*Hist. natur.* XXXVII, 9 no. 51, it 10 no. 65). Vid. *S. Thorlacius: om Thor og hans Hammer; Scandinav. Museum* 1802, V, 42 & sq. ubi auctor doctissimus plura huc pertinentia latinorum poëtarum loca collegit. Sunt autem verisimiliter in Asia minore lapides illi pro Jovis Labradei (vel securiferi) symbolo habiti; non igitur mirum si victoris Dei sacrum emblema victoriam pio possessori adqvirere crederetur. Seleucus Nicator Jovis Victoris & Fulminatoris insigne in monetis repræsentari fecit ut fulmen alatum, gladio et cuneo simul non absimile, adposito malleo bicipite vel certo modo duplice. Alii græci nummi fulmen monstrant sub (lapidea) ovi, globi aut cordis specie, telis vel flammis circundatum. Numne lapis ille *silex globosus* Plinii, alias *pyromachus?* Porro in multis nummis Græcæ originis cernitur Jovis fulmen e pluribus bæthyliis compositum. Vid. e. gr. nummum Græco-Siculum: *Zus. znr Allgem. Welt-Gesch.* T. III, Tab. 1 No. 7.

*) Cfr. clarissimi nostri Münteri: *Vergleichung der vom Himmel gefallenen Steine mit den Bäthylien des Alterthums; Antiqv. Abh.* I, 261 & sq. *Görres Asiat. Mythen-Gesch.* II, 459. *Dahlberg über Meteor-Cultus* p. 24 & sq. Doctiss. nostri *Bioerni* Dissertat. de *aëro lithus*, indole & origine aerolithorum; Othiniæ 1816.

**) In Creta insula, ubi mons alius Ida dictus Jovis mythicas origines prætendit ac ejus cultu celeberrimus evasit, dicit Porphyrius e vetusta traditione Zoroastrem *ceraunii lapidis* (Jovis symboli) ope ab Idæo dactylo (hierophantâ vel mystarum primipilo) divinis mysteriis initiatum (vel præparatum) fuisse. *Porphyrius in vita Pythagoræ* Cap. 17.

***) In India sive Hindostania recentiorum indigenarum lingva vocantur *bylee puttur* (fulminis vel fulguris lapis) teste doctiss. *Sykes, Notes respecting the ruined city of Bejapoor; Transactions of the liter. society of Bombay* (1823) III, 58, cfr. 67. *Dahlberg* l. c. pag. 68 & sq. Ceraunias variis modis repræsentarunt lapides borealium Thoro, Russorum Peruno, Græco-Romanorum Jovi, Indorum Vishnuo et aliis adtributi.

ac insuper mala dæmonia & veneficia omnis generis fugare (qvæ vis interdum vulgari silici adscribitur) et posſesſori fortunæ qvemcunqve favorem adqvirere*). Norvegi ceraunias accipiunt pro telis, dæmones in ipso fulmine perseqventibus (a Deo igitur vel bono dæmone directas) at eas putant, ab hominibus servatas, maximum dolentibus (e. gr. puerperis) morbi levamen adferre. Hujus generis verisimiliter fuerunt duo lapides mediocris magnitudinis, in prædio Tellemarchiæ, *Meeaas* (olim verisimiliter *Midâs*) dicto, ad nostra usqve tempora servati ac superstitiose culti, ut e. gr. *cujusvis Thori diei vespera* & aliis festis temporibus lavarentur, butyro vel alio ungvento ad ignem illinerentur, ac deinde siccati in primaria heri sede collocarentur; talis eorum veneratio, ad fortunæ beneficia domicilio illi (ac forte olim circumjacenti regioni) procuranda, necesſaria esſe credebatur. Hic cultus ab incolis Odiniana religione antiqvior esſe refertur**).

In alio ejusdem regionis prædio, nimirum *Qvalseth*, alii duo lapides simili modo ad medium usqve seculi 18^vi^ sunt venerati, in suprema sede ac puro stramine locati, qvi freqventer lacte ebutyrato at Jolensi festo recenti cerevisia imbui solebant, donec rusticus qvidam, ebrietate incitatus, lapides illos, ut idololatriæ objecta, confregit ac abjecit.

Boreales illas ceraunias partim aërolithis ac partim & sæpisſime qvidem silicibus aut pyritibus adnumerandas esſe putamus. Hoc postremum innuere censemus sèqventia Saxonis verba (Libro 8^vo^) de Thorkilli Adelfarii ad Utgardos vel giganteorum dæmonum ultima domicilia agentis: Adpropinqvans ipsius *Ugarthiloci* (vel Utgardensis Lokii) cavernæ "Thorkillus a comitibus foris stationem peragentibus *extusum silicibus ignem, opportunum contra dæmones tutamentum,* in aditu jusſit accendi." Hinc vulgares illæ de *silicis* magica præstantiâ opiniones. At porro *chalybs* vulgo si-

*) *Jonge om den Nord-Sjællandske Almue* pag. 291, 302. *Helmuth Naturlære* transl. Dan. ed. 2. pag. 204. *Antiqvariske Annaler* IV, 579. De Germanica circa hos lapides superstitione qvod in fulminea tempestate sponte moveantur, at fila iis circundata igne non comburrantur &c. Vid. *Dahlberg* l. c. pag. 146.

**) *Pontoppidan Norges Natur-Historie* II, 285. *Wille Sillejords Prg.* pag. 46-47. *Lund Tellemarkens Beskr.* pag. 280. Cornubiæ et Scoticarum insularum incolæ simili litholatriæ ad recentisſima tempora fuerunt dediti; vid. e. gr. *Borlase Antiqvit. of Cornwall* pag. 178. Talium rituum summa antiqvitas elucet e relatione Pausaniæ (X, 24) de lapide parvo Delphis culto, qvem Saturnus Jovis loco deglutiiſse at iterum evomuiſse narrabatur; is enim qvovis die oleo ungi vel infundi & festis diebus ovili lanâ tegi aut involvi soluit. At ille lapis ut supra observavi *betulus* vel *bœtylus* alioqvin fuit appellatus et cerauniis igitur adnumerandus. Simili modo Indi minorem qvendam lapidem, Vishnuo sacrum, unctione & adoratione colunt, ut posſesſori fortunam ac opes adqvirentem &c. *Ward* l. c. II, xxxi, 221.

lici feriendo adhibetur, ut talis ignis inde extundatur, qvod verisimiliter nostra antiqvitas Thori manicis, siliceo ejus malleo allisis, effici credidit. Alii ipsius malleum e metallica (præsertim chalybea) materie confectum esse sunt opinati, at Lappones idolo addiderunt tam *chalybem* qvam *silicem*, qveis ignem fulmineum extundere ferebatur. Cum autem Thorus fulminator mala dæmonia ac veneficia qvævis vehementer perseqvi putaretur, ejus adtributa vel symbola, *silex* et *chalybs* juncta, eandem tandem e vulgi sententia adqvisiere efficaciam. Sic e. gr. Scoti montani certas herbas contra malorum oculorum vim (e superstitione perantiqvâ, Europæ et Asiæ communi) coctione præparant, chalybe & silice lebeti simul immisis, ter sacras (vel divinas) personas invocantes. Sic qvoqve chalybs sola vel chalybeus malleus, ferrea forceps, acus duæ decussatim positæ &c. a superstitiosis Lapponibus, Danis, Norvegis, Svecis & pl. contra omnia mala dæmonica entia et eorum effectus homines et pecora optime servare creduntur; ita e. gr. profugant lemures, larvas & subterraneos genios puerperas et infantes nondum baptizatos perseqventes, Trollos aut Vaettos tam terrestres qvam aqvaticos, lamias nocturnas (vel ephialten), vaccarum parientium & vitulorum recens natorum fascinationem &c. Ast illi dæmones adhuc fabrum ferrarium, chalybeo malleo instructum ac magiæ peritum, potissime metuere dicuntur; sic ille absentis furis (ut Thorus olim Thiassii oculos) potest excutere, nisi rem furtivam possessori restituat &c. Tandem igni soli (olim Veo & Veori i. e. Thoro sacro) vis contra magiam efficacissima a dictarum gentium vulgo hodiedum adscribitur. Norvegi, in certis montanis tractibus habitantes, ad dæmonum incursiones evitandas, manum propriam, cibaria vel res alias igni sæpe admovere solent, qvæ actio iis audit *vegsle* consecrare (a vetere *vígsla* consecratio &c.) vid. *Ve* s. *).

Thori nomen variæ herbæ in Dania & in Norvegia (ac forte etiam Svecia) nactæ sunt e. gr.: *Thorhat*, *Thoralm* (*Thorhjalm*) Thori pileus ved galea (qvam alii Tyri adtribuunt), *aconitum lycoctonum*; *Thorböll* qvasi Thori globus aut globulus, (alias *St. Olavs Skiæg*, St. Olai barba) Angl. *St. Christophers herb*, s. *osmunda crispa*. A Thori & ejus conjugis vel amasiæ armis harum plantarum denominationes forte sunt derivandæ: *Geir-Mjölne* (Mjölner cuspidatus vel hastatus) Lat. *atriplex hastata*; *Donhammersgræs* (tonantis mallei herba) alias *Engekjæmpe* (pratorum

*) *Saxonis Grammatici Hist. Dan. edit. Loniceri* pag. 149. *Schefferi Lapponia*, pag. 105. *Pennant Tour in Scotland* 1772, pag. 231. *Thiele* l. c. I, 176 III, 42, IV, 98. *Pontoppidani everric.* p. 80. *Jonge* l. c. pag. 270, 302. *Arndt* I, 260, III, 11. *Westerdahl* pag. 48, 53. *Leem* p. 498. *Wilse Beskr. o. Spydeberg Prg.* (1779) II, 419 & sq.

gigas vel athleta) Lat. *phleum pratense; Dönmorskölle* (clava matris tonantis) Angl. *Water-torch* (fax aqvatica) Lat. *typha latifolia.* At magis perspicue aliæ jam ab ipso fulmine nomen trahunt e. gr. *Tordenurt* (Germ. *Dur-Wurtz, Dürr-Wurtz*) alias *Trold-Urt* (dæmonica herba) Lat. Conyza, Coniza; *Torden-Skreppe* (lappa fulminea, vulgo Lat. l. major). Cfr. Germanica: *Donnerbart* (barba fulminea, Latine *Jovis barba*, Gallis *Joubarbe*, alias Lat. sempervivum, sedum majus vulgare &c. Addimus his Thoranæ religionis botanicis reliqviis herbam ejus uxoris nomen adhuc præferentem, dictam nimirum in Islandia *Haddr Sifar* (vel *Sifiar*) ɔ: Sifæ coma vel capitis redimiculum, qvæ autem planta Latine dicitur *polytrichum aureum* p. p.*).

Christianismo in septentrionem introducto verus Deus cum Christo & ejus sanctis veterum idolorum ac heroum loco coli coeperunt. Vidimus ita nonnullos Danos, Norvegos ac partim qvoqve Svecos Christum Thoro rejecto (licet interdum simul adorato) pro *Deorum fortissimo* (ut totius mundi potentem dominum, omnium infernalium dæmonum et ipsius qvoqve Thori summum victorem) habitum esse. Cum tamen Christi effigies sæpissime crucifixa sed terreni roboris, gloriæ & splendoris expers repræsentaretur, vulgus boreale facillime venerabatur vel archangelos vel alios sanctos, qvi tam formæ ac fortitudinis præstantia qvam heroicis aut militaribus facinoribus claruerunt, ut tali effigie et adtributis decori multitudini in festis solennibus (per sacerdotis aut sacri poetæ oralem informationem vel artificis imaginariam imitationem) adparentes. Eorum qvidam celebrati fuerunt ut draconum & aliorum dæmonicorum monstrorum bellicosi percusfores; hi autem præcipui fuerunt:

1) *Michaël* archangelus, a primis Christianismi prædicatoribus summis laudibus elevatus. Sic de eo e. gr. Thangbrandus Saxo (anno 997) gentili Islando Hallo de Sida, illius festum summâ pompa celebrans, hæc inter alia retulit: "Michael homo non fuit sed genius, ab omnipotente Deo princeps aliorum angelorum constitutus, qvibus id negotii dedit ut contra diabolum ejusqve hostiles ministros militent, omnesqve christianos fideles spirituum noxiis telis protegant**). Michaeli qvoqve archangelo præcipua a Deo data est potestas in animas christianorum hominum ex hac vitâ decedentium, ut has excipiat et in excelsam Paradisi qvietem introducat, ubi ineffabilis lætitia & voluptas . . . . infinita salus et æterna vita. Ibi homines, qvi pura vita et justitia creatori suo servierunt, angelo-

*) *Viborg Danske Systematiske Plantenavne, Khavn* 1793. *Simon Paulli Danske Urtebog. Bioern. Haldorsonii Grasnytiar* 1783. *Zincke oecon. Lexicon* p. p. De pluribus similibus botanicorum nominum transformationibus cfr. artic. *Freya, Frigg.* s.

**) Nominibus mutatis omnia jam relata Odinianæ sectæ de Thoro persvasioni optimé convene-

rum ministerii consortes fiunt; eorum pulcritudo & splendor lucem solis superant. . . . . Eorum innumera multitudo in novem ordines divisa est, qvorum qvisqve peculiare ministerium a deo constitutum habet; alii in id constituti potestateqve aucti sunt, ut impugnent & profligent omnem efficaciam malignorum spirituum, qvi semper humano generi insidiantur et nocere cupiunt; alii morbos & mala adversasqve res hominibus defendunt, vicisfim perfectam salutem omnesqve alias res necesfarias et commodas mortalibus tribuentes" *). Ampla Norvegiæ spelunca, qvæ ex ethnico delubro in christianum templum mutata esfe fertur, jam vulgo dicitur *St. Mickels Kirke* ut alibi observavimus. In qvibusdam Scandinaviæ vetustisfimis templis cernitur imago illius archangeli draconem debellantis **). Certe autumnalis alicujus ethnicorum festi loco Michaelis festum originitus fuit institutum in borealibus terris (ut in meridionalibus primum tria talia in usu fuerunt, ejus victoriæ & apparationum memoriæ dicata). Eodem tempore rusticum Daniæ vulgus adhuc læta freqventat convivia qvæ vulgo autumnalia vel mesforia *(Höst-Gilde)* sed in Bornholmia Michaelia *(Mickelsgilde)* dicuntur. At Thorum olim in autumnali convivio a Norvegis festivis hymnis celebratum fuisfe supra observavimus ***); ejus generis convivia leges ethnicæ & primæ qvoqve christianæ (adhuc

runt, qvum nimirum pro Deo poneretur Odinus, pro Michaele Thorus, pro diabolo Lokius (Utgardensis) &c. — De seqventibus observandum qvod Finni & multi gentilium Islandorum speraverint sub Thori dominio in altera vitâ felici statu fructuri esfe, alii autem cum Odino, qvi suos habuit animarum deductores; at beatorum & Paradisi descriptiones Alforum lucidorum & Gimlii felicem magnificentiam in memoriam revocant. Porro novenaria angelorum & beatorum divisio gentilibus Scandinavorum ideis optime convenit; cfr. indicem nostrum in hujus Eddæ translat. Dan. IV, 338. Peculiaria angelorum ministeria (ut alioqvin Sanctorum, qvos Thangbrandus angelis vel geniis adunare videtur) ethnicis de Diis et heroibus ideis primo aspectu non multum fuerunt absimilia.

*) Historia Olai Tryggvini, translat. Egilsonii (1827) II, 183-184. Cfr. *Kristni-Saga* edit. Havn. p. 44; *Niála* pag. 157, ubi Hallus Michaëlem in suum tutelarem angelum (*Fylgiu-Engil*) elegisfe dicitur; cfr. *Fylgia* s.

**) In templo cathedrali Nidrosiense ubi ejus statua draconis rictui lanceam impingit; hæc effigies olim fuit pretiosis gemmis ornata. (Vid. *Klüwer Norske Mindesmærker; Christiania* 1823). In eodem tractu Thori cum dracone certamen olim fuerat magnopere celebratum.

***) De ethnico festo olim eo tempore in Germania celebrato, vid. *Reynitsch über Truhten und Truhtensteine* (1802) psg. 166 & seqv. Dicitur ibi qvondam dictum esfe *Mihiltag* (*Mikil*— vel *Michiltag* i. e. dies magnus vel etiam forum aut judicium magnum &c. — aut dies magni s: Dei? &c.). Describitur ibidem conventus rusticorum pagi *Wolfbaringen; aream lapidibus cinctâ*, ad *magnam arborem*, in *petrea ará*, tertio et ultimo die festi autumnalis (vulgo *Kirms* dicti) *vervex* mactari (et qvasi *sacrificari*) solet, cujus caro postea a congregatis comeditur. Præterea circa dictam aram conviviales socii certis vicibus ambire solent, virgas rosmarini manibus

existentes sed ineditæ) colonis Norvegiæ rite instituere severe mandaverunt.

2) Sanctus *Georgius*, heroicus ac christianus miles, draconis immanissimi victoriosa cæde clarus, hic & in vicinis terris in vulgi veneratione inter multos Thoro vel similibus idolis succesſit. Inter Græco-Romanos, ad christianismum conversos, freqventer cum Appolline, Theseo et talibus gentilismi heroibus non inepte est comparatus. Ejus festum incidit die 23 Aprilis, in id tempus qvo multi inter boreales veris vel æstivæ periodi adventum celebrare soluerunt e. gr. in Islandia et Finlandia; a Finnis vulgo hodiedum pro festo magno habetur et summo gaudio sed variis ethnicis ritibus celebratur; sic e. gr. conviviali ebrietate agitati viri ingentes clamores edere solent, at mulieres lacteas qvasdam libationes ad certas sacras arbores instituunt &c. In Scandinavia (qvantum scio) Sancti illius ac ejus festi religiosus cultus penitus obsoluit, at nihilominus ipsius ac draconis cædis effigies freqventer in variis picturis, sculpturis & fusilibus jam existentibus occurrit, ut is etiam ac dictum ejus facinus vulgari adhuc inter nostrates claret traditione. At hæc interdum adeo a prisco tenore est depravata, ut e. gr. a plebe Fioniæ *) in ista insula, non procul a Svenburgi oppido, cum dracone certavisſe narretur, in cujus rei testimonium soli portio monstratur, qvæ serpentis illius sangvine inqvineta nullam herbam producere qveat. In Dania et Svecia ejus nomen (ut Dan. *Jörgen*, Svec. *Jöran, Göran, Yrian)* pro virili proprio freqventisſime habetur, & nomina a Thoro deducta revera e magna parte expulisſe videtur. Audit idem Germanis vulgo *Jürgen*, qvibus etiam qvondam pro prisco qvodam gentilium numine receptus esſe putatur **). Præterea sanctus ille eqves magnopere

tenentes &c. Institutio, huic non absimilis, hodie qvoqve observata eodem et mediæ æstatis (St. Johannis) festo in Gilda unica Bornholmiæ insulæ superest, qvum fundi rurales, locaria tribuentes, eidem adhuc sint proprii. Cfr. *v. d. Hagen Irmin* p. 17 & *Mone* l. c. II, 55 (de Saxonum gentilium autumnali festo per triduum celebrato, cui Michaelis illud succesſit) cfr. ibid. p. 76-77 (de Frisiorum magno festo & civilibus comitiis). A tali festivitate September Anglosaxonibus dicebatur *Haleg-Monad* (sacrorum mensis); cfr. porro magnum Anglo-Saxonum conventum, dictum *Michelmot, Micklemot* (vid. *Remer Abriss des gesellsch. Lebens in Europa* pag. 250). Etiam in Scotia solent rustici eqvorum cursationes in areis circularibus, lapidibus cinctis, Michaëlis die instituere, e festivo borealium gentilium more (*Pennant Tour in Scotland* &c. 1772 pag. 259). In Germania eodem tempore a variis naturæ phænomenis auguria capiuntur; vid. *Gräter Idunna und Hermode* 1812 in Calendar. vet. ad Septembrem mensem.

*) *Rühs Finland und seine Bewohner* pag. 306. *Thiele* l. c. III, 40.

**) Sic laudatus Mone l. c. II, 57. — *Zu geschweigen dass das reichsritterschaftliche Wappen, der Drachentödter Georg, nichts anders als das Bild der christlich-veränderten Helden-Sage ist.* Cfr. *Du Cange Glosſar.* sub voce *Draco.*

cultus est tam ab Italis, Gallis & pl. qvam ab Anglis & Russis qvi (originitus forte Thori vel Peruni loco) eum regni proprii vel eqvestrium suorum ordinum insigniis addiderunt, unde etiam in Britannicis et Ruthenicis monetis ejus imago sæpissime conspicitur.

3) Sanctus Olavus, bellicosus qvondam Norvegiæ Rex, christianismi in eodem regno prædicator et armipotens stabilitor, in borealibus terris Thori loco qvondam manifeste receptus et cultus fuit, ut regni summus patronus, draconis infernalis et similium maris vel terræ monstrorum aut aliorum Trollorum (vel malorum dæmoniorum) freqvens victor &c. Qvo modo varii mythi, olim de Thoro tractantes, posterius de Sancto Olavo in Norvegia, Svecia & Dania sint enarrati, (ad artic. *Freya* ac alios et hunc qvoqve præsentem) indicare tentavimus. Thoro non absimilis herois illius statua adhuc etiam conspicitur, barba nimirum rutilante ac securi (mallei loco) armata & draconem vel Trollum qvemdam aut dæmonicum monstrum pedibus calcans. Permultæ locales Norvegorum traditiones, qvæ Olaum pro Thoro aut alio ethnico Deo substituerunt, annotari possint; sic e. gr. in Sunmoeria a rusticis monstratur vena albi marmoris, rupi maximæ indita, qvæ angvis speciem refert, et pro marino serpente, illuc a S. Olao *) jactato at posterius ita petrefacto habetur. Aliis locis cernuntur: petra sex ulnarum longitudine prædita, qvam contra gigantes jaculatus esse fertur; amplæ foveæ ab eo miraculose formatæ, ut navium stationi adcommodarentur; gigantes et oreades ejus mandato in lapides transmutati. In Dania, ac qvidem in insula *Thorseng* (Thori prato) S. Olaus traditur habuisse sacellum sibi dedicatum, e qvo ejus simulacrum, qvavis semente peracta, solenni processione circa fundos cujusvis coloni (vel pagi) qvondam deduci soluit, donec alicujus negligentiâ igni combureretur, ob qvam causam vicus Landeby (ubi hic casus accidit) fortunâ deinde destitutus esse putatur. Hæc Thori simulacri Norvegi-

*) *Ström Beskrivelse over Söndmör* II, 272, 309, 354. Memorabile S. Olai simulacrum vidit immortalis Linnæus in Scania ac ejus qvidem templo (*St, Olafs Kirka*). Præter adtributa illa vulgaria balteum gestavit qvatuor humanis calvis (ut Indici Sivæ torqves) instructum. Adstabat figura minor, longa veste induta, panduræ chordas impellens. Ad templum hocce situest fons pro saluberrimo habitus, S. Olai nomen gestans. Anno 1749 ipsius qvondam festo die concio publica in illo templo celebrabatur, cum multi (præsertim ægrotantes) id visitabant, ei vel sacerdoti pecuniarias oblationes adferebant, at sanati memoratum simulacrum in gratitudinis signum fasciis vel periscelidibus adornabant. *Skånska Resa* pag. 158-160. Cfr. *Mohr Isl. Nat. Hist.* pag. 367. Regum sanctorum reliqvorum boreæ regnorum S. Canuti (Daniæ) et S. Erici (Sveciæ) effigies interdum illi S. Olai formâ adsimilantur. Cfr. porro Eddæ hujus translat. Dan. II, 90-91.

cam processionem in memoriam revocant. Narrationes vulgi Sælandici ferunt S. Olaum Danicam hanc insulam aliqvando præternavigasse, cum oreas vel lamia qvædam ad pagum Skullelöv habitans (cfr. *Skuld* s.) illum alloqveretur; at heros, rupes ipsas transnavigare solitus, navem montano littori allisit, cum oreas ejus mandato in lapidem mutabatur (hodie qvoqve conspecta) at eodem momento fons rupe exsiliit, qvi adhuc Sancti Olai nomine insignitur. Alium Sælandiæ sacrum fontem a Thoro vel ejus ara nomen traxisse nos supra observavimus. Cantilenæ Danicæ medii ævi celebrant St. Olaum nave, tauri nomen ac formam ferente, trans montes et valles navigasse; adversarium, nave dracone simili vectum ac tandem in serpentem mutatum vicisse; gigantes in lapides (ut Thorus Trollos & Jupiter Cercopes) transformasse &c. qvæ omnia potius ethnicam qvam christianam originem manifeste produnt *).

4) Sancti Christophori legenda istum repræsentat ut virum giganteæ forma (qvi Christum aliqvando per ingens flumen humeris portaverit; cfr. Thori & Oervandilis fabulam). Sic ejus imago pro colossels veterum Deorum statuis facillime substitui potuit. Ea qvoqve ad nostros usqve dies unacum alia Sancti Georgii in templo oppidi Scaniensis Falsterbo (olim celebris emporii) die mediæ æstatis (qvondam ethnico festo) solenniter exponi solebat, dum ingens populi multitudo, e Dania & Svecia congregata, templum visitabat, larga pecuniaria dona offerens, ac preces pro propria vita & sanitate vel cognatorum navitarum fausto itinere fundens, at alii circa festivam arborem lætis choreis vel cursus certamine delectabantur **). Sic mores ethnicos ævo catholicæ ac tandem qvoqve reformatæ religionis adaptatos esse cernimus. Hunc articulum concludentes eam tantum annotationem addimus, qvod in Norvegiâ, — ubi olim Thori cultus maxime invaluit, — plures ejus terræ naturalis historiæ periti auctores observaverint fulmineas tempestates (grandinis sæpissime expertes) raro nocivas evadere, sed frugiferam plerumqve pluviam adferre ac ea ratione a ruricolis intense optari. Nihilominus fulminis ictu freqventer montanæ regionis celsissimæ rupes violenter feriuntur & diffinduntur, interdum modo ita singulari, ut recentiores qvoqve divini talis actionis directoris im-

*) *Thiele Danske Folkesagn* II, 47. I, 33, 170, 171. *Udvalgte Danske Viser* &c. *udg. af Abrahamson, Nyerup og Rahbek* II, 8-18, 339-341, ubi similes de S. Olao in Svecia traditiones vel cantilenarum fragmenta annotantur.

**) *Linnæi Skånska Resa* 1749, impressa 1751, pag. 160 & sq. Cfr. varia nomina ejusdem plantæ supra allata, qvæ primum in Norvegia Thoro & deinde St. Olavo at in Anglia St. Christo-

mediatam præsentiam inde concludant*). Hinc facillime patet Thori ut numinis hominibus benigni, at malis montanarum speluncarum dæmonibus hostilis, summa in priscâ Norvegia veneratio, inde in Islandiam translata, licet qvoqve vicinis gentibus antiqvitus e magna parte communis, ut cum omnibus iis remotisſimo tempore e remotis Asiæ partibus in Europam immigrata**). Cfr. *Ódinn, Sif, Járnsaxa, Módi, Magni* & pl. s. it. *Þrúdheimr, Þrúdur* ***), *Þrymr* í.

Þorinn (audax) Dvergus, Alfus sive genius elementalis *VSpá* 11. Dicitur *Svafur* ejus (vel cognominis alicujus gentii) filius esſe *Fiölsv. M.* 9. Thema nominis qværendum est in vocabulo *Þor* (n.) audacia, ausus, unde verbum Islandicum *Þora* audere (*Hyndl. L.* 40) jam Dan. *torde, turde (tör)*, Svec. *töras (torde)*, Germ. *dürfen (darff)*, M. Goth. *dauran*, Angl. *dare*, AS. *dearran, durran*, Lappon. *darjam*, Gr. θαρρεῖν.

Þráinn (pertinax vel adsiduus) Dvergus, Alfus sive genius elementalis *VSpá* 11. Is cum alio Daino Balderi somnia explicare tentat ex Hugini petito *Hr. G.* 3. Cfr. *Dáinn, Hugin.* De etymo nominis vid. Gloss. T.I. ad v. *Þrá*, (*at*) *þrá* (cfr. *Hym. Qv.* 2, *í þrá* crebro, adsidue), it. *Þrár* i.

Þrár (pertinax, obstinatus) Dvergus, Alfus sive genius elementalis *VSpá* 12 (Mbr. A. M. & Holm.) — Cfr. *Þráinn* s.

Þridi, Þriþi, Þridji (tertius) nomen Odini *Gr. M.* 45. Vid. *Hár* (*Háſi*), *Iafnhár* it. *Ódinn* s. Fabula junioris Eddæ ibidem allata, cum dicto et aliis Eddarum locis collata, monstrat Ódinum e veterum opinione simul sub tribus & pluribus personis apparuisſe, ut Indi eandem de Vishnuo (ac plures Græco-Romani poëtæ & philosophi de Jove) sententiam fovent. Illud *Þridi* mire consentit græco Jovis agno-

---

phoro fuit dedicata. Addimus tandem vetutistisſimam Danorum phrasin de numine qvodam vel genio, indubie Thoro, qvi verno tempore adpropinqvante *calidum lapidem aqvis injicere solet (kaster en varm Steen i Vandet)* cum scilicet glacies confracta liqvescere cernitur; — at jam Thori loco rusticum vulgus S. Petrum vel S. Matthiam ponit, cum horum festi dies qvondam circa ea tempora sint celebrati. Cfr. *Saga* s.

*) *Norsk topogr. Journal*, VII, 3 (de orientali) at XXIX, 22 (de occidentali regni parte). *Wilse Beskriv. over Spydeb. Prgd.* I, 34 describens terribilisſimum fulminis ictum qvo rupes ingens diffindebatur p. p. ac ultimo loco addens: "momentanei hujus facinoris perpetrator ipse fuit omnipotens Deus."

**) Odinianæ relligionis sectam in America ad seculum usqve 17^mum^ exstitisſe, verimile apparet ut suo loco (immortali Alexandro Humboldtio præcipuo duce) monstrare tentavimus. Num Thorus noster reverâ, qvo ad originem, aliqvid commune habuerit cum permultorum Americæ indigenarum maximo fulminatore (*Tou-pan*), Virginianorum *Okke*, Irokesorum *Tharon* &c. aliis disqvirendum linqvimus.

***) Plura Thori epitheta, ex hac voce derivanda, qvæ nos supra (ut proprie adjectiva vel pluribus vocabulis consistentia) non memoravimus, infra suo loco adferemus.

mini τριτος, cujus veram significantiam clarisfimi nostri ævi philologi sibi latere confitentur *). Illud Odini agnomen occurrit in variis gentilis ævi poëtarum cantilenis e. gr. Halfredi (sec. 10, Skalda pag. 96) ubi Tellus appellatur: ambita Thridii (Odini) uxor, frondibus comata**); (Cfr. *Frigg, Jörd, Sif* s.). Mythum junioris Eddæ de Hare, Jafnhare & Thridio alibi explicare tentavimus de Sole, Luno & Cælo (qvi Indicis poëtis Tridiva audit)***). Ipsius vocis multa europæa, græca ac asiatica parallela adhibent Glosfaria T. II[di]; addas tamen Svec. *Tredje.*

Þrór, Þrórr agnomen *Odini* (conventus freqventantis) *Gr. M.* 47, fortis, robustus vel etiam augustus, amplificans, alens, a verbo *Þróa* augere, alere, amplificare, unde jam usitatum *Þróaz* crescere &c. Cfr. Gl. T. I. Ei cognatum *Þróttr* (proprie vigor, fortitudo, vid. Gl. T. I & II[di]) alioqvin pro Odini poëtico nomine habetur, nisi idem sic ac *Þroptr* (incertæ significationis) qvod in talium denominationum alphabetica collectione notavimus; vid. artic. *Ódinn* s. Cfr. Gloss. T. I. v *Þróttavfivgr* (robore pollens) qvod ut Thori epithetum occurrit *Hým. Qv.* 39. Cfr.:

Þrór, Þrórr, Dvergus, Alfus sive genius elementalis *VSpá* 11. De nominis etymologiâ vid. articulum proxime præcedentem.

Þrúdgelmir (fortis, firmus aut compactus senex vel priscæ aut pervetustæ firmitudinis dæmon) Titan sive gigas cosmogonicus. *Vafþr. M.* 29. De ejus stirpe & allegorica significantiâ vid. *Berggemlir* s. Cfr. transl. Dan. I, 109 & *Eddalæren o. d. O.* I, 250-251. De priore vocis etymo vid. *Þrúdur* i, at posterius deductum est a voce *Gamall* vetustus, antiqvus (de qvo Gl. T. II). Cfr. *Ýmir* s. *Örgemlir* i.

Þrúdhamar, Þrúþhamarr fortis, firmus vel compactus malleus; ita Thorus Mioelnerem i. e. fulmen ipsum appellat *Aeg. dr.* 58. De priore vocis etymo vid. *Þrúdvr* i. et *Hamar* malleus, tudes, de qvo Gl. T. I & II. Adde Svec. *Hammar* (*Ham-*

*) Vid. e. gr. *F. G. Welcker*: *Die Aeschylische Trilogie Prometheus* &c. 1824 pag. 101, 702. Conjicitur ita duorum aliorum (Plutonis & Neptuni?) Deorum respectu nominari. Numne etiam ea denominatio alludere potest ad ordinem chronologicum trium veterrimorum mundi regnatorum (Coelus Ουρανος — Saturnus Κρονος — Jupiter Ζευς)? Sic qvoqve Odinus sui generis tertius fuit, per has nimirum generationes: *Buri Bör-Ódinn.*

**) *Barrhaddada bidqvan Þridja.* Hoc Fragmentum certe desumtum est ex Hallfredi (ethnicæ relligioni dediti) carmine encomiastico in Haconem Sigurdinum, Norvegiæ principem, qvod confecisse memoratur *Saga Ol. Tr.* ed. Havn. II, 15. Vates ille mythologiæ veteris peritisfimus fuit, at posterius, christianus factus, ejus poëtico usu invitus abstinere cogebatur, ut alibi observavimus.

***) *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 380-384 (& sq.) cfr. *Amara-cosham* Indorum in coeli denominationibus. Doctiss. *Trautvetter* Harem pro genio æstivi at Thridium pro hiberni solstitii, Jafnharem autem pro utroqve æqvinocti ali accipit.

mare, plur. ut in Isl. *Hamrar*), German. & Angl. *Hammer*.

Þrúdheimr, *Þrúþheimr* fortitudinis regio sive habitaculum, ubi Thorus manebit (vel apparebit) usqve ad elementorum disſolutionem, vel naturæ numinum interitum *Gr. M.* 4. In Edda juniore (plurali numero) regnum ejus vocatur *Þrúdvángar* (pag. 25, 61, 110) ubi aula ejus Bilskirner sita. Primo hic allato loco opponitur Asarum & (mundi nostri) lucidorum Alforum domiciliis (i. e. cælo astrali) at tamen iis propinqva esſe dicitur. Cum autem fulmen, ut jam probavimus, *Þrúdhamar* appelletur at Thorus ipse *Þrúdmódgr*, *Þrúdvalldr* & pl. fulmineæ tempestatis regionem i. e. aërem vel atmosphæram (Midgardiæ partem) eâ voce subintelligi opinamur. Cum autem auctor Ynglinga-Sagæ (Cap. 5) cælestia vel aërea loca suo more in terra ponat, is Thrudvangum (in singulari numero) similiter in Svecia collocat, Thorum inter plures Divos templi antistitem (vel hierarcham aut sacerdotem, civili simul jurisdictione fungentem) fuisſe refert. At prologus apocryphus Eddæ junioris (pag. 12) Thrudheimum non meliore jure pro Thracia sumit, ut supra monstravimus in artic. *Þór*. De vocis etymis vid. *Þrúdur* i. nec non Gloſſ. T. I. & II. v. *Heimr*.

Þrúdmódgr
Þrúdvalldr
Þrúdvgr
} vid. *Þrúdvr*.

Þrúdvr, *Þrúdur*, *Þrúþr* (proprie at obsolete fortitudo, firmitudo); sic vocatur Valkyria qvædam sive bellica nympha in Odini aulâ *Gr. M.* 36. Edd. jun. p. 39. Incertum nobis apparet num hæc Thruda eadem sit ac illa, qvæ in Skalda dicitur filia Thori (pag. 101) cui fragmentum Eysteinis Valdiani (gentilis poëtæ) pervetusti carminis asſentit & porro filia (Thori uxoris) Sifæ (pag. 119). Videtur (cum postrema Ranâ) Asyniis adnumerari vel potius postponi, in versibus memorialibus Skaldæ (pag. 212). Ea forte illa Thori gnata, qvam Alvis Dvergus desponsaverat, patre inscio & absente, ac posterius illam pactionem improbante, de qvo istorum colloqvio melos Alvisianum agit. Hic ea dicitur virgo juvenis (6), nitide splendens aut candescens (5) & alio loco nivis instar candida (6). Procus a Thoro confabulatione detinetur, donec is diurna vel solari luce in lapidem transmutatur. Cfr. *Alvíss*, *Þór* s. Cum respiciamus nomina Thori filiorum *Módi* (animosus, vegétus) et *Magni* (fortis, validus, potens) allegoricæ ambos naturæ esſe indubie indicantia, Thrudam ejusdem indolis esſe tuto concludimus; idem qvoqve de alumna Thori Lora, nec non de ipsius famulitio (Thialfio & Roskua) est dicendum. Sic Thruda revera originitus nil aliud fuit qvam efficax Thori potentia, verno & æstivo tempore ex eo emanans, ac allegorice ejus et Sifæ vel Telluris filia dicta. Hanc tamen subterranei dæmones, tenebris ac frigori adsveti, ambire vel in inferum mundum detrahere conantur, sed penitus frustra cum

fulminatore et æstivo Sole revertente fugentur vel annihilentur, qvæ omnia poëtarum fictiones vulgari superstitioni figurate adaptarunt. Hinc igitur Dea, nympha sive Valkyria Thruda. Vocabulum *Þrúda, Þrúdur* jam in Islandico sermone nympham qvamvis vel dryadem potest denotare; sic qvoqve collective de nymphis bellicis vel Parcis (Valkyriis aut Nornis) pluralem *Þrúdar* positum invenimus in inscriptione poëtica ac runica lapidis Karleviensis*) in Oelandia. Est recentiorum Germanorum & Danorum *Drude, Drud, Drut*, Gothlandensium *Druda*, Færoensium *Trut*, qvod jam tamen (nympharum veterum loco) de vagis mulieribus, veneficis vel lamiis nocturnis sumitur. In Islandia nomen *Þrúdur* adhuc pro proprio muliebri usitatur, uti etiam (seculo certe 17^mo^) Danicum *Drude*. In compositis porro occurrit apud dictas gentes, ut etiam Svecos, Germanos & pl. e. gr. in Isl. *Jard-Þrúdur*, exterorum *Ger-thrude* &c. Circa etymon cfr. adj. *Þrúdugr* (obsolete *Þrúdr* m.) validus, robustus, fortitudine pollens; Cambro-Brit. *drud*, AS. *Þryðlic* & pl.

Þrymgjöll, Þrimgiavll allegorica qvædam crates sive porta aut foris, fabricata a tribus Solblindii filiis; at "compes affigitur cuiqve viatori, qvi istam levat ab ostio." Dicitur porro inter Deos (vel Deorum sacerdotes? — *goþom*) maximus dolus sive artificiosisfima machina esfe. *Fiölsv. M.* 10-11. Verterunt interpretes "tonitrui in modum resonans" vocis particulam primam non improbabiliter deducentes a *Þruma* tonitru & *giallr* sonorus, at tamen hoc respectu adduci posfet verbum *Þruma* adsiduo incubare, hærere, permanere, inniti &c. (*Fiölsv. M.* 36, *Gr. M.* 8, *Hdva M.* 13, 30; vid. Gl. T. I &

*) Nomen loci *Karlevi* (olim *Karlave* vel *Karlavi*) certe significat virorum sanctuarium, delubrum aut coemeterium. Prior inscriptionis illius pars ita sonat:

Fólgin liggr hins fulgdu
Fleirstr visfi þat meistar
Deidir dólga þrúdar
Draugr í þeimsi haugi.

o: *Deydir dólga, hin's* [*hinn es*] *meistar* [*meirstar, mestar*] *þrúdar fulgdu* [*fylgdu*] — *þat visfi fleirstr — liggr fólgin draugr í þeimsi haugi.* o:

Jacet reconditus ille
Hostium interemtor, qvem (ut plurimi sciveruut)
Maximæ [tutelares] bellonæ secutæ fuerant
Defunctus (dæmon) in hocce tumulo.

Cfr. doctiss. Lilliegren commentationem de runicarum inscriptionum poësi, in scriptis societ. lit. Scand. Vol. XVII. Cfr. *Dis, Fylgia, Hamingia, Norn, Valkyria.* Posterior pars poëtici illius epitaphii (metro talibus rarius usitato compositi) vix sec. 10^mi^ junioris (potius forte antiqvioris) monstrat fortem illum bellatorem e Dania & Vendilia qvidem (jam *Vendsyssel*) oriundum fuisfe, at Oelandiæ imperinm frustra adpetentem occubuisfe.

III) et *giallr* splendidus, fulgidus; nisi revera originitus illud *giöl* vel *giöll* derivari debuerit a verbo *gæla (giöla)* mulcere, delectare, qvod qvidem potisſime suspicamur. Porro illud *Þrim* vel *Þrym* referri potest ad etymon *Þremr* limen. At qvoad hanc etymologiam observari meret duplex illarum dicti carminis constans fere allusio, nimirum a) ad arcem Deorum vel divini cultus, i. e. delubrum cum luco sacro; ubi festa ethnica variis jocis & ritibus (qvibus numinum, præsertim Cæli ac Telluris vel Veris & Floræ, ut latine loqvamur, annui amores vel ἱεροι γαμοι interdum repræsentabantur) celebrari soluerunt, et simul qvoqve b) ad res hominum eroticas, in dramaticis illis actionibus, simili occasione ad nostra usqve tempora imitatas. Cfr. vers, Dan. III. 40 sq. 59 & sq. it. art. *Fiölsvidr, Menglöd, Sólblindi, Svipdagr* s.

Þrymheimr, sexta inter cælestes regiones sive domicilia, ubi antea habitavit Thiaſſius, prævalidus gigas, at deinde filia ejus Skadea, in Dearum numerum recepta *Gr. M.* 11. — Vocatur qvoqve in Edda juniore (l. c. pag. 27-28) *Þrym-heimr, Þrumheimr.* Denotat signum zodiacale, qvod vulgo *Taurus* dicitur, et mensem ei in anni cursu respondentem. Vid. *Skadi, Þiaſſi* s. Prius nominis etymon est indubie vox *Þruma* tonitru (qvod illo mense iterum audiri coepit in septentrionalibus terris) Angl. *Thrum* &c. Cfr. Gloſ. T. II. & art. *Þór* s. De posteriore *Heimr* vid. Gl. T. I. & II.

Þrymr gigas præpotens, celebratus carmine eddico, *Þryms-qvida* vel *Hamars-heimt* dicto. Is (hyemali tempore) fulminantem Thori malleum, Deo somnum capiente aufert ac octo Rastis (sive milliaribus) subter tellure abscondit; declaravit qvoqve Lokio, de re eâ sciscitanti, qvod nemo illum malleum inde recuperaverit, nisi Freya ei in nuptias adduceretur *Þr. Qv.* 1, 7-8, 11. Vocatur Thursorum (gigantum) dominus vel dynastes, residens in Jotunheimis (alias Utgardis) interdum sedens in editiore tumulo, e veterum principum & magnatum more, aureos torqves torqvens canibus suis (venatoriis) at eqvis jubam tondendo concinnans 4, 5, 11, 9, 22. Nisi Thorus Mioelnerem recuperaret, ilico gigantes (sub Thrymi auspiciis) Asgardum occupavissent et inhabitaſſent 18 (cfr. *Harb. L.* 22). Thorus igitur Freyæ at Lokius ejus ancillæ vestitu se induit, et ad Thrymi habitaculum, eum illusuri, curru vehebantur; vid. *Freya, Loki, Þór* s. Thrymus fictitiæ illius Freyæ adpropinqvante adventu maxime lætatur ac Jotnos igitur hortatur surgere, ut scamna sternerent ac divinam sponsam ei adducerent 22. Interim hoc suo succesſu ovans suam exaltat felicitatem atqve amplas posſeſſiones, vaccas nempe cornua auratas*), boves usqveqvaqve nigros ac abundantiam cimeliorum

*) Terræ maxime boreales, qvæ a Jotnorum sobole & cultoribus ac ipsis qvoqve gigantibus ex

& monilium *) — unico insuper, ex ejus sententiâ, beatitudinis defectu (Freyæ connubii) mox tollendo 23. Mature nuptiali vespere hospites congregabantur ad lautum convivium; at Thrymus sponsæ nimiam voracitatem ac temulentiam et deinde ejus flammeum visum magnopere miratur, qvæ tamen omnia Lokius, ut personatæ sponsæ famula, callidisfime excusat 24–28. Mandavit igitur Thrymus Mioelnerem intro ferri ac super Freyæ genua collocare, ut nova nupta (sacra ejus flammâ adhibita) rite consecraretur & amantes in conjugium Varæ (pronubâ) manu ita simul initiarentur 30 (cfr. *Miölnir* s.). At Thorus, malleum agnoscens, ipsum statim arripuit, ac ejus ope primum ipsum Thrymum percusfit atqve deinde omne ejus giganteum genus ad necem comminuit 31–32. Nomen *þrymr* deducendun est a voce *þruma* tonitru (qvod certo modo furto abstulisfe dicitur) at vocabulum illud olim qvoqve videtur significavisfe qvemcunqve vehementem fremitum e. gr. hyemalis tempestatis, qvæ Thrymi indoli et imperio arctisfime convenit. Cfr. AS. *trum* firmus, fortis, gravis.

Fabula, eddico illo carmine decantata, in recentioribus (at medio ævo debitis) Danorum, Norvegorum & Svecorum cantilenis celebratur, ut prolixe monstravimus in nostra introductione & notis ad illius Danicam versionem (II, 94–101, 117 & sq.) qvæ hic non repetere vacat **). Notamus tamen ipsum Thrymum Svecico carmine appellari *Trolle Tram* (i. e. *Tröll þrymr* vel *Trölla þrymr*, Trollus vel gigas Thrymus, qvod nomen recentioribus censebatur idem esfe ac aliud magis

atavorum nostrorum opinione inhabitabantur, agricultura carent & pecorum tantum sustentationi aptæ sunt. Cfr. artic. *Tröll* s. de voce *Jötunuxi* (bos giganteus). De vaccis cornua auratis cfr. artic. *Sigurlinn* s.

*) Gigantum divitiæ tam posfunt alludere ad auroræ borealis aurea & glaciei chrystallinæ splendidisfima phænomena, qvam ad montanas aurifodinas. "E borea aurum" fuit pervetusta orientalium sententia.

**) Est Danica illa cantilena inserta collectioni Petri Syvii Part. I No. 22 & Nyerupii *Udvalg af Danske Viser* (1821) II, 188. Communicavit qvoqve Syvius tres primas strophas Norvegicæ alius, illi respondentis, in notis additis. At Svecica cantilena in scripto periodico Idunna (1820) VIII, 122 & sq., doctis Schrœderi annotationibus est illustrata. Incipit ita Danica illa:

Det var Tord af Hafsgaard (rite legendum: *Thor af Asgaard*)
Rider over de grönne Enge,
Der tabte han sin Hammer af Guld,
Og borte var den saa længe.

i. e. Thorus ille de Asgardiâ
Eqvitavit (vehebatur) per (super) viridia prata,
Ibi deperdidit aureum suum malleum,
Qvi postea diu ei abfuit.

Is in Svecicâ vocatur: *Thor-Kar* (it. *Thorér*) at in Norvegicâ *Thore Kal* vid. *Þór*. Pro Danico *Hafsgaard* Norvegica habet *Asgaal* (vel *Asgaard*, e dialectica pronuntiationis variatione).

notum *Tram, Trame* dæmon malus; vid. *Tramar* s. In Danico carmine is vocatur *Tosse-Greve* i. e. Thusforum (sive Thursorum) dynastes (e singulari explicatione vocis eddicæ *Þusfa-drottin*) et Trollis simul adnumeratur; (cfr. *Þurs* i.). In Norvegico simpliciter *Jotul* (vel *jotun, jötun*)| i. e. gigas nominari fertur.

Hunc gigantem ejusdem originitus physicæ indolis fuisse ac Harbardum, Hrungnerem, Thiassium, Hymerem, Hræsvelgum, Hrimthursos & pl. (qvam suis locis monstravimus) nemo dubitabit. Cfr. porro artic. *Freya* s. Simili modo veteres Caledonici Bardi magis aperte hyemem describunt ut crudelem tyrannum, tellurem devastantem, at tamen a Sole (invicto) tandem fortiter debellato. Plures recentiores poëtæ hyemis dæmonem pro vero gigante accipiunt, ut revera epitheta Boreæ (vel Aqvilonis) hyemis ac frigoris a Græco-Romanis usitata, ab illis, qvæ nostræ vetustatis vates suis gigantibus adhibuerunt, non multum abludunt. *). Cfr. *Þór* s. **).

Þudr, Þuþr Odini adscitium nomen *Gr. M.* 45 "forte variatum a *Þundr* qvod notum illius est vocabulum, aut a *Þunnr* tenuis, gracilis, aut deniqve a *Þýdr* comis, commodus, civilis" Gl. T. I. Certe tenuis epitheton Odino ut aëris numini contingere potuit. At vox *Þunnr* est Dan. *tynd*, Svec. *tunn*, Germ. *dünn*, Belg. *dunn*, Angl. *thin*, AS. *Þyn, Þynne*, C. Brit. *tene, tenau*, Armor. *tanau*, Hibern *tana*, Lat. *tenuis*, Gr. *τνυος, τνυγος*, Pers. *tend*, Slav. *tonko, tonku*, Sin. *tuon*. Cfr. *Þundr* i.

Þul vid. *Fimbul-Þul.*

Þundr, nomen Odini adscitium *Gr. M.* 53 *Hàva M.* 148. Aut est derivandum a verbo *Þenia* tendere, pandere, de cælo expanso vel ejus expanditore — aut etiam de fulminis Deo, patre vel primario auctore (ex antiqvissima Odinianæ sectæ sententiâ); Cfr. *Ódinn, Þór* s. Verbum vetustissimum *Þenia* est alioqvin Germ. *dehnen*, AS. *Þenian*, Pers. *teniden*, Gr. *τεῖνω, ταννω, ταννμι* &c. Cfr. Gl. T. I & *Þudr* s.

Þurs, Þuss (recent. *Þussi*) freqventissime gigas in genere (alioqvin *Jötun* ut monstrat *Þrymsqvida* multis locis, appellans Thrymum Thursorum dominum vel dynastem at tamen in Jotunheimis Jotnis imperantem ac ipsum qvoqve Jotunum vocatum e. gr. ltr. 5, 6, 24, 28 p. p.). Oreades vel giganteæ mulieres Thurso-

*) Vid. e. gr. *Gallische Alterthümer* I, 135, & celeberrimi Thomsonii poëma qvod hyems inscribitur (inter qvatuor anni tempora ab eo decantata) it. Ovidium de Borea, Metam VI, 685 & sq.

**) Longe a mythico hocce Thrymo diversus est Rex vetustus Agdarum, Norvegiæ regionis, e cujus posteris dicitur fuisse Ketillus qvidam, cognomine *Þrymr*, in prædio Thruma habitans. Is vel aliqvis cognominis ejus posterorum inter primos Islandiæ incolas, e Norvegia emigratus memoratur.

rum fœminæ esse innuuntur. *(Gýgiur oc þursar) Hr. G.* 25; cfr. *Gýgur* s. Hinc mons dici videtur giganteæ gentis sedes (*þursa þiódar seót*) *Fjölsv. M.* 1. Vocatur Thorus Thursorum cædis promtus auctor *(þurs rádbani*) *Hym. Qv.* 19. Hyemis ac frigoris elementales dæmones junctim appellantur *Hrím-þursar (Hrímþurs)* *) q. v. Unus eorum, aut Noervius gigas (Noctis pater) aut etiam Lokius Utgardensis vocatur (eodem sensu) *þurs hrímkaldr,* Gigas frigidus gelu producens (vel glacie gelidus) cujus impulsu vel jussu qvalibet nocte, ex Elivagis, (frigidis oceani vel inferni aqvis) ab oriente accedit spinea virgula super inclytam (vel præstantem) Midgardiam (tellurem vel ejus atmosphæram) qva Dainus (soporifer) cunctas gentes ferit; tum torpescunt vigores, dejiciuntur (vel decidunt) hominum manus, vacillat a vertigine ipse Deus ensiger albus (Heimdallus), at mentis perturbatrix (Nox somnum adferens) pellit omnes animi agitationes ac qvamcunqve vegetam actionem *Hr. G.* 13–14, observ. 56 (Vers. Dan. II, 223–24, 235–36). Cfr. *Dáiun, Elivagar* s. In specie ita vocari videntur gigantes vel mali dæmones, singulari monstrositate insignes e. gr. unus triceps *Sk. F.* 31 (cfr. *Hrímgrímnir* s.) it. *Hym. Qv.* 35 et alius nomine *Lodinn* (hirsutus) in insula Tholleya (Norvegiæ borealis) habitans, saxicolarum pessimus *H.* I, 42. Nihilominus luridus Dvergus sive obscurus Alfus, Alvis nomine, a Thoro Thursi formâ vel colore similis esse dicitur, ac se qvoqve ipse refert sub terrâ & saxo habitare. *Alv. M.* 2–3. Tres præpotentes giganteæ virgines vel mulieres (*þursameyar*) adveniunt ad Deorum coetum e Jotunheimis ac aureæ ætati finem facere innuuntur *V.Spá* 8 cum obs. cfr. vers. Dan. I, 57 it. *Vafþr. M.* 49 ubi Nornæ apud Jotnos enutriri dicuntur et *VSpá* 2, si Vala Nornæ nomine loqvatur. Inferiores certe ordinis Thursorum puellæ (*þursameyar*) in Vestro-Gothia virum evirasse feruntur (in fictitiis convitiis) H. II, 36. Exspectant vel desiderant Thursi (vel gigantes in genere) Balderi fatalem cædem vel Deorum ac mundi exitium *Hr. G.* 1. Vala (vel Sybilla) infernalis (forte *Angurbodi* q. v.) has clades vaticinans, vocatur ab Odino trium Thursorum (vel giganteorum monstrorum) mater *Vegt. Qv.* 18. Cfr. *Vala, Vegtamr* s. Memoratur character Runicus (sive littera) olim *þ*, vulgo *þurs* appellatus, in magica inscriptione vel incisurâ maxime nocivus putatus Sk. 36 (cfr. *þór* s.) **). — *þurs* per se positum in juniore Edda vix invenitur,

*) Addimus notæ, ei articulo annexæ, de vocis *Hrím* secundaria significatione (de fuligine nimirum sumtâ) qvod præter illud recentius Norvegorum *Rim* vocabulum *Hrym, Hryme* eodem qvoqve sensu qvondam in Anglosaxonico sermone interdum usitatum fuerit.

**) Littera ista runica qvondam qvoqve Islandis est circumscripta *kletta íbúi* (rupium incola). Hinc hic versiculus: *þuss veldr qvenna qvillu*, o: "malus dæmon mulierum morbos

at sæpe in compositis *Hrim-þurs* q. v. In Jotunheimis sive Utgardis Gigantes vel Thursi plurimi habitabant, qvi tamen alioqvin vocantur *Jötnar*, *Tröll* & pl. Saxo Grammaticus ê vetustis cantilenis de expeditionibus Gormonis Haraldini, Daniæ Regis ac ejus ducis, Thorkilli, ad hyperboream Utgardorum partem prolixas composuit relationes. Vocat Saxo dictam regionem *Geruthi sedes* i. e. Eddæ junioris *Geirraudar-gardar;* cfr. *Þór* s. qvorum tamen fama a Tilensibus (i. e. Islandis vel hic verisimiliter potius Norvegis) Danis fuit accepta. "Incredibilia ab eis super opum inibi congestarum magnitudine jactabantur, sed iter omnium refertum periculo ac pene mortalibus inyium ferebatur. Ambitorem namqve terrarum oceanum navigandum, solem postponendum ac sidera, sub chao peregrinandum, ac demum in loca lucis expertia jugibusqve tenebris obnoxia transeundum, expertorum assertione constabat . . Trecentis cum Rege votum nuncupantibus autorem famæ Thorkillum itineris ducem assumi placuit, utpote locorum gnarum peritumqve adeundi regionis ejus." Tres deinde liburnæ ad periculosam hancce navigationem singulari apparatu instruebantur. Halogiam (borealis Norvegiæ) primum appellebant. Deinde post aliqvot dierum tempestuosam navigationem venerunt ad aliam insulam, ubi armenta nimis multa capiebant, ut victum inde qværerent, qvod e Thorkilli admonitione "Diis loci præsidibus" displicuit. "Nocte inseqventi monstra littori involantia ac toto concrepantia nemore conclusas obsedere puppes. Qvorum unum, cæteris grandius, ingenti fuste armatum, profundum passibus emetiebatur. Idem propius admodum vociferri coepit, non ante enavigaturos, qvam fusi gregis injuriam expiando, viris pro navium numero traditis, divini pecoris damna pensassent. Cujus minis obsecutus Thorkillus, ut universorum incolumitatem paucorum discrimine tueretur, tres sorte denotatos exhibuit. Qvo facto optato vento excepti in ulteriorem Biarmiam navigant." Hæc regio describitur ut maxime inferax ac perpetue nivosa. "Illic Thorkillus subductis navibus tendi in littore jubet, eo loci perventum adstruens unde brevis ad Geruthum transitus foret." Seqvitur fabula de Guthmundo *) Geruthi fratre, viro inusitatæ magnitudinis, viatores visitante, ad suum domicilium invitante et curriculis excipiente. "Procedentibus amnis aureo

efficit", forte ad illum Skirneriani itineris locum alludens. Cfr. Augustini Dusios, dæmones malos & libidinosos.

*) Vel Gudmundo (divino cultu a suis honorato) habitante in Glæsisvallis (splendidis immortalium campis) e fabulosis aliorum narrationibus in Biarmia vel Finnia sitis. Vid. *Eddalæren o. d. Opr.* IV, 233-36, 296-97, cfr. 229 sq. it *Hervarar-Saga* Cap. I, l. c. pag. 1-5.

ponte *) permeabilis cernitur. Cujus transeundi cupidos a proposito revocavit, docens eo alveo humana â monstrosis rerum secrevisse naturam, nec mortalibus ultra fas esse vestigiis. Subinde ad ipsa ductoris penetralia pervenitur." Seqvuntur multa de variis Gudmundi illecebris fraudulentis at (Thorkillo socios admonente) e maxima parte frustraneis, cum horum plurimi ab ejus oblatis bellariis, potu, pomis & pulcris mulieribus **) prudenter abstinebant, ne pristinâ rerum memoria ac ipsâ ratione spoliarentur & perpetua cum monstrosis dæmonibus communione degerent. Tandem Gudmundus cunctos in ulteriorem fluminis ripam transvectos iter exseqvi passus est. "Progressi atrum incultumqve oppidum vaporanti maxime nubi simile, haud procul abesse prospectant. Pali propugnaculis intersiti desecta virorum capita præferebant. Eximiæ ferocitatis canes tuentes aditum præ foribus excubare conspecti . . . . Superne portarum introitus patuit. Qvem scalis æqvantes arduo potiuntur ingressu. Atræ deintus informesqve larvæ conferserant urbem. Qvorum perstrepentes imagines aspicere horridius an audire fuerit, nescias." Deinde conclave saxeum, cui Geruthum fama erat pro regiâ assvevisse, reperiunt. AEdem deinde ingrediebantur, qvæ "deintus obsoleta per totum ac vi teterrimi vaporis offusa, cunctorum qvibus oculus aut mens offendi poterat uberrima cernebatur. Postes longæva fuligine illiti, obductus illuvie paries, compactum e spiculis tectum, instratum colubris pavimentum atqve omni sordium genere respersum inusitato advenas spectaculo terruerunt. Super omnia perpetui fætoris asperitas tristes lacessebat olfactus. Exsangvia qvoqve monstrorum simulacra ferreas oneraverant sedes, deniqve consessuum loca plumbeæ crates secreverant, liminibus horrendæ janitorum excubiæ præerant. Qvorum alii confertis fustibus obstrepentes, alii mutua caprigeni tergoris agitatione deformem edidere lusum" ***) De ipso Geirrodi & gigantearum ejus filiarum horrendo aspectu, vid. art. *Þórs*. Seqvitur descriptio splendidissimorum cimeliorum, qvæ Thorkillus socios tangere prohibuit, at tamen frustra, sed tum transformabatur pretiosa armilla in angvem venenatum, cornu bubali gemmis ornatum in draconem ac "dens inusitatæ belluæ [rosmari] auro præditus" in en-

*) Hic aureus pons in juniore Edda vocatur *Giallarbrú* vel *Giallæ* (amnis) pons, inferas regiones a mundo superiore separans. Vid. *Giöll, Baldur, Ifing* s.

**) Hæc Glæsisvallorum beatitudinem in memoriam revocant, qvam auctor fabulæ, veteris Finnicæ relligionis (ut videtur) strenuus adversarius ut penitus falsam, fictitiam ac nocivam describere conatur.

***) Talis ludus in fabulis medii ævi Islandorum dicitur *Hráskinnsleikr* ac a Thursis in eorum conviviis exercitus esse fertur. *Saga Gésts Bárdarsonar* Cap. 3. ed. Hol. pag. 174.

sem acutum, qvæ prodigia raptores statim interemerunt. Similia fere de inventi præstantissimi armarii, thesaurarii ac vestiarii contentis referuntur, qveis ab ipso Thorkillo et sociis ex ejus exemplo imprudenter contrectatis "penetralia ab imis concussa sedibus inopinatæ fluctuationis modo trepidare coeperunt. Subinde a fæminis conclamatum, æqvo diutius infandos tolerari prædones. Igitur qvi prius semineces expertiaqve vitæ simulacra putabantur, perinde ac fæminarum vocibus obsecuti, e suis repente sedibus dissultantes vehementi incursu advenas appetebant. Cætera raucos extulere mugitus." Hinc pugna acerrima orta, e qvâ viginti solos e Regis comitatu sagittariæ artis peritia servavit; cæteri laniatui fuerunt monstris. Reversi illi Gudmundum visitabant, "cujus unam filiam Buchi, fortis Regis miles, irrevocabili amore complectebatur, statim pristinum memoriæ habitum perdens; at regem tamen honestatis causa proseqvens ac vadum curriculo transiturus, altius desidentibus rotis vi vorticum implicatus absumitur." Rex illinc navigans valde cum suis mari periclitabatur; tandem "ad vota superis nuncupanda confugit" extremæ necessitatis præsidium in Deorum ope consistere judicans. Deniqve aliis (sociis) varias deorum potentias exorantibus ac diversæ numinum majestati rem divinam fieri oportere censentibus, ipse *Ugarthi-Lokum* (i. e. Utgardensem Lokium; cfr. *Loki s.*) votis pariter ac propitiamentis aggressus, prosperam exoptati sideris temperiem assecutus est," ac posterius domum feliciter reversus.

Idem Rex "qvum probabilibus qvorundam argumentis animos immortales esse compertum haberet, qvasnam sedes esset exuto membris spiritu petiturus aut qvid præmii propensa numinum veneratio mereretur, cogitatione secum varia disqvirebat *)" Ex aliorum consilio Thorkillus igitur ad Ugarthilocum propitiandum vel ejus oracula expetenda, a Rege emittebatur. In ista navigatione iterum "pervenere loca, ubi regio solis inops, ignara siderum nec diurni luminis capax "perpetuæ noctis specie caligabat. In insula qvâdam, ignem ibi flagrantem spectatum secuti, offenderunt arctarum faucium specum (Geruthianæ illi intus parum absimilem) qvam ingressus Thorkillus duos eximiæ granditatis aqvilos conspicatur, corneis naribus, contracta qvæ fors obtulerat igni nutrimenta præstantes . . . Tum gigantum alter salutatum eum rem conatu præarduam orsum esse dicebat, *inusitati numinis* adeundi cupiditate fla-

*) Dicitur Rex e Svecia matrimonio petito superioris studii habitum otii (illâ) meditatione mutavisse. Videtur certe Finnicam religionem amplexus esse, hyperboreum numen, qvod antea felici successu adoraverat, oraculi gratiâ consultans de futura animæ in Glæsisvallis beatitudine. Vide alioqvin *Eddalæren og dens Oprindelse* III, 137-145. 170. In veteri Daniæ rhytmico chronico eadem mythica itinera (Saxone ut videtur duce) descripta reperiuntur.

grantem atqve *extra mundani climatis cognitionem* investigabili scrutatione complexum." Qvarto posterius die venerunt navitæ (ut gigas ille prædixerat) ad inops graminis solum ac tenebris obfusum; invenerunt ibi speluncam ubi Utgarthi-Locus "manus pedesqve immensis catenarum molibus oneratus aspicitur *), cujus olentes pili tam magnitudine qvam rigore corneas exæqvaverant hastas. Qvorum unum Thorkillus, adnitentibus sociis mento patientis excussum, qvo promptior fides suis haberetur operibus asservavit, statimqve tanta fætoris vis ad circumstantes manavit, ut ni repressis amiculo naribus, respirare neqvirent; vixqve egressu potiti ab involantibus undiqve colubris conspuuntur. Qvinqve duntaxat Thorkilli comitum, cæteris veneno consumptis, navigium cum ductore conscendunt. Imminent efferi dæmones et in subjectos venenata passim sputa conjiciunt. At nautæ prætentis coriorum umbraculis illapsum respuere virus" . . . . At periculis nihilominus crescentibus, cæteris propensiora sibi numina neqvicqvam deprecantibus, Thorkillus universitatis Deum votis aggressus eiqve cum precibus libamenta defundens, mox prioris cæli usum ac perspicua rerum elementa prospera navigatione collegit. Tandem ad Germaniam christianis tunc sacris initiatam appulsus apud ejus populum divini cultus rudimenta percepit. Postea patriam reversus Gormoni Regi itineris eventa retulit, qvi tamen Dei sui horrenda descriptione & producto foedissimo pilo indignabundus spiritum inter ipsa narrantis recitamenta deposuit **).

Gerutho illi ac Utgardensi huic Lokio, ut Thursorum vel gigantum principibus, non multum absimilis describitur dæmon malus & monstrosus, Daniam diu vexans ac incolas devorans, sub Grendelis nomine in carmine epico Anglo-Saxonico (ethnicæ certe originis, sed a christiano poëta reformato) prolixe celebratus. Observavit celeberrimus Thorkelinus nomen *Grendel* ejusdem notionis esse ac nostrum *Loka* (genit. *ts Loki*) e mysticantis Eddæ

*) Cfr. mythum eddicum de ferreis Lokii Asensis vinculis & alium Græcum de durissima Croni vel Saturni custodia in insula qvadam oceani Britanici — a nobis allatum ad artic. *Ymir* s. De Persicorum gigantum (e poëtarum & pictorum fictione) horrenda foeditate & deformitate, confer Finchii relationem apud illustriss. Walterum Scott (*Minstrelsy of the Scottish border* ed. 5, II, 117). Persæ de Zohako, eorum primipilo, ferreis catenis vincto, multa alioqvin fabulantur. Similis tenoris sunt Persicæ narrationes de Byraspe draconum patre ita custodito in spelunca montis Demavand (*Mos. Choren. Hist. Armen.* pag. 77; cfr. *Kleuker Zendavesta* 4, III, 110). Adde ipsum eorundem Ahrimanem, non aliter ab Ormuzdo vel Oromazde tractatum.

**) *Saxonis Grammatici Hist. Dan.* Lib. VIII. edit. Louiceri fol. pag. 144-149. Posterior relatio a christiano vate aut commentatore concinnata vel immutata esse facile e memoratis cuiqve patebit. De Ugaria, Uturguria, Utaracorrha &c. (apud Russos, Græcos, Indos & pl.) alibi egimus.

grammaticâ circumscriptione. Grendel ille appellatur propater omnium Jotunorum (*Eotnas*), Alforum ɔ: obscurorum vel malorum (*Ylfe*) & monstrorum vel monstrosorum dæmonum (*Orcneas*, ɔ: nostrorum Thursorum) qvi alioqvin Anglosaxonibus audiebant *þyrs*, *þyrsas*), vel talium omnium gigantum, qvi contra Deum (Vodenum vel Odinum) longo tempore, pugnarunt at ab eo (justam) retributionem sumserunt. Grendelis regnum proprium dicitur continere amplissima deserta, periculosas paludes (vel abyssos) & recessus aut munitiones, lupinos montes, ventosa promontoria ac horridæ aqvæ frigida flumina (cfr. *Elivagar* s.) ubi ignitus tamen torrens e præcipitiis deorsum ruit; ejus desertæ terræ princeps hospites canibus vexat, in foeda illa mansione multi scelesti degunt, at prope eam numerosi serpentes, marini dracones ac dæmonicæ belluæ. Hinc profectus nemo rediit donec Beovulfus nefanda illa dæmonia superaret *). Qvod autem ista Thursis revera sint adnumeranda, probatur Beovulfi ipsissimis verbis:

Nu viđ Grendel
Sceal viđ þam aglæcam
Ana gehegan
þing viđ þyrse.

ɔ: Et nunc cum Grendele (pugnabo)
Cum illo scelesto
Solus (qve) inibo
Certamen cum Thurso (vel Thursis)

Mythica nostratium Utgardia, Thursorum (ut putarunt) primaria ac originaria sedes, historico tempore præcipue ponebatur in littoribus Groenlandiæ orientalis, qvæ gliscente tempore varia nomina obtinuerunt e. gr. *Tröllabotnar* (vid. *Tröll* s.), *Svalbard* frigidum littus &c. — at interdum qvoqve *Jötunheimar* vel *Risaland* (gigantum terra) qvod tamen nomen sæpius adplicari videtur regioni nostri continentis boreali, aç pro Russiæ parte accipi, qvæ etiam jam Islandis vocatur *Rússaland (Rusland)* **). At vetustæ nostratium traditiones ferunt ipsos gigantes (Risos & Thursos) terras septentrionales ante Asarum (vel asiatici populi) adventum inhabitasse, sed postea vel ab his exstirpatos aut in propriam eorum ac hyperboream patriam ejectos esse, vel etiam partim cum Asianis matrimonio junctos & mixtos evasisse. Sic e. gr. dicitur Starcaderus Storvirki filius, in Norvegia ha-

*) *Poema de Beovulfo* vel *Scyldingis edit. Thorkelini* pag. 11 96, 103 & sq. Cfr. *Eddalæren o. d. Opr.* III, 145-148, 170-171. Christiani Anglosaxones Diabolo interdum Grendelis nomen imposuerunt, ut plebeji Dani ac Norvegi eum ad nostros usqve dies Lokium nominant. Vid. *Loki* s. — Cfr. *Conybeare Illustrations of Anglosaxon poetry* (1826) pag. 84, 95, 104, 107, 110. *Grundtvig Biovulfs Drapa* p. 11, 12, 26. 40, 68, 79, 90, 117 sq. 123 & sq. 134. Alioqvin non est reticendum situm Grendelis habitaculorum, qvæ in carmine illo memorantur, partim Utgardiæ nostræ non convenire, qvod tamen recentiore ejus immutatione facile causari potuit.

**) E. gr. in *Örvarodds-Saga*, translat. Dan. Rafnii *N. Kæmpe H.* III, 82 & sq. 188 & sq. Cfr.

bitans a Thursis esse procreatus ac iis (ut octo manus gestans) monstrositate similis; is trans Elivagas (vel glacialem oceanum, recentioribus *Dumbshaf* i. e. mortuum mare dictum) — ad terras illas proprie giganteas itinera gessit & tandem a Thoro Deo fuit percussus *). Hinc qvidam Norvegi circa historici nostratium ævi initia saepe vocabantur *Hálfrisar, Hálftröll, þursablendíngar*, ut talium gigantum genere ex aliqvâ parte prognati — at communis superstitio Finnos præsertim pro gente giganteæ originis (vel malorum dæmonum progenie ac cultoribus) accepit, qvos etiam interdum Jotnos dictos esse reperimus. (e. gr. *Hkr.* l. c. I, 101). Ast nihilominus in Biarmia, Finnia ac Norvegia maxime boreali monstrosi qvidam ac vere inhuman monticolæ, Thursi dicti, reperiri putabantur **). Hos dæmones viri summa fortitudine vel etiam magiæ peritia præditi cogere vel perdere posse credebantur, unde verisimiliter cognomen *þursasprengr* (Thursorum diruptor) qvod contigisse legimus Thoreri cuidam [in Halogiâ primum habitante, at tandem inde in Islandiam emigrato, ubi filius ejus Steinmodus simili

---

Torfæi Groenlandia antiqva pag. 37 & sq. cum mappis geographicis libro annexis. Vetus manuscriptum, *Gripla* dictum, memorat Jotunheimos ac Risalandiam ut diversas regiones e Russia boream versus sitas. Cfr. *Saga Bárdar Snæfellsáss* Cap. I, cujus fabulæ auctor (ex antiqva opinione) terras illas describit, Trollos & Risos pro diversis gentibus accipit, sed Thursos Trollis adnumerare videtur (ed. Hol. p. 163-165).

*) *Hervarar-Saga* Edit. Havn. pag. 2-7.

**) Vid. e. gr. *Hálfs Saga* Cap. 5, Transl. Rafn. l. c. III, 30-31 de Thurso Biarmiensi, qvi nautas Norvegicos a fonte vel rivo montano arcere tentavit. Skallagrimus et ejus Halogiani socii Norvegis propriis videbantur de statura atqve facie Thursis similiores esse qvam hominibus vera humanitate præditis. Unus eorum Thorer cognomen Thursi habuit *(Þórir þurs) Egla* l. c. pag. 109, 110. Alioqvin Halogiani sua habuerunt localia numina, raro a cæteris Scandinavis culta. Ex eorum numero fuit *Há-logi* (proprie alta flamma) vel *Helgi* (sacer, sanctus) a qvo regio tota (cujus Rex olim fuisse fertur) nomen accepit *(Háloga-land, Hölgaland.* Is verisimiliter idem fuit ac ille *Logi, Loki* (ignis &c.) olim a Finnicis gentibus cultus. Vid. *Forniótr* &c. s. Ejus filia dicitur fuisse *Þórgérdur Hörgabrúdir* (vel *Hölgabrúdir)* o: delubrorum, idolorum vel Hoelgii (patris) aut Halogiensum nympha a Hacone Sigurdino, potente Norvegiæ principe (e boreali ejus parte oriundo) unacum illius sorore *Irpa* sive *Yrpa* intense culta. Iis juvenem suum filium Erlingum pro victoriâ in pugna navali contra Jomsvirkingos obtinenda (at forte fabulose) sacrificasse fertur. Sifa, Thori uxor, inter illas locum habuit in templo dicti Haconis Dalensi. Alioqvin refertur Thorgerda e borea apparuisse in memorato prælio grandinem gravissimum ciens ac sagittas lethiferas digitis emittens. Alii de ambabus sororibus ita visis loqvuntur. Vid. Edd. jun. l. c. pag. 154 ubi Hoelgii tumulus auro ac argento (Biarmico more) refertus fuisse dicitur; it. Olai Trygvini historiæ varias recensiones, *Niala* c. 76, 73 & *Holmveria-Saga* Cap. 18 de Thorgerda in Islandia (a Norvegiæ borealis priscis incolis culta, ac Sotio gigante vel Trollo aut Thurso, ejus fratre).

populi opinione & traditione fuit celebratus *). Tales traditiones inter exteros totam Norvegiam ob Thursorum freqventiam adeo famosam reddiderunt, ut joci vel ignominiæ ergo ab illis vocaretur *Þursaskér* i. e. Thursorum scopuli **). In eodem regno apud rusticam plebem hæc superstitio adhuc conservatur, qvum Thursi ei varie audiant *Tusse*, *Tussel*, *Tusul* et diminutive *Tusling*. Dicuntur qvibusdam primi fuisse Norvegiæ incolæ ac veros homines ab ejus inhabitatione arcuisse, donec hi cum illis matrimonio jungerentur; jam creduntur in tumulis & monticulis habitare, homines staturâ æqvantes, vulgo dicti *Hougetussfer* (vel *Tussfer*) ɔ: Thursi tumulicolæ. Feruntur tam homines qvam pecora interdum abripere ac in suis domiciliis detinere. Alii eos perhibent minores esse Huldris, eorum fæminis, (vid. *Vættur* s.) ac choreas exercere secundum melodiam qvandam tristioris tenoris, qvæ vulgo appellatur *Tussfeldands*. Certi morbosi dolores, qvibus homines adficiuntur, Thursorum tactui vel torsioni adscribuntur, igitur vocati *Grip*; pro præstantissimis contra illis remediis habentur variæ plantæ qvæ inde nomina sumunt ut e. gr. *Grip-græs*, alias *Jyvre-brusk* ɔ: Oreadis crinis vel contorta herba (botanicis Andromeda cærulea — cfr. *Gýgr* s.); *Tussfegras* Thursorum planta, alias *Troldbær* Trollorum baccæ (botan. Paris qvadrifolia) & pl. qvæ suffiminis loco igne combustæ fumo suo illa dæmonia in fugam vertunt. Christianus Schulzeus, Norvegus (alioqvin physicus non incelebris) serie Tuslingos & Huldras subterraneis dæmonibus ut revera exsistentes adnumerat ***).

E Norvegia in Islandiam veteres illæ de Thursis opiniones migraverunt, qvæ uberiore demonstratione non indigent. Annoto tamen hinc orta varia herbarum nomina e. gr. Island. *Þursaskegg* strongylium, fucus filiformis. Huc tandem pertinet qvod in vulgari sermone homo stultus & sordidus Islandis appelletur *Þursi* (Thursus) & *Þursalegr* (Thurso similis). Eandem originem adscribit Sorterup & pl. voci Danicæ *Tosse* (Svecice *Tosse*, *Dåse* e Gejeri observatione), qvod qvi-

*) *Islands Landnámabók* ed. Havn. p. 237.

**) E. gr. a Scotorum Rege Alexandro anno 1249. Simili modo refertur Babylonis Sultanus anno 1444 in literis suis ad Christophorum, Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ Regem, eum vocasse principem Gelidornm [Hrimthursorum] & Trollorum. Cfr. *Tröll* s. (*Torfæi Hist. Norv.* IV, 260 *Peringskjold in notis ad Cochlæi vitam Theodor.* pag. 501. cfr. *Geijer Svearikes Häfdar* pag. 410-411).

***) *Hallager Norske Ordbog* pag. 135. *Wille Sillejords Beskr.* p. 104, 121, 250. *Wilse Spydebergs Beskr.* II, 419 & sq. *Schulze Physicalske Grublerier* (1803) pag. 269. Vox Islandica *Tak* (tactus, apprehensio, torsio, sensu conveniens illi Islando-Norvegicæ *Grip*) jam vulgo significat pleuritin vel similem qvemcunqve corporis morborum dolorem; eundem sensum involvit Dan. *Hold*, Sveco-Vermeland *Håll* &c.

dem per se evidens evadit e denominatione veteris cantilenæ *Tosse-Greve* pro eddica illâ *þursa-drottinn*; vid. *þrymr* s. & veteri qvoqve adagio: *Var dig at Tosfen ikke tager dig* ɔ: Cave tibi, ne Thursus te auferat. Hinc qvoqve qvidam deduxere vocem *Tusmörke* (crepusculum) cum Thursi in vespertinis tenebris grassari putarentur; cfr. aliam *Tudse* (Svec. *Tosfa, Tåsfa*) bufo, cum tales olim sæpe Trollis vel malis dæmoniis adnumerarentur, una cum feris rapacibus, præsertim lupo, qvi Ostro-Gothis adhuc audit *Tuss* et Norvegis *Troll;* cfr. *Tröll* s. In Svecia alibi Thursi dicti sunt *Tösse* unde *Tösseberg*, mons a Thursis inhabitatus *).

Nostrum *þurs*, *þuss* porro olim respondit Germanico *Duss*, unde proverbium in *Hartzwald* (vel sylva Hercynia) adhuc usitatum: *Dass dich der Duss hole!* **). Ab illo Anglosaxonico *Þyrs* ***) (vel alio simili verbo) derivandum recentius Anglorum *Deuse, Dewce* (Danice pronuntiandum *Djus*) diabolus, malus dæmon, unde exsecratio plebeja: *Deuse take You* & pl. Cæterum vox hæcce cognata videtur Dusiis illis qvos S. Augustinus (sec. 4 vel 5^to^) dicit esse Sylvanis & Faunis similes ac mulieres insectari; eorum denominationem & fabulam Isidorus (sec. 6) pro Gallicâ accepit, cum incubis vel pilosis (ut tum dicebantur) dæmonibus eos comparans. Tandem de iis Gervasius Tilberiensis Britannus, circa initium sec. 13^tii^ scribens: "Multi experti sunt.... se vidisse Sylvanos & Panes, qvos incubos nominant, Galli vero Diusios [vel Dusios] dicunt" ****). In Britannia Gallica vox *Teus* subterraneum dæmonem vel spectrum significare fertur. De incerto etymo vocis antiqvissimæ *þurs* vel *þuss* p. pl. vid. Gloss. T. I & II. Cfr. *Hrímþurs, Jötun, Gýgur, Tröll* *****) *Vættur* & pl.

*) *Sorterup prodromus calendarii veterum borealium ethnici MScr. Ihre Svensk Dialect*-Lex. ad v. *Tuss. Hallenberg Anmärkn. till Lagerbrings Svenska Hist.* I, 67. *Hallager Norsk Ordbog* p. 133.

**) *Schütze Exercitationum ad Germaniam sacram gentilem facientium Sylloge* (1748) p. 239. "*Der Alp oder Mahr, vormahls in Teutschland Daus oder Dux*" [*Duss?*] *Radloff Untersuch. d. Keltenth.* (1822) pag. 327.

***) Cfr. ea qvæ supra excerpsimus e poëmate de Biovulfo vel Scyldingis. Prophetia vetus Anglosaxonica, Anglice versa a celeberr. *Sharon Turner*, hæc inter alia continet:

The Thyrs will remain in the fen
Alone in the land.
ɔ: Thursus remanebit in palude (vel abysso)
Solus in regione.

(*Turner History of the Anglosaxons* I, 324). Præter Grendelis fabulam cfr. artic. *Fenrir* s.

****) Videatur *Augustin. de civitate Dei* XV, 23. *Isidori Hisp. Origin.* VIII, 11. *Gervas. Tilberiensis in Leibnitz. scr. rer. Brunsv.* I, 989 it. *Hincmari* (sec. 9) *Opera (de divortio Lotharii)* pag. 654. Cfr. *Mone* l. c. II, 419-20.

*****) Addas porro huic articulo Trollos sub eo nomine Germanis ad sec. 17^mum^ usqve notos fuisse:

Þyn nomen amnis Deorum (vel forte etiam Gothorum, Deorum gentis) circulos vel regiones perfluentis *Gr. M.* 27. Cfr. nomen fluvii Gotho-Sarmatici Duna vel Dyna (forte: grandisona a verbo *Dynia* de qvo Gl. T. I & II[di]). Vid. Gl. T. I.

Þöll, Þavll amnis ejusdem descriptionis *Gr. M.* 27. Cfr. Gl. T. I.

AE.

AEgir, AEger, Egir Oceani numen, giganteæ originis ac indolis, a Niordo diversum (vid. *Niördr* s.). Memorat Hymerianum carmen cælestes (vel bellicæ cædis Divos — *Val-tíva* q. v.) congregatos (ad epulas), qvum capturis qvondam operam dederant, multum bibaces vel conviviis deditos anteqvam saturati evaderent [vel etiam: verum deprehenderent]. Concusserunt ii bacillos (divinatorios) et sangvinem sacrum inspexerunt, indagaruntqve apud AEgerem lebetum defectum. Hic rupicola coram [iis vel Deorum nuntio] pueri instar lætus (vel blandus) sedebat, alioqvin giganteum vultum referens; continue (vel pervicaciter) intuebatur illi in oculos Odini filius (Thorus) mandans ei Asis sæpe (vel freqvens) convivium præstare. Hoc ingratum mandatum Aegeri curam injecit, ac mox iste de (hujus lacessitionis) ultione meditabatur. Rogavit igitur Sifæ maritum ut sibi adferret lebetem qvi ejus esset capacitatis ut illis (Asis) omnibus sufficiens cerevisiæ qvantitas in eo coqvi posset. Hunc Dii non potuerunt acqvirere, donec Tyr Thoro eo respectu commoda consilia dedit. *Hym. Qv.* 1-4. De lebetis seqvente apud Hymerem acqvisitione p. p. vid. *Hýmir, Týr* s. Ex ista expeditione reveniens fortissimus Thorus in Deorum concilio deposuit lebetem, Hymeri qvondam proprium; sic, istum cacabum adepti, Dii qvovis linisecio (vel autumnali tempore) apud AEgerem (illo usum) unam celebrabunt compotationem (*Hym. Qv.* 39).

In alio Eddæ antiqvioris carmine *Lokasenna* (vel potius ejus aut alterius, qvæ jam tantum superest, prosaicâ epitome vulgo *AEgisdrecka*) describitur convivium ipsum ab AEgere Asis paratum: "AEger, qvi alias dicitur Gymer (q. v.), adparaverat Asis convivium, postqvam nactus erat cacabum illum ingentem de qvo modo narratum est." Adfuere ei Odinus cum uxore Frigga, Sifa uxor Thori (in expeditione orientali absentis) Bragius & Idunna, Niordus et Scadea, Freyerus et Freya,

"*Frau Hulda, die alte Berchte, mit ihrem wüthenden Heer, Schretel, Wichteln, Trollen und Bergmännel — sind lauter Teufel.*" *Mathesius Auslegung der Fest-Evangelien* pag. 22. Concionator iste in Bavaria & Saxonia superiore vivens obiit anno 1564. Illud German. *Schretel, Schrötel* est cognatum Islandico *Skratti* dæmon malus, gigas, diabolus, Angl. *Scrat* monstrum &c.

Dii Tyr, Vidar & Lokius; (nominantur porro ut ibidem præsentes in seqvente carmine: Asa Heimdallus & Asynia Gefiona). Venerat (præterea) multum Asarum & Alforum; inter alios adfuerunt famulus Freyeri Beyggver & famula Beyla. At AEger ipse duos habebat famulos, dictos Fimafengus & Elder (q. v.). Ibi aurum fulgens adhibitum est vice ardentis luminis. Potiones semet ipsæ adferebant. Loci pax (vel securitas) erat sanctisſima. Convivæ magnis laudibus tollebant qvam liberaliter ministrarent famuli AEgeris; id Lokius æqvo animo audire non potuit et Fimafengum interfecit. Tunc Asæ suos qvasſavere (vel percusſere) clypeos, et in Lokium infestis clamoribus invecti, abspulsum eum in sylvam persecuti sunt. Deinde ad potandum se receperunt. Lokius autem revertens Elderem, foris offensum compellavit, qværens qvid felices Dii intus convivalibus sermonibus tractarent (str. 1). Regerit Elder eos de armis suis & bellica gloriâ colloqvi, at neminem inter Asas & Alfos intus congregatos Lokio in mutua sermocinatione ſavere (2). Lokius se declarat introiturum esſe in Aegeris aulas, istam coenam spectatum, clamorem & incommodum Asis adportantem & sic iis medum pestilentiâ miscentem (3). Elder contra monet alma numina tales læsiones severe ulturos fore (4) qveis Lokius non movetur at minis (ut videtur) Elderum ita terret, ut illi prohibitus introitus pateat (5). Deinde Lokius in triclinium ingresſus est. Verum, qvi illis præsto erant, ubi intro advenientem adspexerunt, omnes conticuere. Is jam igitur, hospitem advenam se esſe innuens, hospitalitatis jure sibi sitienti meri medi portionem indulgendam poscit (6) ac porro ita pergit: "Cur tacetis adeo animo contracto (bile commoti) Dii! ut vos loqvi neqveatis? Deligite mihi sedem & loca in coena, aut mihi denuntiate hinc abire" (7). Respondet primum Bragius, petitionem illam Asarum nomine directe abnuens (8). Tum Lokius Odinum ipsum alloqvitur, ei in memoriam revocans pristinum eorum sodalitium (sangvinis mutua mistione initum) cum scilicet Odinus asſeverasſet se nunqvam potionem gustaturum, nisi ambobus iis esſet allata vel oblata (9). Mandat igitur Odinus Vidari surgere, ut faceret Lokium ad symposium adsidere, qvo minus is Asas contumeliosis verbis compelleret (10). Tum surgens Vidar Lokio propinavit, is autem, ante qvam potaret, Deos (omnes) salutavit, Bragio solo excepto (11). Sic ordiuntur mutuæ Lokii & Asarum ac Asyniarum contumeliæ, ab eo semper inceptæ ac acerrime continuatæ, licet Sifa Lokio comiter medum propinaret ac salvum esſe juberet, ut probris ac rixis abstineret. Illa suis locis alibi in hoc lexico sunt memorata. Lokius tandem, præsentis Thori metu cesſare coactus ac exiturus ex aula AEgeris, hunc ita alloqvitur: "Convivium fecisti AEger! sed tibi nunqvam continget posthac symposium instruere; habentia tua cuncta, qvæ

hic intus est — eam super insultet flamma & deflagret tibi in dorso!" Terrifica AEgeris filia (procella vel unda maris æstuosa) heroum velificationem in alto subvertere conatur *HQ.* II, 26. Cfr. *Rán, Sigrún* s. *Ægir* ipse oceanus (vel mare tellurem cingens) vocari videtur *Hým. Qv.* 6. At qvisqve gigas interdum poëtice dicitur *Ægir* (terrificus vel terribilis) ut H. Q. I, 51. Vox eadem adhibetur de crudeli Rege *Gr. M.* 44 et de athletâ aliqvo vel forti milite HQ. II, 51.

In Edda juniore (nimirum sermonibus Bragianis) continetur relatio, de Aegeris ad Asgardiam itinere, qvam antiqvior nostra jam penitus ignorat (pag. 79 & sq.). Ejus maximam partem inseruimus supra artic. *Valhöll*, at porro hæc inde annotamus: "Aeger sive *Hler* habitavit in insula dicta *Hlésey* (hodie, ut putatur, *Læsö*, in sinu Codano ad orientale Jutiæ littus sitâ) *). Cum eo, in Asgardiâ lauto convivio excepto, Bragius, proximus tum assessor, multa est collocutus, Asarum prisca gesta et eventa istum edocens, ut mythos illos de Thiassio gigante et Idunnæ raptu, Skadeæ cum Asis dissidiis & pacificatione, de poëseos origine ac indole & pl. Hæ narrationes Eddam juniorem cum Skalda propriâ, ita dicta, conjungunt (ibid. p. 85, 93). Huc porro pertinet fabula de Hrungnere (pag. 107, 112). De AEgerianio illo convivio Skalda ita refert (pag. 129): "Cur vocatur aurum Aegeris ignis? Talis ejusdem rei est traditio, ut antea erat memoratum, qvod Aeger convivium Asarum aditurus Asgardiam veniret; qvi cum ad domuitionem accinctus esset, Odinum et Asas, ut post tres menses, convivii causâ, se visitarent, invitavit." Alioqvin hæcce narratio illi antiqvioris Eddæ arcte convenit, easdem Asas ac Asynias (licet aliis verbis) ut ibi præsentes enumerans (Heimdallo solo excepto, nec non Beyggvere ac Beyla et Alfis illic memoratis). At contra hic nominatur Rana (vel Rauna), Aegeris uxor, cum novem earum filiabus: "Cum Dii sedilia occupassent Aeger aurum fulgens in aulæ pavimentum inferri fecit, qvod ignis instar eam illuminavit ac in hoc convivio pro lumine valuit, qvem admodum antea in Valhalla gladii, loco ignis, usurpati fuerant. In hoc convivio cuncta suapte admovebantur et prodibant, ut epulæ, cerevisia & omnis supellex qvæ

*) Saxonis Gram. *Lesso*. Hinc verisimiliter gigas qvidam, *Ler* (*Hler*) dictus, qvem chronica Danica medii ævi e vetustis populi traditionibus celebrant; ac forte etiam Saxonis *Ler*, Juliæ Dux (H. D. Lib. I; vid. *Suhm Hist. Dan.* VIII, 498, X, 53). Heros ille (primum pro Deo habitus) Norvegis dicebatur *Hlér hinn gamli* (Hler priscus) a Finnico (gigantum cultorum) genere ortus, at nihilominus Noris & Goris, Norvegiæ occupatorum, consangvineus, iis tamen anterior (Origines Norveg. l. c. pag. 357, 369). Cfr. *Keysler Ant. sept. & celt.* p. 276 de inscriptionibus Germanicis, dicatis *Deo Leherenno* vel *Leherenno*, qvem auctor ille declarat fuisse aqvaticum numen, cognatum Thuringorum *Lahran*. Videas alioqvin artic. *Hlésey*, *Hlébardr* s.

convivio inserviret. Tunc Asæ sentiebant Raunæ esse rete, qvo omnes homines, qvi [infeliciter] se pelago committerent, caperet." Hinc aurum appellatur lumen AEgeris, Raunæ &c. nec non maris et aqvarum p. p.

In Skalda porro (pag. 123, 124, 185-187) hæc docentur: "Qvomodo Oceanus (vel pelagus) est denominandus? Resp. Vocatur *ÆEger*, *Gymer*, *Hler* vel *Hlœr* &c.*) maritus Ranæ (vel Raunæ), pater hujus filiarum, visitator (vel hospes) Deorum p. p. At dictæ marinæ nymphæ ita appellantur:

Himinglæfa ɔ: cæli vel aëris instar pellucida aut nitens; vid. Gl. T. II, v. *Himin* & T. I. v. *Gler* (*glær*).

Dúfa ɔ: immergens, a verbo *dýfa*, *dífa* immergere. Vid. Gloss. T. II voce *Djúp*.

Hadda ɔ: crinita (cum undæ spumantes oceani talia capita interdum elevare videantur — â v. *Haddr* coma muliebris; vid. Gl. T. II.). Sæpe vocatur *Blódug-hadda*, cruenta Hadda vel crines gestans sangvinolentos (forte a rubicundo maris in certis locis colore).

Hefring elevans, elevata vel tumida; vid. Gl. T. I. & II. v. *Hef*, *Hefia*.

Údur, *Údr* udor, uda; alioqvin *Upr*, *Unnur*, *Unn* unda; vid. Gl. T. I. & II. v. *Unn* it. *Úr*, *Úrgr* & pl.

Hrönn, *Hrævnn* fluctus (it. imber, ejectamentum maris vel fluminum) A. S. *Hrön*. Vid. Gl. T. I. & II.

Bylgía unda (proprie resonans, a verbo *byljá*; est alioqvin Dan. *Bölge*, Svec. *Bölja*, Angl. *Billow* & pl).

Bára, unda gravior; vet. Dan. & recent. Norveg. *Bâare*, Finn. & Lapp. *Baèrro* Cfr. Glosſ. T. II.**).

Kólga, æstus maris; interdum etiam tempestas frigidior; vid. Gl. T. II. ***).

Alioqvin Hler (vel AEger) vocatur Fornioti filius, venti ac ignis frater (*bródir Vinds oc Elds*) p. p. Vid. *Forniótr*, *Hlesey* s. Hic a Finnicis gentibus olim divino cultu honoratus fuisse videtur, vix

*) "Hæc tria nomina eundem significant" (p. 125). Ibidem recitantur plura oceani sive maris minus mythica at pervetusta tamen vocabula, ut *mar* (mare) *salt* (salum) *sær*, *sægr*, *ver haf*, *vagr*, *sund* & pl. qvæ asiaticam sapiunt originem ut in Glosſ. T. II & III indicare sumus conati. Inter alia hic occurrit *húm* vel *húmr*, unde forte derivandum nomen primariæ in nostra mythologia vaccæ *Audhúmla* (*Audumla* &c.). Vid. *Ymir* s. Alioqvin mare illis nuncupatur *Grœdir* (forte vorax), *lögr*, *lavgr* (liqvor) *flód* (flumen, fluor) *giálfr* (cfr. *Giálp lá*, *breki* & pl. — Adde versus memoriales (p. 217) incipientes: *Sær*, *silægia* &c. ubi porro inveniuntur *gnap*, *geimi* (vel *geimr*) *vídir*, *brim*, *snapi*, *stop*, *giallr*, *svífr*, *súgr*, *ögr*, *hríd*, *fen* (cfr. *Fenrir*) *vavrr*, *vözt* (*vastir*) & pl. Tandem mare appellatur regio vel regnum AEgeris & Ranæ, annulus vel ligamen insularum aut terrarum &c. Cfr. *Ymir* s.

**) Hujus omisſæ loco enumeratio dictarum sororum in Skalda secunda (pag. 185) ponit aliam *Dravſn* vel *Dröfn* unda maris, poët. (etymi mihi non perspecti.)

***) Plura inter ænigmata ea, qvæ ab Odino sub Gesti cæci personâ Heidreco Reid-Gothorum Regi solvenda proponebantur, de illis AEgeris ac Ranæ filiabus tractant. e. gr. hocce:

a propriis Scandinavis, qvi Niordum ejus loco coluere ut atmosphæræ ac maris navigabilis & aqvarum in genere divinum dominum, hostem Hymeris & aliorum giganteorum oceani accolarum. His AEger e multorum sententia præfuit, ac præterea in maris terreni profundo abysso suas amplissimas ædes habere putabatur, illuc cum uxore Rana homines detrahere ac navitas abripere continue conans, generi humano igitur inimicus ac horrendus. Cfr. *Rán* s. At e contrario Niordus hominibus favebat, faustam navigationem ac ejus fructus, divitias, largiter indulgens. Vid. *Niördr* s.

AEgeris ut Oceani significatio sic nullo dubio caret. Is giganteæ originis fuit at nihilominus in antiqviore Edda describitur, Thori minace mandato, ad homagii erga Asas ac inde seqventem annui convivii (ut vasallagii usualis indicii) præstationem coactus. In juniore e contrario narratur a Diis, ut hospes advena laute exceptus, eos igitur ad suas ædes simili modo invitasse. Sic qvoqve Zeus, e græca fictione, cum reliqvis Olympiis diis convivio ab Oceano excipiebatur.

Cur potiones & fercula in Oceani aula sponte vel suapte adferri dicantur, facillimum est intellectu. Hinc Aegeris famulus dicitur Fimafengus q. v. Ita etiam Unda (ex Macrobii observatione) Jovi vel Diis dapes ministrat. At alius ejus famuli nomen *Eldir* alludit ad ignem maris lambentem (olim nostratibus dictum *Mareldr*, unde *Marild*, *Morild*, Lat. *marila*). Huc similiter spectat fabula de auro fulgente, luminis loco in AEgeriano convivio adhibito. Cernuntur nimirum autumnali tempore noctu in boreali mari lumina innumera ac scintillæ (ut humanis oculis apparent, ex præsentis lexici auctoris propriâ ac freqventissimâ qvidem experientiâ) auro fulgido simillima; sunt autem

---

Qvænam sunt illæ virgines
Qvæ multæ una gradiuntur,
Patrem præcedentes?
Comas pallidas habent illæ
Alba velamina gestantes,
At eas viri arcere neqveunt.

Respondet Heidrecus:

Gymer sibi
Eas proceavit filias,
Prudentes e Rana.
Illæ fluctus ac undæ
Salutantur
A qvibus nemo hominum se tuetur.

In aliis dicuntur rarius mites esse, in vento vigilare at malaciâ durante parum ludere, valide prolabi & secundum freta iter perseqvi, durum lectum (petras & saxeta) habere, multos perdere vel malis afficere &c. Vocantur qvoqve AEgeris gnatæ (*Hervarar-Saga* ed. Havn. pag. 158 & sq.). Cfr. *Eldir* s.

marilæ aut phosphoreæ alicui marinæ aqvæ qvalitati vel etiam potius certis insectis aut vermibus, qvæ physicis Nereides dicuntur, revera adscribenda. Hoc phaenomenon navitis tempestates vel pluvias præsagire putatur *). De lebete Hymeriano, AEgeri allato, ut zythum dicto convlvio destinatum coqvere posset, vid. *Hýmir* s.

In recentiore borealium superstitione AEger — ille cum uxore Rauna ac aliis maris diis & geniis, mutabantur in gigantes, dæmones vel homines (aut semones) marinos, variis qvidem ac multifariis modis, ut alibi prolixe disqvirere tentavimus at hic non repetere vacat **).

Ægir dæmon, ut supra innuimus, a primis Scandinaviæ fuit relligiose veneratus, at Niordi cultus in his terris recentior, sed tandem fere universalis ***). Illius nomen *ÆEgir*, *Egir* (si e nostratium prisca lingva est derivandum) vulgo deducitur a verbo *ægia* terrere (vid. Glosſ. T. I.), sed nostra sententia probabilius peteretur ex alio *ægia*, *aga* fluere, confluere, inundare, unde subst. *Agi* (*ÆEgi*) udor, colluvies, *ÆEgi-sjór* pelagus, oceanus; cfr. AS. *Eage* aqva — ac ipsa latina: *aqva*, *æqvor*, qvod posterius iterum respondet A. S. *Egor* Cambro-Britann. *Eigion*. Hesychio teste Doriis undæ audierunt *αἴγες*. Mare interdum Scaldis no-

*) De hoc phænomeno in mari Norvegico vid. *Pontoppidan Norges Naturhistorie* I, 117 at in æqvore Scotiam ac ejus insulas alluente *Pennant Tour in Scotland* 1772 pag. 345. Id insuper non raro cernitur in maribus meridionalibus, e. gr. mediterraneo, ex variorum relatione.

**) *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 248-259, 306-316. In cantilenis Danorum medii ævi præcipue vocatur *Rosmer-Havmand*, alioqvin Danis, Norvegis & Svecis *Nik*, *Nök*, *Nökke* it. *Havmand* &c. Huc porro pertinent Scotorum *Shellycoat*, *Water-Kelpie*, Finnorum *Uros*, *Ween-Kuningas* & pl. De talibus muliebribus dæmoniis vid. *Rán* s. Egimus l. c. de mirando nexu qvi manifeste exsistit inter nymphas marinas & aqvaticas, qvæ Finnis & Esthis audiunt *Necki*, *Necke*, *Naek*, Germanis & Belgis olim *Nehæ* (*Nekæ*) hodie *Nixhs*, *Nichse*, qvibus qvondam Dea Nehalienna (Deo marino, ut Romanorum Neptuno repræsentato, in imaginibus sæpe adposita) præfuisse videtur. His forte originitus fuerunt cognatæ Græcorum *Nike* (cum Horis, physicæ originis, Jovis & Luni socia) & *Nais*, *Naias*, Indorum *Najik*, *Nayik* & pl.; ibid. IV, 543-44. Deæ qvædam vel nymphæ subordinatæ Scandinavis olim audierunt *Nis* vel *Nise*, *Nisi* (unde forte recentiorum *Nisse*, sexu & significatione mutato) in versibus memorialibus Skaldæ sectionis adhuc ineditæ.

***) De Svecia & Islandia hoc probavimus artic. *Njördr*. At Niordi cultum è Norvegia Islandiæ illatum fuisse necesse est. Et in Islandia et in Norvegia loca qvædam Niordi nomen adhuc retinent, ut *Niardvik*, *Niardvig* & pl. Monstrat porro Egilli Skallagrimii carmen encomiasticum, ad Arinbioernum Herserem, qvod Nioerdum hicce pro suæ fortunæ auctore acceperit. Dani porro Nioerdum intense coluisse videntur; hic probabiliter ille Neptunus, qvem ab iis adoratum refert Ermoldus Nigellus in carmine de Ludovico Pio & baptismo Haraldi Danorum Regis; vid. *Langeb. Scr. r. D.* I, 399 & sq. Niordi habitaculum dicebatur *Nóatún*, unde Neptunus latine formari potuit.

stratibus dicebatur *Ógn* *) (alioqvin terror) sed Oceanus Græcis olim Ogenus (*Ωγηνος*). Hic mythice idem ac ipse *Ωκεανὸς* qvi AEgerō nostro respondet, ut Oceanides AEgeris filiabus. Ambo illi præterea Deos cælestes convivio celebri exceperunt. Oceanus Neptuno — (vel Posidaone sic ut Aeger — Niordo) antiqvior esse pro certo habetur; at porro Neptunus adscititiis nominibus dicebatur *AEgeus* (*Αιγαῖος*) et *AEgeon* (*Αιγαίων*), qvod a variis deducitur etymis, ut ab illo *αιγες* (undæ); ab insula (maris AEgei) dicta AEge, in cujus vicinia, at tamen in profundis, ipsius aurea, præfulgida & perennis aula a græcis poëtis interdum ponebatur &c. Præterea *αἰγαῖον* mare denotasse fertur at AEgeon interdum pro gigante qvodam accipitur, qvas easdem significationes nostro Aegeri nonnunqvam adtributas esse supra probavimus **). Cfr. *Gýmir*, *Forniótr*, *Hlébardr*, *Hýmir*, *Rán* s. it. Gl. T. I & II.

AEgisheimr mundus oceano cinctus (i. e. terra habitata) *Sól*, *L.* 30. (cfr. obs. 30). Vid. *AEgir* s. et Gl. T. I & II v. *Heimr*.

AEgishiálmr AEgeris vel formidabilis galea, cujus aspectu omnia animalia terrebantur. Hanc possedit Fafner, mythicus semo in draconem transformatus S. II *α*. Is. se dicit istam tulisse per (vel super) viventium genus, qvamdiu thesauris incubuerit, seqve (igitur) omnibus valentiorem credidisse, at contra illam galeam observat heros victor nullo pacto gestatorem protegere, ubi irâ concitati dimicent. S. II *β*, 16, 17. Eandem galeam cum aliis præstantissimis rebus Sigurdus, draconis interemtor, in ejus cæsi cubili reperit, ac inde cum reliqvis spoliis abstulit. Concl. pros. — Est verisimiliter hoc loco dicta galea nil aliud, qvam corona ea, qvam superstitio vulgi serpentum cuidam regi (forte boæ, qvam Indi eadem significatione appellant *pambu raja*) adtribuit; hæc Germanis dicitur *Schlangenkrone*, cui multæ supernaturales vires a plebe adscribuntur. Ab illa diversum fuit signum qvoddam characteristicum, ita dictum, qvod veteres Scandinavi oculis sive visui viri terrifici inditum esse opinabantur, id vulgo vocantes: *ægishiálm í augum*. At ad galeæ significationem potius alludunt hæcce phrases, adhuc in Islandico sermone usitatæ: *at bera ægishjálm yfir*, omnibus terrorem incutere; *hann er undir ægishjálmi* cunctis terrori est & pl. Metaphorice de Hacone Haconide, Rege Norvegiæ ita, cecinit Sturla Thordæus:

Geck allvaldr
Med AEgishjálmi

*) Aqva marina Indis (sanscritice) dicitur *Ogha*, teste celeberr. *Colebrooke*; *Asiat. Researches* VIII, 326.

**) Vid. *Creutzer Symbol. und Mythol.* l. c. II, 594, 607. *Hermann Handbuch der Mythol.* I, 122.

Meginmildr
Merkium fyrir.
ɔ: Ivit opertus
Casside terrificâ
Rex (alioqvin) mitissimus
Vexillis anterior*).

Comparaverunt alii hanc mythicam galeam cum terrifico Jovis scuto aut Palladis (ejus filiæ) clypeo vel pectorali, qvæ AEgis (αιγις) dicuntur. Nostrum vulgo deducitur a verbo Islandico *ægia* terrere, terrori esse (unde *ægir* genit. *ægis* terrificus, gigas &c. it. *agi* timor, castigatio). Nostro *Ægishjálmr* respondet Anglosaxonum *Egisgrima*, eodem sensu præditum ac veteri qvoqve Scandinavorum sermone cognatissimum, cum ei *grima* interdum similiter galeam (sed sæpissime tamen personam vel larvam aut tale capitis indumentum) significet. Cfr. artic. *Hildisvíni* & pl. s. de galeis borealium, qvæ numinum signis ornatæ gestatores tueri (ac hostes igitur terrere vel labefactare) credebantur.

Opinamur hanc galeam antiqvissimis temporibus AEgeri, ut oceani Deo, in sermone vel opinione atavorum nostrorum propriam fuisse. Vox *Hjálmr* proprie qvondam denotavit tegmen qvodvis vel operimentum aut indumentum (Gr. ἑλυμα apud Svidam & Hesychium) sed posterius galeam (cfr. Gl. T. I & II). At densa tempestuosarum nubium massa **), Oceanum operiens, a poëtis facile ac non improprie ejus vel AEgeris capitium aut casis vocari potuit. Eundem originarium sensum duplici illi Græcorum AEgidi plures doctissimi mythologi summa probabilitate adtribuunt ***).

Deus qvidam marinus Finnorum, qvi Uros vulgo dicitur, galeam famosam gestare fertur, qvæ autem a qvibusdam describitur ut ferrea, at ab aliis (verisimiliter antiqvioribus) ex ingente saxo facta, qvæ descriptio ad scopulos grandiores, qvi saxeum caput vel capitium supra undas elevare videntur, probabiliter alludit ****).

AEsir, Esir *****) (Asæ vel Asi Dii, ubiqve

*) Vid. *Hkr.* ed. Havn. V, 246. VI, 222.

**) Talis nubes alioqvin vocabatur *Hulidzhjálmr* (occultationis tegmen sive galea); vid. e. gr. *Hkr.* l. c. I, 268, qvæ magica arte coacta esse a gentili viro ibidem perhibetur. At laudatus Sturla Thordæus loco citato Christum decantat ille umbellâ juvenem principem ab hostium persecutione protexisse; vid. *Hkr.* VI, 207. In carmine Nibelungico *Tarnkappe* vocatur galea illa, qvam ethnici nostri proavi dæmonibus ac eorum qvoqve Dano-Norvegici posteri Dvergis adtribuerunt. Vid. *Dvergr, Vœtur* s.

***) Vid. e. gr. *Creutzer* l. c. II, 641, IV, 424 & sq. (ubi Boettigeri similis sententia notatur). *Welcker Prometheus und die Kabirenweihe* pag. 153.

****) *Petersen Finnische Mythologie* pag. 66.

*****) Præter articulum supra citatum & loca ibidem allegata cfr. Gl. T. I. v. *Esir* (ubi Etruscorum AEsi — Αισοι — Dii & Aesar Deus ex Hesychii & Taciti relationibus conferuntur). In Gl. T. II addidimus veterum Gallorum Deum *Es* (vel *Esum*) & variarum Finnicæ originis in Russia asiatica gentium *Eis, Ess, Essj, Oss*, qvæ Deum significant. Cfr. porro Indicem nomi-

in Eddâ antiqviore — at in junioris prologo ac epilogo ut etiam in Ynglinga-Saga, Hervarar-Saga, Rimbegla et pluribus medii ævi historicis scriptis Asiani, ex magna vel minore qvadam Asia emigrati, et in Rusſia, Gothica Sarmatia, Germania, Dania, Svecia, ac per Odini, eorum, ut fertur, primarii ducis & regis posteros, in Norvegia, Anglia et alibi regna fundantes. Cfr. *Ásgardr*, *Ódinn* s. Est proprie nominativus pluralis ſvocis *Ás*, *Áss* de qvo supra egimus, loca simul antiqvioris Eddæ, qvæ de iis præsertim agunt, adferentes. Restat tamen præcipua ea junioris ac Skaldæ loca, ubi Asæ enumerantur vel tractantur, lectori adferre vel indicare, ut regulas in hoc lexico elaborando serius adoptatas seqvamur.

Ganglerus (pag. 23) qværit: "Qvi sunt Asæ in qvos jure credendum est? Har respondet: sunt Asæ duodecem divinâ sua naturâ insignes (vel divinis honoribus afficiendi)"*). Hi postea ab eo, Jafnhare & Thridio enumerantur & describuntur, hoc qvidem (ut puto) ordine:

1) Odinus (*Ódinn*) pag. 23.
2) Thor vel Thorus (*Þór*) — 25.
3) Baldur vel Balderus (*Baldur*) — 26.
4) Niordus vel Njoerdus (*Njördr*) — 27.
5) Freyr vel Freyerus, Freyus (*Freyr*) — 28.
6) Tyr vel Tir (*Týr*) — 29.
7) Bragius (*Bragi*) — 29.
8) Heimdallus (*Heimdallr*) — 30.
— Jam nominatur Hoedus vel Hoederus (*Höđr, Havdr*) cujus nomen & omen Asæ aversantur — p. 31.
9) Vidar (*Vidarr*) — 31.
10) Valius (*Ali* vel *Vali*) — 31.
11) Ullerus (*Ullur*) — 31.
12) Forsetus (*Forseti*) — 31.

Postremus omnium nominatur Lokius, qvi revera partim Asis (ut eorum diuturno tempore socius) sed partim ac potisſime giganteo, in illos hostili generi est adscribendus p. 31 & sq.

---

nnm propriorum T. II. v, *Áss*, *Æsir*. Librum integrum de voce *Ás* ut multorum nominum inter Græcos, Latinos & orientales populos similis significationis radice scripsit vir doctus L. F. Heyd, sub titulo: *Etymologische Versuche* (*Tübingen* 1824, 8). Plura huc pertinentia protulit celeberr. Ritter: *Vorhalle der Europ. Völkergesch.* pag. 464 & sq. p. p.

*) Asæ sive Dii gentilibus credebantur totam naturam ac ejus phænomena continere ac sustinere; hinc eorum nomina *Bönd*, *Höpt* verbotenus vincula, nexus vel (Dii) complices. Ad summam earum potestatem ac elementales virtutes alludunt nomina *Regin* (*Ravgn*), *Godmögn* & pl. Vocabantur *Jólnar*, festorum aut conviviorum auctores (*Skálda* pag. 176) & *árgefnar* anni et annonæ datores vel largitores (ibid. pag. 120; cfr. S. Thorlacii Ant. bor. obs. VI, 34, 50). Diis ethnicis Sveci & Norvegi adscripserunt aëris clementiam, terræ fertilitatem, bellicam victoriam, hostium fugationem, regni pacem internam, divitias, longævitatem & tandem felicem in altera vita conditionem &c. *Hkr.* I, 13-17, 21-22, 34, 140, 142, 156, 161, 204, 219-20, 254. II, 97, 165, 166, 172, 176. In Islandia blasphemiæ accusabatur poëta christianus Odinum & Freyam vituperans; *Kristni-Saga* ed. Havn, pag. 66. Multa plura huc pertinentia temporis ac spatii angustia his inserere vetat.

Occasione convivii AEgeri ab Asis in Asgardiæ parati memorantur (pag. 79) duodecim Asæ, qvi ut judices (vel collocutores) sedes ibi (primarias) occuparunt — sed in variis codicibus varie enumerantur. Sunt autem iidem ac illi jam nominati in Codice regio Havniensi, Baldero (tunc e mythographi opinione vel fictione cæsi) excepto, at Hænero in ejus locum substituto. Codex Upsaliensis hoc loco eosdem enumerat at Lokium ultimum addit. Versus memoriales Skaldæ inclusi (pag. 211) tredecim ita recensent Asarum denominationes: *Yggur* (Odinus), Thorus, Yngve-Freyr (Freyerus), Vidar, Baldur, Valius, Heimdallus, Tyr, Niordus, Bragius, Hoederus, Forsetus & Lokius. Hic igitur Ullerus & Hænerus desiderantur. De variis Odini filiis qvi Asis alioqvin adnumerari posſent, vid. *Ódinn* s.*).

Auctor junioris Eddæ pro Diis Asas duodecim (ac plures, præter Asynias) accepit, at reliqvos pro subordinatis dæmonibus vel semonibus, secundum tenorem horum Gangleri verborum (pag. 25): "Multum qvidem hi mihi Asæ propriis viribus efficere posſe videntur, nec mirum est virtute & vi magna vos Asas pollere, qvum vobis discrimen Deorum sit perspectum et qvonam qvævis precatio sit dirigenda." **). At tamen præ cæteris Odinus (ex ejus sectæ doctrinâ) erat adorandus, ut summus nostri mundi Deus, qvi ab omnibus ejus gentibus sub variis nominibus, earum diversis idiomatibus adplicatis, intense colitur (pag. 24).

Plurima alia, qvæ de Asis in genere junior Edda communicat, inseruimus variis præsentis lexici articulis, his præsertim: *Ódinn, Baldur, Loki, Hænir, Þiaſſi, Skadi, Hrúngnir, Sleipnir, Fenrir, Val-*

*) Si has diversas enumerationes conferamus cum dominis coelestium domiciliorum, qvæ in carmine Grimneriano recitantur, ibi invenimus Thorum ut Thrudheimi (aëris) principem, at porro, ut duodecim zodiaci regionum (ac mensium iis respondentium) posſesſores vel directores, Deos primâ recensione supra memoratos, excepto Thoro (cujus loco forsitan Skadea, filia Thiaſſii sed uxor Niordi, posita esſe videtur) Bragio (cui Saga, cognata Dea, hic succeſſit) et Tyre (lunari numine, pro qvo aliud fœmininum, Freya nimirum, hic substituitur). Cfr. tandem artic. *Hroptr* s.

**) Theologia nostratium ethnica, omnium Asarum ac Alforum discrimen perspicere vel veram recensionem ac descriptionem (interdum publice recitandam) callere docens, pro præstante scientia habetur *Háva M.* 162. Ejus primarius auctor Odinus ipse fuisſe ibidem innuitur. Ejusdem scientiæ cultores (qvi singulorum mythorum qvoqve gnari esſe debebant) olim audiere *Godmálugir*, (qvod vocabulum Græcum *Θεολογος* ad ungvem exprimit) *Hým. Qv.* 38, qvi simul locus eddica carmina in talium studiosorum vel discipulorum informationem partim composita fuisſe monstrat. Cfr. carmina *Lodſafnismál* (*Háva M.* 112, 114 & sq.) et *Rúnatals þáttr Odins* (ibid. 143, 145 & sq.). Una gentilis Scandinavorum theologiæ sectio de nominibus Odini tractavit, qvam Ganglerus (Edd. jun. pag. 24) fatetur magnam discentis reqvirere eruditionem, cui Har consentit. Vid. *Ódinn* s.

höll, Yggdrasill, Hreidmar, Ragnaröckur. Addimus tantummodo enumerationem eqvorum, iis propriorum, qvi (pag. 18) undecim recensentur (qvum Balderi eqvus cum ejus funere fuerit crematus, at Thorus ad qvotidianum Deorum judicium vel conventum pedes gradi soleat), hi nimirum: *Sleipnir, Gladr, Gyllir, Gler, Skeidbrimir, Silfrintoppr, Sinir, Gisl, Falhofnir, Gulltoppr* & *Léttfeti*, qvorum nomina in Grimneriano carmine enumerantur et hic igitur suis locis explicantur.

Fæmininum vocis *Áss, Ás* (Deus) singulari modo *Ásynia* formatur. Ei nostro articulo hic addimus seqventem junioris Eddæ illustrationem ac observationes: Qværente Ganglero de Asis, in qvos jure credendum sit, at Hare duodecem Asis hunc honorem deberi declarante, observat Jafnhar (pag. 23): "Non eqvidem Asyniæ illis sanctitudine et potentiâ sunt seqviores." In seqventibus enumerantur:

1) Frigga (pag. 23, 36, vid. *Frigg* s. cfr. 10, 11).
2) Freya (celeberrima vel præstantisſima Asyniarum) — Friggâ partim exceptâ 23-24, 37.
3) Saga (de qva suo loco egimus).
4) Eira (*Eir*) medicâ scientiâ ac praxi omnes præcellens. Cfr. artic. *Eir* s.
5) Gefiona vel Gefiuna. Vid. *Gefión* s.
6) Fulla, (de qvo suo loco).
7) *Sjöfn* vel *Sjofn*.(Siofna)
8) *Lofn* (Lofna)
9) *Var* vel *Vavr, Vör*, (Vara)
10) *Syn* (Syna)

} vid. *Freya.*

11) *Hlin, Hlyn* (de qva suo loco).
12) Snotra "qvæ sapiens est et elegans vel moribus lepida; ab ejus igitur nomine mulier vel vir (eo modo) habilis dicitur *snotr*." *)
13) Gna (*Gná*) vid. *Frigg, Vanir.* Paullo posterius (pag. 39) observantur Sola (*Sól*) solaris & Bila (*Bil*) lunaris nympha, Tellus ipsa (Jarda, *Javrd, Jörd*) & tandem Rinda (alia terrestris Dea) Asyniis adnumerari.

At plures (et certo modo majoris dignitatis) alibi Asyniis adnumerantur. Sic nimirum (pag. 79) ut in Asarum Aegeri parato convivio præsentes: Idunna, Gerda, Nanna & Sigyna (nuptæ Bragio, Freyero Baldero & Lokio) **). — In descriptione convivii AEgeriani (ibidem pag. 129) his porro adduntur: Sifa Thori conjunx & Skadea Niordi uxor (cfr. introductionem carminis AEgisdrecka in antiqviore Eddâ) ubi hæ ambæ ac præterea Idunna Asyniis adnumerari videntur. Tandem in juniore illâ (pag. 211-212) omnes jam recensitæ Asyniæ enumerantur, Sifa et Eira exceptis,

*) Hæc Dea vel nympha (ut plures aliæ in hac Asyniarum recensione) indolem prodit mere allegoricam: De vocabulo *snotr* vid. Gl. T. I & II.

**) Præter eas hic tantummodo (ut præsentes Asyniæ) nuncupantur: Frigga, Freya, Gefiona & Fulla.

his insuper additis: *Ilmur* (fragrantia aut svavis odor vel ejusdem Dea). *Njórun* (nutrix, ut videtur, incertæ significationis; forte tamen qvibusdam, alioqvin inusitate, de Nocte beneficâ dictum, licet alii Tellurem intelligere malint) & ultime *Hnoss* Freyæ filia, at ejusdem soror *Gersemi* hoc loco reticetur. Cfr. *Freya* s. *). Hæ dispersæ et confusæ 25 (vel plurium) Asyniarum recensiones duodecim vel tredecim inter eas, præstantiâ aut majore præ cæteris veneratione insignes distincte indicare vetant. De variis Asarum & Asyniarum denominationibus videas artic. *God* **), *Diar*, *Havrgr*, *Regin*, *Tivi*, *Sigtífi*, *Jólnar*, *Bönd*, *Hapt*. Cfr. *Áss*, *Ásynia*, *Ásbrú*, *Ásgardr* ***) & pl. s.

*) Thruda & Rauna postremo memorantur ut Asyniis ordine vel dignitate proximæ. Seqvuntur (ut puto) filiæ (non nomina) Freyæ, Valkyriæ & Nornæ.

**) Hinc etiam *God-magn* numen, divina potestas (Edd. jun. pag. 2) et *Gydia*, *Gydja* Dea (pag. 14). At hæc ultima vox potius sumenda est pro fæminino *te Godi* Moeso-Goth. *Gudja* i. e. divinus, (deorum sacerdos) ac sic etiam sacerdotissam denotavit in gentili Islandia vid. e. gr. *Kristnisaga* ed. Havn. pag. 16. Illi nostro *Godi*, *Goði* (a qvo certe *Godingi* formari potest) verisimillter cognatum est vetus German. *Cotinc* tribunus, in glossis seculi 8^vi occurrens (v. *Graff Diutiska* 1 B. 1 H. 1826). Videas alioqvin Gl. T. I & II v. *God*, *Gud* (variis Asiæ lingvis *Choda*, *Chuda* &c.) unde etiam vetus Pers. *Khoda* princeps (at hic et in oriente et in occidente olim fuit numinis sacerdos).

***) De Asgardia terrestri, ut asiatica regione ad orientem Tanais fluvii, cujus incolæ in borealia hæcce regna per Sarmatiam, Russiam & Germaniæ partem emigrasse feruntur et videntur, prolixe tractavimus: *Eddalæren og dens Oprindelse* I, 65 & sq. III, 1-126. cfr. IV, 107 p. p. Eodem ac ego tempore celeberrimus Gejerus eadem eventa similibus et pluribus illustravit argumentis: *Svearikes Häfder* (1825) I, 366-403. At doctissimi nostri in illo labore prædecessores minime sunt reticendi, nimirum *Suhm*, *Schoening*, *Vedel-Simonsen*, *Rask*, *Ritter*, *Münter* et alii. Omnium fere, qvantum scimus, Europæ gentium vetustissimæ indigenæ traditiones ad earum ex Asia ortum & immigrationem variis modis alludunt. Sic e. gr. Britannorum antiqva carmina gentis incunabula ponunt in remota Asiæ regione, æstate (diu vel semper durante) beatâ, qvæ illis audit *Defrobane* (forte *Taprobane*, qvam Romani Indiæ vicinam esse statuerunt); at ejus terræ (mythica) metropolis medio ævo partim pro Troja, partim pro Byzantio vel Constantinopoli sumta fuit, qvod qvoqve nostræ Asgardiæ eodem ad ungvem modo accidit, ut supra probavimus in artic. *Odinn* (qvi revera idem ac Britannorum *Buddwas*, Indo-rum *Budyas Buddhah* &c.). Memorari igitur meret, qvod nobilissima familia Britanno-Cornubicæ originis, *Trevelyan* de *Wallington* (jam in Northumbria residens ac felice Musarum cultu præclara) seculo 12^mo certe (ac multo anterius, ut mythicæ traditiones monstrant) florens, psittacum, Indiæ orientalis avem, antiqvitus in suis insigniis gestet. Avis eadem alioqvin ante Americæ indagationem in Europa rarissima fuit. Vid. doctiss. *Hodgson Account of the Parish of Hartburn* (*Newcastle* 1827, 4^to) pag. 14. Qvæ de Indica Colchiorum, Asarum gentis & pl. origine nuper disqvisiit celeberrimus Ritterus hic mittere cogimur; at Græcis ipsis olim Syriæ monumenta et naturæ contemplatio persvadebant humani generis ac primorum ejus terræ incolarum originem in India qværendam esse (Pausan. VIII, 29).

Ö.

(Nomina ac verba hac literâ incipientia sæpe antiqvo more alioqvin scribuntur *Av . . .* licet ita eodem modo pronuntientur).

Ögurbodi vid. *Ángurbodi.* Cfr. *Vala* s.

Ölrún, Avlrún, vid. *Völundr.*

Örboda vel *Örbodi*, vid. *Aurboda.*

Örgelmir, duplici modo legi & explicari potest, nimirum a) *Örgemlir, Avrgemlir* pervetustus, grandævus, a particula extensiva *ör, or, avr*, vel etiam adj. *ör, avr*, largus, freqvens & *gamall* vetustus, annosus; sive b) *Aurgemlir*, luteus vel aqvosus senex (aut priscus dæmon). Vid. alioqvin art. *Ymir* (idem nostræ cosmogoniæ ens describentem) et alios: *Bergemlir (Berg-gémlir)* & *Þrúdgemlir.*

Örgiafa aut est legendum a) *Avrgjafa* largiens, larga donatrix, aut etiam b) *Aurboda* udorem, pluviam vel lutum donans, una novem Heimdalli matrum *Hyndl. L.* 34. Vid. *Heimdallr* s.

Ormt, Avrmt, Aurmt (incertæ significationis) flumen unum ex (qvatuor) eorum numero, qvæ Thorus Deus permeare solet, Deorum conventum vel consilium petens *Gr. M.* 29. Cfr. *Kérlaug, Körmt, Þór.*

SPECIMEN
CALENDARII GENTILIS
VETERUM GOTHORUM, DANORUM
AUT
SCANDINAVORUM
EX ASIA ORIUNDI,

DUCTU CARMINIS GRIMNERIANI AC ANTIQVISSIMARUM REIPUBLICÆ ISLANDICÆ LEGUM BREVITER ADUMBRATUM.

Gentes Gotho-Scandicas, qvæ Daniam, Norvegiam, Sveciam ac regiones iis subjectas antiqvitus inhabitarunt, revera asiaticæ originis esſe, ipsarum mythologia, traditiones & idiomata p. p. satis aperte monstrant. Non igitur mirum, si vetustisſimum istarum calendarium eandem præferat indolem. Hoc ex aliqva parte probavimus qvoad planetarum cultum ac denominationes et dies hebdomadis*) iisdem sacratos; v. articulos *Sôl, Mâni, Týr (Tîr) Ódinn, Þôr, Freya, Loki.* De anni divisione (signa ac gradus zodiaci seqvente vel imitante) in menses ac epactas idem est statuendum, ut mox breviter ostendemus.

De Aegyptiis ita Herodotus loqvitur: "Ii omnium hominum primi anni cursum indagarunt & secundum astrologicam suam scientiam ejus tempora in duodecim æqvales partes diviserunt. Hanc inventionem astris debuisſe feruntur. Sunt eatenus meâ sententia multo prudentiores Græcis, qvi cuivis tertio anno mensem addunt intercalarem. At Aegyptii qvemvis mensem triginta dies continere statuunt, addentes ordinario illi numero qvinqve dies, ut anni cursum compleant. Deos etiam duodecim cum eorum propriis nominibus Aegyptii primi habuerunt... Illi similiter Diis primi altaria, statuas ac templa erexisſe & animalia e lapidibus sculpsisſe feruntur"**). Refert porro idem auctor

*) Hic tantummodo annotare liceat qvod præter omnes fere Asiæ gentes (ut Indos, Sinenses &c.) Americæ Peruviani & australis Polynesiæ Taheitiani dierum hebdomadalem divisionem antiqvitus observaverint.

**) *Herodoti Histor.* II. 4. Illis verbis historiæ pater Aegyptiorum de humani generis eventis relationes adgreditur, unde illius computi summa antiqvitas facile patebit. Videtur ita Herodotus omnem Deorum inter Aegyptios (ac forsitan qvoqve antiqvisſimos Græcos) relligiosum cultum anni & singulorum ejus mensium divinis directoribus deberi innuere. Numne etiam *animalia illa e lapidibus exsculpta* pro zodiacalium Deorum vel mensium iis sacratorum adtributis aut symbolis revera sint habenda? Ex his in Aegypto hodie qvoqve reperiuntur ut lapidea (vel alius materiei) idola: *aries, taurus, scarabæus* (pro *cancro*) *leo, virgo. caper* (pro *capricorno*] & pl. qvibus maximam olim Aegyptii (partim ut certorum nomorum vel regionum tutelaribus geniis) venerationem exhibebant. Dicitur porro illo loco *Menes* primus fuisſe Aegyptiorum Rex, qvem pro Orientalium ac Græcorum Mene i. e. Luno vel Mense qvi-

Aegyptios primos auctores esse ejus ritus, qvod qvisqve mensis ac qvivis dies certis Diis fuerint sacrati, ac deniqve dierum genethliacorum (vel superstitiosæ astrologiæ) inventores, prodigiorum vel ominum interpretes p. p.*). At has et alias scientias (ut medicinam &c.) sacerdotali tantum classi vel tribui discere aut docere licuit.

Inter vetustissimos Chaldæos, Babyloniorum sacerdotes, similis olim doctrina ac institutiones floruere, de qvibus ita Diodorus Siculus, prius de divinatione ex astris, de natura solis, lunæ & planetarum (ut divinæ voluntatis interpretum) p. p. locutus: "His stellas triginta substituunt, qvos Deos vocant consiliarios, qvorum dimidium loca supra terram inspiciat, altera pars infra terram et qvæ in cælo fiant contemplantes, decemqve intervallo dierum unum a supernis ad infernos veluti stellarum nuntium ablegari & ab inferioribus ad superiores vicissim unum; atqve hunc iis motum æterni circuitus lege esse definitum. Deorum principes numerant duodecim, singulis mensem et de XII zodiaci signis unum adtribuunt. Per hæc sol et luna ipsis cursitant cæteriqve planetæ qvinqve, ita ut sol anni, luna mensis spatio orbis sui iter emetiatur." Disserit deinde de genethliacis, ac de viginti qvatuor extra zodiacum definitis stellis, qvarum 12 borealem, 12 australem sibi regionem vindicent. "Inter has, qvæ apparent, viventibus deputant, qvæ latent, vita functis congregatas existimant. Et has omnium rerum judices appellant. . . . . Hoc jure qvis affirmarit rei astrologicæ scientia Chaldæos mortalibus universis præcellere & maximam huic speculationi operam tribuisse"**).

---

dam commentatores sumunt. Vetus illud Aegyptiorum calendarium Abyssiniis (christianis Copticæ sectæ) adhuc est receptum. Qvatuor anni tempora (ac qvatuor simul anni, cyclum efficientes) ab Evangelistis sua nomina ducunt. Collegium sacerdotale calendarii compositionem dirigit; præsidi ejus, ipsi summo pontifici vel archipresbytero (*Abun* appellato) duodecim assessores sunt subordinati (*Lickcunt* dicti); *Nathanael Pearse Account of the Abyssinians, Transact. of the liter. Soc. of Bombay* (1820) II, 28. Galli, eorum ultima politica revolutione durante, per paucos annos (a 1793 ad 1805) vetus illud AEgyptio-Asiaticum calendarium (astronomice emendatum) in usum proprium verterunt. Id qvoqve ab Islandis tam ethnicis qvam christianis, eorum republica florente, usitatnm fuisse (licet intercalationis modo aliqvantum immutato) infra sufficienter probabimus.

*) *Herodot.* II, 82. Hic præcipue de meteoris et aliis cælestibus vel aëriis phænomenis sermo esse videtur.

**) *Diodori Sicult Biblioth. histor.* II, 29, 31, 32. Stellas illas triginta repræsentare opinamur

Calendarium tam veterum qvam hodiernum Persarum eandem prodit originem ac dispositionem, nobis qvidem antiqvitus servatum ac clarius perspectum. Mensis qvisqve triginta dies numerat, præter regulares qvinqve dierum epactas, at duodecim anni menses et singuli menstrui dies divinorum priscæ Persarum religionis geniorum nominibus sunt insigniti *).

Idem de Indorum calendario est dicendum, epactarum tantum intercalationis modo excepto **). Habet enim mensis qvisqve triginta dies, in duas æqvales partes divisus, ut Curtius jamdudum retulit (VIII. 9). Qvivis mensis (vel zodiaci signum) diversis Indicæ mythologiæ numinibus est sacratus, at singularum mensis dierum qvævis, *Tithi* appellata ***), Deæ vel nymphæ alicuius (ejusdem generalis nominis) gubernationi subjecta esse creditur. Hebdomades porro pro variis mythologicis personis habentur.

Græci antiqvissimi, qvantum scimus, idem lunaris anni calendarium sunt secuti, id qvidem, ut videtur, ex Asiâ nacti. Thales, notorum inter eos philosophorum vetustissimus, e Phoenicia ****) fuit oriundus, Mileti in Asia sæpissime

---

tot zodiacales gradus ac mensis cujusvis singulos dies, noctibus junctos. Nuntii dicti stellarum sunt Decani AEgyptiorum & Græcorum (Persis *Dihkan*, Indis *Dereschkana* vel *Dreschkana*). At stellas illas viginti qvatuor credimus præpositas fuisse tot dimidiatis mensibus, qvos Indi in lucidos ac obscuros dividunt, qvorum ultimi defunctis majoribus sacrati habentur.

*) *Hyde de relig. vet. Pers.* ed. 2 pag. 261 & sq. *Kleuker Zendavesta* ed. maj. III, 179, 182 et alibi. At omnium doctissime Persarum calendarium illustravit clarissimus *v. Hammer: Wiener Jahrbücher der Literatur*, (1827) XXXVIII, 19 & sq. cfr. III, 147 & sq. X, 211 & sq. De signis zodiaci apud Persas ac alias Asiæ gentes cfr. *Rhode heilige Sage der Baktrer, Meder und Perser* p. 238 & sq. at de variis eorum æris, anno ac mense divino (ita dicto) &c. *Friedleben Lehrbuch der Chronologie* (1827) p. 267 & sq.

**) *Bailly Histoire de l'astronomie ancienne* p. 109, 112. *Will. Jones on the antiqvity of the Hindu Zodiac* & *on the lunar year of the Hindus (Asiat. Res.* II, 289. III, 257). *Colebrooke on the divisions of the Arabian and Indian Zodiac* (ibid. IX, 323). Cfr. v. *Hammer Wien. Jahrb.* III, 142 & seqvent. *N. Müller Glauben, Wissen und Kunst der Hindus* I, 544 (tab. I.) it. *Dorow Morgenländische Alterthümer* II, 94 & seqvent. *Rhode über Mythologie und Philosophie der Hindus* (1827) I, 178.

***) At Indo-Tamulice *Tidi*, e doctissimi nostri Fuglsangii mihi communicata observatione. Cum hoc vocabulo conferri meret vetus Scandinav. *Tid, Tíð (Tith)* pl. *Tidir* (fœminini generis) tempus vel potius temporis aliqva sectio — Dan. & Svec. *Tid*, AS. *Tíd*, Angl. *Tide*, Alem. *Zit* (*Zeit* &c.) Conveniunt Tithiis Græcorum "3ο *Μοῖραι* Deæ fatales" (*Censorin.* C. 8).

****) Phoenices eadem chronologiæ computisticæ principia secutos esse verisimillimum evadit e Jos.

degens, ac ab Aegyptiis (ut fertur) sacerdotibus astronomiam edoctus. Is primus inter Græcos dicitur annum *in qvatuor sua tempora* divisisse, solstitia ac æqvinoctia calculo determinavisse, at anno dies 365 et mensi cuivis triginta dies adtribuisse, unde etiam seqvitur, qvod epactas Aegyptio more mensium seriei continuo ordini addiderit *). — At hoc calendarium minime in universam Græciam fuit introductum, cum variarum ejus gentium computi, mensium nomina, anni initium & pl. inter se multum divergerent. Hinc illud Herodoti, melius ab Aegyptiis informati, pium desiderium. Exoptatam ab eo computi correctionem primum Romani multis post illum centuriis certo modo instituerunt, cum Sosigenes, Aegyptius philosophus, (annis 45 ante æræ nostræ initium) e Julii Cæsaris (tunc maximi Pontificis) petito, eorum fastos, maxima confusione & irregularitate laborantes, emendavit & reformavit **).

Gothi meridionales, ethnicæ religioni adscripti, ante christianæ æræ initium recepisse videntur fastos, Aegyptiis illis ac Asiaticis persimiles, ut hæ Jornandis de Diceneo, summo eorum sacerdote, relationes innuunt: „Philosophiam Gothos instruxit physicam tradens. . . . . theoricen monstrans *signorum duodecim et per ea planetarum cursus, omnemqve astronomiam* contemplari edocuit & qvomodo lunaris orbis augmentum sustinet aut patitur detrimentum edixit . . . vel qvibus signis in cæli polo vergentes aut revergentes CCCXLIIII ***) stellæ ab ortu in occasum præcipites ruant, exposuit."

Scaligeri (in libro *de emendatione temporum*) doctissima disqvisitioue de mensibus triginta dierum a Syris, Hebræis et pluribus orientis gentis receptis, licet epactas variis modis addidisent vel intercalavisent. Cfr. *Fabricii Menologium* p. 13 & seqv.

*) *Diogen. Laërt. Hist. philosoph.* I, 23, 24, 27, 43. Cleobulus Rhodius ex Asia oriundus et ab Aegyptiis instructus composuit ænigma adhuc exsistens de duodecim anni mensibus & cujusvis mensis triginta diebus, ibid. I, 91. Cfr. *Bailly Hist. de l'astron. anc.* p. 192. Hic doctissimus auctor observat (p. 488) summam illam similitudinem, qvæ inter zodiacos Græcorum Alexandrinorum & recentiorem Indorum exsistere cernitur. Alioqvin tam Græci qvam Romani gentiles singulos menses certis Diis ac Deabus majorum gentium adsignaverunt.

**) Sic exstitit Calendarium Julianum, primum a gentilibus Romanis et posterius (partim concilii Nicæni, anno æræ nostræ 325 celebrati, ac partim Dionysii Exigui, sec. 6^to^ viventis, immutationibus observatis) ab universa christiana Europa usitatum, usqve ad annum 1582 cum Gregorius 13^tius^ Papa id radicitus reformare curavit. Hi Gregoriani fasti paullatim cunctis christianæ Europæ gentibus sunt accepti, Russis ac Græcis exceptis, qvi veterem vel julianum stylum adhuc retinent.

***) Opinamur hic revera legendum esse CCCLXIIII, qvod nimirum (ex auctoris mente) tot stellæ

Dicitur porro *theologiam* nobilisfimos prudentiores viros instruxisfe, numinum cultum ac sacerdotalem ordinem instituisfe &c. Hinc concludimus Gothorum astronomiam & chronologiam eorum theologiæ arctisfime junctas fuisfe, qvi qvoqve casus similiter inter istorum in Scandinavia (ut prius verisimiliter in Germania ac Sarmatia) cognatos revera exstitisfe videtur.

Veterum Gothicæ originis Scandinavorum calendarium prisco Aegyptio, Chaldaico, Persico, Indico, Græcorum ac pl. antiqvisfimo & Gothorum gentilium fastis præcipue convenisfe monstrat prima Islandiæ historia. Huius pater, Arius multiscius, has nimirum nobis servavit relationes: "Tum temporis" (inter annos æræ christianæ 950 & 970 ut opinatur immortalis Arnas Magnæus in MSto ejus collectionis, in Qvarto No. 732) "sapientisfimi Islandiæ viri*) in duabus æqvalibus anni partibus trecentos sexaginta et qvatuor dies numeraverunt, qvi faciunt qvinqvaginta duas hebdomas, menses autem duodecim singulos triginta noctium, et qvatuor dierum qvi excurrunt. Deinde ex solis cursu animadverterunt hoc modo æstatem in vernum tempus iterum inclinare, (vel retrocedere) sed hoc potuit nemo dicere illis, qvod dies unus esfet supra id qvod respondebat integris septimanis in duobus anni semestribus (vel hemicycliis) et hoc erat (mendi) causa. Erat autem vir qvidam Breidfjordensis, Thorsteinus Surtus, filius Hallsteini & Oskæ, Thorsteini Rufi filiæ, nepos Thorolfi Mostrarskeggi**), Thornesiæ fundorum primi occupatoris. . . . . Is in foro

---

repræsentarent singulas anni dies (qvarum similem numerum Scandinavi gentiles vulgari anno primum adtribuebant ut infra monstrabimus) aut etiam qvod stellæ universæ tot vicibus in anni regulari cursu ab ortu in occasum ruerent &c. Vid. *Jornandis Hist. Goth.* Cap. XI & sq. cfr. artic. *Odinn* s. Hic forte notari meret qvod Casfiodorus, sub Gothorum Rege Theodorico vivens, mensem lunæ synodicum dies triginta efficere perhibeat (*Variorum* XI, 36).

*) Nimirum sacerdotes (vel hierarchæ tam civili qvam religioso imperio functi) ab Islandis *Godi*, *Gudi* (Moeso-Goth. *Gudja* &c.) appellati. Hi in Islandia primum fora administrarunt duodecim, præter universalem pontificem, qvi *Allsheriargodi* fuit appellatus.

**) Celeberrimi Thori primum in Norvegia ac deinde in Islandia pontificis. Vid. art. *Þór* s. Fuit Halsteinus (et post eum Thorsteinus dictus) Thorskafjordensis provinciæ flamen sive curio. Cfr. *Landnáma* ed. Havn. p. 94-95, 135, ubi Thorsteino Surto sapientis cognomen adtribuitur. Hinc verisimile evadit eandem intercalationis scientiam vel ritum in pontificali illa familia antiqvitus notam ac qvondam observatam fuisfe. At Thorsteinus iste, ut alibi monuimus, ab incunabulis Thori sacerdotio fuit destinatus, ac certe igitur computi doctrinâ imbutus, ut e seqventibus patebit.

Islandiæ generali ad legis petram (sive rupem) *), qvæsivit, (vel hoc consilium impertivit) ut qvamvis septimam æstatem unâ adaugerent hebdomade ad periclitandum, qvomodo res tunc succederet. Verum tum universi hac admonitione bene expergiscebantur [i. e. oblitæ dudum at jam iterum proposito sententiæ aut consvetudinis veritatem approbantes agnoverunt] unde e consilio Thorkilli Manii (Luni) **) aliorumqve sapientum virorum mox in leges referebatur qvod unusqvisqve annus trecentis et sexaginta qvinqve diebus constaret, nisi annus esset bisextilis, tunc enim unum insuper diem adjiciendum; at nostro calculo fiunt qvatuor ***) sed cum hic numerus crescerét, nostro calculo septimus qvisqve (annus) septimanâ (augendus) sed nullo (die) cæteri (augendi). Tum fiunt septem nostri (anni) æqvales ex utraqve parte, sed si bisextiles duo interveniant inter eos qvi augendi sunt (o: qvemlibet septimum annum) tum augendus est sextus." ****)

*) Proprie *Lögberg*, verisimiliter saxeam illam molem, qvæ ethnicismo durante pro principali numinum arâ habebatur — aut etiam (et simul qvoqve) monticulum, ubi judicium primarium celebrabatur, leges ac edicta publica proclamabantur &c. Thorsteinus igitur coram tribunali legislatorum illam proposuit fastorum correctionem.

**) Is fuit tunc temporis Islandiæ nomophylax & universalis pontifex, ex hierarcharum memoratorum præstantissima familiâ oriundus. Vide de eo ac ejus propinqvis artic. *Surtr*, *Þór* s.

***) "Dies" ponit doctissimus *Gam* (hunc locum explicans) in parenthesi. Numne autem potius de qvarto qvovis, e juliano computo, intercalari anno intelligendum? Fuit nimirum Arius ille christianus sacerdos, hunc stylum observare debens. Cfr. *Schedas* l. c. p. 26.

****) In hanc *Arii multiscii* relationem egregie est commentatus, (ad calcem illius *Schedarum* editionis Busslæanæ, Havn. 1733, 4.) *Jonas Gam* in *Schediasmate de ratione anni solaris secundum rudem observationem Paganorum in Islandia, sect.* I. Doctas ejus annotationes his inserere spatii angustia vetat; liceat tantummodo has adferre (p. 95): "Credibile est ex Norvegia pagana, unde oriundi, qvandam notitiam anni solaris et bisextilis secum attulisse: anni vero qvantitatis vel oblitos vel curiosos, alio sub horizonte degentes in Islandia, proprio Marte per observationes, ad veritatis stateram, ex annuo solis motu, hanc anni qvantitatem examinare voluisse. Astronomi autem eo tempore fuerunt rari, præsertim hic in septentrione, nec scientiæ et literæ adeo excultæ, ut omnibus essent proficuæ." His addere juvat Schoeningii verba (in tertio programmate *de anni inter veteres Scandinavos ratione*, Soræ 1766) pag. 13: "Colligere hinc licet intercalandi rationem (in Islandia ante Thorsteini Surti emendationem) non fixam fuisse sed vagam, non tam ad certam qvandam normam qvàm ex certorum potius, qvibus hæc demandata fuit provincia, hominum judicio, more apud Romanos vetustissimos non tantum sed etiam Judæos consveto." Qvod autem hi homines apud Islandos sacerdotes fuissent, e legibus reipublicæ eorum antiqvissimis perspicue satis elucere cernimus. Cfr. *Lagerbring Svearikes Historia* I, 456-457 & *Werlauff de Ario multiscio* p. 32-33.

Gentilis hicce anni computus, ab hierarchis Islandiæ observatus et emendatus, non a christianismi introductoribus (circa annum 1000) fuit abrogatus. Duravit enim certe e contrario, ad annum usqve 1122, et tum insuper a novi legum codicis *) auctoribus ita memoratur ut rite a populo observandus: "Sit "semper dies qvintus hebdomadis æstatis primus; inde numerandi tres menses "triginta noctium ac insuper noctes qvatuor (accesforiæ) ad medium æstatis; "at a medio æstatis sint calculandi tres menses triginta noctium usqve ad "hyemem [hyemis initium]; sit dies lavacri (Saturni) hyemis semper primus "at inde numerentur sex menses triginta noctium ad æstatis primordium." His fastis civilis anni computatio in Islandia adcommodari continuavit usqve ad initium seculi 18^vi^, licet Julianum calendarium a sacerdotibus catholicis pro anno ecclesiastico cum ejus festis determinando a christianismi introductione fuerit unice usitatum. Ambos illos computi modos tractant libri duo ævi medii, dicti *Rimbegla* et *Blanda* (sub primo illo titulo, opera Stephani Bioernonii at immortalis Suhmii sumtibus publicati). Sunt igitur hæc Blandæ auctoris verba nobis bene observanda: "*At bóktali verdr at taka rímtalit, enda verdr vid þau at blanda Islendskri liódeisku í sumum stödum, til þess at skírt verdi ólærdum mönnum; þá skal siá skrá þadan af nafn taka oc heita Blanda fyri því at saman er blandat skyldu tali oc óskyldu*" o: "Qvippe ex libris [exoticis ac ecclesiasticis] computistarum regulæ computandi sunt hauriendæ et idcirco popularis Islandorum (fastos calculandi) consvetudo (vel scientia) **) locis nonnullis interspergenda, ut illiteratis [laicis] hic [in Islandia] clarius exponi posfint; hoc scriptum inde nomen

*) Hic præstantisfimarum Islandicæ reipublicæ legum Codex, *Grágás* vulgo dictus, adhuc est inedítus sed jam a docto jurisconsulto, Thordo Sveinbioernio, toparchâ Arnesiense in Islandiâ, latine versus, curâ Arnæ-Magnæanorum septemvirorum typis mandatur. At locus ille, lingvâ vernacula expresfus, jam dudum est insertus libro impresfo: *Arnesens (og Erichsens) Islandske Rettergang* pag. 75, ubi præterea monstratur *mensem dimidium* Islandiæ legibus (etiam regiæ illi sec. 13^mi^ *Jónsbók*) ex antiqvisfimi insulæ computi tenore qvindecim dies denotare (pag. 73-76). Cfr. *jus vetus eccl. Isl. ed. Thorkelini* (1775) C. 45, p. 164.

**) Non autem *idioma* ut translator latinus nimis breviter vertit (pag. 5 l. c.). Est autem illud vetus vocabulum *liódeiska* idem ac recentiorum Islandorum *lýdska* popularis (morum vel scientiæ) proprietas.

accipit et vocatur *Blanda* [i. e. mixtura] nam fasti *jure* [ecclesiastico] *observandi* et *non observandi* *) [in eo] commiscentur." Variis locis auctores isti civile illud ac vetustisſimum Islandorum calendarium tractaverunt ac juliano adaptare studuerunt, qvæ tamen hic tantum indicare brevis occasio concedit.

Ethnici illi fasti (plurimis tantum mythologiæ nominibus exceptis) semper in Islandia effecerunt unicum fundamentum anni eorum civilis (vulgo dicti *Landstjórnar-ár* o: politici terræ regiminis annus, vel etiam *Búskapar-ár*, annus oeconomicus). Legum Islandicarum varii codices eorum (sed non julianum vel ecclesiasticum) computum ubiqve respiciunt. Videatur e. gr. *Jónsbók Landsl. b.* Cap. 42, 46, 47, 49, 50, 54 p. p. Hinc qvoqve petita sunt data permulta in vetustis Islandorum diplomatibus (ad evangelicam usqve religionis reformationem) notata, e. gr. die . . . . mensis Thorrii, Goe & pl.; die . . . hyemis (vel æstatis) hebdomadis &c., licet festa christiana sæpe in aliis memorentur, qvum sacerdotes freqventer tales litteras composuerint vel ediderint **).

Observavimus supra Islandiæ gentiles hierarchas vel sacerdotales optimates fastos reipublicæ constituisſe. Post christianismum receptum computus ecclesiasticus a novæ religionis præsulibus necesſe fuit totaliter mutandus ac secundum longe alias regulas in futurum determinandus. Opus hocce igitur in eorum abiit provinciam, licet vetus calendarium pro civilis omnis ac oeconomicæ actionis stato vel commodo tempore observando retineretur, et porro in populi usum servaretur a pontificibus hæreditariis ***), qvi civilis jurisdictionis

*) Non tantummodo *computo impares* ut translator, matheseos ac astronomiæ peritisſimus at antiqvi (licet patrii) Islandorum sermonis nimis ignarus, interpretatus est.

**) Vid. *Rímbegla*. Havn. 1780, 4, pag. 42, 57, 200, 202, 430, 432, 488, 514, 516, 544, 562. Vetustisſimum illud Islandorum Calendarium optime disqvisiit ac illustravit immortalis borealis juris archæologiæ commentator, Paulus Vidalinus, in Glosſario ejus qvantivis pretii ad legem Magni Regis Islandicam, adhuc inedito, in voces *Einmánudr*, *Tvimánudr* &c. Cfr. nimis brevem ejus disqvisitionum epitomen in scriptis societ. literariæ Islandicæ. Addas porro doctisſimi Schoeningii tria programmata *de anni ratione apud veteres septentrionales*; *Soræ* 1766 & 67. At Anglosaxonum Calendarium diligenter tractat *Georgii Sorterüpii* (Dani) *Prodromus Calendarii Arctoæ gentis ethnici & antiqvisſimi* (scriptus 1722 sed adhuc ineditus) licet multa ad gentiles Daniæ fastos referenda e populi moribus ac sententiis ingeniosisſime illustret.

***) Sic initium legis reipublicæ mandat nomophylaci (qvi prius revera fuerat summus vel universalis pontifex) fastos populares *(misſeris-tal)* publice ad legis rupem (in foro generali) populo

officiis fungere ac vetus illud officiale nomen (*Godi* nimirum) gestare perrexerunt. At e contrario clerici christiani omnes in illo calendario gentilismi reliqvias abolere continue nitebantur. Sic primus Holensium Episcopus, Jonas Oegmundinus, (anno 1107), ut ipsius adhuc inedita biographia testatur, vetera hebdomadis dierum nomina qvæ ab ethnicis Diis Tyre, Odino, Thoro, Freya & pl. suam traxerant originem prohibere, at alia, de dierum numero præcipue sumta, lege publica illorum loco substituere curavit, qvæ nomina adhuc in Islandia observantur, licet ethnica illa Danis, Norvegis, Svecis & pl. usu antiqvisfimo valeant. Idem e nostra opinione contigit mensium ac forte etiam hebdomadum priscis nominibus, e gentilium mythologia sumtis, licet hæc forte antea tantummodo sacerdotibus nota sed Druidarum, Romanorum pontificum & pl. *) more profanis celata fuisfent; at nihilominus eadem nobis in Grimneriano carmine fortuito servata esfe censemus.

---

congregato promulgare, ac insuper (ut novæ religionis institutiones) angariarum (vel qvatembrium) tempora ac magni jejunii initialem feriam indicare. Similiter pontifex (vel prætor) provincialis in conventu publico sui pagi, qvi dictus fuit *Leid* vel *Leidar-þing*, ejusdem originis & indolis ut Anglorum *Leet* vel *Leet-court* (adhuc partim iisdem in usu) debebat publice proclamare dictos civiles ac ecclesiasticos fastos, addito tandem (suo tempore) bisfextili anno, æstatis (e civili computo) augmento aut appendice p. p. *Grágás* (impresfa) I, 2, 122.

*) "Druides non in vulgum disciplinam efferri volunt . . . . Multa de *sideribus ac eorum motu*, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestato disputant & juventuti tradunt." *Cæsar de b. Gall.* VI, 14. Fastos populi cum astronomia ac theologia Druidarum arcte connexos fuisfe, dubio caret. Referuntur enim illi paullo anterius *sacrificia publica* (vel festa certo tempore celebranda) procurasfe. Ii etiam *certo anni tempore* (qvod igitur justo computo fuit determinandum) in media totius Galliæ regione, considere soluerunt ad judicia habenda ac decreta edenda vel publicanda. Hæc instituta Scandinavicis & Islandicis ad ungvem convenisfe, neminem borealis historiæ satis gnarum latebit. Peculiare gentis calendarium ita memoratur (ibid. VI, 18): "Galli ut a Druidibus proditum... spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt; *dies natales* et *mensium* & *dierum* initia sic observant, ut noctem dies subseqvatur." Germanos ac Scandinavos in eorum antiqvisfimis fastis noctes dierum loco uominasfe, et Taciti testimonium (German. Cap. XI) et allata legum loca monstraverunt. Romanorum gentilium pontifices fastorum computi rationes (licet satis inepte observatas) populo celabant, donec Cn. Flavius hæc eorum mysteria publicavit (*Hist. Liv.* IV, 3. IX, 46). At nihilominus Romæ Pontifex maximus pro fastorum summo auctore tam olim inter gentiles qvam posterius inter Christianos habitus est. De veterum Aegyptiorum, Babyloniorum ac Persarum sacerdotibus similia retulimus, qvibus Mexicani & pl. addendi. Idem de Indorum Brachmanis, Mongolorum & pl. Lamis, Muhamedanorum præsulibus &c. adhuc referendum. Vulgaris anni computus apud gentiles Islandos satis simplex

Antiqvisfimæ septentrionis traditiones loqvuntur de festis ac comitiis certorum anni temporum (nundinis alioqvin unitis) ab ipso Odino institutis, ut suo loco probavimus; at is simul sacerdotibus primariis omnes scientias (ac certe inter eas computisticam) docendo communicavisse credebatur.

Illa primaria festa hyemis ac æstatis initio et medio celebrari soluerunt & sic annus dividebatur in duo semestria, dicta *Misseri*, at hæc iterum in duas minores sectiones vulgo appellatas *Mál;* horum qvævis trimestre vel trium mensium systema efficiebat, at qvatuor earum junctæ universum annum composuerunt. In initium trimestris cujusvis unum incidebat qvatuor illorum festorum. Druides suas scientias (ac computi igitur chronologici doctrinam) versibus memorialibus inclusere; fasti christiani eodem modo posterius tractabantur ac adhuc passim (ut a rustica Daniæ & Islandiæ plebe) tractantur, e. gr. per versus eos latinos qvi vulgo vocantur *Cisio Janus*, vel alios similes lingvâ vernacula exaratos; at hi singulis suis syllabis indicant mensis cujusvis singulos dies, ac simul ejusdem præcipua festa aut memorabiles ferias*). Ejus-

---

fuit, at solaris anni per intercalationem calculatio tunc temporis magnâ laboravit difficultate. Hanc proprie scientiam inter arcana habuerunt illi gentium sacerdotes, qveis porro adnumerandi hierophantæ Athenarum, Synedrium Hebræorum p. p.

*) Vid. e. gr. *Rimbegla* pag. 154 & sq. *Bonde-Practica eller Vœirbog* (edit. de 1772) pag. 24-26. *Enchiridion Islandicum*, Scalholti 1671 & *Calendarium Islandorum perpetuum* ibid. 1672 & pl. Illos chronologicos versus (juliano ac simul ecclesiastico calendario adaptatos) primus, qvantum scimus, mundo literario communicavit venerabilis Beda, auctor sec. 7^mi^ post Chr. n. At gentiles computistas olim similes alios usitasse credimus. Sic Brachmanes hodierni (ut viator celeber *le Gentil* observavit) astronomicas eorum ac chronologicas calculationes instituere solent ad ductum mysticorum et ænigmaticorum versuum, qvos memoriâ tenere ac tali occasione secum mussitare debent; sunt etiam (e rolatoris sententiâ) originitus figuratim compositi, ut audientes vel legentes profani verum eorum sensum indagare neqveant. (*Berlin. Sammlung der besten Reisebeschr.* IV, 414). Ejusdem generis Eddæ nostræ Grimnerianum carmen fuisse opinamur. Idem certe de recentioribus Islandorum computisticis versibus est dicendum. Qvidam eorum singulis syllabis tot mensis certi dies, at alii duplici numero tot ejusdem dies ac noctes indicant. Ponamus e. gr. gentilem qvendam virum, sine ulla christianismi ac sanctorum ejus hominum notitiâ hanc cantilenam audire:

Mjög þó ridfisk Marteinn grandi	o: Licet *Martinus* valde piscibus noceat
Myki vidt um völlin þandi;	Is stercora per campos dilatavit,
Skorda menn þá skip á landi.	Tunc in littore navigia fulciuntur.
Skapnad vetrar Clemens vandi!	Indolem hiemis *Clemens* constituat!

dem indolis opinor antiqvitus fuisse magnam Grimneriani carminis partem, de Diis gentilibus et eorum festis, ac simul anni partibus, mensibus et diebus, simili modo loqventem ac illas christianas cantilenas de sanctorum festis &c. Ista institutio, Agnari juveni Gothorum principi, ab Odino ipso exhibita fuisse fertur, ut doctrina fabulæ involvatur. At contenta totius prælectionis Druidarum informationis (supra recensita) objecta ad ungvem referre nemo non videbit. Incipit forte mystica Odini peroratio duarum anni semestrium vel principalium sectionum (ut diversorum divinorum regnorum) seqventi mentione:

A) *Land er heilagt,*	Ætherea (sancta) illa regio est
er ec liggia sé	Qvam sitam esse cerno
Ásum oc Álfum nær.	In Asarum ac Alforum viciniâ.

Hic loqvi videtur de cælo sudo; cum innumeris astris *hyemali tempore* rite apparente; sunt autem Asæ Dii coelicolæ (Homeri *ὀυρανιωνες*) at Alfi lucidi (solstitii hyemalis tempore ad terram inde revenientes) eorum famuli ac vicini. Ita cælum astrale, hominibus apparens, hyemem mystice repræsentat.

Katrín kyndir brandi	Torrem accendit (vel consumit) *Catharina,*
Kólna þykir Andi,	At spiritum (auram o: *Andream*) frigescere sentimus.

Auscultator ille vix verum verborum sensum sine aliena informatione indagaverit, nam S. Martinus, Clemens & Catharina pro diebus ipsis olim sacratis ponuntur, at vox *Andi* (spiritus, aura) pro nomine apostoli *Andres* (vel Andreas). Alioqvin hi versus efficiunt fragmentum cantilenæ, qvæ duplici syllabarum numero Novembris mensis dies ac noctes enumerat, temporis naturalia phænomena ac hominum illi convenientia oeconomica opera simul innuens. Cfr. hujus Eddæ vers. Dan. I, 148 & sq. Addimus plures Calendarii Grimneriani strophas pro mense uno tricenario triginta syllabas continere e. gr. str. 6 de Vala-skjálf sive Valii turre aut arce. Aliæ jam verisimiliter aut mancæ sunt (descriptiones Ydalorum & Alfheimi str. 5, qvæ duabus olim strophis, qvorum hemistrophia jam desunt, propriæ fuisse videntur) aliæ autem nimis verbosæ (ut numeralia vel plura excipi debeant). Talis corruptio cantilenis, per plures annorum centurias orali tantum traditione conservatis, facile accidere potuit. Exempla ejus generis alioqvin patent e similibus versibus, diu ac freqventer impressis, e. gr. Danicis computisticis in libro *Bondepractica* 1772 (hic vocatis *Cicero Janus!*) qvorum introductio adserit qvodvis vocabulum diem mensis singulum notare, ut cuncta anni dies 365 contineant at *nullius mensis* versus justum verborum (aut dierum) numerum jam continere cernuntur, licet olim certe continuissent; sic Januarius e. gr. habet dies 32, Februarius 26, Aprilis 27, Majus 23, Augustus 29 &c.

B) *Enn í þrúdheimi* — At in fortitudinis habitaculo
Skal Þór vera — Thorus manere debet
Uns riúfaz regin — Donec (elementalia) numina defieiant.

Thorus tonitruans æstatem regit, hominibus certo modo in fulminis phænomeno visibilis. Aër tum vocatur (ejus) fortitudinis domicilium, at *æstati*, omnia naturæ entia corroboranti, illud poeticum nomen allegorice imponi potest. Thoro ipsi æstatis initium vel prima dies semper fuit sacrata, more in Islandia adhuc observato. Huc forte suo modo alludere putabatur nomen Thori aulæ *Bilskírnir* i. e. tempestates serenans. Cfr. *Þór, þrúdheimr.* Hæ ambo hemistrophia solidam stropham, ut hyems et æstas unitæ annum unum efficiunt.

Seqvitur enumeratio duodecim numinum ac tot eorum cælestium domiciliorum, qvæ manifeste solis annua duodecim domicilia (e nostro loqvendi modo) significare opinamur *).

---

*) Hoc diu suspicati sumus at primum tamen (qvantum scimus) illius veterum sacerdotum astrologici mysterii veram indolem indagavit ac publice detexit vir reverendus ac astronomiæ peritisſimus *Henneberg*, in libro *Hvad er Edda eller Undersögelse over de to Guldhorn* 1812, pag. 77, dicens ibi duodecim coelestia Deorum domicilia, in carmine Grimneriano memorata, pro duodecim zodiaci signis sumenda esſe; at qveis eorum certa ex illis numinibus esſent adtribuenda, vix auctor laudatus iite determinavit. Nescio sane num Germanorum *Trautvetter* tum vel prius eandem revelaverit occultam veritatem, nam mihi nec videre contigit ejus *Annotationes ad Tacitum* nec *Eddicam clavem (Schlüssel zur Edda)*; perlegi autem laudati scriptoris *Asciburg oder die germanischen Götter nnd Heldenbilder des Tacitus und der Edda als Sternbilder dargestellt (Okens Isis* 1820, IX, 598 & sq.) ubi maxima borealium mythologiæ pars ad astrorum annuum cursum et temporis ac tempestatis variationes alludere monstratur. Hanc disqvisitionem summa doctrinâ ac ingenio elaboratam esſe agnoscimus, multa ejus ac præcipua qvidem momenta nostræ interpretationi convenire cernentes. At varia elementorum numina eorum ad astronomiam adplicatione in gentium dogmatibus ac cultu antiqviora esſe opinamur. Accipit Trautvetterus Friggam (at ego Freyam) pro virginis zodiacali signo, Balderum pro sole in Leone versante, Forsetum in aqvario, Gefionam in Tauro (& pl qvæ nobis non arrident) at Vidarem in scorpione et Ullerum in sagittario, (qvæ nostræ interpretationi ad ungvem conveniunt). Ita Trautvetterus zodiacalium signorum in Grimneriano carmine propositum ordinem sæpisſime neglexit vel deseruit. Horum prima calendaris expositio a nobis fuit adornata anno 1815 currente, ac immortali nostro et totius Danicæ literaturæ Mecænati, *Johanni Bülow* de *Sanderumgaard*, paullo posterius misſa ac dedicata, at deinde eandem inseruimus scripto nostro *Eddalæren og dens Oprindelse*, insinuato regiæ societati scientiarum Danicæ, in cujus ephemeridibus pro anno 1817-1818 a celeberrimo H. C. Oersted editis, primum fuit typis mandata, at posterius (amplius illustrata) ad Eddæ hujus Danicam translationem (1821) I, 148, 194-237. Nostrum systema *Mone*, licet plurima

Feruntur Aegyptii zodiacum vocavisse *magnum duodecim Deorum regnum* at singulo cuivis zodiaci signo Persæ & Arabes turrem sive arcem aliqvam adtribuunt*), ut hic in Grimneriano carmine nostrates illorum dominis. Indi zodiaci signa Indiam vel orbem planum terrarum undiqve cingere dicunt, ut doctisimus noster Fuglsang, qvondam diu in India versans et ipse a Brachmanis edoctus, disqvisitione sua mihi mutuata sed adhuc inedità, me amice docuit. — Aegyptios, Babylonios, Persas, Indos & pl. illa signa singulis numinibus sacravisse, antecedentibus probavimus; monstratâ veteris Islandici (ac olim certe Scandinavici) computi cum illorum calendariis arcta similitudine, verisimillimum evadit gentiles nostros atavos eodem modo zodiaci signa (ut alias de hebdomadis diebus certisimum est) suis Diis sacravisse. Cæ-

illa numinum cælestia habitacula in signis zodiaci recognoscat, penitus refellere conatur (l. c. I, 387-393). Is enim longe alio modo ea Grimneriani poëmatis loca interpretatur, sumens Thrudheimum, Thori regionem, pro arietis signo, ut annus ille verno æqvinoctio ordiatur. En ejus explicationis ordinem ac summarium tenorem:

Thor, Thrudheimus	(aries) Martius.
Ullur	(taurus) Aprilis.
Freyr	(gemini) Majus.
Odin	(cancer) Junius.
Odin & *Saga*	(leo) Julius.
Odin, Gladheimus	(virgo) Augustus.
Skadi	(libra) September.
Baldur	(scorpio) October.
Heimdallur , ...	(sagittarius) November.
Freya	(capricornus) December.
Forseti	(aqvarius) Januarius.
Njördur	(pisces) Februarius.

Vidar nullum signum vel domicilium hic adeptus pro anni tantum conclusione ac qvieto temporis exitu sumitur.

Collata hac interpretatione cum Grimneriano carmine, hujus clarus ordo despectus vel corruptus esse facile invenietur; nos e contrario eum adcurate secuti sumus. Mone nihilominus (Thrudheimum primo loco nominans sed Alfheimum & Landvide omittens) nostram interpretationem "nullo fundamento niti sed omni (ingenuorum) fontium probatione esse destitutam, at suas cælestium illorum domiciliorum explicationes in Eddæ antiqvioris (Havniensibus) Glossariis (!) fundatas esse." Sit judicium apud ejus ac mei commentariorum, inter se collatorum, æqvos ac prudentes lectores! — Poëta Svecorum doctus ac ingeniosus *Ling* illa 12 borealium zodiaci numinum domicilia generaliter memorat sed non explicat (1819 vel 20) *Edda dornas Sinnebildslära* I, 176.

*) *Clasical Journal* (1822) XXV, 70. Alii Labyrinthi 12 palatia zodiaci signa repræsentasse credunt.

tera e Grimneriani carminis continua enumeratione, ad anni tempora secundum nostros præsentis ac seqventis anni fastos luculentiæ ergo adaptatâ, satis perspicue elucere putamus, præsertim si conferas singulos huc spectantes nostri lexici articulos *Ullr*, *Freyr*, *Vali*, *Saga*, *Ódinn* (vel *Hroptr*), *Skadi*, *Baldur*, *Heimdallr*, *Freya*, *Forseti*, *Niördr*, *Vidar* ac alios simul de ipsorum domiciliis agentes ut *Ydalir* &c. Diverso modo Edda junior loqvitur de mundana æde, aut cælesti aulâ, cum Odini throno & duodecim præstantissimorum (licet ei subordinatorum) numinum singulis sedibus, qveis collocati Dii urbis (i. e. mundi) statum ordinant et hominum fata statuunt vel dijudicant. Simile judicium, secundum tertiam mythicam relationem, Asæ qvotidie*) habent ad Ygdrasillum i. e. mundanam arborem. Vid. *Ódinn*, *Yggdrasill* s.**).

Cum autem Odinus fuerit summus coeli, astrorum, temporis ac anni Deus, is porro ipse in anni cursu duodecim nomina, formas vel personas

*) Ejusdem indolis est verisimiliter hæc Japanensium allegorica imago. Sedet creator, duodecim pulvinaria simul occupans, in apice creationis (vel mundanæ) arboris, aurea corona insignis, at serpens ingens arboris stirpem cingit &c. Vid. *Görres Asiat. Mythen-Gesch.* II, 381. Cfr. *Jörmungandr* s. De veterum tam Asiæ qvam Europæ gentium politicis institutis, qveis cælestem regiminis formam imitari studuerunt, egimus supra in schemate genealogico carminis Rigiani & observatione aliqvâ ad artic. *Ás* s. Addimus Islandicæ reipublicæ primam constitutionem eandem originem sapere. Insulam istam regebat summus Pontifex ac simul nomophylax (*allsherjar-godi oc lögsögumadr*) ut senatus & tribunalis in foro generali præses; at tota insula dividebatur in qvatuor partes (*fiórdúnga*, — secundum cæli plagas) sed qvadrans qvæqve in tres provincias, ut duodecim numero fuerint. Iterum qvævis talis provincia vel jurisdictio (*Þing*) tres habuit hierarchicos prætores — (*goda*, ut mensis orientalium tres decanos), tot principalia templa servantes ac administrantes. Sic 36 præsules Islandiæ repræsentarunt tot anni vel zodiaci decanos. Ad annulum sacrum in templo servatum (annum vel coeli circulum originitus verisimiliter indicantem) Islandi jusjurandum præstari curaverunt &c. (*Landnáma* l. c. 299-301). Cfr. Saxonum 12 satrapas & 36 deputator p. p.

**) Hinc concludimus diem qvemvis naturalem in duodecim sectiones (tempora aut horas) divisum fuisse; qvo modo Grimneriani carminis descriptiones iis conveniant, monstravimus ad translationem Dan. I, 152-154, unde hæc nostra (et singulorum zodiaci numinum) interpretatio Germanice legitur in ingeniosissimi Dani *I. L. Heiberg Nordische Mythologie* (1825) p. 78-79; cfr. 71-78. Aegyptii olim diem naturalem divisere in duodecim horas (vid. *Fabric. Menol.* p. 28). Mos idem adhuc Sinensibus, Japanensibus & pluribus orientis populis usitatur, qvi qvidem *signorum zodiacalium nomina* (eorum ordine observato) illis *horis* addicunt (*Almindel. Hist. o. R. til L. o. V.* IX, 6, XV, 131.)

(pro tot zodiaci signis) suscipere dicitur, singulos igitur anni menses ita repræsentans. Vid. articulos *Alfödur*, *Herian*, *Hnikar*, *Hnikudr*, *Fiölnir*, *Óski*, *Ómi*, *Biflindi*, *Svidur*, *Svidrir*, *Vidrir*, *Jálkr*. Hæc nomina eum in prisca Asgardia (i. e. cælesti regno e veterum descriptione) habuisse junior Edda retulit, at 52 Odini denominationes, qvas ipse in Grimneriano carmine recitare fingitur, tot anni hebdomades denotare jam pro certo ducimus*). Has igitur seqventi calendario inseremus, ipsius poematis in illis enumerandis ordinem secuti, at nomina ipsa, qvoad verisimilem etymologiam ac verbalem significationem, in hoc lexico suis locis explicare tentavimus.

Ut suis locis demonstravimus, e duobus semestribus, in qvæ Scandinavi antiqvitus annum præcipue diviserunt, Ullerus hyemem at Balderus æstatem incipit, ac sic uterqve eorum totum suum semestre interdum repræsentare facitur. Revera cum hyemis initio prisci Scandinavi, Anglosaxones ac aliæ cognatæ gentes annum suum naturalem inceperunt et illius qvoqve nomine vulgo insigniverunt (hyemem pro anno integro ponentes)**). At Gothi,

*) In legibus Islandorum, Norvegorum, Svecorum & Danorum vetustis sæpe nominatur *Fimt* i. e. pentas dierum, qvam periodum iuferius illustrare conabimur. Similis indolis fuerunt orientalium decades, qvorum genii, Decani nominati, singulas tales dierum & zodiaci graduum divisiones gubernare credebantur. Decadum in borea nostro antiqvissima computatio elucere videtur e voce Svecica vetere *Tretiugund* (decas tertia) alioqvin *Månadsmot* (mensis complétio vel finis), diem trigesimum significante (Vid. Ihre Gloss. Svio Goth. ad v. *År*.) Cfr. leg. Dan. & Germ. 30^{um} diem. At hebdomas ipsa capi potest ex lunaris cursus (in qvadrantes divisi) & lunaris zodiaci, cui multæ orientis gentes 28 sectiones aut mansiones (vel domicilia) adtribuunt, perantiqva calculatione. Hebdomadis ac talis lunaris mensis origo in qvatuor lunæ phasibus (unde novæ vel plenæ festa inter innumeras gentes, ut e. gr. veteres Germanos) certe est qværenda. Lappones Svecici cuivis anni hebdomæ certa addixerunt nomina, (qvod etiam christianos nostros atavos fecisse scimus) Valburgæ tantum hebdomade exceptâ. Vid. *Valhöll* s. Alioqvin vox *Vika* (proprie motio, gressus i. e. lunæ, ut puto) inter Scandinavos antiqvissima, (unde Dan. *Uge*, Svec. *Veka*, cfr. Germ. *Woche*, Angl. & Belg. *Week*). Audiit qvoqve priscis Anglosaxonibus *Vucu*, *Veoc*, *Vic*, Alemannis *Uuecha* &c. Apud gentes Slavonicas, ut observavit *Ihre*, voces cognatæ (Slav. Russ. & Bohem. *Wĕk*, Pol. *Wiek*) denotant ætatem (vel seculum, ut *Rask* nos edocuit); cfr. MGoth. *Vika*, *Vik*o series, ordo rerum recurrentium, Lat. *Vices*. Hinc qvoqve Isl. & Svec. *Vika*, Dan. *Uge (sões)* milliare marinum &c.

**) De Islandis ac priscis Norvegis hæc assertio nulla uberiore eget probatione. Videatur tamen *Rimbegla* pag. 200 & sq. De Danis vetustis idem fere dicendum; vid. e. gr. Leges Scanicas ac præsertim Juticas e. gr. I, 7, 8, 27, 29, 36 p. p. Idem de legibus Svecicis Loccenius pro-

ad meridionales primum balthici maris oras ac deinde in Dania & australi Svecia residentes, hyemem alio tempore qvam Norvegi boreales ac posterius sæpisfime Islandi, oriri sunt experti. Illorum zodiacale vel menstruum anni systema in Grimneriano carmine mystice vel mythologice propositum esfe cernimus, cum Ulleri domicilium ponatur in sagittarii signo, qvod sol circa diem 20^{um} Novembris intrare solet. Qværitur igitur, an Dani vel meridionales Scandinavi ad hocce tempus hyemis initium unqvam retulerint vel adhuc referre soleant?

Huic qvæstioni plena ac manifesta affirmatione respondere posfumus; est enim ita antiqvitus Danis rusticis receptum. Immortalis Olaus Wormius detexit in insigni antiqvitatum Danicarum thesauro, illustrisfimo Christiano Frisio qvondam proprio, fastos runicos (ex latebris veteris cujusdam Jutiæ bibliothecæ prius erutos), qvi primum fuerant exarati in una continua membrana, qvæ nexu artificioso ita complicata erat, ut altera facies menses omnes per suas plicaturas ordine dispositos exhiberet: altera vero chronologiam et ea qvæ festorum mobilium concernunt inventionem. Ea vero disfecta et in libelli formam redacta pervenit ad manus Wormii, qvi dicti calendarii apographum concinnavit et typis posterius mandavit *).

Est originalis membrana anno 1328 scripta (ut conclusio scribæ testatur) at certe (ut editor observavit) juxta præscriptum antiqviorum fastorum exarata. Hoc e nostra opinione probatur vetustate idiomatis, qvod Islandicæ

---

bavit, ac alii de Anglo-Saxonibus monstraverunt. Qvoad Moeso-Gothos videas e. gr. Ulphilæ versionem in Matth. IX, 20, Luc. II, 42. Cfr. *Jonam Gam* l. c. pag. 112, *Lackmann de computatione annorum per hiemes, priscis gentilibus hyperboreis usitata, Kilonii* 1744, 4, pag. 6 & sq. At nihilominus varios alios annum incipiendi modos Islandis receptos fuisfe invenimus, ut a) ex Gragasæ legis præscripto (ut videtur) a prima æstatis die; b) E Rimbeglæ vel Blandæ calculo (pag. 514) ab æstate dimidiata (vel conclusione epactarum vulgatarum Islandiæ) c) E Skaldæ computo (pag. 188) qvæ hic tamen hyemem reliqvis tribus anni temporibus præponit, ab æqvinoctio autumnali (ut Anglosaxones interdum solebant). d) A nocte Jolense vel solstitio hiberno, e more vulgo antiqvitus recepto ac gentilibus qvoqve Anglosaxonibus proprio. e) A diebus migrationis (in prima Junii parte). His accedant anni vere christiani: f) civilis, a primordio Januarii & g) ecclesiasticus, qvi antiqvisfimo nostro proxime convenit.

*) Videantur Ol. Wormii *Fasti Danici Havn.* 1643. fol. Lib. 2, pag. 122-160.

dialecto pasſim est persimile, licet Danicæ vel Svecicæ lingvæ (tunc fere consonis) certe sit adnumerandum. Declaravit Wormius ipse illud idioma (propter verbalem & orthographicam cum vetustis Jutiæ legibus convenientiam) Juticum revera esſe, licet primo intuitu ad dialectam Selandicam vel Scanicam stylus accedere videatur. His non directe oppugno, qvamvis lubens fatear idem simili respectu de lege prisca Gothlandorum valere. Qvicqvid rei sit est certe monumentum illud pervetustum ac Danis vel Gothis olim proprium. Ast idem runicum calendarium qvoad principalem anni divisionem duplicem æram respicit vel adnotat, nimirum: 1) eam, qvæ adhuc Norvegis in usu est et Islandicæ vulgari certo modo adpropinqvatur, cum a) *hyemis initium* ponatur die Calixti vel Octobris decimo qvarto sub titulo ᛁᚾᛏᚱᛘᛏ (*Vint'rnat* o: nox hiemalis, Norvegis *Vetnætt*, *Vetternæt* *), Islandis — plurali numero — *Veturnætur*); ex eodem calculo b) *æstatis initium* refertur ad diem Tiburtii vel decimum qvartum Aprilis. adscripta voce ᛋᚢᛘᚨᚱ (*Sumar*, adcurate ex Islandicæ lingvæ tenore; cfr. articulum ita inscriptum in lexico nostro mythologico). Audit hodie Norvegis *Somarnæt* (nox æstiva) at dies Islandis ei respondens *Sumardagr*, *inn fyrsti* prima æstatis dies. Has duas anni divisiones monstrant vetustorum boreæ calendarium baculorum ambo latera. — 2) Anni integri cursus ibidem dividitur in qvatuor tempora, in eundem ad ungvem modum, ut hodie solent Daniæ rustici, ac simul qvondam ex aliqva parte Islandiæ. Sic nimirum: a) juxta hunc computum *hiemis initium* refertur ad diem Clementis vel 23 Novembris, adscripta voce ᛁᛏᛏᚱ (*Vittr* vel *Vettr*) ut Norvegis hiems audit *Vetter*, *Veter* Islandis *Vetr*; vid. Lexicon mythologicum ad hanc vocem. A plebe Danica hiems eodem die

*) Secundum Wormium l. c. *förste Vinternat* o: prima hiemis nox. Hoc momento vulgarem Norvegorum annum incipere docet laudatus Wille, baculum illorum calendarem describens ac delineans (*Beskr. over Sillejords Prg.* pag. 237, 239). Islandis hodiernis prima hiemis dies (*Vetrardagr fyrsti*) incidit in diem aliqvem Veneris (at olim Saturni — vel Lokii e nostra opinione) qvi juxta regulas Gregoriano stylo adaptatas, varie celebratur a die 19mo ad 25^{tum} Octobris; eodem modo æstatis initium variat a die Aprilis 19mo ad 25^{tum}, semper tamen ad aliqvem Thori vel Jovis diem relatum. At e Juliano computo hiems Islandis incepit a 10mo ad 16^{mum} Octobris, æstas autem simili ratione a 9no Aprilis die & sq.

incipere dicitur *). E nostra sententia Ulleri semestre (hiems) et peculiaris mensis ac annus simul ipse gentilibus Scandinavis eodem tempore ordiebatur. Propter festa olim sacrificia hic mensis Anglosaxonibus dicebatur *Blotmanoð* (mensis sacrificialis) at Danis & Svecis posterius *Slagtemaaned*, Islandis *Gormánudur*, mensis laniationis. Propter hiemis introitum November qvoqve Danis at December Svecis dicitur *Vintermaaned* (mensis hiemalis aut hiemis primus). b) ᛗᚹᛁᚴ i. e. *Ladig* vel potius *Ledig*, *Leding* (qvam vocem Wormius prave interpretatur) indicat veris primordium ad cathedram Petri vel diem 22 Februarii; qvi jam a Danico vulgo eodem modo celebratur. Vox ipsa denotat expeditionem navalem (ac præsertim militarem) qvæ verno tempore olim instrui solebat, inde dicta *Vaar-Leding* (verna expeditio) **). Eodem tempore, ut Norvegi ajunt, (*Wille* l. c. pag. 244), solvuntur omnes naves in hiemali portu detentæ, nam glacie fractâ tepent aqvæ, maritimis itineribus aptæ; — at gentilismo durante Odinus cum Sagâ (præclaras expeditiones canente aut describente) in æde, aqvis sonantibus cinctâ, aurea (solaris luminis) pocula haurire fingebatur ***). Eo ipso temporis momento incidit magnum veris festum, a Svecorum universis proceribus Upsaliæ celebratum, dictum olim *Góe-blot* vel sacrificium Goæ, qvem mensem tam Lappones qvam Svecos, Danos ac Norvegos p. p. novisse scimus. (Cfr. artic. *Saga* in lex. myth.).

---

*) Vid. e. gr. *Brunsmand almindellgt og stedsevarende Calender* (Havn. 1688) pag. 80 ubi astronomica anni in qvatuor tempora divisio memoratur, at diversa tamen esse dicitur a vulgi (Danici) computo; (*Almuens Vedtægt og Brug regner anderledes disse fire Tiders Begyndelse* &c.). Allegatur porro vetustus hicce versiculus: *Clement Vinteren fremsender* (Clemens hyemem emittit). Cfr. *Bonde-Practica* l. c. pag. 23 ubi duo diversi alii ejusdem tenoris versus adhibentur. Adde *Bugge om ældgamle Danske Bonderegler og Mærkedage* (*Dansk Minerva* 1816 III, 413): "23 *Nov. Clemens.*" Hoc die incipit hiems rusticorum (*Med denne Dag tager Bonde-Vinteren sin Begyndelse*).

**) Brunsmand l. c. e vulgari Danorum computo adserit ver incipere aut St. Petri aut etiam St. Matthiæ (illo biduo posteriore) die, unde illa vetusta proverbia, qvæ St. Petrum aqvæ calidæ lapidem injicere at Matthiam glaciem frangere dicunt. Hinc qvoqve versiculus: *Peder Vaarelyset tænder* (Petrus vernam lucem accendit) & pl. Sic Bugge l. c. (pag. 388): "22 *Febr. Peders Stol, Peder Varmesteen* &c. Hoc die incipit ver rusticorum (*Bonde-Foraaret*)."

***) Simili modo hujus mensis zodiacale signum aqvis revera est proprium ac in eas operari credebatur. Huc alludit Q. Cicero de XII signis cælestibus (apud Fabricium l. c. p. 123):

Flumina verna cient obscuro lumine *pisces.*

Illi convenit magnum Reid-Gothorum (in Borusfia & Livonia) festum, in mense Februario Freyero & Freyæ (Soli & Lunæ) dicatum *). c) ᛋᚦᚱ ᛋᚢᛘᚱ *Sɐþir sumar*, ut Wormius vertit: *serendi æstas*, ego autem: *posterior æstas* i. e. æstatis posterius initium (secundum divergentes computandi regulas) diei Urbani vel 25to Maji adscriptum. Hæc eadem dies Danis rusticis antiqvitus pro vero æstatis initio est habita **). Huc pertinet Danica Junii denominatio *Skjær-sommer*, *pura* vel *clara æstas*, conveniens Balderi, sereni Dei, veterrimo mensi et *splendido domicilio*, ubi *nihil impurum toleratur*. Non multum abludit Anglosaxonum *Lida* (jucundus, venustus). Circa hæc tempora alioqvin incidere solet magnum pentecostes festum, qvod Islandis audit *Hvítasunna* (i. e. sol albus sive serenus) Norvegis *Qvitsun*, *Qvisun*, (*Qvidsond*, *Qvitsen*) Anglis *Whitsun* &c. (multifariis in Scandinavia, Germania & alibi ludis ac festivitatibus celebratum). Hebdomas Pentecostes qvondam Islandis dicebatur *Hvítudagar*, dies albi vel sereni (ut Anglis hodie *Whitsuntide* &c.). d) ᚼᛅᚢᛏ *Haust* (ut jam qvoqve Islandis scribitur, at Danis et Svecis *Höst*) autumnus, adnotatur diei Epiphanii vel 21 Augusti; recentiore tempore vulgus Danicum autumni initium retulit vel ad diem seqventem Symphoriani vel etiam (et sæpisfime qvidem) ad diem S. Bartholomæi ***) (vulgo dictum *Bertel Brydestraa* o: stramina frangentem) vel 24 Augusti. Tum e nostra opinione incipiebat mensis Forseti vel Foseti, Balderi filii, justitiæ ac æqvitatis Dei, qvi instituisfe videtur mesfis frumentariæ pacem ac securitatem (vulgo dictam *Annfridr*, le-

*) Vocabulum *Låding* vel *Lading* Vestmanniæ, Angermanniæ & Helsingiæ Svecicis incolis adhuc denotat ver aut vernum tempus, qvo mare purificatur vel glacie liberatur *(Vårtiden, tå' sjön blir ren)*. Vid. *Ihre Svenskt Dialect-Lexicon*; it. Verelii *Hervarar-Saga* (in notis) ubi vocis etymologia minime approbanda proponitur.

**) Sic *Bonde-Practica* pag. 23 in versibus memorialibus: *Urbanus vil os Sommeren sende* o: Urbanus nobis vult æstatem mittere &c. — at Bugge l. c. pag. 395. "Hoc die incipit æstas rusticorum *(Bonde-Sommeren)*." Qvoad runici illius calendarii denominationem *sídar sumar* conferenda sunt parallela calendarii perpetui Islandorum (Scalholti 1672) *sídarst vetr, sumar*, & pl.

***) Sic *Brunsmand* l. c. pag. 81 & *Bugge* pag. 405: "Hoc die incipit autumnus rusticorum *(Bonde-Efteraaret)*." At Islandorum *Rimbegla* & Danorum *Bonde-Practica* (l. c.) præfert eo respectu diem Symphoriani; cfr. *Calendarium perpetuum Islandorum* l. c. pag. 7 (licet memoriales alterius auctoris versus, eidem inserti, Bartholomæum præferant).

gibus recentioribus Norvegorum *Anfred*) &c. Hæc trimestrium primordia Svecis qvoqve accepta fuisse opinamur, ita tamen, ut ver ad Matthiæ sed autumnus ad Bartholomæi diem referretur.

Computistæ Islandici eadem qvatuor anni temporum initia qvondam noverunt, ut *Rimbegla* vel *Blanda* ac prisca eorum calendaria perpetua monstrant *). At nihilominus plurimi, qvoad æstatis & hyemis dimensionem ac primordia, fastos legibus localibus constitutos sunt secuti. Qvod Anglosaxones illam anni divisionem noverint ac ex aliqva parte observaverint, verisimile mihi adparet ex observatione Venerabilis Bedæ, qvi talia disqvirens adserit hæc anni temporum initia juxta qvosdam obtinere . et veris initium magis determinate in vigisimo secundo Februarii, secundum Isidorum Hispalensem — unde iterum concludere posfumus, qvod Gothi, Hispaniæ victores, talem computum secuti fuerint. Ponit autem Isidorus hyemis initium IX Cal. Decbr. (23 Novbr.), Ver VIII Cal. Martii (22 Febr.), Æstatem IX Cal. Junii (24 Maji), Autumnum X Cal. Sept. (23 Aug.) &c. *Beda de rat. Temp. Cap.* 35. Germanos medio ævo similem computum usitasse, e seqventibus vetustorum calendariorum denominationibus sat superqve patet:

a) Novbr. 23. *St. Clemententag, der Winter*, o: hyems sive hyemis primordium, cum *clementia hyemis* precibus esfet expetenda. Suspicor vulgarem inter veteres Germanos anni adventum posterius inter christianos certo modo mutatum fuisse in *adventum Domini* sive *initium anni ecclesiastici*. Sic jus provinciale Silesicum (*Schlesisches Landrecht*) II, 13 annum civilem inde incipere videtur, et qvidem cum Saturni præcedente die (in qvem etiam apud Islandos hyemis primordium olim incidere soluit) **).

*) Vid. *Rimbegla* l, c. pag. 198-201, ubi medii ævi computistarum latini versus, hanc anni divisionem determinantes, inserti leguntur & ab auctore approbantur. Adde *Calend. perpet. Island.* l. c. pag. 7, ubi idem anni temporum computus priscis hominibus adscribitur, at dicitur posterius mutatus esse propter solstitiorum ac æqvinoctiorum successorias motiones. Confer ejusdem calendarii versus memoriales in Februarium, Majum, Augustum et Novembrem, qvi eosdem fastos adoptant.

**) *An dem irsten Sonnobunde als das Advent eintritt, do beginnen und heben sich an die gebunden Tage* &c. vid. *Batt* & pl. *Teutsche Denkmäler* 1820 in Folio, *Einleit.* p. XXVII.

b) Febr. 22. *St. Peters Tag im Lentzen* o: Dies Sancti Petri verno tempore incidens; addunt qvædam calendaria: *als man Meerrettich weihet* o: eum raphanus major conseerari solet. Is primus olerum e terrâ prorescit, ac eâ causâ verisimiliter cunctorum utilium hortensium plantarum loco sacerdotalem benedictionem accepit. Sic ex hoc computo prima viridia veris adventum indicant *). Festa, qvæ jam vulgo a carniprivio sive carnis valedictione nomen sumunt, in tota Germania ac nostro borcâ a populo celebrata, primam verisimiliter originem a gentilismi vernis orgiis ceperunt, ut in meridie a Romanorum Lupercaliis &c. **).

c) Maji 25. *Urbanstag der Sumer* (o: æstas sive veræ æstatis primordium). Adhuc supersunt variæ prisci hujus festi reliqviæ ut *circumvectio Urbani imaginis;* eqvestris *Urbani processio; festum sertorum* & pl.

d) Aug. 24. *Bartholomeustag der Herbest* (o: autumnus vel autumni introitus) a cujus diei tempestate integri seqventis autumni tempestas e plebis opinione prædici potest ***). Tam die Urbani qvam Bartholomæi certa tributa & reditus in Germaniâ, medio ævo durante, e legum mandato solvi debuerunt, unde manifeste elucet horum terminorum summa antiqvitas. Alia tributa ibidem ac in borea nostro qvondam soluta ac jam partim solvenda sunt certis aliis diebus, qvi pro gentilium priscis festis sunt substituti e. gr. die Valburgis; S^ti Johannis, in Dania dictum *Midsomarsgiald* (1135) *Midsommarsgylde* (1201, 1360) *Midsommers-Rente* (1827) &c. Hæc e priscis ad sacrificialia convivia symbolis orta esse opinamur.

In meridie Europæ similis anni divisio vetusta sane fuit. Sic Ausonius, e Romanorum et Gallorum computo, qvatuor anni tempora ita dividit:

Alioqvin feriæ Clementis diem seqventes, nimirum Catharinæ 25 (cujus *rota* forsitan anterius habebatur pro anni sive hyemis se circumvolventis signo) et Andreæ (30^mo Novembris) magni momenti *in vetustis calendariis & plebis superstitione habitæ*, verisimiliter ut pertinentes ad eam periodum, qvæ olim appellabatur *Veturnætur* o: noctes hiemales (primæ).

*) Eandem indolem sapere videntur nomina qvædam Februarii Anglo-Saxonica & Belgica ut *Sprutkele*, (olera procrescere faciens) & pl.

**) Eodem modo plura verna, æstiva, autumnalia & hiemalia festa ex ethnicis in christiana mutata esse scimus, qvod hic uberius demonstrare pro superfluo ducimus.

***) Vid. *Haltaus Calendarium med. ævi German.* 1729 sed præcipue *Gräter Alttcutscher christl. Almanach* 1812, 4.

Ver continet Martium, Aprilem & Majum,
Aestas — Junium, Julium & Augustum,
Autumnus — Septembrem, Octobrem & Novembrem,
Hyems Decembrem, Januarium & Februarium *).

Muta tantummodo mensem qvemvis in id zodiaci signum, qvod ei præcipue convenit **) et habebis adcurate (si a hyeme incipias) vetustum illum Scandinavorum, Gothorum & Germanorum computum ***). Hi autem primum sunt

---

*) *Decii Magni Ausonii Idyllia, Idyll.* 16.

**) Ut fecit e. gr. Q. Cicero in epigrammate de 12 cælestibus signis, qvo hæc, inter alia continentur:

Pisces cient *flumina verna.*
Gemini pandunt *æstatis primordia.*
Virgo reserat *autumni portas.*
Sagittipotens jaculatur *frigora* terris.

Vid. *Fabricii Menologium* pag. 123.

***) Romanum Calendarium, ab Heinsio e vetustis membranis primum erutum, ponit *brumam*, vel *brumalia* festum ad VIII Cal. Decembris vel diem 24^{tum} Novembris; *veris* initium (duplici modo) ad V vel IV id. Februarii, *æstatis* initium ad II Id. (vel diem 13^{tium} Maji); autumni primordium (forte ad Vortumnalia vel Volturnalia Augusti mensis referendum) ibidem omittitur. Plinius (*Hist. Nat.* II, 47) decernit inchoare hyemem III (vel VI). Id. (8 vel 11mo) Novembris, ver VII Id. (7) Febr., æstatem VI. Id. (10) Maji & autumnum VI. Id. (8) Augusti. Hanc anni divisionem astronomicis Vergiliarum et plurium constellstionum ortus aut occasionis observationibus deberi cernimus. Varia alias antiqva Romana Calendaria statuunt initium *hyemis* die 9 Novembris, *veris* die 9 Februarii (at a 20 ad 23 hirundinum primum adventum & conspectum) *æstatis* 9 vel 13 Maji, *autumni* die 8 Augusti (vera, ut dicunt, ratione) at 11 e sententia Cæsaris sed 12 (ut videtur) vulgari. Ast Calendarium Constantini brumam (vel hyemis primordium) refert ad diem 23^{tium} Novembris, cæteris ejus generis terminis non adnotatis. Vid. *Calendarium vetus Romanum* e diversis antiqvitatis scriptis compilatum, in *Petavii Uranologia* (1630 fol.) I, 102 & sq. ac aliud *Constantini Magni* ibid. 112 & *sq.* Venerab. Beda — (*de rat. temp.* C. 34 vel 35 secundum diversas editiones) — VII Id. cunctis his terminis adscribit. *Columella* XI, 2: "sexto Idus Novembris: Vergiliæ mane occidunt. Hiemat." Ast mendo librariorum facile III pro VI substitui potuit. Beda in *Ephemeride duodecim mensium Romanorum* Edit. Colon. 1537 Fol. adscribit hyemis principium diei 10 Novbr. (sed 24 frigora incipere ait) veris initium 7 Febr. (at 20 hirundines redire observat) 8 Maji æstatis principium sed 16 tamen æstatem; tandem 10 Augusti autumnum inchoare sed 26 frigidum ventum sentiri adserit. Sic Venerabilis Beda partim Pliuium et partim Ptolomæum secutus esse videtur, Romanorum & Græcorum computum se cæteris præferre confitens, at nihilominus simul certe respexit diversos alios anni temporum initiales terminos, qvi nostris magis conveniunt qvam illi. Petavius (l. c. I, 100) observat Hippocratem (lib. 3) memorare anni divisionem in qvatuor tempora, secundum vergiliarum ortum vel occasum. De antiqvis-

secuti zodiacalium signorum et mensium tricenariorum divisionem, ac certos dies, Diis gentilibus sacratos, observarunt ut anni qvadrantis cujusvis primordium, non autem dies dictos sanctis christianis dicatos, qvæ illorum loco posterius sunt substituti.

Aegyptiorum ac Græcorum prisci fasti ab his non multum tali respectu ablusisse videntur, cum Calendarium Ptolomæi hiemis initium referat tam ad 10 qvam ad 24 diem Novembris, at Aegyptii Osiridis (hic solaris Dei) mortem 13^tio^ ejusdem mensis die celebraverint *). Sic qvoqve tabulæ Isiacæ calendarium annum ac hyemem a vel in Novembri inchoare putatur, qvi computationis mos etiam Syro-Macedonibus suo tempore fuit receptus. Porro Ptolomæus observat ver inchoare 7 Febr. sed hirundines apparere 21, qvod phænomenon Græcis & multis aliis populis semper fuit veris reversi certissimum indicium. Ponit tandem laudatus auctor æstatis initium die Maji 8 vel 16 sed autumni 17 Augusti **).

Qvamvis ita Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Germaniæ, Scandinaviæ & pl. populi qvatuor anni temporum initia statuerint, eosdem qvoqve alio modo hæc ad solstitia et æqvinoctia astronomorum more interdum retulisse scimus. Sic Anglosaxones a) hiemale solstitium appellabant *Moedreniht*, maternam noctem vel Noctem matrem aut cunctarum seqventis anni noctium (ac dierum) parentem. Nostratibus verisimiliter audiit *Hökunótt* o: mentata nox, qvasi faciem anni dividens ***) p. p. Ea olim fuit sacerrima Anglosaxonibus, ac

simo Tuscorum ac Romanorum calendario videas alioqvin clarissimi *Niebuhr* ingeniosissimas lucubrationes *Römische Geschichte* Ed. I; I, 192-206.

*) *Norisii dissertationes de epochis Syro-Macedonum* &c. (Opp. omnia 1729 Tom. II). E Syriæ viciniâ emanavit divina nostra religio cujus *annus ecclesiasticus*, apud plurimos ei addictos populos, ultimis Novembris vel primis Decembris diebus varie ordiri statuitur.

**) *Ptolomæi Calendarium meteorologico-astronom.* ad finem ejusd. Opp. omnium Basileæ 1538 Fol. Aliud ejusdem auctoris Calendarium (apud *Petavium* l. c.) proprie Aegyptiaco adcommodatum, statuit *hyemem* tam ex Aegyptiorum qvam Hipparchi & Cononis Græcorum calculis incipere die 15^to^ mensis Athyr sive Novembris, at secundum Eudoxum 17^to^; *ver* Aegyptiis & Eudoxo die 14 *Mechir* vel Februarii at Cæsari & Metrodoro 17^to^, nec non hirundinum primum adventum e variorum computo die 28, 29 & 30^mo^; *æstatem* revera die 15 *Pachonis* aut Maji at Eudoxo 23^tio^ & tandem *autumnum* die 19 Mesori sive Augusti at Aegyptiis die 18 Thot sive Septembris.

***) Ab Isl. & Svec. *Haka* mentum (Dan. *Hage*) originitus verisimiliter idem ac *Haki* extremitas

Scandinavis qvoqve plurimis ut nox Jolensis prima ac Freyero, solis Deo, natalis. Cfr. artic. *Freyr*, *Vali* in Lex. mythol. b) Æqvinoctium vernum audiit Anglosaxonibus *Efenniht*, Frisiis *Euennacht*, Islandis eodem fere at melius expresso sensu *Jafndægur* (*á vor*). Tum nostratibus incipiebat Odini mensis, aliter dictus *Einmánudr* (mensis unicus vel primus) unde concludi potest, qvod aliqvando vernum æqvinoctium apud boreales gentes vel pro veris vel etiam pro anni primordio fuerit habitum. Tum qvoqve in Islandia antiqvitus celebratus fuit conventus publicus provincialis, dictus *Einmánadarsamkoma*, at ethnicæ festivitati pascha christianorum succesfit. c) Solstitium æstivum Frisii appellabant *Sumeris Nacht* noctem æstivam (*κατ' ἐξοχην*). De ejus Anglosaxonico nomine mox infra agemus. Illi certo modo convenit vigilia Johannis (*Jónsvaka*, *St. Hans Aften* &c.) posterius ad nostros usqve dies summa festivitate insignis. d) Anglo-Saxonum *Haerfestnîht* convenit Frisiorum *lettera even niht* (Eddæ *haustgrîma* o: *haustnótt*) nox autumnalis, æqvinoctium posterius anni. Nomen Anglosaxonicum Septembris *Halegmonad* (sanctus mensis) priscum aliqvod & principale gentilismi festum satis manifeste tum agitatum indicavit. Audiit primum Norvegis ac Islandis *Haustblót* sed posterius *Haustbod* (autumnale sacrificium vel convivium). Ejus loco christiani festum S. Michaelis substituisse videntur *).

Anglosaxones præterea annum in duas partes dividentes, sed hyemis semestre ab æqvinoctio autumnali aliqvando incipientes, solstitium hibernum aut

---

alicujus rei, uncus &c. (Svec. *Hake*, Dan. *Hage*). Fertur nox eadem aliter dicta fuisse *Höggunótt* (n. dimovens) vel *Hauknótt*, *Haukanótt* (Svec. *Höknatt*, Dan. *Högenat*) nox accipitris vel accipitrum ut alibi observavimus. Cfr. doctiss. Hallenberg *Disqvisit. de nominibus lucis & visus* II, 542 & sq. & *Hkr.* l. c. I, 138. At Bioerno Haldorsonius in lexico Islandico accipit noctem eandem non pro prima sed ultima signi capricorni nocte, hæc insuper addens: "Hæc nox sola numerum imparem faciebat dierum totius anni, medium dividens hyemem." Is igitur festa gentilium *Jól* ac *Þorrablót* pro uno ac eadem accipit, qvæ historia tamen diversa fuisse monstrat; vid. e. gr. *Hkr.* II, 247 & sq. (de Jamtorum gentilium Jolensi festivitate). At certe videntur Jolensia convivia sæpissime fuisse privata vel domestica sed mediæ hyemis publica, in templo celebranda. Opinamur igitur Snorronis vocabulum *Midsvetrarnótt* (*Hkr.* I, 138) Anglosaxonum, Danorum & Svecorum loqvendi modo sumendum esse de nocte hiberni solstitii.

*) Talium terminorum olim solenniter observatorum reliqvias monstrant variæ prisci et recentis septentrionis institutiones, qvas hic non enumerare vel exponere vacat.

ipsum Jolense festum vocabant *Miðan-Vinter* (medium hiemis, qvod etiam Germanis interdum audiit *Mittewinter*, *Midwinter*) at solstitium æstivum *Miðan-Sommer* (medium æstatis) Anglis (posterius) *Midsummer*, ut qvondam Germanis sæpisfime *Mitten-Sommer*, *Midden-Sommer*, Belgis *Midsomer* ac Danis etiam antiqvitus *Midsommer*, Svecis *Midsommar* unde festum St. Johannis talem inter dictas gentes denominationem retinet*). Hinc Junius Svecis qvoqve dicitur *Midsommarsmånad.* Indicant certe hæc vocabula medium solaris luminis cursum in qvovis semestri peractum, sine ullo ad vulgarem illam anni temporum divisionem respectu. Islandi & Norvegi qvondam vulgo hyemem incipiebant cum signo scorpii (Vidaris mense) vel e nostro computo circa diem vigesimum Octobris; sic iis *Midrvetr* (media hyems) incidebat circa initium mensis Thorrii (vel vigesimum diem Januarii) unde sacrificium tum celebratum interdum dicebatur *porrablót.* Medium hyemis Islandis, dum stylum Julianum seqverentur, incidebat aliqvando inter diem 9 & 16 Januarii, at jam a Norvegis in eorum calendario perpetuo ac hieroglyphico refertur ad diem 12 ejusdem mensis, sub nomine *Midtvæt* **). Eadem ratione Norvegi medium æstatis (*Midtsumar*) referunt ad diem 14 Julii, Islandorum prisco computo non multum abludente, dum Julianum stylum seqverentur ***); e veterrimi eorum computi regulis tam æstatis qvam hyemis initia ad solis in certa zodiaci signa introitum vel tricenariorum mensium primordia fuerunt adaptata. Præsens Calendarium pro anni hisce temporibus computandis tertiam methodum offert.

---

*) De Frisiis qvondam simili modo computantibus vel loqventibus vid. *Wiarda Willküren der Brockmänner* (1820) pag. 77.

**) *Wille* l. c. pag. 245. Tunc Norvegi dicunt hyemem volutari, at caprum (Thori?) & ursum (olim dictum *vetur-lidi* ac simul pro hyemis symbolo sumtum — inter dormiendum) jacendo alterum latus adaptare. At die (ut vocant) evigilationis ursi (*Biörnevok*) is primum e fovea sua egreditur; est autem dies 22 Maji vel solis introitus in signum geminorum, cum æstas antiqvioris Eddæ revera incipit. Alioqvin hiems Scandinavis ac Islandis poëtice dicebatur *biarnar svefn* i. e. ursi somnus (vel ursini soporis tempus); it. ejus qvies, nox &c. Vid. *Olafsen om Nordens gamle Digtekunst* pag. 160.

***) Sic non mirum qvod Beda Anglus in Ephemeride hyemis dimidium die 19 Januarii et æstatis 17 Julii adscribat, ast magis singulariter hi termini conveniunt Ptolomæi Calendario meteorologico-astronomico.

Licet Seandinavi olim temporibus anni varia primordia pro diverso locorum climate designaverint, festa iis destinata in certorum mensium initia incidisse cernimus, ut e. gr. sacrificia dicta *Haustblót*, *Vetrarblót*, *Jól*, *þorrablót*, *Góeblót*, *Einmánadar-Samkoma*, *Sumarblót* &c. Eodem modo reliqvorum mensium primordia, gentilismo durante, certis festis (in Deorum vel Dearum honorem) insignita fuisse putamus, ut singulos menses tot numinibus sacratos percepimus. Sic prisci Persæ (alioqvin eadem ac nostrates principalia solstitiorum & æqvinoctiorum festa celebrantes) eujusvis mensis tutelari Deo vel Genio statam diearunt festivitatem. Populi antiqvitatis (ac præsentis simul gentilismi) plurimi novilunia vel plenilunia (aut eunetas etiam lunæ phases — unde hebdomades ortæ —) gaudio publico & relligiosis ritibus celebraverunt. Aceedunt testimonia Romanorum auctorum de Germanis, qveis ipsi Seandinavos adnumerarunt.

Sic Tacitus (German. Cap. XI^mo) de conventibus populi (tam procerum qvam plebejorum) regularibus: "Coeunt, nisi qvid fortuitum & subitum inciderit, qvum aut *inchoatur luna* aut *impletur* *) nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt . . . . silentium *per sacerdotes*, qvibus tum et coercendi jus est, imperatur." Tunc certe sacerdotes observarunt ea auspicia & sortilegia qvæ describuntur capite 10^mo, eujus continuationem seqvens illud caput revera lectori exhibere videtur. At Cap. 12 describit concilii publici forensem processum ac electiones principum & judicum p. p. ibidem peractas. Tales conventus, e tenore Cap. 22, conviviis fuerunt celebrati, — "tanqvam nullo magis tempore aut ad simpliees cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat." Cfr. Taciti German. C. 39 & Annales I, 50. Alioqvin olim inter nostrates circa mensium initia conventus publicos ac forenses festis sacrificiis & conviviis celebratos fuisse nuper observavimus.

Restant Epactæ duodecim anni mensibus regulariter addendæ, qvas Islandis qvatuor tantum dies fuisse scimus, licet easdem (certe post Thorstcini Surti reformationem) interealari hebdomade stato tempore compleverint. Opi-

*) De relligiosa inter Germanos novilunii observatione conferatur porro *Cæsar de bello Gallico* I, 50. Cfr. artic. *Máni* in Lex. mythol.

nor Gothorum vel Scandinavorum præsens calendarium aliqvando prius qvinqvé epactárum dies continuisse, cum temporis antiqvis legibus freqventisfima in dierum pentades sive qviniones divisio horum fastorum dispositioni optime conveniat, ut seqvens anni schema manifeste monstrabit. Habet enim mensis qvisqve sex pentades, at menses duodecim septuaginta duas, qveis igitur dictæ epactæ ut qvinio 73tia aptisfime adderentur *). Conjicit clarisfimus noster jurisconsultus *F. W. Schlegel* **) gentiles nostros atavos tempus in sectiones qvinqve dierum (Tyris, Odini, Thori, Freyeri & lavacri — vel Logii aut Lokii — nominibus insignitorum) regulariter divisisse, qvam conjecturam summa probabilitate gaudere censemus, licet nihilominus istos hebdomades simul observasse statuemus, qvæ posterior forte divisio pro religiosa, illa autem pro civili iis habebatur. Monstravit borealium juridicæ archæologiæ summus illustrator, Paulus Vidalinus, circa tempus Islandiæ primæ occupationis (vel sec. 9no) cujusvis in Norvegia ac diu deinde in Islandia minoris ruralis tribus incolas qvavis hebdomade (vel potius qvavis pentade) conventum publicum & forensem freqventavisse, qvi vulgo vocabatur *Fimt* (pentas) sive *Fimtarstefna* (status pentadis conventus) ***). Festis Christianismi feriis jure introductis hæc

*) Populi Mexicani & iis vicini (Votanum colentes) pentades dierum gentilismo durante observaverunt, mensi cuivis qvatuor tales adsignantes, at anno integro regulari 73. Illorum calendarium (juliano revera magis adcuratum) prolixe exposuit *Clavigero* in *Histor. Mexicanæ* Lib. 7 cap. 26-34 ac operis appendice; at eorum fastos (ac ipsorum cum variis asiaticis convenientiam) optime illustravit celeberrimus *Alexander Humboldt: Vues des Cordilleres & monumens des peuples indigenes de l'Ameriqve* (1816) I, 382, 388 & sq. II, 3-49. Cfr. nostrum Lex. mythol. in artic. *Odinn* ubi laudati auctoris sententiam de Scandinavorum Odino, Germanorum Vodano & Americanorum Votano, Indorum Buddha &c. ut uno et eodem numine rite observavimus ac uberius disqvirere tentavimus. Sic ejusdem originis numinibus jam verisimiliter est adnumerandus Celtarum *Budd* vel *Buddwas*, ut prius conjecimus (in Lex. mythol. ad artic. *AEsir*) et jam doctum ac illustrem Gallum amplius monstrasse cernimus; (*Bulletin des Sciences historiqves &c. Septembre* 1827 in epitome scripti: *Conjectures sur la religion des anciens habitans de la grande Bretagne* &c. *par M. Coqvebert de Montbret; Memoires de la Societé royale des antiqvaires du France* 1826 VII, 1-111).

**) *Juridisk Encyclopædie, Havn.* 1825 pag. 541: "*Jeg skulde være tilböielig til at troe at vore Forfædre i de ældste Tider have havt Uger af fem Dage og at Dagene opkaldtes efter deres Guder, hvilke Navne endnu have vedligeholdt sig for de fire Dage*" &c.

***) Pauli Vidalini commentarius in voces *Fimt* & *Fimtarstefna* adhuc ineditus; cfr. tamen ejus perbrevem epitomen *Isl. Lærd. lista Félags Rit* II, 133, *Arnesens Islandske Rettergang*

vetus institutio necesſarie turbabatur et hebdomadi includebatur; tandem in Islandia ipsa penitus evanuit, licet stati forenses vel judiciales dies, qvavis hebdomade adhuc in reliqvo septentrione celebrandi, pro illius reliqviis verisimiliter sint habendi. Fuit enim pentadum juridica observatio olim Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ et Islandiæ communis, ut vetustæ harum gentium leges manifeste monstrant *), at in gentili earum calendario istius primam originem qværendam esſe, nos minime dubitamus. Ad hancce mensis civilis partitionem videtur allusisſe numerus Qvinqvevirorum, qvi secundum Islandicas antiqvisſimas leges, qvamvis minorem tribum sive pagum dirigere debebant, qvavis pentade (ut videtur) officium exseqventes. Cum autem annus singulis constet qvadrantibus et epactis præterea ut qvinta parte, invenimus similiter insulæ qvadrantum singula tribunalia (*Fjórdungsdómur*) subordinatum fuisſe qvinto ac summo tribunali, *Fimtar-dómr* dicto. An vel qvo modo vetustorum Frisiorum *Fimeltsling* huc pertineant, jurisperiti Germanici dijudicent **).

De Islandorum Epagomenis scimus illos ea regulariter celebrasſe qvatuor diebus, mensi cancri signo respondenti additis. Hoc tempus Islandis audit media æstas. At e præsentis calendarii tenore hæc integro mense posterius incidit. Tum forte ex ejus priscorum sectatorum calculo epactæ fuerunt addendæ. Hinc optime illustrari posſet nomen bimensis, vel duplicis mensis (*Tvímánudr*) Islandis qvondam usitatum. Sed circa ejus initium (vel antiqvis

---

pag. 401 & sq. cfr. pag. 70-73. De Norvegis in specie *Thorkelini Glosſarium legis Gulathingensis* ad voces *Fimt, Fimtarsteſna* & *Fimtarþing*.

*) De Danica ac Norvegica hac institutione conferri porro merent: *Ostersön Glosſarium juridicum* ad voces *Femt; Femten* it. *Tredie Femt* (vi vocis tertia pentas i. e. qvindecim dies vel mensis dimidius, ex ethnici nostratium calendarii tenore) *G. L. Badens Dansk juridisk Ordbog* I, 144-148. *Kofod Anchers samlede Skrifter* I, 18. II, 248; — *Rosenvinge* in notis ad *Legem Sælandicam Erici Regis* pag. 373 (qvi verbum *fimtœ* illinc deductum explicat). De Svecis: *Stiernhoeck Antiqvitates juris Svecici* pag. 2, 7, 71; *Loccenii Glosſarium jur. Svecici* pag. 52 tit. *Fümt* (*fämtan natta fämt* &c.) ac porro *Ihre* in *Gloss. Sviogothico* ad eandem vocem. Tandem jurisconsultus peritisſimus Dr. *Michelsen* nos amice docuit vocem ac terminum *Fimt* in legibus Germanicis inferioris Saxoniæ occurrere.

**) De hac Frisiorum ac aliorum Germaniæ populorum juridico instituto vid. *Wiarda Asegabuch* (1805) p. 61, 361. Observatu sane dignum est parvas Frisiorum respublicas, Islandorum modo, in tetrarchias vel qvadrantes fuisſe divisas.

epaetis?) freqventer nobilium nuptiæ in gentili Islandia (ac verisimiliter etiam Norvegia et alibi) summo splendore agi soluerunt *), qvod per se non mirum, cum mensis præcedens Freyæ (borealium Veneri) at seqvens Forsetio (sanctarum pactionum fundatori ac, vi nominis, coelestis tribunalis præsidi) sacrati fuerint. Alioqvin aliæ gentes (ut Persæ, Mexicani & pl.) epagomena otio et conviviis celebraverunt.

His ita disqvisitis clarior forte reddetur locus seqvens *Valæ vaticinii* (str. 27) tam *magnum mundi* qvam *naturalem annum* **) mystice canentis:

Valdi henni Herfavdr	Elegit (dedit) ei agminum pater
Hringa oc men,	Annulos & lunulas,
Fèspiöll spaklig	Sermones sapientes ditantesqve
Oc spáganda;	Et vaticinantes baculos;
Sá hon vítt oc um vítt	Vidit illa longe & late
Um veröllđ hverja.	Per mundum qvemcunqve.

Annuli (*hringar*) hic denotant *annos* (vel cæli circulos, per qvos anni circumvolvuntur, nam vox *hringr* tam circum vel circulum qvam annulum denotat, at circulus vel annulus certe fuit priscis Scandis ac Germani tam coeli qvam anni hieroglyphon vel symbolum) ***). *Lunulæ* (*men*) pro *lunis* sive

*) Hinc phrasis vetustis Islandorum historicis familiaris *at halda brúdkaup at tvímánudi* (nuptias circa initium bimensis vel duplicis mensis — qvod nomen forte pro fausto omine habebatur — celebrare). Vid. e. gr. *Holmverja Saga* Cap. 3, 4, 10, *Grettis Saga* (MScr.) Cap. 32, *Laxdœla* Cap. 34, *Saga Finnboga hins ramma* (MScr.) Cap. 30 & pl.

**) Sic Indos anni mundani qvatuor ætates anni naturalis qvatuor temporibus nominatim adplicare solent ut monstrat Calendarium Indicum, a cl. W. Jones editum *Asiat. Res.* III, 266, 273, 281, 289. Annum magnum Græci ac Romani cum naturali comparabant ut docet *Censorinus* l. c. Cap. 18.

***) Vid. e. gr. *Batt* & pl. *Teutsche Denkmäler* I, XVI, XVII &c. (ubi Germanica temporis hieroglypha Aegyptiis simillima esse probantur, ut nostratium ac eorum calendarii convenientiam supra probavimus). Cfr. *Varronem de l. lat.* Lib. 5 cui *annus* proprie circum denotat & *Macrobii Saturn.* I, 14 (obsoletam voculam *an* pro circum adferentem). Islandi anni circuitum dicunt *ársins hring* ɔ: anni annulum; sic etiam Germanis audit *der Jahres-Kreis* &c. At Germani aliter mundum ipsum olim appellabant *Worolt-Ring* (Islandis *Kringla heimsins*) ɔ: mundanum circum vel annulum. Sic Aegyptii tam annum qvam mundum repræsentabant circulo, annulo aut serpente, ore propriam caudam comprehendente. Ii insuper ipsum Deum Cnuphin ☿ (sive Agathodæmonem) — angvis imagine effigiabant. Eodem modo Odinus (tam mundum qvam annum repræsentans) angvis nomine insignitur (uti etiam Indorum *Buddah*

mensibus sunt positæ, nam *men* nostrum a *τω mâni* (luna) eodem modo est derivanduu ut *lunula* a *lunâ* vel *menis* et *μηνίσκος* a Græco *μήνη* luna; cfr. *μην* mensis &c. *Men* nostrum interdum notat parvum annulum, at tales circuli in picturis symbolicis medii ævi Germanorum temporis divisiones anno minores significare solent. Vox *Féspiöll* tam videtur indicare sermones pecuarios qvam pecuniarios vel ditantes, at hoc nomine certe qvondam adornari potuerunt calendares anni aut seculi descriptiones ac ejus tempestatis et inde seqventium eventuum præsagitiones, qvæ ad Valarum præcipuas scientias ac exercitia pertinere credebantur. Vocabulum *Spágandar* majore obscuritate involvitur, at inter alia significare potest *vaticinantes baculos*, ejusdem generis ac ii, qvi alioqvin vocantur *seidstafir* aut magici baculi, ab ipsis Valis præcipue tractati. At hi interdum revera fuisse videntur *baculi calendares* (fastis per Runas aut hieroglypha insigniti) qvi ad præsens usqve ævum in nostro septentrione sunt usitati, noti sub nomine *Primstave*, (scipiones neomenici aut computistici), *Rimstokke* (calendares baculi) &c. *).

Horum primum usum ipsi gentilismo deberi certissime credimus; multa iis insculpta hieroglypha ethnicam sane sed non christianam sapiunt originem, ut alibi forte demonstraturi sumus. Hic Olai Magni memorabilem de iis inter Sveciæ plebejos relationem et sententiam repetere liceat: "Habent *baculos annales* seu *calendarios* pro gestamine manuum, qvibus docent, disputant, interrogant & concludunt lunares conjunctiones et oppositiones ac cursus, festa

---

Americanorum *Votan* &c.). Vid. *Ódinn, Ofnir, Svafnir s.* Cum Pontifices Islandici computum anni conficere & proclamare deberent, conjicere liceat; qvod sacer ille annulus in ara templi servatus, qvem armillæ loco pontifex in publicis comitiis gestavit, annum vel coeli ambitum (Osymandyæ annulo similis) repræsentaverit, ac calendario qvodam signatus fuerit. Plures nostratium veteres runici fasti sunt insculpti ligneis annulis aut circulis, qvi tamen plerumqve in ellipticam formam desinere solent. In sepulchro Valæ gentilis Islandicæ (ut alibi observavimus) medio ævo inventus fuit baculus magicus (calendaris?) & lunula (aut tale pectorale ornamentum) qvæ forte continuit similes figuras vel characteres, qvæ illiteratis ethnicismi temporibus a plebe pro divinis vel dæmonicis habebantur. Carminis Grimneriani str. 12 alludere videtur ad diversos characteres, talibus hieroglyphicis fastis insculptos; hinc enim optime explicari possent voces *feiknstafir, liknstafir* &c.

*) Cfr. *Glossarium nostrum in Eddæ antiqvioris* T. III ad voces *Féspiöll* & *Spágandr* it. Lex. mythol. in artic. *Vala* ac ipsam in Valianum vaticinium introductionem.

mobilia ac fixa, pariter et signa dierum infallibili experientiâ, qvasi e libro declarata legerent, exponunt et interpretantur." Hunc auctor ita prius memoraverat: "Baculus humana longitudine formatus est, utroqve latere numero hebdomadarum anni signatus. Usitatus fuit vetustisfimo tempore, dum librorum usus non esfet, ut lunæ solis & siderum virtutes & influentias inde cognoscerent. Et tandem alibi: "Vetusta gentis consvetudine baculis hisce rurales ecclesias visitando, in prolixis itineribus laici se sustentant, atqve pariter convenientes certis adductis rationibus veriores anni judicant qvalitates, qvam forsan alii speculativis scientiis, aut præstigiosis prognosticationibus inhærentes" *).

Sic religionis illa mutatio ejus generis fastos necesfarie mutavit ac juliano stylo adaptavit qvoad ecclesiasticarum feriarum observationem et plurima alia, excepta tamen anni divisione in duo latera, hibernum & æstivum, ac calculo in ea fundato **), et simul non paucis illorum gentilium hieroglypliorum (vel ferialium signorum) qvæ tamen ex maxima parte, ut ipsa ethnicismi festa, sacris christianorum traditionibus & legendis paullatim sunt adcommodata. Multa dictorum ligneorum calendariorum, runicis litteris ac characteribus insignita, in museis antiqvitatum borealibus ***) adhuc servantur, at nullum eorum, qvantum scio, ipsos monstrat gentilium septentrionalium fastos, qvos igitur e priscis monumentis alius generis ita colligere & explicare tentavi-

*) *Olai Magni Hist. gent. septentr.* I, 34. XVI, 20. Cfr. *Ol. Wormii Fastos Danicos* p. 3 & sq. 15, 24, & sq. *Lagerbring Svearikes Historia* I, 460 & sq. Prototypa talium ecclesiasticorum fastorum servabantur, catholicismo durante, in templis cathedralibus e. gr. Nidrosiense in Norvegia. Hunc eundem morem gentilis originis esfe concludere posfumus a *clavis numinum* vel *divinis* (*Regin-naglar*) qvæ interiora ethnici borealium templi adornarunt, si eos conferamus cum *clavis annalibus* Tuscorum et Romanorum, iisdem locis adplicatis. Vid. *Eyrbyggia Saga*, ed. Thorkelini pag. 10 & *Livii Hist.* VII, 3. Hi Romæ in templo Jovis, Hofstadis Islandiæ in templo Thori sunt conspecti. Cfr. *Münter Kirchen-Gesch. Dän. u. Norw.* I, 127. Tales trabales clavos rusticorum Danicorum memorat *Bircherod* l. c. p. 64.

**) Videatur de hac materia præcipue: *Erlandi Fryksell disfertatio gradualis de antiqvitate Calendarii runici, præside Benedicto Ferner. Holmiæ* 1758. 4.

***) Ex gr. Danorum Havniensibus. Hæc gaudent variis formis, ut baculi vel scipionis, circuli, ellipseos, tabulæ unius vel plurium &c. Unum tale calendarium, septem fagcis tabellis insculptum, Halæ Saxonum servatur, qvod cl. Graeter scite edidit et illustravit 1812 in 4.

mus, ut seqvens schema monstrabit, qvod tam temporis angustiâ, qvam primi conaminis solitâ indole, nimis imperfectum linqvere cogimur*); speramus tamen lectores vere humanos nos vetusta hacce sententiâ excusaturos fore: in magnis voluisse sat est!

Indagatis anni gentilis borealium pentadibus ac præcedente qvidem introductione typis mandatâ, mihi mane lucubranti hodie (die 7mo Decembris 1827) in mentem incidit ea conjectura, qvod forsitan *Dvergi* sive *Alfi* (aut *Vættæ*) *majores*, in carmine Valiano nominati, anni principalia tempora, sed *minores* ipsius pentades olim significaverint, cum nimirum, ut Asæ ipsi, non tantum pro spatii sed simul etiam temporis dæmonicis directoribus fuerint habiti. Ipsum carmen (e recentisfimæ Havniensis editionis recensione (inspiciens revera inveni Dvergorum subordinatorum (in stropha 11, 12 & 14ta enumeratorum) completum numerum summatim efficere 73, ac igitur adcurate respondere anni pentadum numero, si regulares epactæ, ut per se est verisimillimum, e Scandinavorum ethnicorum calculo qvinqve dies continuisfent; sin aliter, ordinariis 72 pentadibus addita fuit ultima illa sectio ut epactarum qvaternio, qvæ tamen interdum, ex intercalationis regulis, pluribus diebus statis annis adaugeri soluit **). Dvergi illi in tres clasfes sunt divisi, subjecti tot primipilis, qvorum vera indoles (e Valiani vaticinii tenore), ex ipsorum allegoricis nominibus explicata, mihi jam videtur tribus solaris anni ac simul mundi vel terrestris orbis periodorum varianti naturæ convenire. Denotant igitur (e peculiari talis divisionis regula) *tria anni tempora*, populis antiqvisfimis ***)

---

*) Incipimus nimirum a solis introitu in sagittarii signum, secundum nostratium astronomorum observationem; cum autem antiqvus ille fastorum ordo propter embolismos (vix unqvam satis adcurate determinatos), mixtionem cum Juliano ac Gregoriano stylo &c. jamdudum sit interruptus at conturbatus, eos perfecte reddere nos nobis impossibile fatemur, sed hujus materiei pleniorem investigationem & illustrationem viris matheseos ac computisticæ scientiæ magis peritis intense commendamus.

**) Editio Raskii Holmiensis (str. 11, 12, 13 & 14) eosdem numeros primæ et secundæ Dvergorum clasfibus adtribuit, at tertiæ unum addit, qvi igitur non improbabiliter anni intercalaris additamentum designavit.

***) De Aegyptiis Græcis & Romanis vid. *Diodorum Siculum* Lib. I.

& Germanis qvoqve circa æræ nostræ primordium accepta *). Nominatur primum *Modsogner*, ut reliqvorum præstantisſimus, at Dvergi ejus clasſis in mediâ sectionum posterius ponuntur. Sic Durini, illo indole seqvioris, numerosisſima clasſis primo, at Dvalini ultimo loco recensetur. En novum nostrum hujus chronologici ænigmatis explicationis schema:

In principio Dii sive creantes Asæ orbes cælestes (solem, lunam et stellas) cælo imposuerunt, certos cursus iis præscribentes, sed noctis, diei et anni tempora statuerunt; (*VSpá* 4, 5, 6). Ii mundanam structuram ac coeli templa (vel palatia) ædificarunt, aurea eorum ac argentea (vel astralia) ornamenta simul fabricantes. — Sic hilares in area (coelesti) ludebant, donec tres giganteæ **) virgines advenerunt e Jotunheimis (Titanum inferioribus regionibus) — qvæ aureæ Deorum ætati finem fecerunt, aliam magis tenebrosam ac intempestivam provocantes. Sic, e nostrâ sententia, Dii, ex auctoris mente, necessariam ducebant creationem Dvergorum sive elementalium geniorum, qvi naturæ tum deterioratum annuum cursum in futurum certa ratione dirigerent. Ita igitur, divino nutu, exstitere ***), et deinde Odini ac aliorum majorum numinum auspiciis anni circuitum (in boreali climate) regulariter effecerunt:

1) *Dúrinn* (dormiens, qviescens vel etiam, somnum adferens &c.) sterile serioris autumni ac seqventis hyemis tempus, cum terra nulla vegetabilia producit at fruges universæ ablatæ vel dejectæ. Incipit hæc periodus (solis vivifico calore ac lumine maxime destituta sed naturæ somno et qvie-

*) *Taciti Germania* Cap. 26: "Sola terræ seges imperatur, *hiems* et *ver* et *æstas* intellectum ac vocabula habent; autumni perinde nomen ac bona ignorantur." — Per *autumni bona* auctor intelligit lectisſimos hortorum, pomeriorum & vinearum fructus, qveis Italia jam tum abundavit. Cfr. *Haltausii Calendar. German. med. ævi* pag. 15 ac ejusdem (& pl.) *Jahr-Zeitbuch der Teutschen* (1797, 4) pag. 55.

**) I. e. producentes noxias tenebras, frigora ac lethales calamitates, inde seqventes.

***) Carmen Valianum adpellat str. 10 qvemcumqve horum Dvergorum hominis imaginem (*mannlikan*). AEnigma hieroglyphicum hic proponi suspicamur, cum humana forma *qvinqve* monstret *extremitates* (caput vel ipsum corpus, brachia et pedes). Qvinionis summa sanctitas apud Druidas, Pythagoræos & pl. est alioqvin nota, simul forte ad qvinqve Græcorum et Indorum elementa alludens. Cfr. illorum hieroglyphicum pentalpha (in nostratium qvoqve monumentis occurrens) p. p.

ti destinata) æqvinoctio autumnali *), (anno præsente in 23 Septembris incidente) continens pentades 33 vel dies 165.

2) *Módsognir* (vigorem sugens, succum adtrahens) — vernum tempus, cum solis superi lux regenerata herbas et flores e foecundo terræ gremio iterum producit, universa simul naturâ ad novam et vegetiorem vitam resuscitata. Orditur (e præsenti calculo) die 7^mo^ Martii, continens pentades 19 vel dies 95.

3) *Lofárr* (gratus annus aut annona) sive etiam *Dvalinn* (deliqvium patiens aut efficiens vel retardatione impeditus) **) æstas clementisfima autumnali tempore juncta, cum solis via ad inferius hemisphærium iterum declineret, Baldero simul letho fatali abrepto. Nunc herbæ et fruges succesfive ad maturitatem vel repentinum senium deveniunt, foenisecio mox incipiente, qvod mesfis frumenti omnifarii seqvitur qvæ continue exercetur, donec omnium annuorum fructuum interitus compleatur. Incipit hæcce periodus circa diem 8 Junii, continens pentades 21 vel dies 105. Hinc optime illustrantur Valiani vaticinii allegorica nomina: *Aurvángar* (lutei aut terracei i. e. pingves, fertiles campi) — qvod Gudmundus Andreæ jam dudum putavit ad agriculturam pertinere —; *Jórovellir* pugnæ (o: mesforiæ) campi, et *Lofár* (*Lofárr*, *Lofar*) laudatus, amatus vel gratus annus, (sive potius annona) ***) promisfa ac exoptata mesfis, cujus progenies illi mesforii vel autumnales Dvergi appellantur (*V.Spá* 13). Tribus illis periodis in unum redactis evenit numerus cunctarum regularis anni pentadum 73 at dierum 365.

Nihilominus (ut alibi probavimus) dicti Dvergi pro elementorum dæmonibus vel geniis in naturæ regno subordinatis, originitus certe sunt accepti.

---

*) Eodem temporis momento et eadem verisimiliter ratione tam Edda junior (l. c. pag. 138) qvam Anglosaxones hyemem vel hibernum anni semestre incipere statuerunt. Vide *Mone Gesch. des Nord-Europ. Heidenthums* II, 106.

**) Si nimirum sumatur pro regulari particip. pass. verbi *Dvelia (dvel, dvalinn)* impedire &c. (de qvo Glosf. Edd. antiqv. T. II). Cfr. *Dvali* deliqvium, somnus, torpor &c.

***) De hujus vocabuli etymis vide expositionem nominis *Lofn* ad artic. *Freya* in Lex. myth. — et Gloss. T. I & II. ad v. *Ár* (annus, annona).

Ii etiam, gentilismo durante, intense ab hominibus colebantur domesticis sacrificiis et festis, qvorum reliqviæ adhuc non ubiqve penitus sunt abolitæ, hebdomadis (ut olim forte pentadis) qvinto die sæpisfime observari solitæ. Nomina illorum Alforum, cum temporis sectionibus ut tutelares dæmones ita adplicarentur, secundum eorum verbalem significantiam anni respondenti periodo videntur fuisfe adaptata. Sic e. gr. incidunt:

α) in qvatuor æqvinoctia & solstitia:

Sept. 23. Cum æqvinoctio hujus anni autumnali incepit pentas dicta *Nýi* (novus) novam ac nostro primam anni periodum ordiri indicans. Seqvens *Nidi* (deorsum tendens vel tenebrosus) solis jam graviorem declinationem et defectionem satis aperte innuit.

Dec. 21. Solstitio hiberno adscribitur *Ónar* (conveniens Gr. ὄναρ) alioqvin mediæ noctis maritus, hic Nocti matri (ut dixerunt Anglosaxones) et simul mediæ anni (hyemali) nocti symbolice adunitus. Cfr. artic. *Nótt* in Lex. mythol. Mox in hocce calendario seqvitur *Ái* atavus (avus, propater) ut mensis jam incipiens alioqvin dicitur *Alfödur* vel Omnipater.

Mart. 21. Æqvinoctio verno adscribitur *Fundinn* i. e. inventus (ad verni solis vel temporis recuperationem alludens). Cfr. inventionem Osiridis &c. &c.

Junii. 24. Solstitio æstivo, jam S. Johannis et mediæ æstatis festo, *Hár* altus (cum sol jam altisfimam in cælo occupet stationem).

β) Ad primordia qvatuor anni temporum ex hujus calendarii tenore:

Nov. 21 incipit & 23 includit pentas *Dáin*, deliqvium vel somnum (hyemalem) adferens aut efficiens.

Febr. 20 incipit & 22 complectitur pentas *Nýrádr*, novum (veris) tempus ordiens aut instituens.

Maji 20 incipit ac vigiliam 25 continet *Frægr* inclytus celeber (freqventatus) o: festi lætisfimi causâ.

Aug. 23 adscribitur *Frosti* frigoreus, frigorificus — frigora nocturna jam iterum boreali climati imminere declarans.

Hanc ipsam anni duodecim mensium in 72 pentades divisionem civili qvadam institutione Saxones prisci imitati esse videntur. Dicitur enim inter eos qvisqve judex (vel tribunus) 72 familiis (vel minoribus tribubus) regulariter præfuisse. Similiter tribunalia superiora reipublicæ Islandicæ summatim continebant 72 assessores. Saxones præterea suos habuerunt *Decanos*, qvi decem villis vel familiis præerant. De *Qvinqveviris* minorum in Islandia tribuum supra satis egimus. Leges Germanorum certo casu poscebant 72 consacramentales *) at Dithmarsii in aliis duodecies triginta, ut tot mensium singulas dies, qvæ summatim efficiunt 360 dies vel 72 pentades **). Cum aliarum Germanicarum gentium vetustæ leges de 300 consecramentalibus loqvuntur, major (Islandorum hodiernorum) centuria, Scandinavorum & Germanorum (ut puto) antiqvissima, 120 continens, e nostra opinione originitus intelligi debuit; hac thesi accepta tres centenarii (ut tria anni tempora) qvondam præfuerint 36 Decanis vel summatim 360 viris aut personis &c. qvæ omnia anni veterrimo computo satis apte convenisse videntur.

Huc forte tandem pertinent 72 in novenni Upsaliensium festo sacrificata animalia, tot dæmonibus probabiliter dicata, qvæ qvidem videntur fuisse qvintuplicis generis, hæc nimirum: *homo*, *eqvus*, *canis*, *gallus* et *accipiter* ***) (animalia Persis antiqvissimis sacra vel mythice symbolica). Hinc igi-

*) Vid. doctiss. *Sharon Turner History of the Anglo-Saxons* (Ed. 1807) I, 20. — *Arnesen Isl. Rettergang* pag. 315 & sq. *Meiners Gesch. aller Relig.* II. 305.

**) Hanc Dithmarsiorum institutionem vir juris illius reipublicæ peritissimus, laudatus Dr. *A. L. Michelsen*, me orali colloqvio amice docuit. — Qvod Dvergus sive Alfus aliqvis a gentilibus Scandinavis cuiqve singulorum anni dierum præesse sit creditus, per se est verisimillimum, qvamvis eorum nomina jam ignoremus. Sic juvenes Persicos 365 tot anni dies qvondam (e Curtii testimonio) repræsentavisse scimus, ast alio modo Regis 360 amasias (forsitan cum dierum Ferueris comparatas). Monstravimus alibi Dvergorum ac Cabirorum singularem cum astrali cultu connexionem; hinc iterum conjici possit, qvod stellæ 360, 364 vel 365 aut plures Dvergorum (aut Disarum vel minorum Nornarum) nominibus olim fuerint insignitæ, qvarum qvævis aliqvem anni diem sive zodisci monomoeriam sibi addixerit. Sic astrologiæ genethliacæ vel superstitiosæ inter gentiles nostros atavos campum latissimum patuisse cernimus.

***) Vid. *Mone* l. c. I, 260-61, 270, 271 ac Adami Bremensis, Dithmari Merseburgensis & Saxonis Annalistæ relationes de novennibus Svecorum & Danorum festis, a laudato auctore inter se collatas ac invicem illustratas. Cfr. ejusdem ingeniosam conjecturam de numero victimarum Jolensium ibid. p. 259. Lethræ 99 diversi (qvinarii) generis animalia in illo festo (forte Asis & Alfis junctim) sacrificabantur, qvi numerus non sine significantia aliqva fuisse videtur.

tur conjicere liceat, qvod talia animalia *singulos pentadis dies* mystice vel hieroglyphice significaverint, ut Americani easdem simili modo variis figuris et harum denominationibus indicare soluerunt, licet alii dæmonum vel heroum nomina iisdem diebus adsignare prætulerint *). Sic dictorum 73 Dvergorum nomina in seqventi calendario singulis anni pentadibus adscribere minime hæsitamus.

Alioqvin de illo nostratium cyclo, a Græcis observato ita memorabiliter agit Censorinus **): "ὀκταετηρις tunc ἐννεατηρις vocitata, qvia primus ejus annus nono qvoqve anno redibat. Hunc circuitum verum annum magnum esse, pleraqve Græcia existimavit qvod ex annis vertentibus solidis constaret, ut proprie in anno magno fieri par est . . . Ob hoc *multæ* in Græcia *religiones hoc intervallo temporis summa cærimonia coluntur.* Delphis qvoqve ludi, qvi vocantur Pythia, post octavum annum olim conficiebantur".

Ita egregie confirmatam evadere opinamur ingeniosisimi *Trautvetteri* conjecturam, qvæ Dvergos & Alfos accepit partim pro *stellis* at partim pro *diebus lucidis* vel *obscuris*, qvos astrologica superstitio in *albos* vel *atros* alio respectu divisit. Gallos *natales* suos *dies* observasse Cæsar nos docuit, unde qvoqve verisimile evadit Germanos & Scandinavos idem fecisse; ipsi Lappo-

Sorterupius (l. c.) festa hæcce, octoetericum (vel enneateridis) cyclum respicientia, pro calendario constituendo vel reformando instituta esse, at 99 victimas ad tot lunares menses per dictum spatium elapsos alludere satis probabiliter censet. Hoc casu nostrates lunarem (synodicum) mensem revera circa $29\frac{1}{2}$ diem efficere crediderunt. Annua illa jolensia sacrificia Mone loco citato numeros 7, 13 & 30 (i. e. hebdomadis, mensium cum epactis & mensis dierum) adamasse monstravit.

*) Anni ac mensium divisio in pentades inter Mexicanos revera *civilis* fuit (ut id de prisca nostrâ certissime scimus). Qvivis mensis & qvævis mensis dies suum habuit proprium nomen et figuram; sic inter alia in hieroglyphicis eorum calendariis videntur *homo* (vel hominis caput) *gallus*, *canis* & *accipiter* (vel similis avis). Eqvum gens ea olim ignoravit. Pentades distingvebantur certis figuris et earum nominibus, at invicem alternantibus. Centuriæ singuli anni eodem modo inter illos designabantur. Vid. *Clavigero Gesch. von Mexico* I, 402, 407 (Tab 2). Illustriss. *Alex. de Humboldt* optime monstravit talium americanorum hieroglyphorum ac fastorum ingentem similitudinem cum Japanensibus, Sinensibus, Tataricis & pl. Asiaticis. *Vues des Cordilleres & Monumens des peuples indigenes de l'Amerique* II, 3 & sq. *Eqvus*, *canis* & *gallus* inter Japanensium, Uigurorum, Eluthorum & pl. astronomica & chronologica sig a reperiuntur.

**) *De die natali* Cap. 18. l. c. pag. 128.

nes, horum boreales ac multo rudiores vicini, infantis genethliaca ac natalitia sidera, et præterea dies faustos vel infaustos diligenter notare soluerunt*). De astrologia gentilium Scandinavorum alibi egimus; cum autem earum chronologicas pentades, Dvergorum vel Alforum nominibus insignitas respiciamus, certum nobis apparet regularem cultum talium dæmonum ac ipsorum sociarum, Disarum vel minorum Nornarum, astrologicis & genethliacis nativitatis observationibus arcte junctum fuisse. Sic forte ille Dvergus sive Alfus, qvem Codran Islandus adoravit (vid. artic. *Vœttur* in Lex. mythol.) eadem causâ dictus fuit *Ármadr* o: anniversarius semo sive natalis diei genius; posterius vox *Ártíd* anniversaria necrologica sive celebrationem emortualis diei (martyrum christianorum *natalis* dicti) indubie significavit.

Nornas ac Disas, nuper memoratas, tempori præfuisse certissime scimus**). Alio loco earum cum Valkyriis similitudinem vel connexionem monstravimus. Hinc nobis in mentem venit Grimneriani carminis (str. 36) *tredecim Valkyrias* tot anni *lunas* vel *lunationes* denotare. *Lunæ certantis* ac *vincentis* ideam Germanis ethnicæ superstitioni deditis familiarem fuisse cernimus***). Alioqvin Freya, lunæ summa Dea, simul pro *Valkyriarum primaria* habebatur, cum forte hæ singulæ lunares ei subditæ esse fingerentur. Luna qvovis mense tenebras superat ac egregiâ victoria beatur. — Simili probabiliter ratione in Caria & Phrygia repræsentari soluit *Νικη* sive Victoria, Menis (Mensis) sive Luni sinistræ insidens ****). Luna crescens ac primum in coelo apparens sinus curvaturam hominis aspicientis sinistræ offerre vide-

---

*) *Schefferi Lapponia* pag. 222. *Högström om Lapland*, Cap. 10 §. 12, 13. Lappones annum dividebant (ut nostri gentiles atavi) in hebdomadas 52, at mensi cuivis addixerunt 4 hebdomades sed dies 28; sic qvisqve eorum annus 13 menses continuit.

**) Magnas Græco-Romanorum Moeras vel Parcas, ejusdem indolis esse, nemo nescit. At de minoribus porro ita Censorinus loqvitur (Cap. 8): "Sunt particulæ in unoqvoqve signo tricenæ, totius vero zodiaci numero 360. Has Græci *μοῖρας* cognominarunt; eo videlicet, qvod Deas fatales nuncupant *μοῖρας*. Et eæ particulæ nobis veluti fata sunt; nam qva potissimum oriente nascantur, plurimum refert" &c.

***) Sic *indiculus superstitionum & paganiarum Liptinensis* (sec. 8vi) art. 26 egit "de defectione lunæ, qvod dicunt *vince luna!*"

****) Talem Luni sive Mensis in monetis Caricis ac Phrygicis imaginis descriptionem exhibet *Fabricii Menologium* pag. 2.

tur; hinc igitur illa allegorica imago! — Alio modo luna corniculans aut dimidiata per cornu sive cornua symbolice vel hieroglyphice indicari potuit*); hinc lunares Valkyrias illo loco Odinus coeli Deus sibi ac (astralibus) heroibus cornua (potatoria) adferre mandat aut refert. Tredecim vel duodecim jolenses dies in nonnullis calendaribus baculis per tot cornua significabantur; ast antiqvisfima Scandinavorum & Germanorum superstitio fecit mensem unum seqventis anni (simili ordine) cuivis illorum dierum respondere, ut prognostica meteorologica a die ad mensem referrentur; hic igitur cornu lunam aut mensem symbolice denotat, licet talia veterum pocula pro convivialium dierum indicibus vulgo sumerentur. Cfr. *Sólar-Ljód* str. 56 qvæ de septem planetis sive hebdomadalium dierum geniis, cornua evacuantibus ad coeli fontem, mystice loqvi videtur. Hæc in medio linqvimus, at rationibus adducti tredecim Valkyrias in hoc calendario tot Lunas sive Lunationes (in hujus ac seqventis anni fastis notatas) cuivis secundæ phasi adscriptas denotare facimus.

His et multis seqventibus ita scriptis ac prelo mandandis mihi præsente momento adferuntur novæ relationes periodicæ regni Daniæ (*Dansk Statstidende*) pro hesterno die (21mo Decembris 1827 No. 102) continentes brevem annunciationem præstantisfimæ inventionis, factæ die 22 Octobris hujus anni, Vestrogothiæ Sveciæ, Scarensi dioecesi, parochiæ *Karleby*, ad viam inter vi-

*) Ipsa mythica Luna a multis gentibus cornuta, sive duo cornua in capite gestans, fuit repræsentata; nos adhuc de veræ lunæ cornibus loqvimur. Multifariis modis alioqvin taurus vel vacca (cujus cornua olim pro poculis usitabantur) Lunæ aut Luno vel ut symbolum sive allegorica imago, vel etiam ut attributum aut sacrificiale animal qvondam addici soluit. Præterea Amaltheæ *cornu*, ac ejus symbolicas imagines, veteribus annum symbolice denotavisfe, elucere videtur ex *Athenæi Deipnosophist.* V, 27, (cfr. XI, 51, 57) de aureo poculo corniformi in pompâ Ptolomæi, qvod inter duos Satyros (Dvergis chronicis adsimilandos) publice gestabatur. Sic cornu (tauri) potatorium, Svantevito Venedorum adtributum, annum symbolice repræsentavit (vid. Sax. H. D. Lib. 14). Cornu hocce, variis metallis obductum, in memoriam revocat deperdita nostra aurea cornua, qvorum figuras nonnulli commentatores calendares fastos continere putarunt. Simile cornu, incisis ac partim rubefactis vel deauratis literis & hieroglyphis ornatum, magico & sacrificiali potu impletum, jam describi opinor GQ. II, 21-23. De cornibus & poculis inter Græcos & Romanos annos & menses designantibus vide celeberr. Creutzeri *Symbolik und Mythologie der alten Völker* Ed. 2, II, 229, 973. III, 94. Huc tandem pertinet Scyphomantia Aegyptiorum, Persarum & plurium orientis populorum, nostratibus etiam nos ignota.

cum *Leaby* & oppidum *Fahlköping*, a paupero qvodam inqvilino, nomine *Lars Helleson.* Invenit enim, saxa ex terra effodiens, præstantisfimum *annulum* sive *diadema*, tunc in varias partes divisum, ex auro purisfimo & rutilisfimo factum, 48 unciarum pondere, exteriore circumferentiâ 17 sed interiore 14 cubitis decimalibus, et 2 cubitorum altitudine (vel laminæ erectæ latitudine). — Est autem ornatus multifariis figuris, qveis adnumerantur *tres nudi homines*, *parva humana capita*, *eqvi*, *canes*, *dracones*, *angves* et *locustæ**) ac permultæ *stellæ* vel *constellationum signa.* Omnia hæcce calendarem, astronomicam vel astrologicam pretiosisfimi illius artificii indolem manifeste innuere videntur; num autem Orientalis, Græcæ, Romanæ, Germanicæ, Sarmaticæ, Gothicæ aut Scandinavicæ sit originis, num ethnicæ antiqvitati aut medio ævo sit adscribendum, jam omni delineatione ac adcurata descriptione destituti in medio linqvere cogimur. Speramus tamen regiam Sveciæ literarum humaniorum, historiarum & antiqvitatum Academiam archæologica illa mysteria brevi rite illustraturam fore. Qvidam docti Sveci hoc cimelium opinantur proprium fuisfe Alberto Regi qvi in memorata regione anno 1389, a Margarethæ Daniæ et Norvegiæ reginæ copiis ingenti prælio devictus, regnum & libertatem perdidit; alii autem Carolo Knutsonio (inter Reges eorum octavo dicto) anno 1470 fatis functo. Qvicqvid rei sit, multo antiqvior annulus ille esfe potuit, vel etiam ad prisci alicujus formam imitatus aut exornatus.

Adjicimus porro seqventes præliminares observationes:

1) Videntur nomina allegorico-mythica mensium singulorum, Odino ipsi (ut totius anni summo directori) adtributa, ordiri debere mense serius qvam hocce calendarium, nimirum ab hiberno solstitio sive capricorni signo, nisi

*) Omnes illæ figuræ nostratium gentilium vel chronologica & astronomica vel astrologica hieroglypha repræsentare posfent, ultima forte locustarum exceptis. At hæ nihilominus pertinent ad noxia illa insecta, qvæ Sveci, Norvegi & Dani adnumerarunt malis dæmonibus (unde *Troll* Vestrogothis in genere vermem vel *insectum* ac simul etiam *dæmonem* qvemque denotat, ex Ihrei & Hoffei dialecticorum glosfariorum testimonio) — at illa dæmonia olim sunt vocata vel Trolli, vel Dvergi aut atri Alfi (ut aranea Svecis hodiernis Dvergi vocabulo insignitur). Dvergos et Alfos nostratibus temporis certas periodos significasfe, supra nos demonstravimus. Fylgias sive dæmonia fatalia vel natalitia hominum huc ex magna parte pertinere jam suspicamur. Cfr. Lex. myth. v. *Dis*, *Fylgia*, *Haminga*, *Norn*, it. *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 33-49, 140-157.

revera arriserit ista vernantis aut rejuvenescentis solis idea, qvam Ovidius ita expresſit (*Fast.* I, 163):

Bruma *novi* prima *veterisqve* novisſima solis;

licet mox addat:

Principium capiunt *Phoebus* et *annus* idem;

qvi posterior versus jolensi nostratium anno arcte convenit, Phoebo tantum in Freyerum nominatim mutato.

2) Dies hebdomadis numinum borealium nominibus (ut alias satis notum) sunt insigniti; at nunc hæc pleraqve (sed omnia qvondam) nomina ê nostra opinione aliqvam runicam litteram peculiariter significant. Sic

1) ᛋ (S) *Sól* (sol) diem solis: priscis Scandinavis *Sunnudagr* &c. ut suo loco monstravimus. *Sol* a Cæsare inter Germanorum numina primo loco nominatur. Solis cultum Canuti Magni, Daniæ, Angliæ et Norvegiæ Regis leges ut barbarum (sive gentilem) prohibuerunt. Nomen illud diei ut vere Norvegicum occurrit in legibus pervetustis *).

2) ᛘ (M) jam *Madr* (vir, homo) olim ut puto *Máni* (luna) diem lunæ — *Mánadagr* &c. Lunæ Germanos divinum cultum exhibere, Cæsar observavit, at illius adorationem Canuti magni leges vetaverunt. Ad runicam hujus diei literam alludit forsitan vetus phrasis vel superstitio Danis, Germanis, Hibernis & pl. notata: *Manden i Maanen* (olim *Madr í mána*) *der Mann im Monde* &c.**). Gentiles (e Bedæ testimonio: de nat. r. c. 8) hominem a luna corpus habere putabant.

3) ᛏ (T) *Týr*, *Tír* (Asa) diem Martis — Germanici, qvem Tacitus nominat — *Tísdagr*, *Tírsdagr* &c.

4) ᚨ (O) *Ódinn* Odinus (alias *Ós* ostium) diem Mercurii***) (Germanici, ut Tacitus vertit) — *Ódinsdagr* &c. adhuc a Buddhistis Buddhæ sacratus et

*) Primi christiani Solis diem vocaverunt dominicam, in Germania eodem sensu *Frohntag*, in Scandinavia *Drottinsdag* &c. qvæ posteriores denominationes jamdudum iterum obsoluerunt.

**) Dies Lunæ sacer fuit Slavis Aldenburgensibus, tunc ad feriationes, sacrificia & judicialia comitia convenientibus (*Helmold.* I, 54). Est Esthis & Osſetis (Caucasiis) pro primo hebdomadis die habitus. Scoti (Celticæ originis) varias prisci ejusdem diei cultus reliqvias habent.

***) De Odino cum Hermete vel Mercurio convenientiâ supra disqvisiimus; Buddham alii cum Mercurio contulerunt et ultime qvidem vir doctus Belgii *N. Westendorff: Algem. Konst- en*

religiose celebratus (ut Mexicani qvondam Votano certum pentadis diem addixerunt). De prisca ejus apud veteres Europæos observantiâ suo loco egimus.

5) Þ *þór*, Thor, Thorus (alias *þurs*) diem Jovis ɔ: Celto-Germanici (Tacito forte Herculis dicti) cujus (inter ipsius Dei sectatores) regularem cultum alibi probavimus. *Jovi Tarani* (& pl.) Germanos altaria dicasse talia monumenta adhuc testantur, ut etiam Bonifacius Jovis borealis Germaniæ sacra destruxisse fertur &c.

6) ᚠ (F) *Frey* (*Freyr*) videtur indicare tam Deum Freyerum qvam divam ejus sororem Freyam; licet prior significatio huic litteræ vulgo adtribuatur. Sic dies ipsius nomen *Freádagr*, *Friádagr* eadem ambiguitate laborat. Ambo ista numina naturæ fertilitatem dirigere & provocare putabantur, qvam ob causam Freyr a viris at Freya a fœminis sæpissime probabiliter adorabantur. Nihilominus mythorum nostrorum cum exteris plerisqve analogia svadet diem illum Freyæ, ut nostratium Veneri*), ac insuper ipsi simul Friggæ, Deorum matri, sacratum fuisse; hinc Taciti *Isis* (forte *Ásа, Æsa, Aisa* ɔ: Dea)**) et *mater Deum* inter Germanos repertæ.

7) ᛚ (L) Olim certe, ut reliqvæ præcedentes literæ & nomina, Deum aliqvem sive dæmonem indicavit, at inter Asas nullum talem (cujus nomen ab illa litera ordiretur) invenimus, præter *Lokium* (*Loki*) vel *Logium* (*Logi*) qvi certo respecto pro una ac eadem mythica persona sunt habendi et antiqvissimis Runis eodem modo scribendi. Hic igitur est ille Germanorum Vulcanus, qvem Cæsar Diis adnumeratum esse refert, ut etiam Canuti Magni leges Danis & pluribus Ignis barbaram (ɔ: ethnicam) adorationem inhibuerunt.

Letterbode 1827 No. 26 (*Analogie entre Boudha & Mercure; M. de Ferussac Bulletin des Sciences historiqves* &c. l. c. pag. 218).

*) Sic qvidam medii ævi Germani hunc diem appellarunt *Fro Venusdag*, ambas Deas in unam mutantes. *Teutsches Jahr-Zeitbuch* l. c. pag. 47. Cfr. artic. *Freya*, *Frigga* in lex. mythol.

**) Observavimus alibi qvod Venus planeta Plinio audiat *Isis* (vel Isidis stella) sed Ptolomæo *Asis*. Prius *Ása* &c. in Dania, Norvegia & Svecia (ut adhuc in Islandia) proprium mulieris nomen, verisimiliter abbreviatum fuit a τω *Ásynia* (Dea) nisi illud *Ása* vel *ÆEsa* pro primitiva ipsius vocis formâ sit habendum. Sic in nominibus talibus compositis (ut *Álfdis* &c.) frequenter occurrit vocabulum *Dis* (Dea, Nympha).

Gormonem, Daniæ regem (inter postremos gentiles numeratum) Utgarthi-Locum coluisse legimus. Ast Lokius a Diis defecit et ad ultimas terrarum oras durissimis vinculis coactus Saturni dira fata experiebatur, unde Cronium vel Saturnium mare ipsum borealem oceanum, Lokii Utgardensis habitaculis proximum, satis apte designat. Istius nomen, Diis ac hominibus exosum, cum nostratium Diabolo homonymum tandem evasit et diei certo hebdomadis (e nostra opinione) addici cessavit. Sic planetam & diem Saturni Lokii vel Logii nomini olim insignitos fuisse opinamur. Ast si nomen *Lokadagr* alioqvin denotaret *diem* (hebdomadis) *ultimum* (a voce *Lok* finis &c.) Saturno planetæ nomen *Loki* optime convenisset, cum e veterum opinione sphæras vel circulos planetarum claudere crederetur. Nomen runicæ literæ *Laugr* vulgo transfertur: liqvor, lacus, mare; suspicamur id primum audiisse *Leygr* *) i. e. flamma (alias *Logi*, Dan. *Lue*, Norveg. *Loge*, Svec. *Låga*, German. *Lohe*, Anglo-Scot. *Lough*, Finn. *Liecki* &c.). Jam Islandis (ut olim qvoqve) dies Saturni audit *Laugardagr* et qvondam *Þvottdagr* (dies lavacri vel lavationis) Danis *Löverdag*, Svec. *Lögerdag* (unde verisimiliter Lapp. *Lavordaga*, Esth. *Laupeaew*) qvam tamen denominationem christianismo deberi censemus, cum propter dominicæ adpropinqvantem festivitatem sordes omnifariæ ablui & profligari deberent. Alioqvin Saturnus astrologis habetur pro maligno numine, qvæ etiam superstitio apud Indos de ejus planeta valet. Jolensia Rimbeglæ vaticinia Saturni diei (qvi Germanis medii ævi male etiam audiit) adscribunt multa et periculosa incendia, ut Lokius olim mundi incendium allaturus esse credebatur. Conferri merent vetusta alia nomina, Belg. *Lanterndag* (dies laternæ vel lucernæ) & pl. Cætera huc pertinentia disqvisiimus in Lex. mythol. ad art. *Logi, Loki, Loptr, Forniótr, Surtr, Ve, Ymir* **). Anglo-Saxones Saturni diem vocaverunt *Sæterndæg, Saternesdæg* (unde recentiorum Anglorum

*) Hinc per exiguam mutationem dici potuit *Leygardagr*, (ut *Bragar* a *Bragr*, *Skógar* a *Skógr* & pl.), at facile posterius ita depravari vel immutari, ut *Laugardagr* vulgo appellaretur. *Laug* proprie denotat *calidum lavacrum*, qvod *Laugr* liqvor, aqva & *Leygr*, *Logi* flamma unitis viribus efficiunt. Tandem *Leygr* facile potuit pronuntiari *Laugr*, ut aliud ignis poeticum nomen *Seydr* et *Saudr* promiscue scriptum invenimus.

**) Cfr. *Magni Celsii computum ecclesiasticum Upsaliæ*, 1673, 8. pag. 73 & sq.

Saturday), Saxones qvondam & Belgæ hodierni *Saterdag*. Saturnum vix coluerunt, licet Romanum nomen facile in proprium usum vertere potuerint, dæmones, variis inter diversas gentes nominibus adornatos, eosdem qvondam fuisse opinantes. Cfr. tamen artic. *Sadr* (*Sadur*) s. Germanorum vulgatum *Samstag* (Gallorum *Samedi*) putatur depravatum esse a sacro christiano (vel judæo) *Sabbatstag*; si autem Indica planetarum ac hebdomadis dierum nomina respicianus, Saturnum planetam iis *Sani* appellari reperimus. Has et alias de re incerta conjecturas linqventes, notanus tantummodo nos *septem hebdomadis dies* cum *septem mundi ætatibus* vel *periodis* (e mythico Eddarum tenore) aliqvando comparavisse, qvæ hic non repetere vacat.

3) Diem ipsum naturalem videtur vaticinium Valæ (qvinariam, ut supra monstravimus, anni divisionem mystice describens) in qvinqve partes dividere (str. 6) ut Persæ veteres fecerunt; — ast nihilominus in borea nostro antiqvitus exstitit alia ac certior nycthemerii divisio in octo trihoria; nam cuivis cæli octonariæ plagæ (dictæ *Átt*, *Ætt* ab *átta* octo) solis ac astrorum cursum respicientes respondere fecerunt unam dictarum temporis sectionum, appellatam *Eykt*. Hinc verisimiliter vox Danica & Norvegica nycthemerium indicans *Ætmaal*, *Etmaal* (qvondam *Eyktmál*, *Eyktamál*), Frisiis antiqvis *Etmel*, recent. *Etmal* &c. Hanc methodum (olim Judæis & Romanis acceptam) plures docti viri ex Asia cum ipso populo nostris terris allatam esse contendcrunt. Eorum prolixis lucubrationibus *) hic tantummodo addere liceat, qvod Indi etiam antiqvitus eam observaverint nycthemerii partitionem, ita ut Tamulis trihorium audiat *Samam* (licet aliis Indis aliter) ut doctissimus noster *Fugl-*

*) Videantur *Paulus Vidalinus* in phrasin juridicam: *allr dagr til stefnu*, ineditam commentationem; *Johann. Arnæus* & *Finnus Johannæus de horologio Islandico* ad calcem Rimbeglæ cum figg. Novissimum talis horologii schema cernitur (inter alia) in regni Sveciæ antiqvarii, *J. G. Lilliegren*, elegantissima ac utilissima tabulâ: *Tusende Års Calender* inscriptâ. De octo Norvegicis nychtemerii sectionibus vid. *Arnz Beskr. over Söndfjorden*, *Norsk topogr. Jour.* XXXIII, 13.

sang me amicisfime docuit *). Tertiam nycthemerii in duodecim duplices horas divisionem, e nostra conjectura olim exsistentem, supra memoravimus.

Seqvitur ipsum ethnici nostratium Calendarii schema. In eo præter mythologica nomina 12 mensium, 52 anni hebdomadum (vel Odinianorum dierum) et 72 pentadum (ac unius qvaternionis vel originariæ ut tali numero 73tio designandæ temporis sectionis) & tandem 13 Valkyriarum, ut tot anni lunarum vel lunationum, annotabuntur præcipua gentilium festa p. p. Observabimus porro nonnullos posteriorum ac partim hodiernorum christianorum superstitiosos ritus & opiniones, certas anni periodos vel terminos respicientes, qvæ paganismo manifeste primas debuerunt origines, (licet sæpe novæ relligioni fuerint adaptatæ) non tantummodo in hisce borealibus regnis, sed etiam in Germania, Anglia, Scotia, Gallia et aliis terris, qvas Gotho-Germanici populi inhabitarunt vel armis subjecerunt. Accedunt insuper (præsertim in additis corollariis) indubia parallela ex cognatorum Asiæ populorum, Græcorum Italorum & plurium antiqvis fastis desumta. At similes observationes (partim in nostro septentrionalis mythologiæ Lexico & aliis scriptis contentæ) multo majore numero institui posfent, si temporis & pagellæ angustia non obstaret. Hæc tamen pro primo specimine lectori curioso ac benevolo sufficere speramus.

*) Videas alioqvin: *Bailly Hist. de l'astron. anc.* pag. 110. *Gillchrist Account of the Hindostanee Horometer, Asiat. Res.* V, 82 & sq.

ÆFINRÚNAR OK ALDURRÚNAR

ɔ: AEvi ac aetatis mysteria.

(*Rigsmál*, str. 40).

Specimen Calendarii gentilium Borealium cum seriore ac recentissimo nostratium annui spatii computo, variis cognatarum gentium festis vel ceremoniis ac diversis ethnicismi superstitiosis reliqviis p. p. collatum.

ÁR (Annus, Annona) p. p. (ÓDIN).
MISSERI (semestre) I.
VETUR (s. hyemale) ULLERO Deo,
ut videtur, dicatum.

MÁL (Trimestre) I, VETUR (Hyems).

MÁNADR (mensis) I. (JÁLKR).

Vet. Scand. & Island. *Ýlir* (ululans); *Frer-Mánudr* frigorificus sive gelidus mensis. Recent. Danis & Svecis November *Vinter-Maaned* (vel *Månad*) Belg. *Wintermaand* m. hyemem inchoans, Anglo-Saxonibus *Blotmonað* m. sacrificialis, gentilium more; — December recent. Island. *Skammdegismánudr*, m. brumalis it. *Jóla-m.* m. Jolensis (festi) Svec. *Julmånad* id. Dan. *Juelmaned*, *Jule-Maaned* vel *Christ-M.*, German. *Christmonath* id. Anglosax. *Aerra Geola* (m. prior Jolensis vel ante-jolanus) Gothis Italicis *Fruma Jjuleis* (ejus-

dem significationis); Anglosaxonibus porro *Midvintermonaƀ* (m. mediæ hyemis s. brumæ) vet. Germ. *Heilagmonat* m. sacer, *Wolffsm.* m. lupi vel luporum, Lapp. Svec. *Passatismanno* m. sacer vel *Jaulom.* m. Jolensis, Slavon. *Studen* (m. frigoris).

TUTELA Deus *Ullur;* coeleste ejus domicilium *Ýdalir.*

SIGNUM SAGITTARII.

Vet. Dan. ⊙ *i Skyttera*, Isl. *Skotmanns-* aut *Bogmanns-merki.*

(1827).

Novbr. 23	*F.* 1.	[*Clemens*] VETUR; *Vetrarblót* sacrificium hyemale. Initium hyemis veteribus Gothis, Danis, Germanis & pl. ut hodie qvoqve rusticis Danicis & ex aliqva parte Norvegicis (Calend. Run. Dan. *Vittr* &c.). Danorum runicum vel hieroglyphicum calendarium hnnc diem *anchorâ* signavit; tum etiam naves (ut observat *Wormius Fast.* Dan. p. 117) in portu esse oportet; sic gens nautica hyemis initium rite celebravit. Christiani S. Clementem ut nautarum patronum colebant. Runici Svecorum & Norvegicorum fasti illi diei *anchoram* interdum *arcui* (Ulleri) junctam adsignant, at tamen Norvegici *templum* interdum præferunt. Monstrat alioqvin Menologium *Anglo-Saxonicum* (ab Hickesio editum) qvod S. Clemens a christianis Britannis adoraretur pro commodâ tempestate in agrorum beneficium (ut olim Ullerus vel Freyerus a Septentrionalibus &c.). [Hoc vel seqvente die Romani Byzantini Brumæ vel Brumaliorum festum celebrarunt; *Cal. Const. M.*].
24	*L.* 2.	
25	*S.* 3.	☽ HRIST.
26	*M.* 4.	
27	*T.* 5.	*Fimt* (*Femt*, πεμπτη, pentas) I. *Bivor.* Tum incepisse videtur magnum 40 dierum jejunium sive tristitiæ publicæ tempus, a Thulensibus maxime borealibus olim observatum. Cfr. diem 10 hujus mensis.
28	*Ó.* 6.	GRÍMUR. [Indi summæ Deæ Parvati celebrant nocturnum festum].
29	*Þ.* 7.	*Vika* (hebdomas) I.

Novbr.

30 *F.* 8. Jam dies S. Andreæ, qvo Danici & Germanici rustici de seqventis hyemis tempestate hydromantica auguria capiunt. Norvegorum runica calendaria hunc diem *hamo piscatorio* insigniunt, alias cruce Andreana.

Decbr.

1 *L.* 9. [Romanis Neptuni festum].

2 *S.* 10. *Fimt* 2. *Bavor.* Incipit annus ecclesiasticus plurimorum christianorum; it. *Jólafasta*, jejunium ante-jolense. Videtur tempus istud olim partim convenisse periodo 35 vel 40 dierum, tristitiæ Thulensium ob solis absentiam destinatæ, secundum Procopii relationem (de bell. Goth. L. 2). Ast tum relligiose observari potuit *annua Deorum nox* vel *crepusculum*, ut bruma rite vocanda, magno illi futuro suo modo non absimile. Jam mali dæmones, deorum & hominum hostes, grassari incipiunt &c. Gregorius Magnus, ethnicismi ceremonias christianæ religioni certo modo adaptare solens, illud jejunium in occidente instituit. Indi orientales mensem eum, qvi hyemale solstitium vel festum *Pongol* proxime præcedit, infaustum censent et precibus religiosis dedicant ut *Deorum noctem.*

3 *M.* 11.

4 *T.* 12. Hunc diem Norvegi Thelemarchienses in runico calendario insigniunt *solis imagine*, ac supposito *globo* vel *ovo alato*, celeberrimo AEgyptiorum hieroglypho simili, qvo solis abitum, jam fientem, indicari perhibent (*Wille* l. c.). Norvegica ac Svecica alia *traham* nivalem sive glacialem adnotant.

5 *Ó.* 13. GÁNGLERI. [Faunalia rusticorum Romanorum].

6 *Þ.* 14. *Vika* 2. In Germania incipiunt grassationes & turbæ ante-jolanæ: *Der erste Polterabend*; *die Bettlers Klöpflins Nacht* & *Anklopferleinstag*; pulsatio mallei ad fores vel fenestras, it. *der Sinter* — olim forte in borea Dvergus *Sindri* vel *Sindre*, qvi Thori malleum ac varia cimelia fabricavit; *Knecht Ruprecht* & pl. larvæ grassantes, i. e. Alfi atri vel Lemures &c. Alioqvin superstitioni Norvegicæ circa hæc tempora apparere solent variæ lamiæ, ut *Guru Rysserova*, Scotice *Gyre Carling*, Germanice *die Goor* &c.; cfr. L. M. art. *Ódinn.*

7 *F.* 15. *Fimt* 3. *Bavmbor.* [Festum Neptuni, terræ motoris, in Græcia].

[Cujusvis dimidiati mensis tertia pentas variis modis olim dice-

Decbr.

batur ultima, qvoad peremtoriam actionis diei præfinitionem. Sic e. gr. legibus Danicis *tredie Femt*, tertia pentas; Svecicis similiter, ac præterea *yfversta Fämt, femtan natta Fämt* &c. Ita nostrates, eodem modo ac Indi (olim secundum Curtium VIII, 9 et hodie qvoqve) mensem diviserunt in duas æqvales partes, qvæ Islandicis legibus dicuntur *hálfr mánadr*, Indis autem *Paksha*. In monumentis Germanicis & Gallicis medii ævi freqventissime memoratur spatium qvindecim dierum, latine *Qvindecia*, *Qvindena*, *Qvindenna*, Gallice *Qvinzaine* &c.]

8 *L.* 16.

9 *S.* 17. Runica Danorum & Svecorum Calendaria hunc S. Annæ diem *cantharo* denotant; tum ex Wormii observatione aqvam hordeo affundere jubent rustici Danici, ut coqvatur cerevisia, qva se per dies Natalitiorum exhilarent. Præferunt Norvegi lavationem vestimentorum & linteorum, qveis festo eodem durante utantur.

10 *M.* 18.

11 *T.* 19.

12 *Ó.* 20. HERIAN. *Fimt* 4. *Nóri.*

13 *Þ.* 21. *Vika* 3. Germanis: *der zweyte Polter-abend; die Bürger-Klöpflins-Nacht.* Huc verisimiliter ex aliqva parte pertinent superstitiosæ visiones, qvæ vocantur *das wüthende Heer*, (turba sive exercitus furens) Mecklenburgensibus *Wodens Jagd*, in Dania *Gröns Jagt*, *Volmars Jagt*, Svecis *Odins Jagt* (Odini venationes &c.). Dies Luciæ [ɔ: Luciferæ], dum Julianum calendarium usitaretur, vulgo pro solstitiali habitus, signatur variis hieroglyphis, ut a Danis *pede bovino*, a Norvegis *incendio flammante*, a Svecis *faculá accensa* it. *forficibus & filo* (Nornarum?) &c. Is adhuc a puellis Danicis superstitiosis precibus celebratur. Hoc die Persæ veteres celebrabant *festum allii* (nostratibus in magno honore) qvod malos dæmones arcere credebatur.

14 *F.* 22.

15 *L* 23.

16 *S.* 24. [Feralia Indorum, Indræ Deo sacrata].

Decbr.

17 *M.* 25. *Fimt* 5. *Án.* [Incepere Saturnalia, Persis Epiphania Mithræ],

18 *T.* 26. [Persæ idola pinsata venerantur, at deinde comburunt].

19 *Ó.* 27. HJÁLMBERI.

20 *þ.* 28. *Vika* 4. Germanis: *der dritte Polterabend; die Herrn-Klöpflinsnacht.*

21 *F.* 29. Vættæ, Alfi, Trolli — Dæmones ac Lemures migrantes — hac et seqvente vespera et nocte, propter solaris lucis instantem reversionem, — serius in Islandia partim vocati *Jóla-sveinar*, manduci brumales sive Jolenses; in Dania *Jule-Vætter*, Vættæ aut dæmones Jolenses, in Svecia *Jule-Dvärgar* Dvergi Jolenses, in Norvegia & Finmarchia *Jule-Fylket* turba Jolensis, Lapponibus *Joulo-Gadze* &c. Hos omnes, vel serio vel etiam posterius ficte, sacrificiis et oblationibus cultos esse scimus. Tales Germaniæ dæmones, jam et prius apparentes, sunt supra nominati. In Anglia ac Scotia videntur medio ævo Trolli (*Trolle*) appellati fuisse. Ille dies (*dolio* in fastis runicis signatus) alioqvin a Norvegiæ rusticis vocatur *Bryggerdag (Thomas Brygger, med Bötten)*, *Fuldtönde*, *Skakubollen* o: dies coctionis — vel coctoris — cerevisiæ, pleni dolii, crateris qvassationis &c. Hic dies Danis pro maxime prognostico habetur; is in qvibusdam vetustis Svecorum calendariis innuitur *rotâ* solstitium. [Mulsum oblatum Herculi & Cereri *Cal. Rom.*].

22 *L.* 30. *Sólhvörf* (solstitium hyemale) 1827. *Atfángadagr Jóla* (*Saga þórd. Hrêdu*, C. 4, de Islandis ethnicis). Ab illo astronomico temporis momento, jolensi festivitati a gentilismo sacrato, ad recentissima usqve tempora Dani multi et Norvegi incipere soluerunt Jolensia prognostica (vel primos duodecim jolensis festi dies). Aliqvando tam antiqvissimi Scandi qvam Indi & pl. ab hac nocte annum incepisse creduntur. *Jólanótt* nox, sive vigilia Jolensis festi (Pers. *schebi Jelda*) alioqvin *Hökunótt*, *Höggunótt* vel *Haukanótt* (*nox ultima* vel *extrema*, anni veteris, ex astronomico Anglosaxonum & pl. calculo, at tamen certo modo prima seqventis; alias nox lanienæ i. e. sacrificialis vel nox accipitrum). Hinc forte Scot. *Hagmanay*, *Hogmenay*, Normanno-Gallica *Hogvinete*, *Haguinete* (nomine jam ad anni ultimam noctem, e præsentis computi tenore, translato). Cfr. annotationem proxime seqventem — Innumeros

Decbr.

fere ritus, a borealibus populis hoc vespere & seqvente jolense festo observatos, licet e gentilismo oriundos, hic non exponere vacat, at paucos tantum innuemus. Jolensi vespere (aut hoc aut proxime seqvente) in ethnica Reid-Gothia, Gothia, Svecia, Norvegia et alibi produci soluit aper Freyeri aut Solis, cum vota solenniter nuncupanda essent ad Bragii poculum. Similes plures ceremonias multi christiani ad vigiliam nativitatis Christi hodiedum exercent, ut mox suo loco notabimus. Olim in borea nostro et in remota Persia hac nocte flammabant festivæ pyræ (vet. Scand. *Jólabál*, Svec. *Julbål* &c.), unde illa Persis & Arabibus audiit *nox rogorum accensorum*. Ignis sacer pro Solis vel solaris coeli Dei terrestri symbolo habebatur & præterea verisimiliter terrere credebatur Trollos vel dæmonica monstra, eo tempore vagantia, ut fuere e. gr. fera alata (Anglosaxonum *Grendel*) qvovis Jolensi vespere aulam Daniæ Regis devastans (*Hrólfs Kraka Saga* C. 35) et lamia gigantea simili modo eodem tempore in Islandia grassans (*Grettis Saga* Cap. 67). [Hoc die Romanis finis Saturnaliorum, feriæ & ludi Laribus dicati].

[Mensis cujusvis dies trigesimus ac ultimus dicitur in legibus Svecicis medii ævi *Tretiugund*, ut Græcis olim eodem sensu τριακὰς vel τριηκας (τριτη δεκαε?), at alioqvin *Månadsmot* mensium concursus, Græcis ἕνη και νεα (ut Isl. *nid ok ný*, Dan. *Nœ og Ny* &c.); conferri merent veterum legum Norvegicarum *þritugasti dagr*, recentiorum Danicarum *tredivte Dag*, Germanicarum *drittegester* vel *dreyssigster Tag* &c.]

MÁNADR II (ALFADIR).

Vet. Island. *Mörsugr* emacerans, *Hrútmánudr* mensis arietum vel arietis. Hodiernis Islandis Januarius dicitur *Midsvetrarmánudur* mensis mediæ hyemis, Dan. *Glugmaaned* (mensis fenestratus, forte propter Solis fenestras vel portas jam reclusas), it. *Ismaaned* m. glacialis, Svec. *Thore, Thorre, Thorsmånad* mensis Thori (Dei), Norvegis interdum *Thorre, Thore* ut etiam Islan-

Decbr.

dorum *porri* in Januario incipit, qvi satis singulariter Aegyptiis Heliopolitanis dictus fuit *Thorin* (Θοριν); porro Anglosaxonibus *Geola æftera* (mensis Jolensis posterior) vet. Germanis *Wintermanot* (m. hiemalis κατ' εξοχην, e recentiorum astronomorum computo hyemem solstitio incipiens), Belg. *Louwmaand, Lawmaend*, Lapp. Svec. *Odde peive* (m. novi anni), Slavon. *Prosinez* (m. coeli cærulei; cfr. nostratium Deum *Fro, Frö, Fröy, Frey*).

TUTELA Deus *Freyr*, ejus cæleste domicilium *Álfheimur*.

SIGNUM CAPRICORNI.

Vet. Dan. ☉ *i bukki;* Island. id. it. *steingeitar-merki.*

23 *S.* 1. JÓL; JÓLA-DAGR (*hinn fyrsti:* feria festi jolensis prima; recent. Norv. *Jol*, Dan. & Svec. *Jul*, German. (Bavar.) *Juel-* vel *Juelltag*, Anglo-Sax. *Geol, Gehol*, Angl. boreal. & Scot. *Youle, Yule, Yeol* (*Jule* &c.), Fiun. *Joulu, Julu*, Lapp. Svec. *Jäul*, Lapp. Norveg. *Joulak, Julak*, Esthn, *Joulo*, Pers. *Jelda*, Indo-Tamul. *Pongol.* Cfr. Turco-Arab. *Iul Iom* primus dies anni, conversio vel reditus, it. Gall. *Noël*, Armor. *Saulo* (solis festum). Nox proxime præcedens porro Anglo-Saxonibus gentilibus audiit *Moedreniht* o: nox mater &c. (ut supra notavimus). Tum nostratibus celebrata fuit nativitas Freyeri, Solis invicti. Incidebat etiam Anglosaxonum *Midde-Vinter* (Germanis *Mitte-Winter*) vel media (i. e. obscurisfima) hyems. Circa eadem tempora coluerunt Russi gentiles Deum Koledam, ut hodie qvoqve ejus cultus reliqviæ a plebe in variis ludis &c. vespere, Christi Natalitia præcedente, servatæ manifeste testantur. Nunc in Norvegia a rusticis celebratur *Spronsedryckien* (compotatio epistomii adplicati occasione instituta). Pagana brumæ festivitas inhibita fuit Germanis ad christianismum conversis A. C. 742; nam anterius larvati imitabantur eqvos, cervos mulieres p.p., viri tunicis muliebribus vestiebantur &c. Indis dicitur hæc prima festi Pongol feria *Deorum diluculum* it. *dies Gaudii.* [Romanis feriæ Jovis]. Jam christianis in Dania et alibi. Hæc dies vel vespera audit *lille Juleaften* (vespera parva aut minor jolensis) cui etiam nunc ubiqve in borealibus terris adhibetur dicta super-

Decbr.

stitio de dæmonum migratione vel vagatione &c. Eodem die Romani celebrarunt *Larentalia* aut *Laurentalia*.

24 *M.* 2. *Annar Dagr Jóla* (feria secunda festi Jolensis). Olim christianis latine *vigilia* luminum, jam Dan. *Juleaften*, vigilia nativitatis Christi, at multi ethnicæ originis superstitiosi ritus, gentili illi Jolensi festo olim proprii, nihilominus exercentur Sic e. gr. passim pinsantur panes vel placentæ sacræ, animalium diversorum figuris signatæ vel adaptatæ, ut Norvegorum *Hælhest*, *Helghest* (in memoriam eqvi vel eqvorum Freyeri aut solis); Svecorum (ac qvondam Danorum) *Julegalt* s. aper Jolensis (originitus in honorem Freyeri ac Freyæ productus) vel etiam caper Jolensis dictus *Julbooken* (pro Thori veneratione) &c., qvi panes, deinde ad sementis tempus servati, tunc ab operariis & eqvis relligiose consumi debuerunt. Jam ubiqve in Svecia ac partim in Norvegia et qvondam in Islandia pyræ, faces & luminaria splendent (qvæ nonnullis maxime salutaria creduntur), omnis festivitas ostenditur &c. In Svecia (ut qvondam in Germania) superstitiosi sub dio cubantes ex imaginariis visionibus auspicia sumunt; hæc expeditio dicitur *Årsgang* i. e. annalis gressus (vel etiam anni cursus). Norvegi balnea sumunt; ii et Sveci pabulum uberrimum indulgent pecoribus, at avibus feris aristas frumenti. Cunctis advenis mensæ cibo oppletæ patent. Escaria, potus & balnea a superstitiosis offeruntur Alfis sive Geniis vagantibus aut domesticis, qvi autem a nonnullis christianis in angelos sunt transformati ut monstrat vocabulum Svecorum *Änglöl* (cerevisia angelis oblata) de potu iis ita proposito. Sveci virides arbores (pinus vel abietes) sub dio ad oppida vel ædes erigunt, at Dani, Norvegi & Germani in ipsis ædibus, qvæ minusculæ arbores, aureis pomis ac splendidis donariis gravidæ, vocantur Dan. *Juletræ*, Germanis *Christbaum* &c. olim forte Ygdrasilli sive Irmensulæ symbola. Ludi Jolenses, jam incipientes, multifariis gentilismi reliqviis scatent e. gr. hominibus caprorum, eqvorum, taurorum vel cervorum modo larvatis; Cfr. artic. *Döckálfar*, *Vættur* & pl. Stramini Jolensi, dicto *Julehalm*, Dani, Sveci ac partim Germani varias superstitiosas virtutes adscribunt, arbores frugiferas stramineis ligaturis circumvincien-

Decbr.

tes, stramentum jam usitatum non tantum agrorum fertilitatem sed etiam hominum concordiam provocare credentes; hæc pro Freyeriani cultus reliqviis sunt habenda. Danis & pl. hæc vespera ac nox seqvens dicitur *Julenat*, Islandis christianis *Jólanótt* &c. Hoc vel præcedente die in Svecia ex vetere instituto per tubas ac tympana indicere solent pacem Jolensem (*Julafrid*) ad festi diem vigesimum durantem, qvæ etiam Danicis, Norvegicis et Islandicis legibus nota. [Hæc feria Romanis dicebatur *dies juvenilis*, qvo *juveniles ludi* agitabantur. Indis audit *feria Solis*].

25. *T.* 3. *þridi dagr Jola*, feria jolensis tertia. ☽ MIST.
[Jam Christiani celebrant nativitatem Salvatoris. Hoc die multi in Svecia viri, templa visitantes, cursus pedestres celerrimos instituunt. Calendaria Norvegorum figurata eundem indicant vel *pyrâ* flammante, vel *oereis* accensis (primum solis revertentis insigniis); ejusdem generis est incendium jolense Islandorum, Anglorum *Yuleclogh* vel *Yulelog* p. p. Lappones Svecici hoc et præcedente die sacrificia exhibent Dvergis Jolensibus et Jolensi (ut dicunt) Domino. In Svecorum runicis calendariis vulgo conspicitur *infans* fasciis & radiante capite præditus, ut diei hieroglyphon. Alia hunc diem *rotâ* designant (qvæ Græcis, Aegyptiis, Indis & pl. fuit signum solis ac ejus conversionis). Jam in tota Scandinavia ac Germania vulgo incipi solent prognostica jolensia (Danis *Julemærker* &c.) cum e duodecim continuorum dierum tempestate auguria capiuntur pro tot integri seqventis anni mensibus. [Observavimus in L. M. art. *Vali*, Indorum *Pongol* per tres dies durare ac varios cum Jolensi nostratium festo ritus & circumstantias communes habere. Tertia hæcce ejus feria *vaccarum* vel *bovum dies* appellatur]. Aegyptiis *Hori* vel *Harpocratis* Natalitia. Hic dies olim a Romanis vocabatur *Natalis Solis* (vel *Mithræ Solis*) *invicti*, a Julio] Cæsare alioqvin pro solstitiali habitus.

26. *Ó* 4. þECKUR. [Christianis festi jolensis feria secunda. Freyerianæ religionis ac solarium eqvorum prisci cultus multifariæ reliqviæ Jam circa initium seculi 16ti Svecorum maxima multitudo convenit certis locis, e qvavis provincia, distinctis licet communitatibus, pro bravio (præsertim novarum vestium) ac gloria eqvestri certatura, præsertim in Ostro-Gothia & Vestro-Gothia (*Ol. M.* I, 24).

Decbr.

Hodie etiam in Svecia & Norvegiæ similes eqvestres ludi celebrantur; præterea eqvi (ipso jolensi vespere frumento saturati) certis alias insolitis aqvariis adducuntur &c. Ut Freyeri eqvus gentilibus Scandinaviæ poëtis audiit *Blódughófi* (ungulas cruentas gerens) Sorterupius, hâc circumstantia non observata, memorat rusticorum Danicorum ac ex aliqva parte Germanicorum perantiqvam opinionem, de eqvis hac die ad sudorem motandis & *venæ sectioni* subjiciendis, ut a morbis per totum annum liberi evaderent. Hinc dies ista in runico calendario phlebotomo innuitur, ut Wormius notavit (*Fasti Dan.* p. 11). Olim Pagani jolensi festo eqvos, ut prius Massagetæ, Persæ, Indi & pl. (Freyero vel Soli) sacrificaverunt, eorum sangvinem ita profundentes ac consumentes. In Germania dies eadem qvondam vocabatur *der grosse Pferdstag* (dies magnus eqvi vel eqvorum) it. *die Haferweyhe* (avenæ consecratio) propter tales ritus in nonnullis Germaniæ regionibus ab incolis, catholicæ fidei addictis, observatos, cum etiam foenum consecratum eqvis adponere solent &c. Hoc die præcipue colunt Sanctum Stephanum, qvi *eqvorum patronus* (ut olim Freyerus vel alii ethnicorum Dii) vulgo salutatur. De eo adhuc in Svecia plebeji hoc tempore varias canunt cantilenas, qvæ eum celebrant ut priscum aliqvem stabularium (*Stalledreng*) ac ejus qvinqve eqvos, qvos ipse diligenter curavit, ante gallicinium evigilans, stellâ splendente illos ad aqvarium agens, deinde, aureâ sella insidens, circa solis ortum iter eqvestre incipiens, id *secundum solis cursum* per varias Sveciæ provincias proseqvens &c. Talia carmina jam canunt præcipue juvenes hilares, dicti *Staffansmän*, qvi catervatim vicos pereqvitant. Alioqvin in Svecia solenniter ebibitur cantharus vel poculum Stephani (*Staffans-kanna* vel *minne*) ut olim jolensi festo paganorum numinum (Freyeri et aliorum). Cfr. adnotationem mox seqventem. Ut Freyerus olim annonam beare rogabatur, sic etiam, catholicismo durante, in Svecia solennis *annonæ benedictio* fieri solebat ac preces simul pro animalium incolumitate et fertilitate fundi (*Ol. M.* XVI, 9).]

27 *p.* 5. *Vika* 5. *Fimt* 7. *Ái.* Celebratur Consecratio vini (*die Johannisweyhe, der Joh. Segen*) in Germania catholica et alibi; ebibitur

Decbr.

solenniter poculum vel potus S. Johannis Evangelistæ (olim *Johans Mynn*, recent. *J. Trunck* &c.), qvi freqventibus ac lautis conviviis olim occasionem dedit. Talis potus contra veneni vires & varia infortunia maxime prodesse credebatur. Ferebant S. Johannem angves venenosos innoxios reddere; at hoc tempore gentiles Scandinavi putabant Lamias, angves venenosos gestantes & lupis insidentes, a reversis solaribus geniis jam fugatas esse. Feriæ jolenses primæ ac principales plerumqve in Calendariis runicis *cornibus potatoriis* signantur; huic diei præterea *avis* qvædam (*aqvila* vel *gallus*) adponi solet. [Incepere triduana Atheniensium Dionysiaca].

28 *F.* 6. Islandice *Barnadagr*, Dan. *Börnedag* (dies infantum) olim forte Dvergis vel parvulis Alfis dicatus, at posterius innocentibus pueris ab Herode necatis. Vari joci, ludi ac spectacula medio ævo (et serius qvoqve) exercebantur, ut in Germania *der Schulbischof* (episcopatus puerorum), *das Gauchgericht*, *das Narrengericht* (judicium fatuorum), in Islandia *Herradagr* (dies dominorum vel comitiæ magnatum) ut olim in ethnicismo *Sirpuþingslög*, qveis jocis pontificum tribunalia a plebejis ludicre imitabantur. Simili modo circa eadem tempora Græcis, Romanis, Persis & pl. Cronia, Anthesteria, Saturnalia et alia talis tenoris festa antiqvitus fuerunt agitata. *Ensis* et *potatorium cornu* nostratibus prô hujus diei hieroglypho habentur.

29 *L.* 7.

30 *S.* 8. *Átti dagr Jóla* (dies octava jolensis festi) Islandis gentilibus observata (*Saga Þórd. Hredu* C. 11).

31 *M.* 9. Jam Islandis *Nýársnótt* &c. qvâ veterrimæ jolensis sive solstitialis noctis loco a superstitiosis christianis diu exercebantur excubiæ nocturnæ, pro auspiciis de futuro anno observandis, dictæ *Útisetur*, in medii ævi legibus prohibitæ. Adhuc in Germania, Dania &c. varia præsagia observantur, et præterea cient plebeji tumultos nocturnos, cum urceos figulinos valido ictu ad januas alienarum domuum diffrangant, sclopeta explodant &c. (Cfr. Lex. myth. art. *Þór*). Circa prima christianismi tempora Sveviæ juvenes hac nocte vagantes ab amasiis per dulcia carmina et modulos sertum qvoddam ambire soluerunt. Adhuc in Islandia hac vespera pyræ so-

Decbr. (1828) Januar

lennes accenduntur ut Indico more annus vetus flammis consumatur, at novus festive salutetur. [Saturni feriæ Romæ].

1 *T.* 10. *Fimt* 8. *Miödvitnir.*

[Novus nostratium annus. Ethnica hujus diei celebratio per larvas vel formas ferarum ab hominibus, fæminarum a viris sumtas &c. prohibebatur primis Germaniæ christianis, anno 742. Tales ritus nihilominus seriore ævo exercebantur, unde dies hicce Germanis dicebatur *das Narrenfest* (festum stolidorum) Gallis *la fête des foux*, Anglis *festival of fools* &c. Alioqvin qvondam appellatus fuit *dies votorum*, qvod nomen hodie qvoqve merito retinere posset. Dantur etiam antiqvitus amicis strenæ, olim Scandinavis *jólagiafir* vel jolensia dona. Prima novi anni luna in Dania, Svecia et alibi religiose colebatur, ut panem & pecuniam oranti indulgeret, sortes ederet &c. Freyæ (sive Veneris) stella, ei lunæ præcedens, credebatur indicare annonæ futuram ubertatem p. p. In Scotia pecus lustratur fumo flammantis juniperi, pro incolumitate servanda &c. Cum anni astronomici primordium antiqvitus a Germanis & Scandinavis jolensi nocte celebraretur, at posterius ad Calendas Januarii transferretur, hic dies Teutonice dicebatur *Ebenweyhe*, *Ebenweichtag*, *Ebenwichtag*, ut æqvâ cum illo festo solennitate observandus. *Cornu* & *cultellus* hunc diem fastis nostratium runicis sæpisfime designant; at vetusta qvædam exemplaria, a Rudbeckio edita (*Atlant.* II, 165) *solem*, *annulum*, *phallum*, *caput taurinum*, *tripodem humanum* (vulgo *triqvetram*) & pl. qvæ signa originitus hyemali solstitio vel veterum jolensis festi primordio propria fuerant. Alia Norvegica *olepsydram* præferunt. Romani calendis Januarii celebrarunt Jovis triumphum de Briareo ac aliis gigantibus o: Solis de hyeme (ut nostrates Freyeri victoriam ex Belio, Thori e frigoris dæmonibus reportatam &c).

2 *Ó.* 11. ÞRIDI. Jam Odinus sub Thridii nomine Tellurem ambit, qvæ qvoqve Hallfredo ultimo gentili Islandiæ poetæ audit *Bidqván þridia*. [Romæ celebrata fuerunt *Eqviria*, sive certamina eqvestria, in pontificum præsentia].

3 *Þ.* 12. *Vika* 6. Hac nocte finiuntur 12 primarii jolenses dies vel noctes, pagano ac qvorundam recentiorum Danorum & pl. calculo.

Januar

4 *F.* 13. *Þrettándi*; dies tredecimus jolensis festi e gentilium computo. Tunc forte olim memorabantur *Hár, Jafnhár* & *Þridi*, Eddicæ sapientiæ regii & divini doctores.

5 *L.* 14. In provincia Angliæ *Gloucestershire* rustici hac vespera in agro triticeo accendunt pyram ingentem, 12 minoribus cinctam, ebibunt varia pocula votiva pro felice anno, heri salute &c., qvi ritus pro Danici (vel Anglosaxonici) gentilismi reliqviis habetur. *Brand pop. Ant.* (1810) p. 342. Pinsant Angli *cakes of the tweltday* &c.

6 *S.* 15. *Fimt* 9. *Veigr. Midr Vetr* ɔ: media hyems, proprie sic dicta, Ex hujus calendarii tenore. Tum olim videtur incidisse magnum Thulensium maxime borealium festum, propter Solis visibilis reditum; (cfr. 27 Nov. & 2 Dec.). Jam Islandis *Þrettándi*, Norveg. *Trettandag, Trettenhelgen*, Svecis *Trettonde* i. e. feria tredecima jolensis. Hodie vel pridie concludunt christiani duodecim ejusdem festi dies vel noctes, (Germanis *die zwölf Nächte* &c.) qvi olim ubiqve summo gaudio, ludis, choreis & epulis omnifariis fuerunt celebrati. Ludi jolenses septentrionalium veteres, eo ac seqvente tempore agitati, plerumqve produnt originem ethnicam ac symbolicum naturæ cultum; cum sæpe lascivia & obscoenitate miscerentur, Rex Daniæ eos prohibuit anno 1683, qvo etiam tempore Dux Mecklenburgensis superstitiosam duodecim natalitiorum festi dierum observantiam interdixit. Dies iidem adhuc nihilominus Scandinavis cunctis maxime solennes sunt, qvoad mutuas epulas & choreas, ut olim fuerant eorum atavis, ac simul (e doctisfimi nostri historici Jahnii mihi communicata relatione) Frisiis Holsatiæ, ad magnam usqve anni 1717 inundationem, qvæ gaudia iis audiebant *das Juhlen* (julii vel jolensis festi observatio). Cum autem Epiphaniæ feria olim Gothis, Germanis, Danis et pluribus *hyemis mediæ festum* fuerit, istius diei summa solennitas apud eorum posteros minime mira evadit; hinc forte variæ ejus Germanicæ denominationes, jam vix intelligibiles e. gr. *das grosse neue Jahr, der Oberste, der Brehentag, Perchtag, Kümmeltag, das Bohnenfest* & pl. Ultimum nomen jam alludere putatur ad placentam magnam, continentem fabam unicam, qvam singulari sortilegio adqvirit unus una epulantium ac Regis fabarii nomine igitur honoratur, e more Germanis,

Januar

Gallis & pl. usitato; hinc voces *Bohnenkönig*, *Roi de la feve* &c Hoc die adhuc rusticæ Daniæ puellæ sanctos tres Reges superstitiosis precibus invocant. Cfr. annotationem nostram ad diem 13 hujus gentilium mensis. Stella cornu potatorio adposita vulgo hunc diem nostratium runicis calendariis designat; interdum tres coronæ, tres Reges, viri vel eqvites eum repræsentant. Hoc die gentiles Aegyptii olim celebraverunt Osiridis epiphaniam sive inventionem.

7 *M.* 16. Festum vulgare Norvegorum in Tellemarchia et alibi, *Elbiörsdag*; tunc ad recentiora usqve tempora ebibebatur poculum sacrum, dictum *Elbiörsminne* vel *Ildborgs-Skaal*; a matrefamilias libatio cerevisiæ fiebat in ignis honorem, certis ritibus ac precibus adhibitis; postea cuncti domestici similia pocula hauserunt, auguria e bibendi modo capientes &c. Nonnulli hoc festum in solis reversi honorem celebratum esse credunt. Cfr. diem 2 Febr. infra. Alioqvin Wormii tempore illo die (S. Canuto Danico Duci dicato) Danorum famuli & famulæ (ut jam qvoqve discipuli scholastici) a ludis jolensibus vel juliis, qvibus finis tum imponebatur, ad opera consveta abigi soluerunt. In runico calendario lanceâ vel venabulo sæpisfime signatur. Circa hæc tempora incidebat magnum Danorum sacrificium Lethræ (ac verisimiliter etiam Svecorum Upsaliæ & alibi) qvovis nono anno celebratum. Belgis: *Verlooren Maandag* &c

8 *T.* 17.

9 *Ó.* 18. þUDUR.
[Romanis media hyems; Agonalia; Jani festum].

10 *Þ.* 19. *Vika* 7.

11 *F.* 20. *Fimt.* 10. *Ganddlfr.* Hujus Genii nomen (ac plura similia) eum Alfis adnumerandum esfe satis manifeste probat. Freyerus (jolensis temporis auctor ac dominus) Alfis ipse præfuit. Hinc forte geniorum domesticorum cultus, recentisfimo ævo in Norvegia hisce (& pluribus) feriis exercitus, qvem *Qvælvart (Qvældvart)* sive *vigiliam* vel observantiam vespertinam nuncupant, ab omni strepero labore se abstinentes &c. Porro *puls* & *liba* illis geniis offerebantur (ut Romani natali die, in Genii honorem, pulte & libis vescebantur). Hunc diem in runicis Norvegorum fastis *eqvus* de-

Januar

signat, at eqvus Freyero olim speciatim sacratus fuisse videtur. Jam feria *Brokkesmess*, conviviis divitiorum celebrata.

12 *L.* 21. Norvegorum hodiernorum *Mitvet* sive media hyems cum cibariorum Jolensium reliqviæ vulgo consumi solent; jam ursus hyemalis (Eddicæ poeseos *Vetur-lidi*) inter dormiendum se volutare dicitur. Cfr. 22 Maji & 7 Oct. In runico calendario cernitur *traha præcipitata, nive circumdata.* Nonnulli hyemis medietatem seqventi diei adscribunt. [*Compitalia* Romanorum].

13 *S.* 22. Olim dictus *Geisladagr*, dies radii vel radiorum. Cfr. *Gisl, Geisli*, unus inter eqvos Asarum sive Deorum. Est alioqvin, e legum Sveciæ christianorum computo et hodierno Norvegorum ritu ultimus jolensium feriarum, cum igitur earum pax sive securitas sacrosancta finire solebat; alioqvin dicitur (dicti festi) vigesimus, Svecis & Norvegis *Tiugendag.* Germani eum qvondam appellabant: *Glaristag, Hilarientag, den zwenzigsten ze Wienehten;* Gallis medii ævi jam etiam concludebantur sacri *viginti dies*, at hæcce feria ab iis videtur dicta esse *les petits Rois.* Norvegi eam pendente *campaná* hieroglyphice designant, at Sveci magis ingenue *abietina face.* Cfr. diem proxime præcedentem. [Romæ olim *festum Jovis* eodem die agitaverunt; tibicines urbem lustrabant, habitu muliebri induti].

14 *M.* 23. Hoc die multis qvondam in Gallia locis e. gr. Bellevaci (*Beauvais*) celebratum fuit ludicrum *asini festum*, gentilismo, ut videtur, in jolensis gaudii conclusionem celebratum, at posterius christianis traditionibus & cultui adaptatum. In Svecorum qvibusdam runicis calendariis imago *navis* (forte Skidbladneri) huic diei adponitur.

15 *T.* 24. Galli figura in qvibusdam antiqvæ Sveciæ fastis adornatur. [Ventorum pugna hoc die fieri adseritur in Calendar. Romanis. *Carmentalia, Porrimæ & Postvertæ.* Indis festum: *loqvela aqvarum*].

16 *Ó.* 25. ÚDUR. *Fimt* 11. *Vindálfr.*

17 *Þ.* 26. *Vika* 8. Hoc die rusticæ puellæ in Norvegia capillos penicillo comere verentur, propter legendæ vetustæ tenorem. [Incepere ludi Palatini Romanorum, per septem dies durantes. Cittophoria *Græca*, Baccho sacra].

18 *F.* 27.

Januar

19 *L.* 28. Bedæ *Hyemis dimidium* (in *Ephemeride*).

20 *S.* 29. Hoc die rustici Danici & Norvegici succum arborum nutritivum in eas ex terrâ ascendere, ac ligna igitur sylvatica potisſime scindenda esse dicunt. Ille iis audiit *Brödremesse*, *Brodermisse* feria fratrum (forte a Fabiano & Sebastiano; cfr. ethnicum Valii & Hoederi fratrum mox seqvens festum, it. 27 Jan.). In fastis runicis *securis* hic depingitur. [Indi sacra lavacra mane sumunt].

21 *M.* 30. *Fimt* 12. *þráinn.*

MÁNADR III. (HERIAN).

Vetus Scand. & Island. *þorri;* recentioribus Islandis Februarius audit *Föstu-inngángs-mánudr* (mensis primordialis jejunii); Norvegis interdum *Thorre*, Danis *Blide-* vel *Blidel-Maaned* (m. clemens vel placidus) it. olim *Dyrrej*, *Diuremaaned*, it. vet. *Göie*, Norveg. *Gjö*, Svec. *Goja*, Lapponibus Svecicis *Kuova*, *Kuova-manno*, German. *Hornug*, *Hornung*, *Hartmonat*, Anglosaxon. *Solmonaþ*, Sax. vet. *Sprutkele*, Holsatis *Vossmanet* (m. vulpium), Belg. *Sprokkelmaand*, *Sporkelmaand*, Slavon. *Setschin* (mensis cædendi vel forte lignationis).

TUTELA *Vali* (Deus); ejus coeleste domicilium *Vala-Skjálf.*

SIGNUM AQVARII.

Vet. Dan. ⊙ *i Vatnmanni;* Isl. *Vatnsberamerki.*

22 *T.* 1. *þorrablót* (Sacrificium Thorrianum) Norvegis interdum dictum *Midsvetrar-blót* festum sacrificiale mediæ hyemis. Hoc et seqvente die verisimiliter in gentili borea celebratum fuit festum hyemale Thori Dei, jam ad aëreum suum regnum ex expeditionibus contra mala inferi orientis dæmonia revertentis, Valio simul memorato ut Hoederum sive brumales tenebras interimente; at hujus Dei feriæ posterius ad dies 25 Jan. & 2 Febr. transportatæ fuisse videntur.

23 *Ó.* 2. HELBLINDI.

24 *þ.* 3. *Vika* 9. SKEGGÖLD. ☽ [Romæ Ceres & Tellus placabantur; sementinæ feriæ].

Januar

25 *F.* 4. Norvegis recentioribus: *Paal Skyttar, Povl med Bojen* ɔ: Paulus (qvondam Valius?) sagittarius vel arcitenens. Ut pagan tum gaudebant propter *conversionem hyemis* ad vernæ periodi appropinqvationem — seculo nono primum a Christianis observatum invenimus *festum conversionis S. Pauli.* Hic dies hodie etiam Danis, Islandis & ex aliqva parte Germanis pro anni totius maxime prognostico habetur, qvi non tantum annonam vel tempestatem, sed etiam bella & pestilentiam præsagiat. In Danorum Calendariis runicis *ense,* Norvegorum *arcu* at Svecorum *ense ac arcu* junctis dies iste signatur, Valii arma in memoriam revocans.

26 *L.* 5. *Fimt* 13. *Þekkur.* [Indis festum Deæ Sarasvati, eorum Minervæ].

27 *S.* 6. [Romanis festum Castoris et Pollucis; cfr. 20 Jan.].

28 *M.* 7. [Hydrophoria Græcorum in memoriam maximi diluvii].

29 *T.* 8. [Festum Solis, novum currum ascendentis, inter Indos].

30 *Ó.* 9. HÁR. [Festum Pacis apud Romanos].

31 *Þ.* 10. *Vika* 10. *Fimt* 14. *Þorin.* [Festum Penatum Romæ].

Februar

1 *F.* 11. Circa hæc tempora in Upsalia Sveciæ adhuc celebrantur plenilunio incidente nundinæ celeberrimæ, dictæ *Disting* (ɔ: Disarum — Dearum gentilium — forum &c), olim certe *Disablot* ɔ: sacrificium Disarum (cfr. *Yngl. S.* Cap. 33). Hæ nundinæ medio ævo per tres integros dies sunt agitatæ, judicialibus comitiis junctæ. [Festum Sospitæ & Dianæ; Februa incipiebant pro defunctorum manibus; Natalis Herculis Romæ. Feria Bhimæ, Indorum fortissimi herois].

2 *L.* 12. Magnum Reid-Gothorum festum, dictum, ut videtur, *Sónarblót,* piaculare vel solare Sacrificium. Christianis *Kyndilmessa,* Candelaria &c, it. dies purificationis Mariæ, in Svecia & Norvegia aliter dictus *lilla Jul, lella Jula* ɔ: minus Jolense festum, cum divitiores (ut etiam olim in Dania, Frisia & Anglia) majoris illius gaudia, ludos & comessationes hoc die primum finierint. Est alioqvin apud nostrates ethnicæ originis, ut confitetur Olaus Magnus (XVI, 6) qvi priscum ignis cultum ac tales gentilismi ritus christianos mutavisse adserit; at qvondam catholici cereos in templo consecrabant, ac familiis singulis distribuebant, qvi posterius contra tonitrua, tempestates ac alias calamitates servare credebantur. Ma-

Februar

nifestæ paganæ religionis reliqviæ adhuc exsistunt in *ignis cultu & sacrificio* nonnullis superstitiosis Bahusiensis (in Svecia at olim Norvegia) provinciæ incolis familiari. Dicitur hic ritus *Eldborgs Skål*, Ignis auxiliaris vel benigni poculo a tota familia flexis genubus solenniter exhausto, cibariis & cerevisiâ ardentis foci flammis oblatis &c qvæ omnia prolixe describuntur in libro: *Ödman Bahuslehns Beskrifning* pag. 71. Cfr. simile Norvegorum sacrificium ad diem 7 Janr. notatum. Tales vere paganæ ceremoniæ anni futuri noxia incendia avertere putabantur; at olim certe respexerunt Valii pyram, in Hoederi vel tenebrosæ hyemis exitium accensam ac ejus sacrum ignem. — In Norvegia porro a rusticis hoc die comedi solet placenta sacra, jolensi vespera pinsata, dicta *Folebonden* (vir aut colonus eqvestris, cum Freyerum olim ita indicarent) vel *Helghesten*, eqvus sacer vel festivus, aut tandem *Helhesten*, eqvus Helæ, inferorum Deæ (ut Aegyptii circa idem tempus pinsabant placentas, imagine aqvatici eqvi — hippopotami aut Typhonis — religiose signatas). Ut Reid-Gothi (Sarmato-Germanici) & Norvegi olim Sonensem (piacularem, votivum vel solarem) aprum sive verrem, Freyero vel Freyæ sacrum, solenniter in aulam produxerunt jolense vespere, sic posterius Germani, Sveci & pl. pinsavere placentam verris forma insignem (superstitiose pro agrorum fertilitate consumtam; vid. Lex. mythol. ad artic. *Gullinbursti, Hildisvini, Sónargavltr*). At dictus sanctus verres, setis auri instar splendentibus insignis, a Reid-Gothis in memorato eorum festo Freyæ (ac forte etiam Freyero) solenniter dicari soluit. Hac anni periodo Sveci Freyero sacraverunt convivia — iis vulgo *Fröbloth (Fröyblot, Freyblót)* animalia ei mactantes (*Saga Ol. Tryggv.* ed. Havn. II, 74 & 59). In Germania medio ævo illud christianum festum (Gallice *Chandeleur*, Anglice *Candlemass* &c) vocabatur *Lichtweyhe, Lichtwyhung Kertzwihy* &c, it. *Der Scheuertag* (dies lustrationis vel purificationis) *unsrer Frauen Lichtweyhe* (qvo Freyæ priscus cultus in memoriam revocatur) p. p., qvæ plurima ad illam luminum vel candelarum benedictionem alludunt. Fiebant etiam eâ occasione splendidæ processiones, priscis ethnicis non absimiles. Respondet alioqvin hæccæ feria Persarum veterrimorum magno

Februar

ignis (tunc silicibus excusſi) vel pyrarum ardentium festo, *Rus Neiran* dicto, nec non Romanorum *festo lucernæ* vel *luminum*, facularum &c. gestatione celebrato, qvæ hic non amplius demonstrare vacat. Putant Germani superstitiosi solem, hoc die splendentem, lini (Freyæ qvondam sacri) futuram abundantiam ominari. Danis, Norvegis & Germanis etiam præ cæteris prognosticus habetur. Cfr. Lex. myth. art. *Vali*. Circa eadem tempora Indi colunt summam Deam Parvati (dictam Gauri) preces exaudientem.

3 *S.* 13. Tum olim in Svecia (teste Olao Magno l. c.) catholicismo durante sacerdotes infantibus benedicere solebant, eorum capillos accendentes & adurentes. Hic ritus in memoriam revocat Valii, incomti pueri, ingens facinus ac fatalem Hoederi pyram. In cæterum Valii lavatio convenit omnium fere gentium lavationibus & lustrationibus, Februario mensi adscriptis. Hic dies S. Blasio sacratus, Norvegis dicitur *Blaasmess* (Germanis qvondam *Blasmess*) o: venti violenti feria; eo tum grasſante annus fiet tempestuosus at angvibus ac noxiis vermibus vento vivificatis scatens. Nulla rotatio (ut molæ, coli, cotis aqvariæ) jam permittitur, ne pecudes abripiantur morbo vertiginis, dicto *Svivo*. Nullum ens vitâ gaudens eo die foras exeat, nisi prius adustum (lustratum vel consecratum) illo cereo, qvi nocte Jolensi, novi anni & epiphaniæ luxerat; alioqvin infortunia illud perseqventur (*Wille* l. c. pag. 243). Cfr. 26 Febr. & 21 Apr. Rustici Danici simplicius a vento hodie flante vaticinantur, fabas et pisa famulitium comedere vetantes. Calendaria runica huic diei adsignant vel *cornu inflari aptum*, vel *caput humanum buccis inflatis* ventum edens vel etiam *navem turgidis velis* procedentem &c. Norvegiæ nautæ & piscatores illum diem proprio nomine appellare superstitiose verentur.

4 *M.* 14. [Ind. *Yugadya* (Qvatember); *Kali juga* infaustum anni tempus].

5 *T.* 15. Fimt 15. *þrór*. Norvegi hunc diem appellant *Musedag* diem murium, vel *Aagotsdag* a S. Agatha, qvam mures suis precibus profligasſe referunt. Muris figura hic in illorum runicis calendariis repræsentatur. Apud varias orientis gentes *mus* pro præsentis mensis signo habetur. Finiuntur Qvinqvatria S. Agathæ Cataneæ.

6 *Ó.* 16. SADUR.

Februar

7 *P.* 17. *Vika* 11. [Pithoegia Græcorum Athenis].

8 *F.* 18. Choes Græcorum.

9 *L* 19. Chytres Græcorum; finis Anthesteriorum vel trium [Dionysiacorum].

10 *S.* 20. *Fimt* 16. *Vitur.* Hoc die in vico *St. Firmins,* provinciæ superiorum Alpium Galliæ, in valle profundisſima sito, celebratur solenne festum, qvo sol post centum dierum absentiam cunctis incolis festive salutatur; sub præsidio Senioris, qvi jam *venerabilis* vocatur, liba ovis mixta parantur, ac Soli sacrificantur &c, qvæ ceremoniæ gentilismum indubie sapiunt, magnum illud Thulensium festum in memoriam revocantes (*Zach Correspondence* &c. *Aout* 1819).

11 *M.* 21. [Ludi Genialici Romanorum, per triduum].

12 *T.* 22.

13 *Ó* 23. SVIPALL. [Faunalia Romanorum. Manibus parentabatur. Virginis Vestæ sacra. Indi Manibus viridia vegetabilia offerunt].

14 *P.* 24. Christianis dies Valentini — ut olim Valii? — magna solennitate ac variis jocis in Anglia & Scotia celebratur, pro felice qvidem habitus. Superstitio Danorum & Germanorum de eodem die ad Hoederi coecitatem & mortem alludere videtur; cfr. *Graeter Teutscher Volks-Aberglauben* l. c. it. dies mox seqventes. Illustriss. v. *Hammer* hanc Britannorum feriam cum alia veterum Persarum, jam incidente, ingeniose comparavit.

15 *F.* 25. *Fimt* 17. *Litur.* [Lupercalia Romanorum. Junonis Februatæ sacra, festum expiationi simile].

16 *L.* 26. Circa hæc tempora incipiunt multifaria gaudia, joci, ludi &c, qvæ post christianismum receptum carniprivium præcurrere solent, ut manifestæ reliqviæ gentilium festorum, circa primam vernæ tempestatis apparitionem celebratorum. Sic medio ævo Germani vocabant Dominicam Qvinqvagesimæ *der Fastelabend,* it. *der Herrn Fastnacht, den Rinnesonntag,* (Danice *Fastelavn,* Svec. *Fastelag*) &c. Præsertim proximus dies Lunæ, Dan. *Fastelavns-Mandag,* Germanis qvondam audiit *der gaile, veiste, blaue Montag, der Frass-Montag,* Angl. *merry Monday,* Gall. *lundi bleu* &c, et dies Martis Dan. *Hvide-Tirsdag* (ut Svecis dominica præcedens *Hvit-Söndag*) Svec. *Fett-Tisdag,* Isl. *Sprengiqvöld,* Germ. *der feiste Dienstag, die Narren-Kirchweyh,* Angl. *Shrove-Tuesday,*

Februar

Gall. *Mardi gras* &c. Tota ista hebdomas Germanis audiit *die unsinnige taube Woche*, Latine medio ævo *Bacchanalia* &c. Larvatæ processiones & choreæ (Dan. *Fastelavnslöben, F. Riden* &c), hoc tempore ubiqve in Europa antiqvitus sunt agitatæ, licet primis in Germania boreali christianis (et serius passim) severe prohibitæ fuerint. Sic notari meret nomen Odini *Svipall* & aliud Dvergi vel Alfi chronici *Litur* ad hos dies relata, cum ambo hæcce nomina innuant formæ propriæ mutationem & larvæ vel personæ susceptionem (*at skipta svip, ypta svipum, fara litum* &c). Cfr. fabulam Svipdagi & Mengladæ, ad articulos *Fiölsvidr* & *Svipdagr* in lex. mythol. it. Odini peronati varias procationes p. p. Ethnicæ originis sunt porro nonnulli, jam usitati, Germanorum ludi e. gr. *das Schönbartslaufen*, processio vere pagana, adunita choreis gladiatoriis & vectione ædis (trahæ impositæ) qvæ jam vocatur *infernus* (olim forte Valhalla, cum nomen *Schönbart* varia Odini nomina in memoriam revocet, ut *Sidgrani, Langbardr, Sidskéggr* & pl.). Observavit Sorterupius qvosdam Danorum ludos, hodiedum hoc tempore exercitos, ethnicæ ac symbolicæ qvidem originis esse, cum *anser* capite spoliatus — (cfr. 11 Novbr.) — hyemem devictam designaret, at *felis* e dolio ejecta lunæ nocturnum dominium jam imminutum &c. Festis illis christianis finem fecit *dies cinerum* vel *cineris & ciliciæ* (Dan. *Aske-Onsdag*, Isl. *Öskudagr*, Germ. *Aschen-Mittwoch* &c, olim interdum *der Schurtag*, dies lustrationis, purgationis vel absolutionis; Angl. *Ash-Wednesday*, Gall. *le jour des cendres* &c). Ceremonia cineris sparsi, adhuc a catholicis peracta, per se est christiana ac pie symbolica, cum autem primum instituta sit circa tempora Gregorii Magni, qvi ethnicos ritus in christianos non infreqventer convertit, suspicamur illum consecratum cinerem innuere aliqvam imitationem, tam veterum Romanorum Februationis, qvam paganæ alicujus borealium Europæorum superstitionis. Scimus enim eodem tempore inter eos flammavisse pyras accensas (apud nostrates memoriæ Hoederi, rogo funebri consumti, dicatas) qvarum ignes & cineres, hominem lustrantes, eum contra mala dæmonia, futura infortunia & morbos servare ac defendere credebantur. Cfr. nostras annota-

Februar

tiones ad dies 24 Decembr., 1 Jan., 2 & 24 Febr. & pl. Alioqvin ab Indis aspersio cinerum certo festo (*Dhàrma-Radscha* dicto) non multo posterius peracto, solenniter instituitur (ut cl. v. *Hammer* observavit). Varia alia, huc pertinentia, temporis & spatii angustia hic recitare vetat.

17 *S.* 27. [Romæ celebratum fuit festum Qvirini vel Romuli, qvi fratrem Remum occidit, ut Valius noster Hoederum. Habebatur Romulus pro exstructore Romæ ut Valius urbis Deorum; cfr. dies 20 Jan. & 6 Febr. Alioqvin hæc feria dicebatur *festum stultorum*].

18 *M.* 28. [Diasia Atheniensium in Jovis Almi, Aeqvi sive Boni honorem. Epulæ pauperibus paratæ].

19 *T.* 29. [Incipit Sivæ Dei triduanum festum inter Indos].

20 *Ó.* 30. SANNGETALL. [Veritatem adqvirens vel veram formam recipiens, larvâ jam remota]. *Fimt* 18. *Nár* ɔ: Defunctus, — qvæ denominatio hyemis, ex hujus computi tenore, jam incidentem interitum satis aperte innuere videtur; cfr. nomen Dvergi proxime seqventis. Germanis 1 *Loostag*, dies *veris* tempestatem præsagiens.

MÁL (Trimestre) II; VÁR, VOR (Ver).

MÁNADR IV. (HNIKAR).

Vetus Scand. & Island. *Góa* (Dan. Run. *Go*, *Ko*, Lapp. *Kuova*). Martius ab Islandis hodiernis appellatur *Jafndægramánudr* (mensis æqvinoctialis), Norvegis interdum *Gjö*, alias *Krikle*, Danis *Thormaned*, *Tor-* vel *Tord-maaned*, Svec. *Thurrmånad*, *Blida*, *Blidemånad*, Anglo-Sax. *Rehdmonaƀ*, *Rhedm.* it. *Hlyƀa*, *Hlyƀm.* vet. Germ. *Lentzinmonath*, qvondam Holsatis *Fahle-M.*, *Fohle-M.* (m. pullorum, eqvorum), Belg. *Lentemaand*, Lapp. Svec. *Njuktja* (mensis cygnorum), Slavon. *Suchi* [cfr. nostrum *Saga*].

Tutela *Saga* (Dea) Odini socia ac hospes acceptrix; ejus domicilium *Söcqvabeckr.*

SIGNUM PISCIUM.

Vet. Dan. & Isl. ⊙ *i Fiskum* (vel *Fiska-merki*).

Februar

21 *p. 1.* *Vika* 13. VÁR, VOR veris initium; *Góeblót*, sacrificium Goæ sive primi veris (dictum *Höfudblót*, s. capitale vel principale). *Þing allra Svía*, summum Svecorum gentilium festum, præsertim Upsaliæ, publicis sacrificiis, comitiis, nundinis, ludis &c integræ hebdomadis spatio celebratum. Jam nostrates memorarunt *Sagam* Deam, undis dominantem, ut Romani *Junonem* sive *Februam*, Persæ Deam vel nympham *Sapandomad*, terras purificantes &c. Sic Februarius tam paganis qvam christianis dicitur *mensis purgatorius*. Aegyptii insuper hoc zodiacali mense coluerunt *Isidem* at Indi *Durgam*, ut *navales* (vel *aqvaticas*) Deas. Olim porro in septentrione verisimiliter hoc tempore colebatur Nympha *Goe* vel *Góa* (Lapp. *Kuova*, ad recentisfima usqve tempora ab iis venerata) et aliæ Disæ. Vid. L. myth. in artic. *Saga*. Germ. 2 *Loostag*, *æstatis* tempestatem præsagiens. [Romanis feria Deæ *Laruudæ*; Lararia].

22 *F. 2.* [Cathedra Petri]. Veris initium medii ævi Danis, Germanis, Gothis & pl. Calendarii runici Dan. *Ledig*, *Leding* tempus vernalium expeditionum. Cal. Germ. sec. 13^tii *der Lenze* &c. Hodie fiebat consecratio primitiarum veris in Germania prisca. Circa hæc tempora incidunt celebres et antiqvisfimæ Svecorum nundinæ apud urbem *Strengnes* et lacum Maelarem, dictæ *Samting* o: comitia communia sive universalia; (cfr. *Ol. M.* IV, 16). ☽ SKÖGUL. [Terminalia & Caristia gentilium Romanorum; his succesfit christianum festum *S. Petri epularum*. Hic dies *clava* (coeli, Jano Deo olim ab Italis, divo Petro a christianis directe, at Hropto sive Odino a nostratibus indirecte adtributa) signatur in multis calendariis, in aliis autem *homine* gestante *lapidem* (calidum), qvem aqvis aut terris gelidis immittere dicitur Petrus, inde a Norvegis *Per Varmstein* appellatus p. p. De ethnica hujus relationis & denominationis origine vid. Lex. myth. ad art. *Þór* & *Saga*. Est dies ipsa borealibus maxime prognostica. Germanis 3 *Loostag*, dies *autumni* tempestatem præsagiens. [*Mysteria minora Eleusi celebrata*].

23 *L. 3.* [Solennis consecratio amuletorum contra omnia impura dæmonia & noxia animalia, in Telluris & humani generis purificationem, a Persis gentilibus exercita, primum hoc die a Rege Feriduno instituta]. Germanis 4 *Loostag*, dies *hyemis* tempestatem præsagiens.

Februar

24 *S.* 4. Jam dies S. Matthiæ, Danis, Svecis, Germanis & pl. præ cæteris prognosticus (de vernæ tempestatis indole, arietum robore vel gregis ovariæ succesſu p. p.). Post hunc diem dicunt Dani & Norvegi vulpem aqvarum glaciem (ut nimis infirmam) aversari; illum in calendariis runicis varie designant: *tria ova*, *obeliscus*, *securis*, *piscis* &c, verna phænomena respicientia. Medio ævo dicebatur *Hlaupársmesſa* (Norv. *Lauparmess* &c) vel festum bisſextile, cum tali anno in diem 25 Februarii incidat. Dominica Qvadragesimæ (Germanis *Aller mann Fastnacht*) medio ævo in Gallia & Germania celebrabatur pyris sive rogis accensis, gentili certe ritu, propter veris (vel verni solis) adventum. Hinc diei varia nomina, ut: *la dimanche Brandonner* (latine *dominica brandonum*) Germ. *der Funckentag* (dies scintillarum; Lat. med. ævi *dies focorum*). Alioqvin Gallis audiit (a jocoso qvodam certamine (*la dimanche Behordi* (lat. *prior dies bohordicus* vel *burdelinus*) &c.

25 *M.* 5. *Fimt* 19. *Nýrádr.* Videas de eo hujus speciminis introductionem.

26 *T.* 6.

27 *Ó.* 7. HERTEITR. Exitus summi Upsaliensium festi. Lætitia militaris vel bellica, illo Odini nomine expressa, vernarum expeditionum primordium satis apte innuere potuit. Christianis Qvatember sive Angariarum septimana, AS. *Ymbrene*, Isl. *Imbruvika*, Angl. *Emberweek*, Dan. *Tamperdag* &c. [Romæ Ludi Apollinares; Victoriæ simulacrum veneratum].

28 *P.* 8. *Vika* 14.

29 Jam certis annis intercalaris; excidit e gentili calendario, licet alio loco stato tempore verisimiliter sit intercalatus, forte sub nomine Dvergi chronici *Óinn*, *Óin*, qvi in Raskiana Valiani carminis editione reliqvis additur. Cfr. diem Februarii 25. Explicatur *Óinn* metuendus vel metuens (a verbo *óa* timere, unde *ógn* terror &c) ast atavi nostri bissextilem ut infaustum maxime timuerunt, unde proverbium vetus danicum: *Vogt dig for Skudaar og Skudaarsbroder*; cfr. *Worm. Fast. Dan.* p. 112, qvi exteris eandem superstitionem familiarem fuisse demonstrat.

Marts

1 *F.* 9. Slavorum (Russorum & pl.) veterum Feralia vel festum memoriale defunctorum, inferiis, sacrificiis & faculis celebratum (ut Persarum

Marts

Feralia, simul eorum epactæ, eodem die incipere solent). Bohemis recentioribus, et ex aliqva parte Germanis, idem dies pro primo veris habetur; tum hyemis (ut fædi ac lethalis gigantis) interitus decantatur & stramineæ ipsius imaginis combustione repræsentatur. Vallachi & Servii a Deo *Papaluga* aëris clementiam exorabant. [Romæ qvondam agitabatur Saliorum & anciliorum festum, Marti sacrum it. aliud Matronalia dictum in Junonis honorem, servis qvoqve lætum. Novus ignis in aris Vestæ accensus]. Hic dies in Svecorum hieroglyphicis calendariis *radiante hominis capite* adornatur.

2 *L.* 10. *Fimt* 20. *Regin.* Gentiles Anglosaxones, e Bedæ testimonio, coluerunt Deam *Rhedam* sive *Redam*, cujus festum in Martio mense, ejus nomen retinente, fuit celebratum. Fulmen nostratibus audiit *Reid*, at hoc aëris phænomenon dicto mense apparens, a Germanis pro felicissimo omine habebatur. Saxones ipsi idolum *Reto* colnisse dicuntur. Hic dies in Danorum runicis fastis *aratro* innuitur.

3 *S.* 11.

4 *M.* 12. [Indi in Gange fluvio lavantur, pro mortalium peccatorum remissione obtinenda].

5 *T.* 13. [*Πλοιαφέσια*, festum Aegyptiorum, Græcorum & Romanorum, navigium Isidis vel Lunæ solenniter agentium. Eodem vel seqvente die Indi Durgæ Deæ feriam consecrant, ipsius navigium summis ceremoniis deducentes; Govindæ sive Crischnæ simulacrum, lecticæ insidens, processione deducitur. Thesei & Aesculapii festum, Athenis celebratum].

6 *Ó.* 14. HNIKAR.. [Vestalia Romanorum].

7 *Þ.* 15. *Vika* 15. *Fimt* 21. *Rádsvidur.* [Vejovis feria Romæ].

8 *F.* 16. MÓDSOGNIR. [Incepere Dionysiaca triduana urbis Athenarum].

9 *L.* 17. [Concluditur magnum Indorum festum *Dolayatra*; vid. 5 Martii].

10 *S.* 18. [Athenis Pandia, Jovis festum].

11 *M.* 19. [Græca sacra sub obscura luce fiebant. *Fasti Hadr. Jun.* — Athenis Cronia, Saturni festum].

12 *T.* 20. *Fimt* 22. *Fili.* Jam dies Gregorii, scholarum & discipulorum patroni, medio ævo variis superstitionibus & ludricis festis honorati; — opiniones de miraculosis ea nocte somniis, vel visionibus ominosis, in Dania ad recentiora usqve tempora fovebantur. Olim

Marts

Odinus & Saga ut ingenii ac doctrinæ numina culti fuerant (cfr. 19 Martii). S. Gregorius alioqvin a Norvegis placidam veris tempestatem indulgere credebatur, at dies ipse *cornicis* figurâ in eorum runicis calendariis notatur; cæterum iis & Danis pro maxime prognostico habetur. Hi de eo tale usitant proverbium vel traditionem: *Gregersdag skulle alle Orme have deres Hoveder over Jorden* ɔ: Gregorii die vermes capita humo exserunt. Alludit certe hæc traditio (diei Benedicti vel Georgii a Norvegis, magis borealeş terras colentibus, suo modo adaptata) ad eddicas hyemalis et æstivi semestris appellationes (ut vermium moerorem vel gaudium &c). Cfr. 21 Marti & 23 April, it. Lex. myth. v. *Ofnir, Svafnir.*

13 *Ó.* 21. BILEYGUR. [Festum Jovis Cultoris, Romæ celebratum. Maria aperiuntur].

14 *Þ.* 22. *Vika* 16. [Mamuralia & Eqviria Romæ].

15 *F.* 23. [Romanis festum Annæ Perennæ, ad Tibrin fluvium haustu freqventium poculorum celebratum. (Cfr. Odini & Sagæ compotationem ad sonoras undas ex aureis poculis). Preces publicæ pro salubritate anni. Tauri immolatio pro fertilitate agrorum].

16 *L.* 24. [Italis festum Bacchi; mulier hederis coronata; mel Libero sacrificatum; — festum Larium].

17 *S.* 25. *Fimt* 23. *Kili.* Norvegi nonnulli hunc diem appellant *Per Pek i Vatten* (Petrum ferreo cuspide aqvaticæ glaciei firmitatem experientem). Cfr. 22 & 24 Febr. Primus mundi dies, ex observatione pervetusti Cal. Aleman. *Hie wart der erst dag in der welta.* Dominicâ medii jejunii, qvæ *dicitur* latine *Lætare* at Teutonice *der Rosensonntag, Todten* S., *Ding* S., *Sommertag,* veris adventus a multis Germanis celebratur, partim iisdem ceremoniis ac illis, qvæ ab aliis 1mo Martii peraguntur. Ursi processio Halberstadii. Rosa aurea Romæ a summo Pontifice consecrari solet. Romæ gentilis Liberalia, qvo die virilem togam pueri ingenui sumebant].

18 *M.* 26.

19 *T.* 27. [Incepere Panathenæa Græcorum, it. Qvinqvatrus vel Qvinqvatria Romanorum in honorem natalis Minervæ vel Palladis captæ; Cfr. 12 & 23 Martii, Festum Pelagium Aegyptiorum].

20 *O.* 28. BALEYGUR.

Marts

21 *p.* 29. *Vika* 17. *Jafndœgur* sive *Jamndœgur á vor*, Norvegis recent. *Jamvaar* (æqvinoctium vernum; Ver astronomorum incipit). Jam Benedicti dies a Danis (propter certa circa sues experimenta) vocatur *Bendt Stötteso* (B. sues fulciens) at a Norvegis *Bendt Prövesvin* (B. sues tentans); alioqvin autem *Aat-Tid* (a prima agrorum præparatione). Hæc dies in runicis calendariis varie signatur a) *súis* figura (olim forte Freyero aut Freyæ dicati); b) *serpente*, cum cavernas relinqvere et in apricum prodire soleant (ut calidius semestre Eddæ audit tempus serpentibus fovens ac jucundum &c.); cfr. 23 April; c) malleo (forte *Thôrî*) jam invento sive recuperato; d) vexillo (festivum diem innuente). [Romanis primus dies seculi vel mundi conditi. Indi silentes sacra lavacra sumunt]

22 *F.* 30. *Fimt* 24. *Fundin* (cfr. introductionem præsentis calendarii & diem proxime præcedentem). [Romæ pinus arbor a dendrophoris in Palatium ferebatur].

MÁNADUR V. (HNIKUDR).

Vet. Scand. & Island. *Einmánadr* (mensis unicus vel primus) olim alioqvin *Odinsmánadr* (Odini mensis). Aprilis Islandis recentioribus *Sumarmánudr* (m. æstatem vel æstivum semestre adferens), Danis qvondam *Faremaaned* (expeditionum, migrationum vel navigationum m.) it. recentioribus *Faaremaaned* (m. ovium), Vet. Svec. Celsio *Astarmånad*, Rudbeckio *Astrild*, Wormio *Varant*, German. *Ostar-* vel *Oster-Monat*, Anglo-Saxon. *Eostre* vel *Easter-Monaŏ* (a Dea ethnica ita primum dictus), Holsatis qvondam *Kalve-M.* (m. vitulorum vel vaccarum), Belg. *Grasmaand*, Lapp. Svec. *Woraki* (mensis cornicum), Slavon. *Beresosol.*

TUTELA *Hroptur* sive Odinus; ejus domicilium sive statio *Gladheimur.*

SIGNUM ARIETIS.

Vet. Dan. ⊙ *i Veburi*; Isl. recent. *Hrûts-merki.*

23 *L.* 1. *Einmánadar-Samkoma.* (Conventus publicus forensis & con-

Marts

siliarius, in Islandia (et certe qvoqve Norvegia ac verisimiliter alibi in Scandinavia celebratus). Seriore catholicismi periodo votis piis sæpe fuit dicatus, inde nomen *Heitdagr* (sive dies votivus) accipiens. ☽ HILDUR. [Circa hæc tempora incidit Persis novi anni primordium *Nevrus* dictum, summa festivitate insigne. Romæ tubilustrium sacrum & armorum motus; honores Martis ac Nerinæ (Sabinæ Deæ, alias Minervæ). Festum magnum Euchetarum sive Gnosticorum. Mors Attidis sive Attinis defletur a cruentis Cybeles sacerdotibus, unde dies ipse *Sangven* Romanis dictus; simili modo Aegyptii Osiridis emortuale et sepulchrale festum agitabant.

24 *S.* 2. Circa hæc tempora Franco-Galli agitabant comitia Campi Martii.

25 *M.* 3. Jam incipit Anglorum annus civilis & ecclesiasticus, ex edicto Regis Guilielmi Normannici, dicti Conqvestoris; hic terminus originitus forte respexit æqvinoctium vernum (hodie Romæ, e Julii Cæsaris calendari reformatione, incidere habitum). Olim in septentrione, Disarum verno sacrificio, Frigga vel Freya præ cæteris Deabus fuerat adorata, at similis cultus posterius Divæ Mariæ contigit. Sic plures auctores (ut *Ilman* & *Scheffer*) observarunt festum christianum Mariæ annuntiationis vel conceptionis vulgo a Germanis medii ævi vocatum fuisse: *Unſer Frau Bekleibung* p. p. qvia in ejus vigilia semina omnis generis spargi & plantæ transplantari consveverunt, spe forte, ut aiunt, ob Deiparæ intercessionem eas a frigore verno postmodo non læsum iri, sed uberiores fructus laturas esse. Est dies ille Danis, Norvegis & Germanis præ cæteris prognosticus. In fastis nostratium hieroglyphicis mox coronâ, ut alia S. Mariæ festa, mox ipsius imagine signatus reperitur. [Tum olim incepit mensis Asiaticus *Artemisios* dictus, at Romæ celebratum fuit festum *Cybeles, Deorum matris,* alias *Hilaria* appellatum. Mulieres *Veneri* sacra faciebant. Arcadum lætissimum festum, in Solis verni honorem].

26 *T.* 4. Ex hac et duabus seqventibus noctibus Norvegi de veris reliqvi tempestate auguria capiunt.

27 *Ó.* 5. BÖLVERKR. *Fimt* 25. *Nâli.* [Carpentum, qvo Romæ vehebatur Cybeles simulacrum, undis Almonis ablutum].

Marts

28 *Þ.* 6. *Vika* 18. [Apud Indos festum *Scanda-shashti*, dicatum Carticeyæ, eorum Marti sive bellico numini].

29 *F.* 7. Ex hac et dualibus proximis noctibus Norvegi de futuri autumni tempestate auspicia sumunt.

30 *L.* 8. [Romæ: Jani, Concordiæ, Salutis, Pacis].

31 *S.* 9. [Romanis festum Lunæ labentis; Dianæ in Aventino. Indi Natalitia Ramæ Thschandræ (sive Luni) celebrant].

April

1 *M.* 10. *Fimt* 26. *Hepti.* Mos jocosus borealium, cum alii frustraneis missionibus vel frustra inceptis actionibus illudentur, Skadeæ ab Asis institutam illusionem in memoriam revocat. [Indi, alioqvin illo die Sivæ Dei Natalitia celebrantes, similes jocos exercent in magno eorum festo, *Houli*, *Huli* vel *Holaka* dicto, circa æqvinoctium vernum splendide agitato. Romæ Vernalia; Venus a mulieribus venerata]. Angl. *all fools day*, Scot. *hunting the gowk* &c.

2 *T.* 11. Cal. Alem. anniversaria maximi diluvii (*die Sintflut*). [Cyprii aprum Veneri immolabant ut Freyæ alias Boreales. Romæ natalis Qvirini].

3 *Ó.* 12. FIÖLNIR. [Græcis colebatur Hercules pomifer, dictus επινικιος sive Victor, pro solari at salutari numine habitus. Macedonum Xanthica, festum militare, caniculæ sacrificio insigne].

4 *Þ.* 13. *Vika* 19. *Dies viridium*, pro verno festo antiqvitus habitus, gentili superstitione adhuc partim a Daniæ & Sveciæ rusticis variis modis celebratur (olim Thoro ipsi dicatus; vid. L. M. art. *Þór*). [Festum Camadevæ, Indorum Amoris sive Cupidinis].

5 *F.* 14. [Ejusdem Indorum festi dies secundus. Romæ Megalesia, Matri Deum sacrata].

6 *L.* 15. *Fimt* 27. *Vili.* [Combustio Judæ & ignis paschalis accensio].

7 *S.* 16. Primo Paschæ die Solem orientem saltare ferunt superstitiosi Islandi. Summa apud gentiles Saxones & Anglosaxones festivitas, dicata Deæ *Ostar* sive *Easter*, *Eastre* dictæ, forte nostratium Freyæ, qvæ etiam *Astar-dis*, *Asta-god*, mensi Aprili inter eos nomen dedit, at christianismo introducto mutabatur in festum Paschæ, qvod hodiedum a Germanis vulgo appellatur *Ostern*, in Austria & Svevia *Aster*, ab Anglis *Easter*. Cfr. 2 & 7 Apr. Pyræ hoc festo flammantes & consecratæ ethnicismo manifeste debentur. Pascha Judæorum, circa eadem tempora antiqvitus celebratum, ex

Aprilis

aliqva parte veris adventum respexisse, alii monstrarunt. Persæ in eorum novi anni (ac veris simul revenientis) festo, ova tractare, adornare & amicis donare solent, qvi mos etiam Rusſis & Scandinavis paschate durante observatur. Inter nostrates ova Freyæ (avis specie interdum adparenti) ut Veneri a Romanis & Græcis sacrata fuisse videntur; cfr. art. *þór* (in notis) de diei viridium superstitiosa celebratione. Aqvam sacram e rivis haurit Saxonicum & Svecicum vulgus. [Apollinis & Dianæ Natalis; *Cal. Iul. Cæs.*].

8 *M.* 17.

9 *T.* 18. Pyræ paschales a Germanis accensæ. [Cerealia Romæ].

10 *Ó.* 19. GRIMAR. Circa hæc tempora coloni Stiriæ montani scenice repræsentant Hyemis ac AEstatis validum certamen, hujus completam victoriam &c. (*Büsching wöchentl. Nachr.* I, 22). His omnino conveniunt Svecorum majalia spectacula (*Ol. Magni* XIV, 2).

11 *þ.* 20. *Vika* 20. *Fimt* 28. *Hanar.*

12 *F.* 21. [Munychia, festum Dianæ Athenis, qvo victoribus ad Salamina Græcis propitia fuit plenilunio Dea].

13 *L.* 22. [Festum Jovis Victoris & Libertatis Romæ; cfr. 1 Jan.].

14 *S.* 23. Norvegis recentioribus *Somardag* vel *Somarnat* ut æstatis vulgatum initium; christiano nomine dies Tiburtii. Hunc otio celebrant, domesticis omne rotationis opus ac absentiam a domo vetantes; cavent porro ne ullus pastor vel pecorum possessor carnes comedat, nec a mulieribus lac vaccarum hyemale æstivo admisceatur; sin minus, ursi & lupi gregem dilaniabunt at res villæ lactaria corrumpetur. In Norvegiæ & Sveciæ fastis *arbore frondescente* at in Danico *rosá* et *vexillo* adornatur. Germ. *der weisse Sonntag*, Helvet. *Bohnen S.*, Austr. *Goyckentag*, Angl. *Low Sundag.*

15 *M.* 24. [Romæ Fordicidium & vituli combustio. Athenis Diasia eqvestria in Jovis honorem]. Diem Lunæ, æstatis initium proxime seqventem, Norvegiæ rustici otio celebrant.

16 *T.* 25. *Fimt* 29. *Svior.* Norvegis *tredie Somardag* (tertius æstatis dies) olim solenniter celebratus, aliqvando S. Magni (Orcadum comitis) memoriæ sacratus. Mox *phialá*, mox *agresti harpagine* signatur in runicis calendariis.

17 *Ó.* 26. GRÍMNIR.

Aprilis

18 *Þ.* 27. *Vika* 21. [Romæ Equiria & vulpium combustio].

19 *F.* 28. [Indis feria Varunæ, aqvarum numinis. Balnea solennia in Gange fluvio, tam nocturna qvam diurnæ].

20 *L.* 29. [Atheniensium Buphonia, festum pervetustum, qvo tauri percussor ficte perseqvebatur, at rea securis tandem fuit condemnata. Inter Indos planetæ Mangalæ vel Marti (aut Tyri) sacratur ramus Euphorbiæ, super tecta domuum in albo vase cum rubro vexillo locatus, peccata & infortunia avertere creditur].

21 *S.* 30. *Fimt* 30. *Billingr.* [Palilia Romanorum. Rogus flammans superstitiose veneratus, olim Remo (ut inter Boreales Thiassio) funebris. Flammas transsilire moris erat. Pastores & greges sacro cinere lustrati. Natalis Urbis Romæ. Panathenæa minora Atheniensium (in urbis conditricis honorem). Festum magnum Syrorum, flammis sacris insigne. Cfr. L. m. art. *Skadi, Þjassi* it. 6 Apr. & 23 Junii]. Germ. *der Bocks-Sonntag* (capri vel caprorum solaris dies; cfr. caprinum Lokii ludum & pl.).

MÁNADR VI. (FJÖLNIR).

Vet. Scand. & Isl. *Harpa* (cithara) etiam Islandis medii ævi *Gaukmánadr* (mensis cuculi) et *Sáðtíd* (serendi tempus); Majus recentioribus *Fardaga-mánudr* (m. migrationum legalis), e Juliani at vix Gregoriani calendarii tenore, ut jam ingenuo nomine in Islandia destituatur; Dan. & Svec. *Mai* vel *Maj-maaned*, qvod a latino desumtum videtur; suspicamur tamen ejus ethnicum nomen fuisse *Meyar-*, *Meya-* vel *Möjamánud*, i. e. mensis virginis vel virginum, qvam etiam conjecturam Sorterupius probabilem reddiderat. Cfr. L. M. art. *Skadi*, qvæ Deorum serena aut casta Nympha vocabatur, culta festo circa hæc tempora celebrato & per totum mensem certis diebus continuato, virginum choreis ac ludis insigni &c. Vox *Möi*, *Möj* (virgo) occurrit in vetustissimo Danorum runico Calendario. Istam etymologiam confirmat nomen *Maimöy* (majalis Virgo, qvod vulgus Norvegicum ipsi mensi adtri-

Aprilis

buit. Tellus hoc tempore florescens sed fruges nondum producens, cum florida virgine satis apte comparari potest. Antiqvis Germanis dicebatur *Uuinne-*, *Wunne-* aut *Wonnemanoth* (mensis gaudii sive voluptatis) it. *Meige-*, *Meye-*, *Mey-monath* (m. virginum sive puellarum?) *Blüthe-m.* (m. floridus vel floralis), Saxonibus & Anglosaxonibus *Trimilchi* (ter qvotidie lac indulgens), Holsatis *Flöe-M.* (m. pulicum); — jam Teutonice *May-M.*, Alsat. *Meyge*, Belg. *Meie*, *Mey* it, *Bloie-maand*, Lapp. Svec. *Tzobnos* (m. ranarum), Slavon. *Trawni* (m. graminum vel herbarum).

TUTELA Dea *Skade*; ejus domicilium *Þrymheimr*.

SIGNUM TAURI.

Vet. Dan. ☉ *i Þiauri (Þiórí)*; Island. id. it. vulgo *uxa-merki*.

22 *M.* 1. *Blót mót Sumri* sacrificium in AEstatis adpropinqvantis receptionem (e vulgari Islandorum & pl. computo) interdum etiam *Sumarblót* (s. æstivale), *Sigurblót* (s. victoriale), forte qvoqve *Gagndagr* (dies Victoriæ vel succesſus). Hac vespera qvondam verisimiliter celebrata fuit victoria Deorum de Thiasſio (hyemali gigante), hujus funebris rogi ac sacri ignis accensione, at Skadeæ seqvens pacificatio & sponsalia festivis choreis &c. Cfr. diem proxime præcedentem ac 23, 25 & 30 Aprilis infra. Nomen hujus nostratium mensis citharoedicum festivam musicen ac saltationem eo durante innuit ☽ ÞRÚÐUR. Incertum est an ad hunc diem, an etiam 30 Aprilis vel 22 Maji pertineat illud novem Disarum solenne sacrificium, qvod æstatis initio adscribi videtur *Fjölsv. M.* str. 40, 41. Illi loco optime convenit Fjölsvinni nomen huic periodo (1mo Maji) adplicatum.

23 *T.* 2. AEstatis initium aut adpropinqvatio ethnicis ritibus celebratur in Finlandia (ac partim qvoqve in Svecia) — die Georgii eqvitis aut herois (fictitii; cfr. L. M. art. *Þór*). Est in Norvegia prima legalis migrationis dies (*Fardag*, *Faredag*), a nonnullis vocata *Gauksmess*, *Gouksmess*, feria cuculli canori (prima), cum avis hæcce primum soleat advenire vel glocire, qvæ eventa a multis ut maxime ominosa observantur; eadem traditio ac superstitio in Dania Svecia

Aprilis

invaluit. In Norvegia nonnullis audit *förste Gangdag* (primus dies processionum vel rogationum, qvæ christiana Ambarvalia circa hoc tempus medio ævo celebrata fuerant. Cfr. 22 & 25 Aprilis. Hac feriâ Norvegici rustici agriculturæ non operantur, ne vermes e terra freqventes erumpant ac segeti maxime noceant. Huc pertinent eddicæ hyemalis et æstivæ periodi denominationes; cfr. 12 & 21 Mart. Eadem die Norvegi feras aves duobus ovis primum incubare ajunt; cfr. 24 Febr. 4, 7, 14, 25 Aprilis & 1 Maji.

24 *O.* 3. GLAPSVIDR. Persæ igne sacro focos accendunt.

25 *P.* 4. *Vika* 22. Interdum æstatis (vel æstivi semestris) principium in Islandia; *Sumardagr fyrsti.* Alioqvin dies S. Marci, *cuculo* (arbori viridi interdum insidente) in fastis runicis signatus. Tum plebeji Danici solent observare auguria cuculi canori, at Islandi (qvibus hæc avis deest, ejus loco) *cuculi*, qvem dicunt *eqvinum (hrossagaukr)* vel gallinaginis avis. De Norvegis vid. 23 Apr. &. 1 Maji; hi cæterum illam feriam (*niveâ procella* notatam) appellant diem magnum Ambarvaliorum *(den store Gangdag)* vel secundum *(den anden)* at eadem medio ævo dicta fuit *Gagndagrinn eini* (unicus) vel *litli* (parvus sive minor); Islandi amicis dona offerunt. [*Robigalia* veterum Romanorum. In Attica *Heraclea* sive Herculis rurale festum agitatum fuit. Indis festum Crischnæ & Gangetis; *Yugadya* vel Qvatember; primus dies beatisfimæ anni (vel mundi) ætatis, dictæ *Satia juga*; sacrificium patriarcharum]. Cfr. 22 Apr.

26 *F.* 5. *Fimt.* 31. *Bruni.*

27 *L.* 6. Incipiunt noctes octo qvæ a Scanensibus colonis ut præ cæteris frigidæ timentur, inde dictæ *Koldsönner* vel *Koldnadder.*

28 *S.* 7. Incepere *Floralia* Romanorum, secundo Maji die finienda.

29 *M.* 8.

30 *T.* 9. Iterantur a Borealibus tentamina illusoria ad primum Aprilis diem memorata. Danis & Svecis *Valborgs Aften* læta Valborgæ sive Valpurgis vigilia, Germanis & pl. celebrata, alioqvin ob sagarum magicas grasfationes (ut olim ethnicorum festivas congregationes & ceremonias) famosa. Pyræ festivæ passim conflagrant. Aedium ac stabulorum fores crucis (ut olim Mjoelneri mallei signo) notantur.

Aprilis

Maji 1

Mulieres rusticæ vaccis contra fascinationes indidere allium, mel & pl. Cfr. Fjölsvinni flammam s. pyram, ad art. *Svipdagr* in L. M.

Ó. 10. FIÖLSVINNUR. Fimt 32. *Bildur.* Altera (vel tertia) *Gauksmess* sive *cuculi feria* in Norvegia; cfr. nomen mensis vetus Scandinavicum *Gaukmánudr*, nec non gallum (vel aliam avem) in Eddico Fjölsvinni carmine decantatam, apicibus arborum sive perticarum majalium impositam, omnia gentilismi reliqvias; jam iterum cuculi canori auspicia religiose observantur & interpretantur. Festum lætisfimum Svecorum, Danorum, Germanorum, Anglorum & pl. adhuc agitatum; olim Teutonice *Mege-*, *Meyge-* vel *Meye-tag*, &c. Ejus gaudia, tam in Germania, qvam in Dania, certis seqventis jucundisfimi anni temporis diebus continuari soluerunt, lætis nimirum choreis circa arborem vel perticam majalem. Tunc juvenes ruris Danici coloni celebrabant fictitia sponsalitia, dicta *Gadelamsgilde* p. p. Vocatur sponsus vel choragus *Gadebasfe* vel *Majigreve*, sponsa *Gadelam* vel *Majinde* &c. Rustici singulorum vel plurium vicorum eqvestres procesfiones agitabant, ramos virides in manibus vel pileis gestantes ac floribus adornati, qvæ actio vulgo audiit: *at ride Sommer i Bye* (æstatem eqvitando vico adducere). Lætæ cantilenæ ejusdem tenoris interea ac posterius canebantur, qvæ inter dictos populos eandem indolem sapiunt. Certa sodalitia, qvæ communibus symbolis harum festivitatum sumtum expendunt, sunt vocata *Maji-Gilder* (Gildæ vel societates majales). Earum varios ritus Sorterup, Nyerup, Thiele & plures lepide descripserunt. Svecorum similes institutiones Olaus Magnus prolixe exposuit, ut (XIV, 2): de ritu fugandi Hyemis & receptione AEstatis, certo modo dramatice vel figurate repræsentatorum. Senatus cujusvis oppidi vel vici seniores viros denominabant, qvi earum anni partium genios repræsentarent; horum numerosi asseclæ in varias cohortes dividebantur. At populo congregato spectaculo exhibebatur Hyemis hispidæ ac torvæ acerrima pugna contra AEstatis genium (sive floralem Comitem) qvem illa ac ejus milites tam ignitis forcipibus qvam nivis ac glaciei globulis valide impetunt, sed nihilominus ab hoc hoste & ejus exercitu, æstivo habitu induto ac sertis florum ornato & viridibus ramis armato, in fugam vertuntur.

Maji

Hanc victoriam epulæ publicæ ac juventutis lætæ saltationes circa majalem arborem splendidisſime exornatam concludunt. (Cfr. 23 Junii). Ex hujus diei tempestate vel phænomenis Sveci superstitiosi reliqva anni eventa præsagiebant. Varia scripta de similibus Germanorum festis Graeter l. c. indicavit. Inter Francos & Anglos Comitia Campi Majalis illis publicis ludis ac congregationibus primam originem debuerunt. Cfr. Spelmanni Gloss. v. *Majuma;* referuntur ibi Rex (fictitius) et Regina choreas duxisse circa palum Majalem (vulgo *Maypole*). Medio ævo inter illas gentes ad arborem sive columnam majalem (olim Yggdrasilli symbolum) summa judicia a regni primoribus gerebantur &c, at vulgaria spectacula exhibebant illam Hyemis ac AEstatis pugnam p.p. Ultima Londini majalis pertica, centum pedum altitudine prædita, a. C. 1717 removebatur in immortalis Newtonii astronomici observatorii usum. Eodem tempore Cornubii, Scoti & pl. celebrant festum *Bealtein* in Solis æstivi honorem, pyris ardentibus, superstitiosis sacrificiis ac vere ethnicis ritibus insigne, qvæ omnia prolixe descripserunt *Pennant, J. Jamieson* & pl. Nostratium dicta gaudia pro paganismi reliqviis habenda esse alibi demonstrare sumus conati. (Cfr. 22, 23 & 25 Aprilis). Svecis dicitur dies Ambarvaliorum primus (*Förste Gångdag*). Nonnullis vetustis Norvegorum calendariis audit *Lille Gangdag* (cfr. 23 & 25 Apr.). Bohemi sua celebraverunt Fontinalia, ethnicæ originis. Signatur in fastis runicis Danorum *fago* qvæ folia protrudere incipit, in Svecicis & Norvegicis eâ aut alia virescente arbore. [Romanis paganis festum Majæ, *Bonæ Deæ* & *Laribus præstitibus* dicatum. In Attica *Chloe* (vel *Ceres ευχλοη*) ut graminis vel herbarum Dea arietis sacrificio colebatur; Indi Bhavani Deam celebrant, erectis perticis majalibus &c. Cfr. *Skadi, Valhöll, þiassi, Baldur, Fjölsvidr, Svipdagr, Menglöd, Hrúngnir* in Lex. myth.

2 *þ.* 11. *Vika* 23. Svecis *annan Gångdag* o: dies processionum secundus. Scoti montani ramis sorbi p.p. in bovilibus, collocatis mala dæmonia averruncant. Cfr. art. *þór.* [Compitalia Romanorum. Thargelia Græca incipiunt; Natalis Dianæ Atheniensibus].

3 *F.* 12. *Vexillum* in nonnullis vetustis fastis conspicitur; in aliis *crux de-*

Maji

pressa, cum *crucis inventio* christianis celebretur. Oeconomicis medii ævi Norvegiæ et Islandiæ legibus hic dies, dictus *Krossmessa*, vario respectu memorabilis statuitur. [Secunda dies Thargeliorum; Apollinis Natalitia Athenis præcipue celebrata, at alioqvin qvovis septimo mensis die (ut Amerdad a Persis) religiose memorata].

4 *L.* 13. Finiunt Scanensium *Koldsönner* vel *Koldnadder;* cfr. 27 Apr. & 13 Maji. [Indi Manibus libationes peragunt].

5 *S.* 14.

6 *M.* 15. *Fimt* 33. *Buri.* [Delia, Athenis annuum Apollinis festum. Lustratio urbis].

7 *T.* 16. Festum cornuum, vino repletorum — (*Féte aux cornets*) — Corbejæ agitatum. [Danis *lille St. Hans* o: Johannes ante portam latinam; *porta* cernitur in festis figuratis Danorum. *Germanis Hänsel vorm Thor, Johann Klein* &c.]

8 *Ó.* 17. SÍDHÖTTUR.

9 *Þ.* 18. *Vika* 24. [Hoc vel præcedente die incepere Lemuria Romanorum].

10 *F.* 19. [Consecratio maris qvondam Genuæ solenniter peracta].

11 *L.* 20. *Fimt* 34. *Frár.*

12 *S.* 21. Dani hunc diem vocant *Hellige Bönders Dag*, feriam sanctorum rusticorum, *sportulâ seminaria* in runicis eorum calendariis signatum. Islandis audit *Vertídar-Lok*, cum piscaturæ marinæ præcipuæ periodo finis imponatur, at coloni ad opera ruralia revertantur. Incipit *Gángdagavika*, AS. *Gangvuca*, Angl. *Gangweek* &c.

13 *M.* 22. Hæc nox ac duæ præcedentes Norvegis audiunt noctes foedæ vel ferreæ verni temporis (*Lumpenætter, Jernnætter*) cum frigore segeti sæpe noceant. Cfr. 27 Apr.–4 Maji. In fastis runicis *tripus* conspicitur. [Finiere *Lemuria* Romanorum].

14 *T.* 23. [Qvondam medius trium rogationum dierum, *Gángdagar* dictorum].

15 *Ó.* 24. SÍDSKÉGGUR. Dies sementi apud Norvegos montanos faustissima, dicta *Halvorsdag*, ut S. Hallvardo (indigenæ) dicata (ad nostros usqve dies Bahusiensis provinciæ incolis festa), ac *agro liris conspicuo* in fastis figuratis notata. [Festum mercatorum Romæ paganæ.

Maji

Callynteria, Atheniensium lugubris feria, in memoriam obitus Agraulis, Cecropis filiæ].

16 *p.* 25. *Vika* 25. *Fimt* 35. *Hornbori.* Varii ritus p. p. a Borealibus in festo ascensionis Christi observati, ethnicismi ac Thori religiosi cultus reliqvias produnt; vid. L. M. art. *þór.* [Prisci Venetiarum Ducis marinæ nuptiæ. *Bendidia*, Thracicum ac Atticum festum Dianæ, dictæ *Bendis*; cfr. nostratum *Vanadís*, *Vandis*].

17 *F.* 26.

18 *L.* 27. [Dies Erici Daniæ Regis, Svecis & Danis *coronâ* insignitus].

19 *S.* 28.

20 *M.* 29.

21 *T.* 30. *Fimt* 36. *Frægur.* ☽ HLÖCK. [Athenis Plynteria, festum triste, in Minervæ honorem. Jejunium mulierum Indicarum solenne in honorem Deæ Shasti].

MISSERI (semestre) II.

SUMAR (s. æstivum) BALDERO (ut videtur) dicatum.

MÁL (trimestre) III.

MÁNADUR VII. (OSKI).

Olim in Islandia *Eggtíd* (ovorum tempus) et *Stecktíd* (agnilium t.); Junius hodie *Nóttleysumánudr* (mensis noctis expers) Danice *Skjærsommer* (æstas pura, serena) vel *Sommermaaned* (m. æstivus, *κατ' ἐξοχην*, aut æstatem talem inchoans), Norvegis *Gro* vel *Gro-Grö*, fertilis, vegetans; Svecis *Midsommarsmånad* (mediæ æstatis m.), *Starbrak-m.* (m. solstitialis) vel *Hovil* (m. nuptialis, Celsio); — German. *Brachmonath* (m. qvo agri repastinantur), *Waidmonath* (m. pascualis); Anglo-Sax. (*aerra*) *Lida* (qvasi blandus et navigationi favens) it. *Seremonaþ*, *Miþsummermonaþ*; Holsatis qvondam *Leussmonat*; Belg. *Brackmaend*, *Zomermaand*,

Maji

Wiede- vel *Wode-maand*, vet. Gallo-Franc. *Somertras*, Lapp. Svec. *Morbmes* (partus rangiferorum), Slavon. *Isok* (avis canora).

TUTELA Deus *Baldur* (vel *Balderus*); ejus domicilium *Breidablik*.

SIGNUM GEMINORUM.

☉ *i Tvimanni*; Isl. *Tvibura-merki*.

22 *Ó.* 1. SIGFADIR. *Sumarblót* sacrificium æstivum, verisimiliter prius Balderi festum, olim etiam dictum *Hvítasunna* (Sol albus, sive Solis serenissimi festiva periodus) Norveg. *Qvitsun*, *Qvisſun*, *Qvisſenhelg*, Angl. *Whitesun* &c, qvæ nomina hodiedum christiano Pentecostes festo adtribuuntur. Jam incidit Norvegorum *Björnevok* ɔ: ursi ex hyemali foveâ exitus, at ursus iste hyemale semestre symbolice indicat; cfr. 12 Jan., 7 Oct. & 17 Mart. [Circa hæc tempora incidit festum Chordadis, aqvarum, herbarum & arborum boni Genii, a Persis celebratum].

23 *þ.* 2. *Vika* 26. [Vulcanalia Romanorum].

24 *F.* 3. [Indis festum Rembhæ (vel Rambhæ) venustatis vel venustisſimæ Deæ, undis marinis prognatæ, lavacro solenni mulierum celebratum. Hunc mensem Persæ nuptiis ineundis faustissimum declarant].

25 *L.* 4. *(Urbanus)*. *Sumar*, Cal. Run. Dan. *Seþir sumar* vel *síþar s.* serendi æstas vel posterioris aut ingenuæ æstatis initium, ita porro Germanis, Gothis & pl. habitum (*Urbanstag der sumer* &c). Varii ritus ac ludi vel joci, eo exerciti, Urbani simulacrum eodem modo verisimiliter tractant, ut olim in ethnicismo unius aut alterius idoli vel allegorici æstatis genii. Hinc processio Urbani in urbe Eslinga, cum sereno aëre ista imago summis honoribus afficitur, at contrario casu contumeliâ, cum autumni & vindemiæ futurus status hujus diei tempestati convenire putetur; — processio eqvestris Urbani Norimbergæ (*das Urbansreiten*); festum sertorum (*das Kränzefest*) in Germania &c. In Danorum & Svecorum runicis calendariis Urbani dies *triplice corona, floribus vel frumenti ramis adornatâ* notatur. In aliis cernitur *avis* figura, forte *galli* maja-

Maji

lis vel festivi, qvi posterius in *psittacum* versus nostrorum jaculatoriorum sodalitiorum exercitiis inservit; cfr. 26 & 29 Maji, 24 Junii). Carmen eddicum *Fjölsvinnsmál* (str. 24 & sq.) memorat splendidum illum gallum ac telum eum dejiciens. Vid. Lex. M. art. *Vidofnir*, *Fjölsvinnr*. [Romæ festum Fortunæ Publicæ Primigeniæ; *Cal. Jul. Cæs.* & pl.]

26 *S.* 5. *Fimt* 37. *Lóni*. Christiani celebrant magnum Pentecostes festum cui inter nostrates & Anglos ethnicum "candidi sive sereni solis" nomen (*Hvítasunna*, Angl. *Whitesun* &c) ab æstatis vel Balderi jam advenientis prisco festo accidisse opinamur; vid. 21 Maji. Interdum (ut e. gr. 1828) illius prima feria in ipsum Urbani diem incidit (vid. 25 Maji) qvi medio ævo pro æstatis vero initio habebatur. Hinc permultæ borealium populorum festivitates, jam peractæ, magis sapiunt ethnicam antiqvitatem, qvam nostræ sacræ religionis ritus, licet medio ævo gentilia seqventis hebdomadis Ambarvalia in christiana fuerint mutata; vid. e. gr. *Büsching wöchentl. Nachr.* III, 386 de eqvestri tali Germanorum processione pro futura tempestate averruncanda institutâ — (alioqvin *Pfingstritt* appellatâ). Huc porro e. gr. pertinent choreæ Oelandensium in luco Borrumensi, primo & secundo dicto festi die, qvas Linnæi tempore sacerdotes diu frustra abrogare tentaverant; arbores in templis vel extra eas plantatæ (*Mayenbaume, Pfingsttannen* &c.; cfr. 30 Martii, 1 Maji, 24 Jun.); Compotationes dictæ *das Pfingstbier;* jaculandi exercitia (*das Pfingstschiessen*) qveis avis imago arbori vel perticæ insidens jaculo vel sclopetæ globulo est ferienda vel dejicienda &c. Cfr. Lex. myth. art. *Vidofnir*, *Gullinkambi*, *Fialar* & pl. Illi mori ex aliqva parte debetur origo multarum sodalitiorum in boreali Europa hodiedum florentium. Cfr. 25 & 27 Maji. De tributo Lothringorum, hoc die duas amphoras *nive* plenos solventium, ne *currum* qvatuor *candidis tauris* actum expendere cogerentur, vid. *Jahrzeitb. der D.* p. 251.

27 *M.* 6. Isl. & vet. Norveg. *annar í Hvítasunnu* (secunda candidi Solis feria); Angl. *Whit-Monday* &c. [Romæ Honori, Opi & Virtuti solennitas decreta. Indicæ mulieres sexto mensis die in sylvis qværunt certas plantas, ut pulchros liberos concipiant; viscum pro

Maji

sterilitate avertenda eodem mensis die a Druidis in sylva qvæsitum cl. *Will. Jones* rite observavit].

28 *T.* 7. Isl. & vet. Norv. *þridji í Hvítasunnu* (tertia candidi Solis feria) Angl. *Whit-Tuesday* &c. Fuit olim prior dies Slavorum, ut Bohemorum & pl. gentilium festi, libaminibus super fontes & mactatis victimis celebrati. In Thuringia Rex fictitius viridium (*Der Lattich-König; der grüne Mann*) ramis ac frondibus obvolutus et eqvo insidens ê sylva lætâ processione in vicos deducitur, at tali sodalitio a comarco ovorum certa qvantitas in communem victum expenditur. Eodem die alias agitatur saltatio, *der Frohntanz* appellata. Incepere Frisiorum generalia comitia ad arborem Upstallensem. Hi & allæ hebdomadis dies Scandis *Hvítudagar* (dies albi).

29 *Ó.* 8. HNIKUDR. Olim posterior dies Slavorum, ut Bohemorum &c gentilium festi, Germanis qvondam *der gude Middewecke, der hohe Mitchen in der Pfingstwoche;* Lætis compotationibus, sagittariorum vel sclopetariorum aucupatoriis exercitiis &c hæc feria sæpissime est dicata. Brunsvici puellæ solenniter herbas colligunt, et a magistratu vinariis donis remunerantur. Qvatember, AS. *Ymbrene*, Isl. & vet. Norv. *Imbrivika*, Angl. *Emberweek*, Dan. *Tamperdag* &c.

30 *Þ.* 9. *Vika* 27.

31 *F.* 10. *Fimt* 38. *Aurvangur.* In fastis runicis Svecorum *humano capite* ac *vasculo apposito* signatus. [Celebrant Indi primi vel maximi Gangetis effluvii anniversaria].

Junii

1 *L.* 11. In Svecorum hieroglyphico calendario *ollâ* notatus. [Romæ festa Junonis Monetæ & Tempestæ vel Tempestatis. Calendæ Junii dictæ *fabariæ*, cum fabæ adultæ, calido farre mixtæ, hoc mense divinis rebus admiscerentur. Cfr. 3 Febr. Pingvia larda Romani gustabant. Sacra Carnæ Deæ].

2 *S.* 12. Germanis (ut alii solis dies angariarum feriam seqventes, at hic qvidem præcipue) dicitur *der güldene* vel *goldene Sonntag* (aureus s. d.) a multis superstitiosâ observantiâ celebratus, ne fulmina seqventis æstatis noxia fiant. [Romæ feria Martis it. Carnæ, secundum Cal. Jul. Cæs.]

3 *M* 13. *Harpâ*, ut videtur in figurato Svecorum calendario indicata. [Romanis Bellonæ & Herculis festum].

Junii

4 *T.* 14.

5 *O.* 15. ALFÖDUR vel ALFADIR. *Fimt* 39. *Jari.* Dies hicce a Svecis *uvæ* figura innuitur, alias S. Vinfrido sive Bonifacio, Germanorum apostolo, sacratus. [Romæ festum Jovis Sponsoris, Trinomii Dei, Fidii Sancti, Semi Patris vel Semonis patris; templum Fidei positum].

6 *P.* 16. *Vika* 28. Islandis *Dýridagr* (dies pretiosissima); Germanis *der Frohnleichnamstag, unsern Herrn Leichentag,* at inter magna festa pro recentisfimo est habenda; cfr. tamen *Mone Einleit. in das Nibelungenlied* p. 77 it. *Otnit,* pag. 44, qvi Attinianæ (Phrygum) & Odinianæ (Germanorum) reliqvias in ejus ritibus reperit. Jam interdum Islandis incipiunt *Fardagar* ɔ: legales (ex ædibus in alias) migrationum dies. Cfr. 9 Jun.

7 *F.* 17. [Romæ datum est templum Menti. Ara Priapi. Piscatorii ludi in campo vel Piscatorum feria. Vesta aperit. Athenis *Scirophoria* in Minervæ, Cereris & Proserpinæ honorem].

8 *L.* 18. Jam feria Medardi, rusticis Germaniæ & Daniæ seqventis autumni tempestatem præsagiens. Hic dies a multis Norvegis (licet ab aliis 9 vel 11 Junii) dicitur *Kolbjörn med Laxen* ɔ: *Kolbjörn* (ursus carbonarius vel ater; alioqvin pro viri proprio nomine usitatum) salmones vel esoces adportans (cum hi pisces amnes jam petere incipiant); illud nomen non improbabiliter alludit ad aliqvem deum vel dæmonem, cui illud naturæ beneficium a gentilibus fuerat adtributum, forte igitur Thorum, qvi *Björn* certe vocatur & *salmonem* aliqvando (vel Lokium ejus formâ indutum) ipse felicisfime cepit. *Salmo* baculis Norvegorum runicis hic insculptus videtur. [Romæ olim asini coronabantur. Ara Jovis Pistoris. Ludi Tiberini in campo Martio.]

9 *S.* 19. Finiunt Islandis legales migrationum dies. [Romæ Vestalia celebrabantur (pro urbis patronæ veneratione). Athenis Diopolia vel tauri sacrificium in Jovis Polici (urbis patroni) honorem].

10 *M.* 20. *Fimt* 40. *Eikinskjaldi* vel *Eitr* aut *Eitir.*

11 *T.* 21. LOFAR vel DVALIN. Circa hoc tempus incepit periodus forensis superiorum Norvegiæ & Islandiæ tribunalium; continuavit autem, qvoad singulorum comitiorum primordia, ad finem præsentis men-

Junii

sis. Legalis debitorum solvendorum terminus in Dania (at alter die 11 Decembris). [Romæ Matralia æstiva in Deæ Matutæ honorem. Fortunæ & Concordiæ festum].

12 *Ó.* 22. VALFÖDUR vel VALFADIR. Dies Eskilli in Svecia, vel 1) *sue* 2) *tridente rustico* vel etiam 3) *episcopali virgâ* (sive lituo) notata.

13 *Þ.* 23. *Vika* 29. [Romæ Jovi invicto datum est templum. Minora Palladis Qvinqvatria. Musarum Natalis. Tibicines per urbem vagantes ad ædem Minervæ conveniebant].

14 *F.* 24.

15 *L.* 25. *Fimt* 41. *Draupnir.* Feria Dei Svanteviti apud Slavos vel Venedos Rugienses & pl., alias Catholicis dies S. Viti, a nonnullis Slavonicæ originis gentibus, præsertim Illyriis, adhuc ethnicis ritibus celebratus; religionis christianæ propagatores hic (ut sæpius) nominis sono parum immutato, virum sanctum pro pagano idolo substituerunt. In Danorum fastis figuratis *forfices fullonii* apparent. Hic dies Danis et aliis est prognosticus. [Romæ stercus ex æde Vestæ delatum. Templum Vestæ clauditur (cfr. 7 Maji). Athenis primus dies Adoniorum, lugubris feria. Dicunt Indi Tellurem in menstruis esse per hunc et tres seqventes dies].

16 *S.* 26. Svecorum calendaria *cor herbaceis foliis auctum* vel ornatum exhibent. Dies præsens, cum proxime præcedente & seqvente, Danicis rusticis junctim audiunt *Bodelsmess*; at iis agros fimo obducere vetant, ne segetes adurantur. Hic dies Germanis nonnullis dicitur *Güldenmännertag* (d. hominum aureorum). [Romæ Pallas culta in Aventina arce. Babyloniorum magnum festum Sacea (vel Sakea) dictum, per qvinqve dies celebratum. *Hadr. Jun.* Athenis secundus dies Adoniorum, magno gaudio & pompa celebratus; cfr. 23 & 24 Junii. Alioqvin Phoenicii, Persæ & pl. Adonidem coluerant; vid. L. M. art. *Ódinn*].

17 *M.* 27. Norvegis *Botsok* sive Botolphi feria, illis olim maxime festa, propter superiorum tribunalium inchoationem &c. *Liber reclusus* in fastis runicis Svecorum repræsentatur. Dani catholici coluerunt Bothildam, Daniæ reginam. Jam Norvegi omnis generis radices facillime terrâ eruendas perhibent.

18 *T.* 28.

Junii

19 *Ó.* 29. ATRIDR.

20 *Þ.* 30. *Vika* 30. *Fimt* 42. *Dólgþrasir.* ☽ HERFJÖTUR. [Exitus Sacæorum, Chaldaici vel Babylonici festi. Romæ Summani sacra; ortus Ophiuchi, angvitenentis sive serpentarii (secundum Cal. Rom.) qvem Scythicæ, Lydicæ, Rhodiæ & pl. fabulæ celebraverunt; cfr. alias Persicas & boreales ad 23 Junii].

MÁNADUR VIII (ÓMI).

Vet. Scand. & Isl. *Sólmánadr* (solis mensis) *Sel-m* (m. æstivorum) Recentioribus Julius *Stuttnœttis M.* (m. noctium brevium) vel *Madkamánudr* (m. vermium), vet. Dan. *Madke-maaned* recent. *Orme-M.* (idem); Svec. *Höant*, *Hömånad* (foenisecium), Anglo-Sax. *Lida æftera* (L. posterior) it. *Mædmonaþ*, *Med-M.* vet. Germ. *Heuinmanoth*, recent. *Heumonat*, Holsatis qvondam *Hunde-M.* (m. canicularis), Belg. *Houmaand*, *Hoymaand*, Lapp. *Petje* (m. arborum resiniferarum), Slav. *Tscherwen* (m. rubris baccis ac fructibus — & floribus? — abundans), vet. Franco-Gall. *Seval.*

TUTELA: Deus *Heimdallur;* ejus coeleste domicilium *Himinbjörg.*

SIGNUM CANCRI.

Vet. Dan. ☉ *i Krabba;* Isl. id. it. *Krabba-merki.*

21 *F.* 1. *Sólhvörf* (*Sumars-sólhvörf*) vet. Germ. *Sunwende* &c. ɔ: solis conversio, Solstitium æstivum. Festum paganorum magnum, dictum *Midsumarsblót* (sacrificium mediæ vel summæ æstatis) in Balderi (cum fidele sua Nannâ) abeuntis vel obeuntis ac simul Heimdalli (ut zodiacalis numinis) honorem celebratum. Germani Sigfridi (fortissimi herois, nostri Sigurdi Fafnericidæ) tristissimam cædem jam etiam peractam esse memorarunt. Videtur istud non in templis, ut magna illa autumnalia, hiberna & verna publicis conviviis agitatum fuisse, partim propter principum ac nobiliorum virorum in maritimis ac aliis expeditionibus absentiam, at populi

Junii

ad sacros fontes, arbores, scenas, tabernacula & delubra (*Búdir, Leikskála, Laufsali, Hörga, Þingvelli, Leikvelli*) sub dio sita freqvente confluxu. Christianismo recepto idem festum, Sancto Johanni Baptistæ dicatum, relatum fuit ad ipsius vigiliam & feriam (23 & 24 Junii); ejus tunc peracti gentiles ritus idcirco suis locis mox infra memorabuntur. Hic tamen præliminariter seqventia observamus: Balderus *visci* ictu periit; at superstitiosi Germani *visco* (Druidum more) multas medicas & magicas virtutes adscribentes, istam plantam petendam esse dicunt horâ meridiana ejus diei, qvo sol et luna in *cancri signum* transeunt (cfr. *Mone* l. c. I, 426). Eodem tempore contigit, secundum Persarum mythos, Tiris vel Taschteri ingens conflictus cum dracone cometâ, qvi multifariam Europæorum superstitionem provocasse videtur. Multi terræ populi solstitium æstivum magno festo celebrarunt. Incipit Indis *nox annua Deorum;* indormit Vishnu in magni angvis dorso.

22 *L.* 2. [Dies sanctorum decem millium eqvitum sive militum, vel etiam Achatii eorum ducis; Germ. *A. des heiligen Heerführers* &c].

23 *S.* 3. Danis *Midsommersnat* (nox aut vigilia mediæ æstatis), Angl. *Midsummerseve, Midsummernight* &c, vulgo Dan. *Sankt Hans Aften* &c. Flammaverunt ubiqve in Septentrione (et passim alibi) *festivæ pyræ*, olim Baldero Deo dicatæ, in ejus funebris rogi, vel Solis altissimi jam descendentis memoriam, at posterius S. Johannis Baptistæ; hinc vet. Germ. *Ansfyr* (divinus ignis) recent. *St. Hans Feuer*, it. *Nodfyr* (necessarius s. urgentis necessitatis ignis), it. *das wilde Feuer* ignis ferus, Danice *Sanct Hans Ild*, it. *Midsommersbaal* mediæ æstatis incendium. Colitur qvoqve talis ignis, pro sacro habitus et a nonnullis superstitiose (ligno fricato) accensus, pro salute conservanda, variis ethnicis ritibus adhibitis, cum homines eum supersiliant, infantes trans eum portentur, ejus torres & cineres in futurum usum conserventur &c. Tale incendium eddico nomine adhuc a Norvegis vocatur *Brising* (olim certe *Brísingr*) de cujus pagana e Freyæ & Heimdalli cultu origine consulas Lex. myth. v. *Brísingamen*. Rustici Danici segetis uredinem vel inflammationem (*Brand*) ut ii robiginem appellant, hoc ritu averruncari & malos jam migrantes dæmones (vel nigros Alfos) simul profligari cre-

Junii

dunt, qvod idem Norvegi de jolensi igne opinantur; (cfr. 21 Dec. & 30 Apr. it. art. *Skadi* & *Þjassi* de majalis ignis efficacia contra pecorum morbos & infortunia); sic qvoqve jolensis festi vel novi anni vigiliâ rustici Danici pecora eodem respectu cineribus aspergunt (cfr. 16 Febr. & alios). Hic & paschalis Germanorum ignis (ethnicismi qvoqve tempore a Saxonibus usitatus, ut Bonifacii epistolæ docent) domesticos vicinorum focos, prius exstinctos, accendere debuit, cjus torres & cineres hominum ac pecorum morbos et hortorum noxia insecta fugare credebantur &c. Simul sub dio freqventantur varia *lavacra*, ut hac nocte, præ cunctis anni cæteris, salubria, e. gr. in Islandia & Svecia: a) roris nocturni (forte ut Friggæ vel Freyæ lacrymarum), b) marina (cum Balderi funus vel cineres mari traderentur &c), c) thermarum naturalium (Dei ad inferos descendentis gratiâ beatarum). Porro *fontes* sancti antiqvitus gentilismi temporibus sunt venerati, ut partim ab ipso Baldero miraculose ex ima tellure provocati (unde nomen loci Danici *Baldersbrönd* ac forte Slesvicensis *Balderslohe* adhuc usitata) freqventissime visitabantur, ut potu inde religiose hausto morbi gravissimi sanarentur &c. Fontes tales a christianis sacerdotibus variis ecclesiæ sanctis dicabantur, novis legendis, pro cultu mutando, partim excogitatis, at Baptistæ (sive aqvæ sacramenti inter christianos fundatoris) summo festo gentilium aqvaticæ ceremoniæ optime adaptari potuerunt, cum sancta illa ceremonia lavacro primum celebraretur. Ad tales fontes adhuc in Dania, Norvegia & Svecia præsente nocte a superstitiosis certa sacrificia vel oblationes exhibentur, licet celebria templa (dicta votiva, *Löftekirker*, olim *Heitkirkia*, vel *Gavekirker*, templa donariis honoranda) ab aliis dona pecuniaria accipiant, pro sanitate offerentis recuperata vel recuperanda &c. Hinc Germanorum *Brunnenfeyer* sive Fontinalia (Anglosaxonibus *vil-veorðung*) &c. Loco *cruenti divi* (ut Vala Balderum appellat) ac forte etiam Sigfridi innocentis trucidati, jam fideles adorabant Johannem, qvi *cruenta morte* similiter perierat; olim pagani illius Dei sangvis hoc anni tempore verisimiliter cerni credebatur in radice herbæ, qvæ Danis audit *Blodblomster* (flos sangvineus) at Norvegis *Mandeblod* (sangvis humanus) vel *prikket Man-*

Junii

deblod (s. h. perforatus — ut Botanicis vulgo Hypericon perforatum sive qvadrangulare); posterius eodem modo vulgus boreale in ejusdem herbæ radice — (vel aliarum flore) — sangvinem martyris illinitum esse putavit, ac istam igitur adnumeravit variis S. Johannis plantis. Sunt hujus & plurium herbarum Germanicum nomen *Johannisblut*, (Holsatis *Johannisbloot* &c). In nostra ad carmen Valianum introductione enumeravimus varias hyperici plantæ Germanicas appellationes, qvæ eam Deo sacratam, ut diabolum & malos dæmones fugantem, antiqvitus fuisse probant; præterea Teutonice vulgo dicitur *Johanniskraut*, Anglice *St. Johns wort* &c. A Baldero (vel æstivo sole) prius inter nostrates suum nomen traxisse per se est verisimillimum. Alii hyperici nominis originem petierunt a Græcæ mythologiæ Hyperione, Solis patre vel Sole ipso. Sic plures herbæ, nimirum chamæmelum vel chrysanthemon (Angl. *golden flower*, *Marigold*) & anthemis inodora (flores admodum similes gestantes) propter folia tenuia & alba, qvæ flavum discum cingentia solis sereni figuram referunt, priscis Scandinavis (ut hodie Islandis) dicebantur *Baldursbrá* Balderi supercilia, at hujus ævi Norvegis, Færoensibus, Jutis & Scanensibus *Baldersbraa* (vel *Baldersbrâ*) i. e. supercilia Balderi, cujus denominationis rationem Edda junior nobis communicavit. Observavit laudatus Sorterupius eandem suo tempore vulgo Sælandico audire *Sanct Hans Urt* (herba divi Johannis) ac illâ sacra nocte cum Bardana, Artemisia (Angl. *Motherwort*; cfr. AS. *Moedrenœht*) Germ. *Sonnenwendgürtel* & aliis superstitiose colligi & e tignis domuum suspensas foribusqve præfixas servari, ad arcendos domo malos genios (*Meinvætter*), tonitrua & veneficarum infecta toxico spicula [qvæ Baldero ipsi nocuerant] incassum casura. Similes relationes exhibet David Monrad (auctor Danicus Sec. 17^mi) de iisdem herbis e vulgi superstitione collectis contra venena invisibilia angvium dæmonicorum, S. Johannis festo per terras grassantium; hanc qvoqve Sorterupius cognovit, de unico tali verme vel dracone loqvens, qvi ista nocte credebatur totius terræ vulgaria gramina suo ita sputo inficere, ut si qvis eâ durante sub dio obdormiisset, attracto hoc veneno vel gangrænâ infestaretur. Sveciæ rustici (Linnæi tempore, circa me-

Junii

dium sec. 18^vi) easdem opiniones fovebant de die seqvente, metuentes vermem funerum (*Likmatken*) tum vagantem, ac carcinomata hominibus causantem. Ejusdem originis est monstrum illud alatum, qvod Holsatis dicitur *fleegende Krevd* (cancer sive carcinoma volans) hac nocte venena per campos effundere creditum (qvapropter lintea nocturno aëri non exponantur) miraculosis herbarum sertis averruncandum. Dubio caret hunc mythicum borealium angvem vel draconem ortum esse e gentili superstitione de eorum Arimane Nidhoeggo, infernali dracone, eodem tempore campos pervolante & alis funera portante, qvi in ultima Valiani vaticinii strophâ decantatur. Nihilominus varios alios Europæ populos (præsertim Francogallos) medio ævo pro fontibus a draconum circumvolantium veneno servandis, pyras nocturnas accendisse &c nos l. c. (ê testimonio diversorum auctorum, qvi circa annos 1180 & 1280 vixerunt) sufficienter probavimus. Huc tandem inter nostrates pertinuit Hirrokina, gigantea lamia, qvæ lupo vecta & angves pro habenis usurpans ad Balderi funebrem rogum apparuit, licet aliæ tales & plura alata monstra simili modo in jolensi (vel hiberni solstitii) vespera hominibus apparere crederentur. Descripsit Olaus Magnus (XIV, 4) qvomodo Sveci, circa initium sec 16^ti hanc vigiliam & seqventem diem "sole per cancrum transeunte" antiqvitus celebraverint miris festivitatibus ac solenni cultu, ut rogis accensis, choreis ac heroicis & popularibus cantionibus, ad musicorum instrumentorum ductum prolatis p.p. Hi iidem ritus continuati sunt ad nostros usqve dies, e relatione Linnæi, Arndtii & pl. Tunc erigitur arbos vel pertica majalis, in Yggdrasilli modum variis avium & animalium figuris (præter serta, viridium arcus, vexilla, fascias ac alia ornamenta) instructa, at omnium supremus (e Slavorum qvoqve gentilium more) *gallus* splendidus aurâ continue agitur; hic revera ejusdem originis ac arborum majalium *Gaukr*, Norveg. *Gauk*, *Gouk*, Svec. *Gök*, Dan. *Gög*, *Gjög*, German. *Gauch*, *Guckuck* (unde Austriacum *Goyckentag* 14 Aprilis) vet. Scot. *Gawk*, *Gowk*, Angl. *Cuckoe*, *Cuckow*, Gall. *Cocu*, Pers. *Kuku*, Tat. *Kauk* i. e. cuculus, alioqvin avis de hominum vitâ & fatis vaticinans, pro veris vel verni solis symbolo habita, licet alii ejus loco (vel præsertim forte pro

Junii

æstivo sole) acciperent ipsum gallum (veram Solis & Apollinis avem) qvi olim Scandinavis audiit *Kokr (Kockr)* at jam multis Svecis & Jutis Danicis *Kok (Kock)*, Angl. *Cock*, Gallis *Coc*, *Coq* & Francis qvoqve Germanicis *Göhker*, *Göker* (ab his et Jutis variis modis habitus pro phalli symbolo, olim cum solari cultu cognato; cfr Lex. myth. art. *Vidofnir*, ubi ethnica inter nostrates hujus ritus origo demonstratur); cfr. 14, 23, 25 Aprilis & 1 Maji. Dicunt alioqvin Dani & Germani cantum cuculi vulgo incipere Georgii vel Valburgæ feria, sed Johannis festo cessare; at eadem periodo durante certis diebus ad publicos ludos, choreas & convivia olim Boreales convenerunt, ut supra suo loco descripsimus. Variæ magicæ artes a Svecicis plebejis exercentur, ut excubiæ in tectis & triviis ad futurorum eventorum omina indaganda, accensio ignis, *novem ligni speciebus* nutriti, qvi mos etiam Norvegis & Teutonibus receptus ad dæmonia cogenda, præter alias superstitiones Danicæ & Germanicæ plebi communes. Linnæi tempore ad oppidum *Falsterbo* præter eqvestres processiones circa majalem arborem, instituebatur cursus certamen a puero qvodam & aliqvot puellis, solo indusio tectis. Mulieres Smolandicæ in lacu Odini *(Odensjö)* hac nocte lavabantur ut Germanicæ in Rheno, forte ex Godrunæ & Brynhildæ heroinarum exemplo; vid. Lex. myth. art. *Rín*. Simili ac reliqvi Scandinavi modo celebraverunt Islandi hanc sacram noctem, ad seculum usqve proxime elapsum (nimirum pyris accensis, choreis, cantionibus &c) non tantum qværentes vel colligentes magicas aut medicas herbas, sed etiam miraculosos lapides, præsertim eum, qvi vocatur *Óskasteinn* (lapis votis vel precibus indulgens) in certorum montium summo apice tunc visibilem &c. Tam Germani qvam Scandinavi igni Johannæo solenniter committunt propria infortunia, ut eo feliciter comburantur; ediderunt interdum spectacula ignita, dracones volantes ac aqvis submersos repræsentantia; exponunt vasa rosis ac cereis ardentibus ornata &c. Interdum *rota gyrans* iis ac Franco-Gallis solis præsentem conversionem notavit; sic qvoqve Borussi indigenæ festivum nunc ignem *rotæ ope* accendere soluerunt, certis qvidem mysticis formulis adhibitis. Tam Germani qvam Scoti & Angli (præsertim Northum-

Junii

brii) jam accensis faculis ambarvales instituerunt processiones, cæteros reliqvorum Europæorum hodiernos ludos & ritus præterea exercentes. Solent alioqvin Northumbriæ vicana sodalitia violenter vicinorum rogos adpetere, ignem vel cineres inde deprædantes, qvod vulgo vocant: *to carry off the flower of the wake.* Similes mores a Mahrattis Indicis exercentur circa pyras festo *Houli* flammantes (cum etiam perticæ florum sertis ornatæ vulgo eriguntur &c.; cfr. 1 Maji). Vetustas Britannorum hnc pertinentes superstitiones lepidissime depinxit immortalis Shakespeare in celebri comoedia, inscriptâ *Midsummernightsdream*, qvâ *Feries* (Fairies) vel *Elfi* aut *Alfi* pro elementariis geniis & roris nocturni (jam alioqvin pro saluberrimo accepti) auctoribus habentur, at earum Rex & Regina (Oberon & Titania) pro totius naturæ (qvoad æstivam vel hiemalem tempestatem, hominum morbos &c) summis directoribus p. p. qvæ ejus ævi vulgares opiniones redolent. In Gallia hodierna pyræ Johanneæ hodie qvoqve inflammantur, partim in urbium foris (ut qvondam Londini plateis) e. gr. Tolosæ 1827, a religioso qvodam sodalitio; at rustici ignes stramineos superstitiose transsiliunt, qvi mos etiam Bascis sive Vasconibus est receptus. Ad ultimum boream revertentes eundem flammantem rogum &c reperimus apud Finnos (Finlandiæ incolas) ac ipsos qvoqve Norvegiæ Lappones, qvi hac vigilia colunt *Solem*, ut fertilitatem *Telluri* indulgentem, morbos sanantem ac hominibus deperditam rationem reddentem &c, *solarem* (ut dicunt) *pultem* in ejus honorem comedentes (ut *puls* etiam Danorum, Indorum & pl. jolensibus ferculis necessarie est adnumeranda) &c. Russi pridie natalium S. Johannis Baptistæ solenniter memorant priscum qvendam Deum, qvi iis audit *Kupalo*, (olim Kioviæ præcipue cultus, frugibus terrenis præesse & greges contra malos dæmones defendere creditus); cadente sole flammam ingentem excitant, ac sertis & coronis ornati circa eam saltationes & varios ludos agitant, illius idoli nomen freqventer cantione repetentes &c. Alios torrentibus, lacubus & fontibus tum sacrificasse fama vulgat; cfr. 24 Iunii de pluribus Slavicis populis. Asiam lustraturi Constantinopoli hac vespera illos rogos flagravisse invenimus; at concilium ibi anno 680 congregatum prohibuit talia incen-

Junii

dia, in noviluniis vel mensium primordiis (*εν νεμενιαις*) accendi ac transfiliri solita. In æstivo solstitio ludi Olympici sive Panhellenici fuerunt agitati, ast eodem tempore celebrabatur magnum Baalis (Melcarthii) vel Molochi festum a Phæniciis, Syris ac Canaanitis, cum altisfimi rogi accendebantur. pueri per ignem (ut posterius a Germanis, Scotis & pl.) religiose transferebantur vel ei admovebantur, in felicisfimam lustrationem &c. Eodem tempore ab illis gentibus deplorabatur mors Adonidis occisi; dicebatur fluvius Syriæ cognominis ac insuper ipsæ rosæ ab ejus sangvine rufum colorem accepisfe (ut Paphlagonius fluvius Memnonis violentæ mortis anniversariis, Aurorâ ejus matre lacrymis terram rorante); imitabatur acerbus Astartes sive Veneris luctus, (montanos amnes fletu adaugens ut Isidis Nilum); defuncti inferiæ &c, qvæ omnia Balderiano mytho & ritui arcte convenire alibi demonstravimus; illis *aqvila* tum solenni spectaculo fuit, ut Europæis recentioribus *gallus, cuculus* &c. Illinc festum antiqvitatis celeberrimum, Adonia dictum (a Phoeniciis per octo dies celebratum), ad Græciam & Aegyptum fuit delatum (Athenis biduo solenne). In urbibus Aegypti alioqvin circa hoc tempus accendebantur magnæ pyræ, ad Sirium stellam placandum & pestilentiæ efficaciam avertendam (qvod etiam posterius a Romanis et tandem Londini sec. 17^to^, peste grasfante, factum esfe scimus). At Europæorum similes ritus tam noster ingeniosisfimus Jonge, qvam Germanorum celeberr. v. *Hammer* observarunt ortu magis orientali et Persico qvidem gaudere. Vidimus supra Germanos ethnicos sacro verni (& posterius paschalis) festi igne focos domesticos accendisfe & Persas qvoqve gentiles eodem tempore (24 Aprilis) eundem ad ungvem ritum observasfe. Sic porro celebrant antiqvi Persæ æstivo solstitio *diem ignis (Niranrus,* alioqvin *Tirgan)* accensis rogis (cfr. 21 Decbr.) & aliis ritibus, licet *aqvæ* elementum jam in maximo honoro habeatur, ac festum hocce ei proprie sacratum esfe dicatur. Videtur porro *Tasohteri* vel *Tiris* Deastri cum fœdisfimo aëris dracone in cancri signo triduanum certamen superstitioni occidentalium de talibus monstris, jam grassantibus, ansam primum dedisfe; dicitur enim draco iste *Epeoscho,* aqvæ hostis, cum cæli pluviam vinculis teneret ne puris aqvis Tel-

Junii

lus ac humanum genus nutriretur aut refrigeraretur, a Taschtero feciliter superatus esse. Hinc magni illius aqvæ festi origo. Persarum *Tirgan* convenit Indorum festo *Tirumal* vel *Ratha Yathra* (vehiculi — solaris? — cursu) cum *Crishna Dsagannatha* (vel universi dominus) curru insidens, cum fatribus *Bala-rama* & *Shubadra*, nocturnâ processione solenniter deducatur; cfr. 29 Janr. In Insula Ceylon (Selan sive Taprobane) hac anni periodo celebratur maximum Buddhistarum festum *Perraherra*, erectis *perticis*, ramis floribus, sertis, vexillis ac lampadibus (nostratium more) ornatis, scenicis vel larvatis processionibus, solenni *aqvæ* haustu ac transportatione e sacro flumine *(Maha-velle-ganga)* ut in templo principali per integrum annum servetur &c. *Novem florum species* et lampades *novem ellychniis* instructæ p. p. putantur fugare mala dæmonia, qvæ hoc tempore grassari creduntur; sic Germani, Norvegi & Sveci hunc & qvencumqve sacrum ac magicum ignem 9 *ligni speciebus* accendendum esse ferunt. Huic festo certe plura Buddhistarum respondent, e. gr. Kalmuckorum æstatis incipientis solennitas in Junii novilunio agitata. Alii Indici oceani insulani (ut Javanenses, Balinenses &c), tam Brahmanicæ qvam Muhamedanicæ relligioni addicti, æstivi solstitii festum dictum *Kuningan* (& hibernum qvoqve vocatum *Galingan;* cfr. 23 Decbr.) qvinqve dierum spatio solenniter celebrant. Jam Solis & Horarum feriam (præter illa Adonia) Græci egerunt, ut Plato etiam proposuit magnum solstitii æstivi festum a civitate rite ordinatâ Apollini dicandum esse. Medii ævi (ut videtur) Romana calendaria hæc præsenti diei adnotant: "*Ignes* fiunt. Puella cum parvo tympano qvod coronulam appellant. Pueri pro puellis vestiuntur. *Aqvæ* in nocte natantur & pensiles ad vaticinium feruntur. Filix vulgo in pretio est propter semen. Herbæ diversi generis qværuntur et multa fiunt. Cantilenæ ad liberales, diræ ad avaros. Carduus puellarum legitur" &c. Hac feriâ anno 1121 inceperunt generalia Reipublicæ Islandicæ comitia (ac alias semper Thori die eadem æstatis hebdomade incidente), Præsente ævo incipere solet maximum Danorum populare festum vocatum *Kildetid*, (Fontinalia), in Havniæ vicinia et luco amœnissimo ad limpidum fontem, mensis dimidii spatio, variis ludis & spectaculis

Junii

agitatum. Paganorum prisca comitia, sacrificia & aliæ ceremoniæ, tum olim exercitæ, ortum dederunt superstitiosis recentiorum fabulis de conventu magico sagarum in variis altis montibus e. gr. Germanorum Bructero (*der Brocken*, Dan. *Bloksbjerg*, ubi magna delubra revera sita fuisse cernimus); variis Finmarchiæ locis, dictis *Balvolde* ɔ: (rogorum campis) p. p. — sub ipsius diaboli (i. e. gentilium numinis vel summi sacerdotis) præsidio &c, ut aliæ tales de Valburgæ vesperâ referuntur. Cfr. 30 Apr. & 24 Jun. In Svecicis calendariis *arbos virens* (majalis vel æstiva publicæ festivitatis) hunc feriam designat.

24 *M.* 4. Danis *Midsommersdag* dies mediæ (vel summæ) æstatis, Svecis *Midsommarsdag*, vet. Germ. *Middesommer* vel *Mittens.*, Frisiis *Midden-Summer*, *Summernacht*, Belgis *Meidsomer*, Anglo-Sax. *Midsumer*, Angl. *Midsummer*. Medio ævo huic (vel proxime præcedenti) diei solstitium æstivum a borealibus populis adscribebatur; sic Calendarium Alemannicum (initio sec. 13^{tii}) ei annotat: *hie mag di sonne nüt höher* &c. Sic qvoqve Julii Cæsaris Calendarium Romanum eundem pro solstitiali habuit. De ipsius pervetusta celebratione et ejus ritibus multa ad præcedentem vigiliam, ut festi primordium, nuper memoravimus. Gentilem festivitatem jam olim agitatam fuisse monstrat primarum Norvegiæ christianæ legum præceptum, qvo universis colonis mandabantur symbolæ conviviales, hoc die celebrandæ, cum cerevisia recens cocta solenniter consecraretur & ebiberetur in Christi & Mariæ honorem, ut olim in Freyeri & Freyæ (vel potius Balderi & Friggæ) honorem, pro pace & annonâ &c. Talia publica convivia, dicta *Samburdaröl* vel *Samgérdaröl* (symbolæ vel compotationes, communi sumtu instructæ) legum tenore a Norvegis qvoqve christianis Jolensi & omnium Sanctorum festo simili modo fuerunt agitanda, ac sic certe succesſerunt epulis paganis, circa eadem anni tempora celebratis, qvæ olim vocabantur *Gildi* (i. e. symbolæ), *Blót* (sacrificia) vel *Blótveitsla*, *Blótfagnadr* (sacrificiale convivium aut gaudium) &c. Cfr. *Hkr* l. c. 1, 139-140. Danis etiam hanc publicam festivitatem iu usu fuisse monstrant priscæ eorum symbolæ, dictæ *Midsommersgilde*, cujus institutionis reliqviæ adhuc hoc ipso die

Junii

sub illo nomine celebrantur in insulâ Bornholmia, in luco ac loco septo dicto *Gildesgaard* (in Ruthæ parochia) ac forte etiam in pluribus regni vicis. Sic igitur Anglosaxonum, Scandinavorum, Germanorum & pl. christiana ac convivialia sodalitia (qvibus alia, Clubbæ dicta, succesferunt) gentilem sibi adsciscunt originem. Videntur nihilominus ethnicæ illæ congregationes partim in Dania prohibitæ fuisse christianisfimo introducto, at sumtus iis (vel forte etiam delubrorum antistitibus) destinati Regi vel clero addicti esse, sub nomine *Midsumars-* vel *Midsommarsgjald, Midsommersgylde* (census mediæ æstatis), in anni 1135 & recentioribus diplomatibus occurrente; hodie qvoqve certarum exclesiarum parochis solvi debentur *Midsommerspenge* vel *M. s. rente.* At Norvegi similes symbolas privatim tantummodo colligunt, sub nomine *Brandskat* (i. e. census incendiarius) cum revera ad festivas illas pyras struendas erogetur. Idem verisimiliter dicendum est de certis tributis Valburgæ vesperâ in Daniâ, Germaniâ & forte alibi solvendis (olim in Slesvicensi ducatus *Wagenpenninge, Rokpenninge*, in Germania tamen vivis agnis expendendis) &c. Propter illa paganismi publica gaudia (ut alii observarunt) antiqvitus certe huic tempori contigit legalis institutio *pacis* (publicæ) *mediæ æstatis* (*Midsumarsfridr* &c) e. gr. in Gotlandia insula per decem dies & noctes durans. Ad præcedentem feriam plurimas præsentis diei solennes ritus descripsimus, at hic tamen pauca addemus. Juventus Scandinaviæ rustica jam sertis & floribus ornata choreas petit, dum qvoqve templorum, domuum & horreorum interiora & exteriora similibus ornamentis instruuntur, ut e superstitiosorum opinione venefici & mala dæmonia arceantur. Colliguntur ubiqve herbæ prognosticæ & medicæ, at Norvegi ex arborum resinâ coqvunt picem, qvâ pecora consecrantur (*vigsles, vies;* cfr. L. M. art. *Ve*) pro eorum futura salute servanda. Ast in Svecia agri (ut dicunt) frondibus ornantur (*akrar löfvas*) cum viridis ramus in singulis erigatur pro annonæ largitate obtinenda &c. At simul agris imponuntur baculi, qvibus *angvis* aliqvis occisus fuerat, ad noxia reptilia & insecta averruncanda, qvos tamen tangere homines vitant, ne scabie infestentur &c. Germanis celebrabatur corona vel urna Johannæ, a *Johannescrone*,

Junii

J. topf) sertis, floribus & cereis instructa vel adornata, angelo ad eam interdum scenice vel figurate repræsentato. Jam etiam ab iis (ut jolensi qvoqve tempore, cujus celebratio ubiqve fere summæ æstatis gaudiis convenit) ebibebantur festiva pocula, St. Johanni sacrata (*der Johannistrunk;* cfr. 27 Decbr.). Slavis gentilibus vel saltem Venedis Germanicis medii ævi hic dies (vel solstitialis ipse) sacer fuisse videtur, at monstra qvædam (vel dracones) solem (in solstitio) perseqventia illi tum metuerunt, christianos hæc excitare suspicantes. Venedi Luneburgici ad sacram arborem (cfr. 23 Jun.) pagana (galli) sacrificia, libationes et lætas saltationes diu post christianismum receptum exercuerunt. Romani gentiles hoc ex eorum computo solstitiali die *Fortunam fortem* coluerunt; alioqvin naves coronatæ per Tiberim amnem læta agitabant convivia. Ipsius inter Norvegos signum aut jacentem hominem stragulis involutum, aut etiam *solem radiantem*, erectæ perticæ impositum, in eorum figuratis fastis reperimus; Svecica & Danica *agnum*, interdum *vexillum* gestantem, sæpissime præferunt; huic symbolo christiana origo probabiliter adscribitur; cfr. tamen Danici vulgi *Gadelam* &c (ut saltatrices hodiernæ in certis Fioniæ insulæ locis appellantur; cfr. 30 Apr. & 1 Maji). Hæc dies, qvoad futuræ æstatis tempestatem & fertilitatem, a Borealibus pro prognosticâ habetur. Tandem observanda denominatio hujus feriæ in medii ævi Germaniæ & Galliæ latinis scriptis: *Joannes albus*, nam *Heimdallus* paganorum Deus, eodem die cultus, vocabatur *albus* & *Asarum albissimus (hvitastr Asa)* licet similia etiam de Baldero sint tradita. Conjicere alii Hibernos Baalis loco Johannem Baptistam coluisse, ei ignem *Bealteine* sacrantes. Cfr I, 22 & 26 Maji it. Lex. myth. art. *Baldur* &c.

25 *T.* 5. *Fimt* 43. *Hár.* [Germanis *Gloytag*, sive festum Elogii, Episcopi Suessionum Galliæ, at patroni sive tutelæ fabrorum ferrariorum, qvibus hæc feria igitur maxime solennis. Cfr. 1 Novbr. Romæ festum Larium & Jovis Statoris, ab aliis 27 Junii adscriptum].

26 *Ó.* 6. FARMATÝR. [Germanis medii ævi *die Hagelfeyer*, solennitas pro grandine avertendâ instituta; coluntur autem sancti Martyres, Johannes & Paulus, qvi Teutonibus audiunt *die Wetterherren*, tem-

Junii

pestatis (vel tempestatum) domini, unde ipsa feria qvoqve *der Wetterherrentag*].

27 *Þ.* 7. *Vika* 31 [Danis & Germanis medii ævi dies septem dormientium, Danis *Syvsoverdag* &c, pro prognostico habitus].

28 *F.* 8. [Fauno sacrum Romæ].

29 *L.* 9. [*Petri* & *Pauli*, Svec. *Petrus*, Norvegis *Per med Gullnyklen* o: Petrus aureo clave præditus; hanc ei Dominus dicitur obtulisse, dum in tellure ambo coambulassent. *Clavis* sola vel *ensi* juncta in fastis figuratis diei signa. Islandiâ Norvegiæ Regum imperio subjecta hoc die incipiebant insulæ generalia comitia].

30 Julii *S.* 10. *Fimt* 24. *Haugspori*. [Romæ feria Herculis & Musarum — vel Pieridum. Athenis annuum Herculis festum].

1 *M.* 11. [Romæ fiebant migrationes ex ædibus in alienas ædes].

2 *T.* 12. Dies visitationis Mariæ, Islandis *Þing-Máríumessa*, cum in insulæ generalium Comitiorum tempus incideret, Danis *Vor Frue Bjergegang*, Norvegis *Syftesokke* (purgationis vel everrendi feria); jam Norvegi herbas pecorum medicinæ destinatas colligunt, at juniperi & alni ramos (diei hieroglyphica signa), crucis formæ adaptatos, agris imponunt, cum certa exsecrationis formulâ, qvâ noxia insecta fugari sed frugum incrementum effici opinantur. Hæc verisimiliter pro Friggæ vel Freyæ prisci cultus reliqviis sunt habenda. Dies hicce, nonnullis prognosticus, *coronâ*, ut reliqva Deiparæ festa, in baculis calendaribus signatur. Germanis medii ævi audiit *der verborgen unser Frauentag*.

3 *Ó.* 13. KJALAR.

4 *Þ.* 14. *Vika* 32.

5 *F.* 15. *Fimt* 45. *Hlævángr*.

6 *L.* 16. [Atheniensium *Isiteria* sive commune magistratuum & militarium ducum sacrificium & convivium].

7 *S.* 17. [Romulus non apparuit vel raptus e vitâ excessit. Cal. Rom.]

8 *M.* 18. Chiliani feria, (*spiod* in Danicis calendariis notata) audit Danis *Kjeld Sviebyg*, cum hoc tempore uredo segetibus infesta esse soleat; Norvegis *Kjeld Fuit*. Norvegi alias hunc diem Canuto, falcem gestanti, addicunt; vid. 10 Julii. [Romæ Vitulæ, Deæ lætitiæ, pro frugibus sacra fiebant, vel Vitulatio ob victoriam].

Julii

9 *T.* 19. [Romanis Juno Caprotina. Ancillarum festum, dictum Caprificia].

10 *Ó.* 20. ÞRÓR. *Fimt* 46. *Glói.* Medio ævo Canuti Danis Regis feria, in fastis figuratis falce messoriâ notata, qvod fæni demetendi tempus adferat. Dan. *Lee-Knud, Bonde-Knud* &c. Norvegis *Kari med Riva* ɔ: Kara gestans *rastrum* (propter foenisecii opera). Cfr. 8 Julii.

11 *Þ.* 21. *Vika* 33. [*Devi* (Diva, Dea) naturæ imperans, Indis *Manasa* dicta, diis dormientibus ramo arboris *Snuhi* insedit, angvis forma induta, at tamen serpentum venenum humano generi innoxium reddidit. *Mens* (Dea) Romanorum & Gnosticorum ei non inepte convenit, e cl. v. *Hammer* doctissima demonstratione.

12 *F.* 22. [Festum Apollinis Romæ].

13 *L.* 23.

14 *S.* 24. Norvegis hodiernis *Midt-Somar* (media æstas); cfr. 24 Junii, 25 Julii & 6 Augusti. *Duodecim stellæ, rastrum cingentes* hic in Norvegicis & Svecicis calendariis conspiciuntur. Jam iterum stellæ (cum earum Reginâ Freya) in coelo splendere cernuntur. Alii Norvegorum figurati fasti solem radiantem incurvatæ perticæ adpositum repræsentant. [Romæ sacra Fortunæ muliebris].

15 *M.* 25. *Fimt* 47. *Skirfir.* [Romæ Castoris et Pollucis festum. Processio eqvitum Romanorum ab æde Honoris in Capitolium].

16 *T.* 26.

17 *Ó.* 27. VIÐUR. [Athenis Cronia, Saturni festum].

18 *Þ.* 28. *Vika* 34.

19 *F.* 29. [Atheniensium Panathenæa minora, Minervæ sacra. Persæ loti (solaris) floris festum celebrant].

20 *L.* 30. *Fimt* 48. *Virfir.* ☽ GÖLL. Dies Margarethæ, Norvegis dictus *Marrit Vatsouse* (M. imbres effundens); ii hoc die vitant agraria opera. Signa hujus feriæ (maxime prognosticæ) sunt amplum *haustrum, nux* vel *rastrum*, aut etiam *draco foedissimus* (vel *diabolus*, originitus forte Nidhoeggus; vid. 23 Junii) qvem S. Margareta vinculis ligavisse fertur. Nunc olim metuebatur Sirii astrum (Islandis *Lokabrenna* q. v.) caniculârem periodum adferens.

Julii.

EPAGOMENA.

Ex computo vetere Islandorum vulgo *Aukanœtur* (additionales noctes).

(Eodem anni tempore incidit Anglosaxonum embolismalis mensis, *Lida* tertius dictus).

21 *S.* 1. [Mundi natalis ex Aegyptiorum sacerdotum sententia *(Solinus)*; Cfr. 17 Mart. Atheniensium Metoecia vel Synoecia, in memoriam civitatum Atticarum unionis].

22 *M.* 2. [Dies Mariæ Magdalenæ, Norvegis *Magelin*, iis diu festus & *selld* insignitus (cum Deipara illi, cœlestem aulam intranti, sellam adposuerit, ipsam considere rogans). *Scalam* Danica calendaria præferunt].

23 *T.* 3. [Romæ mulieres prægnantes Opigenæ cereas imagines offerebant, auxilium in partu deprecantes. *Hadr. Jun.* Dicuntur Hibernicæ mulieres hoc die liba sacrificare & libamina fundere in honorem St. Brigidæ, more antiqvitus in coeli Reginæ cultu recepto, e Rollini & Brandi observatione].

24 *O.* 4. ÓSKI. Qvaternio (vel minor pentadum cycli divisio 73) *Skafidr* (qvod porro verti potest *eradens*, forte ob unam diem e qvinione in fastorum tabula erasam). [Romæ Phœbo mel novum, vinum & farina offerebantur].

[5. Creditur exstitisse e priscorum Scandinavorum computo, at in Islandia hic cum aliis intercalaribus diebus inseri soluit certis annis, ut talis regularis periodus septem dierum inde exsisteret, qvæ dicta fuit *Sumarauki* (æstatis augmentum) vel *Lagníngarvika* o: intercalationis hebdomas vel periodus, ex Islandorum priscis fastis qvovis 7mo (jam autem 5to vel 6to) anno ad æstatis finem incidens. Atum alioqvin verisimiliter incidere soluerunt capitalia illa vel principalia sacrificia (*Höfudblót*) qvæ qvovis tertio anno (ac æstate qvidem) ad Norvegiæ templa popularia, e. gr. Gaulense vel Gulense, (juxta forum provinciale legibus Gulathingensibus celeberrimum sitnm), celebrata fuerunt (vid. *Landnáma* Ed. Havn. p. 351, ubi talis templi antistes *Hersir* sive liber Baro vocatur, & Glossarium Schedarum Asii multiscii Ed. Bussæanæ ad vocem *Blóta*). His con-

Julii

venere Græcorum trieterica festa, qvæ etiam celeberrimus Creutzerus Zamolxin inter Getas instituisse opinatur. — Intercalationi alicui majori videntur suam originem debuisse maxima festa Lethræ Danorum & Upsaliæ Svecorum, qvovis nono anno agitata, ut in hujus calendaris schematis introductione observavimus. Conferri merent Delphiorum, Spartanorum, Cretensium & pl. enneatica sacra & novennales ludi. De recentiorum Islandorum variis intercalationis modis consultari meret docti & ingeniosi viri, *Ottonis Hialtalini: Nýtt Lesrim; Beitistödum* 1817, pag. 35 & seqv. Cfr. 29 Febr. supra, at nomen *Óin* integræ talis intercalationis alicui periodo contigisse opinamur].

MÁNADR IX. (BIFLINDI).

Islandis *Heyannir* (foenisecium), Augustus recentioribus *Heyannamánudr*, Dan. *Hömaaned* id. it. *Höst-M.* (mensis messorius); Svec. *Skördemånad* id. it. *Skortant* (tempus messorium); Anglosaxon. *Veiðmonaðʼ*, *Veoðmonaðʼ*; Vet. Germ. *Aranmanoth* (m. spicarum) Holsat. *Arn-M.*, Belg. *Oogstmaand*, Lapp. Svec. *Snelkja* (m. rangiferorum depilatorum) Slavon. *Sarev* (m. auroræ vespertinæ).

Tutela Dea *Freya*; ejus domicilium *Fólkvángar*.

SIGNUM LEONIS.

Vet. Dan. & Island. ☉ *i Leóni* (vel *Ljóni*).

p. 1. *Vika* 35. Islandis *Midsumar* vel media æstas ex eorum (& forte etiam priscorum borealium Norvegorum) computo. Incipit calidisfimum anni tempus. Feria Jacobi Apostoli, Danis *Ib*, Norvegis *Jacop Vaathat* (madidum pileum gestans) qvi lupulum indecenter madefacere dicitur *(pisfer i Humlen)*. *Pileus stillatitius* iis diei signum at Danis *baculus ambulatorius*. Dani glandes hac nocte creari asferunt. Norvegi agrestia opera vitant, ne feræ rapaces gregibus noceant. [Atheniensium Theoxenia sive festum Deorum peregrinorum vel extraneorum].

Julii

26 *F.* 2.

27 *L.* 3. [Indi hanc feriam dicarunt geniis, formâ serpentum indutis; vaccino fimo & foliis herbæ Nandi illiniuntur ædium fores, ad venenosa reptilia fuganda. Cfr. Danicum Julii mensis nomen p. p.].

28 *S.* 4. [Romæ Cereri lacte, vino & melle sacrificabatur].

29 *M.* 5. *Fimt* 49. *Ái.* [Medio ævo summum festum S. Olai, Norvegiæ Regis, ejus emortualis diei anniversariis, igitur in baculis calendaribus securi bellica notatum]. Careli (Finlandiæ incolæ) hunc diem paganis ritibus celebrant; asfant enim integrum agnum, cui nullus culter adplicandus; ejus ossa minime sunt frangenda (e Lapponum gentilium & veterum Hebræorum sacrificiali more) at exta humo sepelienda, Nemini peregrino carnes gustare licet.

30 *T.* 6.

31 *Ó* 7. ÓMI. Rustici Finlandici circa hoc tempus panem sacrum pinsant in honorem fulminis (Dei), qvem primum seqvente vere domesticis dispensant.

Augusti

1 *þ.* 8. *Vika* 36. Islandis *Bandadagr* (dies vinculorum, at ex gentili interpretatione: numinum) Norvegis *Peder Vindfelle* o: Petri vinculorum festum, *clavè catenata* et interdum *vasculo* adposito notatum, Anglosaxonibus *Hlafmass* (panis feria) verisimiliter propter panes vel placentas, e novo farre paratas ac sacrificii more oblatas, Anglis recent. *Lammass* (agnorum feria). Medio ævo appellabatur latine: *S. Petrus in gula Augusti.* Propter frugum & herbarum consecrationem Germanis medii ævi audiit *Petri Krautweyhe, S. Peters des Kraüters tag; so man das kruet wyhet, in der Erne (Erndte)* p. p. [Qvondam Romæ sacra Spei ad *forum olitorium.* Consecratio templi Martis. Athenis celebrabantur magna qvinqvennalia Panathenæa].

2 *F.* 9. *Lebetem* figurata Svecorum calendaria exhibent. [Partitio regionum per sortes inter Neptunum & ejus fratres hoc die peracta credebatur. Androgeonia, Atheniensium lugubre et expiatorium festum].

3 *L.* 10. *Fimt* 50. *Álfur.* Norv. *Vesle Olsok*, pultis comesfatione celebranda. *Canis leporem* (ut videtur) *perseqvens* in fastis Svecicis adnotatur; in Norvegicis *securis* minor.

4 *S.* 11. [Romæ Victoria culta. Athenis Eumenidum sacrificium].

Augusti

5 *M.* 12. [Romæ sacra Salutis in monte Qvirinali].

6 *T.* 13. *Midt sumar* sive veræ æstatis medietas, secundum præsentem anni temporum computum; cfr. 22 (vel 24) Junii ut lucidisſimam æstatis diem & 25 Julii ut calidisſimæ ejus periodi primordium.

7 *Ó.* 14. JAFNHÁR.

8 *Þ.* 15. *Vika* 37. Fimt 51. *Yngvi.* [*Solis indigetis* in colle Qvirinali. Atheniensium Eleutheria qvinqvennalia].

9 *F.* 16.

10 *L.* 17. [Festum S. Laurentii, Lundæ Scanensium patroni, *crate* et *flagello* in calendariis signatum. Rustici Danici de seqventis hyemis tempestate qvondam præsagia ceperunt; Germani ex ejus pluviâ murium futuram freqventiam ominabantur. Freqventavere gentiles Romani aras Opis & Cereris in vico Jugario. Bellonæ sacerdotes ensibus humeros & brachia dividebant, cruore expiantes crimina & pro vulneribus stipem recipiebant. *Hadr. Jun.*].

11 *S.* 18. [Romæ Herculi, magno Custodi, in Circo. — Festum Panis Athenis, faculis & lampadibus illustratum].

12 *M.* 19.

13 *T.* 20. *Fimt* 52. *Eikinskjaldi* (sive *Eitur*). [Romæ Dianæ sacra in ejus nativitatis memoriam a virginibus præcipue celebrata. Currebant in nemus Aricinum faces accensas gestantes. Vertumno in Loreto majore. Dies festus servorum et ancillarum].

14 *Ó.* 21. BIFLINDI.

15 *Þ.* 22. Vika 38. [Festum asſumtionis (vel ascensionis) Mariæ, Norvegis *Vor Frue dyre; dyre v. F. Dag* (eximium nostræ dominæ festum); Germanis medii ævi *Marien der erentag* it. *Unsrer Frauen Wiirtzweyhe* (vel *Wiirtwyhe)* aut *Krutvigingo* p. p. a consecratione herbarum (pro morbis, fulminibus & malis dæmoniis averruncandis), *der grosſe Frauentag* &c. Celebrabatur in Svecia hocce festum (teste Olao Magno XVI, 9) in benedictæ Virginis honorem "ut benedicantur omnigenæ fruges." Figura mulieris fastos Norvegicos adornat. Dicitur Ungaris *Dies magnæ Dominæ* (regni patronæ) iis maxime solennis.

16 *F.* 23. [Arcades agebant Hippocratia, consimilia Consualibus, qvæ non-

Augusti

nulli in hunc diem referunt; alii ad 18 Aug. Charisteria Athenienſium].

17 *L.* 24. [Romæ Tiberinalia. Portunalia ad pontem AEmilium. Jano ad theatrum Marcelli].

18 *S.* 25. *Fimt* 53. *Fjalar.* ☽ GEIRÖLUL. [Sabinarum raptus. Athenis solennis gallorum conflictus, spectaculo exhibitus. Indis *Jugadia* vel Qvatember. Primordium anni (sive mundi) secundæ ætatis].

19 *M.* 26. Hasce & duas seqventes noctes Norvegi vocant *Lumpenætter* vel *Jernnætter* (foedas vel ferreas) cum frigora segeti tum sæpe nocere credantur. Cfr. nomen pentadis *Frosti* (ad 23 Aug.). [Vinalia prima Romæ, Jovi dicata, libationibus solennia: incepere magna Eleusinia Mysteria; Initiati congregantur].

20 *T.* 27. [Vinalia secunda, leniendis tempestatibus instituta, qvibus agna Jovi mactata. Flamen Dialis vindemiam auspicabatur. (*Hadr. Jun.* & pl.). Eleusi processio initiatorum ad mare].

21 *Ó.* 28. GÖNDLIR. [*Epiphanius*]. *Haust*, autumnus, antiqvissimo Danorum Calendario runico. Fasti Norvegorum figurati lupulum conto adplicatum repræsentant. [Romæ Veneri dedicata ædes et horti Deæ tutelæ assignabantur. Olitorum dies feriatus. Vinalia rustica Varroni].

22 *Þ.* 29. *Vika* 39. [*Symphorianus*]. Qvibusdam Borealibus primordium autumni. [Romanis Dianæ sacrum, ob venationes. Eleusi sacrificium generale].

23 *F.* 30. *Fimt* 54. *Frosti.* (Finiunt dies caniculares, Isl. *Hundadagar* &c). [Romæ qvondam Volcanalia in Circo. Eleusiniorum Lampadophoria. Græci alioqvin circa idem tempus Hephæstia celebraverunt, at Persæ antiqvitus festum Genii Shahriver, qvi igni, metallis & metallifodinis præesse creditur].

MÁL (trimestre) IV.

HAUST (Autumnus).

MÁNADR X. (SVIDUR).

Vet. Island. & Scand. *Tvímánudr* (bimensis) vel *Kornskurdarmánudr* (mensis messis frumentariæ). September recentioribus

Augusti

Addrattdmánudr (m. necessitatum apportandarum) Dan. *Fiskemaaned* (m. piscium vel piscaturæ), Svecice *Höstmånad*, (Celsio) *Skördemånad* (m. messorius), Anglo-Sax. *Harfæstmonaƀ* it. *Halegmonaƀ* (m. sacer sive festivus), vet. Germ. *Wintumanoth*, *Herivvistmanoth*, it. *Füllmand* (*Füllmonath*) m. abundantiæ, recent. *Herbstmonath*, Alemann. *Schafmonet*, Holsat. *Finckenmonat*, it. mensis cervorum, Belg. *Herfstmaand*, *Speltmaand*, *Gerstmaand*, *Pietmaand*, Lapp. *Porkè* (m. pilorum recrescentium o: rangiferorum), Slavon. *Rüjen* (m. rugiens v. rugitus).

TUTELA Deus *Forseti*, ejus domicilium *Glitnir*.

SIGNUM VIRGINIS.

Vet. Dan. ☉ *i Möynni* (recent. *Jomfruen*) Isl. (*i Möynni* o: *Meynni, Meyunni*) *i Meyar-merki*.

24 *L.* 1. [*Bartholomœus*]. *Haust.* Autumni initium rusticis Danicis, medii ævi Germanis *(der Herbest)* & pl. Gentilibus Islandis tempus nuptiis freqventibus insigne (in Freyæ, amorum Deæ ac Forseti, pactionum et concordiæ Dei, mensium felice confinio ac Solis porro in virginis cæleste signum introitu). Hæc feria dicitur Danis *Bertel Brydestraa* (B. culmos vel stramina frangens) at Norvegis *Barsok* vel *Baro Bukkekniv*, cultro iis notatus, cum capri tum sint mactandi, olim forte in celebrationem primi autumnalis sacrificii (*Haustblót* dicti) at alii illum cultrum indicare perhibent excorationem dicti apostoli. Est alioqvin Danis & Germanis circa autumni tempestatem præ cæteris prognosticus. Vetant Teutones superstitiosi puellis herbarum in pecoris usum agrestem collectionem. In meridionali Islandiâ coloni jam (agno mactato) operariis exhibent comessationis convivium, dictum *Slægjur* vel *Slægnalamb*, cum præcipua foenisecii pars jam pro finitâ habeatur. Norvegis idem festum dicitur *Slaatöl*, Svecis *Slåteröl* (foenisecii peracti compotatio) choreis integra seqvente nocte celebratum. Porro hoc tempore in Islandia qvondam agebantur comitia provincialia dicta *Leid*, *Leidarþing* (Anglosax. *Leiƀ*, *Læƀ* qvæ institutio Anglis adhuc ex aliqva parte superest sub nomine *Leet* vel *Leet-Court*, *Leetday*) cum (inter alia) pontifex seqventis anni fastos promulgare debuit.

Augusti

In Germania (& alibi) mesſis conclusio lætis conviviis & saltationibus celebratur, qvæ suis locis manifesta pagani cultus vestigia produnt e. gr. illud Westphalicum (in Vodeni vel Odini honorem, ut videtur, peractum) qvod in Lexico mythologico ad art. *Ódinn (Sigdir)* prolixe descripsimus. Cfr. 29 Sept. [Olim Romæ solennis Pontificum coena. Pompa Iacchi in mysteriis Eleusiniis. Persæ circa idem tempus celebraverunt autumnale festum, *Chezan* dictum at alioqvin a Magis denominatum].

25 *S.* 2. [Opiconsivæ — vel Opi Consiviæ — in Capitolio. Ambarvale sacrum. Solennis Eleusiniorum (initiatorum) reversio].

26 *M.* 3. [Romanarum matronarum processio cum pompâ sacrorum, ad ædem Veneris extra portam Collinam phallum deferentium, nonnullis Phallagogia dicta. Athenis Epidauria, sive commemoratio AEsculapii initiationis].

27 *T.* 4. [Romæ Volturnalia & Vortumnalia. Eleusiniorum mysteriorum Plemochoe, sive mystica aqvæ effusio].

28 *Ó.* 5. HARBARDR. *Fimt* 55. *Finnur.* [Romæ sacra Solis & Lunæ. Ludi gymnastici Eleusi celebrati. Conclusio mysteriorum majorum. Persas circa idem tempus magnæ eorum Deæ, qvæ a Græcis etiam Athene vocabatur, mysteria celebrasse, cl. v. *Hammer* e Plutarcho notavit].

29 *Þ.* 6. *Vika* 40. Norvegis *Værgesmesse, Værgemesse, Vorjusmess*, Islandis *Höfuddagr* (dies capitis), propter Johannis Baptistæ decollationem humano capite, pateræ imposito, vel simpliciter gladio in fastis notatus. Superstitio Germanica sibi persvasit cunctas frondes post hunc diem notari maculis, propter Johannis (at olim certe alicujus ethnici genii vel herois) effusi sangvinis aspersionem. (Cfr. 23 & 24 Junii). Cavent porro eadem feriâ ferro arbores lædere, ne cito exareant.

30 *F.* 7. [Mundus Cereris patet. Cal. Rom.].

31 *L.* 8. [Cereri gratiarum actio, Romæ celebrata].

Septembr.

1 *S.* 9. Danis qvondam *Iliansmesſa*, Norvegis *ÆEdismesſe*, (feria AEgidii) *Örjansmesſe* it. *Qvœrneknurren* (stridor molarum) cum jam ab aëris siccitate molendinis aqvæ futurus defectus præsagiatur. *Mola* igi-

Septembr.

tur illis diei signum, at Danorum fastis *forfices;* tum enim oves tondendæ. Germani jam de autumni tempestate & vindemiæ successu vaticinantur. Dicitur iis *Gillis- Gilgen- Gyligen- Jalgent- Ilgen- Ylgen- Ylien- Ilse- Dilien-* vel *Dylgen-Tag* p. p. [Apud Elæos in Bacchi festo tres lebetes suapte sponte in templo implebantur. *Hadr. Jun.*].

2 *M.* 10. *Fimt* 56. *Ginnar.* [Amathusii in Cypro sacrum faciebant Ariadnæ ex instituto Thesei. *Hadr. Jun.*].

3 *T.* 11.

4 *Ó.* 12. SVIDUR.

5 *þ.* 13. *Vika* 41.

6 *F.* 14. [Romæ sacra Erebo, ariete & ove nigra].

7 *L.* 15. *Fimt* 57. *Heri.* Aves ad mitiora climata volantes in Norvegorum runicis baculis notantur.

8 *S.* 16. [Nativitas Mariæ]. Danis qvondam *Mariumesſa yfri,* Norvegis & Svecis *Mormesſa,* Matris festum (ut Maria, ex observatione doctissimi nostri Lyngbye Jutis audit *Mar-Mor* o: Maria mater), Norv. *Sire* (posterior) *vor Frue* &c. — dies autumni reliqvam tempestatem ominans. Videtur (præter solitam coronam) huc pertinere fastorum Svecicorum *corbis* viridibus (vel proprie frugibus?) repletus. Norvegici *incunabula* vel *forfices* exhibent. Dicitur Germanis *Mostmesſe* (musti feria) *der kleine Frauentag, unser Fr. t. der hindern* it. *im Habersnit* (in mesſe avenacea) p. p. Itzehoæ Holsatorum olim cum seqvente die festus fuit; ferunt enim hoc oppidum eodem aliqvando, ope b. Virginis ("cujus imago supra castrum visa") per mirabilem amnis Stoeræ inundationem a periculosa hostium obsidione liberatum esse. A solenni civium processione, tum ex voto institutâ, iis dicebatur *der Bürgertag.* [Alioqvin hoc mense gentiles Romani celebrarunt Meditrinalia & Meditrinam Deam, qvo die primum mustum bibebant].

9 *M.* 17.

10 *T.* 18.

11 *Ó.* 19. SVIDRIR.

12 *þ.* 20. *Vika* 42. *Fimt* 58. *Högstari.*

Septembr.

13 *F.* 21. [Capitolii dedicatio Jovi facta. Prætor maximus clavum pangit, annorum indicem. Indis Natalis Dei Crischnæ, filii Mahamajæ].

14 *L.* 22. [Isl. *Krosfmessa á haust*, Norv. *Krosmess om Hösten*, crucis (elevationis) feria autumnalis, tali signo notata. Hic dies e legum tenore ruralis oeconomiæ respectu memorabilis habetur. Cfr. 3 Maji. Cal. Svec. cruci elevatæ *tripodem* adponunt].

15 *S.* 23. *Pica* in Norvegorum fastis huic diei adponitur, cum tales & aliæ minores aves congregentur ad perticas erectas, qveis rustici avenacearum spicarum fasces in earum nutrimentum imposuerant. *Olla* porro inferius spectatur. Hæc verisimiliter qvondam proprie pertinuerunt ad hesternum festum. [Romæ Juventæ & Summani feria].

16 *M.* 24. Ovem Svecici fasti huic vel seqventi diei adponunt.

17 *T.* 25. *Fimt* 59. *Hljódólfr.* ☽ RANDGRÍD. (Feria Lamberti, medio ævo pro æqvinoctiali habita. — Tum qvondam in Islandia agitari ceperunt conventus forenses dicti autumnales *(Haustþing*; cfr. recentiorum Norvegorum *Höstting)* ad verum usqve æqvinoctium continuati. Danica cal. *cervum* huic diei adnotant, (originitus forte Eikthyrnerem vel alium mythicum); dixerunt autem rustici cervum hoc die per membrum genitale sevum qvoddam emittere, qvod in torrentibus qvandoqve colligi asfoleret.

18 *Ó.* 26. YGGUR. [Isl. *Ymbridagr*, recent. Norveg. *Immerdag*, Angl. *Emberweek*, Germ. *Wigfasten* &c. i. e. Qvatember].

19 *Þ.* 27. *Vika* 43. [Festum Dei *Thoth* apud veteres AEgyptios, tum ficubus vescentes. *Hadr. Jun.*].

20 *F.* 28. *Caper* in Norvegorum runicis baculis repræsentatur. [Romuli natalis].

21 *L.* 29. [Feria Matthæi, *angelo* (ejus solito emblemate) in Danicis & Svecicis calendariis signata. Cfr. tamen sacrificia gentilia, *Alfis* olim circa hæc tempora oblata]. Norvegica *securem* præferunt, dicentes frondes in hibernum usum jam faustissime colligendas esse. Perhibent porro ursum lustro suo hyemali gramina ac lichenes eodem respectu adportare, ob qvam etiam causam sol eo die sudo cælo splendere soleat. [Canis immolabatur Marti apud Lacedæmonios. *Hadr. Jun.*].

Septembr.

22 *S.* 30. *Fimt* 60. *Móin.* [Dies Mauritii & legionis Thebanæ, scuto militari in Danorum fastis notatus. Germanis qvondam dicebatur *Hermesse, Heermesse,* feria copiarum].

MÁNADUR XI. (SVIDRIR).

Islandis *Haustmánudr* (mensis autumnalis) vel *Gardlagsmánudr* (m. sepium struendarum), October recentioribus *Slátrunar-M.* (m. mactatus vel lanienæ) vet. Dan. *Ridmaned* (m. eqvitationis vel pecorum salientium) *Sademaned* recent. *Sædemaaned* (m. seminationis) Svec. *Blot-* vel *Blodmånad, Slagt-M.* (m. sacrificiorum vel laniationis), Anglo-Sax. *Seteoðra-M., Vinterfyllet, Vinterfullet,* (nonnullis *Haligmonaðˇ*), Holsat. *Ossen-M.* (m. taurorum), Vet. Germ. *Uuin-M.* (m. vini), *Rebmanoth* m. uvarum, *Herselmonath, Aersel-M.,* recent. *Weinmonat,* Belg. *Wynmaand, Breckmaend, Arsmaent,* Lapp. *Rakat* (m. rangiferorum coeuntium), Slavon. *Listopad* (m. frondium caducarum).

TUTELA: Deus *Njördur* (sive Njordus); ejus domicilium *Nóatún.*

SIGNUM LIBRAE.

Vet. Dan. ☉ *i Vettini* (recent. *Vægten*); vet. Isl. *Skála-merki* (recent. *Vigtar-merki*).

23 *M.* 1. DÚRIN. Gentilismo durante jam verisimiliter celebratum fuit magnum ac æqvinoctiale autumni sacrificium (*Haustblót*) Alfis vel Disis forte a nonnullis dicatum (*Álfablót* vel *Dísablót*) revera in messis completæ solennem memoriam maximâ populi lætitiâ celebratum. Christianismo introducto relatum esse videtur ad festum divi Michaëlis Archangeli, tum culto loco Njordi, magni gentilium Dei, qvi templis & delubris jam præesse ferebatur, sole iterum ad ejus inferiores (aëris & æqvoris) regiones tendente. A priscis ethnicismi sacrificiis hic mensis certe Anglosaxonibus dictus fuit *Haligmonad* (mensis sacer vel sacrorum) & Svecis *Blod-* (vel *Blot-*) *månad* (m. sangvineus aut sacrificialis). Videas alioqvin 29 Sept. Cfr. s. 24 Aug. [Romæ cursus eqvorum in sempiternum instituti

Septembr.

Dionys. Halicarn apud *Hadr Jun.* Coluerunt antiqvi Persæ Genium Mihr (sive Mithram) qvi bilance, qvam manu gestat (ex Hydei relatione) — libræ zodiacali signo imperans — hominum actiones perpendere dicitur].

24 *T.* 2.

25 *Ó.* 3. ÓDIN sive þUNDUR. Huic diei adscribit chronicon vetus a Leibnitio editum (Script. Brunsvic. II, 16) maximam Saxonum in Thuringos victoriam ac lætissimum eorum festum, "dictum *Communio*" (ɔ: sacrificialis. e gentilium more symbola; cfr. 29 Sept. 1 & 6 Oct. [Romæ celebrabantur sacra Saturni & Maniæ; antiqvissimis temporibus humanâ victima].

26 *Þ.* 4. *Vika* 44.

27 *F.* 5. *Fimt* 61. *Nýi.* [Celebraverunt Romani Venerem Genitricem et Fortunam Reducem. Indis festum Ganesæ (cum Jano non absurde comparati). Crischna puer, contra iniqvas persecutiones in luna refugium qvæsiisse fingitur].

28 *L.* 6.

29 *S.* 7. Cal. Dan. run. *Mikkialsmess*, Islandis & Færoensibus *Mikjalsmęssa*, *Mikilsmęssa* (ɔ: magni — angeli — feria), Norveg. *Mikkiolsmess*. Festum Michaelis Archangeli *tubá* vel *librá* (alioqvin æqvinoctii signo) in calendariis notatum; *angeli caput* in aliis exhibetur. Inter tria festa, illi a christianis occidentalis ecclesiæ dicata, unum celebrari soluit die 8 Maji, (veterum Lemuriorum loco) secundum 15 Martii (cum prius Anna Perenna festive culta) at hæcce ambo posterius obsoluerunt; tertium illud a Concilio Moguntino anno 813, Europæ occidentalis & borealis christianis ut solennis feria indicebatur, verisimiliter in eum finem, ut gentilibus ac æqvinoctialibus autumni festis, antea eodem tempore observatis, (religione nuper mutatâ) revera succedere posset. Qvo modo Michael archangelus, malos dæmones validissime debellans, loco Thori, ob similia facinora culti, a primis Scandinaviæ & Islandiæ christianis fuerit adoratus, exponere conati sumus in Lex. mythol. ad artic. *Þór*, ubi etiam plura adtulimus de pagano autumni festo in christianum inter Danos, Norvegos, Anglosaxones, Germanos, Scotos & plures probabiliter mutato. Sic insuper primi Daniæ chri-

Semtembr.

stiani, in autumnali convivio, ebibebant Michaelis memoriale poculum (ut olim Thori vel Odini) cum (anno 994) vota ei addixerunt de Angliâ debellanda. Addimus Svecos plebejos ad nostros usqve dies Michaelis vigiliâ, (alioqvin Danis per privata vel domestica convivia solenni) pyras festivas accendere solitos esse; at feriam ipsam adnumerare qvatuor iis (circa trimestrium primordia incidentibus) qvos *Trettingsdage* appellant; reliqvos efficiunt festum jolense, mediæ æstatis & annunciationis Mariæ (qvæ olim qvoqve inter maxima gentilia habita fuisse, suis locis monstravimus). Hoc anni tempore Saxones pagani magnum triduanum festum agitarunt (vid. 25 Sept. & 1 Octobr.). Autumnalis illius ethnicorum festi reliqviæ ad præsens ævum servatæ sunt in superstitiosorum Danorum & Germanorum de hujus diei auspiciis. Sic e. gr. rustici glandem sylvestrem aperiunt, ex ejus qvalitate vel contentis (araneâ, muscâ, verme p. p.) præsagientes, non solummodo anni futuri tempestatem et annonam, sed etiam famem, pestem, bella &c. Alii diei ejusdem singulis ac statis duodecim horis observant aëris temperiem, aspectum, pluvias & reliqva phænomena, inde vaticinantes de qvocunqve mense seqventis anni, ita ut hora septima antemeridiana designet Januarium, octava Februarium &c, ad modum jolensis per tot dies observati præsagii, qvod Islandis vulgo audit *Jólaskrá*, Danis *Julemærker* &c, (Romanis etiam brumæ tempore exerciti); cfr. 22 & 25 Decbr. Hoc die interdum, ex Hebraici calendarii tenore, festo tubarum incipit Judæorum novus annus, promulgatus cornuum vel tubæ (Michaelis adtributi) clangore (qvo diabolum ac malos dæmones fugari opinantur) lætis conviviis at simul mortis ac divini judicii symbolica recordatione celebratus. Dani & Norvegi, e Wormii relatione (Fast. pag. 31), ex viâ lactea, circa festum Michaelis diligenter perlustrata, ediderunt prognostica haud contemnenda, de totius anni tempestate; nebulas enim in eâ conspectas nivis copiam (majorem aut minorem) portendere asserebant; galaxiæ borealis regio indicavit autumnum, libanothum spectans ver; brachium australe marinas at septentrionale terrestres ostentabat aëris mutationes. Islandi de futuræ hyemis tempestate præsagia simili modo adhuc capere solent. Ger-

Septembr.

mani christiani hoc festum appellarunt *die Engelweyhe, S. Michael des heiligen Fürstengels, St. Michelstag zu dem Licht* (cum lucis nocturnus usus jam iterum propter dierum abbreviationem incipere soleat). Conjecere alii hanc feriam olim inchoasse paganorum Teutonum festum, et ab iis dictum fuisse *Mihildag* (*Mikildag, Michildag*) i. e. dies magnus it. *Mihil* vel *Mikilgericht*, unde etiam Anglosaxonum *Micelmot* (*Micklemot* i. e. magna comitia, tum agitata, inter Germanos per integras novem dies durantia &c) qvæ jam nobis in medio linqvenda. Cfr. 25 Sept. 1 & 6 Octbr. Magnum Bornholmensium (Daniæ insulanorum) convivium, hoc die a Gilda qvadam sive certo sodalitio adhuc celebratum, alibi memoravimus. Insulani Færoenses agnum pingvissimum (dictum *Dilkur*) in totius familiæ comessationem mactare solent &c. Sic qvoqve coloni Danici jam freqventer solenne convivium, pro messis laboribus completis, operariis parare solent, vulgo dictum *Höstgilde* (Svecis *Skuröl* &c). Consumunt Angli assatum anserem, huic feriæ proprium &c. Cfr. 10 Novbr. [Romæ ludi fatales. Magnum Persarum autumnale festum *Mihrgan*, sive *Mithriaca*, non absurde cum illo priscorum Borealium et Michaelis ipso posset comparari. Tum faber ferrarius Kave tyrannum dæmonicum Zohacum validissime debellasse fertur. Alioqvin Mithræ sacra in antiqva Germania passim floruisse, multifaria monumenta probant. Incipit Indis solenne victricis Deæ Durgæ festum, per qvatuor proxime antecedentes dies præparatum].

30 *M.* 8. [Romæ Epulum Minervæ. Indis secunda Durgæ feria, cum Deæ idolum deduci solet ad scenam (sive umbraculum) *novem virgultorum specierum* foliis decoram. Cfr. 23 Junii, cui porro adnotandum novenarium numerum a Scotis montanis ritibus festi Bealteine — 1mo Maji — solenniter adhibitum esse].

Octobr.

1 *T.* 9. Hoc die, secundum relationem Wittekindi Corbejensis (auctoris sec. 10mi apud Meibom. I, 683) incepit magnum festum gentilium Saxonum, per triduum celebratum, in memoriam maximæ eorum de Thuringis victoriæ ac cæsorum qvoqve exeqviarum, qvi tamen dies, christianismo introducto, "religiosorum sanctione virorum, mutati sunt in jejunia & orationes, oblationes qvoqve omnium nos

Octbr.

præcedentium christianorum." At reperimus *triduana festa,* (hoc ipso die, ni fallor, interdum vel certis locis qvovis anno incipientia, ethnicis certe sacrificiis vel ceremoniis celebrata) ad recentissimum qvoqve ævum inter nonnullos christianos Saxones exstitisse; vid. Lex. myth. art. *Þór* (in notis). Hujus festi (qvod hodie *Kirms* sive encaenia vocatur) primâ feria, solenni processione ad tubarum sonitum agitatâ congregantur e. gr. coloni pagi *Wolfbaringen,* Gildam (*Gilte*) sive conviviale sodalitium efficientes, ad tumulum & aream in medio vici sitam, ingentibus lapidibus & tiliis septam. Hic locus vocatur *der Mahl* (ɔ: Francorum *Mallus*). In ipsius medietate, sub maximâ arbore, grande saxum, qvatuor minoribus impositum (ɔ: *Malberg* gentilis olimo ara) mensæ loco excipit cerevisiæ amphoras et cantharos, unde potus freqventibus et certis formulis consecratis poculis imbuitur. Post juvenum ac puellarum lætas choreas, circa magnam illam arborem & aram ductas p. p. symbolæ festiva cibaria & potiones a sodalibus atqve earum amasiis & hospitibus consumuntur, at deniqve saltationes jucundam vesperam concludunt. Cfr. 25 Sept. 2, 3 & 6 Oct. [Indis tertia magni Durgæ festi feria].

2 *Ó.* 10. VAKUR. *Fimt* 62. *Nidi.* Secunda dies magni gentilium Saxonum festi et recentiorum Wolfbaringensum encaeniæ, solenni jentaculo & hilari saltatione celebrata.

3 *Þ.* 11. *Vika* 45. Tertia & ultima dies dicti festi apud Saxones paganos et alius eorum dictorum posterorum. Hi (Wolfbaringæ), licet simplices coloni, hac feria eqvitum antiqvitatis pompam imitari tentant; pileos et tunicas inauratis fasciis exornant et gladiis cincti eqvestrem instituunt processionem, vexilli serici specie solenniter anteactâ. Abagunt ita a campestri grege singulum vervicem, qvi musicâ tonante rubris vittis adornatur et deinde ad publicum illum altare, ab ovante juvenum turba exceptus, in eo ipso a lanione mactatur ac eadem vespera cum aliis ferculis consumitur a toto sodalitio, qvod alioqvin variis ludis delectatur, ut singulæ personæ nuces vel poma conqvirant vel perdant. Illa communi coena festum triduanum concluditur. [Persæ qvoqve hoc mense magnum anti-

Octobr.

qvæ (in Turanienses) victoriæ festum celebrare soluerunt. Indis qvinta Durgæ feria, cruentis victimis celebrata].

4 *F.* 12. [Dies S. Francisci]. Tum e pomis & pyris Dani sec. 16^ti^ mustum exprimere assolebant. Svecica calendaria *piscem* & *librum reclusum* huic feriæ addicere videntur, at qvædam Norvegica mensis ipsius initio. [Mundus Cereris patet. Lemuralia, dies infelix habitus. Hoc mense certa feriâ Magi Persici heroum defunctorum Manibus sacrificare (vel cibaria offerre) præceperunt. Cfr. 25 Sept. 1 & 6 Oct. Indi, ultimo Durgæ festi die, ejus imaginem fluvio Gangeti immittunt; similes ritus veteres AEgyptios & Romanos circa Nilum & Tiberim exercuisse v. Hammer observavit. Inter nostrates, Njoerdo, ut *Deo aqvarum* ac præsentis mensis, eo durante specialia sacrificia oblata fuisse, dubio carere censemus].

5 *L.* 13.

6 *S.* 14. [Feria Fidei — Germanis medii ævi *Fidentag*, *Fiduntag*. Incipit interdum Saxonibus & pluribus Germanis septimana *communis* vel *vulgaris* dicta (*die heilige Gemein-Woche*, *Meinwoche*, *Meinwecke*) secundum vetustas relationes ita vocata a *feriis communibus*, qvæ festo paganorum Saxonum, qvod *Communio* fuerat appellatum, inter christianos successere. Cfr. 25 & 29 Sept., 1 Oct. [Romæ sacra Diis Manibus],

7 *M.* 15. *Fimt* 63. *Nordri.* Ex hujus calendarii tenore *midt haust* autumni (ut 6 Martii *midt vor*, veris) medietas. Norvegis *Britemisse*, *Birgitsmess* (feria Brigidæ) dicunt autem eo die ursum lustrum fodiendo parare & hyemali suæ qvieti adaptare. Hinc *frutex* vulgo iis diei signum; alii et insuper Dani ac Sveci *pectinem fullonium* præferunt, qvo lanas purgandas & carminandas monent. Audit porro Norvegis *Kaaldagen* (dies olerum) cum brassica et similes hortenses plantæ ex hortis in tectas domus sint transportandæ.

8 *T.* 16. [Celebrarunt Aegyptii hoc die *festum solarium baculorum*, in Solis jam defessi, senescentis vel claudicantis (ut videtur) imaginarium usum].

9 *Ó.* 17. SKILFINGR [Dionysius]. In Danorum figuratis calendariis *pisce* notatur, cum hoc tempore olim in Dania halecum captura felicissime instituèretur; — mensi huic inter gentiles præfuit Njoerdus,

Octobr.

nautarum & piscatorum patronus. Cfr. 16 Oct. *Templum* Norvegica & Svecica præferunt. [Athenis Oschophoria in Bacchi sive Dionysii honorem. Indis sacra vigilia sive pervigilium. Coluntur Durga & Lakshmi, contra malos dæmones bella parantes, cum Diis Cuvera & Indra].

10 *P.* 18. *Vika* 46.

11 *F.* 19. (Burchardus). Germanis nonnullis novi musti feria sive feriata compotatio. Cfr. 11 Nov.

12 *L.* 20. *Fimt* 64. *Sudri.*

13 *S.* 21. [Romæ Fontinalia Jovi Liberatori. Athenis Stenia, Thesmophoriorum præparatio].

14 *M.* 22. [Calixtus] Cal. run. Dan. *Vintrnat*, Norvegis *Vætnætt* sive *Vinternat* (nox hyemalis et talis semestris primordium), *manicâ* sive chirotheca in eorum fastis figuratis notata, de cujus emblematis (Danis certo modo non ignoti) variis rationibus videas Lex. mythi. art. *Ullr*, *Þór*. Sveci & nonnulli Norvegi *arborem frondibus destitutam* præferunt. Cfr. 1 Maji &c. Hi qvondam multas superstitiosas regulas hac feriâ observaverunt: nemini a prædio absentem esse licuit; nec graviora opera agenda nec ulla rotatio sive gyratio toleranda putabatur; lac præteritæ æstatis hyemali minime admisceri sinebatur p. p. Tempestas hujus diei similem futuræ hyemis ominari creditur. Illam superstitionem de rotatione prohibenda Norvegi cunctis paganæ originis feriis adplicarunt, at ista qvoqve a Svecis, Danis & Germanis interdum observatur e. gr. Jolensi tempore. Ferunt illi Lares (Alfos sive genios domesticos vel villaticos) ista operatione facile irasci, qvod olim forte de pluribus numinibus credebatur. [Circa hoc tempus interdum incidit Judæorum *nox longa* sive feria lugubris piaculi, qvâ qvondam *caper* in eremum ejectus p.p. At paullo posterius incipit magnum *scenarum festum*, octo integris diebus summo gaudio agitatum; cum alio simili Arabum, hoc mense incidente, id a doctiss. *v. Hammer* est comparatum].

15 *T.* 23. [Festum Mercurii Romæ mercatores egerunt. Njoerdus inter nostrates fuit mercatorum patronus].

Octobr.

16 *Ó.* 24. VAFUDUR [S. Gallus]. *In Danorum calendariis securi notatur,* cum pecorum mactatui tum sit vacandum. Addit Wormius: "jam retia suspenduntur," at plebejos sui temporis dixisse refert: dæmon marinus pisces (vel piscaturam) abstulit (*Nökken har taget Fisken*); huc rite observandum qvod Njoerdus maris Deus præsenti mensi e gentilium opinione præfuerit. Cfr. 9 Oct. Hic dies alioqvin pro prognostico habetur. [Romæ eqvus Marti fuit immolatus. Athenis prima Thesmophoriorum feria].

17 *Þ.* 25. *Vika* 47. *Fimt* 65. *Austri.* [Athenis secunda Thesmophoriorum dies, Cereri præcipue sacra].

18 *F.* 26. [Dies Lucæ, tauro, ejus symbolo, in Danorum & Svecorum fastis indicatus. Romæ ludi Jovi Liberatori. Athenis mulierum jejunium; adoratio Cereris, Proserpinæ & Plutonis].

19 *L.* 27. [Romæ Ludi Solis. Armilustrium. Athenis Zemia, fæminarum expiatorium sacrificium. Circa idem anni tempus incidunt Persarum & Indorum Armilustria vel armorum faustissima paratio aut reparatio].

20 *S.* 28. [Athenis Diogma; finis Thesmophoriorum].

21 *M.* 29. Est Norvegis diei signum *tabula* qvatuor mulieres referens, ast aliis & Svecis *sagitta* cum *lanceâ* vel *vexillo* convoluto. Vet. Cal. Dan. *Allivo Þusand möja,* feria Ursulæ sivé undecim millium virginum et porro — ut Norvegi addunt — decem millium eqvitum. Norvegi diem lunæ, hyemis primordium proxime seqventem celebrabant iisdem ritibus ac illis, qvi 14 Octobr. sunt annotati. Germanis medii ævi: *Eilf tausend Maydetag* &c. Observamus Disas sive Deas & Nymphas (innumeras) a gentilibus Borealibus circa hæc tempora cultas fuisse, qvod etiam de Alfis dicendum.

22 *T.* 30. *Fimt* 66. *Vestri.* [Feriæ Athenis].

MÁNADUR XII. (VIDRIR).

Vet. Scand. & Isl. *Gormánudr* (tempus lanienæ vel mactatus). November recentioribus Islandis *Ridtídarmánudr* (tempus pariendi truttarum p. p.); Dan. *Slagtemaaned,* (m. mactatus) *Pölse-M.,*

Octobr.

(m. farciminum), *Vinter-M.*, (m. hyemem incipiens vel adferens) Svec. *Vintermånad* id. Anglo-Sax. *Blotmonaƀ* (m. sacrificialis) Vet. Germ. *Windmanoth*, *Windu-M.*, (m. ventorum violentorum), *Herivist M.* vel *Herbist M.*, (m. autumnalis) Aleman. *der dritte Herbstmonat*, (tertius autumni m.) it. *Sau-M.* (m. suum) vet. Holsat. *Seue-M.* id. (it. m. anserum, piscium, hyemalis); Belg. *Slagtmaand*, *Smeremaent*; Lapp. Svec. *Gaalko* (m. rangiferorum balantium), Slavon. *Gruden* (m. nivis accumulatæ).

TUTELA Deus *Vidar*; ejus domicilium *Landvidi*.

SIGNUM SCORPII.

Vet. Dan. ☉ *i Madki* (ɔ: angve), Isl. *Spord-dreka-merki* (signo draconis caudati).

23 *Ó.* 1. HRÓPTATÝR. [Severinus]. Fasti Danici *stivam* exhibent, terra enim, cui secale mandandum, jam aratro est præparanda. Tum verisimiliter incepere Islandorum gentilium *Veturnætur* sive hyemales noctes, ut hi qvoqve tunc celebrasse videntur sacrificium solenne, iis dictum *Veturnáttablót* ac interdum etiam (ut videtur) *Freyblót* sive Freyeri sacrum; vid. Lex. myth. art. *Freyr*, *Ullr*. At in Norvegia sæpe vocabatur *Disablót* (ut in Dearum vel Nympharum honorem agitatum) vel etiam ibi & in Gothia Svecica *Álfablót* Alforum sacrificium &c. Cfr. 25 & 26 Oct. Christianismo accepto convivium ejus loco introductum dicebatur *Veturnáttabod* vel *Vinabod á hausti*. Norvegorum primæ christianæ leges (ut sine dubio suo modo antiqviores ethnicæ) colonis (ac separatim eorum uxoribus) stricte mandabant tales symbolas invicem instituere, non tamen serius qvam vigiliâ omnium sanctorum, cum cerevisia compotationi adhibenda rite consecrari deberet in Christi & Mariæ (ut olim Freyeri & Freyæ &c) honorem. Cfr. 24 Junii & 25 Decbr. p. p. (cum alia talia essent e dictarum legum præcepto celebranda). Scoti idem festum agitasse videntur 31 Oct. vel 1 Nov. q. v. Disarum processiones illius festi vesperâ vel nocte agitari ab Islandis creditas esse scimus. [Romæ sacra Libero Patri. Feriæ Athenis. Indorum lustrationes & libationes in honorem Jamæ, inferorum et Manium Dei].

Octobr.

24 *p.* 2. *Vika* 48. Anno majori intercalari (cuivis qvinto vel sexto) Islandi jam addunt integram septimanam, dictam *Lagningarvika*, *Aukavika* vel *Sumarauki* (æstatis augmentum). Cfr. 29 Febr., 24 Julii & 22 Nov. Aestate Islandorum peractâ liceat ejus initio (supra 25 Apr.) adnotare qvod tum in Islandia strenæ amicis & domesticis donari soleant. Jam porro suspicamur Anglorum *Hokeday*, in qvindena paschæ & seqvente die olim celebratum, cum dona templis offerebantur, similis originis esse. Hæc igitur ad 22 & 23 Apr. [Athenis prima dies Apaturiorum. Dorpæa sive communis coena, lautissime hac vespera vel nocte toti populo parata. Faces sacro igne accendebantur, qvibus instructi viri splendide ornati cursus vel processiones instituebant, hymnos cantantes Vulcano, qvi ignis usum homines docuerit. Indis feria Deæ Laksmhi et Dei Cuveræ (Vulcano non absimilis) diurno jejunio sed nocturno convivio celebrata. AEdes et arbores tum illuminantur, torres & faces consecrantur, ut posterius accendant funebres rogos cognatorum qvi in bello vel extra patriam perierant, aut lucem iis præbeant per inferorum ad Jamæ regiam obscuras vias. Celebrant Indi Kesavæ (vel Vishnui Crischnæ aut Buddhæ) magnam in gigantes sive malos dæmones victoriam, cum Diis securis qvietem capere et somnum petere liceret. Offerunt porro *Deæ nigræ* (ut Bhavani jam vocatur) florum sacrificia. Sic Athenienses illo suo festo, in antiqvissimæ alicujus victoriæ memoriam, collaudarunt Jovem & Bacchum *nigrum* (vel nigro amictu indutum) ut illius promotores].

25 *F.* 3. Islandis hodiernis (sed minus recte) hyemis initium. Vide diem proxime seqventem. Circa hoc tempus rustici Islandici, pecora mactantes, splenem evulsum adcurate inspicere solent, ex ejus aspectu et qvalitate futuræ hyemis et anni tempestatem præsagientes. Hæc pro gentilium extispiciorum manifestis reliqviis sunt habenda. Cfr. 10 Nov. [Secunda Apaturiorum dies. Anarrysis sive sacrificium Jovis & Minervæ. Colunt Indi Deam Parvati, horam fallentes lusoriis exercitiis, qvibus illa (maritum Mahadevam iis superans) excelluisse dicitur. Nox seqvens Belo dicatur, illuminationibus et sacris florum oblationibus festiva].

Octobr.

26 *L.* 4. Islandis ex eorum calendarii justis regulis rite dicendus *Vetrardagr fyrsti* vel hyemis prima dies, ut hesterna iis jam audire solet. [Tertia Apaturiorum, dicta Curetis sive tonsio adolescentium; sacrificia Dianæ oblata. Apud Indos sacra Jamæ & ejus sorori Jamunæ (amni) qvæ eum hospitio excepit. Hinc fratres & sorores mutua convivia & donaria parant].

27 *S.* 5. *Fimt* 67. *Alþjófr.* [Romæ Ludi Victoriæ].

28 *M.* 6. [Simon & Judas]. Dicitur Norvegis *Fyribaa* ab Isl. *Fyribod* i. e. prænuntius [veræ hyemis vel hyemalis frigoris]. Navem sive cymbam Wormius Danica calendaria ei adponere refert, qvod emblema putavit indicare apostolorum illorum piscatoria negotia. Norvegica *traham* exhibere videntur, Svecica crucem, lanceam & flagellum præferunt. Norvegi juvenibus rusticis, rem oeconomicam primum fundantibus, utilia donaria jam indulgere solent. [Isia vel Isiaca Romæ usqve ad Cal. Nov. inclusive].

29 *T.* 7.

30 *Ó.* 8. GAUTUR. [Romanis Vertumni feriæ. Ludi votivi].

31 *Þ.* 9. *Vika* 49. Scotis dicitur *Halloween* (ɔ: *Halloweve* i. e. vigilia sacra vel Sanctorum) iis præ cæteris solennis. *To haud Halloween* iis audiit: varios ei addictos superstitiosos ritus observare. Jam nonnullis locis juvenes rogos accendunt, qvi autem antiqvitus seqventi diei potius convenisse videntur; dicuntur dictæ pyræ *Halloween Bleeze* (qvæ posterior vox Islandis *Blossi*, Danis *Blus*, *Bluss* &c). Hoc die pueri in nonnullis Germaniæ locis Hyemis adventum in plateis certo ritu proclamare solent (at 28 vel 29 Februarii AEstatis vel rectius veris) adpropinqvationem. Dicunt Scoti Elvas (Alfos) sive Feries (Fairies) hac vespera magnam instituere processionem, homines tunc sæpe sustollentes & suæ catervæ adsociantes. Conferri merent Disarum gentilium eqvestres processiones, qvondam prima hiemalis festi vesperâ in Islandiâ visæ ac infortunia interdum causantes.

Novembr.

1 *F.* 10. *Fimt* 68. *Dvalin.* Jam festum omnium Sanctorum, vet. Cal. Dan. *Helgunamessa*, Norveg. *Helgomess* &c, variis gentilibus auspiciis ad recentissima usqve tempora a rusticis borealibus & Germanicis celebratum. Sic e. gr. in sylvam exeuntes pervetusto gentilium

Novembr.

nostratium more, assulam e fago arbore excidebant, ex ejus siccitate vel humiditate de hyemis seqventis frigore vel clementiâ vaticinantes. Si hoc die per sylvarum cacumina sol radios suos diffuderit, amplissimam porcorum futuram dicunt saginam. Hic dies Scotis montanis maxime solennis habetur, ut hyemale semestre incipiens. Tum flagravit pyra festiva dicta *Samh' in* o: ignis, pacis & qvietis, mortuorum qvóqve memoriæ dicatus, (cum simul furvæ hostiæ in *atri mensis* primordio Manibus sacrarentur). Huic oppositus fuit ignis festi *Bealteine* vel *Teine bil*, vitæ, fortunæ & saluti addictus, in festo primi Maji ac æstivi semestris initio. Feruntur veteres Druidæ colonis cujusvis parochiæ mandasse focos domesticos hoc sacro igne semper accendere (forte propter anni vel semestris primordium); idem mos verisimiliter exstitit circa vernum ignem, ut apud Boreales & Persas, qvod suis locis notavimus. Varia signa hunc diem in fastis Scandinavorum figuratis indicant, e. gr. *crux, templum, tabula novem crucibus notata, cymba inversa, navis sine velis* p. p. Norvegi eam ingentes inundationes edere sperant, qvæ iis dicuntur *Helgomessflommen.* [Athenis Chalcia sive Pandemia in Vulcani — et simul, ut nonnulli volunt, Minervæ — honorem; festum primum ab universo populo sed posterius ab artificibus & opificibus, præsertim fabris metallicis celebratum. Indi vaccarum, iis sanctarum, feriam religiose celebrant].

2 *L.* 11. Vet. Cal. Dan. *Sialudagr*, vulgo dies omnium animarum, circulo, in qvo variæ facies, conspicua. Tum Germani certam pinsant panis vel placentæ speciem, dictam *die Seelenwecke* vel *Zukker-Seele.* [Ter Novena, dies AEgyptiacus Cal. Rom. Annotavit celeberr. v. *Hammer* AEgyptios & Persas, circa hæc tempora, Manes variis modis coluisse. Cfr. 1 & 7 Nov. it. nomina hujus & præcedentis Borealium pentadum p. p. Indis Durgæ feria, certo jejunio, siccæ oryzæ victu excepto, rite celebranda. Iis porro *Yugadia* vel Qvatember, qvo tertia mundi (sive anni) ætas incipere dicitur].

3 *S.* 12. [Feria Huberti, venatorum patroni. Hilaria Romanorum paganorum].

4 *M.* 13. [Indis religiosum jejunium in Vishnui honorem, qvod etiam certæ aves observare dicuntur].

Novembr.

5 *T.* 14. [Romæ Neptuno gratiarum actio habebatur a nautis].

6 *O.* 15. JÁLKR. *Fimt* 69. *Nár.*

7 *Þ.* 16. *Vika* 50. [Mundus patet. Inferorum parentationes fiebant. Dies infaustus & religiosus Romanis. Cfr. nomen pentadis vel diei proxime præcedentis].

8 *F.* 17. [Hoc die Indorum Brachmanis dona necessarie sunt offerenda].

9 *L.* 18.

10. *S.* 19. [Vilhadus sive Villehadus]. Fasti Danici exhibent tribulam sive flagellum, qvo grana excutiuntur; horrea enim purganda statuunt ante Martinalia. Hæc vespera alioqvin Borealibus & Germanis maxime festa habetur, ut vigilia S. Martini. Observavit Sorterupius *anserem* assatum privatis conviviis inter Danos (ut Svecos et Germanos qvoqve) semper adhibitum fuisse, "olim Hyemi & Caligini sacrum, ut *cygnum* Soli & Luci." Ex osse seu cartilagine pectorali dicti anseris auguria futuræ hyemis sumunt rustici; ex parte enim hujus albicante frigoris intensionem, ex nigricante remissionem colligunt, qvæ certe haruspicia adhuc gentilium priscam monstrant consvetudinem. Cfr. 25 Oct. *Anserem argenteum* hoc festo sodalitio cuidam conviviali in Germania, anno 1171, donatum esse vetusta documenta probarunt.

11 *M.* 20. *Fimt* 70. *Náin.* Dies Martini apud Germanos pro festo novi musti qvondam habebatur, donis vinariis igitur celebratus; compotatio tum instituta dicebatur *Herbsttrunk* & posterius *Martinstrunk*, ut ipsa hæc Bacchanalia simili modo ex ethnicis in christiana mutata fuisse videntur. Rex Olaus Tryggvinus, Norvegos ad christianismum convertens, iis mandavit Thori aut Odini & aliorum Asarum loco, in compotationibus & symbolis publicis (*samdryckiur edr gildi*) Sancti Martini (ut Dei & aliorum Sanctorum) poculum solenniter ebibere. — Traditiones Germanicæ loqvuntur de certamine qvodam duorum ferorum aprorum, hoc die olim peracto, qvæ saltem mythicam originem (ac priscum qvidem Freyeri & Freyæ cultum) prodere videntur. Multi Norvegi, anseris loco, porcellum in diei festivitatem assant et comedunt. Hinc iste feriæ signum in multis eorum fastis figuratis, licet alii (Danorum & Svecorum more) auserem ita præferant. Hic dies Danis & Germanis qvoad seqven-

Novembr.

tis hyemis tempestatem pro maxime prognostico habetur. [Maria clauduntur, usqve in VI Id. (9) Martii. Cal. Rom. Ludi plebeji Romæ per hos dies. Circa hæc tempora incidit magnum Persarum festum Azeraghan, ignis Genio sacratum. Cfr. Lex. myth. artic. *Vidar*].

12 *T.* 21.

13 *Ó.* 22. OFNIR. Armilustrium Anglo-Saxonum (a. 1002). [Jovis epulumRomæ].

14 *Þ.* 23. *Vika* 51. Eqvi dentatam & glacialem qvidem soleam Norvegorum fasti figurati adnotant.

15 *F.* 24.

16 *L.* 25. *Fimt* 71. *Nipingr.*

17 *S.* 26. [Athenis Proërosia, festum Cereri dicatum, sementem antecedens].

18 *M.* 27.

19 *T.* 28. [Romæ Pontificum coena in honorem Matris Deum].

20 *Ó.* 29. SVAFNIR.

21 *Þ.* 30. *Vika* 52. *Fimt* 72. *Ddin.* Incepere tres continuæ feriæ medii ævi, in Islandia vocatæ *þríhelgar*, nimirum apparitionis vel oblationis S. Mariæ, Ceciliæ virginis & Clementis Papæ, sive veræ hyemis initium ex hujus calendarii tenore. Fuerunt forte igitur loco priscarum festivarum feriarum instituta. Svecos paganos hyemis initio annum qvoqve inchoasse, elucet ex *Yngl. S.* Cap. 8. (*Hkr.* I, 13) cum illo momento sacrificiale festum instituere deberent "pro felicis anni adventu." Monemus deniqve Danos antiqvos annum primis (tribus) hyemis noctibus incepisse, teste Jomsvikingorum historiâ (*Saga Ol. Tryggvas.* ed. Scalh. I, 149; cfr. celeberr. Erichsenii translationem *Arnesens Islandske Rettergang* p. 247). [Romæ Ludi Liberalici, in honorem Nympharum & Heroum instituti. Athenis Mæmacteria, feriæ Jovis, pro commoda hyemis seqventis tempestate expetenda].

22 [Hæc Feria (Romæ Plutoni & Proserpinæ sacrata) deest Islandico Calendario; an autem ethnicæ Scandinaviæ fastis prius fuerit adnumerata, jam minime liqvet. Cfr. supra (ad 24 Julii) Epactarum qvaternionem; olim forte pro 73^tia^ anni pentade habendam, it. diem 29 Februarii & 24 Octobr.].

In præcedente calendarii specimine elaborando temporis ab inevitabilibus circumstantiis concessi exiguitatem optatæ illius perfectioni obfuisse confiteor. Hocce enim opus adgredientem futura ejus arduitas et prolixitas me certe latuere. Spero tamen benevolos lectores auctorem veteri illâ sententiâ excusaturos esse:

Est qvoddam prodire tenus si non datur ultra.

Liceat denique pauculas huic tentamini finales observationes adjicere:

1) Cum in primis vetustissimam septentrionalis ethnicismi periodum, cuius aliqva nobis illuxit notitia, in horum fastorum fundamentali dispositione respexerimus, at illius primordia circa christianæ nostræ æræ initium sint qværenda, Juliani tum recentissimi calendarii a Gregoriano nostro divergentia aut nulla fuit aut perqvam exigua, qvâ etiam ratione nullum inter ea discrimen in hocce computistico specimine notavimus.

2) Qvoad extera subsidia, qvibus usi sumus, breviter seqventia indicamus:

a) Varia Romana calendaria, nimirum α) vetustiora: marmoreum Maffæianum; Vetus Kalendarium e codice Cæsareæ Viennensis bibliothecæ, a Petro Lambecio editum et explicatum; aliud in libris antiqvis fastis Ovidii præfixum (ex Heinsii editione); duo Ptolomæi Calendaria (Romanum et AEgyptiacum); Calendarium Constantini Magni; Bedæ Ephemeris duodecim mensium Romanorum p. p. β) Recentiora: Calendaria Romana Thomæ Demsteri, Petavii, Gassendi (qvod Julii Cæsaris vocat) et Hadriani Junii.

b) Meursii Græcia feriata; Potteri Archæologia Græca; Schema Calendarii Attici, pro anno primo Olympiadis 92^da^ ($\frac{412}{412}$ ante nativitatem Christi) auctore celeberr. J. J. Barthelemy.

c) Hyde de religione veterum Persarum, ed. 2; v. Hammer variæ de Persarum & pl. fastis & festis disqvisitiones in Annalibus literariis Viennensibus (Vol. 3, 10 & 38). p. p.

d) Wil. Jones Schema Calendarii Indici *(the lunar Year of the Hindus, Asiat. Researches* T. 2), collatum cum scriptis variorum auctorum de rebus Indicis, passim in præsente volumine citatis.

e) Ad fastos medii ævi Germanicos & pl. hæc præcipue scripta: Vetus Calendar. Alemannicum, a Schiltero editum; Haltausii Calendarium medii ævi; *Scheffer Jahr-Zeitbuch der Teutschen; Gräter Alttеutscher christlicher Almanach auf das Jahr* 1812. Rantzovii Diarium fere perpetuum (Ed. 4. 1596); Coleri Calendarium perpetuum (1623) p. p. *L'art de verifier les dates &c. (Paris* 1818) Vol. 2 (præter plura).

f) Qvæ de festis gentilium Slavorum, Finnorum & pl. ac ritibus vel superstitionibus ethnicis inter eos et præterea Scandinavos, Germanos, Scotos, Anglos, Gallos & pl. hic occurrunt, e permultis variorum fide dignorum auctorum scriptis (qvæ omnia, ni fallor, si mox seqventia excipias, in hoc volumine alibi memorantur) sunt excerpta.

g) Varia medii ævi lignea et membranea calendaria in museo septentrionalium antiqvitatum Hafniensi servata. Scriptores præcipuos, qvi alioqvin Anglosaxonum & reliqvorum Borealium tam paganum qvam recentiorem computum tractavere, supra nominavi; accedunt tamen (præter multos veteris Islandiæ historicos) seqventes, qvi seriore ævo Danorum, Norvegorum & Svecorum perpetua calendaria adornarunt & explicarunt: *N. M. Aalborg Husholdnings-Calender* (1639), *Jens Lauritzsön, Diarium sive Calendarium perp.* (1648), *Christen Jensön, Primstav* eller *norske Bondes Sejerværk* MScr. *Chr. Hammer om Primstaven og dens Forklaring (Norsk Hush. Cal.* 1772). *Wille om Primstaven (Sillejords Besk.* 1786). *Wolff Calendrier runiqve* &c. *(Paris* 1820). *Lilliegren Primstaf vel Tusende Års Calender* (1827).

3) Opiniones & ceremoniæ superstitiosæ variorum Europæ (præsertim septentrionalium) populorum, qvæ in hoc opere ut gentilismi plebejæ reliqviæ describuntur, ab auctoribus 16tl, 17mi, 18 & 19 sunt relatæ. Nonnullorum talium tam in Islandia, qvam Dania, Norvegia, Svecia et Scotia testis auritus vel oculatus evasi. Illas tamen in multis locis jam partim esse abolitas vel saltem paullatim evanescere, vix alioqvin dubitamus.

4) Qvo modo tam hebdomadum qvam pentadum gentilia nomina, ita considerandi, certæ suæ anni periodo respondeant adcurate explicare, spatii ac temporis angustia jam auctori prohibet. Multa tamen huc pertinentia ex ipso lexico lectori adtento colligere licebit, qvamvis auctori ipsi, dum id scripserit, talis Alforum significantia — primitivâ recentior — penitus ignota fuerit; idem porro, qvoad Odini hebdomadalia nomina, de priore dimidiâ lexici parte est dicendum. Alia pauca in ipso calendario & ejus introductione breviter indicavimus.

5) Tam menstrualia Odini qvam diversorum zodiacalium numinum et eorum domiciliorum nomina, justo respectu ad istorum calendarem significationem habito, in ipso Lexico satis ample explanata fuerant.

6) Cultum naturæ (præsertim lucis et tenebrarum) elementalium et astralium numinum, sub variis formis in annua temporis revolutione apparentium, inter præcipuas eas Europæ et Asiæ gentes, qvarum communem originem prisca qvoqve vel hodierna lingva indubie prodit, antiqvitus viguisse, hoc licet incompleto schemate sat superqve probatum esse speramus.

7) Talibus gentilium festis successerunt præcipua christiana, iisdem anni temporibus celebrata, ut alii jam dudum monstraverant. Multis præterea minoribus, ut Sanctorum feriis, encæniis localibus &c idem accidisse opinor. Sic Pantheon veterum Romanorum, cultu mutato, beatis Martyribus solenniter dedicatum fuisse legimus. Nonnulla huc pertinentia borealia exempla in præsentibus schedulis innuere tentavi.

Hoc volumine typis penitus mandato obiter perlegi librum docte et ingeniose conciunatum: *Essai sur l'origine uniqve et hieroglyphiqve des chiffres et de lettres de tous les peuples par M. de Paravey; Paris* 1826, 8, mihi a clarissimo nostro Müntero benigne commodatum. Ibi describuntur Sinensium & pl. decem *Kan'i* (vel dies singuli Decani), qvorum pars dimidia efficit pentadem, dictam *Heou* (ut regularem temporis periodum) cujus iterum singuli dies adscribuntur qvinqve planetis & qvinqve elementis (ut hic supra de qvinione Pythagoræorum conjeci, Brachmanes et Druidas simul respiciens) & Adplicantur porro ad qvinqve anni periodos, i. e. qvatuor trimestria et minimam qvintam, qvæ *æstatis augmentum* (ut in Islandico vel vetere Scandinavorum calendario) vocatur &c. Qvintam diei (duplicem) horam Sinenses vocant *Chin*, qvæ appellatio simul *planetas*, *astra* & *tempus* significat. Sic cum hoc nomine conferenda est relatio *Horapollinis* (*Hieroglyphic.* I, 13) cum Aegyptiis (qvos alia ratione anni 72 pentades observasse opinor) dicat qvinionem symbolice designari per stellam qvinqve radiis splendentem, at istum numerum præterea denotare 1) Deum (coeli dominum, fati auctorem) 2) fatum & 3) planetas (qvæ fata numinis nutu dirigere et annuntiare credebantur). Laudatus auctor porro prolixe disqvisiit Sinensium (ac veterum Babyloniorum et Persarum) duodecim in qvovis nycthemerio (duplices) horas (zodiaci signis respondentes), qvæ atavorum nostratium (etiam qvoad initium) — è nostra demonstratione (*transl. Dan. Edd. ant.* I, 152) exacte conveniunt. Probavit deniqve (e libro pervetusto *Y-King*) Sinenses olim annas habuisse hebdomades, ita ut septimum qvemvis diem, *magnum* vocatum, a publicis commerciis immunem habuerint. (L. c. p. 15, 27, 29 & sq. 40, 86, 93).

ADDITAMENTA.

Pag. 8, 300. Hiberni festum *Bealtein* celebrant die 21 Junii at Scoti vulgo 1 Maji; vid. Spec. Cal. gent.

— 301. Balderus a Norvegis intente venerabatur antiqvissimo qvod nobis innotuit tempore, docente *Fridþjófs-Saga* (unde recens celeberr. Tegneri lyricum epos ortum) Cap. 1 & 9. In Sognia tum floruit villa *Baldurshagi* (Balderi septum sive pratum) asylo sanctissimo & magno templo insignis. Inter multa idola Balderus ibi maxime colebatur. Fuit ibidem editum sacellum, Deabus dicatum, ubi interdum habitabant regiæ virgines cum earum muliebri famulitio, at idola cuncta vel ab iis vel ab ipsis advenis reginis mundari, ungi & calefieri soluerunt. Viris ibidem cum illis, nisi forte festivo vel publico conventu, conversari fuit prohibitum; præterea tam homines qvam pecora ab omni læsione immunes habebantur. Celebrabantur ibi Disarum (vel Dearum) convivalia sacrificia &c. Dei illius nomen adhuc porro præferunt: prædium *Baldursheimr* (Balderi domicilium) in Eyafjordensi Islandiæ toparchia situm; locus *Baldergarth* (Balderi septum) & *Balderbrook* (B. rivulus) in Scotia (ex observatione illustriss. Walteri Scott); ejusdem originis videtur esse nomen parochiæ Scoticæ *Baldernock* (cum lacu *Baldowie*) ubi maxima gentilium templorum & similium monumentorum rudera adhuc conspiciuntur. Cfr. art. *Ullr* in lex. myth. Ad Balderi cultus reliqvias pertinere videtur ritus Scoticus in festo *Beltan* vel *Baltien* &c, cum sorte eligitur unus congregatorum sociorum, qvi Baali (Beleno vel Baldero) pro fertili et salutari anno ita sacrificatur, ut ignem ter transsilire debeat. Tumuli talibus pyris jam vel qvondam destinati vocantur in Scotia *Baildon*, in Yorkshire Angliæ *Baalhill* &c. (*The Craven Dialect* &c. *London.* 1824, p. 55).

— 411. *Hamíngja*, Svec. *Hamung* (Genius, Tutela, Fortuna) rite est derivandum a τω *Hamr* (induviæ, forma, Anglo-Sax. *Ham*, *Hama*, Dan. *Ham* &c) sumto de exuviis vel membranulis, qveis infans nascens obvolvitur, qvas genius ille sibi præcipue adsciscere credebatur, ut sacræ igitur vulgo haberentur. Hinc Svec. *Hamn*, umbra hominis vel genius, eum adsidne comitans et in visionibus apparens, Finnis etiam *Hahmo*; hinc porro Holsatorum *Hamn*, *Hamen*, qvod jam tantummodo de talibus vitulorum involucris (ut illis humanis superstitiose tractatis) usitari fertur. Pars illius humani amnii (galea nuncupata) miraculo-

sis virtutibus scatere putata et igitur olim sæpe pro amuleto habita, Islandis dicitur *Sigurkufl* (cucullus faustus vel victoriosus), Dan. *Sejerskjorte, Sejersærk* (tale indusium) it. *Sejershjelm, Sejerhue* (galea aut mitra); Anglis audit *Silly how*, Scotis *Sely how, haly how* (mitra beata vel sacra) &c. Cfr. Lex. myth. artic. *Fylgja;* it. *Eddalæren og dens Oprindelse* IV, 35 & sq., 140 & sq.

Pag. 415. *Háváhöll* (aula celsa vel Celsi); sic interdum vocari videtur circus saxis cinctus, partim religiosis ritibus et partim etiam sacrorum carminum recitationi et studio destinatus. Ejusdem originis fuit veterum Cambriæ Bardorum *Clych cyngrair* (circus concordiæ vel harmoniæ); his forte adnumerari debet stupendum Britannicæ antiqvitatis delubrum, vulgo *Stonehenge* dictum.

— 433. A chronicis vetustis Daniæ (cum Saxonis libr. 8 collatis) narratur fabula de Oceano aut maris dæmone, ut gigante *Læe* (Lere sive Hlere) in insulâ Hlésey (Lessöe) habitante ac Rege *Snio* (i. e. Nive), qvi ei prius fuerat subditus, sed postea obtinuit imperium Daniæ, populi fame & annonæ caritate infelix, at deniqve consumtus fuit a vermiculis (vel pediculis) qvi e Leris chirotheca (vel manica) ei missâ freqventes exibant. Physicæ originis hanc allegoricam relationem esse, nemo eam diligenter inqvirens dubitabit; hic opponitur Skrymeri vel hyemalis gigantis notæ chirothecæ Oceani manica (vulgo *Njardar-vöttr;* vid. art. *Njördr*) emittens innumeros vermiculos (AEstati ex eddicæ phraseologiæ tenore proprios) qveis Hyems interimitur &c. Cfr. nomen Holsaticum Junii *Leussmonat*. Vid. *Langebeck Script. Dan. med. ævi* T. I, pag. 80, 225. Islando-Norvegicæ traditiones (ad calcem Eddæ junioris Raskianæ editionis impressæ) Regem *Snió* (Nivem) perhibent imperasse Jotlandiæ (hic Jotunorum sive gigantum regioni) &c, hanc ejus genealogiam exhibentes:

Forn-jótr (Gigas priscus) q. v.

Hlér vel *Ægir* (Oceanus). *Logi* (Flamma, Ignis). *Kári* (Ventus).

Frosti (Gelidus, Gelu) vel *Jökull* (Glacies).

Snœr, Sniór (Nix).

Drífa, (Nix alata), *Mjöll* (N. mollior), *Fönn* (N. concreta) &c, *Þorri* (mensis hibernus)

Goe (alius hibernus mensis, illi proximus).

Cfr. *Fornjótr, Hlér, Ægir, Kár, Logi* in Lex. mythol.

Pag. 493. Hæc explicatio vocis *Kjalar* non videtur convenire indoli Odini, ut hebdomadalis Dei, infra in calendario occurrentis denominationis, cum in Junio ejus feria ponatur. At mythus ille, de Odino trahas trahente, est nobis alioqvin penitus ignotus. Medio ævo Kiliani festa dies, segeti infausta habita, illi successit. Vox *Kjalar* transferri potest a) navalis, a *kjavlr* carina, navis b) montanus, a *kjavlr* mons altus et longus it. dorsum montis c) portans, ferens, a *kjala* portare. Alioqvin cum illa feria conferri potest festum medii ævi nivale (*Mariæ Schneefeyer*) die 3^tio^ Augusti a Germanis celebratum. De nive maxima, Norvegiæ borealem partem olim aliqvando mediâ æstate tegente vel (ex Eivindi Skaldaspilleri poematis dictione) "Odini uxorem" (Tellurem) infestante vid. *Hkr.* l. c. I, 185.

— 543. Ut Asæ et Vani, pactionem ineuntes, vasi eidem sputa immisisse feruntur, sic mos similis adhuc est familiaris Northumbriis (Ponti AElio vicinis) in fodinis anthracum (vel mineralium carbonum) laborantibus, cum tali occasione (jurisjurandi loco) sputa eidem lapidi immittere soleant. Simili origine gaudet certe phrasis Anglica de hominibus concordibus vel uni factioni adhærentibus: *They spit upon the same stone.* (*Brand popular antiqvities, ed. Bourne* 1810 pag. 111). Ex orali traditione accepi amantes juvenes inter rusticos certarum Galliæ provinciarum sponsionem initam sputis mutuis (ori invicem inditis) confirmasse, dicentes: *crache moi dans ma bouche, je te cracherai dans la tienne.*

— 647. Odinianæ religionis reliqviæ in Anglia boreali adhuc forte supersunt in exclamationibus rusticorum: *Odsheart! Odslife! Odslilife!* pro aliorum votis: Deus te conservet! &c. Nihilominus nomen diaboli plebejum *Oudan* a veterum *Odan, Wodan,* (*Odin*) depravatum esse videtur (*The Craven dialect* pag. 96, 97).

— 677. De nundinis Upsalensium, qvæ *Disting* vocantur p. p. magis exqvisite egimus in Spec. Cal. gent. ad dies 1 & 21 Februarii. Alioqvin (ad posteriorem feriam) id rite est notandum, qvod ex præsentis Calendarii tenore medietas hyemalis semestris ac simul anni verni trimestris primordium in universale Svecorum festum inciderit, unde id rite concludendum, qvod isti hosce fastos antiqvitus observaverint.

— 771. Fibulam vetustam Germanicam, qvæ Sigurdi vel Sigfridi per flammam celeberrimum eqvitatum verisimiliter repræsentavit, ante aliqvot annis æri incisam edidit celeberr. archæologus, Fredericus Kruse, societatis Thuringo-Saxonum antiqvariæ Secretarius.

— 781. Ludum gladiolorum volitantium, hic descriptum, vir illustris ac doctissimus

W. C. Trevelyan Esq. me amice monuit repræsentatum esse in Anglosaxonico codice seculi undecimi (Bibliothecæ Musei Britannici proprio); allegavit qvoqve *Strutt Horda Angelcynnan* Vol. I, pag. 50, 108 Tab. 19. Tres gladioli & tres globuli ludionem ibidem circumvolitare videntur. Ambos hosce ludos Indi hodie qvoqve exercent, ut propriis aliqvando oculis conspexi. Illo ludo Olaus Tryggvinus, Rex celeber Norvegiæ (circa finem seculi 10^mi) excelluisse dicitur. (*Histor. Ol. Tr. Havn.* 1827 II, 257–258).

Pag. 797. "Duplex jolense festum" &c. Hæc in Calendario annexo magis perspicue exponuntur; duravit enim antiqvitus festiva jolensis periodus per integrum mensis spatium, ac sic igitur duæ feriæ: *Jóladagr fyrsti & Þorrakoma* vel *Midsvetrarblót* certo modo pro primordiali & ultimo unius festi die sunt habendæ.

— 849. Scandinavorum Genius *Bûi, Boe, Bo* hodie qvoqve *Bo* vocatur a vulgo parochiæ Cravenensis in *Yorkshire* (Angliæ) ac ipsius qvoqve Cambriæ.

— 1001. Seculo decimo septimo (et ulterius forte), in conclusione fori generalis Færoensium sacerdos, cæteris insulanis præpositus, fastorum seqventis annis præcipua momenta publice recitavit vel promulgavit, ex antiqvissima consvetudine. (*Debes Færöernes Beskrifvelse* 1673, pag. 260).

— 1010. Freya proprie præfuit leoni zodiacali, virginis signum proxime præcedenti.

— 1013, 1045. Dani vel Holsati gentiles putarunt tres primas hyemis noctes, homini in æde nova dormienti, somnia vere prognostica exhibere. Vid. *Jómsvikinga-Saga.* (*Fornmannasögur*) (Havn. 1828) XI, 4, 5. Similis superstitionis reliqviæ adhuc non in Islandia penitus obsoluerunt.

1023, 1058, 1081, 1114 (cfr. 1069–1084) Somnus ursi hyemalis, freqventer Norvegorum Calendario adplicatâ, originitus ex aliqva parte videtur allusisse ad hyemalem Thori soporem, in *þrymsqvida* memoratum, nam idem Deus interdum sibi adscivit nomen *Björn* (ursus); sic qvoqve appellatio *bjarnar-svefn*, hyemi a Scaldis priscis adtributa, transferri potest: vel 1) Ursi, vel 2) Thori Dei somnus.

— 1029. Clavos trabales vel trabi infixos vulgo Danico sec. 17^mi annorum (vel anni certorum temporum) cyclos et aëreas varietates indicasse, retulit Johannes Bircherod, coævus scriptor. (*Antt. Juliæ*, 1688 pag. 64). — Adserit Olaus Rudbeckius (*Atlant.* II, 175) se vidisse calendarium ligneum runicum, tripodis (vel triqvetræ) formâ sculptum, qvo complectebantur menses duodecim, qvorum singuli dies habebant triginta, additis porro qvinqve accedentium dierum (vel epactarum) signis. Si hæc relatio vera, ethnicorum nostræ antiqvitatis fastorum schema illi triqvetræ incisum fuisse videtur. Triqvetra certe in pluribus runicis monumentis occurrit. Cfr. pedem gravissimum *Hrungneri* cæsi Thoro victori at si-

mul prostrato incumbentem, sed a Magnio strenue sublatum. Plura de hocce hieroglypho alibi notavimus.

Pag. 1038. Hæc scribenti mihi videre contigit literas cl. *Lilliegren* ad amicissimum nostrum *Thomsen* (d. d. 14 Martii 1828) de aureo illo cimelio; docent autem relationem ephemeridum publicarum de *omnibus* vel *permultis* constellationum signis in eo notatis minime veritati congruere, at annulum istum (aperiendo ac claudendo aptum) qvi fabricam seculi 10^mi^ prodere videtur, collari ornamento verisimiliter destinatum fuisse.

— 1045. Vetus Germanorum superstitio svadet viscum qvernum, aliqvot diebus ante novilunium sagittarii zodiacalis signi, sagittæ ictu dejectum diligenter servari, ut præstantem contra morbum gravissimam medicinam. Hæc certe ad anni antiqvissimum initium videntur respicere, ut alioqvin visci veneratio Britannis Armoricis & Cambricis, circa Calendas Januarii, pro felicis anni adventu, in usu esse dicitur. (*Colerus* l. c. pag. 100). Cfr. 21 Junii.

— 1047. Die 8 Decbr. festum Ventorum Athenis agitabatur. Cfr. nomina *Hrist, Bivur, Bavmbur* & pl.

— 1048. Addatur 19 Decbr: *Imbrivika*, Norveg. *Immeruge*, Angl. *Emberweek*, Dan. *Tamperdag*, Germ. *Wigfasten*, Lat. medii ævi *Qvatember*. Addenda 22 Dec. (vel ipsi solstitiali diei): "*Fimt* 6. *Onar*." Cfr. calendarii introductionem de hujus mythici nominis significantia. Jam anni et hyemis nox media vel longissima, ut *Onar* alioqvin medius Noctis maritus fuisse refertur.

— 1049. 21 Decbr. Angeroniæ, silentii Deæ, sacrum Romani Pontifices celebrabant. Herculi et Cereri sue prægnante, panibus & mulso sacrificabatur. (Hadr. Jun. e Macrobio et Servio). 22 Decbr.: Pyræ jolenses Longobardis qvoqve in usu fuerunt, observante cl. *Mone* (l. c. II, 142).

— 1050. Dicunt porro Indi solstitio hiberno portas coeli aperiri (*Polier Mytholog. des Hindous.* II, 431). Indi hoc festo, *Pongol* appellato, dona mutua distribuere solent; eadem (dicta *jólagjafir*) Borealibus jolensi tempore antiqvitus in usu fuerunt. Indi insuper (ut nostrates qvoqve) e festi memorati phænomenis edunt superstitiosa vaticinia &c. (*le Gentil* l. c. *Dubois Moeurs, institutions* &c, II, 334). — Docet *Jómsvíkinga-Saga* (*Fornm. S.* 1828, XI, 159) Londini (anno 1014) binas præcipuas nundinas agitatas fuisse, nimirum media æstate ac media hyeme et jolense qvidem festo, cum permulta vehicula, velis tecta, urbi immitti soluerunt.

— — *Svarfdæla-Saga* (inedita) Cap. 9, de paganis loqvens, vocat jolense tempus *Godahelgi* (sanctam Deorum pacem sive periodum).

Pag. 1053. Danis qvondam jolensi tempore usitatæ fuerunt similes cantilenæ de St. Stephano, eqvario vel eqvistratore, qvarum una hæc continet:

Sankt Stephan han leder de Foler i Vand
Alt ved den ljuse Stjerne &c.

(*Pontoppidan everriculum fermenti veteris* pag. 76).

— 1054. 27 Decbr. Phæbo per triduum Romæ solennia sacra fiebant, qvod dies incrementum capiat.

— 1062. E legum tenore die 2 Febr. inceperunt qvondam armilustria Norvegorum. (Pentadis præcedentis genii nomen *audaciam* at præsentis *fortitudinem* innuit).

— 1065. 20 Febr. Pro Dvergo *Nár* qvidam codices habent *Nýr* vel *Nor*.

— 1066. 21 Febr. Olim Romæ Vinalia prima, qvum vina pura fiunt. Jovi vinum libare mos erat, qvod e dolio haustum calpare eximebant. (Hadr. jun. e Plinio). Cfr. compotationem Odini et Sagæ jam incipientem &c.

— 1070. (21-23 Martii) Exemplaria libri Adami Bremensis *de situ Daniæ*, qvæ Lindenbrogio & pl. ad manus erant, adserunt novenne Svecorum sacrificium verni æqvinoctii tempore celebratum fuisse.

— 1072. Primo paschæ die solem orientem saltare tam Sveciæ qvam Angliæ borealis plebeji sibi porro persvasum habent (*Westerdahl* l. c. p. 25, *Brand* p. 267).

— 1075. 22 April (qvindena Paschæ) olim Anglorum prior *Hokeday*, præcipue a viris, at 23 posterior a mulieribus celebrabatur. Fuit certe originitus vernum festum, pro æstivi semestris (ut in Islandia sæpe) primordio habitum. Cfr. 25 April et observationem mox seqventem. Vocabatur interdum *Hoctide* (AS. *Healtiðe*, Isl. *Hátíd*, Dan. *Höjtid* Germ. *Hochzeit* &c. o: solenne festum).

— 1076. 25 April. Diem S. Marci a Danis & Norvegis sec. 18 superstitiose cultum esse, ne pecudes insidiis ferarum exponantur, notavit Pontoppidan l. c. pag. 87. Eo qvoqve vel præcedente vesperâ Angliæ borealis rustici prognostica futilia capiunt de cineribus foci, qvæ impresso vestigio mortem alicujus domestici præsagiant; de flammâ cerei, amorum futurorum successum ominante &c. (*The Craven Dialect* p. 53, 99). Notamus hac occasione ritum Islandorum hodierni ævi, qvi nimirum, post primum æstivæ (ut dicunt) lunæ aspectum summum silentium observant, donec aliqvis eos alloqvetur; ex his enim verbis aut jocose aut superstitiose sensum eliciunt, futura sua fata vel eventa vaticinantem. Hic ritus dicitur: *at segia í sumartúnglinu*. Dani et alii lunam novi anni precantes venerabantur &c.

— 1083. Observavit Mone (l. c. II, 141) superstitionem Germanicam de igne, mane primo pentecostes die accenso, febres futuras averruncante. Medio ævo (ut alii no-

tarunt, ignita spectacula (ad ignem apostolorum capitibus immissum alludentia) in templis repræsentabantur. His qvoqve immittebantur columbæ, symbolice spiritum sanctum designantes. Qvondam sæpe cerevisia illius festi compotationibus destinata (ethnico certe more) in ipsis templis servabatur. Physicam pentecostes inter Judæos originem nonnulli auctores probare tentavernnt.

Pag. 1108. Die 15 Septbr. rustici Finlandiæ sanctum qvendam lapidem in sylvam efferre solent, multis ridiculis ceremoniis adhibitis (*Rühs Finnland* pag. 306). Lithomorphia Lapponum gentilium alioqvin est notissima.

— 1122. Tres qvoqve primas hyemis noctes Holsatis et Danis ethnicis sacras fuisse monstrat *Jómsvíkingasaga* (ed. 1828, l. c. pag. 4).

Annoto deniqve has notabiles lectiones Codicis A. M. 544 (4) in laudata vaticinii Valiani recensione, qvas meo rogatu ac visus acerrimi et solaris splendoris ope indagavit et detexit ornatissimus Legati Magnæani Stipendiarius, *Thorsteinus Helgesen*, harum rerum insigni notitiâ pollens: ultimæ Havniensis editionis Pag. 203 str. 44 — habet membrana illa (pro aliarum *neſſöl*r) *nídföl*r (foedo sive tenebricoso pallore deformi). Pag. 204 str. 47, Surtus (*Surtr*) ut in reliqvis nominatur. Post stropham 48 (ac vocem *ángan*) hic codex certe (præter epistrophium) continuit duas integras strophas, a cunctis editis omissas, qvæ tamen pro illegibilibus sunt habendæ, his tantummodo exceptis, qvarum qvatuor priores lineas in uno vel pluribus chartaceis codicibus (seqventibus omissis) me legisse fateor:

Geyr nú Garmr mjök	Jam latrat Garmus (canis) multum
Fyri Gnípahelli	Ante Gnipense antrum
Festur man [slitna	Catena [rumpetur
. . . . .]	At lupus (solutus) ruet]
Gín lopt yfir	(Elatus) rictu telluris
Gini jardar	Aëri inhiat
. . . . .	. . . . .
. . . . .	. . . . .
. . . *edum* .	. . . . .
. . . . .	. . . . .
. . *Odins sun*	Odini filium
itran mœta	Præstantem occurrere
Vargsbr[ódur]	Lupi fr[atri] ɔ: Joermungando
. . . . .	. . . . .
. . . . .	. . . . .

Integra stropha jam prorsus invisibilis transscribi neqvit. Cernimus in hisce deleti textus exiguis reliqviis fontem Eddæ junioris relationis (pag. 72) de Fenreris rictu monstrose diducto "cum rostri ejus pars inferior terram tangit, superior vero ad coelum usqve extenditur" &c. Postrema verba alludunt ad Thorum, cum angve Midgardensi certantem, ex ejusdem Eddæ tenore (pag. 73). Vid. Lex. mythol. in artic. *Fenrir*.

ENODATIO ABBREVIATIONUM
singula Eddæ antiqvioris carmina indicantium.

[Numerum arabicum, pro textus impressi romano, strophas innuere monemus].

V. Spá vel V. S. *Völuspá.*
Háva M. (forte etiam *H. M.*) *Hávamál.*
V. M. *Vafþrúdnismál.*
G. M. *Grímnismál.*
Alv. M. Alvissmál.
H. Q. Hýmisqvida.
Þr. Q. Þrymsqvida (sive *Hamarsheimt*).
Harb. L. Harbardsljód.
S. F. *Skírnisför.*
Hr. G. Hrafnagaldur Ódins.
Vegt. Qv. Vegtamsqvida.
Æg. dr. Ægisdrecka sive *Lokasenna.*
Hyndl. L. Hyndluljód.
F. M. *Fjölsvinnsmál.*
G. G. *Grógaldur.*
Völ. Qv. Völundarqvida.
H. Q. I. *Helgaqvida Haddingjaskata.*
H. Q. II. *Helgaqvida Hundingsbana fyrri.*
H. Q. III. *Helgaqvida Hundingsbana önnur.*
S. L. *Sinfjötlalok.*
G. S. *Grípisspá.*
S. I. *Sigurdarqvida Fafnisbana* I.
S. II, *α. Sig. qv. Fafnisb.* II, pars prior.
S. II, *β.* —— pars posterior.
B. I. *Brynhildarqvida* I. (vel *Sigurdrifumál*).
B. II. Fragmentum *Brynh. qv.* II.
H. B. *Helreid Brynhildar.*
G. I. *Godrúnarqvida* I.
G. II. —— II.
G. III. —— III.
O. G. *Oddrúnargrátr.*
A. Q. *Atlaqvida.*
A. M. *Atlamál.*
H. M. *Hamdismál.*
G. H. *Godrúnarhvöt.*
R. M. *Rigsmál.*
S. L. *Sólarljód.*

INDEX

præsentis veterum Scandinavorum *Lexici mythologici* et *calendaris appendicis*, illorum cosmogonica, cosmographica, theosophica & dæmonica entium & locorum nomina ordine alphabetico comprehendens.

[Nomina, asteriscis in seqvente indice notata, non occurrunt in Edda antiqviore, cui Lexicon illud originitus proprie fuit adaptatum. Typi, accentus vocalium majuscularum indicantes, typographo desunt & hic igitur desiderantur, at nostratium antiqvissimi codices plerumqve talibus accentuum signis sunt destituti, unde eorum defectus (in ipso libri textu restitutus) vix pro gravi damno est habendus. Odini agnomina primordiali tantum litera indicantur].

Afi (patriarcha) 667.
Agnar (princeps vel genius allegoricus) 400.
Ai (Dvergus) 275, 1033, 1053, 1102.
Ai (patriarcha) 667.
Akuþór (cfr. *Ökuþór*) 484.
Aldafadir O. 281, 617, 619.
Aldagautr O. 281, 619 cfr. *Gautr*.
* *Aldin-Gautr* O. 548.
* *Alfafólk* 325, 839, 841, 843.
Alfar Genii, dæmones, 275, 596, 1009, 1030 & sq. 1034, 1035, 1057, 1092. cfr. *Ljósálfar, Döckálfar, Svartálfar, Jólasveinar, Dvergar, Vættir.*
Alfheimr (regio) 279, 1050, cfr. *Freyr, Ljósálfaheimr, Svartálfar.*
* *Alfkona* (pl. *Alfkonur*) Nymphæ 842.
Alfr, (Dvergus) 280. cfr. 316, 1102.
Alfravdull 280 (sol).
* *Alfrig* (Dvergus) 280.
Alfödur, Alfadir (Omnipater) O. 280, 480, 540, 617, 1084.
Algrön, Algræn (insula) 281.
Ali vid. *Vali*.
Ali vel *Öli*, Odini filius 548.
Allfödur vid. *Alfödur*.
* *Allrádr* O. 639.
Allvaldi (Gigas) 281, 881.
* *Allvaldr* O. 618, 627, 639.
* *Almátkr* O. 617, 639.
Alsvidr vid. *Asvidr*.
Alsvidr (forte Surti agnomen) 282.
Alsvidr (eqvus Solis) 282.
Alvis, Alviss, (Dvergus) 282, 894.
Alvitur (Valkyria) 282, cfr. *Völundr*).
Alþjófr (Dvergus) 282, 1119.
Amma (auctrix generis colonorum liberorum) 667.
* *Amsvartnir* (lacus) 339.
An (Dvergus) 282; 1048.
Anar (Dvergus) 282.
Andhrimnir (coqvus) 283.
Angantýr O. 284, 619.
* *Andlángr* (coelum) 276.
Andvari 284.
Angantýr O. 284, 619.
Angeya (Oreas) 284, 417.
Angurboda, Angurbodi (Furia) 284, 479, 499, 537.
* *Argefnar* (Dii) 992.
* *Argud* (Freyr sive Freyerus) 363.
* *Ari* O. 621, 639.
* *Arinbrauti* (Thor) 908.
* *Armadr* (Genius) 834, 1036.
* *Arnhöfdi* O. 621, 639.
* *Artali* (Luna) 507.
* *Arvakr* (eqvus Solis) 285.
As, Ass (Asa, Deus) (cfr. *AEsir, Asynia*) 289, 610, 618, 639, 991.
Asabragr 285, 908.
Asabygdir vid. *Asgardr*.
* *Asa-fólk, -ætt*, vid. *AEsir*.
Asagardar vid. *Asgardr*.
* *Asaheimr* 286, 565.
* *Asahetja* (Thor) 908.
* *Asaland* 286, 565 (cfr. *Asasýslor* 589).
* *Asaleika* (Idunna) 472.
Asa-Loki 477 & sq., 901 & sq. (cfr. *Loki*).
Asasalr 285.
Asaþór 285, 895, 908.
Asbrú (Bifröst) 285.
Asgardr (pl. *Asagardar*) 285, 513 & sq. cfr. 558 & sq. 900, 995, 1009.
* *Asgardsharri* O. 621.
* *Asgrindur* 446, 778.
Askr, Askur (primus vir) 287, 869.
Aslidar (sing. *Aslidi*) 288.
Asmegin 288, 896, 923.
Asmegir 288.
* *Asmódr* 896.
Asmundr 288.
Ass vid. *As*.
Asvidr (Gigas) 291.
* *Astargod (Astardis)* Freya 351, 650, 1072.
Asynia (pl. *Asynior*) Dea (Deæ) 291, 994, 1040.
Atla (Oreas) 291 (cfr. 417).
* *Atli* (Thor) 908.
* *Atridi* (Freyr) 291, 363.
Atridr O. 291, 628, 1086.
Atvardr (Genius) 291.
* *Audhúmla, Audumbla* (vacca primaria) 313, 872 (cfr. *Ymir, Búri*).
* *Audun, Audunn* O. 563, 619, 628, 639.

Audur (maritus Noctis) 532.
Audur vid. *Odr.*
Aurboda (Oreas) 291.
Aurboda (Nympha) 291.
**Aurkonúngr* vid. *Orkonúngr.*
Aurvángr (Dvergus) 291, 1083.
Austri (Dvergus) 291, 1116.

**Bakrauf* (Oreas) 747.
Baldur, Balldur (Balderus) Deus 292, 537, 589 & sq. 984, 1013, 1017, 1086, 1088 & sq.
Báleygr O. 301, 477, 618, 628, 1069.
Band, (pl. *Bavnd, Bönd*) Numen 315.
**Bandavinr* (Thor) 480.
Bambor, Bavmbvr vid. *Bömbor.*
Bára (nympha marina) 987.
Barri (Álfus) 301.
Barri (lucus) 301.
**Baugi* (Gigas) 545.
Baugregin (Coelus &c) 301.
Baugvör (Njordi filia) 302.
Bav vid. *Bö....*
Bavor Dv. 302, 1046.
**Beldegg* (Odini filius) 549.
Beli Gigas 302.
**Beliadólgr* (Freyr) 363.
Belsta vid. *Bestla.*
Beort vid. *Biört.*
Bergelmir (Gigas) 302.
**Bergbúi* (Gigas vel Dvergus) 834.
Bergdanir (Gigantes) 488, 490.
**Bergrisar* 303, 443, 708 cfr. 751, 835, 886.
**Berlíngr* 312 (cfr. *Billingr).*
Bestla, Belsta 303.
Beyggvir (dæmon) 303.
Beyla (Nympha) 303.
Bjargvættr (dæmon) 838.
Biblindi, Býblindi O. 303, 639.
**Bifi* O. 618, 639.
Biflindi O. 303, 618, 639, 1103.
Bifröst (Iris) 303, 913.
Bil (Dea vel nympha lunaris) 507, 944.
Bildur (Dvergus) 304, 1077.
Bileygr O. 304, 618, 1069.
Bileystr (dæmon) 305.
Billingr (Dvergus) 305, 1074 (cfr. *Berlingr).*
Bilröst (via Deorum) 304, 913.
Bilskirnir (arx) 305, 895, 955, 1010.
Bivor, Bifur (Dvergus) 305, 1045.
Bjúgvör (furia infernalis) 305.
Björn (Thor) 908, 927, 1084.
Björö (nympha) 305.
Bláinn (Ymer) 305. cfr. *Brimir* (1), *Dvergar.*
Blid (nympha) 305.
Blidur (nympha) 305.
Blikandi-höl (aulæum) 423.
Blindr 619, 639.
**Blódughadda* (nympha marina) 987.
**Blódughófi* (eqvus) 363, 1053.
**Bodn* (vas) 543, 651.
**Bogaás* (Ullerus) 764, cfr. 1045.
Borznidr O. 639.
Bragi (Deus) 306, 473, 782, 783, 784.
**Brandkrossi* (taurus) 947.
**Brandur* O. 639.
Breidablik 308.
Brímir (Ymer) 308, cfr. *Leirbrímir* 495.
Brímir (palatium) 308, 557.
Brimir (ensis) 309, 407.
Brisingamen (monile) 309, cfr. 1087.
**Brockr* (Dvergus) 318, 402, 501.
Bruni (Dvergus) 312, 1076.
**Brúni* O. 621, 639.
**Brúnn* O. 619, 639.
**Brunnakr* 472.
Brynhildur vid. *Hildur, Sigurdrífa.*
**Búi* (dæmon) 325, 848.
**Bur, Bör* (dæmon cosmogonicus) 313.
**Burarbör* O. 621.
**Buri* (dæmon cosmogonicus) 313 & sq.
Buri, Búri (Dvergus) 314, 1079.
**Bursarfiegi* 639.
**Búseyra* (Oreas) 908.
Bylgia (nympha marina) 987.
Byleistr vid. *Bileistr.*
**Byrgir* (fons) 507, 508.
Bölvasmidr, Bavlvasmidr (Lokius) 503.
Bölverkr O. 314, 619, 628, 1071.
Böliorn Gigas 314.
Bömbur, Bavmbúr, Bambor Dvergus 314, 1046.
Bönd (numina) 315, 585, 992, cfr. 615.
Bör vid. *Bur.*

Dagr (Dies) 315, 743.
Dáinn Dv. 316, 1033.
Dáinn (cervus) 317.
**Dáinsleif* (ensis) 430.
Dan vel *Danur*, Daniæ regni fundator 670.
**Dana*, Danorum vel Regum Danicorum atavia 670.
Danpr, Gothicus Danorum pro pater 670.
Dellíngr (Diei pater) 317, 532.
Diar (Dii) 317.
Dís (Dea, nympha) 317, 717, 786, 920, 1060, 1066.
Dólgþrasir (Dvergus) 318, 1086.
Dorri (Genius) 318.
**Draugadrottinn* O. 639.
Draugr (larva s. umbra mortui) 318.
**Dravfu* (nympha marina) 987.
Draumnjórunn (Nox) 318.
Draupnir (Dvergus) 318, 1085.
Draupnir (annulus) 318.
**Drepsvarpr* O. 620, 639.
**Drifa* 1126.
**Drómi* (vinculum) 337.
**Dúfa* (nympha marina) 987.
**Dulinn, Dulsi* (Dvergus) 343.
Duneyr (cervus) 320.
Duraþrór, Dýraþrór (cervus) 320.
Durgr vid. *Dvergr.*
Dúrin (Dvergus) 320, 1031, 1109.
Dvalin (Dvergus) 312, 321, 1032, 1084, 1119.
Dvalin (cervus) 321.
Dvalinsleika (*Dvalinsleikr*) Sol, 321.
Dvergr, Dvergar dæmones (cfr. *Alfr, Vættur*), 311, 321, 753, 840 & sq. 1030 & sq. 1034, 1035, 1038.
Döckálfar (cfr. *Dvergar, Svartálfar, Vættur*) 326.

Edda (auctrix generis vernalis) 667.
Egdir (aqvila); cfr. *Hræsvelgr*, 327.
Eikin (amnis) 327.
Eikinskjaldi (Dv.) 327, 1084, 1103.
Eikþyrnir (cervus) 327.
Eindridi, vid. *Indridi.*
Einheri (Thor) 327.
Einheri, Einheriar (heroes) 327.
**Eir*, Dea 330, 994.
Eir (nympha) 330.
Eitir, Eitr (Dv.) 330, 1084, 1103.
**El* (procella, malum dæmonium) 491.
Eldhrimnir (lebes) 331.
Eldir (dæmon marinus) 331.
Eldur (Ignis) cfr. *Logi, Lódr, Loki* 490, 987, 1057, 1061.
Elgja (Oreas) 331.
Elivagar (flumina) 331.
**Elli* (Senectus) 905.
**Elrisgarmr* (Ignis & Ventus, fratres) 382.

Elvidnir (palatium) 422.
Embla (prima mulier) 333.
Ennibrattr O. 640.
Ennilángr (Thor) 909.
Erna (principum atavia) 669.
Esir pro *Æsir* (Æsæ, Dii) 333.
Eygló (Sol) 333.
Eyludr O. 640.

Fadir (patriarcha, auctor patriciorum ac principum) 668.
Fadmbyggvi (Friggjar) O. 640.
Fafnir (draco) 333, 652, 899.
Fála (Oreas) 490.
Fallanda-forad (janua) 423.
Falhófnir (eqvus) 335.
Faraldr (dæmon) 644.
Farbauti (Gigas) 309, 499.
Farmagnudr vid. *Farmavgnudr.*
Farmagud O. 619, 640, cfr. 600, 637.
Farmatýr O. 335, 600, 637, 1097.
Farmavgnudr O. 336, 640.
Fastridr O. 640.
Favnn, Fönn 1126.
Fégjafagud (Njordus) 525.
Fégjafi (Freyr) 363.
Fengari (Luna) 507.
Fengr O. 336, 620.
Fenja (Oreas) 509.
Fenrir, Fenris-úlfr (lupus) 336, 784, 1131.
Fensalir, Fensalr (aula) 342, 829.
Fjalar (Dvergus) 343, 543, 1104.
Fjalar (Gigas) 343, 543.
Fjalar (gallus) 343.
Fjallahildur (oreas) 909.
Fjallgeigudr O. 618, 640.
Fili (Dvergus) 343, 1068.
Fimafengr (dæmon marinus) 343.
Fimbultýr O. 343, 620.
Fimbulvetr (magna hyems) 343, 483, 655.
Fimbulþul (amnis) 344.
Fimbulþulr O. 344.
Finnálfr 316.
Finnr, Finnur (Dvergus) 344, 1106.
Fjölkaldr (nomen allegor.) 344.
Fjölnir O. 344, 437, 620, 646, 829, 1072.
Fjölsvidr, Fjölsvinnr O. 344, 1077.
Fjölsvidr (vir sive dæmon) 344.
Fjölvar (Gigas) 346.
Fjörgyn (Tellus, præsertim primitiva) 346.
Fjörm (amnis) 346.
Fjörsvartnir (eqvus) 441.
Foldardrottin O. 618, 640.
Fólkvángr (regio) 346, 1101.
Forat (Oreas) 747.
Fornbogi vid. *Hornbogi.*
Forni O. 640.
Fornjótr (Gigas) 347.
Fornólfr, Fornölvir O. 640.
Forseti (Deus) 347, 1105.
Forseti (accipiter) 347.
Forynia (Genius) 379.
Fránángr (cataractes) 349.
Frár (Dvergus) 349, 1079.
Fráridr O. 619, 640.
Freki (lupus) 349.
Freya (Dea) 349, 604 & sq., 608, 649 & sq., 665, 916, 928, 1040, 1051, 1055, 1061, 1070, 1071, 1072, 1101, 1105.
Freyr (Deus) 361, 600, 732 & sq., 821, 916, 1040, 1050 & sq., 1053, 1061, 1070.
Frid (nympha) 372.
Frigg, Frigga (Dea) 373, 540, 593 & sq., 1071.
Frosti (Dvergus) 378, 1033 (mensis) 767 (1044), 1104, cfr. 1126.
Frumver O. 619.
Frægr (Dvergus) 379, 1033, 1080.
Fulla, Full (Dea) 379.
Fundin Dvergus 379, 1033, 1070.
Fylgja (Genius hominis) 379, 1038. Cfr. *Hamingia, Dís, Norn, Vættur.*

Gagnrádr vid. *Gángrádr.*
Galar (Dvergus) 543.
Gálgagramr, Gálgavaldr O. 640.
Gandálfr Dvergus 381, 1057.
Gánglati (famulus Helæ) 423.
Gánglerí O. 381, 628, 1046.
Gánglöt (famula Helæ) 381.
Gángr (Gigas) 381.
Gángrádr, Gagurádr O. 381, 582, 619, 621, 628, 771 & sq.
Gapþrosnir O, 620, 640.
Gardrofa (eqva) 620, 640, 810.
Garmr (canis) 382.
Gastrópnir (ædes) 383.
Gautaspialli O. 621, 640.
Gautatýr O. 616, 620, 640.
Gauti O. 640 cfr. 383 & sq.
Gautr O. (Gothiæ sive Gothorum continentalium auctor) 383 & sq. 549, 572, 611, 619, 621, 628.
Gefión Dea 384, 613.
Gefn (Freya) 351, 357.
Geigvdr O. 620, 640.
Geira Valkyria 803.
Geiradrottin O. 640, cfr. 596.
Geirahöd Valkyria 388.
Geiravlvl Valkyria 388, 1104.
Geirdriful Valkyria 803.
Geirlodnir O. 620, 640.
Geirröd (Rex vel allegoricus dæmon) 400 & sq.
Geirröd, Geirraudr (Gigas) 820, 896 & sq. 976 & sq.
Geirradargardar (regio vel urbs) vid. *Geirröd* (2).
Geir-Skögul Valkyria 707.
Geirtýr O. 620, 640.
Geirvimul (amnis) 388.
Geirölnir O. 640.
Gélgia (catena vel paxillus) 339, 340.
Gérdur (Dea) 388, 389.
Géri (lupus) 389, 391.
Géri (canis) 391.
Gérsemi, Gérseme (filia Freyæ) 350, 353.
Géstumblindi (Géstr blindi) O. 425, 518, 619, 640.
Geysa (Oreas) 747.
Gjallarbrú (pons) 596.
Gjallarhorn (cornu sive tuba) 391.
Gjallarhorn (cornu sive rhyton aut poculum) 391.
Gjálp (Oreas) 391.
Gjálp (Oreas) 391, 897 & sq. cfr. 920.
Gifur (Oreas) 391.
Gifur (canis) 391.
Gigur vid. *Gýgur.*
Gillingr, Gyllingr (Gigas) 543 & sq. 739.
Ginul (apertura) 340.
Gilvarstraumar vid. *Gjöll.*
Gimli, Gimlir (urbs cælestis) 391, 424.
Gimnir O. 640.
Ginar O. 620, 640.
Ginnar (Dvergus) 392, 1107.
Ginnir O. 620, 628, 641.
Ginnúngagap, Ginúngagap, (Chaos primitivum) 393.
Ginnúngahimin (coelum) 393, 725.
Ginregin, Ginnregin (numina) 395.
Giólnar (labra) 340.
Gipul (amnis) 395.
Gisl (eqvus p. p.) 396, 1058.
Gissur O. 641, 646.
Gjöll, Gjavll (amnis) 396, 469.
Gjöll (petra) 340.
Gladr (eqvus) 315, 397.
Gladsheimr, Gladheimr (regio cælestis) 397, 1070.
Glámr (Luna) 507.
Glapsvidr O. 397, 620, 1076.

Glasir (lucus) 688, 783.
Gleipnir (vinculum) 338.
Glenr (maritus solaris nymphæ) 398, 716.
Glitnir (palatium) 398, 1105.
Glói (Dvergus) 398, 1099.
Glæheimr (Oceanus) 398.
Glær, Gler (eqvus) 398.
Glæsisvellir (regio) 566.
Gná (Nympha) 373, 810, 994.
Gnipahellir (antrum) 398.
Góa, Góe, Gó (Dea, Nympha sive Heroina) 677 & sq. 956, 1016, 1059, 1065, 1066.
God, Gud numen 399, 611, 631, 928.
Godadís (Idunna) 472.
Godadólgr (Lokius) 503.
Godbrúdur (Skadea) 698.
Godheimr (Deorum mundus sive regio) 932.
Godjód (Deorum soboles) 559.
Godlönd (Deorum sive Gothorum terræ) 559.
Godmagn, Godmögn (divinæ potestates, numina) cfr. *Regin* 992, 995.
Godsjadar O. 618, 641.
Godvegr (Deorum via) cfr. *Bifröst, Bilröst* 399.
Godþjód (Deorum aut Gothorum gens sive regio) 399, 559.
Góin, Góinn (angvis) 861.
Gollnir O. 619, 628.
Gollor O. 640.
Gollúngr O. 620, 628.
Gor (littorum ac insularum Norgiæ occupator & principalium familiarum atavus) 956.
Gotl (Gothlandorum vel Gothorum insulanorum primus princeps) 383.
Grábakr (angvis) 399.
Grád, Gráþ (amnis) 399.
Gráfjölludr (angvis) 399.
Grafvitnir (angvis) 399.
Gramir (mali dæmones) 399.
Grani (Sid-grani, p. p.) O. 641.
Grátagud (deplorationum sive threnorum numen) Balderus (cfr. *Freya, Frigga*) 297.
Greip (Oreas) 400, 897 & sq. cfr. 920.
Grér (Dvergus) 311.
Gridur (Oreas) 820 & sq.
Grímar O. 400, 580, 619, 1073.
Grímnir O. 400 & sq. 580, 619, 1073.
Grimnir Hyemis cognatus 401.
Grimr, Grimur O. 402, 580, 619, 647, 1045.
Grimr (angvis) 652.
Grjótúnagardar (regio) 446.
Gróa (saga vel nympha) 402, 449 (cfr. 1080).
Grottintanna (Oreas) 747.
Grund (urbs mythica) 566.
Grundarsveinn (Thor) 909.
Grýla (Oreas) 747.
Gud, Guþ &c. vid. *God.*
Gudmagn vid. *Godmagn.*
Gudrún (*Godrún*) Gjukii filia, heroina; vid. Onomasticon Eddæ antiqvioris II, 874; ut furia vel Bellona mythica (Norv. *Guru*, Scot. *Gyre*, Germ. *Goor*) 647. 1046.
Gudur vid. *Gunnur.*
Gullfaxi (eqvus) 445 & sq.
Gullinbursti (aper) 371, 402 & sq. 1061.
Gullinkambi (eqvus) 405.
Gullintanni (Heimdallus) 418, 420.
Gulltoppr (eqvus) 405, 418.
Gullveig (nympha allegorica) 406.
Gúngnir (lancea) 407.
Gunnar O. 620, 641.
Gunnblindi O. 620, 641.
Gunnlöd (nympha) 407.
Gunnur (Valkyria) 408, 805.
Gunnþorin (amnis) 408.
Gunnþró (amnis) 408.
Gustr (Dvergus) 408 & sq.
Gýgiargrætir (Thor) 890.
Gýgur (Oreas) 409, 489.
Gyl vid. *Giavll.*
Gylfi (Rex ævi mythici) 385, 556 & sq. 780 & sq.
Gyllir (eqvus) 409.
Gýmir (Gigas) 409.
Gýmisgardar (regio) 409.
Göll, Gavll (Valkyria) 409.
Gömul, Gavmvl (amnis) 409.
Göndlir O. 620.
Göndul (Valkyria) 409, 431, 803 & sq. 805.
Göpul (amnis) 410.

Há vid. *Háey.*
Hábrók (accipiter) 347, 410.
Hadardólgr (Baldur) 293, 298.
Hadda (nympha marina) 987.
Háey (insula) 312, 429, 430, 431.
Hafgýgja (nympha marina) 663.
Háfi, Hávi O. 410, 601, 618, 627, 638, 781 (cfr. *Hávahöll*).
Hafli (Gigas) 568.
Hafradrottinn (Thor) 890.
Hafranjótr (Thor) 909.
Hagyrkr O. 619, 620, 641.
Hala (Lamia) 411.
Hálfrisar, Hálfströll 981.
Halir (manes) 411.
Hallfilvingr (Gigas) 910.
Hallinskidi, Hallinskeidi (Heimdallus) 418, 421.
Hálogi (Gigas) 981.
Hamingja (Fortuna) 380, 411, 1125, cfr. *Hamr.*
Hamr (Genius) 380, 531, 845, 1125.
Hamskerpir (eqvus) 810.
Hanar (Dvergus) 411, 1073.
Hángadrottin, Hángagnd O. 548.
Hángahrynr O. 411.
Hángatýr O. 411, 548.
Hapt (numen pl. *Havpt, Höpt*) 411, 585, 992.
Haptabeidir O. 620, 641.
Haptagud O. 411, 641.
Hár O. 411, 618, 627, 638, 781, 1056, 1060, 1097.
Hár (Dvergus) 411.
Harbardr 412. 620, 638, 1106.
Hardgleyfnir (Thor) 909.
Hardgreip (Oreas) 568, 747.
Hardveor (Thor) 909.
Harri O. 627, 638.
Hati (lupus) 413.
Hati (gigas) 414.
Hávahöll, Háfahavll (aula) 414, 780. Cfr. *Háfi.*
Havdr vid. *Hödr.*
Havfut o: *Höfud* (gladius) 419 & sq.
Haugspori (Dvergus) 415, 1098.
Havpt, Höpt vid. *Hapt.*
Hédin 429 & sq.
Hefring (nympha marina) 987.
Heiddraupnir 415.
Heidr (Gigas) 415.
Heidr, vid. *Heidur.*
Heidrún (capra) 415.
Heidur (nympha allegorica) 416.
Heimdallr (Deus) 309, 417, 1086 & sq. 1097.
Hel (*Morta*) mortis & inferni Dea) 421, 1061.
Helblindi O. 425, 619, 1059.
Helblindi (dæmon vel Gigas) 503.
Helgrind (ostium) 425.
Helja, Helheimr, Orcus 294 & sq. 422, 661.
Heljarsinni (Baldur) 294 & sq.
Helvegr pl. *Helvegir* (Helæ via) 422.

* *Hengikjepta, Hengiankjapta* (Oreas) 747, 908.
* *Hengikjöptr* O. 641.
Hepti (Dvergus) 426, 1072.
* *Herblindi* O. 620, 641.
* *Herdir* 426.
Herfadir, Herfavdr O. 330, 426, 571, 620.
Herfjavtvr (Valkyria) 426, 1086.
* *Hergautr* O. 620, 641.
Heri (Dvergus) 426.
* *Herja* (Valkyria) 803.
Herjafadir, Herfadir O. 330, 426, 571, 617, 620.
Herjan O. 330, 427, 571, 620, 628, 692, 1047.
Hermódr (Deus) 427.
Hersir (primus nobilis dominus sive Baro) 689.
Herteitr O. 427, 620, 1067.
* *Hertýr* O. 641.
Hervör vid. *Alvitur.*
* *Hjadningar* (heroes) 430.
* *Hjaldurgud* O. 618, 641.
Hjálmberi O. 428, 620, 1048.
* *Hjálmþrimul* (Valkyria) 803.
* *Hjarandi, Hjarrandi* O. 429, 430, 618, 641.
* *Hjarrandi, Hjarrandi* (heros mythicus) 430.
Hildisvíni (aper, galea) 428, 1061.
Hildólfr (dæmon) 428.
* *Hildólfr* (Odini filius) 548.
Hildur (Valkyria) 429, 804, 1071.
Hildur vid. *Sigurdrífa.*
Himinbjörg (arx coelestis) 432, 562, 1086.
* *Himinbrjótr* &c (taurus) 458.
Himinfjöll (montes cælestes) 433.
Himinglæva (nympha marina) 987.
* *Himins-hvelsvelgr* (malum dæmonium) 491.
Himinvángar (campi cælestes) 433.
* *Hjúki, Hviki* 507.
Hjörþrimul (Valkyria) 803, 805.
Hladgudur (Valkyria) 433.
Hlébardr (Gigas) 433.
* *Hléfreyr* O. 600, 618, 637, 642.
* *Hléfródr* O. 637, 642.
* *Hlér*, (dæmon marinus) *Hlésey* 433, 986 & sq.
Hlidskjálf (specula vel thronus Odini) 433.
* *Hlidskjálfar-gramr* O. 621, 642.
* *Hlidskjálfs-harri* O. 642.
Hlíf (nympha) 434.
Hlífþursa (nympha) 434.
Hlín (Dea) 434.
Hljódólfr (Dvergus) 434.
Hlódyn (Tellus) 434.
Hlórridi (Thor) 436.
Hlöck, Hlavck (Valkyria) 437, 1080.
Hnikar O. 437, 620, 1068.
Hnikudr O. 438, 1083.
* *Hnitbjörg, Hvítbjörg* (domicilium Suttungi & Gunladæ) 408, 544.
* *Hnoss* (filia Freyæ) 350, 353.
Hodd-dropnir (ens cosmologicum) 438.
Hoddmímir (ens cosmologicum) 438, 511, 657.
* *Hofgyldir* (ignis) 341.
* *Hofregin* ɔ: templi numen (Thor) 909.
* *Hofstjóri* ɔ: templi antistes (Thor) 909.
* *Hófvarpnir* (eqvus) 810.
Horn (amnis) 387, 439.
* *Horn* (Freya) 357.
Hornbori (Dvergus) 439, 1080.
* *Hrafnagud* O. 642.
* *Hrafnfreistadr* O. 642.
* *Hrammi* O. 620, 642.
* *Hrani* O. 577, 642.
Hraunhvalir (Gigantes) 488.
* *Hreggmímir* (Coelus) 511.
Hreidmar (Dvergus) 439.
Hríd (amnis) 441.
Hrímfaxi (eqvus) 441.
Hrímgérdur (Oreas) 441.
Hrímgrímnir (Gigas) 442.
Hrímnir (Gigas) 442.
Hrímþursar (Gigantes) 442, 708, 767.
* *Hringhorni* (navis) 294.
* *Hringmímir* (Coelus) 511.
* *Hrjódr* 619.
Hripudr (Ignis) 443.
Hrist (Valkyria) 443, 1045.
Hrodvitnir (lupus) 444.
Hroptatýr O. 444, 628.
Hroptr O. 407, 444, 619, 1070.
* *Hrosshársgrani* O. 642.
Hrossþjófr (Gigas) 445, 580.
* *Hrostahilmir* O. 642.
* *Hrund* (Valkyria) 803.
Hrúngnir, Hrugnir (Gigas) 445, 482.
Hrymr (Gigas) 451.
* *Hræda* (catena) 340.
Hræsvelgr (Gigas, aqvila) 457.
Hrönn (amnis) 452.
* *Hugi* (animus — cursor) 453, 454, 906.
Hugin (animus — corvus) 452, 562, 628.
* *Hulduföik* (semones) 278, 343, 839, 848.
Húlidshjálmr (galea) 991.
* *Húngr* (patella) 423.
* *Hvatmódr* O. 620, 642.
Hvedna (Oreas) 454.
* *Hvedrúngr* O. 618, 642.
Hvedrúngr (Gigas) 454.
Hveralundr (lucus) 454.
Hvergélmir (abyssus) 454.
* *Hviki* vid. *Hjúki.*
* *Hvitasunna* (Sol candidus; cfr. *Baldur*) 1047.
* *Hvítbjörg* vid. *Hnitbjörg.*
Hyfiaberg (rupes) 456.
Hymir (gigas) 456.
Hyndla (Oreas vel Vala) [461, 775.
Hyrrokin, Hyrrockin, Hirrokin (Oreas) 295, 907, 1090.
Hænir, Hönir (Deus) 463.
* *Hænisvinr* (Lokius) 464.
Hævateinn (spiculum) 464.
Hödr, Havdr (Deus) 293, 464, 590 & sq. 1059 & sq. 1062, 1064.
* *Högni* 429 & sq.
Högstari (Dvergus) 465.
* *Hölgi, Helgi, Hálogi* 981.
* *Hölk* (Valkyria) 803.
* *Hörn* (Freya) 439.

Jafnhár O. 466, 1056.
* *Jálfadr* O. 642.
Jálg, Jálkr O. 466, 620, 628, 638.
* *Jardargud* O. 618, 642.
* *Jardarsunr* (Thor) 482, 909.
* *Jardlútr* O. 619.
Jari (Dvergus) 467, 1084.
Jarl (Dux sive comes primus; alias *Rigur* junior) 668 & sq.
Járngreipar vel *Járnglófar* (manicæ) 896.
Járnsaxa (Oreas) 467.
Járnvidr (sylva) 467, 745.
Járnvidja pl. *Járnvidjur* (Oreades) 467, 764.
Idavöllr (campus) 467, 791.
Idi (Gigas) 881 & sq.
Idun, Idunn (Dea) 468.
Iffing (amnis) 474.
Ilmur (Dea) 995.
Imd (Oreas) 474.
Imr (Gigas) 474.
Imir vid. *Ymir.*
Indridi (Thor) 909.
Ingunnar-Freyr 474.
* *Jólasveinar* (Genii jolenses vel brumales) 753, 1048.

*Jólfadir O. 619, 629, 642.
Jólnar (Dii) 475, 619, 992.
Jórmun vid. Jörmun.
Jórundr, Jörundr O. 620, 642.
Jórunn 475.
Jóruvellir (campi) 475, 1032.
Iri (Genius) 475.
*Irpa, Yrpa (Oreas, Nympha sive Dea) 981.
Isarnkul 715.
*Itreksjod 548.
Ivnldi, Yvaldi (Dvergus) 475.
Ivaldr, Yvaldr (Alfus) 475.
Ividr, Yvidr vid. Yggdrasill.
Jörd, Javrd (Tellus) 476, 994, 1055, 1092.
Jörmungandr (angvis mundanus) 478, 1131.
Jörmungrund (terrestre solum) 486.
*Jörmunsúla (Irminsula) 486.
*Jötnadólgr (Thor) 909.
Jötnagardar (regio) 442, 492.
*Jötnáotti (Thor) 909.
Jötun (Gigas) pl. Jötnar 413, 487, 928.
Jötunheimr; pl. Jötunheimar, Jötnaheimar 445, 492, 565.
Jötunmódr 479, 488.
*Jötuns-audsugr (malum dæmonium) 491.

Kár, Kári (Dæmon) 433, 494.
*Kár (dæmon) 644.
Kára (Valkyria) 493.
Karl (atavus colonorum liberorum) 668.
*Kavr (lectus) 423.
Kérlaugar (flumina) 493.
*Keyla, Keila (Oreas) 908.
Kjalnr O. 493, 619, 1098, 1127.
*Kjallandi (Oreas) 908.
Kili (Dvergus) 493, 1069.
Kjölavaldi (Thor) 896.
Kólga (nympha marina) 493.
Konr (Regum primus) 669 & sq.
Kreppvör (nympha) 493.
*Kynfylgja (Genius) 379.
Körmt (amnis) 493.

*Landáss Thor 909.
*Landbúar (Genii) 849.
*Landdísir (Nymphæ) 839, 842, 849.
*Landkostar-árr (Telluris fæcunditatis dator, Freyr) 369.
Landvldi (cælestis regio) 494, 818, 1117.
*Landvættir (Genii) 832 & sq.
*Lángbardr O. 642, 1064.
*Lángfötr (Longipes, Hæner) 464.
Laufey (Nympha sive Oreas) 494.
*Lavndúngr O. 643.
*Leidi, Lodi (Gigas) 908.
*Leikn (Oreas) 903.
Leiptr (fluvius) 494.
Leirbrimir 495.
Léttfeti (eqvus) 495.
*Leygr, Lnugr (flamma) 1041.
Líf (mulier) 495.
Lífþrasir (vir) 495.
*Ljósálfnr (Genii) 276 & sq.
*Ljósálfaheimr (summum coelum) 279, 392.
*Ljósfari (Lucifer, Sol) 716.
*Ljóta (Oreas) 747.
Listvör (Nympha) 495.
Litur, Litr (Dvergus) 295, 495, 1063, 1064.
*Ljúflingr (Dæmon) 278, 839.
*Lodinfingra (Oreas) 747.
Lodinn vid. Loþin.
Lódur (Deus) 496.
Lofár, Lofar 496, 1032, 1064.
Lofn (Dea) 357 & sq.
Logi 433, 496 & sq. 891, 904, 1041, 1057, 1061.
*Lokabrenna (Sirius) 382, 504, 737, cfr. 1041.
Loki, dæmon, (cfr. Asa-Loki, Utgnrda-Loki) 309, 312, 496, 655 & sq. 1015, 1040.
Loki (Genius) 505.
Lóni (Dvergus) 505, 1082.
Loptr (Lokius) 505.
*Lóra (Nympha) 908, 917.
*Lóridi (Thori filius) 437.
Loþin, Lódinn (Gigas) 506.
*Lyngvi (insula) 339.
*Lædingr (vinculum) 337.
Lærádr, Léradr (arbor) 506.
*Lögseimsfadir (Lokius) 505.

Magni (Deus) 448, 506.
Mánagarmr (bellua) 382, 414; cfr. 342.
Máni (Lunus) 506, 1024, 1036, 1039.
Mannheimr plur. Mannheimar (mundus hominum) 508, 564.
*Mara (Ephialtes, lamia noctivaga) 696, 749.
*Mardöll (Freya) 357.
*Margýgur (nympha marina) 663.
*Megingjardir (cingulum) 895.
*Meilabródir, Meilablödi Thor 909.
Meili (Odini filius) 508, 548.
*Meinvættr (malum Dæmonium) 838, 1089.
*Méldögg (ros) 441.
*Melludolgr (Thor) 909.
Menglöd (Nympha) 508.
Menja (Oreas) 509.
Mey, pl. Meyar; it. Mær (Nornæ) 530. cfr. 1074 & sq.
Mid — vid. Miþ —
Mimameidr (arbor) 510, 873.
Mimir (Dæmon) 510.
Mimisbrunnr (fons) vid. Mimir, it. 541.
*Mimsvinr O. 643.
Mist (Valkyria) 511.
Mistilteinn (surculus, spiculum) 511.
Miþgardr, Midgardr (media regio, mundus terrestris) 513.
Miþgardsormr, Midg. o. vid. Jörmungandr.
Miþgardsveor (Thor) 909.
Miþvitnir, Midvitnir 514.
Mjödvitnir (Dvergus); cfr. Miþvitnir 514, 1055.
*Mjöll 1126.
Mjölnir (malleus) 514, 940, 943 & sq. 949, 957 & sq.
Mjötvidr vid. Yggdrasill.
*Módgudur (Nympha) 296.
Módi (Deus) 517.
Módir (auctrix nobilium sive patriciorum) 668.
Módsognir (Dvergus) 517, 1032, 1068.
Móinn (Dvergus) 577, 1109.
Móinn (serpens) 517.
Mundilfari (Dæmon) 517.
Muninn, Munin (corvus) 518, 562, 628.
Muspell, Muspellsheimr (mundus empyræus) 518.
*Mylen (Sol) 716.
Mylin (Luna) 507, 519.
Myrkridn (lamia noctivaga) 489.
*Möckurkálfi 447.
Mögþrasir, Mavgþrasir 519.

Nabbi (Dvergus) 519.
*Náfjardar-vördr (malum dæmonium) 491.
Naglfar, Naglfari (navis) 519.
*Naglfnri (Noctis maritus) 315, 532.
Nágrind (Lemurum porta &c.) 520.
Náinn, Náin (Dvergus) 520, 1121.
Náir (Lemures) 520.

Nál (mater Lokii; cfr. *Laufey*) 520.
Náli (Dvergus, *VSpá*) 1071.
Nanna (Dea) 520, 1086.
Nár (Dvergus) 521, 1121, 1130.
**Nátt-tröll* (malum ac noctivagum dæmonium) 748.
**Nnrfi, Navrvi* vid. *Niörvi, Nörvi.*
Narfi (Lokii filius) 521.
Nari (Lokii filius) 521.
Náströnd, pl. *Nástrandir* (pars inferni) 521.
Naudur (Necessitas) 521.
Nav vid. *Nö.*
Naut (amnis) 522.
**Nefr, Nefur* (Odini filius) 520, 548.
Nidafjöll (montes) 522.
Nidhöggr (draco) 522, 1089 & sq.
Nidi (Dvergus) 523, 1033, 1113.
Niflheimr (mundus inferus) 523.
Niflhel (nebulosus infernus) 523.
**Nikar* vid. *Hnikar.*
**Nikr, Nikur* (dæmon aqvaticus) 438, 748.
**Nikuz* vid. *Hnikudr.*
Njörun, Njörunn 995.
**Njótr* O. 618, 643.
Niplngr, Nipplngr (Dvergus) 523, 1122.
Njördr (Deus) 368, 523, 989, 1109.
Nóatún (regio vel urbs) 527, 1109.
Nor (continentis Norvegiæ occupator et principalium ejus stemmatum auctor) 827, 956, 986.
Nordri (Dvergus) 527, 1114.
Nori (Dvergus) 527, 1047.
Norn pl. *Nornir* 527, 768 & sq. 860, 1047.
Nótt (Nox) 315, 531, 743.
Nýi (Dvergus) 531, 1033, 1110.
Nýr (Dvergus) 531.
Nýrádr (Dvergus) 531, 1033, 1067.
Nýt (amnis) 531.
Nönn (amnis) 531.
Nörfi, Njörvi (Gigas) 315, 531.

Ódáinsakr (Paradisus hyperboreus) 566.
Odinn ac verisimiliter etiam *Vódinn* it. *Oden, Othen, Othin* (Deus), sub hoc nomine a Scandinavis cultus 407, 410, 531, 593, 596, 993. Dictus ab Anglosaxonibus *Voden, Vuothen, Vuothan*, (*Vódin*) at aliis Germanis *Woden, Wodan, Wodhen, Weda, Guodan, Godan* 555, 593, 595, 597 & sq. Leuticiis & Venedis (sive Vandalis Slavicis) *Guoden, Woda* 608 & sq. Borussis, Lithuania & Livonibus *Waide-Wut, Ville-Vut* 609. Celtis, ut priscis Britannis &c *Budd, Buddwas* 995, 1025. Ejus cultus inter Getas & Gothos (tam extra qvam intra Scandinaviam) 611 & sq. Inter Thraces & Germanos sub Hermetis vel Mercurii nomine 685 & sq. Inter Scythas & Græcos, qva occasione Jovis ac Odini varia agnomina et epitheta comparantur & explicantur 617 & sq. In Asia (at præsertim Arabia, Persia, India, Serica &c) sub diversis nominibus, ut *Oboda, Vodda, Buddha, Budyas, Bodh, Bodhi, Buds, Buden, Ádin, Odin* &c, 622 & sq. (cfr. 558 & sq.) 1039. In America sub nomine *Votan* & pl. 634 & sq. 1025, 1035. Ejus Scandinavica agnomina (circiter 200) enumerantur 637 & sq. Recentiores de Odino superstitiones inter Scandinavos Islandos, Britannos & Germanos 644 & sq. Is habetur pro primo imperii fundatore in Russia, boreali Germania, Reid-Gothia, Dania, Svecia, Gothia Svecica, Gothlandia insula & alibi 555 & sq, 560 & sq. Auctor fastorum, anni, mensium, hebdomadum, diei &c, 1008 & aq. 1039, 1047, 1064, 1069, 1070, 1091, 1110. (cfr. 633 635).
Odr, Odur (maritus Freyæ) 649.
Odreyrir, Odrærir (vas sive lebes) 543 & sq. 650.
Ofnir O. (it. angvis) 620, 651, 1069, 1070, 1122.
Oinn (Dvergus) 653, 1067.
Okólnir, Okólni (regio) 653.
**Olgr, Olgur* O. 620, 643.
Omi O. 619, 632, 653, 1102.
**Onar* (maritus Noctis) 315, 532, 1033.
Onar (Dvergus) 653.
Ori (Dvergus) 653, (1048) 1129.
Orms-einbani (Thor) 690.
Oski O. 619, 653, 1100
Oskmey (Valkyria) 442, 684, 806.
Oskopnir (campus) 654.
Otur (Dvergus) 654.
**Ovættur* (malum dæmonium) 838.

Púki (dæmon parvulus) 279, 845.

Qvásir, Kvásir vir, (Genius vel Dæmon) 543, 739.
Qveldrida, Qvöldrida (Lamia noctivaga) 489.

Rádgrid (Valkyria) 654.
Rádsvidr (Dvergus) 654, 1068.
Rádveig (filia Niordi) 654.
**Ragnadr* O. 643,
Ragnarök (exitium Deorum & mundi) 654.
**Rami, Ramr* (Thor) 909.
Rán (Dea marina) 660.
Randgrid (Valkyria) 663, 1108.
**Ránheimr* (Oceanus) 661.
**Ranngridur* (Valkyria) 803.
Ratatöskr (sciurus) 664, 866.
Rati (terebra) 664.
**Refilstigar* 781.
Regin numina 664, 930, 1029.
Regin (Dvergus) 666, 1068.
Regin (Dvergus sive Semo) 666.
Reginleif (Valkyria) 666.
**Reidityr* (Thor) 909.
Rennandi (amnis) 667.
**Rigr, Rigur* (Heimdallus) 418, 667.
**Rigr, Rigur* junior (alias *Jarl*. Dux aut Rex primus, regalium stemmatum auctor) 668 & sq.
Rin (Rhenus, amnis) 670, 1091.
Rindur (Dea) 580 & sq, 673.
**Rota, Róta* (Valkyria) 802.
Rudur (amnis) 674.
**Rúnhöfdi* O. 643.
Rýgur (Oreas) 490.
**Rymr* (Thor) 909.
Rögnir (O. vel Thor) 318, 627, 674.
**Rögnudr* O, 618, 627.
Röskn, Röskva (Nympha) 674.

Sadr, Sádr O. 619, 627, 629, 676, 1042, 1062.
Saga, Sága (Dea) 676, 1016, 1065, 1066, 1069.
Salgofnir (gallus) 679.
Sanngétall O. 679, 1065.
**Sanngridur* (Valkyria) 805.
**Semingr* (Odini filius) 548 & sq.
**Sessrúmnir, Sessvnrnir* (palatium) 347, 350
**Seydr, Saudr* (Ignis) 1041.
Sid (amnis) 679.
Sidgrani O. 620, 628, 679, 1064.
Sidhöttr O. 580, 679, 1079.
Sidskeggr O. 620, 628, 679, 1064, 1079.

Sif (Dea) 680, 916.
**Sifjarrúni* (Thor) 460.
Sifjarver (Thor) 909.
Sigar O. 643.
**Sigdir* O. 619, 643.
Sigföðr, *Sigfadir* O, 628, 682, 1081.
**Siggautr*, *Sigautr* 618, 643.
**Siggi*, *Sigi* (filius Odini) 548.
**Siglitnir* (collis) 340.
**Sigmundr* O. 643.
Sigrdrif, *Sigurdrifa* (Valkyria) 683.
**Sigrhöfundr* O. 629, 643.
**Sigrlami* (filius Odini Russici imperii auctor) 549.
Sigrlinn, *Sigurlinn* (Valkyria) 687.
Sigrún (Valkyria) 689.
**Sigrunnr* O. 644.
Sigtívar, *Sigtivar* (Dii) 692.
Sigtoptir (urbs, regio) it. *Sigtún* 562, 693, cfr. 682.
**Sigtryggr* O. 619.
Sigtýr O. 618, 628, 693.
Sigurdr (Teut. *Siegfried*, heros Scando-Germanicæ antiqvitatis celeberrimus) 334, 537, 694, 899, 1086, 1088.
**Sigurgod* O. 693.
Sigyn (uxor Lokii) 695.
**Sigþrór* O. 620, 644.
Silfrintoppr (eqvus) 695.
Simul 507.
Sindri (Dvergus) 696, 1046.
Sindur (Oreas) 696.
**Singasteinn* (rupes) 309.
Slnir (eqvus) 696.
**Sjofn*, *Sjöfn* (Dea) 357, 994.
**Sjótrúngnis*, *-túngl* (malum dæmonium) 441.
Skúdi, *Skaði* (Oreas in Dearum numerum recepta) 697, 1074, 1075.
Skafidr (Dvergus) 697.
Skéggöld (Valkyria) 801, 1059.
Skeidbrimir (eqvus) 702.
**Skjaldarás* (Ullerus) 764.
**Skjálgr* (Luna) 507.
Skídbladnir (navis) 702, 1058.
Skilfingr O. 704, 1114.
Skinfaxi (eqvus) 704.
Skirfir (Dvergus) 1099.
Skirnir (Genius) 704.
**Skjöldr* (filius Odini) 386, 548, 553.
Skoll, *Skavll*, *Sköll* (Lupus) 708.
**Skollvaldr* O 620, 644.
**Skrámr* (Luna) 507.
Skrýmir (Lokius Utgardensis) 706, 904 & sq.
Skuld (Valkyria) 707.
Skuld (Norna) 707.
**Skyndir* (Luna) 507.
Skögul (Valkyria) 707, 803 & sq. 1066.
Sleipnir (eqvus) 708 (cfr. 645).
**Sleipnisfrændi* Lokius 503.
Slid (amnis) 712.
**Slidrugtanni* (aper) 363, 403.
Slidur (amnis) 712.
Smyl (dæmonia) 712.
**Sniór*, *Snær* 1126.
Snotra (Nympha) 994.
Snör (atavia liberorum colonorum) 668.
Sól (Dea) 713, 994, 1039, 1092, 1095.
**Sólarböl* (malum dæmonium) 491.
Sólarhjortr (cervus) 719.
Sólbjartr (Genius) 720.
Sólblindi (Genius) 720.
Sólkatla (Nympha) 720.
Són (vas) 651, 720.
Sónargavltr (verres) 721, 1061.
**Spádísir* (nymphæ, Valkyriæ) 842.
Spágandr (baculus vaticinans sive calendaris) 1027.
**Starkadr* (mythicus heros) 566, 572 & sq. 587.
Stjarna pl. *Stiörnur*, stellæ 722.
Strönd (amnis) 723.
Sudri (Dvergus) 723, 1115.
**Sulltur* (culter) 423.
Sumar (AEstas) 723, 1015 & sq. 1069, 1070, 1073, 1075, 1076.
Surta-Logi (incendium mundanum) 276, 725 & sq.
Surtr (Deus) 725.
Surtr (Genius) 738.
Suttúngr (Gigas) 738.
Svadilfari (eqvus) 709, 711.
Svafa (Valkyria) 689.
Svafnir O. 620, 739, 1122.
Svafnir (angvis) 652, 1069, 1070.
Svafr (Genius) 740.
**Svalbrjóstadr* (Dæmon)
Svalin (clypeus solis) 740.
**Svanr* 316.
**Svanhildur Gullfjödur* 316.
Svarángr (Gigas) 741.
**Svartálfaheimr* (mundus geniorum atrorum) 326, 338, 440, 706.
Svartálfr pl. *Svartálfar* (dæmon sive genius ater) &c. 326, 702, 741, 1087.
Svarthöfdi (dæmon) 741.
Svasadr, *Svasudr*, pater AEstatis 741.
**Svegdir* O. 644.
**Sveid* (Valkyria) 803.
Sverdáss (Heimdallus) 741.
Svidr, *Svidur* O. 346, 618, 619, 628, 741, 1107.
Svidrir O. 346, 619, 628, 742, 1107.
**Svidudr* 619, 644.
Svior (Dvergus) 742, 1073.
**Svipall* O. 620, 742, 1063, 1064.
Svipdagr (Genius allegoricus) 742.
**Svipul* (Valkyria) 803.
**Svlvör* (Oreas) 908.
**Svolnir*, *Svölnir* O. 620, 644.
Svöl (amnis) 743.
Sylgur (amnis) 743.
**Syn* (Dea) 359.
**Sýr*, *Sir* (Freya) 312, 351, 356, 357, 361.
**Sægur* (hydria) 507.
Sæhrímnir, *Serimnir* 743.
Sækin (amnis) 744.
Söckmimir (Gigas) 745.
Söckvabeckr, *Savckvabeckr* (palatium) 472, 745, 1065.
**Sönnúngr* (Thor) 909.

**Tanngnjóstr*, **Tanngrisnir* capri Thori 895, 914.
Tíli, *Tívi* pl. *Tivar* (Deus, Divus) 613, 745, 761 cfr. 693.
Tramar (mali dæmones) 745.
Travll, *Tröll* (mala dæmonia) 746 (cfr. 568, 839, 923, 982, 983, 984, 1038).
Túnrida (Lamia) 754.
**Tveggi* O. 644.
**Tvíblindi* O. 603, 644.
Týr, *Tívi* (Deus) 456, 754, 1039 cfr. 1093.
Tötrighypia (furia gigantea) 763.

Udr, *Udur* O. 618, 764, 1068.
Udur (Nympha marina) 987.
**Ulfakreppa* (lupina solis obsidio sive angustiæ) 390.
**Ulfsbagi* O. 620, 644.
**Ulfsföstri* (Týr) 762.
Ullar-sefi (Baldur) 298.
Ullr, *Ullur* (Deus) 101, 583, 764, 818, 1013 & sq. 1044, 1045.
**Ullsmágr* (Thor) 482, 909.
**Ungr* O. 581, 620, 644.
Uni (genius) 767.
Uppregin, *Upregin* (numina) 767.
Uppheimr (coelum) 767.
Upphimin (coelum) 767.

*Uppsalir, Upsnlir (coelestes ædes) 342, 562, 693.
Urdarbrunnr, Urdarsær (fons lacus, mare) 768 & sq., 863, 865.
*Urdnrmáni (Urdæ luns) 769.
Urdur. Urd (pl. Urdir) Norna, Parca 767.
*Utgarda-Loki (Rex Gigantum & mundi inferi) 457, 496, 503, 901 & sq., 978 & sq.
*Utgardar (regiones mundi extremæ & inferæ) 482, 513 & sq. 900, 976 & sq.
*Uvættur (malum dæmonium) 838.

Vadgelmir (abyssus) 770.
Vafrlogi (flamma) 770.
Vafudr O. 620, 771, 1116.
Vafþrúdnir (Gigas) 771.
*Vagaskér (scopulus) 309.
*Vagnagud (Nioerdus) 525.
*Vagnnrunni O. 621, 644.
Vagnaver (Thor) 773, 890, 909.
*Vagnbraut (cæli via) 913.
Vngnbrautnrveldi (coelum) 911.
*Vagnhöfdi (Gigas) 568.
Vakur O. 773, 1113.
Vala (Sibylla, Fatidica) 773, 1020, 1028.
Valaskjálf (palatium) 776, 1059.
Valdýr (Fenrer) 777.
Valfadir, Valfavdr O. 619, 777, 1085.
*Valfreya 896.
*Valgnutr O. 644.
Valglaumr (eqvus) 778.
Valgrind (sepes, porta) 778.
Valhöll (aula coelestis) 619, 778, 1064.
Vali (Deus) 795, 1059, 1062, 1063, 1064, 1065.
Vali (dæmon) 502, 775, 800.
Valkyria (Bellona) pl. Valkyriur 538, 800, 829, 839, 1036.
*Valmeynr (Valkyriæ) 803.
Vnltamr (genius allegoricus) 803.
Valtivar (sing. Valtivi) Dii sphærici 808.
*Valþavgnir O. 644.
Ván, Von (amnis) 340, 808.
*Vanadis, Vanagod (Freya) 351, 650, 1080.
*Vanaheimr (mundus aëreus) 809.
*Vángagud (Nioerdus) 525.
Vanlngi (Freyr) 809.
Vanir (sing. Vanr) Dii aërei 809.
Vanr, Vanagod, Vananidr (Nioerdus & Freyr) 363, 364, 405, 525.
Vnr vid. Vör.
Varl (alias Jari) Dvergus 810.
Varkaldr (dæmon) 810 cfr. 1016 & sq.
Varr, Var (dæmon) 810.
*Vartari (corrigia) 507.
*Vasadr (Genius) 817.
Ve, Vei (Deus) 810 (cfr. 596 & sq.) 909.
Vear Dii 816.
*Vedurfólnir (accipiter) 410, 862, 866.
*Vegdeg (filius Odini) 549.
Vegdrasill (Genius) 816.
Vegsvinn (amnis) 816.
Vegtnmr O. 816.
*Veidlás (Ullerus) 764.
Veigr (Dvergus) 816, 1056.
*Veodr (Thor) 909.
Veor (Thor) 816.
Veratýr O. 817.
Verdandi (Norna, Parca) 817.
Verland (regio) 412, 817.
Verlidn-vinr (Thor) 890.
Vestri (Dvergus) 817.
*Vetmimir, Coelus, Odinus 511, 618, 644.
Vetur (Hyems) 817, 902, 1015 & sq. 1023, 1044, 1045.
*Veturlidi (ursus) 1023, 1058.
Vid (amnis) 818.
Vidnr (Deus) 818, 1117 cfr. 950.
*Vidbláinn (coelum) 267.
*Vidfinnr (Gigas) 507.
*Vidgýmnir (Thor) 480.
*Vidofnir (gallus) 824, 1082, 1090 & sq.
Vidólfr (dæmon) 825.
Vidr, Vidurr O. 618, 825, 1099.
Vidrir O. 587, 618, 826, 1099.
*Vidrisarfi (Thor) 481.
*Vidr-mimir 618, 644.
*Viflingr O. 620, 644.
*Vigabrandr (meteoron) 407, 782.
Vigdvalin (Genius) 826.
Vigridr (campus) 826.
Vigúlfr (dæmon) 644.
*Vil (amnis) 340.
Vili (Deus) 827.
Vili (Dvergus) 827, 1072.
*Viliabródir O. 644.
Vilmeidr (Dæmon) 827.
*Vimur (amnis) 822, 827.
Vin (amnis) 827.
Vinn (amnis) 827.
Vindálfr (Dvergus) 827, 1058.
Vindheimr (mundus aëreus) 828.
Vindknldr (nomen allegoricum) 742.
Vindr (Ventus) 490, 987.
Vindsvalr (Hyemispater) 490, 828.
Vingnir 644, 830, 909.
Vingólf, Vingólf, Vindgólf (palatium vel regia) 829.
Vingskornir (eqvus) 830.
Vingþór (Thor) 830, 909.
Virvir (Dvergus) 831.
Vlsastr O. 628.
Vitur (Dvergus) 831, 1063.
*Voden, Vödin, (Vodan &c.) O. 554, 586, 593 & sq.
*Voli vid. Vali.
Vorkaldr vid. Varkaldr.
Vætur, Vættr (dæmonium) 326, 831.
Völundr, Vavlundur (heros ac artifex mythicus) 850.
*Völu-vilsinn (malum dæmonium) 491.
Vönd (amnis) 860.
Vör, Vavr, Var (Dea) 358.

Ydalir (regio) 860, 1045.
Yggdrasill (arbor) 517, 860.
Yggiongr O. 620, 870.
Yggr O. 628, 870, 1108.
Ylgur (amnis) 870.
*Ylir, (mensis) 767, 1044.
Ymir (gigas) 870. Cfr. Hýmir.
*Ymisland 565.
*Ymr O. 619, 644.
Yngvi (Dvergus) 878, 1103.
*Yngvi, Yngvifreyr (Odini filius) 365, 548.
Yrungr O. 618, 644.

*Þángsþraungvir, (Joermungandus) 483.
Þeckr, Þekkur O, 619, 628, 629, 878, 1052.
Þeckr (Dvergus) 878, 1060.
*Þjálfar (heros mythicus) 579.
Þjálfi (dæmon) 453, 878, 905.
Þjassi, Þiazi (Gigas) 697, 701, 881, 1074, 1075.
*Þldur O. 619, 644.
Þjódnuma (amnis) 888.
Þjódreyrir (Dvergus) 888.
Þjódvarta (Nympha) 889.
Þjódvitnir (Fenrer) 889.
*Þjófr (fur variarum rerum — Lokius) 503.
Þór, Þórr (Thor, Deus) 590 & sq. 597, 608, 729, 733, 820 & sq. 880, 889, 973, 1040, 1059, 1066, 1070, 1072, 1080, 1084, 1126.
*Þórgerdur Hölgabrúdir &c. (Oreas, Nympha sive Dea) 981.
Þorinn, Þorin (Dvergus sive Genius) 968, 1060, cfr. 1130.

*Þorri (Deus sive Semo it. mensis) 956, 1050, 1059.
Þráinn (Dvergus) 968, 1059.
Þrár (Dvergus) 968.
*Þrasar O. 620, 644.
Þrídi O. 618, 968, 1055, 1056.
*Þrima, Þryma (Valkyria) 803,
*Þrivaldi (gigas) 907.
*Þroptr O. 644.
Þrór O. 618, 969.
Þrór (Dvergus) 969, 1062, 1099.
*Þrúdarás (Thor) 909.
*Þrúdarsadir (Thor) 482.
*Þrúdarþjófr (fur sive abactor Thrudæ, Hrungner) 450.
Þrúdgelmir (Gigas) 969.
Þrúdhamar (Mjölner) 969.
Þrúdheimr (regio) 970, 1010 & sq,
Þrúdmódgr (Thor) 970.
*Þrúdnir O. 620.
Þrúdvaldr (Thor) 970.
*Þrúdvgr (Thor) 970.
*Þrúdr O. 620, 644.
*Þrúdur (filia Thori) 970.
Þrúdur (Valkyria) 803, 970.
*Þrúdvángar (regio) 970.
*Þrúdvángr (urbs, villa sive regio) 448, 562, 970.
Þrymgjöll (porta) 971.
Þrymheimr (regio) 525, 972.
Þrymr (Gigas) 972.
Þræll (primus servorum) 667.
Þudr O. 974, 1057.
Þul (amnis) 344.
Þundr O. 618, 974, 1110.
Þurs, Þuss, Þussi (Gigas, malus dæmon) 974.
*Þursablendingar (gens) 981.
Þurs-rádhani (Thor) 890.
*Þviti (saxum) 339.
Þý (prima servarum) 667.
Þyn (amnis) 984.
*Þöck, Þökt, Þavkt (Oreas) 297.
*Þögn (Valkyria) 809.
Þöll, Þavll (amnis) 984.

Ægir (Oceanus) 984.
Ægishcimr (mundus) 990.
Ægishjálmr (galea) 990.
*Æski O. 644.
Æsir, Esir (Asæ, Dii) 289, 991, 1009, 1034.
*Ættarfylgja (Genius) 379.

Ögurbodi vid. Angurbodi.
Ökuþór (Thor) 895, 904, 917, 944, 946, cfr. 968.
*Öli (Odini filius) 548.
Ölrun, Avlrún (Valkyria) 801, 850.
*Ölvaldi, Avlvaldi; cfr. Allvaldi 881,
*Öndurás (Ullerus) 765.
*Öndurdis, Öndurgud, Avndurdis &c. (Skatlea Dea) 698.
*Örboda, Örbodi vid. Aurboda.
Örgelmir (Gigas) 996.
Örgiafa, Aurgiafa 996.
*Örkonúngr (Hæner) 464.
Örmt (amnis) 996.
*Örvandill, Aurvandill p. p. (Gigas) 402. 449.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	lin.	
9.	8.	22 leges 29
24.	7.	intra l. infra
38.	27.	alii l. alias
60.	34.	nationis l. notionis
81.	9.	*túngo* l. *túnga*
89.	19.	altum l. alium
103.	14.	*E* l. *en* vel *enn*
116.	24.	Post vocem "jam" delineatur: a
133.	23.	lapide l. lapidi
143.	28.	79 l. 77
162.	22.	filabus l. filiabus
194.	3.	incusus l. incisus
207.	11.	sana l. fana
212.	11.	T. III, l. T. II,
223.	30.	*Ms.* l. *M. G.* (= Moeso-Gothis).
224.	26.	*glåda* l. *glädia*
228.	21.	Svec. *Latr* l. obsol. *Látr.*
—	36.	*λουθρον* l. *λυτρον*
235.	8.	*Gaël.* l. *Gael.*
236.	8.	Svec. l. vet. Svec.
240.	11.	*νεγω* l. *νεφοω*
243.	29.	pertinent l. pertineant
251.	33.	voco l. voce
258.	14.	Pro Litera V posita est T in primordio vocabulorum qvatuordecim, ut *Tœni* pro *Vœni* &c.
268.	3.	origine l. origines
270.	11.	post: "populi" deleatur vocula: vel.
276.	29.	*jörl* l. *jörd*
278.	4.	*Elp* l. *Elf*
285.	10.	Lege: *Ás*.... vid. *Áss*, *ÆEsir*
289.	2.	*Ás*, *Áss* l. *Áss*, *Ás*
292.	27.	Græcos l. Romanos
296.	35.	simillum l. simillimum
300.	22.	*Mihrgan* sive solis l. *Tirgan* sive Tiris
301.	6.	*Mihrgan* l. *Tirgan*
313.	8.	post "primitiva" adde: producitur; hæc
318.	8.	eorum l. earum
324.	24.	post "propagatores" addas: vel etiam posteri, subditi

Pag.	lin.	
329.	4.	arcis l. areis
330.	35.	*Amaras inha* l. *Amara-sinha*
354.	23.	Frui-Seja l. Frutiseja
357.	12.	Post: "marina" adde: vel
367.	32-33.	co iam l. copiam
378.	37.	*ορχεις* l. *ορχις*
380.	16.	hæc l. hæ
381.	11.	deleatur: variis modis
389.	26.	*κρυσαλλον* l. *κρυσταλλε*
393.	20.	anræ l. auræ
—	37.	*ginnúgs* l. *ginnúngs*
418.	16.	*Hallinskedi* l. *Hallinskeidi*
420.	26.	tetendit l. tendit
424.	12.	Solem l. lunam
—	19.	54 l. 34
447.	12.	sna l. sane
448.	35.	lapis l. lapidis
460.	1.	dissecusse l. dissecuisse
464.	10.	ea l. eo
469.	31.	prælixe l. prolixe
476.	6.	post "petitione" addas: confecere
501.	24.	cupiendi l. capiendi
—	36.	*varis* l. *varir*
516.	17.	sæpissimi l. sæpissime
524.	12.	*Krepprún* l. *Kreppvõr*
528.	35.	*κα* l. *κας*
538.	16.	eorum l. earum
540.	16.	Omnipotens l. Omnipater
543.	35.	hic l. his
551.	26.	Post "librarius" deleatur: non
553.	20.	*Modó* l. *Módi*
—	—	*Sccaf* l. *Sceaf*
560.	37.	*Diár* l. *Dıar*
561.	5.	multo sannos l. multos annos
574.	17.	lectione l. lectiones
577.	38.	evas erint l. evaserint
584.	18.	sua l. suæ
585.	21.	earundem l. eorundem
586.	31.	exhibens l. exhibentes
599.	8.	invenenerunt l. invenerunt
602.	16.	famossimus l. famosissimus

Pag.	lin.	
607.	18.	assumerat l. assumserat
620.	5.	*Yggingr* l. *Yggjongr*
625.	6.	Samænæos l. Samanæos
626.	16.	intensissimum l. intentissimum
627.	3.	Buddba l. Vishnu
628.	20.	*Mayas* l. *Maya*
637.	37.	deleatur: loca
639.	3.	*Allâinn* l. *Alldinn (Aldin)*
653.	6.	manducata l. manducato
657.	11.	28 l. 38
672.	26.	*Mihrgan* l. *Tirgan*
—	28.	dicta l. dicto
678.	37.	anser l. anas
—	38.	& sq. post: "gaudenti lege" Jovis &c. (cum ordo verborum hic sit corruptus).
682.	3.	*Siva* l. *Sivá*
705.	2.	sib l. sibi
—	12.	audi l. audit
711.	3.	istus l. istius
715.	34.	tratent l. trahent
721.	10.	*þorsone* l. *forsone*
723.	17.	in Deæ l. Deæ in
731.	36.	prædicatore l. prædicatori
737.	39.	ali l. alii
747.	35.	105 l. I, 105
751.	8.	lacus l. locus
752.	17.	*Troldhilâer* l. *Troldhilder*
758.	19.	*Týratre* l. *Týratré*
765.	11.	peculari l. peculiari
768.	31.	more l. mare
—	20.	*värda* l. *varda*
770.	13.	per l. ad
774.	2.	mythicorum l. mythicarum
—	11.	illorum l. illarum
775.	18.	Valii l. Valio
784.	26.	*Haron* l. *Hacon*
792.	23.	dicitus l. dicitur
793.	11.	Lodesis l. Lodensis
—	37.	*Amaravarati* l. *Amaravati*
794.	36.	Alanos l. Alanis
797.	2.	*ætera* l. *æftera*
798.	39.	*Vallinstags* l. *Vallinstag*
799.	35.	ideum l. idem
800.	39.	*du* l. *die*
—	—	*Hernans* l. *Hertans*

Pag.	lin.	
805.	27.	ede l. æde
810.	20.	*Gardrfa* l. *Gardrofa*
812.	20.	commun tes l. communitates
—	25.	*αφἔ στιας* l. *αφ ἕστιας*
813.	27.	*vargr.* l. *vargr,*
—	30.	*Grîð* (primum) l. *Grîþ*
816.	22.	*ατω* l. a *τω*
—	37.	monosterium l. monasterium
819.	37.	infa l. infra
823.	11.	aëram l. aëream
—	29.	*Vidar mett* l. *Vidar, ett*
830.	17.	*vagrla* l. *vagna*
—	—	aqviæ l. aqvilæ
—	18.	adscisens l. adsciscens
831.	6.	*Vættur* (prius) l. *Vætr*
—	11.	*Skálda* l. Edda junior
833.	36.	editæ (prius) l. datæ
835.	2.	habea l. habeo
842.	36.	inflammati l, inflammatio
843.	5.	*Alsvskud* — l. *Alvskud* —
847.	3,4.	deleantur verba: illis dæmonibus
851.	36.	illustrii l. illustri
852.	11.	fatarecensendo l. fata recensendo
855.	19.	auctorse l. auctor se
859.	37.	*rómur* l. *rómu*
868.	11.	principaliumi magines l. principalium imagines
869.	26.	fraxinira musculum l. fraxini ramusculum
873.	4.	cælum l. terram
877.	10.	*Um* l. *Ym*
881.	22.	l, loqvelam vel sermonem, aut etiam numerum vel numerationem
886.	5.	borealis l. boreales
888.	41.	aliqvæ l. aliqva
897.	6.	deleatur: dicitur (posterius)
899.	25.	eo l. eos
901.	32.	*Loka* l. *Loki*
902.	36.	ea l. eo
910.	32.	malli l. mallei
912.	21.	deleatur: id
915.	39.	1320 l. 1328
918.	34.	l. de humano pugile (pro fortissimo Deo)
923.	9.	*Landáss* l. *Lándáss*

Pag.	lin.	
923.	12.	virum l. vir
925.	10.	hvod l. qvod
929.	35.	post "vocabatur," adde: ei
931.	8.	varias l. varia
933.	8.	scraulacra l. simulacra
936.	9.	intense l. intente
—	23.	Sveorum l. Svevorum
942.	10.	l. octuplici, festivis tantum noctibus
943.	19.	Sarmatorum l. Sarmatarum
947.	22.	mundi l. mundo
952.	15.	ferriæ l. feriæ
960.	31.	deleantur: aëro lithus
964.	10.	apparationum l. apparitionum
966.	34.	gratitus dinis l. gratitudinis.
969.	31.	l. *Buri*, — *Bör*, — *Odinn*
975.	6.	Thursi l. Thursis
982.	13.	serie l. serio
991.	29.	ille l. illâ
995.	33.	l. Indorum Budyas, Buddhah &c,
1004.	5.	proposito l. propositæ
1012.	30.	deputator l. deputatos
1022.	28.	medium l. mediam
—	29.	eadem l. eodem
1037.	36.	nos l. non
1048.	23.	Addas: ut (ante: solstitium)
1050.	32.	l. et alibi hæc dies
1054.	15.	vari l. varii
1056.	10.	*tweltday* l. *twelft day*
1060.	4.	pagan l. pagani
1064.	13.	peronati l. personati
1066.	16.	*Laruudæ* l. *Larundæ*
1073.	29.	*Sundag* l. *Sunday*
1083.	14.	allæ l. aliæ
1089.	6.	sunt l. est
1109.	27.	culto l. culti
1113.	14.	l. *Malberg*, gentilis olim ara

CONSPECTUS VOLUMINIS.

Pag.

Völuspá, vaticinium Valæ sive carmen Sibyllæ arctoæ cum introductione et notis (cfr. pag. 191–208, it. 1131) . . . . . 1.

Hovamál, Carmen Celsi vel excelsum sive Odini sententiæ, cum introd. & notis . . . . . 57.

Rígsmál epr Rígspula, melos sive carmen Rigianum cum introd. & notis 143.

Additamentum præsentis Eddæ antiqvioris editionis, continens apographum carminis *Völuspá* hactenus ineditum &c; (cfr. pag. 1–56, 1131) . . . . . 191.

Specimen glossarii sive index vocum &c. . . . . 209.

Onomasticon carminis Rigiani . . . . . 261.

Schema genealogicum, exponens ejusdem poëmatis origines Scandinavicas 268.

Lexicon mythologicum veterum borealium theosophiæ, cosmogoniæ et cosmographiæ . . . . . 273.

Specimen Calendarii gentilis priscorum Gothorum, Danorum aut Scandinavorum, ex Asia oriundi . . . . . 997.

Additamenta dicti Lexici et Calendarii . . . . . 1125.

Clavis abbreviationum . . . . . 1132.

Index nominum mythicorum . . . . . 1133.

Errata emendata . . . . . 1143.

